R. P. ANGELI MANRIQVE
ANNALES
CISTERCIENSES.



CISTERCIENSIVM
SEV VERIVS
ECCLESIASTICORVM
ANNALIVM A CONDITO CISTERCIO,

TOMVS PRIMVS:

Continens ab Anno. M. X C V I I I. vſque ad M. C. X X X V. incluſiuè:

PHILIPPO MAGNO HISPANIARVM REGI.

Auctore FRATRE ANGELO MANRIQVE, Burgenſi, eiuſdem Regis à ſacris concionibus, Ciſtercienſis familiæ in alma Hiſpaniarum obſeruantia Generali emerito, & in Salmanticenſi Academia, ſcientiarum omnium Principe, ſacræ Theologiæ primario anteceſſore.

LVGDVNI,

Sumpt. HÆRED. G. BOISSAT, & LAVRENT. ANISSON,

M. DC. XLII.

REGI
OPTIMO, MAXIMO,
POTENTISSIMO
PHILIPPO IV.

Vtriusque orbis Monarchæ, verè Catholico.

CISTERCIENSIVM annalium Tomum primum, optimo, & potentissimo Regi lubens consecro. (Nam CISTERCIVM LACTATVM MAMMILLA REGVM) vt idem fauor, susceptam familiam foueat, qui nascentem suscepit; & extensissimam per Christianum orbem (heu quondam!) sobolem, latiùs patens potentia tueatur. Accedit, quòd Cistercium, in Burgundia: Bernardus, Ottóque, atque Conradus, qui prima, vel ex primis Cistercij lumina; hi Archiducum Austriæ fausta proles, Diui Leopoldi filij; ille ex primori-

bus illuſtrium Burgundionum ; omnia Philippum IV. ſibi vendicant, aut nepotem, aut Dominum ; atque ex vtroque , ſucceſſionis iure debitum, & velut hæreditarium protectorem. Quid quòd nos ipſi obſtricti duplici titulo, & naturæ; & gratiæ; Quippe nati in primaria Caſtellæ vrbe: & vocati ad aulam in opus Euangelij , non noſtro merito, ſed Regia dignatione. Ergo, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari damus. Vtinam digna Cæſare! Certè ex materia, non indigna iudico. Cætera Regium nomen , aut obteget , aut honeſtabit. Interim , ô Rex potentiſſime , intende proſperè, procede, regnáque; propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, deducat te mirabiliter dextera tua. Annue Deus : & Principem verè pium, verè Catholicum, Eccleſiæ, & orbi incolumem conſerua.

PRÆFATIO

PRÆFATIO
IN ANNALES
CISTERCIENSES.
AD BENEVOLVM, ERVDITVMQVE LECTOREM.

SENEX tandem, & iam sexagenarius, qui in castris Scholasticis ab ipsa penè infantia militaueram, ad alienas progredior historiæ acies: non desertor; non transfuga; quippè adhuc sub eisdem militans signis: sed velut tædio eorum studiorum, ex varietate lenimentum aliquod, ex materia profectum quæsiturus. Et qui adhuc tyro ad floridiores, certè ad minùs aridos Expositiuæ Theologiæ campos diuerti; ante messem fructuosiores colere, atque exemplis, quàm verbis incalescere, reputans efficacius; primitiuum Cistercium mihi proposui, aut imitandum, aut saltem describendum. Potuissem faciliùs Commentaria, & disputationes in Diuum Thomam, per duos, & triginta annos elaborata; atque in hoc Salmantino Licæo auditoribus meis dictata edere, nam habebam in promptu; si non Theologi hac nostra tempestate, vt olim penuria, sic multitudine Scriptorum laboraremus. Vt scribendi in hac parte cachoëtes magis; quàm studium, veritatem obnubilet, Lectores confundat, & Scribentes, aut prodat, aut dehonestet. Nam multos sanè culpabiles inuenias; quosdam; qui nihil, nisi nouum, probent, antiqua omnia despiciant: alios econtra hereditariæ doctrinæ adeo tenaces, vt ea tantùm tradant; quæ acceperunt; nec solùm si resistas, deuiésve, sed ægrè etiam ferant, si quid addideris. Nobis, dum in hac palestra versati sumus, vetera curæ, sed illustranda, & longiùs progressura; forsánque aliquid ex vigiliis tot annorum in Scholasticam Theologiam contulissemus. Sed hæsi, fateor, in ipsa multitudine; & quod me tædium in alienis scriptis occupat, nostris ab aliis timui: certus, vt minimum non desiderari, vbi tot alia quotidie in lucem prodeunt. I.

Ergo quod reliquum erat caueri cœtum, ad Eremum confugi; & viam penitùs inuiam ingressus sum, annales Cistercij; in qua minùs proficere iuuabit, dummodò tamen detur aperuisse. Debebunt nobis, qui progredi voluerint, quod habeant, quà eant. Debebit & Cistercium id qualecumque peragendum ab aliis, sed quod hactenus nullus inchoauerit. Certè parum egisse in hac materia, vel ex ipsa arduitate, facilè possumus: actum non possumus. Atque hoc ipsum meritum habebit apud posteros, apud exteros, apud nostros, dummodo antiquitatis æstimatores. Nam quæ auctor Exordij Cæsariúsque, & si qui alij ex priscis, atque ex eis Recentiores transcripsere, extra Chronologiæ ordinem digesta, materia vaga, accommodata II.

exemplis, siue historiolis; sed quæ ægrè annalibus valeat adaptari.

III. Nec tamen inficior per multos annos plenam Cistercio Ecclesiam, vt non immeritò hi iidem annales, Ecclesiastici valeant appellari. Quippe Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, in pace, in bello, quasi nulli alij in Ecclesia Dei essent, cuncta per Cistercienses moderabantur. Sed eò magis laborandum nobis fuit, quibus nullus sequendus, velut dux operis; & aliàs omnes legendi proponebantur. Nec minor labor, quærere legendos, in Hispania præcipuè, in qua Typographi, raró, nisi vulgares; negotiatores eos tantùm libros adducunt, quos venales agnoscunt. Et neotericis in historiis antiquis lubrica fides; priscos nec gratis legunt, nisi rarissimi.

IV. Affuerunt tamen quatuor Bibliothecæ, queis refertissimis Salmantica illustratur, Domestica Cistercienses Collegij, nulli inferior, Ludouici Bernardi de Quiros, sacræ olim Bibliæ primarij professoris conquisita industria; nec minùs nobis peruiæ, beneficio suorum, tres externæ; altera ex Regali collegio Societatis IESV; duæ ex his quæ maiora vulgò appellant. Sant-Bartholomæano nimirum, & Ouetensi. Atque hæc vltima (magni quondam viri Didaci Couarruuias gloriosa cura) ferè præ cunctis aliis in vsu fuit. Cætera suppleuere M.S. vndecunque quæsita, ex Gallia, Italia, Belgio, Germaniáque, & quæ reliquit Ignatius Firminius Iberus, Fiteriensis Abbas, ipsa auctographa; quin per triennium patens Vaticanum insignis eruditionis viro Leandro Vadillo, ad hoc transmisso Romam, cùm primum hos annales meditaremur.

V. Cuncta euoluisse, vel vacuo ab aliis curis, immensus labor; onerato domesticis, & publicis, nam vtrasque subiui, & tam diuersa studia profitenti, supra vires fuisset, si non ipsa lectionis varietate, & dulcedine, quasi innata materiæ, reficeremur. Quid, quod videmur in alieno foro versari? & velut cogi apud alios causam dicere, cùm inter longè alios vixerimus; imò viuamus? Sed vicit cuncta appetitus auitæ laudis: & virtutem, cui imitandæ impares sumus, quà indagare sufficimus, admirandam, venerandamque proponere, aut deuotio, aut impulsus persuasit. Noscamus, quàm non sumus, qui olim fuimus, vt esse curemus: qua occasione à feruore illo cecidimus, vt similes attentiùs caueamus: Noscant & cæteri, quid præteritis debeant, vt præsentes foueant, & vel degeneres filios amplectantur, quos tanti, ac tales parentes, nobilitarunt Ergo hæc materia, hic nobis scribendi scopus fuit.

VI. Stylus, quantum consequi potuimus, neque omnino depressus, neque elatus, & cui illud subsidium, onúsque (nam vtrumque fatemur) aliorum verbis maiori ex parte loqui; quo præterita, absentia, pleniori fide, hoc est tempore, locóve distantia, eorum qui, aut præsentes interesse, aut à præsentibus accipere potuerunt, non nostro testimonio subnixa propinaremus. Sed, &, vt vbi illi vacillant, indemnes nos, & quasi alieno periculo scribamus. Nisi quòd tamen in conflictu testium, qui non rarò contingit, iudicio opus: & plerumque eligimus. Quamuis nonnulla vtrimque examinata, atque vtrimque discussa iudicanda Lectori referuemus. Imitari Cardinalem Baronium in his omnibus, quem Ecclesiasticæ historiæ verum parentem, hac nostra tempestate, non solùm confitemur, sed & veneramur.

VII. Verùm enimverò, quod liberum historico, aliquarum actionum motiua, rationésque instituendo Lectori, superaddimus. Nempe, vt vernantes diuersorum euentuum flores, consultationum fructu cumularemus. Recreant animum illi, sed hi reficiunt: & vt vtrisque prouidentia nostra indigeat, vtrisque paretur: illis, vt quæ experientia nondum possumus, notitia suppleamus; his, vt quæ eadem experientia docet, ratione firmemus. At prius illud subsidium omnino cæcum; hoc oculatum; illud quodammodo commune nobis cum brutis, hoc cum Angelis: illud fortunæ casibus

casibus obnoxium, hoc supra casum; & ex quo possit, forsan non succedere, errari non possit. Ergo in quo à Baronio deuiamus, non merum collectorem euentuum agimus, sed velut electorum, si ita fari licet, animatorem.

Non dubitamus à nobis multa omissa, quis cuncta colligat? Multa aliter narrata, quàm euenerint, quis in tam varia rerum multitudine, non quandoque excutiat, aut dormitet? Illud adseueramus cum sacramento; nihil à nobis scienter immutatum: nihil consultò auctum, detractúmve, quod facere ad historiam putaremus Sed neque nostris quidquam attributum, quod alienum censeamus, veræ, quàm falsæ gloriæ adpetentiores. Non sumus hi, qui aliorum dispendio quæramus laudem; non indiget Cistercium furtiuis bonis: primis præcipuè ducentis illius annis, quibus quod olim de Cæsare Poëta, *omnia Cæsar erat*, & fortè verius, de ipso diei potuit. Adeò nihil in Ecclesia fiebat sine Cistercio! Nec plures alios à nobis describendos iam per ætatem licet sperare. Si quid erratum imperitiæ detur, & ignorantiæ; vel qui nobiscum mitiùs volet agere, continuis, quibus præpedimur, maximè aliorum studiorum, occupationibus. Vtinam sint, qui corrigant, qui deleant. Vtinam & qui addant, ostendántque, quàm parum fecerimus, dum, quæ non fecimus, plura in lucem edant. Bernardus Parens volumen cum cultello Matthæo Cardinali Legato misit. (*Quatenus imposturam, quam auulsione dignam iudicaret, proprio ipsius auctoris gladio succideret.*) Nostros annales cum cultello, & calamo vellemus eruditis cunctis transmittere; succidendis, quæ irrepserunt per errorem, sed non minus addendis, quæ desunt per ignorantiam; quod ô! vtinam Deus multis inspiret. VIII.

FACVLTAS

FACVLTAS REVERENDISSIMI GENERALIS.

NOS Magister Frater Michael Belcan, Cisterciensis Ordinis in alma Hispaniarum Obseruantia Generalis, &c. Cùm primus hic CISTERCIENSIVM ANNALIVM Tomus à Reuerendiss. Patre, nobisque in Christo charissimo, Magistro Fratre ANGELO MANRIQVIO, nostræ familiæ Generali emerito, PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici à sacris concionibus, & in Salmanticensi Academia vespertinæ Cathedræ Theologiæ Antecessore, summa cum cura, & ingenij perspicacia, atque omnigenæ eruditionis studio elaboratus existat, & grauissimorum Magistrorum eiusdem Ordinis (vt moris nostri est) cum eximiis encomiis approbatus; non solùm vt in lucem prodeat, quantum in nobis est, facultatem concedimus; sed etiam Authorem eius hortamur, rogamúsque, vt & perfectos, si quos alios habet, Tomos quantocyùs edat; & qui sequuntur, quantum aliæ ipsius occupationes permiserint, perficiat, ad gloriam Dei, & totius nostræ familiæ. Datum in nostro Collegio Salmantino, die Martij 8. anni 1637.

M. Frat. MICHAEL BELCAN, Generalis.

De mandato Reuerendissimi P. nostri Generalis,

Fr. BARNABAS DE VILLA, Secret.

Censura Reuerendi admodum Patr. Frat. Alphonsi Perez de Humanes, Sacræ Theologiæ apud Salmanticenses Magistri, Collegij D. Bernardi Præsulis, & Regentis emeriti, atque Cisterciensis familiæ in alma Hispaniarum Obseruantia Diffinitoris.

REVERENDISSIMO P. N. Magistro D.D. Michaeli Belcan Generali Reformatori Ordinis Cisterciensis in regulari Obseruantia Hispaniæ.

De mandato tuo, Reuerendissime Pater, hunc primum Tomum *Annalium Cisterciensium*, seu potiùs *Ecclesiasticorum* (talis inter res Ordinis, & Ecclesiæ nexus) à Reuerendissimo P. Nostro M. F. ANGELO MANRIQVE, Generali emerito nostri Ordinis, & nunc iam tertio Collegij nostri Sanctæ Mariæ de Laureto apud Salmanticenses Vigilantissimo Præsule (si Præsul tantùm, & non potiùs erector, & fundator, qui Collegium tam magnificis auxit ædificiis; & pij, prudentísque regiminis decorauit felicitate) elaboratum diligenter euolui, & attentè perlegi: horrens quidem Censoris munus, dum me discipulum glorior. Mirabar equidem, dum Scholasticam Theologiam è tanto felix fatum dedit addiscere Magistro, ingenij acumen, nunquam, etsi satis laudatum, laudatum satis. Quid enim in eo, quod non Magistro dignum? Quid ne dicam magnum, imo quid non rarum? Quid, quod non sit omnibus in voto, à paucis verò adeptum? In eo vtique pro palma pari contentione decertant inueniendi facilitas cum eligendi, disponendique dexteritate; dicendi dulcedo acrem ratiocinationis efficaciam, tali semper suauitate, quod omnibus in desiderio sit eum audire, pro deliciis ex ore eius mellis fauos libare, ex lucubrationibus, tam prælo datis, quàm priuato calamo scriptis, non paruos, & absconditos, sed patentes, & magnos scientiæ sacræ thesauros, omnigenæque scientiæ diuitias depromere: hæc, inquam, à triginta annis, & suprà, continuò mirabar; sed dum volumen istud perlegi, stupui; Theologum vndequaque perfectum in Authore venerabar; nunc autem, dum Historiographi munus suscipit, mihi prò miraculo est. Vix enim quis credere possit, inter negotia tanta tantum historiæ superfuisse otium. Sed id mirari non poterit, qui eum expertus fuerit: ita namque totus est singulis deditus disciplinis, ita in qualibet perfectus; vt ei soli incubuisse videatur. Euolui igitur R. P. ex mandato tuo opus hoc, non Censoris animo, sed discipuli attentione, si forsan aliquid, quod mihi dubitandi ansam præberet, possem inuenire: nihil tamen teperi, quod, ne dicam puritati fidei, Ecclesiæue moribus, repugnet; verum nec latum vnguem à studio veritatis in historia deuiet. Diligentia namque in inquisitione, in computationis temporum consonantia, seueritas in iudicio, in hoc opere maximè relucent. Eo etiam veritatis affectu Author procedit, quòd omni postposito proprij Ordinis amore, ab extero dictum, quidquid in historia scriptum, esse videatur. Quare ita dignum prælo hoc volumen iudico, quod Authori non solùm excudendi facultas debeatur, sed ei præcipi conueniens iudicem ab incepto non cesset, quoad vsque ad finem feliciter perducat. Id enim & sacro nostro Ordini gloriosum, & Ecclesiæ Catholicæ vtile futurum spero; vt fons iste paruus, qui creuit, in lucem, Solémque conuersus, in aquas plurimas redundauit, (sic de Ordine nostro præfatur Clemens IV. priuileg. 41. n. 1.) in angulis eremi non lateat; sed qui montium cacumina in toto Orbe ab infantia sua, tàm strictioris vitæ exemplo, quàm cælestis patriæ conuersatione, doctrinæque fluento inundare non cessat, dum omnibus adest desiderabilis, pateat, & præ manibus ad potum salutarem, piæque deuotionis refrigerium habeatur. Vale R. P. Salmanticæ 4. Kalend. Septemb. anno 1636.

Esther 1. 10.

Fr. ALPHONSVS PEREZ.

NOS el Doctor Don Christoual de la Camara y Murga, por la gracia de Dios y de la Sancta sede Apostolica Obispo de Salamanca, del consejo de su Magestad &c. Cometemos alos grauissimos Maestros Don Iuan de Echalaz, Canonigo Magistral de nuestra sancta Yglesia y Cathedratico de propriedad de Salamanca, y al Reuerendo Padre Maestro Fray Thomas de Bustamante, Calificador del consejo supremo de la general Inquisicion, de la Orden de Sancto Domingo, por excellencia de Predicadores y al Doctor Martin Lopez de Hontiueros, Cathedratico de Decreto en dicha Vniuersidad; que por sus muchas letras vean, y examinen *el primer libro de los Annales Cistercienses*, de la Religion Sacratissima de la Orden de San Bernardo, que ha compuesto el R. P. MAESTRO FRAY ANGEL MANRIQVE, General que fue de la dicha Orden, y ahora Predicador de su Magestad, y Cathedratico

tico de Prima de Theologia de dicha Vniuersidad, para que con sus parezeres por nuestro officio proueamos lo que mas conuenga. En Salamanca a. 13. de Nouiembre de 1640. años.

EL OBISPO DE SALAMANCA.

Por mandado del Obispo mi Señor,

D. DIEGO DE MANDIETA Secretario.

Censura grauissimi Domini Doctoris Martini Lopez de Hontiueros, Decretorum Cathedræ in alma Salmanticensi Academia Moderatoris.

ILLVSTRISSIMI D. Domini Christophori de la Camara, & Murga, Episcopi Salmanticensis, commissione, legi perquàm attentè *Cisterciensium Annalium Tomum primum*, à R. Patr. MAGISTRO Fr. ANGELO MANRIQVA, Cisterciensis Ordinis faustissimo germine, & in nostra Salmanticensi Academia Sacræ Theologiæ iam emerito Primario Antecessore, compositum: in quo primùm Cistercij exorientis intima mysteria, & progredientis præclara gesta (oh rei fortè magnitudinem ab aliis scriptoribus huc vsque prætermissa) mira rerum comprehensione recensentur, atque sagacissima indagatione illustrantur; deinque obiter ita totius fere Ecclesiæ monumenta, Christianique orbis euentus annuatim referuntur; vt potiùs vniuersales fastos, quàm singulare Chronicon Cistercij collegisse videatur; eósque tam exacta, & fideli historiæ narratione, tamque recto iudicio, & specioso scribendi genere; vt meritò dicas Angelum nostrum numero, & re primum in historia. Opus sanè Angelo dignum! Quo cùm nihil non vtile, non iucundum, non necessarium, aut quod omnigenam Authoris eruditionem non redoleat; & nihil denique piis auribus offensiuum, Orthodoxæque fidei contrarium inueniam; typis excudi & posse, & deberi censeo. Salmanticæ Idibus Octobris, anno 1640.

Doctor MARTINVS LOPAZ DE HONTIVEROS.

Approbatio Doctissimi Magistri Dom. D. Ioannis de Echalaz, Sanctæ Salmantinæ Ecclesiæ Canonici Magistralis, & in Academia eiusdem vrbis Logicæ magnæ proprietario Antecessore.

PERLEGI ex mandato Illustrissimi Doctoris D. D. Christophori de la Camara, & Murga, Salmanticensis Ecclesiæ Præsulis meritissimi, *Historiam Cisterciensem*, Auctore R. P. Mag. Fr. ANGELO MANRIQVA, huius almæ Salmanticensis Vniuersitatis Sacræ Theologiæ Primario Antecessore dignissimo. Perlegi verò auidè potius, quàm accuratè, ex affectu magis, quàm ex munere; delectari scilicet, ac discere, quàm censere me decet, data feliciter copia animum recreandi, ac instruendi, concinnis pariter, ac doctissimis scriptis communis hoc æuo Magistri, nostræ Salmanticensis Academiæ, veneratione, plausu, consensu omnium Athlantis. Iam verò iniuncto muneri abundè satisfactum erit, si dixero, grande hoc opus magni sui Authoris germanum esse partum, ac tale euasisse, quale sperabatur: mirum porrò est, tale sperari potuisse, quale enasit. Ecquis enim sibi in animum induceret, virum in Theologia, tum Scholastica, tum Morali summum, eiúsque studiis à primis adolescentiæ annis nunc vsque deditissimum, Oraculum ad maiores quasque difficultates Regni, Regis, ac supremæ fidei Tribunalis, assiduè consultum: Regium simul Ecclesiastem, sacrarum literarum peritia prædiuitem; vulgatis quoque in illis iam olim selectissimis illustrationibus celebrem; editis pietatis illius stimulis in omnium animis incentorem; vigilantissimum totius sui Ordinis Præsulem; tot denique curis vndique circumcinctum, quarum singulæ magnorum quorumuis hominum integras vires insumerent: suffecturum interim fuisse tanti molíminis historiæ conflandæ, aptissimum in ordinem digerendæ, placidissimo stylo exornandæ, euolutis indefessa lectione tot sæculorum sacris, ac prophanis Annalibus locupletandæ? Sufficit tamen capacissimum genium, & quod est historiæ proprium perinde induit, atque si illi soli omnes animi vires impendisset. Mirentur hæc reliqui in vnum collecta virum, quæ & dispersa per plures iure mirarentur. Nos qui Angelum nostrum nouimus, ipsum vltra mortalitatis metas præcellentem, vt par est, suspicientes; perfruamur, seposito omni admirationis affectu, hisce venerandæ antiquitatis monumentis, & documentis posteritatis præclaris. Prodeant in publicam lucem eximiis omnimodæ sanctitatis, omniúmque virtutum exemplis fœcundi Annales; prodeat magni Ordinis Cisterciensis ingens decus, religiosorum Ordinum exemplar, ac incitamentum, Ecclesiæ Catholicæ solamen, & fulcrum. Datum Salmanticæ, anno à Christo nato millesimo, sexcentesimo, quadragesimo, die verò duodecima mensis Nouembris.

Magister Don IOANNES DE ECHALAZ.

Approbatio Reuerendi admodum Patris, Fr. Thomæ de Bustamente, Magistri Generalis sacri Prædicatorum Ordinis, insignis Sancti Stephani Conuentus Prioris emeriti, & Supremi Senatus Sanctæ Inquisitionis Censoris meritissimi.

LVBENTI animo morem gessi Illustrissimo, ac R. D. Domino Christophoro de la Camara, & Murga, Episcopo Salmantino, dum ex eius commissione euolui librum, qui inscribitur *Annales Cistercij. Tomus primus* per Reuerendiss. ac Sapientissimum Patr. Mag. Fr. ANGELVM MANRIQVE, huius Salmantinæ Vniuersitatis sacræ Theologiæ primariæ Cathedræ Moderatorem, & Catholicæ Maiestatis Prædicatorem, elaboratus; genium Authoris, & ingenium in omnibus redolet; & non primas dumtaxat temporis (quia nemo suorum tanta vniuersalitate prior) sed ipsiusmet styli, & materiæ dignitate obtinet. Authorem suum commendat opus planè Angelicum. Addamne quod Angelicum commendat Author opus? Profectò si Angelicus noster Aquinas viueret; vt quondam

Sinno

Sinite Sanctum pro Sancto laborare: Sinite Angelum pro Angelis laborare: viuæ vocis oraculo pronuntiaret. Vnde
S. Thom. ser. quod de vno Bernardo ipse Thomas inquit, quod habuit in se virtutes, & officia omnium Angelorum, idem de
de S. Bernar. filiis,& fratribus eius sentiret: vtpote de quibus affirmare licet, quod Sophronius de spiritibus Angelicis. *O vos*
cœtus cælestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, multitudo immensa, celsitudo inaccessa, chorus incompara-
Orat. de SS. *bilis, pompa summè admirabilis, agilitas, cui nulla alia est similis, Ordo infinitè multiplex, gloria mentis cogitatione*
Angelor. & *comprehendi nescia. Vos omnium Regis estis administri; vos & Principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli,*
Archangel. excellentia. *& Prædicatores, & Prophetæ, & Euangelistæ, & rerum Diuinarum interpretes, & custodes, & Præsides, & viæ duces.* Le-
630. ge Lector hunc librum, qui hocce probarum cupis, ego in parui corticis angustias Homerum non concludo: cùm ergo nihil contineat fidei contrarium, in publicam vtilitatem prælo mandari potest. Salmanticæ in Conuentu Sancti Stephani Ordinis Prædicatorum, anno 1641. die 10. mensis Nouembris.

FRAY THOMAS DE BVSTAMENTE.

LICENTIA ORDINARII.

SANCTISSIMI Ordinis Cisterciensis authoritas, & Religionis eius excellentia (quæ maxima est) in hoc primo *Annalium* libro commendatur. Ad cognoscendum ex vngue Leonem sufficit. Cùm Author eius ministerium suum impleat, ac tanti Patris Bernardi primitias soluat; iure, & sine superbiæ labe dicere potest (post alia singularia opera edita) nunc cœpi. Cùm Primarius, & verè Angelicus in prima Theologiæ, ac prima Vniuersitate Salmantina meritis suis regens existat, PHILIPPI IV. potentissimi Hispaniarum Regis, Verbi Dei concionator excelsus, relicto temporali genere ex nobilissima MANRIQVE familia, ad hunc præclarissimum Ordinem, in quo Generalis extitit magnificus moderator, & prudentiæ ac virtutis mirabile reliquit exemplum, transiuit. Ego verò tantorum Magistrorum videns approbationes, quibus pro mea ordinaria potestate commisi, exclamaui dicens. Hoc opus magnum est ad publicam vtilitatem Ecclesiæ; quantum in me est, facultate Supremi Senatus præmissa, prælo mandetur. Authorem præcepto cogere non possum; amicitia, & intercessione peto; & pro breuitate temporis, quia multi donec retribuas expectant, rogo. Si mater deberet filio, tanto filio, qui eius mirabilia, & vsque ad hoc tempus recondita, in lucem adduxit, gratias exoluet singulares Religionis mater.

CHRISTOPHORVS EPISCOPVS Salmantinus.

De mandato Domini mei Episcopi Licentiatus D. DIDACVS DE MENDIETA.

APPROBATIO.

IOANNES-CLAVDIVS DE VILLE, in Sacra Theologia Magister, in Ecclesia Sanctæ Crucis Custos, & D. D. ALPHONSI DV PLESSIS DE RICHELIEV, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius Generalis Substitutus fidem facimus, visum à nobis Librum, qui inscribitur *Annalium Cisterciensium Tomus primus*, à R. P. ANGELO MANRIQVE, nihilque in eo ab Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fidei, Sanctorúmque Patrum sana doctrina alienum contineri, Lugduni die 20. Iulij 1641.

PERMISSIO.

REVERENDI P. ANGELI MANRIQVE, *Annalium Cisterciensium Tomum primum* typis mandari & in lucem edi hac in vrbe Sumptibus LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 24. Iulij 1641.

PVGET.

CONSENSVS.

VISO Procuratoris Regis consensu hunc Librum typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat prohibemus, Lugduni die 24. Iulij 1641.

SEVE.

INDEX ANNORVM, ET CAPITVM TOMI PRIMI.

alios renitentia;8. & completa Bernardi prophetia, mita mutatio. 9. Disrupta viucula, & collara vioculis Petri.

II. 1. Iuuenis sancti feruentior prædicatio. 2. Hugonis Matiscoensis prima conuersio, 3. inde subuersio, & miraculosa reuocatio. 4. Renouata primitiuæ Ecclesiæ sæcula. 5. Ratio temporis probata, 6. & confirmata. 7. initium Monasterij Sabigniaci: 8. vita sancti Vitalis fundatoris, 9. mors, morésque, quæ omnia Deus Cistercio præparabat.

III. 1. Cistercieosium Monachorum tristitia, timorque. 2. Præceptum Stephani morienti fratri impositū, 3. eiusdem apparitio, & respōsio de statu, & profectu Ordinis; 4. reuerentia in B. Patrem Stephanū. 5. Secunda visio de augmento nouæ familiæ; 6. eaque à Pontifice adprobata. 7. Fons Enoō quis, & cur Cistercij symbolū? 8. Bernardus itē, & socij ventura nosse per visum promerentur.

Iesu Christi annus 1113.
Cistercij 16.

Cap. I. 1. Exercencre coouersi vsque ad triginta, 2. quorum coniugibus (nam vxorati multi) Monasterium erectum voti cōsimilis participibus futuris. 3. Atque hoc primum Monialium Cisterciensium, 4. quod Humbelina pòst nobilitauit. 5 Bernardus Tescelioum patrem adit, 6 huius, Humbelinæque in discessu dolor, 7. Nibardi verba, 8. atque implera ex parte visio capitis præcedentis.

II. 1. Bernardus, socijque Cistercium pergunt; 2. antiqua carmina de eorum susceptione, 3. repulsus Robertus, cæteri sub sæculari habitu admissi 4 Communis omnium lætitia de nouis sociis, 5. continuata aduenientium multitudo: 6. tum Stephano desiderio nouæ propaginis, 7. consulti fratres, atque vtrimque re discussa, 8. tandem placuit ex veteranis emitti nouum germen, & Stephanum deputari, quærendo loco.

III. 1. Quæsitus locus ab Episcopo, & Comitibus, 2. officinæ erectæ, vocati fratres, & Bertrādus præfectus nouæ familiæ. 4. Tum Stephano ducēte, 5. Cœnobiū adeunt, 6. cui nomen Firmitas non fine mysterio, 7. Vtensilia asportata ex Cistercio, atque insignia assignata cognata nomini: 8. præscripti termini, 9. Anathema indictum cōtra irruptores: 10. probati fundatores per cōiecturam.

IV. 1. Stephanus Cistercio restitutus, 2. & Nouitios retrocedēs iuxta visionem. 3. Bernardi spiritus ferues in probatione, 4. negligentia in recitandis pro matre Psalmis; 5. atque in colloquio quorumdam sæcularium, correcta vtraque: 6. & qualiter in exterois se exercuerit.

Iesu Christi annus 1114.
Cistercij 17.

Cap. I. 1. Recapitulatio dicendorū in hoc anno. 2. Bernardi, sociórūque vota solemnia, 3. negata Monachalis tonsura olim Nouitiis, 4. & coniectatus Ordo professionis. 5. S. Ioannis cōuersio miraculosa: 6. visionū pondus. 7. Vita, & miracula in Bonavalle mutila. 8. Bernardi feruor, 9. & diuinitus infusa merēdi ars, 10. Quid de aliis, præcipuè de Hugone.

II. 1. Heribertus Conuentū petiturus Cistercium pergit 2. Responsio Stephani, 3. & facilè impetratus consensus vtriusque Principis. 4. quin, & expensè Nibernensium Comitum, quibus fabricæ opus consummaretur. 5. Noui Ascenerij Abbas, insignia, nomen. 6. De fundatore dissensio, 7. conciliata, 8. ex diuersis Ecclesiis eiusdem domus: 9. quæ nata in Pontificum matrem, atque asylum.

III. 1. Professio Abbatū olim sub Episcopis, 2. temperata ab Hugone, 3 & rēperatio sancita decreto Ordinis. 4. (Cōradi sententia) 5. atque Apostolica firmata auctoritate, 6. expresso etiam motiuo per Alexādrum, 7. Cisterciū primum, mox alias Religiones exemit ab ordinaria Episcoporū iurisdictione. 8 Bernardum huic exemptioni contrarium sunt qui existiment, 9. sed immeritò. 10 Hugonis Pontigniaci Abbatis commēdatio.

Iesu Christi annus 1115.
Cistercij 18.

Cap. I. 1. Claravallis, & Morimundus hoc anno natæ. 2. Lingonenses Cisterciensi familiæ addicti: 3. & Ioanne Eremita sollicitante Monachos petunt. 4. Interim retardata hac fundatione incertis sedibus, incertisque subsidiis. 5. Bernardi fratres mittuntur ex Claravalle cum paucis aliis: 6. queis Bernardus præficitur, non sine ingenti aliorum admiratione. 7. Egressos noui Conuentus de Cistercio, & discedentium, remanentiumque tristitia.

II. 1. Quæsitus, & inuentus locus ad fluuium Albam, qualis ille, & quanta eius mutatio: 2. præterlabentis fontis descriptio. 3. Tempus ingressus. 4. explanata, & erecta habitatio manibus fratrum: 5. tum noui Monasterij nomen, insignia, 6. ministeria, & officia distributa. Bernardi benedictio per Guillelmum Campellensem, 7. & quanta

lia surgit. 2. Godefrido in Abbatem eius præfecto. 3. Distinctus is, 4. & emendatus liber sepulchrorum Claræuallensium. 5. Hugo Flauigniacensi Prior, qualis, ac quantus, 6. noui Cœnobij incrementa, atque perfectio. 7. Angelus moribundum fratrem inuitat ad gloriam, 8. ad alium transit, & horam mortis prædicit, 9. impleta visio, & lux de cœlo secuta in eius transitu.

Iesu Christi annus 1119.
Cistercij 22.

CAP. I. 1. Guidonis ex Bonaualle tapti Pontificatus, 2. qui designatur viuente adhuc Gelasio, 3. non parum Romanæ Ecclesiæ vtilis fuit. 4. Guillelmi Episcopi Cathalaunensis mors, 5. atque obiter explicata eius conuersio; 6. sed Monaebatus dubius, aut fortè falsus, 7. emendatus Seguinus, 8. & Guillelmus laudatus Bernardi verbis.

II. 1. Amedæi Altæripæ genus, 2. opes, 3. filij, 4. conuersioque, 5. & vocatio per ipsum, 6. plurium: 7. dictum quot, & qualium, 8. & qualiter vxoribus prouisum. 9. Bonavallis petita, 10. & retardata ob vitæ asperitatem; 11. sed viris nihil prorsus detrectantibus, 12. tandem à sancto Abbate concessa fuit.

III. 1. Recens edita historia de Monachis missis in Lusitaniam. 2. Epistola Bernardi ad Ioannem Ciritam, 3. atque ad vtrumque facta reuelatio, 4. comprobata euentu. 5. Indultum Principis de loco fundationis, 6. qui fratribus ostensus cœlesti lumine: 7. fœlix noui Cœnobij auspicium fuit. 8. Grauis prædictæ historiæ difficultas ex Bernardi epistola, 9. ex peritiori notitia antiquitatis. 10. ex vnione Monasterij Moretolensis, 11. neque leuibus aliis coniecturis.

IV. 1. Stephani patris zelus pro suo Ordine, 2. procurata in carta Charitatis rursus exemptio. 3. Et ordo ipse ad Ecclesiæ normam conditus. 4. Emendati Antoninus, & Vincentius, 5. itemque Artmanus ex numero assistentium, 6. & ex Pontifice, sub quo charta edita; 7. certus annus, 8. & Pitsæus etiam correctus.

V. 1. Cartæ Charitatis auctor Beatus Stephanus, 2. non tamen proprio, sed omnium Abbatum nomine: 3. finis duplex, nimirum mutua charitas, 4. & Ordinis exemptio. 5. eadem carta à regula auspicata, nec multo pòst imitata à Cluniacensibus, 6. Deductum inde indicium de Cistercio ad alias Beati Benedicti congregationes: 7. & verba Rainèri ad hoc adducta propositum.

VI. 1. Morum vnitas veluti Cistercio congenita. 2. Vrbanitas in hospites, atque inter filias, ac matres Ecclesias mutua connexio. 3. Benedictio Nouitiorum reseruata, 4. aliorum Monachorum vsu recepta. 5. Instituta Capitula, & quo fructu? 6. perpensa moderatio Patris Stephani: 7. additus liber vsuum; 8. dubium an ipso, an Bernardo Patre auctore.

VII. 1. Stephanus confirmationem legum à Calixto secundo orat, 2. & impetrat. 3. Quo sensu Exordium dicat misisse Romam. 4. Quis Sede locus: 5. statutum aliud editum. 6. atque in ipsius verbis quædam notata.

VIII. 1. Recensita Chronologia Monasteriorum, 2. & coniectatus inuersus illius calculus. 3. Bellævallis initia, & primus Abbas. 4. Bernardi stola miraculum perficiens, 5. Iudicium Sancti. emendatus Gaufridi locus. 6. Boniradij primordia, 7. & quid de Cadunio?

Iesu Christi annus 1120.
Cistercij 23.

CAP. I. 1. Dotatio, & situs Monasterij Caduniensis. 2. Primordiaque fœlicia sub Cistercio. 3. Perpensus numerus duodenarum Ecclesiarum, 4. Singularum fœcunditas. 5. Exordium paruum hoc tempore conscriptum 6. Fiteriensis de auctoribus, eius sententia, 7. explicata ab ipso: 8. sed impugnata primò quoad Robertum. 9. inde quoad Albericum, 10. & Stephanus scribi curauit, sed non scripsit.

II. 1. Præmonstratensis Ordinis origo, 2. cui repudianti Ecclesiam S. Martini. 3. Præmonstratum à Bernardo Patre concessum. 4. Norberti in eo loco cœlestis visio, 5. & mira Bernardi deuotio in virum sanctum: 6. consultatum Norberto de assumenda cum suis Cistercij vita, 7. & æmulata instituta Cisterciensium, 8. non modico incremento nouæ familiæ.

III. 1. Claræuallis in vtrisque bonis progressus, 2. sed turbata lætitia Bernardi patris à Conuentu separatione: 3. damnante ipso indiscretam pœnitentiam, 4. quæ tamē in commune bonum conuersa fuit. 5. Consecrati Amedeus, & socij votis solemnibus. 6. B. Ioannis ex primis Cistercij patribus memoria. 7. & fundata Dalone, atque Tiletum.

Iesu

Bernardumque ad Concilium, vocat, 4. renitente Bernardo, sed tamen victo: 5 piacitsdem pro Patribus Concilij sollicitudo 6. Quot hi, & quales? 7. discussa causa Parisiensis Præsulis, 8 itemque aliæ graues; 9. quarum decisio in Bernardum refundebatur: 10 epistola ipsius ad Virdunensem; 11. atque ab Henrico Senonensi pax Molismensibus ab eodem Sancto obtenta.

II. 1. Templarij ante nouennium mundo exorti, 2 regulam à Concilio Trecensi petunt, 3 quam Bernardo à Patribus cōmissam & ab eo præscriptam, 4. Ioannes Michaëlensis Notarius memoriæ prodidit: 5. transumptum regulæ per plures iam vulgatum 6 emendatus Seuerinus Vinius semel, & iterum: 7. eadem regula non solùm pro Templariis, sed Theutonicis etiam communis fuit: 8. Templariorum sub ipsa progressus.

III. 1. Magistri Templi ad Bernardum repetita petitio: 2. Sancti opusculum dicatum Templi militibus. 3. sed futuras nihilominus militias Bernardo parans. 4. Professio Magistri Templi per Lusitaniam. 5 Mons regalis interuentu Bernardi Templariis traditus; 6. & paterna Sancti pro ipsis sollicitudo.

IV. 1. Ludouici in Senonensem persecutio: 2. Henrici ad Abbates Stephanum, Hugonem, & Bernardum supplex petitio: 3. eorumdem ad Honorium Papam litteræ: 4 quibus non exauditis, 5. totius Capituli aute successere, 6. earum effectus 7 & perpensa Sanctorum constantia, patientia Regis.

V. 1. Stamedij fundatio, situsque, 2. & sanctus Petrus in Abbatem illi profectus: 3. mores hominis; 4 & Monasterij sub ipso mira incrementa. 5. Eleemosynæ à Patribus ad filios, 6 velut hæreditatiæ 7. Ratio temporis, & historia fundationis eiusdem domus. 8 Rapatonis Bambergensis in Ebrae Monasterio mira conuersio.

VI. 1 Chronologia Ecclesiarum huius anni. 2 Bellus Beehus, & Sarnajum differendæ 3. Caladiæ initia, 4 Regnlaci, 5 & VValkenrode. 6 Quid de Castellariis, vbi & geneseos error deprehensus. 7. Fundatio Neoburgi, seu Castri noui.

Iesu Chr. sti annus 1129.

Cisterclj 32.

CAP. I. 1. Henricus à Vidurnensi sede depositus; 2 Catalaunensem inuadit renitente Bernardo. 3 querelæ in Sanctū per Romanā Curiam sparsæ. 4. Quid Haimericus ad eū aliorum nomine. 5. Responsum Sancti ad obiectiones singulas. 6. efficax argumentum, 7 & sancto viro digna libertas. 8. obsecratio ad amicū pro propria quiete. 9. fructus epistolæ, 10 & Bernardi electio ad Catalaunum.

II. 1. Tarasia ægrotans Aldebertū, & Ioannem vocat: 2. in Cisterciensi habitu, & professione moritur: 3. eiusdem testamentum ad filium Alphonsum Principem: 4. insinuatæ dubitandi rationes ... præcedentibus: 5. & nihilominus commendatus eorum auctor. 6. Tarasiæ genus, dos, & pulchritudo, 7. dubia de pudicitia fama 3 8. cætera integra: 9. egregiè facta, 10 mors, & sepultura.

III. 1. Ægrotanti Guillelmo in Claravalle reddita salus, 2. & Cantica explanata; 3 ac explanario stylo eius excepta, eadē forsan, quæ illi adscribi solet. 4. nouū in ipso, patentiusque miraculum, 5. In quo, & hoc anno historiā terminauit. 6. scribendi causæ, 7. & locus, tempusque; 8. ac perpēsa modestia Bernardi Patris.

IV. 1. Ebrardus Comes, peregrinus, & custos pecudum, 2. à suis agnitus, nec abduci passus, 3. Monachum profitetur in Morimūdo, 4. Castigari recentiores, qui de Ipso 5 copiosa conuersorū Sanctorū seges 6. Claræuallensis quidam ex Apostata Bernardi hortatu Sāctus, 7. & mox per vlcera ad putrim. vsque decoctus, 8 tandem glorioso fine consummatur.

V. 1. Conuersus humilis, 2. dum aliorum virtutes contemplatur, quas in se non agnoscit. 3 Bernardum supplex adit, ve pro se oret; 4. quanti Sanctus timorē illum fecerit. 5. Alterius fiducia. 5. ineterata prius; 7. mox ad eius responsum. 8. collaudata sermone habito. 9. iudicinm de vtriusque exempli imitatione.

VI. 1. Conuersus instanti festo assumptionis in Grangia remanens, 2. vigilias perquàm deuote sub diu celebrat; 3. Bernardi patris de ipso testimoniū. 4. Monachus sanctus in extremis agens, à sensibus abstractus, 5. sed mox redditus, quam alteri conuerso gloriam paratam viderat, reuelat: 6. probata visio. 7. & quid de ea Bernardus Pater senserit. 8. in conuerso eminebant patientia simul, & charitas.

VII. 1. Chronologia nascentium Cœnobiorum, 2. Locus Regius erectus, 3. & vallis lucens, 4. scaturientibus stagnotū aquis celebris, 5. Quid de Landesio? 6. VVaberleiam primum Angliæ Cœnobium, sunt qui adfirment. 5. Vrsicampi fundator, & primus Abbas. 8. Bernardi

ſub Innocentio, cui Bernardus interfuit, 4. & Ludouicus pro fratre in eo inunctus. 5. Anacletus, ſequaceſque damnati. 6. Sermones Bernardo adſcripti in hoc Concilio, 7. ſed probatum indignos tanto auctore. 8. ſoluta Synodus, & ratio temporis iterum oſteoſa contra Baronium. 9. Relatum de electione Bernardi Catalaunenſi. 10. Gualterij mors, 11. & Othonis ſubrogatio.

V. 1. Chronologia Eccleſiarum huius anni, 2. ex quibus tres reſeruatæ in proprium tempus. 3. Miratorij fundatores, ſituſque, 4. & ſancti Andreæ de Sexto, 5. celebri Tanuenſium Monaſterio. 6. Quid de Tinterna, 7. & de Volkoderode.

VI. 1. Claræuallis ſoboles, & initia Cariloci, 2. in quo Bernardus mulierem Claudam primũ, 3. & mox puerũ inceſſanter flentem ſaluti reddidit. 4. Boni montis primordia, 5. & Longipontis. 6. vbi & conuerſus acriter punitus. 7. Quid Stephanus Tornacenſis de Longoponte.

VII. 1. Rieuallis initia, & fundatores, 2. VValterus an Stephani diſcipulus, 3. Monachatus eiuſdem, ſanctitaſque. 4. Cœnobij etymon, 4. præfixũ tempus ex carmine Nicolai Rieuallenſis: 6. & locus ipſe ex aliis commendatus. 7. itẽque ex Sanctis, 8. proleque ſuſcepta, 9. & teſtimonio Guillelmi Neubricenſis.

VIII. 1. Morerolæ antiquæ domus initia, 2. Froilani patria, mores, & mirabilia, 3. Atilani primordia, & Monaſteriũ ab vtroque Sancto cõſtructũ. 4. vtriuſque in Pontificẽ electio, 5. ingens Froilani nomẽ. 6. Atilani diſceſſus à propria ſede, 7. & reditus ad eãdẽ miraculoſus. 8. vtriuſque mors, 9. ſepulchrum, & veneratio.

IX. 1. Morerola poſt deceſſum Sanctorum diruta, 2. ſed ab Imperatore dote adaucta, 3. priuilegio expedito ante ſeptennium. 4. Monachi hoc anno miſſi ex Claravalle, 5. quibus ab Imperatore itẽ conſultum; 6 eiuſdem priuilegium, 7. & ex ipſo deducta corollaria, 8. loci, & Cõuentus modeſtia, 9. deſcriptio, laudes.

X. 1. Aureavallis Benedictinorũ priùs Cœnobium; 2. inde Canonicorũ Regulariũ, 3. mox Ciſtercienſiũ, 4. Etymon nominis, 5. & domus deformatio, 6. quæ hoc anno Bernardo ab Alberone, à Bernardo Guidoni cõceſſa, & Tribus fontibus. 7. ingreſſus Ciſtercienſiũ in Auream vallẽ. 8. & Caſtellionis fũdatio per eoſdem.

Ieſu Chriſti annus 1132.

Ciſtercij 35.

CAP. I. 1. Ciſtercienſiũ à decimis exemptio, primum reſtricta. 2. (conceſſionis motiuum,) 3. mox ad Stephani Patris inſtantiam, 4 latè extenſa. 5. Innocentij ſecundi priuilegium. 6. Collocatæ reliquiæ Martyris Stephani. 7. Potentis viri prophetata conuerſio ſimul, & mors; 8. atque Innocentius in Italiam redux Bernardo Comite.

II. 1. Cluniacenſes de ablatis decimis queruli; 2. manutentionis reſcriptum impetrarunt. 3. Innocentius ſubreptionis litteras notat. 4. Petri epiſtola ex nouitate rerum, 5. & ſimilis indulti deſuetudine; 6. ex multitudine recentium Monaſteriorum, 7. reuocationem orans, 8. aut ſaltim ſuſpenſionem vſque ad Paſcha, 9. idque interpoſita Haimerici interceſſione.

III. 1. Lõgioris epiſtolæ excuſatio. 2. exaggeratio mandatorum Summi Pontificis, 3. commendatio Cluniaci, 4 Tum cauſæ nouitas ex re, & modo perpenſa. 5. Ciſtercienſes Cluniacenſibus ditiores, 6. ſed neque ab eis irrogandam ſibi iniuriam, 7. in quos non ſemel munifici extitiſſent: 8. maximè in præſenti tunc Eccleſiæ ſtatu; 9. (excuſata ſubreptio) 10. atque à ſibi adſtrictiſſimo Pontifice, 11. apud quẽ fauorẽ eius tamẽ implorat.

IV. 1. Conſtantia Petri in decimarum defenſione, 2. eius ad Ciſtercij Capitulum epiſtola; 3. oſtenſa charitas, 4 quæ tunc turbata paucorum occaſione, 5. Ordines cunctos in noſtros concitàuerit. 6. Fugiendum ſcandalum, 7. neque minus iniuſtitiam, 8. & ſupra modum defectum charitatis. 9. concluſio epiſtolæ, & conſilium eiuſdem Sancti.

V. 1. Inconcuſſum decimarum indultum apud Pontificem, 2. & Ciſtercienſes turbati, lecta epiſtola, 3. obuiatum rationibus, & ſtylus incuſatus, velut peccans in eo, quod reprehendit; 4. hinc veteres ſimultates recrudeſcentes, 5. quas idem Petrus ſecunda alia epiſtola compeſcere curauit, 6. ſed vix potuit.

VI. 1. Ianuenſium in Bernardum mirus adfectus, promptaque obedientia, 2. ſancti Patris epiſtola ad eoſdem; 3. in quorum etiam Pontificem electus, 4 recuſauit modeſtè. 5. Claræuallenſium pro Bernardo ſollicitudo 6. Ianuenſes ſanctum reconueniunt, voto ad ipſum concepto, hoc noſtro ſæculo, 7. atque eius fidem, & opem experiuntur.

VII. 1. Cardinalis Martini legatia. 2. inſtitutio Eccleſiæ ſancti Lupi apud Trecas per Ciſtercienſes, 3. quibus item eiuſdem, & Eccleſiæ ſancti Martini mãdata cura.

descriptio, 10. visio mirabilis de ipso, 11. & Monachis Cistercij sub eius cura.

Iesu Christi annus 1134.
Cistercij 37.

CAP. I. 1. Mediolanenses Bernardo Patri occurrũt, 2. Pontifici, & Imperatori per eum reconciliandi. 3. Sancti Doctoris epistola ad clerum; 4. atque item alia ad ciues Mediolanenses: 5. tertia ad Nouirios, qui ibidem eius aduentum præstolabantur. 6. Cardinalis Martini à legatia reditus, laudesque. 7. Petri Bernardi, qui pòst Eugenius tertius, initia, & conuersio, 8. & quæ dignitas, quam Pisis exercebat.

II. 1. Bernardi in Cõcilio Pisano veneratio, 2. acta in eo interuentu sancti Patris, 3. qui, & Mediolanum Legatus ab Innocentio, 4. ingẽti plausu populi susceptus. 5. Quæcũque voluit facilè impetrauit; 6. nec minus solicitus pro eis, aut minus efficax. 7. In Pontificem poscitur, 8. perpensum quomodo, & Sigonius emẽdatus. 9. petiti saltim filij, oblatique, 10 & designatus locus nouo Cœnobio. 11. Anselmi, & Archinrorum munificẽtia.

III. 1. Miracula Bernardi ad Mediolanũ: 2. obsessa mulier à dæmonio septenni libera: 3. populi veneratio, plaususque: 4. & virtus longè potentior in dæmoniacos. 5. Puer brachium aridum habens saluti redditũ, 6. & alij ab aliis morbis, 7. vel sola panis, aut aquæ benedictione, 8. &, quod mireris, etiã ab ignato. 9. Sanctus Pater ostensus inter Apostolos.

IV. 1. Bernardi reditus per Ticinum, Pauiamque. 2. Mulier obsessa à recidiuo dæmone, 3. liberata per Sanctum semel, & iterum. 4. Cistercienses reuerendi etiam sicariis, in quoscumque alios Patres desæuientibus. 5. Godefridi Prioris mira auctoritas: 6 & Bernardi pro filiis, dum adhuc absent, non solùm mira, sed miraculosa solicitudo: 7. eius epistola ad suos Claræuallenses.

V. 1. Stephani parentis pretiosa mors. 2. Explicatus Exordij magni locus, 3. & dubia quædam relata ex recentioribus. 4. traditio cinguli donati à Virgine sancto viro: 5. descriptio eius, & virtutes quibus eminuit: 6. ac baculus insigne paupertatis. 7. Dies, & annus obitus gloriosi: & ab obitu sancti Norberti non longè dissiti: 9. sepultura, 10. & memoria sanctitatis.

VI. 1. Rainardi de obitu communis omnium Patris solicitudo. 2. Consultatum de legum collectione, 3. probatumque, & leges ipsæ collectæ: 4. decem Priores ex charta Charitatis, 5. reliquæ ex editis post ipsam per annos quindecim. 6. Paucitas legum obiter perpensa, vix hactenus latarum, nisi per culpas.

VII. 1. Guillelmus Abbas sancti Theodorici præfectura abdicata Cistercium intrat: 2. vbi, & quo spiritu; 3. corpore, vt coniectari datur, ad mortem Virgo. 4. De statu conscientiæ suæ semper solicitus: 5. charitate feruidus, 6. multorum operum scriptor, 7. & quænam extent: 8. vltimum opus sancti Bernardi vita, 9. quæ imperfecta. 10. Mors viri, sanctitas, & locus sepulturæ.

VIII. 1. Chronologia Ecclesiarum, & quæ demendæ. 2. Signiaci initia; 3. atque Pontis Oltramij, & Vallis claræ. 4. Quid de Cæsarea, 5. & primo illius Abbate. 6. Coronati, & Bellipratì ortus est Morimundo. 7. Locorum Dei, & crescentis breuis notitia. De Villers dubia. 8 Trãsitum ad Hemenrode, Claustrumve: 9. & dictum aliquid dè Achardo & Gozelino. 10. Cum Achardo Dauid illuc directus: 11. mutatæ sedes, ac declarata ratio vtriusque nominis.

Iesu Christi annus 1135.
Cistercij 38.

CAP. I. 1. Innocentij ad Lotharium legatia, 2. ad quem Bernardus pro Ecclesiæ causa scribit: 3. itemque ad ciues Mediolanenses, 4. quos denuò visitat. 5. Miracula patrata per Italiam. 6. Monasterium Columbæ cœptum, & cur sic dictum. 7. Agrestium hominum in Bernardum cultus, & reuerentia: 8. ac demum reditus eius ad Claramvallem.

II. 1. Bernardi Oratio ad filios in Capitulo, 2. in summa pace, obseruantiáque inuentos, 3. designati mittendi ad Mediolanum. 4. Et Pisani Lothario commendati. 5. Alberonis aduentus in Claramvallem, 6. qui missum ad Innocentium Nuntium ibidem sustinet. 7. 7. Fragmenta epistolæ sancti ad Innocentium, 8. amicitia cum Hildeberto Turonum Præsule, 9 ad quem pro vero Pontifice scribit. 10. Obseruatio Cardinalis Baronij in Nouatores, 11. & rescriptum Archiepiscopì ad Bernardum.

III. 1. Bernardi Patris à negotiis domus quies: 2. actum de translatione Claræ vallis, consultumque: 3. quæ delata ad ipsum, 4. primum repulsa, 5. mox perpensa, 6. demum probata præcedente reuela

Iesu Christi annus 1136.
Cistercij 39.

Iesu

Index Annorum, & Capitum.

Iesu Christi annus 1138.
Cisterc⁊ 41.

CAP. I. 1. Bernardus è Campania Romam redit. 2. Petrum Pisanum Innocentio reconciliat. 3. Mors Anacleti: 4. & Sancti Epistola ad Petrum Cluniacensem. 5. Creatio successoris per Schismaticos, 6. qui tamen facilè Innocentio se submisit, 7. agente Bernardo. 8. Pontificis de eodem Sancto epistola. 9. itemque ipsius ad Priorem Claræuallis. 10. & maturatus reditus, cùm nihil iam restaret peragendum.

II. 1. Garino Abbate in Episcopum promoto, 2. Bernardi pro desertis filiis sollicitudo. 3. Quid ad Humbertum Igniaci desertorem? 4. coarctata Lingonensis sedis electio: 5. electorum querelæ, & promissiones. 6. Lis inter Cluniacenses, & Bertinienos, 7. per Bernardum composita. 8. & Bertiniei ex tunc prorsus exempti: 9. Charitatis effectus haud vulgares inter Bernardum, & Petrum Cluniacensem.

III. 1. Dens Sancti Cæsarij miraculosè Bernardo cedit: 2. huius tunica Templariis Romæ relicta. 3. Discessus ab Vrbe, 4. & nunciata electio Lingonensis. 5. tunc diuertens Lugdunum conuenit Archiepiscopum. 6. Quid denuò pactum, 7. & qualiter electus renunciauerit.

IV. 1. Bernardus rediens Nouitiorum cellam ingreditur, 2. & Nouitium tentatum consolatur, confirmatque: 3. prosequitur sermones super Cantica; 4. quo sensu dicat tertiò iam sibi reditum ab Vrbe. 5. Guerricus creatur Abbas Igniacensis; 6. Virgo, vt creditur: 7. & ideo Angelis compar, & eorum ministerio vsus: 8. perfectio viri, excellentiaque doctrinæ.

V. 1. Gerardum reducem maligna febris inuadit, 2. acceptat mortem, 3. atque in ipsa psallens exultat. 4. Vocatur frater ad nouum spectaculum: 5. qui & siccis oculis iusta fratri peragit: 6. sepulchri locus. 7. Virtutes viri sancti; 8. sed inter alias zelus vitæ communis.

VI. 1. Bernardus tandem in verba doloris erumpens, 2. excusat luctum; 3. ex amisso Gerardo, 4. (quamuis iam coronato) 5. qui sibi omnia, 6. qualis viuens Gerardus, 7. & qualis tùc Bernardus sine ipso, 8. permissæ lachrymæ, & ratio earum reddita: 10. repetitus, & perpensus morienti iubilus, 11. noua ratio lugendi, 12. quæ iusto Dei iudicio nequaquam deroget. 13. Demum auctores qui Gerardum Sanctis adnumerant.

VII. 1. Status electionis Lingonensis ad Petrum Venerabilem delatus, 2. eiusdem pro electo filio sollicitudo. 3. impetrata Regalia, 4. & Pontificalia, 5. impedita ab appellantibus: 5. Bernardi constantia. 6. Quid Petrus pro electione, 7. ad Innocentium, 8. mox ad Bernardum scripsit, 9. dictum de infamia: 10. quo examine præmisso, 11. rogatus Sanctus, 12. & interposita nota suspicionis.

VIII. 1. Intentata electi consecratio, 2. nec Bernardi ad Pontificem epistola, 3. item ad Cardinales, 4. impedita executio, 5. zelus Sancti: 6. appellantes confirmauit, 7. & satis acrè scripsit ad Innocentium. 8. Perpensa verba, 9 & cassata quæ gesta hactenus. 10. Quisnam depositus: 11. & quis demum suffectus in eius locum.

IX. 1. Ludouicus nouæ electionis infensus. 2. Regalia differt, 3. Bernardi epistola primum excusatoria, 4. nec se Godefrido voluisse, quod sibi noluit, 5. mox seuera, 6. proponit damna intentæ dilationis, 7. constantia Petri in amore sancti Patris: 8. Huius in Remensem Pontificem electio: 9 & quis Godefrido successit in Claravalle.

X. 1. Beati Hugonis post Bonæuallis Abbatis, genus, indoles, patria, 2. Monachum sequitur. 3. Monachus ipse futurus in Miratorio. 4. tentato grauiter B. Virgo adsistit, 5. confortatur Bernardi epistola, 6. qualiter Sancti documenta acceperit, 7. qualiter item ab eo sanatus fuerit. 8. Promotiones sanctorũ Petri, & Ioannis, 9. epistola Bernardi ad Eustachium, 10. & demum Ioannis pro ipso substitutio.

XI. 1. Sanctus Petrus electus recusauit, 2. quo vsque per Capitulum generale compelleretur. 3. Qualem faciem in sua Ecclesia inuenerit: 4. qualem induxerit: 5. Vendicatæ amissæ possessiones: 6. & liberalitate satis discreta: 7. reparata ædificia, 8. & pauperes vbique procurati: 9. donum Dei prouidentia in his relucens.

XII. 1. Tunica propria algentem anum induit: 2. idque iteratum non sine periculo, 3. largus in pauperes, 4. & pia pro ipsis furta, 5. Xenodochia constructa, 6. atque obseruatus rigor vitæ monasticæ. 7. Monasterium Bituminis, 8. vbi libri Augustini obseruabantur, 9. quos vir Dei sibi fecerat transcribi: 10 felix obitus vtriusque parentis.

XIII. 1. Sanctus Ligerius Dunas primus construit, 2. cui Fulco adiunctus, 3. ne quid

rediit,

redilt; vbi & probandos Comites relinquit, 6. discceditque. 7. Sanat in via filium Dauidis Regis: 8. deinde mutam, & phreneticam mulieres. 9. Lapasperi benedicit cœmeterium, 10. in quo frequentia miracula patrantur.

X. 1. Otho Austriacus in Frisingensem sedem promotus. 2. Ratio temporis; 3. & electio successoris. 4. Bibiano Altamcumbam resignanti, Amedæus sufficitur, 5. magno incremento futurus eidem domui. 6. Amedæus parens filium statim visitat, 7. & fidem eius mitam admiratur, 8. ad Bonamvallem redit. 9. sancti Othonis Babembergensis mors, 10. quatuor huius anni fundationes notatæ breuiter: 11. & de Dublinio specialius aliquid dictum.

Iesu Christi annus 1140.
Cistercij 43.

CAP. I. 1. Malachias Hiberniæ restitutus Benchor visitat: 2. quale Cœnobium, 3. & quot aliorum parens, 4. quot item Martyrum, & illustrium Confessorum. 5 sanctus Pontifex aliot discipulos transmittit ad Claramvallem. 6. Bernardi rescriptum. 7. & legationis Malachiæ fructus per totam insulam.

II. 1. Arnaldi Brixiani professio, erroresque. 2. Abailards patria ingenium, mores: 3. concubinatus, cui ratio, professioque, & libellus de Trinitate flammis traditus. 4. Recidiua dogmata à Bernardo, Norbertoque impugnata olim; 5. tunc per solum Bernardum dissuasa, si non Abailardus ab Arnaldo peruerteretur. 6. Berengarij mendacium: 7. prouocatus Bernardus ab hæretico, 8. & certamen indictum apud Senonas.

III. 1. Bernardus Pater congressum prius detractans, 2. sed mox admittens, 3. ad Episcopos Senonis congregandos scribit: 4. ingens concursus, 5. atque Abailardus obmutescens in ipsa Synodo: 6. deficientibus verbis, memoriáque: Tum verò ipse Pontifici remissus, quem appellauerat. 7. diuersæ causæ interiectæ appellationis. 8. & Gilbertus Porretanus ex tunc ab eo præmonitus.

IV. 1. Litteræ Episcoporum ad Pontificẽ: 2. aliæ Bernardi continentes historiæ seriem: 3. impugnati errores à sancto Patre; 4. iidemque ex ipso, & aliis recensiti, 5. eiusdem de Petro Abailardo iudicium. 6. epistolæ ad Iuonem, 7. Guidonemque, 8. & cæteros Ecclesiæ Cardinales. 9. Rescriptum patens Innocentij ad Patres Synodi: 10. atque item ad eosdem clausa epistola.

V. 1. Abailardus Cluniacum diuertit. 2. vbi & sanctus Rainardus hospitio habitus, 3. simul cum Petro Mauritio hominem monet. 4. Retractationes variæ, 5. sed diminutæ: 6. tum ab eodem Claramvallem deductus, Bernardi tandem consiliis resipiscit: 7. redit Cluniacum, & scribit pro eo Petrus.

VI. 1. Berengarij apologia pro Abailardo contra sanctum Doctorem: 2. itemque alia Ioannis Divionensis, 3. sed contra Petrum scripsit Gaufridus eius discipulus, 4. cuius verba adduntur ex Helinando; 5. & Guillelmus Abbas sancti Theodorici: 6. atque item alius Abbas nigri Ordinis, 7. à Guillelmo diuersus. 8. sancta conuersatio Abailardi apud Cluniacum: 9. & post biennium, mors.

VII. 1. Arnaldus de Brixia Constantiæ delitescẽt; 2. à Bernardo impetitus, describitusque: 3. acta eius anteriora recensentur, 4. & ne Constantiæ manere permittatur. 5. Prophetia Sancti de ipso: 6. & contra ipsum epistola ad Guidonẽ; 7. prudent, & pronida; 8. demum Arnaldus occultus vsque ad Eugenium.

VIII. 1. Innocentius Monasterium sancti Anastasij Claræuallensibus Monachis ædificat, 2. Bernardus eorumdem missionem differt: 3. sed missos ad Abbatẽ Farfensem Papa præoccupat. 4. Initia domus, nomina, 5. & Capella de Seala cœli, & quare nuncupata; 6. Ordinis austeritas per multos adhuc annos perseuerans. 8. Petrus Bernardus ex Præfecto Calefactorij Abbas effectus. 9 Farfensis pro condendo alio Cœnobio pecuniam erogat prædonibus obnoxiam. 10. Moritur, Gerardum socium ad Claramvallem mittit. 11. Bernardi de amissa pecunia ingens contemptus.

IX. 1. Gerardi in Farfa visio de seipso, 2 non multo post adimpleta in Claravalle: 3. frequentes aliæ eiusdem consolationes. 4. creatio Stephani in Cardinalem Prænestinum, 5. Hugonis Victorini mors. 6. Liber Richardi ad Bernardum Patrem de appropiatis personis, 7. itemque alius de Incarnatione: 8. & tandem variæ aliæ quæstiones. 9. Othonis pietas, atque in Præmonstratenses munificentia.

X. 1. Series Monasteriorum præsentis anni. 2. Casemarij antiquitas: 3. & dictum de sancto Dominico Sorano, sed remissiuè. 4. illius sub Cistercio eximia sanctitas; 5. viri illustres, memoria, & situs loci, 6. Ripatorij Alanus primus Abbas:

Iesu Christi annus 1141.

Cistercij 44.

antiquo instrumento, 14. demum aliæ notitiæ eiusdem domus.

IX. 1. Incertiora initia Montis salutis, 2. per duos Monachos post biennium mutatis sedibus, 3. de Ciorilde Regina vetus traditio, 4. iuxta quam Virginis effigies summè antiqua, 5. comprobata filiatio Scalæ Dei. 6. Monachi in Riuogiam missi primò Yergam, 7. mox Niencauas ascito conuentu habitauere.

X. 1. Chronologia fundationum: 2. de Bullencuria, 3. & Sikem, & Vulehino illius primo Abbate. 4. de Boëriis, & Bonoloco. 5. de Pinu, & Caticampo: 6. & de hoc plura. 7. de Cilente, & Recluso. 8. de Monte sancti Georgij, 9. cuius primus Abbas Ebrardus, & Portu gloriæ. 10. demum de Paungantamberg, ex VVolphango.

Iesu Christi annus 1142.

Cistercij 45.

CAP. I. 1. Repudiata à Comite Radulpho Theobaldi soror. 2. Bernardus Innocentio Papæ scribit. 3. Iuo Legatus anathemate indicto retractat factum. 4. Rex à Theobaldo extorquer iuramentum impetrandæ ab Innocentio absolutionis. 5. Bernardi alia ad Pontificem epistola 6. recidiuum anathema. 7. pro quo Sanctus scribit ad Ludouicum: 8. sed sine fructu; 9. secunda alia epistola liberior, 10. qua se pro Ecclesia pugnaturum semper indicit.

II. 1. Ludouicus Bernardo Patri scribit. 2. Rescriptum Sancti ad Ioslenum, Suggeriumque purgans Theobaldum à iuramento promissæ absolutionis; 3. à suspicione pactorum matrimoniorum, 4. & fœderis initi cum Radulpho, 5. incusat Regem præuaricationis, 6. nequo solum in Theobaldnm; sed in Ecclesiam. 7. responsio Iosleni in Sanctum iniuriosa; 8. Sancti ad ipsum epistola humilis sanè; 9. nec tamen minus zelans pro causa Dei. 10. Pacatus animus, atque amor in Episcopum.

III. 1. Illustria initia Regni Lusitaniæ: 2. Testimonium Alphonsi de visione per somnum sibi ostensa, 3. comprobata euentu subsequenti, 4. & mirabili Christi apparitione: 5. eiusdem Principis preces, & testificatio, 6. instrumenti auctoritas. 7. Alphonsus Dux in Regem acclamatus, 8. super titulo cum Imperatore auo contendens.

IV. 1. Legatus missus componendis auo, & nepoti. 2. Noui Regis ad Bernardum Patrem litteræ; 3. aliæ ad Innocentium Papam. 4. Getatdum non potuisse Romam mitti. 5. Innocentij rescriptum ad Alphonsum. 6. variæ opiniones de Regno Lusitaniæ; 7. quod Boronius recentius putat: 8. rescriptum sancti Bernardi ad Ildephonsum.

V. 1. Regnum Lusitaniæ feudatarium Claræualli, 2. litteræ Regis, & Regni designantes vectigal: 3. protectio Monachorum Claræuallensium, 4. & eorum preces pro regno Lusitaniæ, 5. perpensa pietas, 6. instrumentum acceptilationis feudi, 7. atque item aliud, & aliud satis constantia.

VI. 1. Beatus Stephanus hactenus Eremita ebibit Monachatum à Dalonensibus, 2. quis auctor vitæ eius, & quantæ fidei: 3. genus, patria, & primordia viri sancti: 4. adiunctus socius, & quæsita sollicitudo: 5. inde discipulis aucto, 6. vita austerior, 7. incursus dæmonum: 8. & confluente multitudine mutandæ sedes, & quærendus locus capacior.

VII. 1. Stephanum ad Paganos ire cupientem, 2. dissuadet Petrus. 3. Nouum opus surgit: 4 magister operis à diabolo percussus, sanitati per Sanctum restituitur. 5. Iuge miraculum. 6. sancta contentio inter Petrum, & Stephanum, 7. per Gaufridum Carnotensem dirempta. 8. Dalone à sancto viro frequentata, 9. de cuius instituto suscipiendo consultum pergens per miraculum exoneratur lorica ferrea.

VIII. 1. Guigo Carthnsiæ consultus per Stephanum, 2. Cisterciense institutum illi proponit; 3. in nouæ Ecclesiæ structione ingens miraculnm: 4. additum & Cœnobium Sanctimonialium, 5. strictioris clausuræ, 6. quàm cæteræ aliæ plus, aliæ minus imitarentur. 7. cuius nobilis eximia virtute præditi, 8. cum suis omnibus, familia, bonisque admiranda conuersio, 9. Noua Abbatia instruenda per Dalonenses.

IX. 1. Sancti Quardi peregrinationes, & vita Eremitica, 2. tunc monachatns in recens nata Vrsaria: 3. quod probabilius, quàm Superato. 4. Nostrorum, & Præmonstratensium fraterna pax. 5. litterarum exemplar de mutua vtrorumque fratrum susceptione. 6. de ædificiis, 7. de exactione decimarum, & querelarum emergentium compositione. 8. Tandem de mutuis suffragiis; 9. quarum item Bernardus Pater meminit.

X. 1. Petri Morerolensis pretiosa mors, 2. qui, & plures sanctos discipulos reliquit, 3. miracula, & reuelationes de eius obitu:

Iesu

INDEX

INDEX TITVLORVM, ET CAPITVM IVRIS CANONICI, QVORVM SIVE INSCRIPTIONES, SIVE HISTORIA, lucem, aut correctionem accipiunt in his Annalibus.

INTRODVCTIO AD ANNALES CISTERCIENSES.

1. Cistercij Auctores, & finis instituendi. 2. Roberti patria, parentes, & natales, Virgineo fauore præuenti. 3. Studia pueri, monachatus, & præfectura. 4. Acceptata Tornodorensis Abbatia. 5. Fraterna cædes mutuò cogitata, mutuò omissa. 6. Conuersio vtriusque fratris apud Colanum. 7. Postulatus Robertus, neque obtentus; & paulò pòst discedens à Tornadoro; 8. Mox Priorem electum sancti Agiulphi Colanenses accipiunt iussu Pontificis.

CAPVT PRIMVM.

1. CISTERCIENSEM familiam Benedictini Monachi instituère; à sæculo ad Cistercium transituris, non aliud, non inferius medium fuit. Præcipui Auctores Robertus, Albericus, Stephanúsque, viri in primis sancti, prudentes, docti; impares prorsus futuri operi tanto, seu dotibus, seu numero inferiores. Æquandæ, an superandæ regulæ instituerint? quæsitum diu, nec diremptum adhuc; facilè, si distinguas, dirimendum. Sancti Patris præceptis multa addita, exemplis nihil; quod mox [a] parebit; veris quippe Benedicti sectatoribus, quidque in vita gessit, præceptum fuit. Vnum, eumdémque spiritum in his tribus vigentem Sanctis, Cisterciensem Trinitatem iure appelles. Haud aliter incepisse debuit Ordo, Fidei præsertim tutelæ destinatus per multa tempora.

[a] *Anno Christi* 1101. c. 1. *num.* 3.

2. Robertum patriâ Normanum, genere nobilem, Theodorico patre, & Ermergardi matre nondum natum Beata Virgo sibi desponsauerat; Iosephum alterum præbendum ad has nuptias, haud dubium, quin obumbrandæ alteri proli. Sed sisto gradum, & seruo me ad hoc ipsum [b] opportuniore loco recolendum. Audi tu interim Othonem Monachum Molismensem rem ita referentem in eius [c] vita. *Pregnanti etenim matri* (ait) *gloriosa Dei Genitrix Virgo Maria in somnis apparuit, annulum habens aureum in manu sua; dixitque ei. O Ermergardis, volo filium, quem gestas in vtero, hoc annulo mihi desponsare. His dictis, mulierem dormientem relinquens, Virgo Beata disparuit, illa verò expergefacta, animo cœpit reuoluere visionem.* Hactenus Otho. Haud aliter salutata olim ab Angelo ipsa Virgo Maria, turbata legitur [d], *& cogitabat qualis esset ista salutatio.* Sed Ermergardis hærere non permissa: semel, & iterum replicata visio, oraculum manifestum fecit; specie somni. *Adiecit autem* (ait) *Beata Dei Genitrix apparere iterum mulieri, sicut Deus olim iterum, ac iterum apparuit* [e] *Samuëli ad confirmandam promissionem suam.* Ergo non tam filius Ermergardi natus est, quàm sponsus Virgini; forsan in hoc Iosepho præferendus: quippe natus in eo, quod ille factus. Quem gloriæ titulum Iosepho matura ætas, dedit, Roberto præuenta natiuitas. Prodiit ex vtero matris Mariæ sponsus, ex quo vel seruos prodiisse paucos, pro dono fuit.

[b] *An.* 1099. c. 2. *num.* 4. *& an.* 1100. c. 2. *num.* 9.
[c] *Apud Sur.* 29. *April. cap* 3.
[d] Lucæ c. 1.
[e] 1. Reg. 3.

3. Tribus lustris in sæculo peractis, & non mediocriter imbutus sacris litteris, iam iamque supra ætatem adultus moribus, primam manum imposuit futuro operi. *Cùm esset* (Otho ait) *annorum quindecim, mundana vitans contagia, totum se decreuit Deo consecrare. Itaque florem gratissimæ iuuentutis Domino offerens, apud sanctum Petrum de Cella suscepit habitum regularem; vbi ieiuniis, & orationibus vacans noctè, ac die, gratum Deo exhibendo obsequium, carnem spiritui, spiritum subijciens Creatori, proficiebat. Cùm verò tempus esset, vt in seruo suo glorificaretur Deus: & lucerna, quæ sub modio latuerat, super candelabrum ad illuminandam Ecclesiam poneretur; ille, in cuius manu sunt corda hominum, eiusdem domus fratribus inspirauit, vt virum Dei Robertum sibi eligerent in Priorem. Dignum quippè erat, vt, qui duce gratia, longo vsu didicerat tenere moderamina vitæ suæ, iudex, & moderator fieret aliorum.* Hæc Otho paucis de Roberti Monachatu, & præfectura in propria domo obtenta. Sed expectabant adhuc maiora virum, Benedictum per omnia redditurum, per quæ Cistercio paulatim disponeretur.

4. Erat non procul Abbatia Tornodorensis Michaëli Archangelo dicata; regulæ sanctæ obnoxia magis, quam subiacens: inueterata præuaricatione, in consuetudinis nomen paulò honestius, & consuetudine in interpretationem transeunte, sub qua omnes corruptelæ obtegerentur. Non alius desperatior rerum status est, quàm si tunc etiam leges proferamus, cùm infringimus: & Hæbraicâ malitiâ Deos quæramus, non veros, sed factitios, fictitiósve; nec quos ipsi, quò duxerint, sequamur; sed qui præcedant itiuros, quà libuerit. Tornodorenses his malis implicati, seu præcauentes, & correcturi fortè si quid peccassent

(quod facilius concipias, quàm exequaris) seu nomine Roberti, iam tunc celebri, obumbraturi quæcumque non corrigerent, destituti Abbate Robertum eligunt, per quem praua opinionis in directa, & morum aspera, (nam multa fatebantur) paulatim in vias planas reducerentur. Tunc verò Sanctus intentus nouo operi, & recentium filiorum saluti totus insistens, arguens, obsecrans, increpans in omni potentia, & doctrina sustinebat, si quomodo, non vnam tantùm ouem, sed gregem integrum Christo lucrifaceret. Sed insolita dudum consuetudo faciliùs reprobatur, quàm abiicitur. Et Benedicto deserenti olim, quos moribus suis vidit non conuenire, Robertus euasurus per omnia similis, Monachos hos susceperat regendos, & si non corrigendos, deserturus. Neque irrito labore, conatúve, qui humilitatem altiùs radicaret, per quam de vitiis deserendorum fratrum, veluti de stercoribus (liceat ita fari) ipse in vberes fructus fœcundaretur. Nunc initia Molismi, miranda satis, quibus Robertus iam tunc præparabatur, & concordem discordiam duorum fratrum, per quos sumpsit exordium, recolamus.

5. Inuidiæ stimulis (nam gloriæ toti dediti armorum ludicra vbique frequentabant) an captandæ fraternæ hæreditatis vterque flagrans, duo Normani fratres, genere æquè, atque opibus pollentes, alternam cædem simul cogitauerant. Idem vtrique locus electus est, nec diuersum tempus; apta nimirum Colana solitudo (in eadem Prouincia satis celebris) parricidio admittendo, celandóque; & erat à quibusdam ludis redeuntibus is locus peragrandus necessariò. Non vnquam magis fratres visi sunt, quàm cùm se ex fratres fore proposuerunt alterna cæde. Ludis ergo fœliciter peractis, nec mediocri gloria parta in certaminibus (quæ erat vtriusque in armis strenuitas) dum domum redeunt, condictum locum intrant, silentio, opacitate, & solitudine, vel bonis animis suggesturum species mali. Quominus parturirent conceptum facinus præpotens solius naturæ vis effecit, seu melior Deus. Eferbuit intra venas vtriusque permixtus sanguis, non siue proprio vndecumque fluxurus. Stetêre immobiles nerui, membráque; & puduit vtrumque concepti fratricidij, cuius se solum putauit reum existere. Tunc verò re fœliciter infectâ, dubiáque inter relictam, & dilatam, placuit diuertere ad tugurium Sacerdotis, virtutibus, & senio venerabilis; eam Eremum habitantis à multo tempore. Ibi oblatâ occasione piatum facinus, & confessio concepta ritu Ecclesiæ. Sacerdos salutari pœnitentia vtrique imposita, increpatos, absolutósque dimisit; nec minùs iam de concepto dolentes scelere, quàm de non perpetrato gratulantes vterque sibi; inde vario sermone fallentes iter, magis seipsos; dum flagitium, quod commune ignorant, occultant inuicem; locum, vnde diuerterant, perueniunt. Tum demùm recentis periculi memoria, aut horrore flagitij; qui dudum incaluerat sanguis, penè obriguit; contremuêre artus, ossáque, & colore immutato, siue amisso, legit vterque in alterius vultu proprium crimen, & maius adhuc in alio visum fuit, quàm olim in se admissum apparuerat. Sic mutuis dolis inuicem detectis, inuicem condonatis, vtriusque pudorem, vtcumque subleuauit alterius pudor. Nec difficilis remissio iniuriæ fuit, cuius se reum vterque æquè cognouit.

6. Actum deinde de animarum salute, déque lubrico statu præsentis vitæ, non proprio sanguini fidere potentis, non sibiipsi; & siue gloriæ, siue hæreditatis cupido ipsos inuasit, atque præcipites egit in tantùm scelus, parum tutum vtrique visum fuit, rursus se eisdem periculis exponere. Subiit animum vita Sacerdotis, nec parum apta locus pœnitentibus, siue quòd destinatus antea delicto fuit; siue quòd à frequentia remotus cunctorum hominum; denique pœnitentiæ tyrocinium vix ad veram militiam peruenturum sine magistro: nec spernendum magisterium Sacerdotis ad hoc ipsum, à Deo fortè præmissi, etiam vtriusque conscientiæ planè conscij. Verbis Adonis historiolam claudimus. *Rursus igitur corde compuncti, & ad virum Dei reuersi, spretâ sæculi pompâ, cum illo cœperunt spiritualiter viuere, & ad portandum suaue iugum Christi ceruicem cordis humiliter inclinare.*

7. Celebris hæc historia per totam Galliam, celebrem iam Colanam eremum fecerat, & addiderat socios conuersionis, quibus vita communis in proposito, norma vitæ ad Benedicti Patris regulam, & Robertus (si daretur magister) in votis fuit. Duo priora exequuti, quæ sola poterant, tertium, quod poterant, instanter sollicitarunt. Et consequuti fortsan statim fuissent, si non præsagus imminentis fructus communis hostis; quod vitare non poterat, saltem distulisset; concitatis in eos Tornodorensibus, ne virum Dei abire paterentur, quo tamen ipsi non forent fruituri. Nam audi quod sequitur. *Porro hi quos diximus, Eremita (scilicet Sacerdos, fratrésque & qui se dudum illis associauerant) cùm non haberent, qui eos disciplinis regularibus informaret, audientes famam beati Roberti, duos de fratribus suis ad illum mittere curauerunt. Qui cùm ad locum peruenissent, in quo vir Dei sedulum Domino exhibebat obsequium, Præpositum domus illius in auditorio repererunt. Qui cùm eorum propositum, causámque itineris cognouisset, vix ab illo multis precibus obtinere potuerunt, vt ad viri Dei secretarium ducerentur. Inuidiæ quippè mucrone confossus Præpositus sibi arbitrabatur dedecere, si quid laude dignum per seruum suum Robertum Dominus de aliorum profectibus ordinasset. Vnde etiam fratribus eiusdem domus, sociis Abbatis, persuasit, ne petitioni fratrum, qui ad requirendum virum Dei venerant, vt eis præesset, assentirent. Veruntamen Beatus Robertus eorum petitioni, iustisque votis congratulans, illorum desideriis fecisset satis, nisi fratres Tornodorenses vnanimiter obstitissent. Interim salutaribus admonitionibus informatos, suis munitos precibus, & benedictione firmatos, remisit ad propria; singulariter in spe illos constituens, quòd simul atque facultas ei tribueretur à Domino ipsos adimpleret lætitia cum vultu suo. Postea verò cernens fratres suos ab æquitatis tramite deflectere, ad monasterium Cellense, vnde vocatus fuerat, reuersus est; vbi Lia, quæ laboriosa dicitur, ad tempus deposita, diu desiderata Rachelis fruebatur amplexibus, hauriens in gaudio de fontibus Saluatoris, quod postea propinaret in salutem credentibus.* Hactenus ibi de repulsa Colanensium, & de Tornodorensium desertione.

8. Verùm quæ post hæc ipsa secuta sint, qualitérque tandem Colanensibus Robertus iussu Pontificis accesserit, pergit, qui suprà Auctor, ita describere. *Sed quia latere non potest ciuitas supra montem posita, Beatus Robertus supra montem Christum radicatus, firmiter, & fundatus, defuncto Priore sancti Agiulphi, ad pascendum ibi humilem gregem*

Christi

Christi, rursus eligitur in eadem domo, vnanimo fratrum voto, parique desiderio Prior effectus. Memorati autem Eremitæ amore vitæ cælestis afflati, cùm virum Dei conspicerent semper in melius proficere, & seipsis effici meliorem, inito consilio, duos de fratribus ad Sedem Apostolicam ablegarunt, vt à Summo Pontifice precibus obtinerent, vt vir Dei Beatus Robertus pusillo gregi Christi pater fieret, ac pastor. Summus autem Pontifex audiens illorum propositum, gauisus est valde, petitionique eorum benignè annuens, Apostolicâ benedictione collatâ, remisit gratulabundos ad sedes suas; Abbati de Cella per Apostolica scripta mandans, vt, quem illi de fratribus elegissent, ipsis traderet in Abbatem. Abbas autem Cellensis, vbi Pontificis accepit mandata, Beatum Robertum postulantibus dedit, tristis quidem, ac mœrens, sed iussis Apostolicis non ausus obstrepere, aut repugnare. Videbat enim illorum consolationem, sibi, suisque afflictionem fore: quandóquidem è domo sua firma quadam, & instar Cedrina imputribilis, columna tolleretur. Hactenus acta. Sic Colanenses accepêre Magistrum sanctum, quò tardiùs, auidiùs; quò auidiùs, fructuosiùs. Nec potuit Roberto displicere translatio, quam Deo placitam esse statim vidit.

1. Crescit nouum cœnobium sub Roberto, 2. & Alberico ab habitum admisso, 3. translata domus, in Molismo Cistercium exprimit. 4. Stephani primordia, peregrinatióque, 5. tum reditus, & professio apud Molismum. 6. Paupertas domus: 7. Fides sancti Patris, 8. & demùm abundantia inde exorta.

CAP. II.

1. CREVIT sub tanto Patre pusillus grex, primùm religione, deinde numero: fertili terrâ ad votum respondente nouæ culturæ: & mutuò se iuuantibus vtrisque (ac si fas dicere) mutuò præuenientibus, Roberto filios per cæleste magisterium; Monachis Sanctum, fœcunda disciplina. Vtrumque Molismensis Ado ita prosequitur [a]. *Porro (ait) Beatus Robertus curam pastoralis officij in se deuotus suscepit, videns quòd labor suus sine fructu non esset, cùm vnanimitas gregis respueret terrena, & appetens, inquiréndsque cælestia ipsius salutaribus monitis obediret. Itaque secundùm interiorem hominem in spiritu humilitatis Deo seruiens, secundùm exteriorem verò strenuè ministerium suum implens, altiua vita tamquam Lot copulatus est, ad filios spirituales procreandos in loco, qui nunc dicitur Colanus.* Hæc Ado de incrementis noui cœnobij.

[a] Apud Sur. April. 29.

2. Albericus ad habitum susceptus sacrauit initia, sanctior, an doctior? dubium collatus sibi: vtrumque certum si aliis conferatur. Nec diuinis tantùm litteris instructus, sed humanis [b]. *Virum litterarum in diuinis, & humanis satis gnarum, amatorem regulæ, & fratrum,* Exordium vocat: Spes omnes in sæculo conceptas cum paupere illo statu commutauit. Alios discipulos habuit sanctus Pater, dum Colani maneret, sed ferè momentum rerum penes hunc fuit.

[b] Exord par. cap. 10.

3. Crescente numero, & creuit vsque ad tredecim, cœnobiolum decreuisse visum est: non oratorium, non officinæ capiebant, vt olim, fratres. Sed & loci importunitas accessit, eremiticæ vitæ non inepti, cœnobiticæ, & monachatui parum apti. Ergo mutatis sedibus pro tempore petière Molismum, fœlici culpa, (vt ad instar Ecclesiæ loquar) non multò post futuram Cistercij matrem: sed priùs Cistercium per omnia obumbraturam, numero, norma vitæ, & monasticæ rigore disciplinæ. Audi Othonem scribentem in hæc verba [c]. *Cùm autem breui tempore fratrum numerus vsque ad tredecim excreuisset, considerans vir Dei loci importunitatem, relictis ibi custodibus, assumptisque secum fratribus, in quoddam nemus, cui Molismus nomen est, secessit. Vbi propriis manibus laborantes, ramos de arboribus amputabant, atque ex his domicilia, in quibus possent quiescere, construxerunt, oratoriúmque simili Schemmate ædificarunt, in quo, & salutaris hostias, & sacrificium contriti cordis Domino frequenter offerebant. Cúmque panem non haberent, quo post diurnum laborem, se reficerent, solis leguminibus vtebantur.* Hucvsque Ado. Quibus videas futuri mox Cistercij vmbram iam tunc in Molismo præcedentem, si non exemplar. Quo nimirum neque tantum incrementum Ecclesiæ Dei sine præuia figura orbi contingeret, & Roberto Cistercium fundaturo, velut alteri Moysi, dici posset [d]. *Fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Sanè præcipua huius Ordinis cœnobia, per duodecim Monachos, sub tertiodecimo Abbate incepta, idque lege sancitum, & propriis manibus omnes laborantes, leguminibus fabísque refertos, ac tempus reliquum impendentes Diuinis laudibus, suis locis [e] inferiùs, notabimus. Atque hæc omnia quasi in simulacro Molismus habuit, (*en sayaroase ali*) quò perfectiùs, exactiúsque mox Cistercij fierent. Nec multò pòst exemplar auxit Stephanus, rem ipsam tertius cum aliis expressurus; sed fortè solus etiam exprimendus. Certè in Cistercio omnes æquè expressi, sed solus Stephanus Cistercium propagauit.

[c] Apud Sur. vbi supr.

[d] Exod 25.

[e] An. 1101. cap. 1. n. 2.

Hic cognomento Hardingus genere nobilis, 4.
natione Anglus, professione Monachus, quod vitæ genus ab adolescentia sectabatur, ad Shirburnense monasterium, induto habitu, ex Anglia studiorum causa primùm Scotiam, inde in Galliam, Parisios transfretauerat. Ibi prophanis literis libatis, sacras penitus hausit disciplinas, labore assiduus, ingenio profundus, meditatione præcipuus, & in quo, vt Guillelmi Malmesburiensis [f] verbis vtar. *Scientia literarum cum Religione quadrabat, sermone comis, facie iocundus, animo semper in Domino lætus.* His soliditoribus iactis fundamentis post annos aliquot Romam proficiscitur, sacris liminibus visitandis, venerandísque, clerico studiorum socio sibi adiuncto. Mirum in iuuene, quamuis religioso. Quominus integrum Psalterium diebus singulis deuotus decantaret, nullis occupationibus, distractionibúsve, nullis negotiis potuit impediri. Inter ipsa etiam viarum incommoda naturæ obsequia, & quæ plus hominem trahebant erga proximos, opera pietatis vtriusque tabulæ, decantando [g] Psalterio tempus, & locus fuit, eodem clerico alternis respondente, fideli socio, & prompto ad omne bonum. Diuinis laudibus cum literarum studiis concordiam pristinam: cum operibus charitatis commercia, mutuáque iuuamina, in dissidium penè conuertit sæculum præsens, non minùs potens in bono, sed minùs appetens, eóque in quolibet faciliùs sibi complacens. Metam attigisse videtur, quicumque graditur, non

[f] Lib. 4. de Reg. Ang.

[g] Exord Cist. lib. 1. cap. 17.

vbi vlteriùs progredi non possit, sed vbi nolit.

5. Post visitata Romæ loca sacra, crediderim, & perfectioris adhuc vitæ ab Stephano Ardingo conceptum votum, lætus vterque Gallias repedabat. Cùm ecce peruium Lingonense territorium, & in eo Molismus recenti fama, ad Monachos diuertenti occasio fuit. Sensit Stephanus se deberi nouæ fabricæ, nouo cœnobio, siue quod verius dicam futuro Ordini: & Roberto, Albericóque deerat tertius, triplici illi funiculo texendo, rumpendo nunquam, tot homines cælestibus vinclis ligaturo. Non tamen defuit feruenti tunc spiritui sub validiore pietatis specie, acris tentatio, vetus societas soluenda, dirimendáque: tum primùm clerico ab ipso dissentiente, nec acquiescente remanere apud Molismum. Parentes olim, fratrésque dimissi relictæque opes, gloria mundi spreta, oblectamenta, & deliciæ superata, minùs negotij facessetunt viro Dei, quàm vnius probi, ac probati amici iactura imminens, vel tot Sanctorum conuictu compensanda. Sed vicit tandem animum hærentem occulta vis, quæ Stephanum Cistercio præparabat. Auxit Molismensem conuentum recens hospes, lætantibus Angelis, tabescentibus Dæmonibus, Roberto, Albericóque, Abbate, & Priore (hoc munus viro Dei Molismi iniunctum) & cæteris fratribus suis æquè gaudentibus.

6. Interim sanctos viros paupertas, summa, & ferè extrema inopia exagitabat, firma fide Roberti in sufficientiam (quæ vtinam mansisset) sed postmodum fidelium largitate etiam in abundantiam (inimicam virtutis) transitura. Tricasinus Episcopus hospitio susceptus, & vacuo penè ventre indè discedens, primus fuit, qui suorum hospitum indigentiam subleuauit: exinde alij venerati, colere, & quæ plerisque facilior via se offert bonis fauere, quàm bonos esse, vitæ subsidia largè ministrare, eleemosinas mittere, cælum sanctorum virorum orationibus, orationes beneficentiâ comparare; ferunt, & exteras, remotásque prouincias Molismensibus donaria transmisisse. Verùm hæc omnia pressiùs à nobis dicta, ex actis Viri Dei fusiùs audiamus [h]. *Contigit autem Trecensem Episcopum per nemus illud, in quo Dei homines in summa paupertate, & humilitate degebant, iter facere, & ad locum illum refectionis hora, cum sociorum frequentia peruenire. Quos viri Dei deuotè suscipientes, quodammodo confundebantur, quod non haberent, quæ in cibum sumpturis apponerent. In eorum autem humilitate, & paupertate non mediocriter ædificatus Episcopus; & compunctus valè fecit eis, & recessit.* [h] Apud Sur.

7. *Procedente verò tempore, cùm non haberent fratres vnde possent vel ad breue tempus sustentari, ad Beati Roberti consilium confugerunt. Ille verò qui nunquam putauit aurum robur suum, nec obrizo dixit: fiducia mea: docuit illos in Domino collocare spem suam, sciens, quia non sineret Deus diutius fame affligi animam iusti. Cùm igitur pretium non haberent, nihilominus Trecaseos misit ad emendam annonam etiam iuxta literam Prophetæ consiliis obtemperans, dicentis.* Qui non habetis argentum, properate, venite, emite. *Cùm autem Trecensem esse eius urbem nudis pedibus ingressi, statim de illis ad Episcopum rumor perlatus est; qui illos ad se iussit introduci, satisque eos deuotè suscipiens suum erga Deum amorem in exhibenda seruis eius humanitate, declarauit. Denique nouis vestibus regulariter eos induens cum quadriga, pannis, & panibus onusta ad sua loca remisit, qua quidem benedictione non mediocriter confirmati, didicerunt inter aduersa patientes esse.* Hæc [i] Ado de primitiua Molismi paupertate, Roberti fide, ac Episcopi Trecensis largitione. Quem etiam ob eiusdem Sancti reuerentiam iam vita functi duabus aliis Ecclesiis perpetuò traditis, & in altera Prioratu constituto, vnitóque, auxisse Molismum, testatur Nicolaus Camuzatius [k], vir de Ecclesiastica Historia optimè meritus in suo antiquitatum promptuario, diplomate etiam donationis in lucem edito, quod ita incipit. *Ego Philippus Dei gratiâ Trecensis Ecclesiæ minister humilis notum facio, tam præsentibus, quàm futuris, quòd pro Dei amore, & reuerentia domini Roberti primi Abbatis Molismensis Ecclesie de voluntate, & assensu Canonicorum nostrorum dono, & concedo Monachis eiusdem Ecclesiæ iure perpetuè possidendam Ecclesiam de Insulis cum appendiciis eius, & Ecclesiam sancti Theobaldi, ita quod in vtriusque villa cœmeterio nullus aliquam, nisi prædicti monachi, libertatem in posterum obtineat, &c. Actum Trecis in capitulo, & autenticè, & solemniter nostro confirmatum sigillo; anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo quarto, indictione duodecima, Paschali Romanorum Pontifice, præsidente fœliciter, regnante autem Philippo Sereno, Rege Francorum.* Ita in diplomate. Porrò hunc Philippum insignis pietatis Pontificem, anno millesimo octuagesimo secundo Tricasinis præfectum, sequenti autem millesimo centesimo quartodecimo adhuc superstitem, idem Author ostendit eodem loco.

Isai 55.

[i] Apud Sur. April. 29.

[k] In Catalog. Episc. Trecens.

Cæterùm quod ad aliorum eleemosinas attinet, quibus Molismus in abũdantiã vsque supercreuit, Ado Abbas prosequitur his verbis [l]. *Quin etiam à die illa, & deinceps non defuit qui illis & ad victũ, & ad vestes necessaria suppeditaret. Cúmque in Dei seruitio constantissimè perdurarent, multi accedebant ad illos, sæculum fugientes, & reiectâ mundi sarcinâ, ceruices suas iugo Domini supponebant. Quidã verò etiã ex remotis locis eis mittebant necessaria, vt mercedem Iusti reciperent, dum ipsi Iustis vitæ præsentis res necessarias impertirent.* Hactenus acta Roberti, & Molismensium. Quibus planè [m] Euangelicum illud completum videas. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Videas Insuper continuatam Cistercij vmbram, ex paupertate venientem ad diuitias: vtinam non ex diuitiis (quod dolendum) ad vtrorumque bonorum paupertatem. Sed id in sequens Caput reseruamus. 8.

[l] Vbi suprà.

[m] Matth. 6.

1. Deformata Molismus præ abundantia, 2. nec corrigibilis, à Roberto Patre deseritur. 3. Albericus verbera perpessus, carcerémque, 4. cùm non proficeret, secedit in Eremum: 5. Inde omnes ad Molismum reuocati, 6. multa reformant: 7. Sed cùm non possent omnia, nouum cœnobium construere meditantur: 8. Auctore Stephano. 9. Repetita personarum Cistercij Trinitas, atque singulis singula appropriata.

Cap. III.

1. Qvm altiùs radicata paupertas disciplinæ rigorem Molismo intulerat, euersauit satietas, abundantiáque, vel in hoc etiam Cistercium præsagiente: tardiùs, & aliter, sed præ nimia diuitiis tuitutum. Non tot cœnobia sub infausto commendæ titulo, sæcularis ambitio deformasset, si pristinâ

si pristinâ paupertate retentâ, solæ virtutes in Commendã dari possent, queis quotus quisque administrandis se ingereret. Molismensium celerior casus fuit, & nullo Commẽdatarum turbine obruti, nullo sæcularis cupidinis impulsu, ipsarum tantùm diuitiarum pondere pressi. *Cùm cœpissent* (ait [a] Abbas Molismensis) *abundare temporalibus, cœperunt spiritualibus euacuari: ita vt eorum iniquitas, quasi ex adipe prodire videretur.* Mira in tam breui spatio mutatio talis, præcipuè sub Roberto, & Alberico (nam Stephanus priuatum adhuc agebat,) vt non immeritò liceat exclamare [b] *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Sed si non aliter oriturus Cistercij sol, qui per occasum Molismi (post varias licèt ambages) præparabatur: liceat non minùs cum Hispano [c] Poëta dicere.

[a] Apud Sur. April. 19.
[b] Thren. c. 4.
[c] Lucan. Pharsal. 5.

——Scelera ista, nefásque
Hac mercede placent.

Occidat Molismensis sua ad tempus, dum Sol Cistercij oriatur, occasum nesciens, imò per sæcula, (nam sic duas annorum centurias voco) in meridie permansurus.

2. Non tamen in occasu Molismensi eadem æquè sors omnes inuoluit. Pars incrementis domus decrescens iugiter, & quò grauior his bonis, eò depressior; à supernis paulatim declinabat: pars verò sanior, Robertóque adhærens, de terrenis, necessaria præcisè sumens; reliqua spernens, seu pauperibus distribuens, quò expeditior à curis temporalibus, eò feruentiùs cælestia suspirabat. Vt idem saxum pedibus subiectum sustentat, leuátque, capiti impositum deprimit, & frangit: sic diuitiæ. Quas ideo Auctor naturæ, terræ condidit, quò calcandas hominibus subiiceret; ipsis si sapiant, subleuandis, profuturas. Robertus Pater cùm nullis omnino precibus, nullis increpationibus proficeret, nec vnam ouem, sed non modicam partem totius gregis perditam cerneret: atque, vt ipsius Othonis [d] verbis vtar, *quod disciplina regularis obseruatione postpositâ, vnusquisque post prauitatem cordis sui ambularet*, ne dum aliorum lucria frustrà satagit, animæ suæ detrimentum pateretur: vt olim Tornodorenses deseruerat, Molismenses deserere statuit, Alberico Priori corrigendos. Ipse Monasterium Aurum vicinum adiens, & primò Monachus, inde Abbas effectus, profuit, & præfuit doctrina, exemplóque, quæ erat in vtroque illi efficacia.

[d] Apud Sur. vbi suprà.

3. Ast Albericus commissæ sibi domui, seu veriùs à Roberto dimissæ, supponens humeros, primum Stephanum in partem curæ assumit, mox reparandæ collapsæ disciplinæ instare sedulus, attendere sollicitus; discolos fratres delinire blanditiis, suadere rationibus, corripere verbis, vrgere suppliciis; & nullis prorsus laboribus parcebat, nullis periculis, quominùs perditum gregem lucraretur. Nec destitit quoad vsque rebelles Monachi in Sanctum virum acriter sæuientes (horrendum dictu!) discipuli magistrum, filij patrem, subditi Præfectum; & denique innocentem flagitiosi carceri mancipatum (inuerso ordine) diris etiam verberibus afficerent, id, seu Molismum nequidquam reformanti, seu deformem deserere volenti, illatum sit, non possumus reuocare ad aliud tempus. Nec enim sub Abbate Roberto credi potest, tantum facinus Monachos ausuros; sed nec ipsum reuocare post potuissent, & vix debuissent, sub quo talia impunè illis licerent. Errat igitur Brito Lusitanus, (nec pudendus auctor si tantum fide polleret, ac stylo præstat;) dum tempus mutat; grauius [e] dum personas. Aureolas has Alberico Patri detrahat, vt eisdem Stephanum coronet; & quod miseris sermone facto, aut ficto, quo Robertus præuaricatoris dicitur increpasse sub tali Themate [f]. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Ego in Exordio paruo Cisterciensi, à primis nostris Patribus conscripto, qui rem ipsam hauserunt propriis oculis, non de Stephano, sed de Alberico scriptum legos. *Qui pro eo negotio* (nempe reformationis Molismensium) *multa opprobria, carcerem, & verbera perpessus fuerat.*

[e] Lib. 5. c. 3.
[f] Ierem. 51.
[g] Paru. c. 10.

4. Sic etiam, si, quod Ado testatur, verum est, Albericum, Stephanúmque cum duobus aliis (Odonem, Ioannémque Peña [h] coniectat) ad eremum, cui, Vnicus, nomen, antequam ad Cistercium, transiisse; crediderim ad hoc tempus referendum. Quo nimirum absente Roberto Patre, effectum est, vt è Molismo, sine alicuius alterius licentia egredi, & possent, & vellent, fortè etiam & penè cogerentur, acceptis plagis: nunquam aliàs, vel à patre, etiam obtentâ, vel non petitâ, à loco discessuri. Ado carcere, & verberibus suppressis, imò & durato in malum ex dentium corde (suis id Molismensibus indultum) arctioris, & solitariæ vitæ desiderio discessum docet [i]. *Erant autem* (ait) *inter illos quatuor viri fortiores, Albericus, & Stephanus, atque alij duo, qui post cœnobiticæ exercitationis rudimenta, ad singulare eremi certamen suspirabant. Egressi ergo de cœnobio Molismensi venerunt ad quemdam locum, cui, Vnicus, nomen est, quem cùm aliquanto tempore incoluissent,* &c. Sic Ado, dum pudori suorum parcit, veram discessionis Sanctorum causam reticet; quam tamen forsan potuit ignorare, faciliori iniuriarum obliuione irrogantes, quàm passos occupante, quod satis frequens. Et Ado non eodem sæculo scripsit, vt ex opere constat, sed sequenti: Exordium paruum si non ab ipsis sanctis [k], vt putauit Ignatius Firmientis, saltem a sociis eorum scriptum est, quod suo loco pleniùs ostendemus [l].

[h] M S. cap. 2.
[i] Apud Sur. April. 19.
[k] In not. ad ips.
[l] Ann. 1110. cap. 2.

5. Roberto Patre ad Aurum commorãte, ac Alberico, Stephanóque ad Vnicum, Molismenses orbitatis suæ tædere cœpit, & siue reparandis corruptis moribus, quos sæpe etiam fastidire solent, qui corruperunt, seu veriùs reuocandis eleemosinis, quibus se fortè destitutos dolebant grauiùs; placuit sanctissimos Patres reuocare, quorum discessu vtrumque perdidissent. Romanus Pontifex secundò interpellatus, Robertum primò, mox Albericum, Stephanúmque Lingonensis Præsul, ad Molismum redire compulère: deformato cœnobio vterque condolens, quod dudum celebre satis, floréntque, tunc ferè iam despectui esse cœperat: Et facilis dispersorum reductio, nihil prorsus eisdem reluctantibus, quibus propriæ plantationis cultura, etiam semel frustratis, in corde erat. Remanserant & apud Molismum viri Sancti, qui spem fructus in maius promouerent. Quin & corporum, locorúmque diuisio inuisa cunctis, præcisæ aliàs obedientiæ gratiam addidit: quippe ad vnionem per ipsam reducenda; si profecissent Molismi permansuris, sin minus electuris locum aptum, in quem pariter omnes conuenirent; & qui remanserant, & vtrique qui recesserant.

6. Cunctis ergo Molismo restitutis, atque vno rursus ea omnibus, sub Roberto pastore, ouili facto; instaurandæ disciplinæ feruentius institutum; & quibusdam quidem omnimodis adnitentibus,

tibus, quibusdam verò recenti lapsu territis, nec resistere ausis; pellendis vitiis facilior via fuit. Multa in melius mutata visebantur, etiam in his, quibus peccandi consuetudo fecerat impatientiam corrigendi. Et asperiora per dispensationem indulta antiquis moribus: pleraque regulæ ad vnguem seruabantur. Satis supérque actum iudicaret, qui res præsentes præteritis conferret. Sed sanctis viris infimum videbatur, quidquid non summum: & minus afficiebat emensum iter, quàm quod restabat, angebat non progredientes. Veri obedientes, nec præceptis vrgentur, nec dispensationibus retardantur. Voluntatem Præcepturis, vtcumque cognitam, sicut ante præceptum sic post indulgentiam exequuntur. Nec mirum si inobedientiam esse censeant, cuius contrarium obedientiam perfectam putant. Stephanus in hac cura præcipuus indulgentias, præuaricationem; dispensationes piacula appellabat. Is Alberico, & quibusdam aliis primò, inde Roberto patri, relegandarum dispensationum auctor extitit; si fieri posset, Molismi permanentibus, sin minus quocumque aliò migraturis?

7. Rumorem sparsum, peruenientémque ad aures Roberti, verbis Exordij præstat, describamus [m]. *Primitus ergo priuatim sapiùs, inter se colloquentes, transgressionem conquerebantur. Et quonammodo huius tanti mali remedium inuenire possent, sollicitè tractabant. Cùm verò verbum istud effusum esset in publicum, cæteri, qui carnales erant, nec poterant dicere cum Propheta* [n], *quia ab excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, seruos Dei deridere, modisque omnibus, quibus poterant, vt à sancto proposito cessarent, instare cœperunt. At illi qui Spiritu Dei agebantur, & propterea liberi erant, non curantes eorum maleuolas insectationes, tota mentis nixu ad Deum conuersi, precibus instantissimè postulabant, vt Demum pietas eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota laborum suorum, quæ secundùm Regulam firmauerant, sed non seruauerant, reddere possent. Deinde considerantes, quod* [o] *Apostolus monet, non omni spiritui esse credendum* [p], *& quòd regula, quam modis omnibus seruare cupiebant, præcepit, eum corripi debere, qui sine permissione Abbatis quidpiam facere præsumpserit, Abbatem suum humiliter adeunt, & de transgressione querimoniam proponunt; voti sui feruentissimum desiderium pandunt, & vt eius consilio pariter, & auxilio, quod spiritu inspirante conceperant, perficere possent, suppliciter precantur. Nutu verò Dei ad horam compunctus Abbas ille, propositum seruorum Dei laudat; & non solùm consilium, auxiliúmque se præbiturum, verùm etiam se ipsum indiuiduum comitem eorum tam sancto proposito futurũ, firmissimè pollicetur. Quo audito humiles spiritu fratres illi magnificè corroborati sunt: tunc primum intelligentes, quod verè à Domino egressus est sermo, nec somnia cordis sui tali desiderio sequuti sunt, sed dexterã Dei vincti.* Ita in Exordio.

Porrò totius huius rumoris, commotionisque Stephanum extitisse auctorem inferiùs tradit. 8.
Postmodum verò cùm verbum innouandæ Religionis in eadem domo (Molismo) *motum fuisset, ipse Stephanus primus inter primos feruentissimo studio laborauit, ac modis omnibus institit, vt locus, & Ordo Cisterciensis institueretur, cuius postmodum ordinante Deo pastor, & doctor erat instituendus.* Hucusque Exordium. Paulò aliter hæc ipsa recens Auctor [q]; sed qui Exordium non vidit; vnde neque attendendus sicut in aliis. Hinc factum est, vt Stephanus à multis viris doctis Ordinis Cisterciensis auctor prædicetur. Quia nimirum inter primos primus fuit, qui ad sanctum opus, motus ipse à Deo, cæteros mouit. Nisi mauis referre ad Præfecturam. Quod eius tempore prolificum Cistercium, atque ad alia cœnobia propagatum, quod anteà monasterium simplex fuerat, tunc primum iunctis aliis Ordo fuit. Quin & chartam charitatis ipse condidit, quæ primæ Constitutiones Cistercij concernunt Ordinem.

9. Ego in Cisterciensis Orbis noua fabrica Trinitatem Cistercij æquandam censeo, nisi quòd singulis singula etiam quadrent, præ aliis proprietate quadam attribuenda Roberto Patri creatio prima conuenit, quippe primo factori totius Ordinis: Filio Alberico passio pro Cistercio, verbera etiam, & carcerem perpesso. Et tandem Stephano vtriusque donato spiritu, vltra excellentem, per quam impulit omnes, charitatem, mira fœcunditas, qua aquas populorum, & gentium fouens, ac volatilia cæli (Sanctos) ex aquis faciens, atque è Cistercio emittens, velut è nido, ordinem in immẽsum propagauit. Sed hæc aliàs: Nos ad historiæ seriem reuertamur, quæ quia Cistercium mundo iam producit, hinc suis annis veniet distinguenda.

[m] Exord. Mag. lib. 1. cap. 10.
[n] Thren. c. 1.
[o] 1. Ioan. 4.
[p] in Reg. c. 31.
[q] Benedict. Gono in vit. S. Steph.

IESV CHRISTI ANN. 1098.	CISTERCII ANN. 1.

1. Robertus, & Socij secessuri Cistercium, Legatum adeunt. 2. Is plures operiri iubet, vir planè sanctus. 3. Crescit numerus perfectionem ardentium supra viginti. 4. Legati concessio; 5. & corollaria deducta ex concessione. 6. Stephanus ad Burgundiæ Ducem missus cum literis Roberti: 7. Responsio Ducis, 8. & iudicium de his epistolis.

CAP. I.

ANNVS erat humanæ salutis millesimus, nonagesimus octauus, Vrbano huius nominis secundo præsidente Ecclesiæ, Henrico III. Imperium gubernante; cùm è Molismo septem viri in primis sancti, Robertus, Albericus, Odo, Ioannes, Stephanus, Lætaldus, Petrúsque accensi animis, & flagrantes ad omne bonum, quò firmiora, solidiorâque conceptæ vitæ fundamenta iacerent; adiere Lugdunum, atque Hugoni illius Ecclesiæ Præsuli, & Apostolicæ sedis tunc Legato exponunt supplices, ne Molismi degentes post varios casus collapsam instaurasse disciplinam, & penè abolitam obseruantiam sanctæ regulæ moribus fratrum, vtcumque retulisse: nec superesse quid vltra faciendum, quibus in peccandi licentiam semel lapsis, non peccare pro virtute eximia erat. Tum ad maiora vocatos detineri; si cæteris præcurrant, singulares, si coambulent desides futuros. Mediocritati Molismi relinqui multos, quibus cæteri possent commendari: sibi maiora certamina deberi; non vt melioribus, sed magis contumacibus;

macibus; adeóque coërcendis duriori frœno. Denique propositi sui esse, locum quærere seruandæ regulæ per omnia accommodatum, sine vlla dispensatione, aut indulgentia. Orare tantùm, vt sancto, & pio operi Apostolicæ auctoritatis robur adiiciat, & sui luminis impendat fulcimentum.

2. His & similibus Legatum deprecantes facilem sibi, & propitium inuenerunt. Non tamen illicò ad effectum perducta res: redire iussit exploraturos aliorum animos, si plures quoquomodo sese illis adiungerent. Rem magni ponderis non leuiter tractandam, nec paucorum feruori, sine etiam consilio relinquendam; & quamuis septem, paucos adhuc fore, nec fortè pares grauitati tanti operis. Se, si res ad statum perueniat, affuturum consilio, auxilióve: nec Apostolicæ auctoritatis, quod petunt, robur, cùm primùm ipsi rescribant, negaturum. Huius Hugonis prudentiam, & virtutem plures [a] Auctores commendant illius temporis. Quin & Petrus [b] Mauritius venerabilis miraculum insigne narrat ab eo factum, igne violento, & vicina quæque vastante, repente ad eius imperium extincto: quod animaduersum velim meo Lectori, vt vel ex concedentis sanctitate, comprobata miraculis, pondus etiam accrescat concessioni quam mox subiungam.

3. Tali responso Robertus, & socij læti rediêre Molismum, & iam de arctiori vita minùs trepidè mouere colloquia, excitare sermones, accendere animos, veterum Patrum exempla, legésque nunc proponere, nunc sibi ipsis conferre; se præuaricationis incusare, remissionis arguere; similes votis, obseruantia votorum prorsus dissimiles, nec filios inueniri, nisi degeneres. Hæc ingerebant cæterorum auribus, hæc mentibus. Quoad vsque perfectionem ardentes plures, (quippe quatuordecim) se illis adiunxerunt. In his Ignatius, Ildebodúsque qui postmodum ab Alberico Patre Romam missus. Quin & Raynaldus, si Benedicto Peñæ credimus, quod tamen vnde hauserit, non scribit. Certè, quem ipse innuere videtur, Magnus Raynardus, successurus Cistercij Beato Stephano, longè posterior, quippe Bernardi filius, vt pòst dicemus, quod non potuisset, si esset ex horum numero. Vtcumque fuerit cum creuissent supra viginti, ad Legatum de omnibus scribentes, tale ab eo responsum susceperunt.

4. *Hugo[c] Lugdunensis Episcopus, & Apostolicæ sedis Legatus, Roberto Molismensi Abbati, & fratribus cum eo, secundùm regulam sancti Benedicti, Deo seruire cupientibus.*

Notum sit omnibus de sanctæ matris Ecclesiæ profectu gaudentibus, vos & quosdam filios vestros Molismensis cœnobij fratres, Lugduni in nostra præsentia adstitisse; ac regulæ beatissimi Benedicti, quam illuc vsque tepidè, ac negligenter in eodem monasterio tenueratis, arctiùs deinceps, ac perfectiùs inhærere velle professos fuisse. Quod quia in loco prædicto pluribus impedientibus causis constat adimpleri non posse; nos vtriusque partis saluti, videlicet inde recedentium, ac illuc commorantium, prouidentes, in locum alium, quem vobis diuina largitas designauerit, declinare; ibique salubriùs, ac quietiùs, Domino famulari, vtile duximus fore. Vobis ergo tunc præsentibus Roberto Abbati, fratribus quoque, Alberico, Odoni, Ioanni, Stephano, Letaldo, & Petro; sed & omnibus, quos regulariter, & communi consilio vobis sociare decreueritis, hoc sanctum propositum seruare, ex tunc consuluimus, & vt in hoc perseueretis, præcipimus, & auctoritate Apostolicâ per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus.

Hucvsque Legatus. Quibus videas primò Al- 5.
bericum, Stephanúmque cum Odone, & Ioanne, (si fortè alij socij de quibus suprà) ex loco Vnico rediisse Molismum, antequā ad Cistercium transmigrarent; quare & Legatus Molismensis cœnobij fratres æquè omnes appellat. *Vos & quosdam filios vestros, Molismensis cœnobij fratres.* Videas secundò eosdem sanctos viros non ante Robertum, sed simul, & sub ipso procurasse discessum, *vobis ergo tunc præsentibus Roberto Abbati, & fratribus Alberico, Odoni, Ioanni, Stephano*, &c. quæ dum perperam Ado negare nititur [d], dum ex Vnico pulsos per Episcopum, aduenisse Cistercium: & post se eis Robertum adiunxisse, sine vllo veritatis fundamento, testatur, vt quædam alia. Videas tertiò Cisterciēsem sacrum Ordinem Apostolica auctoritate præuentum, munitúmque, etiam antequam foret: neque incepisse statim confirmandum, vt solent alij: sed confirmatum statim incepisse. Sponsus Virginis Robertus natus est. Quid si ex tali coniugio futura proles, non sine priuilegio nasceretur? Videas quartò quod supra etiam notauimus, literas has, non Lugduni existentibus datas, sed reducibus ad Molismum transmissas; non clam, sed publicè; atque vt sic dicam, auctoritatiuè, inde discessuris: id enim expresse notant verba illa, *vobis ergo tunc præsentibus*, &c. & item illa *& tunc consuluimus*, &c. vt magis mireris sparsum in vulgus olim apud Germanos *sanctos Patres Cistercij fundatores.* (Exordij [e] Magni verba sunt) *cum scandalo, inobedientiáque de Molismensi cœnobio discessisse.* Sed longo satis locorum interuallo, nec breui temporum; nempe centum annis elapsis à Cistercio condito; veritas fortè obscurari ad tempus potuit, at non eludi.

Stephanum à Roberto Patre missum ante di- 6.
scessum, ad Odonem, tunc Burgundiæ Ducem, cum literis supplicibus, testatur Brito: etiam ipsis in lucem editis ex quodam Alcobaciensi. M. S. quas non æquum silentio præterire, sed nec tutum pro eis fideiubere: Epistolæ Roberti ad Ducem ecce exemplar [f].

Illustrissimo Duci Odoni, Robertus Abbas Molismensis Ecclesiæ, & qui cum eo Domino obsequium concupiscunt, salutem, & fœlicitatem.

Pietatem, & gratiam donatam vobis à Domino agnoscentes, nolumus absque beneplacito Celsitudinis vestræ aliquid innouare, quamuis antiquum sit, & non nouum in virtutis apprehensionem currere. Quapropter noueritis de aliquorum sociorum nostrorum consensu, quibus data est gratia agnoscendi seipsos iuxta sanctissimæ regulæ præcepta, in vera paupertate, & conscientiæ sinceritate viuere statuisse. Et quia reliquos in eamdem sententiā adducere non potuimus, & eosdē & eorum regimen dimittere, & cum his, qui vestigia nostra, imò potiùs sancti Patris Benedicti sequi voluerint, ad Eremū migrare decreuimus. Quia verò vestrum in nos animum sæpissimè experti sumus, & nunc contra insurgentes procellas experiri oportet: de omnibus vos certiores facimus, orantes Dominum, & Patrem gratiarum, quòd Vos, & domum vestram incolumes conseruet, amen. Hæc Robertus; quibus Illustrissimus Dux, re totâ prius cum Stephano collatâ, laudatáque, tale dicitur responsum reddidisse [g].

Odo Burgundiæ Dux, &c. *Venerabili Patri Ro-* 7.
berto Abbati Molismensi, & reliquis, qui cum eo vnum sunt in Domino, pax æterna in æterno Deo.

[a] Yuo Carnotensis Episc. in Epist.
[b] Lib. 1. miracul. c. 2.
[c] Exord. Mag. l. 1. cap. 11.
[d] Apud Sarium.
[e] L. 1. c. 10.
[f] Brito. l. 1. cap. 3.
[g] Brito. l. 1. cap. 4.

Allatæ sunt nobis literæ sinceritatis vestræ per manus modestissimi viri Stephani socij vestri, quibus visis & intentionem approbamus, & opus. Facite quod Spiritus iubet, ego non deero vobis; sed ab Episcopis Prouincialibus, & si oportuerit à Romana Sede, quidquid volueritis, impetrabo. Locum solitudinis vestræ eligite, & pro me assiduè Dominum orate. Vestram sinceritatem Dominus conseruet, & puram intentionem augeat. Hucusque Dux Odo.

3. Ego verò epistolas has suspicioni, vt verum fatear, obnoxias censeo, non quòd Robertum, Stephanúmque patres non credam potuisse per se adire Odonem: certos auxilij obtinendi à pio Principe: sed quod in primo Exordio Cisterciensi, ab ipsis sanctorum Patrum sociis, literis mandato, nullam illarum, aut missionis istiusmentionem videam. Rursus, quòd Odo non vt viris antea notis, & aliàs sæpè suam pietatem expertis fauisse dicitur: sed tamquam recèns sibi commendatis ab Apostolicæ sedis Legato, nec minùs ex feruore religionis, quàm Cistercij degentes præferebant [i]. *Tunc* (inquit Exordium) *Dominus Odo Dux Burgundiæ sancto feruore eorum delectatus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ præscripti Legati literis rogatus, monasterium eorum consummauit*, &c. Quod clariùs adhuc expressit Exordium Magnum sub his verbis [k]. *Cæterum Dominus Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus, cuius benedictione, & præcepto, & auctoritate tantum bonum stabile fundamentum acceperat: considerans paupertatem Seruorum Dei, & quia in loco sterili, quem occupauerant, prorsus nec sustinere, nec ædificare possent ædificia, nisi persona alicuius potentis adminiculo fulcirentur, scripsit ad illustrem Principem Odonem, tunc Burgundiæ Ducem, petens, & suadens, quatenus pauperes istos, zelum gloriæ Christi, & monastici Ordinis habentes, foueret, & manuteneret, eorúmque necessitatibus secundùm magnificentiam Principatus sui subueniret.* His Exordij verbis, quibus, ante omnia, nobis standum; satis difficilè Epistolæ concordant. Nec enim sine alicuius potentis adminiculo: quibus potentissimus Odo Burgundiæ Dux, penè totius negotij auctor, fautórque, *Facite quod Spiritus iubet, ego non deero vobis*, &c. Sed neceguissent ad ipsum aliorum precibus; eorum maximè; apud quos se interuentorem ipse obtulerat. *Sed ab Episcopis Prouincialibus, & si oportuerit à Romana Sede, quidquid volueritis, impetrabo*, &c. Denique si indiguit, minus credam efficacem, & pium intercessorem, nihil de fauoribus sanctis viris ab ipso olim exhibitis, nihil de pollicitis prorsus memorasse. Adeóne omnes æquè obliuio tenuit, vt ne ipsi quidem accepturi beneficium, promissum in memoriam reuocarent?

i Exord. paru. c. 3.

k lib. 1. c. 13.

His & similibus suspectæ fiunt epistolæ, sed suspectæ tantùm, nec iis solis indiciis dirimenda: præcipuè à nobis quibus in toto hoc opere propositum, quoties non suppetunt veræ probationes, integram causam Lectori reseruare.

1. Oratio Roberti recedentis à Molismo; 2. Remanentium affectus varij: electio Successoris. 3. Cistercij locus diuinitus monstratus, eiusdem etymon. 4. descriptio, 5. donatio, 6. & nomen cœnobio inditum. 7. Fluuioli circum labentis mira natura, 8. mutata in melius; 9. constructa Domus, 10. & Ecclesiæ Dedicatio.

CAP. II.

1. VTCVMQVE ergo, quod ad Othonem (siue Odonem) attinet, acciderit, sancti Patres, cùm primò se Apostolico præsidio conspexère munitos, discessum suum quantotius maturarunt. Errant, qui in crastinum salutem suam protrahunt, cùm vel hodiernum, nisi in lubrico, non habeant: nec multùm absunt à duritia [a] Pharaonis, quorum plagis oblata medicina, si non respuitur, saltem prorogatur. Cunctis dispositis Robertus conuentum vocat, Apostolici Legati mandatum pandit, & se Molismum deserere testatur prorsus inuitum; nec deserturum, si idem ipsi saperent, si non moribus, obseruantiáque diuisos, locis etiam sentiret diuidendos. Sed iam quid vltrà sperandum sibi foret? Videre se, dum promiscuè omnes inhabitant, obesse paucorum feruori licentiam plurium, & malè credi tolerantia vinci posse, quibus tot alij ignauiter succumbunt, vel solo metu. Sic & publicos etiam plurium mores, priuata pauciorum austeritate turbari, ac omnium in se oculos vitæ singularitate conuertere, fortè, & animos. Vtinam omnes perfectiora sectarentur, quod semper optauerat: vtinam saltem mediis, permissísque vnanimes incumberent: Ducturum se per plana sequentem gregem, ne si per ardua, in præceps ruiturum. Nunc dum pars strictissima quæcunque complectitur, pars permissa regulæ, (si tamen permissa) laxamenta vagatur; distractum corpus consultiùs diuidendum. Retenturos Molismum, qui vincunt numero, & si causâ vincantur; reliquos gratis cessuros, & discessuros. Se vt vtrisque adhærere, si posset, vellet; ita nequaquam eos deserturum, qui solùm ad ea tendunt, quæ ipsos docuit. Remanentes ab obedientia sua liberos fore, atque vtinam talem pastorem sibi eligant, cuius doctrinis, exemplisque informati, aut frustra ipsi discessisse iudicentur, aut ad frugem arctioris vitæ, illis ducentibus, (quod ex tunc nomine omnium promittebat) quantocius, Deo inspirante, reuertantur.

a Exod c. 8.

Obstupuêre ad verba viri Dei etiam remissiores; & quod fortè exequendum antè optauerant, exequutum penè omnes turbauit. Tum verò quidam incusare discedentes, leuitatem arguere, nouitatem causari: multi timere de perseuerantia, & iam tunc celerem præstolari regressum: plures de nouitate complacere, & maiori licentia viuendi sub nouo Præsule; siue Stephano, siue Alberico, siue sociis. Pauci tandem rem altiùs attendentes, tanti Patris iacturam, tot Sanctorum absentiam deplorabant. Et accinxissent se forsan nouo operi, si non torpori, & segniciei malè assueti, ac solius arctioris vitæ voce territi, timori priùs, quàm labori succubuissent. Lacrymis tamen (nam id solùm restabat) abeuntes prosequuti sunt; nec eos vacuos abire permiserunt. Vtensilia ad officinas Monasterij, maximè quæ ad diuinum cultum conducere videbantur, officiosè, & amanter ministrarunt, & quæ pro itineris vsu esse cognouerant. Tunc elegerunt sibi Ganfredum, virum vtique moribus compositum, sacris etiam imbutum disciplinis; & qui partes Abbatis impleret 2.

pletet nuu incongruè, si tales facere alios potens esset, qualem seipsum. Zelua illi iustitiæ inter præcipuos: zeli executio, aut omnino nulla, aut parua; nec quæ sufficeret subditos compescere, adeóque ad eos regendos minus aptus. Sed de his, suo loco erit dicendum. Numerum egressorum à Molismo Exordium notat, atque vnum, & viginti fuisse tradit. *Inter eos* (ait [b]) *qui Legato Lugduni loquuti fuerant, & illos, qui de cœnobio vocati sunt, viginti, & vnus Monachi erant: talique stipati Comitatu, ad eremum, quæ Cistercium dicebatur, alacriter tetenderunt.* Hæc in Exordio. Cæsarius immediatè sequentis sæculi Author, in his non numerati Robertum innuit, & duos, & viginti fuisse; qui discesserunt: sic enim ait [c]. *Habito itaque inter se communi consilio, viginti, & vnus Monachi, vnà cum Patre suo Roberto, vnanimi consensu, eodem spiritu, venerunt in locum horroris, & vastæ solitudinis*, &c. Potuit Exordium numerare Monachos solos, quos Robertus ducebat. Potuit Cæsarius exprimere Robertum, honoris causa, quamuis iam numeratum, id est contentum in illo priori numero. Certè in Homiliis post Epiphaniam, Cistercium vineæ comparans, intra quam omnes deberent contineri, viginti, & vnam vitem, nec plures, memorat [d]. *Ordo* (inquit) *Cisterciensis in egressu suo de Molismo vinea parua erat, viginti, & vnam habens vites. Tot enim Monachi de eodem loco sunt translati.*

3. Cistercij locum diuinitus ostensum Roberto, & sociis in noui Monasterij nouam fabricam, conueniunt omnes Auctores illius temporis: Dubium an in Molismo adhuc manentibus, an post discessum quærentibus mansionem? Primum illud in Exordio magno legimus [e]. *De Molismo* (inquit) *egressi ad locum quem proposito suo congruum iam antè per gratiam Dei præuiderant, id est eremum, quæ Cistercium dicebatur, alacriter tetenderunt.* Posterius tradunt non infimæ notæ Auctores, Angli vterque, Matthæus [f] Paris, & Vvestins. Hi itinerantes stetisse aiunt in loco, qui inde Cistercius dictus est, nempè à voce cælitus audita. CIZSTAVVS quod vernacula lingua sonat *hic state.* Ego vt diuinum responsum, sub his, aut aliis verbis certum credo, ita ætymologiæ huic minùs fido: quippè qui apud Auctores [g] Burgundos (quibus præ Anglia de rebus Burgundiæ fides) scriptum lego, Cistercium loco nomen à multo tempore, siue à Cisternis, quibus abundabat, siue à iuncorum palustrium densitate, quos Gallicè *Cistels* dici, præseferunt. Multò autem minus tolerabile, quod scribit [h] Rusca sine auctore, siue fundamento, saltem firmo: Cistercium, quasi sanctum tertiò, siue (quod idem est) ter sanctum dictum, nempe à summa sanctitate loci, & domus. Potuisset, & à tribus sanctis fundatoribus, atque id genus alia diuinare. Sanè Cistercium dictum à multo tempore, irrefragabili veritatis testimonio habemus compertum, nempe donatione ipsa Monachis facta, de qua mox dicam.

4. Locum horroris, & vastæ solitudinis, vepribus, & spinetis densum, ac à solis feris tunc inhabitatum describit [i] Exordium paruum sub his verbis. *Ad eremum, quæ Cistercium dictum alacriter tetenderunt, qui locus in Episcopatu Cabilonensi situs, & præ nemoris, spinarúmque tunc temporis opacitate accessui hominum insolitus à solis feris inhabitabatur.* Latiùs tamen patebat Cistercium, quàm nemus

[b] cap. 2.
[c] lib. 1. Dialog cap. 1.
[d] Serm. 8.
[e] lib. 1. c. 13.
[f] Ad ann. Christi 1127. & 1078.
[g] Guiller. Parad. de antiq. stat. Burg. & alij.
[h] In proœmio vita S. Lutgardis.
[i] cap. 4.

illud. Continebat Ecclesiolam quamdam vicinam nemori: continebat & agricolarum coloniam longè dissitam, cum terris, pascuísque culturæ expositis: Quæ omnia ad Vice-Comites Belnenses (Reynardum, Hodiernámque appellant memoriæ) hæreditario iure pertinebant. Vnde etiam [k] Guillermus Paradinus Burgundius auctor, Cistercium in agro Belnensi fundatum tradit. *Hic* (inquit, & loquitur de Othone Burgundiæ Duce) *Cistercij cœnobium in agro Belnensi, loco vliginoso, quod à Cisternis sortitum nomen credunt, erexit.* Nemus, & solitudo electa sunt, ac à Deo ipsa concessa à Vice-Comite. *Quippe*, (vt Exordij [l] magni verbis vtar) *tantò illa Religioni, quam mente conceperant aptiora, quantò hominibus despicabiliora, ac inaccessibiliora esse iudicarunt.* Domini loci consensum obtinuisse, testatur vtrumque Exordium expressis verbis [m], *Voluntate* (inquiunt) *Cabilonensis Episcopi, & consensu illius, cuius ipse locus erat, Monasterium construere cœperunt.* Sed & ipsam antiquam concessionem, aut illius memoriam æquè antiquam, ex archiuis Cistercij fideliter trasumptam, adducit Henriquez [n] cuius hæc verba Historiæ lucem dabunt.

5. *Notum sit omnibus Christianis præsentibus, ac futuris, quod Raynaldus Belnensis Vicecomes, & vxor eius Hodierna nomine, & eorum filij Hugo, Humbertus, Raynardus, eorúmque socer Raymundus pro suorum peccatorum remissione, antecessorúmque suorum, Domino Roberto, & fratribus, qui cum eo regulam sancti Benedicti arctius, ac perfectiùs, quàm illuc vsque tenuerant, obseruare cupiebant, contulerunt de prædio suo, quod antiquitus Cistercium vocabatur, quantumcumque ipsis, & eorum successoribus Dei famulis ad Monasterium, & Monasterij officinas construendas, ad arandum quoque, imò ad omnem vsum necessarium fuerit*, &c. Hæc in memoria antiqua donationis, quam etsi post aliquot annos scriptam, vel ex verbis eiusdem possit colligi, quippe quæ rem non de præsenti narrat, sed de præterito: quin & quædam subiungit posteriora, quæ nos commodiùs suis locis adducemus.

6. Constat tamen confectam à primis patribus, illis nimirum, qui nomine Cistercij obliterato, nouum Monasterium appellarunt Cistercij domum. Ideò enim de prædio dictum est *quod antiquitus Cistercium vocabatur*, & paucis interiectis de Monasterio. *In cuius honore, locus, qui nouum Monasterium dicitur, consecratus:* Quia nimirum quando hæc scribebantur Cistercij nomen de medio sublatum, nec relatum: in nouum Monasterium iam transierat. Porrò hoc nomen in principio satis frequens, post paucos annos desciuisse, antiquo inualescente, & rediuiuo, ipsius historiæ series declarabit; quod semel adnotasse satis sit, neque nobis vlteriùs repetendum. Atque hæc de donatione hac dicta sufficiant, nunc descriptionem loci prosequamur.

7. Irriguus in fluuiolo satis raro; vt tunc nociuo diffusis per terram aquis, sic nunc collectis lucroso, atque proficuo. Rarum in ipso quòd à fonte fluat, cui profunditas hactenus immensa nomen indiderit receptum inter colonos *Sans fonds* id est sine fundo. Rarius, quòd contra aliorum omnium morem decrescat à pluuia, & vires sumat ab ipsa siccitate. Vt locus ipse nunquam non aquosus, nunquam nó lutulentus inueniretur, fonte & cælo alternis inundantibus; & tunc tantùm fluuiolo composito, cùm nubes erumperent; cùm cessarent, confestim erupturo. Claudium Robertum scriptorem

[k] vbi suprà.
[l] lib. 1. c. 13.
[m] Paru. c. 4. & mag. lib. 1. cap. 13.
[n] in Menolog. Mart. 21.

protem Gallum, nec planè minus pium, quàm eruditum, hæc ipsa, nam hodie etiam perseuerant, disserentem audiamus in sua Gallia [a]. *Irrigatur,* (ait) *cœnobium hoc* (scilicet Cistercium) *fluuiolo, qui ortus è fonte passim dicto* Sans Fonds, *quòd eius fundus nondum potuerit penetrari, in villa de Chouilny-fœnay, leuca vna ab vrbe Diuione distante, currit ab Oriente in Occidentem,* &c. Et post pauca, *Sed quod mirere magis, crescit, intumescítque serena, & sicca anni tempestate ...... decrescit autem, & minuitur pluuiis cælestibus, queis cæteri fluuij gaudent locupletari, sic in magna Carthusia fons eiusdem naturæ, non sine admiratione, visitur.* Hactenus ille dum mira de fluuio narrat vliginis ibidem scaturientis causam assignat: & summæ situs incommoditatis, ob quam tunc temporis, non solùm desertus, sed etiam inuisus.

[a] In catalogo cœnob. Ord. vbi de Cistercio.

8\. At nostris Patribus, quem locum elegerunt, quia despectum, quia hominibus inutilem fortè & quia nociuum sanitati, quò virtus in infirmitate perficeretur, diuina pòst clementia in melius vertit. Collectis namque per industriam aquis, deductísque; vt id obiter etiam adnotemus, idem fluuiolus proficuus multis vsibus, campos irrigat, fruges terit, ligna scindit, & demum per spatia dilatatus, stagna ingentia, non solùm aquis complet, exiguus ipse: sed piscibus, quantitate, & qualitate, multis aliis haud dubiè præferendis. *At noster fluuius* (Prosequitur Robertus) *tria ingentia ordine creat stagna, omni piscium genere, præcipuè Luciorum magnitudine, & bonitate commendatorum referta: nullus aliunde aquis adauctus, suis contentus bonis. In hortis Monasterij amœnissimis pulcherrimam efficit piscinam, ac præterea rotis pluribus versandis, ad molendas fruges, ad ligna secanda, aliósque in vsus, aquas copiosè subministrat.* Sic diuino consilio effectum est, vt vnde loci oriebatur importunitas, inde commoda cuncta prouenirent: & verè diligentibus Deum Patribus nostris omnia in bonum cooperarentur, ea etiam, quæ vt disconuenientia ipsi elegerant. Sed de his aliàs, nunc ad historiæ seriem reuertamur.

9\. Tali loco diuinitus ostenso, obtentóque, largitate Vicecomitis, Robertus, & socij ad opus Dei accincti, primò spineta, juncósque secuerunt, ac locum ipsum à nemore explanarunt; inde tuguriola magis, quàm Monasterium de sectorum arborum malè dolatis lignis fabricarunt. Contiguáne Ecclesiæ vicinæ nemori, an ab ea remota? dubium adhuc. Illam Monachos de manu Vicecomitis, vtpote laici, suscipere renuisse, habemus compertum: sed & ipsum non minus pium, quàm liberalem, liberam remisisse, ac iuri illius omnino renunciasse, ab eis, si vellent, deputandam in proprios vsus; ne, vel ad tempus, defectu loci sacri, minùs decenter diuina pertractarent: atque ecce verba ipsius concessionis. *Et quia eiusdem loci Ecclesiam, quam illuc vsque tenuerat* (Vicecomes) *quæ diuini tantùm iuris est, Abbas, & reliqui Fratres de manu ipsius, quia laicus erat, suscipere minimè duxerunt dignum, dimisit eam, ac ab omnimoda eius vlteriùs possessione renuncians, prædictis Fratribus ad Dei seruitium dereliquit.*

Siue autem Ecclesiam occupauerint, siue aliam de nouo ipsi condiderint, quod verius censeo; ea Beatæ Virgini dicata, sacratáque, quam solam Matrem, quam patronam vnicam sibi, & suis deuotè susceperunt. Singulorum affectibus, an Roberti Patris Sponsalibus id datum, siue (quod certius puto) vtrisque simul. Certè Cistercium à prima fundatione Deiparæ specialiter adscriptum, eius auspiciis, patrocinióque adultum, & natum, expressit Gregorius X. his verbis [o]. *Cisterciensis Ordo diuinis mancipatus obsequiis, & inter religiones cæteras gloriosæ Virgini singularitate deuotionis adscriptus ex institutione primaria,* &c. Iuuit etiam vocatio Molismensis, vnde exierant, quæ eamdem Virginem matrem præsoferebat; ne patrocinium, cui summè confidebant deserere viderentur, simul cum loco. Vnde [p] Cæsarius sequenti sæculo scribens. *Et quia cœnobium de quo exierunt constructum fuerat in honorem Beatæ Dei genitricis Mariæ, tam ipsi, quàm eorum successores de eodem nouo Monasterio propagati, omnes suas Ecclesias in honorem eiusdem gloriosæ Virginis consueuerunt esse dedicandas.* Ita Cæsarius, de lege infrà dicemus. Consonat graue aliud testimonium B. Humberti, Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, dum ita ait [q]. *Ordo iste* (scilicet Cisterciensis) *habet in tanta reuerentia B. Virginem, quòd omnes Ecclesiæ eius sunt consecratæ in eius honorem. Inde ipsi Monachi in Ecclesiis suis, quasi semper sunt ante B. Virginem, & Filium eius.* Sed iam ad alia. 10.

[o] Priuileg. 43. tom. 1.

[p] Lib. 1. Dialog. c. 1.

[q] In sermonibus.

1. Electio Roberti, & professio Monachorum. 2. Dies, & annus. 3. Vtriusque testimonia: 4. Sola regula pro constitutionibus; 5. Vt nihil minus potuerint esse, quàm nouatores. Distributa officia. 6. Gualteri ad Odonem ducem intercessio, 7. Odonis largitas; 8. Ex tunc Cistercium sub patrocinio Ducum Burgundiæ. 9. Petrus Tarantasiensis hoc anno natus. Bernardus Septennis, quo fortè tempore vidit nascentem Christum.

CAP. III.

1\. SVb hac matre, ac institutrice, vt ita dicam, Robertus Pater in Abbatem communi omnium suffragio electus est, ac ab Episcopo Gualtero baculum Pastoralem iuxta illius temporis vsitatum morem accepit; & tandem fratribus, qui cum eo aduenerant, stabilitatem in eodem loco (cui nouum Monasterium à nouitate vitæ inditum nomen) regulariter firmare præcepit, nouâ, & solemni factâ professione, qua non iam regulâ Patris Benedicti, cui anteà etiam voto tenebantur quàm nouum obseruantiæ illius rigorem, omni indulgentia, & dispensatione semota, ac perseuerantiam, stabilitatémque in loco ad hoc destinato spoponderunt. *Abbas* (ait [a] Exordium) *qui aduenerat, ab Episcopo illius loci virgam Pastoralem, cum cura Monachorum suscepit; Fratrésque, qui secum aduenerant, in eodem loco stabilitatem regulariter firmare, iussit,* non inquam regulam, quam iam dudum professi erant; sed stabilitatem in eo loco, in quo sine indulgentia, sine dispensatione obseruaretur. *Sicque Ecclesia illa in Abbatiam canonicè, apostolicâ auctoritate surrexit.* Factáque sunt hæc vigesima prima die mensis Martij sub finem quadragesimæ: quam tamen diem quia plures circunstantiæ decorarunt, ne eadem inutiliter repetamus, verbis [b] Exordij magni describemus.

Eodem itaque anno, quo prædiximus, (nempe millesimo

[a] Par. cap. 5.

[b] Lib. 1. c. 13.

lesimo nonagesimo octauo) duodecimo Kalendas Aprilis, solemni die natalis Sancti Patris Benedicti, quem geminata lætitia tunc celebriorem reddiderat, ob Dominicam palmarum, quæ ipse die etiam occurrebat, lætantibus Angelis, tabescentibus Dæmonibus, Cisterciensis domus, ac per hoc totius Cisterciensis Ordinis religio per viros Sanctos ad Christianam Philosophiam penitus expeditos exordium sumpsit. Prudenti sanè consilio, vt qui canonem diuini sermonis, cunctámque vitæ suæ ordinem, secundùm formam in regula Sancti Patris præscriptam disponere decreuerant; hoc in eius natali potissimùm, qui legem per Spiritum viuificantem, ad multorum salutem dederat, fœlici omine inchoarent. Huc vsque Exordium. Quibus meo iudicio addere posset, non minùs fœlix, faustúmque futuræ victoriæ auspicium ante congressum, ex palmis ipsis Dominicæ incidentis: quatenus Christi pedibus suppositæ, & sanctorum illorum patrum delatæ manibus, non incertam victoriam, non dubium triumphum de communi omnium hoste præsagiebant. 3.

De anno fundationis extant versus celebres satis, & noti Apud auctores.

Anno milleno, centeno, bis minus vno
Sub Patre Roberto cœpit Cistercius Ordo.

De die verò, tabella hodiéque appensa in eodem Cistercij Monasterio, quà aliæ occurrentiæ temporis notantur, nec pigebit ad litteram subscribere.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octauo initium sumpsit hoc cœnobium, quod dicitur Cistercium, & erat ipsa die Luna Paschalis. 12. Kalendas Aprilis, indictio. 5. Epacta 15. concurrens. 4.

4. Hoc Cisterciensis cœnobij initium, hæc auspicia, in quo, vt id etiam obiter tangamus, nullæ tunc constitutiones nouæ editæ: nullæ leges scriptæ, siue inuentæ. Vitæ series ad normam regulæ instituta, nihil omnino detractum, nihil additum, qui solus mutandi loci scopus extitit. Id in Exordio paruo omnino expressum, non pigebit ad litteram transcribere [c]. *Nam viri isti, apud Molismum positi, sæpiùs inter se Dei gratia inspirati, de transgressione regulæ Beati Benedicti Patris Monachorum loquebantur. Contristabantur videntes se, cæterósque monachos hanc Regulam solemni professione seruaturos promisisse, eámque minimè custodisse; & propter hoc Apostolicæ sedis Legati auctoritate, vti prælibauimus, ad hanc solitudinem, vt professionem suam in obseruantia sanctæ regulæ adimplerent, veniebant.* Clarius, & breuius in Exordio magno iterum [d]. *Addunt præterea, se vitam suam secundùm instituta Regulæ sancti Patris sui ordinare velle.*

[c] cap.4.

[d] lib.1.c.11.

5. Sola igitur & nuda regula vsi sunt, qui soli regulæ adhærere satagebant, quare non video, qua occasione moti, non pauci alij illius ætatis Monachi, sanctos Patres nostros, tamquam nouarum rerum inuentores calumniosè taxauerint; quod suo loco inferiùs referemus; cùm non inuentores, sed obseruatores præcisè legum facti, nihil magis repugnauerit eis, quàm innouare, nisi forsan nouitati etiam dandum sit reparare collapsa, & deformata non pro suo libito, sed ad veterem formam reformare. Sed de his aliàs. Officia vt in Molismo distributa, Albericus noui monasterij Prior effectus est; Supprior Stephanus; reliquis, vt quisque viribus pollebat, singularia, & communia iniuncta munera in æquali distributione summè accommoda; siue quod priùs dicam summè æquali. Quantitas virium, laboris meta omnibus fuit: studiorum, quod melius, & perfectius. Veterem tunc incipientis quondam Molismi præcedentem figuram reddebat Cistercium: nisi quòd, sicut olim in Ecclesia, exemplatum exemplari suo longè præcelluit.

6. Interim Hugo Archiepiscopus Legatus sanctimoniam miratus, hominum angelicam in mortali carne (solo dempto labore) ducentium vitam: summo amore, summa reuerentia prosequebatur. Quin ad eorum inopiam subleuandam, præter ea, quæ ipse contulisse credendus est, illustrissimo Burgundiæ Duci, scripsit, suadens, & petens, vt pro sua liberalitate, & magnificentia, seruis Dei procuraret. Quod tamen, quàm larga manu Otho præstiterit, verbis exordij magni referamus [e]. *Cuius,* (id est Hugonis) *petitioni & consilio Dominus Odo Burgundiæ Dux acquiescens fratrum etiam illorum feruore, & deuotione delectatus, Monasterium ligneum, quod ipsi in paupertate sua inceperant, de suis sumptibus totum consummauit; eósque ibidem in omnibus suis necessitatibus diu procurauit; & terris etiam, ac pecoribus subleuauit abundè.* Hæc in Exordio.

[e] lib.1 c.13.

Porrò autem quas terras illis dederit, & qualiter residuum Cisterciensis Alodij, quod Vice-Comes sibi retinuerat, in noui cœnobij dotem comparauerit, sub annua pensione ab ipso persoluenda, prosequitur antiqua illa memoria verbis, quæ non pigebit hîc transcribere [f]. *De residuo quoque ipsius terræ, quod dicto Raynardo placuerat retinere, fecit Odo Dux Burgundiæ ad illius concessionem, & libitum, talem cum eo commutationem, & pactum ad opus eorumdem Monachorum; vt scilicet pro terra illa singulis annis in castro Belnensi solidos viginti susciperet, tam ipse, quàm ipsius post eum heredes. Prætereà in eadem cambiatione concessit ei, ac filijs suis idem Dux quantumtumque vinearum in territorio Belnensi possent plantare, & colere in propria dominatura.* Et prosequitur alias conditiones, quas longum esset in præsenti recensere. Hac Odonis Burgundij largitate tota Cistorciensis terra, Cistercij fuit. 7.

[f] Henriquez vbi sup.

Ab illo die vsque ad tempus hoc, Ducibus Borgundiæ, tamquam Patronis loci, Cistercium subest, à quibus etiam, & stemmata accepit. Parmam bicolorem distinctam transuersis fasciis, in parma maiori inclusam coloris cærulei, quam aurea lilia Gallica sparsa decorant. Hæc Ducum Burgundiæ insignia perantiqua, baculo Pastorali superaddito Cistarcium sibi vsurpauit ab eo tempore. Quæ autem beneficia, donaria, redditus, & qualem fabricam procedente tempore, iidem Duces Cistercio suo contulerint, & qui in eo sepulturæ locum elegerint: imò, vt statim relictis Maiorum suorum monumentis, soli Cistercio continuata serie adhæserint; & alia, quæ ad hoc 8.

facere

facere videntur, propriis temporibus commodiùs referemus.

9. Id vnum nunc pro coronide adnotauerim, quo anno Cisterciensis Ordo incepit, eodem etiam exortum mundo, iubar illius, simul & Tarantasiensis Ecclesiæ futurum, Beatum Petrum; imò & totius Ecclesiæ Dei firmam columnam cuius inferiùs nobis frequens mentio; sequenti tomo etiam frequentissima; obiit enim anno M. CLXXI. cùm ipse septuagesimum tertium ætatis ageret. An autem eodem etiam anno Bernardo puero (septennis enim erat, natus nimirum M. XCI.) Christi natiuitas diuinitus illuxerit iuxta id quod inferiùs referemus, non omnino audeam affirmare [a]. Puerulo visam esse, Guillelmus ait, & fortè præuentus in eo rationis vsus (cælesti illa visione) cui talis ætas solet designari. Quid si nascente Cistercio, Christus Dominus, quasi in illo renasci visus est? Quid si in Petro? Sed hæc incerta tetigisse satis. Nunc ad alia certiora transeamus.

[a] Lib.1.c.2.

IESV CHRISTI ANN. 1099. — CISTERCII ANN. 2.

1. Recens nato Cistercio loca sancta à Christianis recipiuntur. 2. Molismenses discessum Roberti dolent. 3. Concilium Generale Romæ indictum; 4. propositio Molismensium in Concilio. 5. Variæ Patrum sententiæ. 6. Decretum Vrbani, & litera ad Legatum, 7. Concilium Prouinciale per hunc indictum, 8. & tandem in eo causa terminata.

CAP. I.

1. SALVTIS annus millesimus nonagesimus nonus recens natum Cistercium consecrauit fœlici omine. Hierosolymæ ablatæ Sarracenis in dominium fidelium transiêre. Nouis meritis data iure dixeris, quæ solis veteribus culpis constat amissa. Nec fortè congruentius tempus fuit sacratissimis locis restaurandis, quàm id, quo effusi in ipsis sanguinis specialius incepit reuirescere, abundantius, cumulatiúsque multiplicari. Quidni pateret sepulchrum Christi Domini, filiis Crucis, consepultis cum ipso adhuc viuentibus; & Cistercij cum sacris illis locis commercia mutua, vltra militiam Templi donatam regula, plura, nec leuia passim confirmabunt. Nunc ad historiam accedo præsentis anni.

2. Diximus iam de nouo Monasterio, déque vita instituta ad normam regulæ, imò ad normam totius perfectionis. Nihil fortè minus à magnis antiquis Patribus, siue Latinos attendas, siue Ægyptios. Cæterùm Molismi absente Roberto, sociísque, res omnes in deterius quotidie ruere: Monachi ipsi despectui omnibus esse, imò & odio, paupertatem iterum experiri, iterum pati: (& quæ radix malorum omnium fuit) laxioris vitæ licentia dehonestari: & iam tandem intellectum dante flagello, Patris iacturam cuncti deplorabant. Ganfredus successor eius ante alios, imparem se tot malis serò expertus, atque auidus ipsum reuocandi, in cuius humeros sarcinam deponeret. Sed res difficilis nimium visa est, & ad quam vix reduci Robertus posset, & ne vix cogi. Nam qualiter à quæsito diu rigore, semel inuento, voluntarius resiliret? aut si Pontificem adire vellent, vt olim factum; quæ fiducia reuocari iterum posse, quem reuocatum nesciissent retinere?

3. Indixerat tunc Vrbanus Concilium. Romæ hebdomada tertia post Pascha celebrandum, illuc adire vtilius visum fuit, Patrum iuuandi suffragiis, ac precibus. Indictionem huius Cōcilij, quod Fitertiensem (ante editum Baronium) malè torsit, vtpotè inscium, quod, quando, aut vbi fuerit? Bertoldus illius ætatis scriptor refert, sub his verbis [a]. *Hoc anno millesimo nonagesimo nono* (incipit autem annū à natiuitate Domini, quod Baronius in suis Annalibus adnotauit) *Dominus Papa natalē Domini cum magna pace celebrauit.* Et post pauca. *Synodum quoque suam tertia hebdomada, Romæ, item celebrandam post Pascha, missis literis, vsquequaque denunciauit.* Celebrationem autem sic. *Romæ Dominus Papa generalem Synodum, centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium, tertia hebdomada post Pascha collegit: in qua Synodo confirmatis suorum antecessorum statutis, etiam sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcam* (is Antipapa Clemens III. dictus, qui à temporibus Gregorij VII. durauerat.) *Et omnes eius complices iterauit*, &c.

[a] Apud Baron. eod. an.

4. Igitur Molismenses reuocandi Robertum spe concepta, Concilium adeunt; Ipsum sibi restitui impensè postulant. Religionem atque obseruantiam suæ domus, ab eius discessu penitus euersam, séque pro tanti Patris iactura odio apud Principes, odio apud omnes haberi conqueruntur: Ganfredum Abbatem libenter ei cessurum: paratos Monachos complecti disciplinam, & Roberto per omnia obtemperare. Crediderim adiecisse quædam alia, Cisterciensium quieti derogantia: & siue omnes nouæ vitæ iam pertæsos, reditum, si permitterentur, molituros: seu fortè vt nouatores, si non apostatas, etiam nolentes fore compellendos. His enim, aut similibus occurrisse videtur Pōtifex cùm dixit, *vt, & qui Eremum diligunt, conquiescant.* Quod ex literis eius patebit, quas mox subiungam.

5. Dura nimis petitio visa est, & vix admittens prætextum cuiuspiam boni. Quis enim ducem sequacibus auferret, vt desertores haberent, à quo deficerent? Quis semel iam, & iterum abusos præceptis Sancti, tertiò tentaret fortè etiam abusuros? Sed neque recèns plantatam Cistercij vineam, æquum erat, satore defraudari. Nam quid, si nondum adhuc radicata deficiente cultore, etiam deficeret? Quid si aresceret nouum illud germen, tam magnum incrementum futurum Ecclesiæ Dei? Atque hæc quidem sententia Vrbanum traxit, non de facili ab ipsa dimouendum. Cæterùm alij, quæ humanæ prudentiæ conditio est, quæ prouidentiæ in consiliis incertitudo; contrariæ parti magis adhærentes, diuinum pro se verbum allegabant [b]. *Non esse opus valentibus Medico, sed malè habentibus.* Cistercienses valentes, imò & validos, aut nullo prorsus Medico indigere, aut saltem posse à quocumque gubernari: Molismenses ægrotos, infirmósque egere remediis, quæ petentibus

[b] Matth.c.9.

tibus nequeant denegari citra piaculum. Nec desperandam salutem animarum, quæ se infirmas agnoscunt, & quærunt Medicum, nec aspernantur quamcumque medicinam. Molismum primogenitam prolem sancti viri, nequaquam esse secundæ postponendam: nec malè consultum iri vtrique domui, si Cistercij remaneant Albericus, Stephanusque, quibus feruentior zelus esse creditur: Robertus autem Molismo restituatur, prudentia magis, quàm zelo moderando. Et quid si Cistercienses impares oneri, quod supra humanas vires fortè susceperant, pudeat abiicere, nec valeant sustinere? liceat discedere his, qui succubuerint, reliquis, si præualeant, permansuris.

6. In hanc partem abière plures Patres, quibus tandem Vrbanus, renitens licet, cessit, & accessit, non tamen iussit Robertum reuocari; curari tantùm, vt si fieri posset, Molismensibus denuò redderetur. Quod in fauorem nouæ plantationis, Lugdunensi Archiepiscopo, & Legato, eius præcipuo fautori, patronóque, & cuius auctoritate initium sumpserat, exequendum commisit, literis ad ipsum directis in hæc verba.

VRBANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri, & Coepiscopo Hugoni Apostolicæ sedis Vicario, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Molismensium fratrum magnum in Concilio clamorem accepimus, Abbatis sui reditum vehementiùs postulantium. Dicebant enim Religionem in suo loco euersam, séque pro illius Abbatis absentia odio apud Principes, & alios vicinos haberi. Coacti tandem à fratribus nostris dilectioni tuæ per præsentia scripta mandamus, significantes gratum nobis existere, vt, si fieri possit, Abbas ille ab eremo ad Monasterium reducatur. Quod si implere nequiueris, curæ tibi sit, vt & qui eremum diligunt, conquiescant, & qui in Cœnobio sunt, regularibus disciplinis inseruiant.

His Apostolicis litteris obtentis, alacres rediere Molismum, & primò quidem Lingonas ad venerabilem Robertum, tunc illius vrbis Episcopum, ad cuius Diœcesim Molismus pertinebat, profecti sunt, literas ad Legatum accepturi: inde Ganfredus cum aliquibus Monachis Lugdunum, negotium, si fieri posset, peracturus.

7. Legatus qua maturitate pollebat, arduitatem negotij perpendens animo, nec sibi tutus satis conuenire, si solus oneri humeros supponeret: Concilium Prouinciale ad Petram-scissam congregat, (id nomen Archiepiscopalis aulæ apud Lugdunum, si Belforéstio, Munstero, & aliis credimus) nominatim autem Episcopos confines, Eduensem, Cabilonensem, Matisconensem, & Bellicensem, plures Abbates, & alios graues viros, fortè Præpositos prouincialium Ecclesiarum. Affuerunt etiam Ganfredus, & Robertus, cum Monachis vtriusque Monasterij, quos præcipuè negotium concernebat. Coram his primò decretalis Vrbani lecta est; inde epistola Roberti Lingonensis: mox Ganfredus petitionem suam proposuit, cuncta Romæ allegata, iterum replicans: etiam non solum Robertum Molismenses, sed (qui aliquorum hominum mos est, aura fauoris flante, moliri noua, atque ad alia ex aliis gradum facere,) vasa omnia ad seruitium Monasterij, quæ secum tulerat, etiam repetebant.

Res agitata vtrimque prudenter est, & de omnibus consultus Robertus Pater, implicatior negotio, quò expeditior, & libentius ad quodcumque cogendus, quàm electurus. Sed vicit tandem Vrbani, Conciliique insinuata voluntas, quam perfectus obediens, verúsque Ecclesiæ filius præceptum reputans, tandem acquieuit restitui Molismensibus, pactâ tamen hac lege, & conditione, vt aliquos ex suis secum reduceret, qui sibi suum Cistercium, etiam Molismi degenti, repræsentarent, allata omnia Cisterciensibus manerent, Psalterio excepto, quod poterant transcribere: accipi ab obedientia eius ex tunc liberi, non ab amore, nouum sibi eligerent pastorem; diutiùs, ac eo ipso fœliciùs etiam in eorumdem pascuis permansurum. Hæc multis lachrymis dictata per Robertum, totius Synodi suffragio comprobata, vtræque etiam partes rata habuerunt; neutris audentibus Sancto contradicere, illis, vt ostentarent obedientiam, quam promittebant, his ne tunc primùm ab illa deuiarent. Tum Legatus hæc ipsa scripto firmans, confirmánsque, ad Lingonensem Episcopum transmisit, literis datis, quas adducam sequenti capite. 8.

1. Litera Legati de actis in Concilio, 2. executio earumdem litterarum, 3. conuictus Ado; 4. vera causa discessus Roberti Maria Virgo, 5. quæ sola mater Ordinis; 6. discedentis oratio, lacrymæque, 7. tempus peractæ in Cistercio præfecturæ. 8. Impugnatus Fiteriensis semel, 9. & iterum. 10. Eiusdem temporis vera resolutio.

CAPVT II.

1. a Exord. mag. l.1. cap. 16. & parua. 8.

a HVGO *Lugdunensis Ecclesiæ seruus charissimo fratri Lingonensium Episcopo salutem. Quid de negotio Molismensis Ecclesiæ in colloquio apud Petram-scissam nuper habito definierimus, fraternitati tuæ notificare necessarium duximus. Venerunt ante nos illuc cum litteris vestris Molismenses Monachi, loci sui desolationem, ac destructionem, quam per remotionem Roberti Abbatis incurrebant, ostendentes, ipsúmque sibi reddi in Patrem magnopere postulantes. Nullo enim modo aliter sperabant pacem, & quietem Molismensi Ecclesiæ posse restitui, vel monastici Ordinis rigorem in pristinum statum illic reuocari. Affuit etiam ibi in præsentia nostra frater Ganfredus, quem eidem Ecclesiæ in Abbatem ordinauistis, dicens, se libenter ipsi Roberto, veluti Patri suo locum daturum, si nobis placeret, vt eum Molismensi Ecclesiæ remitteremus. Audita igitur vestra, & ipsorum Molismensium petitione, relectis etiam Domini Papæ litteris, super hoc negotio nobis directis, totum dispositioni, & arbitrio nostro committentis, tandem multorum virorum religiosorum, tam Episcoporum, quàm aliorum, qui nobiscum aderant Concilio, precibus vestris, & eorum acquiescentes, Molismensi Ecclesiæ ipsum restituere decreuimus. Ita videlicet, vt priusquam illuc redeat, Cabilonem veniens in manu fratris nostri Cabilonensis Episcopi, cui secundùm consuetudinem cæterorum Abbatum professionem fecit, virgam, & curam Abbatiæ reddat, ac Monachos noui Monasterij, qui ei sicut Abbati suo professionem fecerunt, & obedientiam promiserunt, ab ipsa professione liberos, & absolutos dimittat, ac sic ab ipso Episcopo professionis, quam ei, & Cabilonensi Ecclesiæ fecit, absolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi*

Molismum omnibus illis fratribus noui Monasterij, qui eum sequi voluerint, quando à nouo Monasterio recesserit, soli conuitione, vt de caetero neutri neutros sollicitare, vel recipere praesumant; nisi secundum quod Beatus [b] *Benedictus Monachos noti Monasterij praecipit recipiendos. Postquam autem haec supra scripta feceris, remittimus eum dilectioni vestrae, vt Molismensi Ecclesiae illum in Abbatem restituatis. Ita tamen, vt si deinceps eandem Ecclesiam deseruerit, nullus ei substituatur, viuente praefato Abbate Gaufredo, absque nostro, vestroque, & eiusdem Gaufredi assensu. Quae omnia Apostolica auctoritate rata esse praecipimus. De Capella etiam praedicti Abbatis Roberti, & de caeteris rebus, quas à Molismensi Ecclesia recedens secum tulit, & cum eis Cabilonensi Episcopo, ac nouo Monasterio se reddidit, id statuimus, vt omnia fratribus noui Monasterij salua permaneant, praeter breuiarium quoddam, quod vsque ad festiuitatem sancti Ioannis Baptistae retinebunt, vt transcribant, assensu Molismensium. Huic autem definitioni interfuerunt Episcopi Merigaldus Eduensis, Gualterus Cabilonensis, Berardus Matisconensis, Pontius Bellicensis; & Abbates, Petrus Trenorciensis, Larento Diuionensis, Gauceranus Atanacensis, Petrus quoque Domini Papae Camerarius, multique alij viri honesti, & boni testimonij.*

b in reg. c. 19

2\. Haec de actis Concilij ad Petram-scissam Legatus, sub quo celebratum est, scripta reliquit, quae etiam omnia exequutioni mandata prosequitur vtrumque Exordium [c] in haec verba. *Haec omnia Abbas ille laudauit, & fecit, absoluendo Cistercienses ab obedientia, quam ei in illo, vel in Molismensi loco promiserant. & Dominus Gualterus Cabilonensis Episcopus Abbatem a cura illius Ecclesiae liberum remisit; sicque reuersus est, & quidam Monachi cum eo.* & iterum. *Haec ergo ratione, Apostolicáque dispensatione ista duae Abbatiae in pace, & libertate summa remanserunt*, &c. Confirmat, & ipse Episcopus Gualterus litteris datis ad Robertum Lingonensem, dum ita ait. *Ipse autem* (id est, Abbas Robertus) *Monachos illos, qui in praefato nouo Monasterio remanere decreuerant, ab obedientia, quam sibi promiserant, & professione absoluit, & liberos dimisit.* Sed has litteras infra integras dabimus.

c parv. c. 8. mag. lib. 1. c. 16.

3\. Ex his videas turpiter errasse vitae sancti Roberti auctorem, [d] apud Surium, dum ipsum Sanctum vtrique Coenobio post suum in Molismum reditum, praefuisse testatur; & primò quidem Albericum praefecisse Cistercio, mox Alberico defuncto post biennium, Stephanum ab eodem Roberto esse ordinatum, quasi à Patre, & Praelato eiusdem domus. Sed nec Albericus à Sancto Roberto praefectus est Coenobio, cuius curam iam dimiserat; nec biennium tantùm electioni suae superuixit, quem vltra nonum annum Abbatiam prolatasse perspicuum est: nec tandem Stephanus, qui anno millesimo centesimo nono ordinatus est, à Roberto ordinari potuit in Abbatem, qui anno millesimo centesimo obierat, vt suis locis pleniùs adnotabimus. Mirum tot, ac tantos errores, tam crassósque irrepsisse in auctorem illius temporis: nisi fortè Molismensis scriptor Molismensibus scribens, gratia, quàm fide, elegit praeualere.

d apud Sur. Apri. 29.

4\. Id vnum tantùm, quod ipse non perpendit, omnem admirationem excessisse, videtur omnem humanum captum superasse. Robertum Patrem, qui tantopere eremum concupierat; qui relicto Molismo semel, & iterum ad vitae arctioris cacumen euolauerat: qui priscum rigorem, qui veteres antiquiorum Patrum obseruantias ardentiùs sitiens, Cistercium suum ad ipsa composuerat, neque iussum, neque adactum nimiis precibus, (quae enim verba leuiora esse potuerunt, quàm quae in litteris suis expressit Pontifex:) nihilominus Cistercium deseruisse, repetito Molismo inconstantiae, siue etiam leuitatis obnoxium notae; vt qui ab opere incepto sine causa, sine vrgente occasione retrocessisset. Sanè haud ignobilis auctor eiusdem temporis Guillelmus Malmesburiensis, penè, vt de desertore, de Sancto loquitur, nouam vitam pertaeso, quia nimis rigidam, atque obtegendae seoili facilitati, ostentante mandatum, quod concupierat. [e] *Haec*, inquit, scilicet, quae Cistercio stabilita) *ille Abbas*, (Robertus) *primò ingenti impetu, & ipse faciebat, & alios compellebat. Sed temporis interuentu pernicais homo delicatè nutritus, aegrè ferens tam diuturnam ciborum parsimoniam. Cuius voluntatem Monachi apud Molismum residui cognoscentes, verbis quibusdam incertum, an epistolis, per obedientiam Papae, astu quodam eum ad Monasterium retulerunt, volentem cogentes.* Sic VVillelmus, vt non ex veritate, sic ex rumore vulgi, apud quem, (quae natura hominum est, cuncta in peius conuertere) fortasse non bene audiebat reditus Sancti. Sed non crediderim sine magna causa factō, quippe, vt noua Cistercij proles, patre orphana, soli Virgini, vt matri adscriberetur: nec minus io hoc Robertus Iosephum redderet, vmbram Patris habentem, sed sine opere. Non decuit Virginem absque sponso esse foecundam; quare Mariae Cistercium pariturae, Robertus Pater in sponsum datus fuerat; non secus ac pariturae Christum Iosephus olim Sed neque filios Mariae decebat verus Pater, vix inueniendus aptus tantae prolis satis, supérque Roberto putari talis: dum tamen constet ante conceptum foetum, ante statuta, ante nouas leges editas, ante quempiam ad Ordinem admissum, Patris oomen habentem discessisse. Sola ergo Maria relicta est, qua se Cistercium genitum glorietur, quae se matrem agnoscat, & semper gerat.

e De gestis Anglor. sub an. 13. VVillermi 2. Reg.

Placet subiungere verba Ioannis Decimi, quae hunc maternum in Virginem affectum in Cistercio filialem, ad effectum perductum satis exprimunt. 5. [f] *Haec profectò*, ait, *sancta Religio, quae potius ad Beati viri Benedicti regulam reformatio dicitur, prout sanctissimi Bernardi, aliorumque Patrum scripta demonstrant, peculiaris est in terris familia gloriosissimae matris Domini, cuius viuendi formam, deuotis famulis, primis patribus nostris inspirasse certū est. Nam vltra spirituales reuelationes, Intimásque consolationes, saepiùs fulgidissimo coeli ciuiū stipata comitatu, eos visitabat, & etiam visibiliter consolabatur, edocebat, adiuuabat, instruebásque, ob quod & ipsa sacri huius Ordinis Patrona, Domina, Protectrix, & Aduocata nominatur. Sicut Ordo ipse primus est omnium Ordinum in eius honorem dedicatus, cuius habitum tam Monachorum, quàm Sanctimonialiū tradidisse fertur*, &c. Haec Roberto discessus causa fuit; hic post discesū euētus subsequutus. Felix iactura Patris, & Magistri, quae tali meruit Matre reparari.

f in exhorta. ad Mon. to. 1. privileg.

Robertum è Cistercio discedentem non sine lachrymis filij prosequûtur. Addit Brito [g] sermonem ad ipsos habitum, teneros etiā affectus exprimentem. Sibi condolendum esse multis titulis, & quia abeunti, & quia indigno eorum societate; è contra magis congaudendum, qui inutilem pastorem, ac degenerem, quocumque suffecto, in melius commutarent. Orare tamen, vt optimum eligerent, quo duces alacres progrediantur inceptum iter. Sibi tam de cōmissis, quàm de omissis, quantumuis multa, veniam concedendam; quia declinanti, quia inualido, quia seni; ipsorum tamen 6.

g lib. 1. c. 6.

orationi

orationibus vel absenti iuuando, qui præsens nesciecit vei suis exemplis. Hæc & similia dixisse credendus est, nec filios respondete potuisse præ nimiis lacrymis.

7. Præfuit Robertus Cistercio annum vnum, & paucos menses, quos ideo fortè Chronicon omisit, dum seriem, tempúsque Abbatum expressit. Sic enim ait.

Cœlitus hoc missus Robertus sedit ad annum:
Vnde priùs venerat compulsus abire Molismum.

g in notis ad Exord.

Fiteriensis g neque annum ei tribuit, vtpote qui Albericum suffectum legit vigesima quarta die mensis Octobris, nec dubitat contigisse anno præterito; aliàs non ad annum, sed ad annos sedisse dicendus foret, quandoquidem à vigesimaprima mensis Martij, qua die Cistercium cœpisse suprà vidimus, vsque ad vigesimam quartam Octobris, qua Alberico suffecto Robertus desiit, maior pars anni, octo nimirum menses pertransissent, quibus potius peractis in officio, quàm quatuor solis omissis deferendum. Nobis coniectura hæc non displiceret, si tem aliàs videremus posse constare. Sed cùm reditus Roberti ad Molismenses à Concilio Romano ortũ habuerit, quod h ipsis Vrbani literis habemus expressum, nec à discessu eius à Molismo Concilium aliud celebratum sit, cui possit talis reditus adscribi, præter illud, cuius mentionem fecimus hoc anno; consequitur non anno millesimo nonagesimo octauo, quo ipso venerat, sed hoc sequenti ad Molismum rediisse.

h Exord. par. c. 7. & mag. l. 1. c. 15.

8. Celebrauerat quidem Vrbanus Concilium aliud anno millesimo nonagesimo octauo, cui magnum illud totius Ecclesiæ lumen, & Benedictinæ familiæ egregium decus Anselmus interfuit; quem ab Vrbe Lugdunum properantem, eiusdem Concilij causa ab Vrbano detentum, Edinerus in vita ipsius i narrat. Atque hoc magnum illud Concilium fuit, in quo Reingerus Episcopus Lucensis, interruptis decretis, quæ recitabat, indignans pro iustitia Anselmi declamauit, quod VVillelmus Malmesburiensis in historia rerum gestarum à Pontificibus Anglis testatum reliquit. Sed tertia hebdomada Paschæ celebratum, hoc est, intra viginti dies à primæua Cistercij fundatione, non potuit in eo tractari Roberti reditus. Quomodo enim tam breui dierum numero, religionis, obseruantiæque subuersio, Monasterij pauperies, vicinorum odia, contemptus Principum, & cætera mala, quæ Roberti discessu Molismus passus est, potuissent experientia comprobari? Quid de Romano itinere dicendum, cui soli insumendi forent plures dies? Rursus, vt quid Ganfredum elegissent, si iam tunc reuocando Roberto erant intenti? Denique si in procurando Roberti reditu tanta sollicitudo Molismensium fuit, vt intra viginti dies, etiam Romæ impetranda, obtineretur; quomodo in exequendo tanta cunctatio, vt sex, vel septem mensibus tardaret, qui ab Aprili ad Octobrem intercedunt? An ne difficilius adire Legatum intra Galliam Lugduni constitutum, quàm Pontificem Romæ commorantem? non igitur in priori illo Concilio anno millesimo nonagesimo octauo, cui interfuit Anselmus, sed in sequenti anno integro elapso Molismenses Romæ comparuere.

i apud Sur. tom. 2. Aprilis 21.

9. Porrò quod Fiteriensis certũ reputat l, Albericum vigesima quarta die mensis Octobris Roberto patri successisse in noui Monasterij Præfectura, à veritate alienum comprobatur, duobus satis expressis testimoniis, à quorum neutro licet resilire; altero magni Exordij Cisterciensis, m altero Martyrologij eiusdem domus: hoc, quo habemus obiisse sanctum Patrem vigesimasexta die mensis Ianuarij. *Septimo* (inquit) *Kalendas Februarij obiit dimus Albericus secundus Cisterciensis Abbas.* Illo, quo dicitur præfuisse nouem annis cum dimidio, hoc est, sex aliis mensibus adiunctis. *Vir autem Domini Albericus in schola Christi per nouem annos, & dimidium in regulari disciplina feliciter exercitatus migrauit ad Dominum.* Non possent autem tot menses præteriisse, quando migrauit, nisi fuisset electus in mense Iulio. Aliàs à mense Octobris ad Ianuarium non sex, sed tres tantùm menses intercedunt. Succenturiatur Areatense Chronicon in membrana descriptum, vetustum satis, quod ex insigni Diui Bartholomæi Collegio, inter Salmanticensia verè maiori, acceptum mutuò, Albericum suffectum tradit hoc ipso anno. *Robertus* (inquit) *agente Vrbano Papa, propter infatigabilem querelam Molismensium Monachorum, reuocatus est ad primum locum suum Molismum. In Cisterciensi verò Ecclesia Abbas ei suffectus est Albericus anno Domini M. XCIX.*

l in notis ad Exord.

m lib. 1. c. 17.

10. Sedit ergo ad annum Robertus Pater, tribus, vel ad summum quatuor adiunctis mensibus: post generale Concilium duobus, aut fortè tribus: nec multum fuit, si in reditu ab Vrbe in Lingonensi, Lugdunensique itineribus, in conuocatione, & termino Concilij Prouincialis; & rursus in executione decretorum (nam Robertus ad virgam deponendam Cabilonem abire iussus est) tres isti, aut quatuor menses pertransierint. Quin imò à discessu Roberti vsque ad successoris electionem tempus interfuit, nec mirum si, & ab electione, quæ Cistercij facta est, vsque ad confirmationem, benedictionémque, quæ ad Cabilonem erat obtinenda. Illud vt certum mihi persuadeo, Prouinciale Concilium ad Petram-scissam, ante mensem Augustum fuisse habitum. Aliàs mortuo Vrbano in mense Iulio, nihil re integra, ex delegatione ipsius innouaretur. Sed de his satis, iterum ad historiam reuertamur.

---

1. Tepidiores cum Roberto patre discedunt, 2. eorum numerus, 3. ostensum tantùm duos. 4. Cabilonensis ad Lingonensem Præsulem littera? 5 Acclamatus Molismi Robertus, 6. feruentior charitate, clarior miraculis.

CAPVT III.

Robertus virga pastorali in mano Gualteri Cabilonensis relicta, Cisterciensibúsque absolutis ab obedientia, cum paucis, vt dictum est, Molismum rediit, iisque non cupidis strictioris disciplinæ, quod Patres nostri exprese tradiderunt, dum hæc scribunt. a *Dominus Gualterus Cabilonensis Episcopus Abbatem* (Robertum) *à cura illius Ecclesiæ liberum dimisit; sic que reuersus est, & quidam Monachi cum eo, qui eremum non diligebant.* Sic in Exordio, vt videas Robertum adhuc discedentem consuluisse Cistercio, & eos tantùm secum adduxisse, qui minus apti. Incertior numerus

a Exor. paru. c. 8.

Sanctum comitantium, non tamen ideo nobis inquirendus.

2. Octo tantùm Cistercij remansisse Vincentius [b] ait, atque eius exscriptor Antoninus; vterque, vt puto, ex Guillelmo Malmeburiensi; nẽpe vt arcam Noe Cistercium faciant, in qua pauci, id est, [c] octo tantùm personæ salui facti sunt. quod [d] Fitteriensis vertit in mysterium. Sed non crediderim sanctos illos Patres maioris Patris sui iacturam passos, quosdam tantùm dicturos fuisse reuersos. Apparentiùs alij [e], qui numerum remanentium augent vsque ad duodecim, quatuordecimve, tot quippe, quot post annos quinque visi sunt, tunicas suas in flumine lauantes, de qua visione dicemus suo loco. Sed & grauis iactura decẽ fratrum, è viginti duobus nequaquam fuisset in Exordio supprimenda. Mitto quòd tunc neque soli erant, qui remanserant, neque fortè omnes. Primum probat priuilegium Paschalis [f] Papæ anno sequenti à nobis adducendum. Secundum satis credibile apparet, cùm potuerint aliqui obiisse intra quinquennium; alij etiam siue occupari, siue infirmi, aliorum fratrum conuentui non adesse. Denique visio non numerum portendit, sed vitam sanctam, ad quam Clericus ille vocabatur.

b Specul. hist. l. 25. c. 94. Antonin. 2. p. tit 15. c. 18.
c 1 Pet. 3.
d in not. ad Exord.
e Henriq. in fascicul.
f tom. 1. priuil. 1.

3. Præfero ergo Adonem Molismensem, qui duos tantùm à Cistercio discessisse cum sancto Patre, tradit in eius vita. [g] *Cum duobus Monachis Molismum rediit; Cisterciensibus quidem, eius abitione mœrentibus, Molismensibus è contra eius reuersione gratulantibus.* Hæc Ado, qui Molismensis, Molismensibus scribens, imò, & complacens, quod superiùs notatum iam reliquimus; ac addere, quàm detrahere paratior Molismi rebus: reduces suos, nec potuit ignorare, nec supprimere voluisse credendus est, maximè expresso per ipsum duorum numero. Auxisset potiùs, si quid illi immutandum à veritate, quo pluribus Molismum præferentibus, clarior, commendatiórque omnibus esset.

g apud Sur. April. 29.

4. Cum his ergo duobus reuersurus Robertus, litteris Archiepiscopi Legati litteras etiam Cabilonensis Episcopi curauit adiungere, quibus decreta Concilij circa ipsum peracta iam, exequutaque conscriberet Eas Lingonensi Episcopo directas à Cabilonensi accepit in hæc verba. [h]

h Exord. paru. c. 9.

Dilectissimo fratri, & Coepiscopo Roberto Lingonensi Episcopo, Gualterus Cabilonensis Ecclesiæ seruus salutẽ.

Notum sit vobis, fratrem Robertum, cui Abbatiam illam in nostro Episcopatu sitam, quæ nouum Monasterium dicitur, commiseramus, à professione, quam Cabilonensi Ecclesiæ fecit, & ab obedientia, quam nobis promisit, secundum Domini Archiepiscopi Hugonis diffinitionem à nobis esse absolutum. Ipse autem Monachos illos, qui in præfato nouo Monasterio remanere decreuerunt, ab obedientia, quam sibi promiserant, & professione absoluit, & liberos dimisit. Illum igitur à modo suscipere, & honorificè tractare, ne vereamini. Valete.

Vtrisque igitur litteris munitus primò Molismum, Lingonas mox profectus, Ganfredo, vt antea promiserat, cedente, Molismensibus iterum præfectus est, iam tandem vsque in finem permansurus. Reuertenti, ex tota vicinia, maximè autem ex Varensi oppido occurrisse nobilium multitudinem, testatur [i] Ado; nec multum abfuit, quin in eam vocem prorumperent, [k] *Benedictus qui venit in nomine Domini*, in tantum desiderium sui absentia fecerat, & fama vitæ apud Cistercium actæ auctoritatem viro conciliauerat. Nec dubitandum rediisse auctum virtutibus, qui tunc primum maioris charitatis zelo exteriùs lucens, signis, miraculísque etiam cœpit clarescere. Vtrumque ferè coniunxit effectus quidam, quo suis Monachis reuerentior factus, exteris admirabilior, & celebrior. Eum Ado scriptum reliquit sub his verbis. [l] 5.

i apud Sur. vt supra.
k Matth. 25.
l apud Sur. April. 29.

6. *Die quadam duo clerici virum Dei præ foribus Ecclesiæ repererunt, & ab illo instanter alimoniam petere cœperunt: vir autem Domini sicut totus misericordiæ visceribus affluebat, illorum cupiens leuare inopiam, statim quemdam è fratribus, cui ex officio incumbebat ministrare mensis, accersiri præcepit; eique mandauit, vt aliquid largiretur egenis illis. Respondente eo, panes in Monasterio prorsus nullos haberi: vnde igitur, inquit vir Sanctus, hodie reficiendi sunt fratres? ille se nescire respondit. Mox peractis ex more Missarum solemniis, fratres ad mensam accedere cœperunt: cumque sonitum cymbali, sicut illa hora moris erat, vir sanctus audiisset, ab œconomo sciscitabatur, vnde panes haberet, quos fratribus esset appositurus? Tum ille: Paucos, inquit, reseruaui, in eam curam intentus, ne fratribus hora refectionis cibus deesset. At vir Dei zelo accensus, fremens, & indignans quod in grege sibi commisso inuentum esset inobedientiæ lolium & diffidentiæ zizania; ingressus refectorium, panes mensis appositos in sportam coniecit, eósque è colliculo Ecclesiæ vicino in subterfluentes aquas per præceps abiecit: nolens in filiis Dei culpam inobedientiæ extare. Eius autem zelum Deus ex alto perspiciens, iam quibusdam piis fœminis de Castellione inspirauerat, vt fratribus comestturis panes deferrent. Porrò vir Dei Robertus ad portam Monasterij veniens, tres illic quadrigas offendit onustas panibus, quas memoratæ de Castellione fœminæ fratribus reficiendis adduxerant. Itaque conuocatis fratribus diffidentem illum, & inobedientem fratrem coram omnibus obiurgauit: cunctósque ad benè sperandum in necessitatibus, de Dei misericordia, salutaribus monitis animauit.* Huc vsque Ado.

---

1. Albericus suffectus Roberti loco, 2. rigidus vitæ tenor introductus, 3. conuersi nonnulli, & admissi ad probationem. 4. Ecclesia dedicata concursu celebri, 5. ac iterum repetitæ donationes, 6. Mox Vrbani, & Paschalis subrogatio.

CAPVT IV.

1. CÆterùm Cisterciensis pusillus grex tali, ac tanto pastore destitutus, insuper & aliorum discessu minutus numero, & soli iam genitrici Dei relictus, Abbatem sibi eligere curauit. Albericus suffectus suffragiis omnium, fecit Roberti iacturam minus grauem, id qualiter gestum sit Exordium narrat. [a] *Viduata igitur suo pastore Cisterciensis Ecclesia conuenit, ac regulari electione, quemdam fratrem, Albericum nomine in Abbatem sibi promouit, virum scilicet litteratum, in diuinis, & humanis satis gnarum; amatorem regulæ, & fratrum, qui que Prioris officium, & in Molismensi Ecclesia, & in illa diutiùs gerebat, multúmque diu nitendo laborauerat, vt ad illum de Molismo transmigrarent fratres locum, & pro hoc negotio multa opprobria, carcerem etiam, & verbera perpessus fuerat.* Quibus etiã manifestè videas, Albericum

a par. 1. c. 10.

Albericum non à Roberto præpositum, sed à fratribus regulariter;& canonicè electum,in Roberti ipsius locum suffecisse. Breuius chronicon metricum his versibus.

Albericus ei successit, vir speciei:
Rebus mansuris locuples, pauperque caducis.

inuitum, renitentémque acceptasse honorem, constat eiusdem Exordij testimonio: sed acceptauit, nec se putauit negandum suæ Ecclesiæ.

2. Alberico in Abbatem promoto,Stephanus Prior ab ipso suffectus est, vt duplici hac columna suffulta domus, nullis quassata fluctibus succumberet,nullisve cederet flatibus ventorum. Tum verò disciplinæ rigor in tantum creuit, vt supra fidem omnino esse videantur, quæ vel fidissimi auctores tradidere. Suppetunt plura,& grauia testimonia,è quibus vnum tantùm nunc producam, nec quia antiquius, sed quia singularius. Atque ecce verba Michaëlis Buchingeri Colmariensis, quæ non immeritò huc duxi transcribenda. [b] *Cistercium locus est in Burgundia vastæ solitudinis, ac horrendi aspectus, de vitis Monachorum, primorum temporum, sequentia legimus. Quatuor horis dormiebant in nocte, quatuor psallebant, & quatuor operabantur. Deinde verò vsque ad nonam legebant, scindentes folia palmarum, & post hoc victum sibi præparabant, colligentes quasdam herbas terræ. Foliis palmarum contextis vestiebantur,* &c. Vnum, aut alterum inter Patres illos Ægypti hæc obseruasse memoriæ proditum, ac pro miraculo habitum: multitudinem his legibus adstrictam,haud facilè reperies ante Cistercium,minus post ipsum.

[b] *in vita Vrbani 9.*

3. Sed nec defuere manus tot operibus, aut humeri portando oneri tanto:venêre qui supplerent vices desertorum, (si fortè tales appellandi sunt, qui cum Roberto Molismum rediere.) Hoc ipso anno, quo illi defecerunt, alios Virgo vocauit in suam vineam. Nam sequenti, nimirum millesimo centesimo, quo nouus Pontifex nouum Monasterium sub Apostolicæ sedis protectione suscepit,& quæ Hugo sanciuerat, perpetuò confirmauit suo diplomate; non solùm qui ex Molismo venerant, efficiebant Conuentum,sed qui ex sæculo.Et fortè hæc pars, quia numero vincebat, à Pontifice priùs nominatur. [c] *Mementote* (inquit) *quia pars vestrûm sæculares latitudines, pars etiam ipsas Monasterij laxioris minus austeras angustias reliquistis.* Tunc ergo primum geminare cœpit vinea Cisterciensis,& nouos fœtus in Christo pullulare; cum discessu Roberti matris sponsi,soli matri noscebantur posse adscribi. Hinc etiam videas malè asseri à quibusdam, [d] Bernardum ex eo dici Patrem Ordinis, quem non solùm non fundauit, sed neque rexit,quòd primus sit ad habitum susceptus: cùm tamen plures ipsum præcessisse, hoc anno ab Alberico Patre admissos, perspicuum sit: sed & de aliis, suis locis sit dicendum.

[c] *tom. 1. priuil. 2.*

[d] *Lobera in vit. S. Vrolane. cap. 17. Rrisol. l. 1. c. 12.*

Interea domus fabricata Ducis expensis, nec magnitudine,aut labore exquisito,retardans opus, breui tempore ad fastigium euolauit. Annua structura naturæ satis datum,imò & super: ambitioni,superbiæque nullus est modus,quibus olim minoribus contentis, minima quæque pro magnis habebantur;nunc inhiando maioribus effecimus, vt numquam sufficientia possideamus. Tum verò Ecclesiæ dicandæ condictus dies non sine magno concursu celebrandus. Hæc siue noua à fratribus erecta,seu vetus renouata,quod minus probo,sub iam concepta inuocatione Beatæ Virginis, Virgini matri Cistercium consecrauit. Adfuit serenissimus Odo Burgundiæ Dux, cum filio eius Hugone primogenito, Vicecomes Raynardus, hodiernæque, ac aliorum Magnatum multitudo:nec defuit diœcesanus Episcopus Gualterus,& Duci, & nouo Cœnobio mirè adfectus. 4.

Tum repetita donatio vtriusque Principis,at in manu Episcopi firmata, & confirmata solemni ritu,quod, quia memoriæ prodiderunt antiqui Patres,verbis ipsorum exactiùs expediemus. 5.

[e] *Postea* (inquiunt) *cùm dedicaretur Ecclesia noui Monasterij, Dux ipse & Raynardus cum vxore sua, inde iterum donum fecerunt, in conspectu multæ plebis, quæ aderat in manu Domini Gualteri Cabilonensis Episcopi, ad vsum supradictorum fratrum. Quatenus ipsi sub tutamine sui Pontificis à potentia laicali, & omni strepitu sæculari liberi seruitio sui creatoris quietiùs vacarent. Ipse verò Dux tam in nemore præfato Cœnobio coniuncto, quàm in omni circumquaque dominicatura sua vsuarium plenissimum eisdem fratribus attribuit,* &c. Atque hæc de Ecclesiæ illius dedicatione, & confirmatione dotis antè exhibitæ, quæ hoc creduntur anno contigisse.

[e] *in tabula eiusdem Monast.*

Vrbano mortuo, Paschalis electus est non sine præuio vaticinio successionis, imò & annorum, quibus erat præfuturus.Hic natione Tuscus, patria Bledanus, patre Crescentio, & Alsatia matre natus;primò Monasticem sub sancto Hugone Abbate Cluniaci professus, inde à Gregorio septimo Presbyter Cardinalis creatus; tandem hoc anno decima secunda die mensis Augusti Vrbano successit. Qualiter autem Cistercium confirmauerit, ac sub Apostolicæ sedis protectione susceperit,anno sequenti,quo gestum esse constat, Deo dante, commodiùs scribemus. 6.

IESV CHRISTI ANN. 1100. — CISTERCII ANN. 3.

1. Confirmatio Cistercij per Paschalem: 2. Ioannes, & Benedictus Legati in Gallias, 3. Cistercium visitant, 4. Albericum, vt Romam mittat, suadent. 5. Ioannes, & Ildebodus electi, transmißique. 6. Littera Cardinalium ad Pontificem. 7. Gualterij item, 8. & Hugonis Lugdunensis.

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus millesimus centesimus, quo nouum Monasterium, (namque hoc Cistercio nomen per hæc tempora, vt suo loco notabimus;) Legati auctoritate inceptum, firmatumque maius legantis pondus confirmauit. Paschalis Vrbani successor, primus fuit,qui Cistercienses suo muniuit diplomate, litteris datis hoc anno ad Albericum, quibus & suæ feruori Religionis paterno congratulatur affectu, hortatúrque in eo perseuerare, & Abbatiam perpetuò ibi mansuram sub immediata sedis Apostolicæ tutela, & protectione suscipit:& tandem quæ

in Concilio ad Petram-scissam à Legato, & Episcopis pro quiete illius gesta sunt, rata, & grata habens, firma omnia, ac valitura esse decernit. Abbatis sancti, & sociorum meritis id datum; an petitioni quorumdam Ecclesiæ Principum? Credo Albericum in hoc minus ausurum, quamtumuis alias quieti suorum prouidum; si ooo Benedicti, & Ioannis Cardinalium, & consilio animatus, & auxilio fretus, humerum tanto negotio supposuisset.

2. Veı erant hi à Pontifice Legati, causam Philippi Regis tractaturi, qui ob legitimam vxorem domo eiectam, ac pellicem inductam, semel, & iterum anathemati subiectus; & primò medius inter pœnitentem, & contumacem, mox post Vrbani mortem ruptis frænis, (quasi ius omne cum Pontifice periisset) adulterium professus, & sacrilegium, fecerat orbem theatrum sui dedecoris Paschalis Papa iuris, & legum vindex, antecessoris sui continuãs zelum, nec desistens à zeli executione, suam in Gallias legatiam decreuerat; his duobus Cardinalibus commissam, indicturis Concilium, cui idem ipse Philippus reus assisteret. Ea maiestas Ecclesiæ semper fuit, is vel rebellium Regum, si modò Christianorum in eam cultus, vt neque illa ab eis vnquam timeret, neque hi eius iudicium recusarent. Igitur Ioannes, Benedictúsque Gallias ingressi, dum cogere Concilium maturarent, & deliberarent de tempore, & de loco; recens cooceptæ apud Cistercium vitæ perculsi fama, & siue nouitate rei ducti, siue seruorum Dei odore tracti, seu forsan otium sibi quærentes inter negotia, nouum Monasteriũ deuotè visitarunt.

3. Vicit conceptam opinionem perspecta veritas; parum esset inuenisse homines sanctos, si homines credi possent, qui sancti erant. Dixissent Angelos sub humana latentes specie, si non confectos vigiliis, & ieiuniis, pallidos, & penè moribundos conspexissent. Sed virtus viuida in corporibus infirmis, vel ipsis oculis fidem detrahebat. Erant, qui vellent contrectare manibus, prensare digitis, quo magis experirentur, cum quibus essent. Quod reliquum incessanter visum pascere, applicare auditum, prouocare ad colloquia, miscere sermones, & verba singula (si quæ fortè extorquebant) quasi quædam oracula obseruabant. Albericus præ aliis auditus est, noui, & recentis gregis recentior pastor; sed cuius so, vel ex ipso præfecti munere, hospites exhibebant creditores. Ab hoc cùm formam vitæ didicissent, & quot laboribus illam comparassent, qualitérque Robertus illius auctor Molismo redditus, orphanos, ac obiectos reliquisset nouis periculis, nouis detractionibus, quibus quotidie quasi nouatores, & singulares à Monachis conuicinis infestabantur; ne tam illustris perfectio sanctitatis, sedem Romanam perfectionis magistram diu lateret, néve ipsi patrocinio eius fraudati, nouis procellis paterent, & nouis fluctibus, summum Pontificem duxerunt adeundum, orandumque, vt orienti virtutum iubari manum porrigeret, & patrocinium exhiberet. Nec indignum Alberici zelo esse putarunt, si Monachos in Romanam curiam mitteret, negotium non tam promoturos instantia precum, quàm admirandæ fragrantia sanctitatis, ipsis inuitis statim empturã.

4. Albericum ab ipsa pastorali suscepta cura huius rei desiderium possidebat, quippe, *admirabilis prouidentiæ vir* (vt verbis [a] vtar Exordij,) *pensabat animo, quæ tribulationum procella, domum sibi creditam aliquando concutientes, vexare possent.* Sed qualiter ad Romanam curiam mitteret orbos fauoris, ignaros negotiorum, pecuniæ inopes? vt primum vidit Cardinales sibi occurrere, ac id, quod orandi erat, penè orare; missos à Deo intellexit ad tantum opus, & se paratum eorum consilio vti, frui auxilio, rem arduam, consequutúque difficilem nequaquam temerè esse concipiendam. Monachos contemplationi, & quieti deditos, negotiis pertractandis prorsus inutiles: despectui potius, & irrisui futuros Romæ, quàm rem arte, & industria promoturos; & vt virtuti deferendum credatur à Cardinalibus, ministros reliquos callidos, auaros, astu, & pecunia, quàm modestia esse capiendos. Nec religiosos sæcularibus expooi sine periculo, si consenserint, ægrè reuocandos; si dissentiant ab ipsis decipiendos. Romanam curiam timidè adeundam quibusque bonis, ne si semel itineri assuefiant, nouis coloribus impertientur noua indulta, quibus sub specie maioris firmitatis, etiam firmissima passim infirmentur. His cunctationibus vir ingenij sagax Cardinalium adfectus acuebat, dum retardabat.

Res ad fratres delata cunctis placuit; nihil æquè optantibus, quam Ecclesiæ patrocinium, Ecclesiæ filiis: ac eo semper securius incessuris, quo maius firmamentum haberent ab ea petra. 5. Romanam curiam abusuris, fortè non vtilem, vtentibus apprimè necessarium: & nec ignem, nec aquam relinquenda, quantumuis possent aliquando esse nociua. Sæculares venerari sanctitatem, eóque magis, quominus assequuntur. Et Monachos ex eis eligi posse, qui industriam modestiæ superaddant, grauitatem, & morum constantiam non amittant. Gaudebat vinci Pater Albericus, qui solùm siue Cardinalibus, siue filiis, velut stimulandis, dubitauerat. Electi ex omnibus Ioannes, & Ildebodus apti tanto negotio pertractando; sed & Decretum, vt Cardinalium litteris, litteræ Archiepiscopi quondam Legati, & Diœcesani Episcopi accederent; quippe quibus oculatis omnium testibus, plurium etiam ministris, imò & Ducibus, maior, & plenior fides deberetur. Atque ecce exemplar epistolæ Cardinalium, quam Patres nostri inseruerunt suis Exordiis [b].

Domino Patri Papæ Paschali, & vbique laude eximia prædicando, Ioannes, & Benedictus seipsos per omnia.

Quia vestri moderaminis est omnibus Ecclesiis prouidere, & iustis poscentium votis manum porrigere, vestraque iustitia adiumento Religio Christiana fulta debet incrementum sumere; vestram Sanctitatem obnixius deprecamur, quatenus harum litterarum baiulis nostro consilio, à quibusdam religiosis fratribus Paternitati vestra missis, aures pietatis vestra flectere dignemini; petunt enim, vt præceptum, quod de quiete, & sua Religionis stabilitate à prædecessore vestro Domino nostro beatæ memoriæ Papa Vrbano acceperunt, & quod secundum eiusdem præcepti tenorem Archiepiscopus Lugdunensis tunc Legatus, & alij Coepiscopi, & Abbates inter eos, & Molismensem Abbatiam, (à qua Religionis causa discesserant) definierunt, vestra auctoritatis priuilegio, in perpetuum maneat inconuulsum. Ipsi enim vidimus, & eorum vera Religionis testimonium perhibemus.

Hæc Cardinales; quibus clarè videas ipsos, Cistercium deuotè visitasse, imò & ibidem aliquandiu resedisse; nec enim aliàs potuissent affirmare: *ipsi enim vidimus, eorúmque vera Religionis testimonium perhibemus.* Videas etiam Albericũ Patrem, quamtumuis aliàs idipsum exoptantem, nequaquam tamen missionis fuisse auctorem, sed Cardinales à Deo Cistercium missos: *quatenus* (inquiunt) *harum*

litterarum

[a] paru. c. 15. & mag. l. 1. c. 19.

[b] paru. c. 12. mag. l. 1. c. 20.

literarum baiulis nostro consilio, à quibusdam religiosis fratribus Paternitati vestræ missis. Non vt hanc gloriam illi detrahamus, sed vt appareat Cisterciensia initia, vix alteri, quàm Deo, posse adscribi. Alios Ordines admisit Ecclesia, hunc quæsiuit; & qui pro aliis rogabantur, vt consentirent, Cistercium penè rogarunt, vt esse vellet.

His litteris moniti Ioannes, Ildebodúsque, magis cæterorum fratrum orationibus, quas Deo confidebant fore acceptas, obtentáque sancti Patris sui benedictione, primò Cabilonem ad Episcopum Gualterum, inde Lugdunum ad Hugonem Archiepiscopum profecti, pandunt propositum, & propositi auctores, quibus nec possent, nec vellent repugnare: si tamen ipsi probent, & coadiuuent. Placuit vtrique consilium Cardinalium, nec fuit, qui denegaret patrocinium, quod sibi mutuò optabant exhiberi. Nam quos patronos ad Deum dudum elegerant, clientes ad Vicarium eius habere, pro gratia fuit. Ergo Gualterus Cabilonensis Præsul, qui prior aditus, hanc ad Pontificem epistolam scripsit. [c]

c Exord. paru. cap. 14. mag. l. 1. c. 21.

Venerabili Patri Papæ Paschali Gualterus Cabilonẽsis Ecclesiæ Episcopus, salutem, & debitam subiectionem.

Sicut Sanctitas vestra, vt fideles in vera religione proficiant, ardenter desiderat, sic eisdem vestræ protectionis vmbram, vestræque consolationis fomentum deesse non expedit. Suppliciter ergo petimus, quatenus quod factum est de fratribus illis, qui arctioris vitæ desiderio, à Molismensi Ecclesia sanctorum virorum consilio recesserunt, quos in nostro Episcopatu diuina pietas collocauit, à quibus transmissi præsentium literarum baiuli vobis præsentes adsunt, secundum prædecessoris vestri præceptum, & Lugdunensis Archiepiscopi, Apostolicæ sedis tunc Legatum, & Coepiscoporum, & Abbatum definitionem, & scriptum (cui rei nos præsentes, & eius auctores cum aliis extitimus) vos approbare, & vt locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, (salua tamen nostra persona, successorúmque nostrorum Canonica reuerentia) auctoritatis vestræ priuilegio corroborare dignemini. Sed & Abbas, quem in eo loco ordinauimus, & cæteri fratres, totis viribus hanc confirmationem in sua quietis tutelam à vestra flagitant pietate. Sic Gualterus. Quibus etiam consonantia scripsit Hugo, acriori licèt stylo, sub his verbis. [d]

d Exor. paru. c. 53. & mag. l. 1. c. 21.

Reuerendissimo Patri, & Domino suo Paschali Papæ Hugo Lugdunensis Ecclesiæ seruus per omnia seipsum.

Fratres isti præsentium geruli ad Paternitatis vestræ celsitudinem tendentes, per nos transitum fecerunt. Et quia infra prouinciam nostram, videlicet in Episcopatu Cabilonensi, mansionem habent, humilitatis nostræ litteris apud Celsitudinem vestram se commẽdari petierunt. Sciatis autem eos esse de quodam loco, qui nouum Monasterium vocatur, ad quem de Molismensi Ecclesia cum Abbate suo exeuntes propter arctiorem, & secretiorem vitam secundum regulam beati Benedicti, quam promiserant tenendam, habitandum venerunt, depositis quorundam Monasteriorum consuetudinibus imbecillitatem suam ad tantum pondus sustinendum imparem iudicantium. Vnde Molismensis Ecclesiæ fratres, & quidam alij adiacentes Monachi eos infestare, & inquietare non desinunt: æstimantes se viliores, & despectiores haberi apud sæculum, si isti quasi singulares, & noui Monachi inter eos habitare videantur. Quapropter desideratissimam nobis Paternitatem vestram humiliter, & cum fiducia deprecamur, quatenus fratres istos totam spem suam in vobis post Deum ponentes, & idcirco ad Apostolatus vestri auctoritatem confugientes, benignè pro more vestro recipiatis, & eos, & locum ipsorum ab hac infestatione, & inquietudine liberando, auctoritatis vestræ priuilegio muniatis, vtpote pauperes Christi, nullam contra suos æmulos diuitiis, vel potentia defensionem parantes, sed in sola Dei, & vestra clementia spem habentes.

Hæc Archiepiscopus. Quibus videas, vel pòst ab ipso in Prouinciali Concilio sententiam latam, ac inter Cistercienses, Molismensésque litem compositam, nihilominus remansisse iurgia, superfuisse querelas: nec solos Molismensis Cœnobij fratres, qui beato Roberto viuente minus clarè, sed & alios vicinos, & Prouinciales Cistercienses apertiùs infestasse, eorum moribus, & vitæ detraxisse. Adeò animis etiam religiosis, sub specie zeli dominari solet inuidia, adeò aliquando non tam bonos esse appetimus, quàm quòd non alij appareant meliores.

Sed nos iam fratres Ioannẽ, Ildebodumque his litteris munitos, dum Romam pergunt, paululum relinquamus: dum quid interim Molismi gestum sit (Roberti Patris nouissima) describimus: gloriosa æquè Cistercio, ac Molismo, illi, vt ei, sine quo viuere noluit, huic, vt in quo elegit consummari.

1. Robertum Patrem desiderium Cistercij tenet, 2. epistolam scribit, 3. fæliciter obdormit. 4. De anno mortis quæ dixerint auctores. 5. Quid de die? 6. Verior sententia: 7. emendatus Brito. 8. Duæ Irides in morte Sancti visæ. 9. Sepultura. 10. Miracula, & canonizatio remissiùs.

CAPVT II.

1. ROBERTUS Pater à Cisterciensibus auulsus, & iam ferè pietatis suæ in Molismum pœnitens, Albericum, & Stephanum, & socios magis, ac magis in dies suspirabat. Memoriæ suberat sancta illa plantatio, cœlum in terris, vel impiis, repræsentans, & terram charitatis ardore ad cœlos subleuans; quia Cistercij tot Angelos, quot homines; tot Seraphin, quot Monachos conspexerat; & iam se nec sine eis viuere velle, nec cum eis posse serò conquestus: dissolui tandem ardenter exoptabat. Nec displicebat Molismi status præsens, sed recolenti Cistercij claritatem cætera omnia obscura videbantur, & penè tenebræ. Litteris tamen absentiam solabatur, queis vltrò, citróque frequenter missis, animum deficientem reparabat. [a] Brito hanc tradit ex multis à se inuentam.

a l. 5. c. 7.

Fratribus, qui in montibus Cistercij ad montem perfectionis conscendunt, Rupertus eorum quondam socius, nunc in vallem miseriarum demersus, post ascensum palmam, & sui in ascendendo recordationem. 2.

Si lingua calami, lacryma atramenti, cor papyri vices subire possent, fortè calamus aures, atramentum oculos, papyrus affectiones, & omnia simul, simul & vos omnes ad affectum miserationis commouissent. Postquam enim vobis non adhæsi, [b] adhæsit lingua mea faucibus meis; *cùm vos non viderunt oculi,* [c] lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum; *dum cor à vobis (si à vobis vnquam poterit) fuit auulsum,* [d] factum est tanquam cera liquescens in medio ventris mei. *Sed me à vobis, non tamen quemquam ex vobis, à me ista separabit auulsio: quos enim iungit charitas Iesu Christi, frustrà diuidunt terrarum spatia. Habeat*

b Psal. 136. & 21.
c Psal. 77.
d Psal. 21.

Molismus præsentiam corporis, legibus obedientiæ adstrictam; dummodo Cistercium anima desiderium possideat. Hoc dispofuit Altissimus, cuius inscrutabilia sunt secreta: vt in diuersa distractus, nec anima per corporis conuersationem distrahatur, nec corpus distractum tam sancta conuersatione fruatur. Pro anima vobiscum degente, orationes fundite, corpus, cuius animam possidetis, tamquam optimæ partis sui possessores, vos salutat in Domino. Huc vsque epistola aliquibus suspecta; quippe viuida nimis, & eximiè culta oratione, à Sancti grauitate declinans paululum, ac in teneros amasiorum affectus penè inclinans; sed charitatem non possum metiri iudicio nostro, nec eius affectibus terminum præscribere. Certè cuiuscumque sit, ea talis est, quæ non omnino dedeceat suum auctorem.

3. His, aut similibus epistolis missis, acceptísque, Cistercium sibi in Molismo repræsentans, desiderium fallebat, & inflammabat. Sed vicit tandem orbitas paterna senilem animum, & corpus annis, laboribúsque fessum, spiritum non valuit retinere: imò non voluit diuturna infirmitate correptus est perficiendæ virtuti, quamuis eximiæ, vt vnà virum animi cruciatus, atque corporis morbus depurarent. Tum die, & horâ obitus præscitis, prædictísque, gloriosum spiritum Angelis refudit, ipsorum manibus in cœlum deportandum. Verùm hæc omnia accuratiùs describentem Molismensem [e] Adonem audiamus.

e Apud Sur. April. 29.

Cùm vir beatus (ait) *multa laborum certamina in Christi militia peregisset, vita præsentis iam planè pertæsus, dissolui, & esse cum Christo ardenti desiderio cupiebat; cuius votis Deus annuens horam exitus eius ab hac vita, non paucis ante diebus, sicut ipse optauerat, & reuelauit; quam imminentem ille fratribus indicauit. Aliquandiu igitur corporis aduersa valetudine laborans, gratiæ merita virtute patientiæ cumulauit, glorians cum Apostolo in infirmitatibus suis, & virtuti Christi gratum intra se domicilium parans. Itaque anno ætatis suæ octuagesimo tertio, tertio Kalendas Maij, corpus terræ reddidit, spiritum ad Deum, cui indefesso famulatu feruenter adhæserat, terra plorante, cælo gaudente, transmisit. Filij autem eius Monachi Molismenses, quorum omne solatium, & gaudium in illo fuerat, amarissimè flentes, reuerendi Patris exequiis deuotiùs insistebant.* Huc vsque Ado.

4. De anno mortis Sancti, quem non expressit, nimium inte se discrepant auctores. De die ipse errandi occasio omnibus fuit. Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum*, hæc breuissima habet de eius obitu. [d] *excessit ex hac vita anno Domini millesimo nonagesimo octauo, vt testatur Sigebertus in Chronico.* Mirum in viro docto supra consuetum, ac Ecclesiasticæ historiæ Coryphæo, vix duobus verbis complexum duos errores. Nam neque eo anno obire Robertus potuit, quo condidit Cistercium: nec Sigebertus errandi illi occasio, qui nihil prorsus scripsit de Sancti obitu: sed nulla messis sine spicilegio; nec id vitium messoris, sed naturæ. Quod eo libentiùs noto, quo minus dubito in segete immensa sæpiùs nobis euenisse, id ipsum & euenturum. Præfuerat nouo Monasterio per tempus aliquod; præfuit & Molismo. Itum, reditum Romam est, congregatum Concilium Prouinciale pro eius in Molismum reductione. Non potuit ergo mori in mense Aprili, anni millesimi nonagesimi octaui, qui vigesima prima die Martij anni eiusdem iecerat prima Cistercij fundamenta. [e] Baronium Arnoldus Vuionius secutus est, nec imprudenter errauit, si illi fidit. Apparentius Firminus [f] Fiteriensis, qui anno millesimo nonagesimo nono obiisse putat. Sed mense Aprili istius etiam anni, cùm de reditu ipsius Romæ ageretur, in nouo Monasterio adhuc mansisse, non leuibus indiciis comprobauimus. Ado duobus annis à reditu vixisse, adeóque obiisse millesimo centesimo primo, si verum annorum computum sequamur, supponere magis videtur, quàm docere; sic enim ait. [g] *Ad Monasterium Molismense, quod ipse in honorem Beatæ Mariæ fundauerat, reuersus est. Defuncto verò post biennium Alberico, successit Stephanus à Beato Roberto Abbas Cistercij ordinatus.* Hæc ille. Sed qui sancto Alberico sex annos integros demit præfecturæ, imò & vitæ, vt Stephanum successorem eius à Roberto præfectum affirmaret, non mirum si Roberto annum adiiciat, vt vel sic Alberico superuiueret. At hic ipse Adonis antiquus error, recentioribus longè turpius errandi occasio fuit, dum Sancti transitum referunt in annum octauum, aut nonum supra centesimum, quippè impotentis, si antea decessisset Stephanum Alberico subrogare. Hoc anno è vita migrasse ex eo colligo, quòd constat reuersum esse anno præteritò, à reditu autem non diu superuixisse, antiquorum omnium auctorum traditio est. Verùm hæc coniectata, quàm decisa, aliorum iudicio relinquo decernenda.

d April. 29. lit. g.

e l. 5. Ligni vitæ, cap. 42.

f in notis ad Exord. paru. cap. 8.

g apud Sur. supr.

De die concordior error irrepsit, sinon maior; 5.
asserente [h] Adone, incidisse in vigesimam nonam mensis Aprilis, quem postea cæteri omnes [i] sunt sequuti. Vna omnibus errandi occasio, festum Sancti celebratum Cistercij hac ipsa die. Ex quo tamen, si rem altiùs perpendissent, potiùs contrarium manifestè comprobassent. Ideo enim de Hymno illo communi, *Iesu corona celsior*, qui Confessoribus solet decantari, in sancti Patris Roberti solemnitate versum tertium detrahere iubemur, quo illa die obiisse Sanctus dicitur.

h apud Sur.

i Vincentius l. 25. c. 95. Equilinus l. 4. c. 100.

Anni recurso tempore
Dies reluxit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Polum migrauit præpotens.

nempe, quia alia fuit dies illius transitus. Quod etiam in festis sanctorum Remigij, ac Iuliani, itemque in translatione sanctissimi Patris nostri Benedicti, & quotiescumque festum alterius cuiuscumque Sancti transferri contingit, ob eamdem causam obseruandum, ipsius Hymni rubricæ manifestant, sequentibus verbis præfixis prædicto versui: *Sequens versus non dicitur in festiuitatibus, sanctorum Remigij, Iuliani, Roberti, in translatione sancti Patris Benedicti; nec quorumcumque Confessorum, quoties ad aliam diem transferuntur.* Consonat versus de hoc ipso confectus antiquo more.

Remi, Rober, Iuli, translatio non canet omni.

Cùm igitur, vel ex ipso Sancti officio habeamus compertum ipsum diuerso die obiisse, ab eo, quo colitur, consequitur non vigesimonono Aprilis, sed alio diuerso vitam cum morte commutasse, seu potiùs vitam per mortem inuenisse.

Porrò autem, quo die Sanctus obierit, habemus 6.
ex definitione quadam Cistercij edita anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo, quo festum eius incepit celebrari, nempe ea ipsa die, qua Sanctus obiit. Definitionis verba hæc sunt. [l] *De beato Roberto primo Cistercij Abbate, fiat festum quintodecimo Kalendas Maij, cum duodecim lectionibus, sicut de Beato Hieronymo, & vna Missa, sicut de Beato Benedicto.* Cæterùm cùm decimusseptimus dies mensis Aprilis nostræ redemptionis mysteriis

l Definit. an. 1222.

occupa

occupatus, pluribus annis celebritatem Sancti non admitteret, alia definitione cautum est, vt in vigesimum nonum transferretur, primum nimirum à Paschate immunem. Quippe quod altius potest euenire, incidit in vigesimum quintum diem eiusdem mensis, cui si tres alios pro Paschate addamus, adimpleri numerum dictum viginti & octo, post quos vigesimus nonus primus est, qui vacat sancti viri celebritati. Huius translationis decretæ per Capitulum meminit Fiteriensis in
[m] In notis ad Exord. suis notis, suppresso licèt anno, quo facta fuit. [m] *Festum sancti Roberti Abbatis fiat deinceps tertio Kalendas Maij, seruatis omnibus, quæ solebant obseruari, excepto, quod versus,* anni recursu tempore, *non dicetur.* Igitur versus, qui decimoseptimo Aprilis recitabatur, vigesimo nono eiusdem mensis omitti præcipitur, vt palam videas illa die obiisse, quam Hymnus designauit, quandiu potuit.

7. Bernardus Brito [n] veritatem à fonte hauriens,
[n] lib. 1. c. 7. sed non ausus communi sententiæ contraire, malè supputatis diebus concordare videtur vtramque partem, ni lapsum calami, memoriæve, aut Typographi errorem mauis dicere. Is sanctum virum infirmitate correptum à mense Martio, quintadecima die Aprilis penè vsque ad mortem defectum asseuerat, nulla spe protrahendæ vitæ in crastinam. Biduanas nihilominus inducias concessas morbo iuxta eiusdem Roberti prophetiam, quæ cœlestibus consolationibus, visitationibúsque refertæ, gloriam præuenerint magis, quàm annunciauerint. Tum vesperascente vigesima nona die mensis Aprilis fœlicem animam cœlo tradidisse. Quasi duo supra quindecim adaucti, viginti & nouem conficerent, & non potiùs decem, & septem. Sed corrigendæ induciæ, vel dies obitus, quatenus illæ quatuordecim contineant, vel hic ante duodecimum ponatur, vt constet numerus. Obiit ergo sanctissimus senex decimoseptimo die mensis Aprilis, pridie ante confirmationem noui Monasterij, vt suo loco commodiùs perpendemus.

8. Migrauit, vt diximus, sub initium noctis, sed quæ non secus ac dies illuminata, lucem in toto illo tractu eximiam dedit. Duæ namque Irides apparentes in aëre lucidis globulis, lucidioribus crucibus distinctis exornatæ, tenebras noctis prorsus excluserunt. Ado portentum describit in hæc ver-
[o] apud Sur. April 29. ba: [o] *Quanti autem Robertus apud eum esset meriti, Deus in eius obitu ostendit. Nam supra domicilium illud, in quo eius exanime corpus iacebat, primo noctis crepusculo, duæ lucidissimæ, eæque diuersi coloris Irides apparuerunt, quæ ad amplitudinem magnæ plateæ se dilatantes, in quatuor partes terræ extendi videbantur. Et altera quidem ab Aquilone ad Austrum, altera verò à Septentrione ad Orientem sese protulit. In summitate autem, vbi pariter iungebantur, clara lux instar lunaris circuli refulgebat, eaque in altum se se protendens, tenebras noctis à loco illo penitus exclusit. Porrò in hac luce crux rutilans videbatur, primò quidem exigua, sed paulatim excrescens, magna euasit. Circum eam innumerabiles varij coloris erant circuli, in quibus singulis, singulæ ortæ sunt paruæ cruces, eæque rutilantes, & cum suis crucibus increscentes. Cúmque se vsquequaque in firmamento extendissent, totum Molismensem locum mirabiliter illustrabant.* Huc vsque Ado, qui per cruces pœnitentiam, & mortificationem; per lucem, & Irides sanctitatem, gloriámque portendit. Alij Cistercium per orbem dilatandum, geminato inter cœlum, & terram pacis fœdere: ordines etiam militares insignes crucibus, velut è fonte ab illo processuros. Plures in duplicata Iride, duplicatas coronas, cõtemplationi actionem, sanctitati sapientiam cupulandas, in globulis viros sanctos præsagiebant. Apta omnia Cisterciensium futuræ gloriæ, si non in aliis ostensa eadem visio, nihil tale portendere potuisset. Sancta Hildegarde ad cœlos ascendente, eædem Irides in aëre visæ sunt, iidem globuli crucibus distincti, [p] si Theodorico ipsius [p] apud Sur. Septem. 17.
vitæ scriptori fidem facimus: nec tamen Ordinem per Orbem dilatandum Ecclesiæ genuit, nec alios Ordines, aut Sanctos producturum.

Obiit Molismi inter suorum manus, & qui chariorum filiorum absentiam, si non supplebant, saltim subleuabant, quin, *& conuenerant ex vicina terra multi Abbates, aliique reuerendæ personæ* (Adonis verbis vtor) *præstolantes fœlicem illius transitum, & sanctum corpus terræ mandauері.* quos inter forsan Albericus Pater fuit, siue Stephanus, aut alij ex Cisterciensibus, pietate erga virum summè coniuncti, nec nimium disiti locorum interuallo. Fallitur 9.
tamen [q] Equilinus Episcopus, qui Cistercij obiis- [q] L. 4. c. 102.
se, ac ibi etiam sepultum affirmauit, nescio, quo duce. Id vnum defuit gloriæ recentis domus, parentis sui exuuiis decorari. Sed adoptatos in Mariæ filios, paternum obliuisci genus conueniens fuit. Haud aliter Ioseph grauidam sentiens dimittere occultè cogitauerat, ne fortè filij ex ipsa nascituri, pater ostensus gloriam minoraret. Ornant tamen Cœnobia Cisterciensia fragmenta ossium, & vestium sancti viri. Inter quæ Populetum, Petraque in Tarraconensi, vtrumque Hispaniæ situm, illustrata visuntur duobus ossibus: Bartholomæi Molismensis quondam Abbatis, ante ducentos annos, dono obtentis, quod litteræ testimoniales adseuerant.

Roberti mortem sicut signa in cœlo, sic mira- 10.
cula in terris sunt sequuta, filios præsertim reddentia suis parentibus. Puer à lupo raptus, diu detentus, ab ipsa fera illæsus restituitur matri imploranti auxilium Sancti. Alter è flammis sanus æquè educitur, & parentibus semiusta ossa quærentibus inter carbones cunarum, si non cineres, ludens apparuit, ignibus arridens, solusque incendij expers in tota domo. Putares Sanctum dilectionibus sibi orbatum, dum vixit, filiis, post obitum orbitati parentum datum in patronum: ductum ex his, quæ passus, misericordiam, ex his quæ meruit, potentem ad patrocinium. His, & similibus miraculis illustrem Honorius tertius in Sanctorum albeum retulit, litteris datis, ac directis ad Molismenses, quas nos etiam inferiùs adducemus.

---

1. Troia Apuliæ ciuitas quæ, 2. in ea Ioannes, Ildebodúsque suscepti. 3. Priuilegium Paschalis. 4. Mens Fiteriensis de Fratrum detentione. 5. impugnata ex verbis, & ex reipsa: 6. explicatus Exordij parui locus.

CAPVT. III.

1. INterim Ioannes, Ildebodusque transcensis Alpibus, nec parte exigua Italiæ peragrata, Paschalem adeunt, Troiæ tunc commorantem, vrbe Apuliæ, quam ante centum annos, plus, minúsve, Bubaganus (id fundatori nomen) ædificauerat. Bolaterranus de ea paucis, sed non pauca.

a Troia

a Geograph. l. 6 c. 3. [a] *Troja etiam hæc ædificata à Bubagano quodam fertur tempore Henrici secundi, anno Domini M. VIII. Græcis colonis inductis in locum, qui castra Annibalis a Plinio vocatur.* & item alibi loquens de Othone. *Contra Sarracenos pugnauit, eosque Capua expulit: ac Bubaganum Græcorum Ducem, qui eis fauebat, adeo bello infectatus est, vt eum Troja ejecerit, quam ille in Apulia condiderat, vbi Annibalis castra fuerunt.* Atque hæc obiter placuit adnotare, quia multis negotium facessere vidi; quænam hæc Troja? non paucis longè etiam aberrantibus, & vix vno cum alio consentiente de situ loci.

2. Igitur Troiam appulsis duobus fratribus, & præsentatis Paschali, & Cardinalibus, primò facilem aditum epistolæ, mox ex colloquiis gratiam, prudentia humilis, & tandem sanctitas reuerentiam comparabat. Quin & cultus exterior despicatior ex nouitate admirationem, ex admiratione venerationem, auspicabatur. Res tum priùs collata, discussaque, ac iidem ipsi fratres examinati. Qualis Cistercij locus? qualis fabrica? quis fratrum numerus? quæ obseruantia regulæ? Quis tenor vitæ? & rigor disciplinæ? demum compertis veris, quæ narrabantur, Paschalis ad perseuerandum eos exhortans, tali censuit muniendos priuilegio, quod Baronius etiam adducit [b] hoc ipso anno.

b Baron. an. 1100.

3. PASCHALIS *Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili filio Alberico noui Monasterij Abbati, quod in Cabilonensi Parochia situm est, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.*

Desiderium quod ad Religiosorum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua dilatione est complendum. Vnde nos, ô filij in Domino dilectissimi, citra difficultatem omnium vestrarum precum petitionem admittimus, quia religioni vestræ paterno congratulamur affectu. Locum igitur illum, quem inhabitandum pro quiete monastica elegistis, ab omnium mortalium molestiis quietum, & liberum fore sancimus, & Abbatem illic perpetuò haberi, ac sub Apostolicæ sedis tutela specialiter protegi, quandiu vos, ac successores vestri, in ea, quam hodie obseruatis, disciplinæ, ac frugalitatis, obseruantia permanseritis, salua canonica reuerentia Ecclesiæ Cabilonensis. Præsentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuique omninò personæ liceat statum vestræ conuersationis immutare, ne vestri, quod nouum dicitur, Cœnobij Monachos sine regulari commendatione suscipere, nec congregationem vestram astutiis quibuslibet, aut violentiis perturbare. Eam sanè controuersiæ decisionem, quam inter vos, & Molismensis claustri Monachos frater noster Lugdunensis Episcopus, tunc Apostolicæ sedis Vicarius, cum Prouinciæ suæ Episcopis, aliisque Religiosis viris ex præcepto prædecessoris nostri Apostolicæ memoriæ Vrbani II. perpetrauit, nos tanquam rationabilem, ac laudabilem confirmamus. Vos igitur, filij in Christo dilectissimi, ac desideratissimi, meminisse debetis, quia pars vestri sæculares latitudines, pars ipsas etiã Monasterij laxioris minus austeras angustias reliquistis. Vt ergo hac sẽper gratia digniores censeamini, Dei semper timorem, & amorem in vestris cordibus habere satagite, vt quantò a sæcularibus deliciis, & tumultibus liberiores estis, tantò amplius placere Deo, totius mentis, & animæ viribus anheletis. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus, vel Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, Iudex, aut ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, ac secundò, tertioue commonita, si non satisfactione condigna emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat; ac in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis suscipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus scripsi. Datum Troyæ per manum Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, decimo quarto Kalendas Maij. Indictione octaua, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo, Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ, anno secundo. Hæc priuilegium.

Quod tamen, vt id obiter notem, non tam Ordinem firmat, quàm Monasterium, vel quia tunc paucitate Monachorum, fortè nulla alia construenda sperabantur: vel vt in hoc Benedictum etiam referrent veri, & nudi Benedicti sectatores, qui ex Monachis sub Abbate coactis conuentum fecit, non Ordinem ex Cœnobiis sub vno capite.

Sunt, quibus placeat impetrato priuilegio, ni- 4.
hilominus Ioannem, Ildebodumque, Troiæ moratos, Romanam curiam sequuturos quocumque, ac responsuros pro nouo Monasterio, si quibus forsan infestantium calumniis impeteretur. Quasi Procuratorum generalium (sic hodie dicimus) inchoando ministerio. Nec viuente Alberico rediisse, quoad vsque Stephano in locum eius suffecto, occasione bellorum emergentium inter Pontificem, & Imperatorem, quæ Italiam infestabant, imò & Romam; placuit filios per decennium fermè exules reuocare ad propria, quietiùs ibidem, & securiùs permansuros. Sic Fiteriensis *in notis ad Exordium*, cuius putat testimonium pro se habere.
Sic enim [c] ait, loquens de his ipsis. *Qui fratres* c cap. 11.
(scilicet Ioannes, Ildebodusque) *prædicti Hugonis Archiepiscopi, Ioannisque, & Benedicti Cardinalium, Gualteri quoque Cabilonensis litteris sigillatis freti, Romam prosperè ierunt, & redierunt, antequam ipse Papa Paschalis in captione positus Imperatoris peccaret, reportantes eiusdem Apostolici priuilegium, iuxta vota Abbatis, sociorumque eius per omnia exaratum.* Sic in Exordio. Cùm autem constet captionem, & peccatum Paschalis Papæ post vndecimum annum contigisse, nempe anno salutis M. C. XI. quo Henricus Imperator ob inuestituras Episcopatuum constanter sibi à Pontifice negatas, Romæ captiuum tenuit, quoad vsque priuilegium earum per vim extorsit, in quo omnes historici conueniunt, consequitur ab obtento priuilegio, decenniò, vt minimum Romæ permansisse, quorum reditus designatur captione Papæ, ac extorta inuestiturarum concessione.

Nobis Exordij verba perpendentibus, expositio 5.
difficilis, res ipsa difficilior apparet. Et primò quidem in verbis id perpendo, eisdem notis, quibus fratrum reditus, designari priuilegij asportationem, quasi vno, eodemque tempore contigerit, nec transmiserint, sed ipsi reportauerint. Nam *redierunt* (inquit) *reportantes eiusdem Apostolici priuilegium.* Quis autem dicat eodem anno obtentum, Cistercium asportatum post decem annos? aut Albericum ad nouennium superuiuentem numquam vidisse indultum, pro quo miserat? Quin & ad mentem eius reportatum expressè dicitur, quod tamen minus propriè dici posset, si iam ipse de medio sublatus esset. Tum in re ipsa difficile videtur quietem, ac eremum amantes Sanctos, ac ob id tantùm à propria domo exules, cùm vnum solum haberent Monasterium, illudque

inops,

inops, nec adhuc numerosum, in ipso primo feruoris sui initio, ex eremo ad curiam, ex quiete ad negotia transuolasse, & lites præuenisse, quas defenderent, cùm maximè nihil adhuc possiderent, super quo posset cum eis litigari.

6. Crediderim rediisse fratres hoc ipso anno, & priuilegium acceptum retulisse; nec auctores Exordij per illa verba intendisse notare tempus reditus, sed concedentis famam adhuc integram, nec deformem indigna alia concessione. Quasi dicerent hoc ipsum priuilegium à Paschali innocente fuisse obtentum, eóque pluris meritò faciendum, quippe ante natum culpæ sui auctoris. Porrò cur hoc aduertere opus fuerit, Cardinalis Baronius adnotauit, qua solet diligentia, imò iudicio. [d] *Qui nimirum Paschalis Papa, qui hactenus (id est, vsque ad annum millesimum, centesimum vndecimum.) summa gloria Pontificatum vniuersalis Ecclesiæ administrasset, ab eo anno Apostolica constantia succisis neruus visus est languescere, & hebescere: cùm nec tot vndique siue ab his essent Romæ, siue in prouinciis stimulis agitatus in Henricum sacrilegum insurrexerit, eundemve anathemate condemnauerit, nimis tenax custos præstiti, imò per vim, & metum extorti iuramenti. Sed & quod eiusdem proditoris vsum amicitia retinuerit; & quòd ex aduerso vndique magno animo insurgentes, & zelo catholicæ Ecclesiæ libertatis lata æstuantes Patres represserit, magnam ipse sibi notam inussit.* Hactenus Baronius. Quibus videas in Pontifice glorioso per multos annos, ad vltimum inglorio, ac degenere, meritò auctores Exordij adnotauisse concessionem Alberico Patri factam, non ad hoc, sed ad illud tempus pertiuere, adeoque non infectam vltima nota, sed priori concedentis gloria commendabilem.

d Baron. an. 1111.

Reduces Ioannem Ildebodumque, & compotes voti Albericus gratissimè suscepit, gaudens non solùm de obtenta protectione Romanæ sedis, & sui Cœnobij quiete, & firmitate, sed etiam de seruorum Dei aduentu, quorum exemplis, virtutibusque iuuandos reliquos ipsa experientia magistra coniectabat. Et quidem Ioannem miraculis illustrem testatur Seguinus, [e] *Ioannes Cistercij Monachus sancti Roberti discipulus, vir sanctus, & magnis virtutibus conspicuus, cum eo de Molismensi Cœnobio recedēs, venit in Burgundiā, vbi constructo Cisterciensi Monasterio, sub hac nouella plantatione cœpit Deo corde, & animo militare, & multis miraculis clarere, sicut in eius historia habetur.* Hanc historiam si ad manū Segninus habuit, debuit distinctiùs ex ea aliquid depromere. Nos huic anno fragmētū hoc inserimus, quia nulla in sequentibus de hoc beato viro incidet mentio. 7.

e lib. 2. viror. illustr.

IESV CHRISTI ANN. 1101. — CISTERCII ANN. 4.

1. *Quid Albericus suscepto priuilegio, 2. Prima Cistercij statuta, 3. tempus, & auctor; 4. eorumdem statutorum finis, 5. materia quæ; 6. distincta ea, & prior pars proposita, 7. Recentiorum de flocis, 8. varia mens, 9. differentia communior floci à cuculla, 10. Cistercium exemplar religionum reformatarum.*

CAPVT I.

1. ALBERICVS obtento priuilegio, & norma vitæ approbata, ante quàm scripta, quod ferè sine exemplo adeptus legitur, ne materia deesset nouæ gratiæ, statuta non tam de nouo condidit, quàm concepta ante initium sui Cœnobij, fortè, & seruata legenda suis scripsit. Addidit quædam de futuris fundationibus, quas vel in ipso nascentis Cistercij Exordio, angustiisque, fidei retinens, certus præsagiebat. Hæc [a] Beluacensis, Florentinusque Episcopi, cum secundis constitutionibus, imò & cum charta charitatis confundentes in annum millesimum centesimum septimum reiiciunt. Sed & diuersa sic diuersis annis condita, nec vlla in eo, quem ipsi prænotarunt. Prima post priuilegium impetratum, & quæ in virtute illius lata creduntur, Patres nostri memoriæ mandauerunt in hunc [b] modum.

a Vincent. in speculo hist. lib. 27. Antonin. 2. p. tit. 13. c. 16.

b Exor. mag. l. 1. c. 24. par. c. 16.

2. *De hinc Abbas ille, & fratres eius, non immemores sponsionis suæ regulam Beati Benedicti in illo loco ordinare, & vnanimiter statuerunt tenere, reiicientes à se quidquid regulæ refragabatur: flocos videlicet & pelliceas, ac staminia, capitia quoque, ac fæmoralia, pectines, ac coopertoria, & stramina lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula; sagimen etiam, & cætera omnia, quæ puritati regulæ aduersabantur. Sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis, quàm in cæteris obseruationibus regulæ vestigiis sunt adæquari, & conformari. Exuti ergo veterem hominem, nouum se induisse gaudebant. Et quia nec in regula, nec in vita sancti Benedicti eumdem Doctorem legebant possedisse Ecclesias, vel altaria, seu oblationes, aut sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, vel molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam fœminas Monasterium eius intrasse, nec mortuos ibidem, excepta sorore sua, sepeliisse: ideò hæc omnia abdicauerunt, dicentes: vbi Beatus Pater Benedictus docet, vt Monachus à sæcularibus actibus se faciat alienum, ibi liquidò testatur hæc non debere versari in actibus, vel cordibus Monachorum, qui nominis sui etymologiam, hæc fugiendo, sectari debent. Decimas quoque aiebant à sanctis Patribus, (qui organa fuerunt Spiritus sancti, quorumque statuta transgredi, sacrilegium est committere) in quatuor portiones distributas, vnam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis, & orphanis, seu pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras suas possidet, vnde, & per se, & per pecora sua laborando viuat, non reperiebant, ideò hæc veluti aliorum ius, iniustè sibi vsurpare detrectabant. Ecce huius sæculi diuitiis spretis, cœperunt noui milites Christi cum paupere Christo pauperes inter se tractare, & cogitare, quo ingenio, quo artificio, seu quo exercitio in hac vita, se, hospitesque diuites, & pauperes superuenientes, (quos vt Christum suscipere præcipit [c] regula) sustentarent. Tuncque diffinierunt se conuersos, Laicos, barbatos de licentia Episcopi sui suscepturos, eosque in vita, & morte, excepto monachatu, vt semet ipsos tractaturos: & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo eorum non intelligebant se plenariè die, siue nocte præcepta regulæ posse seruare.*

c in reg. D. Bened. c. 53.

Susce

Suscepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & siluas, aquasque ad facienda molendina, ad proprios tamen vsus, & ad pisi atio nem, & equos, pecoraque diuersa necessitati hominum vtilia. Et cùm alicubi curtes ad agriculturas exercendas instituissent, decreuerunt, vt prædicti conuersi domos illas regerent, non Monachi. Quia habitatio Monachorum (secundùm regulam) debet esse in claustro ipsorum. Quia etiam Beatum Benedictum non in ciuitatibus, nec in castellis, aut in villis, sed in locis à frequentia hominum remotis Cœnobia construxisse, sancti viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant. Et sicut ille Monasteria constructa per duodenos Monachos, adiuncto Patre, disponebat, sic se acturos confirmabant.

3\. Hactenus noui Monasterij nouæ leges, in quibus multa occurrunt notatu digna. Primò autem quod attinet ad tempus, certum est, ad initium huius anni, aut finem præteriti pertinere; id enim denotat aduerbium illud *dehinc* priuilegio subiunctum, ac præpositum his constitutionibus. Quasi dicerent historiæ illius auctores, eas leges tunc primum latas fuisse, cùm tanti priuilegij auctoritate validæ omnino, & firmæ esse potuerunt. Nec de auctore dubitare licet, cùm Beatissimum Patrem Albericum, veluti fronti scriptum præseferant, *Dehinc Abbas ille*. Imò, vt habetur in quibusdam manuscriptis. *Dehinc Albericus*, quo pacto

d ad an. 1100. legit [d] Miræus in suo Chronicô. Nam quod de aliis fratribus subiungitur. *Abbas ille, & fratres eius.* Ad præstitum consilium, ad sensumque, non ad lationem censeo referendum. Crediderim tamen Beatum Patrem Stephanum, Ioannem, Ildebodumque, cum priuilegiu è curia tunc reuersos, & forte à Paschali Papa ad hoc instructos Abbati sancto præ aliis affuisse, nec sine illis quidquam

4\. actum esse. Iam scopum, finemque præfixum habent, eumque duplicem, vtrumque à principio intentum à sanctis viris; obseruationem totius sanctæ regulæ, & Beati Patris Benedicti imitationem.

e suprà in introduct. c. 1. num. 1. Primum exprimunt satis verba illa [e]. *Regulam Beati Benedicti in loco illo ordinare, & vnanimiter statuerunt tenere, reiicientes à se quidquid regulæ refragabatur.* Et item illa. *Sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis, quam in cæteris obseruationibus, regulæ vestigiis sunt adæquati, & conformati.* Secundùm verò immediatè subsequentia. *Et quia nec in regula, nec in vita sancti Benedicti eumdem Doctorem legebant possedisse Ecclesias,* &c. Et rursus. *Quia etiam Beatum Benedictum non in ciuitatibus, aut castellis Cœnobia construxisse sancti viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant.* vt videas sanctos illos Cistercij Patres, cœpto semel itineri inhærentes, nequaquam huc, aut illuc diuertisse, nec destitisse à Benedicti imitatione, nisi priùs Benedicti exemplis destitutos: quod, qualiter, & quando factum sit, suo loco commodiùs enarrabimus. Hæc de fine. Quem video expressum à Iacobo de Vitriaco in sua illa historia

f cap. 14. Occidentali, sub his verbis. [f] *Primi igitur Cistercienses nigrum habitum in griseum commutantes, vetera reformare, & noua superaddere studuerunt, non solùm à se superflua resecantes, sed à multis licitis arctiùs abstinentes.* Vetera, inquam, reformare ex præscripto regulæ, atque his ipsis exempla superaddere, quæ noua vocat in obligatione, quamuis aliàs coæua antiquis legibus.

5\. Materiam etiam duplicem inuenio; alteram ad directionem illius domus, *regulam Beati Benedicti in illo loco ordinare.* Alteram ad aliarum fundationem, hanc, quia in regula omisit sanctus Pater, ipsius per omnia exemplis regularunt. Nempe vt per duodenos non minus Monachos, tertiodecimo Abbate illis adiuncto, nec nisi in remotis à frequentia hominum locis, desertísque per eos construerentur. Diuitiis cumulatos, & auctos numero, vtrumque satis decretum arguisset, quippe fugientes iuuamen aliorum hominum, neque fratrum missiones formidantes, si non paucitatem penè vsque ad defectum, & nihilominus inopiæ adhuc cedentem, sequentis temporis euentus demonstrassent. Sed vicit vtriusque metum constantia animi, atque ardor optatæ perfectionis. Hactenus quæ in decretis illis satis clara, nulla alia maiore face indigent. Cæterúmque adæquandæ regulæ instituta, obscuriora parumper, quia prima, quia seueriora, quia plura numero, quia totius Ordinis normam præferentia: adeóque, quæ ex antiquitatis tenebris eruta vniuersæ historiæ prælucebunt, maiori quàm solemus cunctatione, & sigillatim erunt enucleanda. Nec occurrit hoc anno quidquam aliud, quo debeamus ab istis retardari.

Duplices sanè actiones præscribit [g] regula, & singulorum, & totius communitatis; illis vestitum, victum, somnúmque, tria præcisa subsidia præsentis vitæ. Huic possessiones, pretiúmque sudoris, vnde omnibus necessaria prouideantur, nec domesticis tantùm, sed peregrinis. Et quia in his omnibus declinasse se censebant à sancti Patris vera institutione; singulis etiam adaptarunt sua remedia, aspera quidem, & vix tolerabilia, sed, si quæ alia, morbis profutura. Primò ergo de vestitu hæc statuerunt. [h] *Reiicientes à se quidquid regulæ refragabatur; flocos videlicet, pelliceas, ac stamina, caputia quoque, ac fœmoralia.* Huc vsque de vestibus; sed quid sub his nominibus abiecerint, non vno modo explicant auctores. 6.

g reg. c. 39. 40. 45. & 31.

h Exor. paru. c. 16. & mag. l. 1. c. 14.

Yepes [k] per *flocos* intelligit cucullas, manicas amplas, longásque habentes; per *cucullas* easdem amplas, & longas vestes, sed sine manicis. Motus, vt credo, auctoritate Clementis quinti in Clementina, *Ne in agro*, de statu Monachorum, vbi sic flocum distinguit à cuculla. *Verùm ne ex diuersa acceptione, quam in diuersis regionibus huiusmodi vocabula, flocus videlicet, & cuculla videntur habere, hæsitandi circa præmissa materia relinquatur; cucullæ nomine habitum longum, & amplum, sed manicas non habentem; nomine verò floci habitum, qui longas, & amplas habet manicas, nos intelligere declaramus.* Hæc Clemens quintus. In quibus tamen non quid olim in Gallia floci nomine, sed quid ipse suo tempore in vniuersa Ecclesia velit intelligi, manifestè determinat. Quin dum diuersam significationem in diuersis regionibus agnoscit, quam ipse tradit, nec tunc esse communem, nec fuisse olim, fatetur clarè potius, quàm insinuat. Nec credendum est primos Cistercij Patres cucullas sine manicis gestasse, ne dum eas abiecisse, quia manicatas. Certè in vita sancti Petri Tarantasiensis, qui primitiuum Cistercium illustrauit, manicatas nostrorum cucullas lego. Vnde & de quadam, quam furto subripuisset, cùm non posset educere extra claustra, dicebat latro. [l] *Accipe cappam tuam manicatam*, &c. 7.

k centur. 7. c. 2. ad ann. 1099.

l cap. 17.

[m] Brito per *flocos* intelligit cucullas distinctas serico, quod tamen vnde hauserit non video. Nisi fortè quod Hispanè *fluecos* dicimus, cucullarum ornatui superadditum, putauerit eis nomen indidisse. [n] Henriquez duplicatas, vulgo *aforradas*, idque (vt puto) ex deprauata lectione manuscripti, quod *foricos* transcripsit flocorum loco; quo etiam errore [o] Miræus ductus apparet. Petales 8.

m lib. 1. c. 10.

n in fasciculo.

o ad an. 1100

p Epi

p in vita S. Bern. q lib. 1. c. 25.

p Episcopale insigne, quod nos *mucas*. Turpinus q Montaluo, qui calceamenta, quæ nos *chinelas* dicimus, sine adlusione, sine auctoritate interpretatur.

9. Ego flocos, cucullasque pro eodem habitu, ex diuersa materia, & structura, diuersum sortitò nomen, sumenda puto. nam qui ex vili materia, & forma rudi, strictus, & breuis cuculla communitet, qui ex pretiosa, eleganterque confectus, amplus, & longus flocus dicebatur. Sic nos quæ femoralia apud Latinos, duplici nomine Hispani nuncupamus. Si ex panno vili, formáque agresti *zarafuelles*, si ex pretioso, & vrbana, *gregescos* dicimus. Cuius generis multa alia exempla suppetunt. Moueor, quia video consuetos Monachis flocos, quos Cistercienses leguntur abiecisse, à sancto Patre Bernardo cucullas dici, addito solùm eis materiæ pretio, ac facienre ad formam magnitudine. r *Ecce* (inquit) *ipse habitus noster, qui humilitatis esse solebat insigne à Monachis temporis nostri in signum portatur superbiæ. Miles, & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam, & chlamydem. Quæritur non quod vilius, sed quod subtilius inuenitur: non quid repellat frigus, sed quod superbire compellat; non denique iuxta* s *regulam, quod vilius comparari posset, sed quod venustiùs, imò vaniùs ostentari.* Ita Bernardus damnat, quod abiecit, nimirum flocos. E contra verò Petrus Venerabilis, eiusdem temporis auctor sanctus, & doctus, quique pro sua Cluniacensi congregatione super his obseruantiis sæpe disceptans, nunc obiectis à nostris respondebat, nunc etiam ipse quædam obiectabat, dum de hac Monachali veste loquitur, t Cisterciensium cucullas flocos nominat, simplices tamen, ornatuque carentes, quasi idem sit cuculla, quod simplex flocus. *Prævaricamini* (ait) *nobiscum, & vos, qui simplici floco, aut cuculla contenti esse non vultis*; simplici, inquam, floco, seu cuculla, vtrumque nomen vsurpans, quasi synonymè; ac si nos diceremus, *vnos griguescos toscos, o zarafuelles.* Nimiam porrò flocorum longitudinem, amplitudinemque, cucullarum angustias, & breuitatem duplici alio eorumdem Sanctorum testimonio, compertas habeo. Namque Bernardus Monachorum aliorum flocos superfluitatis notat in hæc verba. u *Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas vestis interioris vanitatis indicium est.* E contra verò Petrus Venerabilis, siue hanc eamdem longitudinem excusans, seu nimiam breuitatem obiiciens Cisterciensibus, sanctum Martinum producit in exemplum, *de quo* (ait) *admirabili, & vetere Monacho, non legimus, quòd albo, & curto, sed quòd nigro, & pendulo pallio procedebat.*

r in apolog. ad Guillelm. Abbat. s in reg. c. 43. t lib. 1. epist. 28. u vbi supr.

Differebant ergo flocus, & cuculla, quòd hæc ex vili materia, strictáque, ille amplius, & ex panno pretiosiori. Quare Monachis reformandis ad normam regulæ, hic necessariò abiiciendus, illa retinenda. Atque hoc in Cistercio tunc prouisum reformandarum Religionum exemplar fuit, quod nostro sæculo tot aliæ imitarentur, restitutionem collapsæ disciplinæ auspicantes ab habitu exteriori, antiqua forma vtrumque conseruata; sed breuioribus palliis, & strictioribus, ac subiecta materia viliori. Sic Franciscani, Carmelitæ, & quotquot visuntur hodie, suis initiis restituti.

---

1. Pellicea quid? 2. duplex staminearum expositio: 3. prælata posterior, 4. explicatus Petrus Mauritius. 5. Quid de caputiis. 6. & quæ à nostris reiecta. 7. Femoralium communior expositio. 8 Varia aliorum de brachils interpretatio, 9. & probabile femoralia breuia significare; 10. quamuis ab antiquis pro cingulo vsurpetur. 11. De pectinibus prior expositio, 12. atque item alia non prorsus reiicienda.

CAPVT II.

1. DE pelliceis minor disceptatio est, conuenientibus omnibus, significare vestes contectas pellibus, seu solis tunicis illæ adaptarentur, seo etiam flocis. Nam vtramque vestem pelliceam nominasse videtur Petrus Mauritius epistola alia ad Bernardum Patrem, sub his verbis. *Simplici* a *oculo tu vteris* (Cisterciense alloquitur) *qui duabus tunicis, & duabus cucullis, vel huius generis paucis additis vestibus,* (id est, vilibus etiam, & abiectis) *contentus est.* Quibus statim vtramqoe vestem excusans in Cluniacensibus, subdit. *Simplici oculo & tu vteris, qui vsum mediocrium pellicearum* (*haud dubium quin in vtraque veste*) *admisisti; quia debilibus, quia infirmis, quia delicatis, quia omnibus, quantum ad frigidiores terras pertinet, ne murmurarent, ne languerent, ac à proposito recederent, prouidisti.* Porrò pelliceas non aliunde dictas, quàm à pellibus, constat eiusdem Petri testimonio, earum rationem reddentis, in hæc verba. b *Post hæc quæritis, qua auctoritate vsum pellicearum, & diuersarum pellium nobis defendamus.* Et respondet. *Sanctos quoque Prophetas pellibus vsos; Heliam zona pellicea accinctum legimus; Ioannem* c *Baptistam vestitum pilis cameli; Antonium quoque Monachum pellicea vsum, & tandem ipsum Patrem Benedictum, quem cùm vestitum pellibus inter frutecta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt.* Hæc Petrus in pellicearum defensionem. Quas tamen non solùm tanquam præter, sed contra regulam præcipientem contentum esse Monachum tunica, & cuculla de panno vili: nec frigoribus pelles opponentem, sed pannum ipsum, primi Cistercij Patres abiecere, nimiæ indulgentiæ adscribentes noua tegmina, varietatem nimiæ etiam vanitati.

a lib. 4. epist. 26. b lib. 1. epist. 28. c Marc. c. 1.

Tertio loco stamineæ reiectæ, anceps vocabulum, & si supponat pro detracta aliqua veste, penè ignotum: si pro materia vestium, satis tritom: secunda hæc illius interpretatio, quia notior, receptior, etiam in hoc loco: illa fortasse verior, sed huc vsque ignota, quia abstrusior. Pelliceis vestibus, anctores, stamineas, duplicibus, leues, & simplices opponunt. Vt sicut frigoris sub tempore, addere panno contrarium regulæ: sic in æstate pannum sibi detrahere, & loco illius staminea tela indui, antiqui Patres nefas indicauerint; quippe subtiliori, delicatiorique, quam nos vulgo vocamus, *estameña*, siue *anascote*. Sanè legislator id vnum leuamen dedit vtrique tempori. d *Vt in hyeme villosa vestes sint,* (id est, nouiores) *in æstate puræ, ac vetustæ.* Nec minus piaculum visum, his non vti, quàm illis è contra quidquam superaddere. Hæc probabiliter huc vsque ab aliis dicta, nostra tempora nec leuiter incusant; quibus cucullis ex panno iam reiectis, stamineis vtimur. 2.

d in reg. c. 55.

Vtinam non,& ex eadem materia tunieas, ex eadem ſcapularia conficiamus.

3. Ego in ſtamineis reiectis maius aliquid, & regulæ conformius latere puto: pannoſa tunica ad carnes ioduenda, ſine vlla ſubucula inferiori, quæve nunquam ex lino permiſſa Monachis, ſic ſtaminea indulta, & nunc, & olim, à materia ſtaminea nominabatur. Moueor, quia video in regula, vbi vel mioima eriam recenſentur ad vſus frattum, nullam ſubucularum mentionem fieri; ſed Monachum conteotum eſſe iuberi, cuculla, tunica, & ſcapulari. Tunica, inquam, ad carnem induenda, ſcapulari, aut cuculla ſuperiniectis; hac in vſus clauſtri ſactatiores, illo ad labores manoum quotidianos. Ergo qui id ſolum præ oculis habebant, vt regulæ per omnia cooformarentur, reiecere ſtamineas, hoc eſt, ſubuculas, tertiam veſtem reprobatam à ſancta regula. Conſonat dictis Iacobus de Vitriaco, proximè auctor ſæculi, de noſtris Patribus loquens io hunc modum. *Pellibus, & camiſiis non vtuntur*, &c.

in hiſt. occid. cap. 15.

Atque hinc videas, Bernardum poſt annos aliquot, quantumuis ſtomacho ſupra humanas vires laborantem, variiſque præpeditum infirmitatibus, nihilominus non addidiſſe hanc tertiam veſtem, niſi de Capituli generalis licentia, imò mandato; eamque non ſtamineam, ſed pannoſam, Bernardo Bonævallis Abbate ita ſcribente. [e] *Acceſſit, (ait) & omnium Abbatum ſui Ordinis iuſſio, quibus per omnia tanquam Patribus deferebat, ipſe omnium Pater. Ex quorum etiam mandato, nouiſſimis quidem annis, præter cucullam, & tunicam, laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, (nempe interius) & pileo ſimili vtebantur.* Laneo, inquam, panno, in modum chlamydis decurtatæ: hoc eſt, pannea ſobucula, valentibus per regulam prohibita, adeoque & deneganda Ciſterciј legibus; ſed permiſſa infirmis, vt quædam alia.

e lib. 2. cap. ..

4. Porrò autem monaſticas ſubuculas, à materia ſtamineas olim dictas, habemus ex ſtatutis Cluniacenſium editis ſub id tempus, quibus eædem flagellandis fratribus non ſcindi, ſed detrahi, contra hactenus conſuetum morem, præcipiebantur. [f] *Statutum eſt (ait) vt ſtaminea, quæ ex more antiquo, propter grauiora qualibet, fratribus acriùs flagellandis, ſcindi ſolent, & vſque ad cingulum violenter detrahi, vlteriùs non ſcindantur; ſed ſtaminea integra manente, verberibus ſubiiciendus frater exuatur.* Locus certè aliàs ſatis difficilis, ſed iam perſpicuus, & confirmans noſtram ſententiam. quippe aliæ veſtes, aut raro, aut nunquam confectæ ex hac materia, non potuerunt ex ea ſortiri nomen; ſed nec putandum ſcindi conſuetas, laxas præcipuè, quo faciliùs exuerentur; nec perdendas, ex panno pretioſiori. Interior tonica, quia ſtrictior, indigebat, quia vilior, cum minori iactura ſcindi poterat; quod hodie aliquando videmus etiam fieri. Has ergo tunicas ſtamineas vulgò dictas illis temporibus, quia nulla de eis mentio facta in regula, crediderim, repudiatas à ſanctis Patribus, pannoſas immediatè ad carnes induituris, eiſque, & cucullis tantùm operiendis. Id exemplum ſecutus poſt centum annos eximia illa, & viua Chriſti imago (Franciſcum dico, egregium Eccleſiæ iubar) fratribus ſuis in regula præſcripſit, duabus tantùm veſtibus ſe tegere, ſiue, vt nominat ipſe, duabus tunicis.

f Statut. 65. inter ſtatuta Petri Venerabilis.

5. De caputiis maior adhuc controuerſia, nec ſatis certum habemus, qoid ſignificent. Quidam Epiſcopalem habitum intelligunt, quod non crediderim: nec video à Monachis vſurpatum illis temporibus. Alij capitis tegmen, quod nos *Capilla*. Sed hoc cucullis ab initio fuiſſe appenſum, imò & ab eo cucullas nominatas, quia hoc idem tegmen ab antiquis *cucullus* dictum, clarius eſt, quàm vt multis indigeat probationibus. Inde Mantuano *Paſtor irriſus*, dicitur,

Bardo cucullatus caput, vt campeſtris alauda.

Quis autem putet ſanctos illos Patres, quod ſui habitus propriiſſimum erat, abieciſſe? aut quæ præuaricatio ſub eo tegmine, humili ſanè, ac apto cohibere laſciuiam viſus? Alij caputij partem inferiorem, quæ in humeros expanſa, inde in pectus, dorſumque protenditur. Et vero ſimile id nobis appareret, ſi non videremus beatiſſimi Patris Bernardi veras effigies neutra parte caputij defraudatas. Alij caputium pro capitio poſitum, capillorum operculo, vulgo *Dirrete, o, bonete redondo.* quod Monachis in vſu non ſolùm tunc, ſed etiam noſtra ætate. Forte caputiis, non ſecus ac cucullis, curioſitatis, & vanitatis virium tunc irrepſerat. Id quod ſancti Bernardi verba indicans, ad Robertum ſcripta, dum aliis Cluniacenſium ſuperfluitatibus, oon quæcumque, ſed capucia ampla ſubiungit. *Si pellicea*, inquit, *lenes, & calida, ſi panni ſubtiles, & pretioſi, ſi longè manica, & amplum capucium, ſi operimentum ſilueſtre, & molle ſtramineum ſanctum faciunt: quid moror ego, qui te non ſequor*, &c. Epiſt. 1.

6. Ego quæcumqoe capucia ſeparata, ſiue à cucullis, ſiue ab ſcapularibus, prohibita hac lege mihi perſuadeo; quia ad ornatum longè, quàm appenſa, aut aſſuta, conducentiora. Vnde Hieronymus id genus indumenti [g] *cucullas fabrefactas* nomioauit, id eſt, arte, & curioſitate elaboratas. Certè à Ciſtercio relegata per longum tempus, ad noſtrum vſque deducta conſuetudine, vt caputia cucullis ferè vbique ſcapularibus alicubi aſſuantur. Et ſi de priſcis temporibus loquamur, habemus teſtem ſatis locupletem, Bernardum Caſinenſem Abbatem, ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, qui floruit ſub Alexandro, & Vrbano, vtroque quarto, de Ciſtercienſibus ſui æui loquentem in hunc tenorem. [h] *Tam Caſinenſes, quàm Ciſtercienſes habitum capuciatum, à ſcapulis ex vtraque parte dependentem, ſcapulare adpellant.* Habitum, inquam, capuciatum dependentem ex vtraque parte, id eſt, capucio aſſutas vtrimque alas; neque duplicem veſtem, ſed vnam tantùm. Translatum id ad conuerſorum habitum, atque inter alia expreſsè diffinitum. [i] *Capucium tantummodo ſcapulas, & pectus cooperiens.* hoc eſt, breuiori aſſutum ſcapulari, ſed aſſutum tamen; nec diuerſam, ſed eamdem omnino veſtem. Denique totius perfectionis æmulator, ſanctus [k] Franciſcus tunicam capuciatam indicit fratribus, id eſt, vt puto, cui capucium eſſet appenſum. Illud mihi omnino certum eſt, ab antiquis non ſolùm hæc capucia, ſcapularis nimirum, atque cucullæ, adpenſa in vſu; verùm & tunicæ, quod ex ipſo vſuum libro facilè colligo, vbi de flagellandis fratribus loquens, hæc habet verba.

g Epiſt. 22. ad Euſtoch. cap. 12.

h in cap. 55. regulæ.

i diſtinct. 14. cap. 21.

k cap. 2.

Qui

cap. 70. *Qui verberandus, postquam ab Abbate exui iussus fuerit, mox assideat, in eodem loco, in quo stat, & exuens cucullam, ponat eam ante se super genua sua. Per caputium verò tunica exuat brachia, & totum corpus vsque ad cingulum*; &c. Sic liber vsuum. Ex quo obiter videas, caputium album, quo nos Hispani vtimur, ac *breue* nominamus, & subcaputio cucullæ, siue scapularis semper gerimus, antiquis in vsu, & sine caosa à cæteris omissum. Nisi quòd nos separatum à tunica, frequentiùs abluendum, antiqui ad pensum, vt caputia alia gerebant. Ergo prohibita caputia separata non immeritò licet coniectari, quin appensa omnino simpliciora, & conformiota regulæ, in qua non alia de causa omissa sunt, nisi quia partes vestium, quæ recensentur.

7\. Sic femoralia, quia à sancto Benedicto itinerantibus tantùm conceduntur. [l] *Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant, & reuertentes lota ibi restituant.* Sibi, quandiu manerent in Monasterio, cum superfluis censuerunt resecanda Quare & ab eis in totum abstinuisse, ab eodem Cardinali Bernardo scriptum lego. [m] *Femoralia* (inquit) *brachas appellamus, quasi breues; Braci enim grecè, breue Latinè. His Vltramontani Monachi vtuntur indifferenter, magnam in hoc vsu munditiam æstimantes. Casinenses autem non his vtuntur, preterquam in via directi. Cistercienses etiam non vtuntur eisdem, vsum autem non reprobo: sed puto, quòd tempore huius institutionis rarus erat vsus bracharum.* Ita Bernardus, quibus clarè docet, femoralia, hoc est, omnem vestem femorum, prohibitam in regula, atque eam prohibitionem acceptatam, atque lege sancitam, & obseruatam à nostris Patribus. Consonat in suo commento sancta Hildegardis [n], Beato Patri Bernardo coæua, de qua inferiùs. Atque hanc sententiam probatam multis video, vt faciliùs aptandam ad textum regulæ.

l cap. 55. reg.

m in cap. 55. reg.

n in cap. 55. reg.

8\. Sed nec crediderim reprobandam eam, quæ negat Benedictum Patrem id genus vestium prohibuisse Monachis, maximè cùm inter necessaria illis præstanda, numeretur brachile, dicente Sancto. *Et vt hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria; id est, cuculla, tunica, pedules, caliga, brachile*, &c. quod sanè nomen, à braccarum vocabulo deductum, tegmen sonare videtur illarum partium. Turrecremata, [o] dum verba clara putat, inexplicata reliqoit, & perobscura. Smaragdus nec leuiter rem attigit. Siluanus Camaldulensis, confusè licèt, indicat per *bracile*, femoralia ex panno; per *femoralia*, linea intelligenda, atque illis concessit, hæc negata, itinerantibus tantùm seruitura. Et potuisset Siluanus pro se adducere auctoritatem Petri Venerabilis, linea tantùm excusantis in suis Monachis. [p] *Femoralia* (inquit) *eadem ratione necessitatis, munditia, & honestatis nobis defendimus; recolentibus insuper Deum præcepisse, ne summus* [q] *Sacerdos sine femoralibus lineis, ad altare suum accedere præsumeret.* Hæc Siluanus adducere potuisset, pro lineis tantùm domi denegatis, laneis concessis. Verùm si vtraque ad genua vsque cadebant, non video, cur itinerantibus linea concederentur, cùm lanea essent longè decentiora: sed neque ad honestatem quidquam facerent, si vtraque femora ipsa æqoè contegerent.

o in cap. 55. reg.

p lib. 2. epist. 28.

q Exod. 28. & 39. Leuit. 6. & 16.

9\. Crediderim probabiliter dici posse, concessa breuia, longioribus prohibitis, & pro solis in via directè reseruatis. Quippe illa necessaria credita cunctis, inhonestis naturæ contegendis. Hæc solis equitantibus vtilia, tunicam in ascensu, aut descensu, quamuis honestè, & prouidè demitterent, inuoluntariè aliquando eleuaturis. Ergo brachile indumentum breuius erat, proprio vocabulo exprimente breuitatem, à voce Græca βραχὺ, quæ breue sonat; neque operiens inferiorem partem femoris. E contra verò femoralia longa, decidentia vsque ad genua; atque à femoribus, quæ integrè tegebant, sic adpellata, eoqoe itinerantibus aptiora. Certè hoc modo regulam intelligit, exequiturque, vt alia prorsus ad literam, sacra Fulliensium Patrum congregatio, edita ad idem caput constitutione, quæ ita habet. *Femoralia, seu mutanda petentibus à superiore concedantur. Sed linea ex tela crassiori, & breuiora; iter facturis longiora, & hyeme lanea, si petierint, dentur.* Hactenus executores sanctæ Regulæ, neque ideo interpretes eius fideliores, vt satis congruè adpareat dici posse, nec beatissimum Patrem Benedictum inhonesta naturæ vnquam nudasse, nec primos illos Cistercij sanctos Patres earum partium tegmen abiecisse: sed lineum tantùm, longiusque, vt in aliis, vtpote delicatius, & superfluius. Retento nihilominus breuiori, laneoque, quod sic verenda operiret ad honestatem, vt breuitate paupertatem præ se ferret; nuditate ad continentiam prouocaret. Fauet & expositio sanctæ Hildegardis (aliter licèt superiùs sentientis) & sacræ Bursfeldensis congregationis, dum ad brachile religatas caligas tradunt. [r] *Caligas* (inquit) *Bursfeldensis congregatio, laneas, in hyeme longiores, ad brachile religatas.* Namque vix aliud assignabile est, ad quod caligæ possint religari.

in constit. ad c. 55. regulæ.

r dist. 3. c. 24.

10\. Scio graues, & doctos recentiores longè aliter brachile interpretari; nempe pro cingulo, quod à collo dependens, pectusque in modum crucis, quasi recolligens, subtus brachia retrorsum protendebatur; indeque vtrimquè anteriorem ad partem versum, ne diffluerent vestes, colligabat. Suppetunt multa testimonia veterum Patrum, sed inter alia Isidori verba adducam, quæ non solùm vocabulum declarant, sed & etymon sumptum à prisco vsu. [f] *Redimiculum* (ait) *est, quod succinctorium, seu brachile nuncupamus, quod descendens per ceruicem, & à lateribus colli diuisum, vtrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit; vt constringens latitudinem, vestiat corpus, atque continugendo, componat. Hoc vulgò brachile, quasi brachiale vocant; quamuis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. Succinctorium autem vocata, quod, vt dictum est, sub brachiis ductum alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit.* Hæc Isidorus. quæ nimium huic parti faocre, nequaquam dubito. Sed nobis tetigisse vtramque expositionem satis est, non ex professo rem illam discutientibus, sed reiectorum à nostris femoralium, iuxta præscriptum regulæ, occasione.

f lib. 19. etymolog.

11\. Huc vsque de vestibus, quibus reformatis, ad lectos transierunt sancti illi Patres: cùm tamen pectines priùs reiecessent. qui quam reformationis concernant partem, non de facili ausim iudicare. Nam quod existimat Abbas Fiteriensis, [t] Monachos illius temporis nutriisse barbam, cui

t in not. ad Exord. parui cap. 16.

pectendæ consueuerint adhiberi; idque vt superfluum, & molliriem quandam præferens, omnino reiectum; quia neque auctoritate fulcitur, neque ratione, minus probabile semper iudicaui. Quin & oppositum habemus in Exordio, atque hoc ipso capite eius, quod explicamus. quippe vt conuersos distingueret à Monachis, barbatos eos futuros pronunciauit. [u] *Tunc diffinierunt* (ait) *se conuersos, laicos, barbatos, de licentia Episcopi sui, suscepturos*, &c. Verum est tamen rarioribus tonsuris, iisque ad inuicem sine vlla arte factis, inæquales capillos Monachorum, implexósque, pectines fortè admittere consuetos, imò exposcere; quos nihilominus, quia molliriem redolebant, sancti Patres abiicere debuerunt. Raras tonsuras, præcipuè sub his initiis, conuincere videtur statutum, quod post aliquot annos confectum legimus; nempè vt ob reuerentiam sanguinis Christi, tonderentur frequentiùs, ne prolixiori barbæ sanguis hæreret. Porrò easdem adinuicem sine arte, non solùm nostris in vsu, sed Cluniacensibus, habemus ex eiusdem domus Chronico, vbi Henricus vigesimus nonus illius Abbas. [x] *Rasuram fieri statuit per tonsores sæculares, quam fratres temporibus præteritis inuicem faciebant; & inde contingebat, vt non rasura, sed potius excoriatio diceretur.* Igitur rarò, & sine arte tonsis, fortè tunc temporis pectines in vsu; quos Patres nostri reiicere potuerunt, non solùm quia superflui, sed quia molles.

u part. 5. c. 16. & mag. lib. 1. c. 24.

x sub Henr. Abb. 19. l. 1 cap. 24.

12. Quid, si dicamus, reprobatos pectines, quibus vestes pilosæ pectebantur? Namque tales in vsu olim fuisse, constat ex verbi significatione. *Pectere* (inquit Calepinus) *vestes dicimus; & vestes pexæ dicuntur, quæ in superficie quasdam, velut lanosas exuberantias præ se ferunt; quales vestes sunt, quas cotonizas, seu frisatas vulgus vocat.* Atque hoc modo intelligendum docet illud ex Plinio. [y] *Istriæ, Liburniæque pilo proprior, quàm lanæ, pexis aliena vestibus.* Porrò nec Monachos antiqui illius, qui pepercisse huic ornatui, habemus ex Hieronymo, Iouinianum eiusdem incusante. [z] *Antea* (ait) *nudo eras pede, modò non solùm calceato, sed ornato; pexa tunica, nigra subucula*, &c. Ergo hi pectines potuerunt etiam reiici, si fortè tunc in vsu Monachorum. Sed hæc incerta: & quæ, vt omissa incuriam redolerent, sic affirmata audaciam indicarent. Lector, cui parti maluerit, adhæreat: nos interim ad alia transeamus.

y lib. 8. c. 28.

z lib. aduersus Ioui. c. 13.

---

1. In lectisterniis quid cautum per has leges. 2. Quid in victu? 3. Quid tandem in reditibus? 4. Admissa pecora, agríque colendi. 5. Immenso, & supra humanas vires labore. 6. Conuersi quorsum admissi, 7. sine iuuentis: 8. aut nullis, aut simplicibus tantùm votis obstringebantur. 9. Cisterciensis Ordinis ab aliis rerum discrimen.

CAPVT III.

1. IN lectis duo duxerunt reiicienda, stramina nimirum, & opertoria, hoc est, quæ subtus, & quæ super redundabant: hæc tanquam vanitatem præferentia, illa delicias. Nec tamen omne stramenti genus, omne lectorum regmen repudiarunt; nec aperti elegerunt cubare in nuda terra, quod esset contra, vel saltim supra regulam; sed ea tantùm, quæ prætergrediebantur illius metam. Sic enim lego in Petro venerabili, obiectum fuisse suis, à Cisterciensibus. [a] *De stramentis autem lectorum, vtrùm magistrum* (Benedictum) *sequamini, ipsi videte; cùm certè plura, & diuersa, quam regula præcipit, vobis supponatis, & superponatis*, &c. Non dixit, cùm aliqua, quod vtrisque commune; sed cùm plura, & diuersa, quod illis proprium. Sanctus Pater de lectis Monachorum hæc verba habet; [b] *Stramentis autem lectorum sufficiant matta, sagum, lana, & capitale*, id est, *vn gergon, dormanas, y vna almohada.* His Monachi illius temporis addebant culcitra plura, ex lana, siue ex pluma; & coopertoria varia, ac pretiosa, de quibus Bernardus Pater *in Apologia. An non possent dormire, nisi super varium stratum, & super peregrino coopertorio?* Hæc igitur abiecerunt, quæ redundabant, illis contenti, quæ regula præscripserat. De his Cardinalis Iacobus de Vitriaco. *Habent autem lectos* (scilicet Cistercienses) *de stramine, & sagus mediocriter duros, nec mollitie pigros, nec ornatu delicatos, in quibus cum tunica, & cuculla vestiti iacent.*

a lib. 1. epist. 28.

b reg. cap. 55.

in hist. occid. cap. 15.

2. Iam in victu alia duo reiecta sunt, æquali zelo, neque occasione inæquali. nempe diuersa, & plura ciborum fercula, & sagimen. Namque hoc successisse loco piscium, & (quod mireris) adhuc in sextis feriis, ex ipsis statutis Cluniacensium non obscurè constabit, quæ mox adducam. Quin & carnibus etiam vesci solitos, neque rarò, aut parcè; habemus ex prænominato Abbate Petro, ita scribente ad Priores sui Ordinis. [c] *Doleo nullam iam distantiam esse, quantum ad esum carnium, inter fratres nostros, & laicos; inter sæculares, & Religiosos, imò, vt expressiùs dicam, inter scurras, & Monachos.* Et post pauca. *Sola olla Ægyptiorum placent: assus, aut elixus porcus, iuuenca pinguis, cyrogrillus, & lepus, anser, & gallina, & prorsus omne quadrupes, aut volatile, sanctorum Monachorum mensas operit.* Porrò ex his non duo tantùm fercula, iuxta præceptum regulæ, sed quatuor etiam, & quinque ministrati consueta, testatur Pater Bernardus *in Apologia. Quomodo* (ait) *regulam seruant, qui pelliceis induuntur? sani carnibus, aut carnium pinguedine vescuntur? tria, vel quatuor pulmentaria vna die admittunt?* Et rursus. *Tanta quippe accuratione, & arte coquorum cuncta parantur, quatenus quatuor, aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima; nec satietas minuat appetitum.* Cùm igitur & sagiminis, necdum carnium, & plurium ferculorum comestio contra regulam esse cognoscantur, qualitatem, quantitatémque contrariam regulæ, non secus atque alia reprobarunt. Sic vestitum, & victum, atque somnum antiquis moribus per omnia restituerunt. De his idem, qui supra, Cardinalis. *Carnes nisi in graui infirmitate non manducant* (scilicet Cistercienses) *piscibus, ouis, lacte, & caseo non vescuntur communiter, quandoque tamen, licèt rarò pietatis, & releuationis intuitu, pro pitantiis, & summis deliciis, his vtuntur.* Hactenus leges, quæ singulorum actiones concernebant; nunc ad eas, quæ totius communitatis.

c lib. 6. epist. 15.

in hist. occid. c. 15.

3. Prima in his abdicatio omnium prouentuum, nec minus Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, idque ex Patris Benedicti imitatione, imò præcepto, in regula minus forsan expresso, sed non omisso.

omiſſo. Eccleſiis, altaribus, oblationibus, ſepulturis, decimis, furnis, molendinis, villis, & ruſticis, quia ſæcularibus omnino renunciarunt. Non vlla mendicantium religio vſquam incepit deſtitutior bis bonis temporalibus. Neque enim ſolùm carere decreuerunt annuis reditibus, ſed incidentibus etiam oblationibus, penè & eleemoſynis, quas eò ſolùm non reiecisse viſi ſunt, ne meminiſſe ſaltim dici poſſent, quippe Deo ſoli per omnia vacaturis, ſolus Deus futurus omnia ſperabatur.

4\. Sed quid facerent in humano degentes corpore, eóque egentes ſubſidiis corporalibus, imò quid facerent ſanctam profeſſi [d] regulam; adeóque hoſpitibus etiam prouiſuri? *Ecce huius ſæculi (vt ipſorum vtamur verbis) diuitiis ſpretis, cœperunt inter ſe tractare, & cogitare, quo ingenio, quo artificio, ſeu quo exercitio, ſe, hoſpitéſque, diuites, & pauperes, quos, vt Chriſtum, ſuſcipere præcipit regula, ſuſtentarent. Tunc diffinierunt ſe conuerſos, laicos, barbatos de licentia Epiſcopi ſui ſuſcepturos, eóſque in vita, & morte, excepto Monachatu, vt ſemetipſos tractaturos, ſuſcepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & ſiluas, aquáſque ad facienda molendina, ad proprios tamen vſus, & ad piſcationem, & equos, pecoráque diuerſa neceſſitati hominum vtilia. Et cùm alicubi curtes ad agriculturas exercendas inſtituiſſent, decreuerunt, vt prædicti conuerſi domos illas regerent, non Monachi, quia habitatio Monachorum ſecundùm regulam debet eſſe in clauſtro ipſorum.* Huc vſque decreta ſanctorum illorum Patrum.

d in reg. c. 93.

5\. Quibus videas primò, perfectos per omnia Monachos, & de manuum ſuarum labore voluiſſe viuere, & nihilominus Monachatui non deeſſe. Videas imò ſupra vires humanas ducendam vitam, qua ſeminudi, nunc brumali gelu, nunc Solis æſtui, & caloribus expoſiti, & vix tenui cibo, ſomnóque ſuſtentati, nedum refecti, diuina nihilominus officia aſſiduis laboribus, labores orationibus miſcebant; vtraque obedientia cumulabant. Perpendit rem ex parte Petrus Mauricius, nec difficilem tantùm reputauit, ſed impoſſibilem. [e] *Et vt primò impoſſibile demonſtremus, quomodo fieri poteſt, vt gens languida, oleribus, & leguminibus, ferè nullas vires corpori dantibus, imò ipſam vitam vix ſuſtentantibus, nutrita, & ideo non parum delicata, aſperrimum ipſis quoque ruſticis, & bubulcis agriculturæ laborem ferat? aliquandoque æſtus ardorem, aliquando imbrium, niuiúmque, & frigoris importunitatem, ſauciata patiatur?* Hæc Sanctus ille. Qui ſi his corporalibus laboribus, ſpiritualia addidiſſet exercitia, noctem inſomnem vigiliis occupatam, diuinum laborem canonicis horis, mox lectione, orationibúſque, & obſeruantiis aliis continuatum potius, quam interruptum, ſilentio preſſum, ac id genus alia, quæ potuiſſet, quàm longè impoſſibilius iudicaſſet.

e lib. 5. Epiſt. 55.

6\. Videas ſecundò admittendorum conuerſorum vnicum finem, non Monachorum leuamen, ſed clauſuram. quippe pro curtibus à Cœnobiis ſeparatis, ne Monachi extra clauſtra diuagarentur: ne vel intenti negotiis temporalibus, vitæ communi, & cellæ ſe ſubtraherent. Non quòd conuerſos in adminiſtratione ſiue fideli, ſiue diligenti, ſiue induſtria, ſibi ipſos præferendos iudicarent, ſed quòd cœleſtibus terrena poſtponentes, mallent hæc perdere manibus illorum, quàm acquiſitis per ſuas fortè ſuccumbere, atque aberrare à propria vocatione. quod vtinam perdurasſet ad noſtra tempora. Sanè Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, hæc exteriora, quibuſque commendanda potius, quàm exercenda per ſeipſos, non Monachos tàntùm docuit, ſed Eccleſiaſticos. [f] *Quanquam* (inquit ad Eugenium Papam ſcribens) *ſi idoneus non inueniatur, minus fidelem ſuſtinere potius conſulo, quàm te immergere labyrintho huic. Memento Saluatorem Iudam œconomum habuiſſe. Satis ſupérque Epiſcopi ad manum habent, quibus animas credant, & cui ſuas committant facultatulas, non inueniunt. Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam, aut nullam de maximis curam habeant. Sed, vt liquidò datur intelligi, patientius ferimus Chriſti iacturam, quàm noſtram.* Hæc de Epiſcopis à Bernardo Patre dicta, quanto meliùs tranſtuliſſet ad ſuos Monachos? Sed de his aliàs.

f lib. 5. cap. 6.

7\. Videas tertiò conuerſos illius temporis, ſeu tunc recèns inuentos, ſeu iam in vſu nequaquam fuiſſe viros Religioſos, eóſque de licentia Epiſcopi recipiendos, quippe non conſectandos votis ſolennibus, ſub eius cura ſemper remanſuros. Atque hoc puto expreſſiſſe ſanctos Patres, cùm ſtatuerunt tractandos ſicut ſeipſos, Monachatu excepto, hoc eſt, vero ſtatu religionis. Non inficior admiſſos ad profeſſionem, quod paulo pòſt Calixtus Papa tradidit, dum eos ab aliis recipi interdicit. [g] *Interdicimus etiam, ne quis conuerſos laicos, profeſſos veſtros ad habitandum ſuſcipiat.* Sed ad vota ſimplicia, non ſolemnia; &, vt exiſtimo, ſolius obedientiæ, qualem nunc etiam profeſſionem Donati emittunt. Certè in antiquis vſibus non alia, eaque per hæc verba concepta legitur. *Promitto obedientiam in bono, vſque ad mortem.* Porrò conuerſos, à noſtris tunc inuentos, præterquam quòd verba ipſa Exordij indicant, altius confirmare videtur Ioachimus Abbas, proximi ſcriptor ſæculi, in concordia noui, & veteris Teſtamenti. Vbi loquens de ſexto Eccleſiæ tempore, quod iam tunc eſſe ait; ouibus, bobúſque in eo, à Deo creatis, comparat Religioſos laicos mundo exortos, inter quos numerat [h] conuerſos Ciſtercienſes. *Propter ſe autem*, inquit, *Dominus creauit die ſexto ſues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Creauit, inquam, in hoc tempore ſexto, in ordine laicorum nouas ſpecies religionis, ſicut ſunt fratres templi, & Hoſpitalarij, & quidam alij in partibus Hiſpaniarum: & conuerſi Ordinis Ciſtercienſis, & eorum ſimiles, qui in adiutorium Clericorum, aut Monachorum, creati ſunt à Domino, ſecundùm ſpecies ſuas.* Hactenus ille. Quibus verbis, dum nouas ſpecies vocat, recèns tunc inſtitutas adſeuerat.

g tom 1 priuileg. 2. n. 3.

h lib. 5. c. 18.

8\. Videas quartò Ciſtercium primitiuum in paupertate altiùs radicatum; eo tantum excluſiſſe mendicitatem, quo laborem admitteret, nec acquieuiſſe poſſidere aliqua bona, præter ea, quæ ex labore fructificarent. Ne vel cum aliis fortè minus inops, vel ſine his minus occupatus inueniretur; vel, quod æquè cauebat, aliis grauе. Denique cùm quodcumque aliud vitæ genus de alieno ſudore victum habeat; ſi mendicet, gratuitò oblatum, ſin minus debitum: id vnum viris ſanctis electum eſt, quo de proprio, vel aliis prouiderent. Strictior fortaſſe paupertas mendicans; ſed laborans vtilior, & glorioſior. quippe vt vtrique neceſſaria ſuppetant; illa, quæ habet, accipit, hæc facit: illa dicatur aliorum detrimento, ſaltim terreno: hæc velut bona diuinitus oblata, taliter ſibi, & cæteris lucrata, vt nulli pereant. Denique illa charitatem præſtolatur, hæc exercet; primò dum alios à proprio onere leuat, dein, dum ſubuenit.

1. Quædam alia constitutiones addita. 2. Vtrarumque necessitas, & vtilitas. 3. Reformati ad instar illarum. 6. Cluniacenses in floccis. 4. in pelliceis. 5. in lectisterniis, 6. in sagimine, 7. in probatione Nouitiorum. 8. Addita lex in cultum Mariæ Virginis.

CAPVT IV.

1. a parte. c.16. & mag. lib. 1. c. 24. HIs legibus, quas Exordium recensuit [a], non dubito plures alias accessisse, eiusdem regulæ obseruantiam concernentes; nempe de Nouitiorum probatione per annum integrum; de apostatis non recipiendis, post tertiam fugam; de rigida ieiuniorum obseruatione; de receptione hospitum, atque id genus alia, de quibus postea ob morum differentiam, inter Cistercienses, & Cluniacenses obortam litem, suo tempore latiùs memorabimus. Neque enim referri possunt in aliud tempus, maxime cum in eodem versentur cardine, (obseruatione regulæ) qui omnium hoc anno latarum scopus fuit. Verùm, quod ad Nouitios attinet, adnoto, inter nostrates, non solùm annum integrum, sed septem alios dies præstolati, priusquam ad professionem admitterentur, obseruatum, inuiolata consuetudine, quatuor ante admissionem ad Capitulum, tres reliquos post imploratam in eo Dei, atque Abbatis, Conuentusque misericordiam, quæ omnia expressa videmus in libro vsuum [b]. b cap. 102. *Monachus quis fieri volens, facta petitione non nisi post quatuor dies ducatur in Capitulum. Qui dum adductus fuerit, prosternat se ante analogium. Interrogatus ab Abbate quid quærat? respondeat, Misericordiam Dei, & vestram. Cui ad iussionem Abbatis erecto, exponat Abbas asperitatem Ordinis, voluntatem eius exquirens, qui si responderit, se velle cuncta seruare, dicat Abbas post cætera: Qui cœpit in te Deus, ipse perficiat. Et responso à Conuentu, Amen, inclinet recedens ad hospitium. Eodem modo se agat, quotiens post lectam regulam venerit in Capitulum. Tertio vero die ducatur in cellam Nouitiorum. Et abhinc annus incipiatur probationis.* Hæc quia non video ab aliis vsurpata, operæpretium duxi, si hîc transcriberem.

2. Illud autem omnino certum est, siue has, siue alias leges similes, tunc, aut post tempus latas ab Alberico, siue mox ab Stephano (nam de aliquarum auctore non satis constat) pro temporis, & circunstantiarum qualitate, apprimè necessarias, apprimè vtiles: vt & necessitas singularitatem, de qua tamen nonnihil arguebantur, prorsus excuset, & vtilitas commendet grauitatem. Et quidem necessitatem antecedentem, collapsa penitus, vtilitatem saltim subsequutam, reparata monstrauit disciplina monastica, non solùm in Cistercio, sed extra ipsum. Æmulantibus his ipsis, qui carpebant, nec permittentibus esse singulares, quos etiam, dum incusabant, imitabantur. Extant inter statuta Cluniacensium, post triginta annos edita, plus minúsve, nempe tempore Petri venerabilis, singulis statutis subiunctis causis, quibus & sæculi miserandas corruptelas, & remedia ex Cistercio deprompta videas. Atque ex iis in exemplum pauca subiicere, cedet in vtriusque familiæ commendationem. Neque enim minori laude dignum est, bonos per omnia imitari, quàm bonos esse. Ergo de floccis, retenta antiqua forma, hanc video factam in materia mutationem.

De materia vestium.

3. b Statutum 16. [b] *Statutum est, vt nullus fratrum nostrorum pannis, qui dicuntur galabruni, vel isembruni, vestiatur; nec his, qui vocantur scalfarij, vel frisij; nec illis, qui vocantur agnelini.* Hactenus lex, quam non in præcautionem, sed in remedium latè serpentis, & grauis mali latam, idem ipse, qui condidit, subiungit. *Causa* (ait) *statuti huius fuit supra quàm dicere velim, sicut ipse vidi,* (loquitur autem Petrus venerabilis) *talium vestium notabiliter inhonesta, & turpis curiositas, quia olim multi nostrorum non aliter, quam sæculares homines sericis variis, vel griseis vestium generibus se comebant; & electo, ad humilitatem cordis designandam, humiliore colore nigro, ipsa repugnante natura, ornare se, velut sponsi procedentes de thalamo, summo studio contendebat.* Hæc Abbas sanctus, de nociua curiositate, quæ monasticas vestes fœdabat illius temporis, vt nihil vltià. Bernardus *in Apologia*, quantumuis acer, sed sanctis viris vnus semper spiritus; & nec Bernardus, dum inuehitur, excedere, nec deficere Petrus acquieuit, quamuis excuset. *Nec in pelliceis minor superfluitas, & maior sumptus.* Audi, quod sequitur, statutum, parcens domesticis, sed relegans exquisitas pelles, & pretiosas.

De pelliceis.

[c] *Statutum est, vt nullus fratrum Cluniacensium catinis, siue aliis, quibus vti solebant, peregrinis pellibus,* 4. c Statutum 17. *induantur: nec prorsus quibuslibet, exceptis arietinis, siue agninis, ac caprinis.* Porrò statuendi occasionem his verbis subdit. *Causa statuti huius fuit multa, vt suprà de pannis dictum est, catinarum, siue aliarum pellium notabilis, & damnabilis curiositas, quæ in tantum, vt ipse noui, processerat, vt Gallicanorum catorum pellibus contemptis, ad Iberorum, & Italorum catos religiosorum hominum curiositas transmigrauit. Quod malum paulatim succrescens, ad hoc iam peruenerat, vt ferè centum solidis empta cooperturia, addito quoque vestium non mediocri pretio, ditiores domos, congesto multo ære alieno, non parum grauarent, pauperiores omnino pessundarent.* Similis de stramentis lectorum concepta lex, nec promulgata dissimili occasione. Audi tu ipsam.

De stramentis lectorum.

[d] *Statutum est, vt nullus scarlatas, aut barricanos, vel pretiosos burelos, qui Ratisbonæ fiunt, siue picta quo-* 5. d Statutum *uis modo stramina habeat, &c.* Et subdit. *Causa institu-* 18. *ti huius fuit, vt in aliis vestium generibus, damnata curiositas etiam à lectis Monachorum remoueretur, maximè cùm ante tempora sancti Hugonis, non nisi cilicio superposito tantùm vno, & simplici panno aliquis vteretur.* Sic resecare superflua aggressi plures, ad sanctorum virorum illorum imitationem. Quibus tamen, vt res extremè lapsa ad medium aliquod rationis reduceretur, extremus fortasse rigor quærendus fuit. Vnum est, quod admirationem omnem superat, dolorem extorquet in victu Monachorum illius æui. Adipem, seu sagimen, Christiano cuilibet negatum in sextis feriis, illis in vsu frequens, receptúmque, non sine scandalo omnium sæcularium; adeò vt mendici comedere renuerent, quæ illis, ex reliquiis fratrum offerebantur. Erubescerem, si sine lege loquerer in tam graui materia, subiuncta legi causa, quæ rem confirmat.

De sagimine, siue adipe.

6. e Statut. 10. [e] *Statutum est, vt vniuersi fratres Cluniacenses omni sexta feria, præter natiuitatem Domini, si eadem die occurrerit, ab adipe abstineant. Causa statuti huius fuit inconueniens non paruum, quòd non solùm Clerici, non solùm Laici, sed ipsi pueri, & infirmi totius Ecclesiæ Latinæ ab omni esu carnis, siue solida, siue attrita, & liquefacta, eo die pro more antiquo abstinerent; & soli Monachi adipe legumina infundebant, & eo frixa diuersa fercula absumebant. Insuper tam absurdum hoc omnibus videbatur, vt nec ipsi pauperes, datas sibi talium ciborum reliquias, comederent; sed aut in posterum diem reseruarent, aut statim indignantes proiicerent.* Sic Venerabilis Abbas Petrus Mauricius, vt vel huius solius corruptelæ remedium extirpatio commendarit. Cæterùm, quoniam etiam de Nouitiis non admittendis ante annum ad professionem, legem à nostris latam superiùs diximus: audi statutum aliud illi confine, ac causam eiusdem statuendi, non minus admirandam, quàm præcedentis.

De probatione Nouitiorum.

7. f Statut. 37. [f] *Statutum est, vt pro annua, & regulari probatione, saltim menstrua, hoc est, vnius mensis probatio, erga Nouitios obseruetur, antequam voto promissæ obedientia adstringantur. Causa statuti huius fuit, quia annua, & ex regula præcepta probatio, ad hoc deuenerat, vt non dico annus, non dico dimidius, sed neque mensis, neque hebdomada, neque aliquando dies integra in Nouitiorum probatione seruaretur.* Mirandum sane æque, dolendúmque, & quòd vix fidem lectoris mereretur, si minori aliqua fulciretur auctoritate. Sed ab vsibus paulatim ingruentibus facilius multo succumbas, quàm medearis; & vix cognosces. Igitur his statutis, legibúsque, quæ ad Cisterciensium normam prodiere, ostensa vtilitas, necessitatem etiam comprobauit. Vitia quippe latentia sub consuetudine, interrumpi, indigebant, vt paterent; nec poterant parere, quin vitarentur.

Fiteriensis [g] aliam addit legem hoc anno editam, à sanctis illis Cistercij fundatoribus; de Monasteriis, quæcumque construerentur, soli Deiparæ vbique dedicandis, quam perantiquam, & rigidè obseruatam ipse etiam euetus asseuerat. Maximè contestáte Exordio magno. [h] *Ordinem istum à sua fundationis initio Virgini matri esse adtitulatum.* Certè inter leges, quas sanctus Raynaldus (quartus Cistercij Abbas) compilsuit, extat quædam conscripta sub hoc titulo. *Quòd omnia Monasteria nostri Ordinis in honorem Beatæ Mariæ ædificentur.* Sed non exprimit annum, quo lata fuit, & prætermissa ab auctoribus Exordij, cum hoc anno editas, non dubito in sequentes referendam. 8. g in notis ad Exord. h lib. 2, c 27.

IESV CHRISTI ANN. 1102. — CISTERCII ANN. 5.

2. Odo Dux aulam Cœnobio contignam constituit. 2. Cistercium frequentat, 3. non sine ingente Monachorum vtilitate. 4. hi infestati à ministris Vicecomitis, 5. liberantur per Ducem, 6. non sine vtriusque liberalitate. 7. Mors Othonis. 8. Sepultura. 9. Titulus. 10. Capella, cui hodie inest descriptio. 11. Filij, inter quos Henricus, Cistercij Monachus.

CAPVT I.

1. RECENS latarum legum custodia feruens, ac Alberici, Stephanique: de earum obseruantia, cura peruigilis illustrabat Cistercium, nec apud Deum tantùm commendabat, sed apud homines. Othoni in primis Duci chari fratres, seu complacenti in collatis beneficiis, qui mos est Principum; siue in sancta seruorum Dei conuersatione. Fecerat sibi Cœnobio contiguas ædes, Palacij nomen etiam nunc retinentes, inter ruinas, sed conformes ad reliqua ædificia; & nec tunc quidem palatium præferentes, nisi ex nomine. Ergo ab hoc anno millesimo centesimo secundo recentem noui Monasterij aulam, quantumuis humilem, habitare frequentiùs, visitare alacriùs, ipsum Cœnobium studiosiùs venerari, religiosiùs colere, fratribus affectuosiùs conuiuere, colloqui, & sollicitiùs necessaria prouidere: maximè autem in solemnitatibus præcipuis, curiam, procerésque ad eremum trahere, Cistercij solitudinem incolere, vicinam siluam ministris operire, replere sulicis; quibus arbusta, & nemus pro habitaculis, arborum rami pro papilionibus; ac ipsa incommoditas loci, electis ad secessum, in pretio erat.

2. Id quamuis fratribus graue, molestúmque, quippe vtrique quieti non parum derogans; multum tamen initia illa promouit, diuulgata virorum sanctitate, & quibusdam feruore deuotionis, quibusdam imitatione aliorum ductis; nec paucis assentatione in Principem (à qua inter aulicos nec pietas immunis) conferentibus multa in Monsterium; quamplura proculdubio collaturis, si non leges in ipso recens latæ, cupiditati modum imposuissent, & radicibus annuis renunciassent. Quod solum poterant, vtensilia, donariaque, maximè ad cultum altaris, multiplicarunt. Quibus tamen, quia forte pretiosioribus, renuociauit Stephanus, quod suo loco inferiùs memorabimus. Felices, quibus acquirendorum nulla cura: spontè oblatorum contemptus, pro vsu fuit. Extat item inter Stephani decreta anno millesimo centesimo nono, Abbatiæ illius primo, promulgata, de curia Ducis in Cistercio non admittenda, sicut hactenus factum, lex huiuscemodi. [a] *Ne dux illius terræ, siue aliquis alius Princeps, curiam suam aliquo tempore in illa Ecclesia* (scilicet Cisterciensi) *teneret: sicut antea in solemnitatibus agere solebant.* Sic in Exordio sub initium Patris Stephani, vt videas ante ipsum, sub sancto Patre Alberico consuetum fieri. Sed Albericus tenuioribus initiis resistere non potuit, imò non debuit, quippe tolerantis illius effectum est, vt possent non tolerare, qui sequerentur. a Exor. parui cap. 18.

Cæterùm quam fructuosum Cistercio fuerit frequens Ducis commercium per hæc initia, duo inter alia præcipuè comprobarunt: exactionis molestæ, & importunæ, cui fratres subiacebant, ipsius munificentiâ obtenta immunitas: & Henricus ad habitum susceptus, eiusdem Ducis filius secundogenitus, Regio sanguine, sed magis suis virtutibus illustrans recentem domum. Et immunitas impe- 3.

ttata hoc anno fuit, quippe tertio, à prima dotatione; conuersio Henrici tempore posterior, etsi non longè distans, quia ex sanctorum virorum consortio orta, siue quia ea morte patris auspicata, qui in eo item obiit, vt mox dicem, eodem venit nobis annotanda. Vtrumque euentum breuiter apetiam; priorem priùs.

4. Dederat Vicecomes Reinardus Cistercij terram, sub annuo censu viginti solidorum, sibi ab Othone Duce persoluendo. Sed quia apud Principes, quo maiorem reuerentia, eo minorem exactio locum habet; & ærariis, aut per immoderatas largitiones, & sumptus rata pecunia; aut ministrorum culpa, minus prompta: omissis Duce, & ærario potentioribus, ad faciliores fratres se vertebat, quippe paratos omnia sustinere, & quibus per impatientiam disceptandi, nullum erat arbitrium resistendi. Post diutinum seruorum Dei laborem, sudoremque post longa spacia expectatæ per annum messis, in feudatorum agrorum fructus, cùm intra aream, Vicecomiti cedebant in pretium feudi, ipsique via terrarum locatores, ne dum domini, Rainardo laborabant potius, quam sibi. Quin & expositi iniuriis exactorum, æque in vtrisque bonis patiebantur molestias, & inopiam. Igitur cùm his damnis subiacerêt, nec reclamarêt, ne vel Rainardo ingrati viderentur, vel graues Duci, à quorum altero allodij partem gratis, ab altero residuam acceperant; Otho, ne sua dona irrita faceret, ab vtrisque redemit, dum censum redimit. Designauit Reinardo viginti solidos intra Belnensem vicecomitatum, (propriam eius ditionem) percipiendos: sub eo tamen pacto, & conditione, vt iuri, quod in agrum habebat Cisterciensem, omnino cederet; neque vllo vnquam euentu fieri posset, vt siue ab eo, siue ab eius successoribus Monachi super illis soluendis molestarentur. Quod post biennium à prima dotatione, hoc est, iam tertio ab ipsa currente anno, per instrumenta publica pactum, firmatúmque, Patres nostri memoriæ mandauerunt, monumento perpetuæ gratitudinis, cuius exemplar non pigeat hic transcribere.

[b] *Quæ sequuntur, acta sunt post biennium, temporibus Domini Alberici Abbatis, qui in eodem loco præfato Abbati Roberto, inde recedenti successit. Quoniam*
5. *scilicet, supradicti viginti solidi, dum Rainardo tardiùs persoluerentur, eos ab ipsius loci Monachis repetere solebat. Designauit ei Dux domos in Belna, ab aqua, quæ dicitur Bellina, vsque ad Barram, quæ respicit Diuionem; in quarum censu eosdem viginti solidos susciperet. Sic tamen, vt nihil omnino in eisdem domibus nisi suos viginti solidos vnquam accipiat. Iam firmiter quoque Dux istud perfecit, vt ipse Reinardus, cum vxore sua, & filiis, id concedens, sibi satisfactum fuisse proficeretur coram testibus subscriptis. Hoc etiam pacto, vt si vllo futuro tempore Dux, vel heres eius, Rainardo, vel heredi eius iniuriam, (quod absit) de hac re facere tentauerit, nunquam vlteriùs loco illi, vel fratribus ipse, vel eius heredes calumniam inferrent, nullamque persolutionem expeterent. Hoc ipse, & vxor eius, & filij & filiæ, qui loqui poterant; & pro eis, qui non poterant, ipse pater, & mater concesserunt. Testes autem fuerunt hi, Hugo de Monte sancti Ioannis, Arnulfus de Vbarenes, Rainardus de Giscei, Hugo Dapifer, Bernardus de Rucleia Humbertus Archipresbyter, Ioannes de Pulmar, Landricus Præpositus, Henricus Maior, Odo Decanus, Robertus de Huelli.*

b Henric. in Menol. duodecimo Kal. April.

6. Hactenus antiquorum Patrum grata memoria, in qua & Othonis innouata largitas, & nihilominus relucet Rainaldi pietas. Illius absumpta parte patrimonij, qua sanctos viros à molestia illa redimeret; huius dum cedit iura in bona propria, atque omnino stabilia, firmaque, ipsa etiam consignatione pretij vacua, & irrita; nec solùm casu in domibus frequenti, sed per iniuriam. quam vt timete ab Othone indignum foret, sic longa serie hæredum continuanda, non præcauisse, religio sola commendat; quæ seruis Dei indulgere pretium voluit, etiam cum aliquo suorum detrimento, saltim periculo. Atque hæc quidem sub initium præsentis anni læta, & prospera; ne seruis Dei suspecta redderentur, tristia, & infausta statim excepere.

Quem Patronum, quem Patrem, quem amicum integro quadriennio experti fuerant; quem continuata vsque ad mortem beneficia, &, quod in principe matre donum est, frequens, & familiare contubernium altiùs impresserat cordibus cunctorum; amisere hoc anno ipso Othonem, cum zelo, quo pollebat pro Christi gloria, contra infideles pararet expeditionem. De eius morte Guillelmus Paradinus, Burgundus de Burgundiæ rebus scriptor diligens. [c] *Qui* (idest, Otho, seu Odo, vt alij nominant) *cùm in Asiam ire cogitasset, expeditionemque adornasset, iam iam exercitum traducturus, immatura morte interceptus est, magno rerum domesticarum incommodo.* Hæc Paradinus de morte illustris Principis. de mortis tempore subest Epitaphium, quod mox subiungam. 7.

c de antiq. stat. Burg.

Fauit tamen moriens Cisterciensibus, imò & mortuus; quippe relictis suorum imaginibus, inter eos elegit sepulturam. Humilem sanè ædificij qualitate, & numero Monachorum, qui adhuc pauci; sed loci, & personarum reuerentia, ne dum spe futuræ magnitudinis, meritò quibusque aliis præferendam. Sic factum est, vt qui anno antecedenti ius sepeliendi à se omnino abdicauerant, non differente Deo mercedem meritis, Reges, & Principes, vel inuiti sepelitent. Ex tunc enim tot Principes, tot Reges Cistercienses Ecclesiæ susceperunt, vt penè à Deo prælectæ viderentur, in Principum, & Regum sepulturam, quod ipsa historiæ series demonstrabit. Quin & hinc fuit, vt priùs illud statutum Patres nostri limitarent post tempus aliquod, nec iam omnes sepulturas à se arcerent; sed communes, vt nulla corpora, nisi Regia, aut sancta forent, in eorum deinceps locis sepelirentur. Putantes quippe nec Regia sine iniuria, nec sancta sine impietate posse repelli. Porrò eam fore vtrorumque multitudinem, cui opus esset, vt lege prouideretur. 8.

Odo ergo Dux primus inter omnes sui corporis exuuiis illustrauit Cistercium. quæ an statim Ecclesiam occupauerint, in dubio est. [d] Antiquo adhuc ritu permanenti fideles extra Ecclesias sepeliendi, præcipuè laicos. Certè non ante Altare maius sepultum, constat: neque enim nouo, angustiorique templo constructo, locum amitteret, quem in veteri olim obtinuisset. Extat hodie in Capella ad modum crucis fabricata, sub Deiparæ ad cœlos assumptæ inuocatione, eleuatus lucillus ad dextrum lacus, illustris Principis veneranda ossa continens, quæ etiam filij, & nepotis comitantur, sub tali titulo: 9.

d cap. præcipiendum. 13. q. 2.

Hic

Hîc iacent tres Illustres Burgundiæ Duces. Odo fundator huius Monasterij, qui obiit anno millesimo centesimo secundo. Hugo filius eius, qui obiit anno millesimo centesimo trigesimo tertio. Odo filius dicti Hugonis, qui obiit anno millesimo centesimo sexagesimo quarto.

Hac modestia vtebantur antiqui Principes etiam in his Ecclesiis, quas fundauerant: nunc, vel ab aliis fundatas, per iniuriam sepulchris occupãt, & replent imaginibus; nec sacras preces in Missæ sacrificio immunes esse patiuntur à suis titulis.

10. Iconi Virginis (nam & id obiter dicam) Patres supposuere hinc, indeque Cistercij fundatores vtriusque generis. Ad dextrum latus Robertum, Albericum, & Stephanum, tres Priores, sanctissimósque Cistercij Præsules: Bernardum itẽ præcipuum Cistercij filium: ad sinistrum tres primos illos Duces à Cistercio fundato, quos memorauimus, cum Matilde Ducissa fundatrice. Vtrosque propriæ inscriptiones illustrãt, quarum hic tenor.

B. Roberto primo,
B. Alberico secundo,
B. Stephano Anglo tertio, Abbatibus Cistercij.
B. Bernardo primo Abbati Claræuallis: qui morum integritate, & vitæ sanctimonia religionem Cisterciensem instituerunt, auxerunt, illustrarunt,

SS. PP.

Hæc, quæ in dextra; quæ in sinistra verò ita prosequitur.

Odoni, Matildi, dulcissimis, & suauissimis coniugibus, Hugoni, & Odoni amantissimis filio, ac nepoti.
Inclytis Burgundiæ Ducibus, quorum pietate, & largitate Monasterium hoc fuit fundatum, & erectum.

Atque hæc quidem in angustiori templo post nonaginta annos consecrato, nempe salutis millesimo cẽtesimo nonagesimo tertio, à priori ad mille passus digito, vt suis locis inferiùs adnotabimus, per anticipationem dicta sint. Nam in priori illo, exiguóque, quamuis ruinæ superesse adhuc videantur, nulla prorsus vestigia sepulchrorum, nedum tituli, inscriptionesve visuntur.

11. Reliquit Odo vtriusque sexus prolem, vtramque duplicem, atque in vtraque priorem nuptui traditam, posteriorẽ cœlibatui, & Deo permissam. Nupsere Hugo, & Alcides maiores natu: minores verò Henricus, & Fleurina, Angelis, quàm hominibus propiores, carnis, & mundi illecebras calcantes: soli Deo se totos consecrarunt. Henrico Monachum Cistercij profitẽte, vbi ad Hugonis auunculi sui imitationem, qui paulò antè Cluniacum illustrauerat, sanctam vitam consummauit sanctiori morte; ignotis quamuis vtriusque circunstantiis, vt suo loco dicemus. Fleurina Hierosolymam profecta loca sancta deuotè lustratura: neque prius terrenam desertura, quàm cœlestẽ per mortem compararet. Henricum nostrũ auunculo per similem, Burgundiones historici testantur; Hugonis porrò sanctitatem apud Cluniacum, &, quod in tanto viro plus nitebat, humilitatem commendat auctor vitæ sancti Hugonis Abbatis, per hæc verba. [e] *Vidimus & Hugonem Ducem priùs Burgundia, & pòst militia spiritualis signiferum, qui solebat calceos vngere fratrum, séque ita despicere, & humiliare, vt omnes viles persona stuperent, cùm sub se viderent Principem talem se sternere.* Hæc de Hugone auunculo Henrici, quæ non minus nepoti conuenire credenda sunt, quippe vero sanctitatis illius æmulatori. Certè vtrique post spretam sæculi pompam, priuata vita in religione placuit, neutro in Abbatem, neutro in Priorem se eligi patiente, ne qua ex parte euacuarent obedientiam semel promissam: aut qui imperari in sæculo contempserant, in religione subesse detrectarent. Vterque ignotus, si posset, voluisset viuere, quo soli Deo notior moreretur. Et Henricus vel post mortem ignorari concupiuit, & qua potuit, consequutus est, vt suo loco dicemus. Fuit tamen primus regio sanguine ortus, & viuens adhuc Cistercium illustrauit, vt pater mortuus. e apud Sur. April. 19.

IESV CHRISTI ANN. 1103. — CISTERCII ANN. 6.

1. Color albus per Virginem inductus, 2. certum sub Alberico, 3. probatúmque, 4. sed de anno, 5. deductum per coniecturas, 6. mutatus color tunica, & cuculla, 7. non scapularis, 8. nec pallij pro itinere, 9. claustralis habitus semper inuariatus; 10. secus vestes, qua minus regulares.

1. CAPVT I.

SALVTIS annus millesimus centesimus tertius, Cistercij sextus, Cisterciẽsi familiæ fœlix, & faustus fuit; quo dono, an iussu Virginis Deiparæ, colorem habitus creditur mutasse. Planè notandus candido lapillo, non secus ac ipsa notata colore candido, qui seu fauoris insigne præ se tulerit, seu insigniter præ aliis virginea nota, nouis calumniis hominũ obiecerit; (quod

(quod mox videbimus) donum ipsius æquè comprobatur, æquè agnoscitur, Matris nimitum etiam in hoc Christi, cuius discipulis, [a] non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati donatum fuit. Rem perillustrem, & medio sole dignam, primùm, antiquitas, mox incuria veterum, demum recentiorum audacia, obscurauerunt: illis personas, tempus, vestesque, & mutationis modum supprimentibus: his e cõtrario, dum euentum certum iudicant, ne videantur de aliis dubitare, reliqua omnia pro libito adaptantibus. Nec dubium, quin modestia nostrorum Patrum, his etiam tenebris, tenebras addiderit. Nam dum acceptum fauorem, ne iactare videantur, silentio premunt; & ne damnari quidem nouitatis, & (quod mireris) præuaricationis, pro se respondent; substantiam facti traditio vix conseruat, circunstantias obliuio etiam inuadit. Nos è veterum scriptis indagatas, vt non probemus, quòd vnum restat, saltem à Nouitiorum mendis expurgabimus.

a ad Philip. 1.

2. Primò igitur quod attinet ad tempus, certum censeo, mutationem coloris, qualicumque occasione facta fuerit, sub Alberico Patre contigisse. Nàm quòd Robertus egressus de Molismo, regressusque, fuscum colorem semper retinuerit, concors sententia est omnium Scriptorum; cui traditio communiter recepta, atque antiquæ picturæ adstipulantur. Sed neque vllum, vel leue indicium est immutati coloris illius tempore. E contra verò sub Stephano Abbate, Cisterciensem familiam candida veste insignem iam notare, irrefragabilia conuincunt testimonia. Inde enim Cluniacensibus cum nostris noua dissidia. [a] *Quia vestes coloris diuersi (vt causabatur Petrus venerabilis) incentiuum præbebant discordiæ.* Et Cistercienses, discernentes se à cæteris Monachis, ac singularem vitæ puritatem (sic eis obiiciebatur) singularitate coloris præ se ferentes, quos fugiebant, damnare videbantur: si iure, eo ipso illis inuisi; si iniuria, vel Deo etiam odibiles. Quod prosequitur idem auctor alio in loco. [b] *Et vos sancti, vos singulares, (ait) vos in vniuerso orbe verè Monachi, aliis omnibus falsis, & perditis; secundum nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis: vnde & habitum insoliti coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius ferè mundi Monachorum, inter nigros, candidos vos ostentatis. Et certè hanc vestium nigredinem, antiquitus humilitatis causa à Patribus inuentam, cùm à vobis reiicitur, meliores vos ipsis, candorem insolitum præferendo, indicatis. De magno tamen illo, & admirabili, veréque Monacho Martino non legitur, quòd albo, & curto, sed quòd nigro, & pendulo pallio processerit. Inde quoque & regulam, cuius defensores magis, quàm obseruatores videri vultis, valde transgredimini: qua iubente didicistis, vt de vestium colore, aut grossitudine non causentur Monachi. cuius manifestissimi præuaricatores esse, conuincimini, qui colorem humilitati, & abiectioni magis competentem abiicitis: & illum qui etiam in scripturis gaudium, & solemnitas figuratur, album scilicet, contra iam dicta regula, mandata assumitis. Cumque in valle lachrymarum positos, quibus præcipitur, vt semper lucitui, nunquam lætitiæ intendant, deceant vestimenta luctum, & pænitentiam designantia; vos è contra in miseriis fœlicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiam, vestium candore monstratis.* Hactenus venerabilis Abbas Petrus, beato Stephano, non solùm ætate coæuis, sed præfectura. nouennio quippe vterque simul rexit, ille Cluniacum, hic Cistercium, vt pòst constabit.

a L. 4. epist. 17.

b L. epist. 28.

3. Vnde etiam videas, sanctissimum Bernardum, tunc quidem iuuenem, qui sub eodem sancto Patre Stephano, & primis præfecturæ illius annis Cisterciensem Monachum erat induiturus, Matri prægnanti in visione fuisse ostensum, catellum totum candidum, tantùm in dorso subrufum, (de quo statim) quod beatus Guillelmus [c] scripsit in eius vita. Quippe prædicationis officium in animali, in colore habitus à puero gestandus designabatur. Videas etiam eumdem sanctum virum ætate iam prouectum, & opinione, expeditionem Hierosolymitanam Eugenij tertij iussu prædicantem, ac cruce signantem profecturos; cùm deficiente materia præ multitudine, ex propriis vestibus cruces fabricaret, candidas eas militibus posuisse, quod annales [d] Francorum adnotarunt. quippe confectas ex panno coloris candidi, quo ipse Sãctus indutus incedebat. Non ergo dubium, sub Cistercij Abbate Stephano nigrum colorem in album iam transiisse, adeoque eam coloris mutationem ad tempora Alberici referendam. Demum Cistercio in conuentus dilatato sub Stephano Patre, quod verum Cisterciensis familiæ initium fuit, in candida iam veste mundo exortam aut supponit, aut conuincit Gregorius nonus in ea Bulla, quæ incipit, *Fons sapientiæ verbum Patris*, &c. vbi per Zachariæ quadrigas, religiones; per equos nigros, Benedictinos Priores Monachos; per albos, Cistercienses intellexit. *In quibus* (inquit) *Deus, quasi lapsum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus scilicet Cisterciensis Ordinis, velut tonsarum greges, charitatis fœtibus vberes, de pænitentia lauacro fecit ascendere.* Applicitis, inquam, ad quadrigam tertiam, idest, ad tertio loco exortam Cisterciensem familiam equis albis; quasi ea nunquam sine hoc colore, neque eius Monachi, per equos designati, quadrigam, idest, Cœnobiorum collectionem, siue colligationem priùs effecerint, quàm veste candida inter alios insignirentur.

c lib. 1. cap. 1.

d Paul. Æmil. Rob. Paguin. in annalibus.

Cæterùm cùm nouem annis, & sex mensibus Albericus Cistercio profectus fuerit, haud ita facile iudicatu est, quonam ex eis mutatio illa contigerit. Henriquez putat millesimo centesimo primo, idque producto antiquo testimonio, ex monumentis Cistercij manu scriptis, cuius hic tenor. [e] *Quinta Augusti, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo primo, Beata Virgo descendit in Cistercio, & mutauit habitum de nigro in album sub Alberico.* Sit monumentis salua sua fides, concisione verborum penè elingui, antiquitatem affectantibus magis, quàm redolentibus. Ego vix credam Cistercij conseruata, Cistercienses Abbates latuisse; Ioannem præcipuè Cisterciensium antiquitatum, ante centum quadraginta annos indagatorem diligentissimum, quo selectiores ex eis prælo mandaret. Testimonium ipsius inferiùs addam: à quo, seu non inuenta, seu reiecta, aut recentiora, aut suspecta esse apparent. Sed neque vero simile est, mutationem coloris, adeoque habitus, coæuam legibus habitum præscribentibus, ab eisdem omnino prætermissam: imò, & ab his, qui memoriæ illas mandauerunt. Non ergo vt minimum ante centesimum secundum annum mutatus color, qui à centesimo primo antecedenti ferè conuincitur inuariatus extitisse. 4.

e in Men. leg. Aug. 5.

Sed neque post centesimum tertium ex eo colligo, quòd centesimo quarto subsequenti Christus inter Cistercienses visus [f] legitur, candidissimis vestibus indutus. Et neque crediderint album 5.

f apud Vincent. in spec. hist. lib. 25. c. 106.

inter nigros, quos sibi in omnibus volebat conformari: nec si tunc albi, pòst nigri inuenti fuissent, potuissent illico à Cletico agnosci. Adde quòd lauandarum vestium vsus albis, quàm nigris aptior: & Monachis, eisdem præostensis, hæc præ aliis cura præcipua fuit. Visionem ne repetamus, nunc omittimus, anno sequẽti, quo contigit, referendam. Atque hæc de tempore Alberici tanquam certa, de anno illius quarto vt probabilia, & probabilibus nixa coniecturis dicta sufficiant. Nunc quibus vestibus nouus color inductus sit, ex eorumdem antiquorum arcanis eruamus.

6. Et de cuculla nulla est difficultas, quippe in qua primùm mutatio facta dicitur, & à qua, vt à vero, & proprio habitu Monachos Cistercienses albos nuncupatos, tum [g] in iure, tum alibi reperies. Cæterùm eumdem etiam colorem tunicis Monachorum iam inductum sanctorum Stephani, Bernardique temporibus, habemus ex Venerabilis Petri testimonio, sic inter alia ad Bernardum scribentis. [h] *Habes tu idoneum defensorem albedinis tuæ, simplicem oculum conscientiæ tuæ, quo ne longo temporis vsu niger indutus putaret, non nisi sub atro colore suo Monachum esse posse, albam cucullam, & tunicam induisti; & quid sub nigrorum habitu innumerabiles huius Ordinis tepefactos à proposito cernebat, ad maiorem, & nouum monasticæ religionis feruorem, hoc hactenus inusitato vestium candore excitari arte laudabili voluisti.* Huc vsque Petrus Abbas Cluniacensis. ex quibus manifestè constat illius, & Beati Patris nostri Bernardi tempore Cistercienses non solùm albas cucullas gestasse, sed etiam tunicas. Vnum ergo scapulare fuit, quod pristinum colorem retinuisse, hoc est, aut nigrum, aut subobscurum saltim, & fuscum natiuum lanæ, ex antiquorum scriptis coniectamur. Cui item addo pallium, seu cucullam, qua extra claustra degentes vtebantur. Et de scapulari quidem res est certa: inde enim nostri irrisi à Cluniacensibus, & chimæræ, atque centauri nuncupati; hoc est, ex diuersis coloribus, quasi ex diuersis partibus constantes: quod Petrus idem Mauricius testatur sub his verbis: [i] *Vidi plurimos, nec recordor quoties, de nigrorum numero, occurrentem quempiam album, quasi monstrum ridentes, & velut si chimæra, vel centaurus, vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce, vel gestu corporis se stupere significantes.* chimæra, inquam, vel centaurus, id est, non simplex, sed multiplex natura, varietate colorum designata. Nec fortè quidpiam aliud voluit visio illa catelli candidi, sed in dorso subrufi, qua matri suæ Bernardus fuit ostensus. nempe ea parte vestis, quæ tegit dorsum, id est, scapulari subobscura, cætera candidum infantem euasurum.

[g] cap. ex parte, de decimis. Glossa in Clemen. 1. de stat. Monach. & ibi Zabarella, & aliq. Greg. 10. prouil 4 1. c. 1.
[h] lib. 4. epist. 17.
[i] lib. 4. epist. 17.

7. Quin & Moniales Cisterciensis Ordinis vestibus albis alias superindutas, sicut & Monachos, scapularibus nihilominus griseis vsas, habemus ex Cæsario Heisterbacensi, illis temporibus non multum inferiori; sed antiquiorem visionem referentem, qua puer Iesus inuolutus pannis albis, & fascia grisea beatæ Christinæ dicitur ostensus. [l] *Seruans qualitatem habitus ipsarum Monialium.* scilicet Cisterciensium, quarum regulam ipsa profitebatur. Sed eundem loquentem audiamus. [m] *In monte* (ait) *sanctæ VValburgis*, Cœnobio Cisterciensi, de quo infrà) *ante paucos annos defuncta est quadam Monialis, nomine Christina. Hæc plurimas solita fuit à Deo habere consolationes, sicut testes sunt eius sorores, & maximè Confessores; ista die quadam non dormiendo, sed in excessu mentis facta infantem vidit Iesum cum matre, & Ioseph: fuitque idem infans albo, & laneo panno inuolutus, eratque fascia, qua ligatus erat, griseà coloris, seruans qualitatem habitus ipsarum sororum. Ista retulit mihi Dominus Daniel Prior secretorum illius conscius.* Hæc Cæsarius. Vt videas albas cucullas, tunicasque, quibus panni in puero: griseum verò, id est, paulo subobscurius, cui fascia respondebat, scapulare.

[l] lib. 8. cap. 3.
[m] in serm. 7. de infant. Salu.

Porrò vt hoc genus vestis (cui nullus à Virgine Matre præscriptus color) liberum, & in antiquo vsu remansit: sic pallium, seu cuculla, qua extra claustra. Nam & hac obscuriori vsos perspicuum est: seu reuerentis cucullæ sacratioris, quàm profanis locis, inferre profanum visum; seu fortè deferentes aliorum scandalo, ne albedine exteriùs ostentata, plus nimio disgregarent mordentium oculos. Certè in itinere cucullis griseis vsos, vnde & Monachos griseos appellatos, præsertim in Germania, non secus atque in Italia albos, ab aliis vestibus, pluribus item constat testimoniis, tum eiusdem Cæsarij, tum aliorum. [m] *Interrogatus de griseis Monachis, id est, de Cisterciensibus, respondit. Premium illorum maximum est*, &c. Ita Cæsarius. Neque Albertus Crantzius, Germanus item auctor, & qui vtinam æquè pius esset, ac diligens; sanctum Bertoldum Apostolum Liuoniæ, aliunde Cisterciensem esse conuincit, quàm quia griseus. [n] *Hic Cisterciensis fuit, nam annales præ se ferunt, Abbatem fuisse griseorum: quod genus vestium portauerunt Monachi Cistercienses.* Eodem nomine ipse aliis in [o] locis, Lambertus [p] Scarph Naburgensis, Paulus [q] Langius, & alij eos appellant. Hinc Cardinalis Iacobus de Vitriaco nigrum habitum à primis nostris Patribus commutatum in griseum, scriptum reliquit. *Primi*, inquit, *Cistercienses nigrum habitum in griseum commutantes*, &c. 8.

[m] Cæs. lib. 2. c. 53.
[n] lib. 7. Saxon. c. 3.
[o] lib. 7. metrop. c. 14.
[p] in Chron. ann. 1279.
[q] in Chron. Zitzen. eod. ann.
[r] in histor. occident. c. 15.

Verùm, ne puteas griseum hunc colorem, à quo Monachi grisei vocabantur, in Germania, aut alibi ad cucullas claustrales transiisse; aut semel ab initio illis præscriptum aliquando, aut alicubi contemptum à sanctis Patribus; audi Trithemium Abbatem Spanhlimensem, Germanum item auctorem, de eo in nigrum mutato ita loquentem. [t] *Cistercienses* (inquit) *griseum habitum commutantes, nigrum assumpserunt, integritate Ordinis nihilominus perseuerante.* griseum, inquam, in nigrum commutantes: vt videas, ea solùm portasse grisea, quæ modò nigra. Adeóque scapulare, & pallium tantùm, seu vestem illam, qualiscumque sit, qua communiter extra claustra vti solebant. Ergo quæ vestes, ex nigris olim in griseas, ex griseis postea in nigras transiere: sed illæ tantùm. Adstipuletur Cæsarij elegans locus, aliàs satis difficilis, de beato VValtero Hemmerodensi, ad villare hospitante, (Cisterciensi vtroque Cœnobio, de quo inferiùs) nunc grisea cuculla induto, nunc verò alba: atque vt ex hac ignoto, ex illa cognito; quippe in cuculla grisea, in qua veniebat, per somnum visus, mox in choro albatus, ignotus fuit. Sed grisea veste, cùm abiret, reassumpta: tum demum sanctus senex, cui apparuerat, personam simul vestemque, imò ex veste personam planè agnouit, comprobante visionem ipso euentu. Verba Cæsarij, quo clariùs percipiantur, & quia historiolam continent iocundam, hîc subiungere opportunum iudicaui. [f] *Sequenti die conuentus à labore rediens, & ante portam, facto primo signo Nonæ, secundum spectans; senior ex eis, cùm stans super fossorium suum, se reclinaret; & Nonam Domina nostra diceret; sic stando breuiter obdormiuit. Et ecce ipsam Dei genitricem diuersorum*

9.

[t] lib. de laud. ord. Carm.
[f] lib. 7. c. 39.

Ordinum

Ordinum personis stipatam in mira claritate inter se, portam transire conspexit. A qua cùm minimè, quasi ignotus respiceretur, nec vocaretur, tristis ait inter se: Hei mihi misero, quare me non vocat? Quæ cùm paululum pertransiisset, miserta illius, Monachum familiariùs sibi adhærentem remisit, dicens: Vocà Monachum illum. Quem cùm reuersus vocaret, & diceret: Veni, Domina nostra vocat te; præ gaudio expergefactus est. Tunc intrans, (scilicet in Ecclesiam, vt Nonam psalleret) & Dominum VValterum considerans (qui illuc cum Abbate suo hospes accesserat) dicebat intra se: Simillimus est Monachus iste Monacho, per quem hodie Domina nostra in somnis vocauit me; nisi quòd cuculla illius grisea, huius autem alba est: & recitauit visionem socio suo. Sequenti die cùm dominus Abbas, & VValterus essent recessuri, VValterusque in sua grisea cuculla staret, alba, qua sibi fuerat accommodata, deposita, ait Monachus socio: Reuera iste est Monachus, qui vocauit me, vestem cognosco, de persona non dubito. Hactenus Cæsarius. Vt videas Sanctum directum in itinere grisea cuculla, intra claustra alba vsum, mutuo accepta: sed quam mox dicessurus restitueret, vt grisea inceptum iter prosequeretur.

Ex quibus omnibus facilè coniicias, vt eò redeat oratio, vnde diuertit; cucullam, tunicamque, vestes claustrales, & quæ monasticum habitum constituunt, album colorem æquè suscepisse, ac æquè semper, & vbique conseruasse reliquis vestibus quasi irregularibus permissis colori pristino, obscuriore nimirum, ac pristinæ etiam, & per regulam concessæ libertati. Vnde vlteriùs, (vt id obiter notem) factum videas, inuariato colore illarum vestium, has variis subiacuisse mutationibus; imò & non paucis simultaneis varietatibus. Nam grisei coloris recepti apud Germanos, nulla mentio in Gallia, Italiave, dein pro eo plures substituti, quibus occurrens Benedictus [c] duodecimus, vnicum brunum pro omnibus instituit. Et cùm neque sic obuiaretur varietati, dubia interpretatione coloris bruni, eoque vario item illius vsu, Sixtus [u] quartus de nouo declarauit, per brunum nigrum tantùm posse intelligi. Hæc de vestium colore & variare, deque tempore inducti coloris albi, ex antiquorum scriptis, non describere, sed quasi captim decerpere potuimus. 10.

c priuil. 58. num. 10.

u priuil. con. num. 1.

---

1. Occasio mutationis coloris non olim scripta, 2. traditionum & scripturæ æqua auctoritas. 3. Ex hac, refusa in Virginem mutatio. 4. Confirmata traditio. 5. de modo, & circumstantiis varia sententiæ. 6. Incerta omnes. 7. Quatenus Cisterciensis Ordo primus fuerit Mariæ dicatus. 8. Perpenduntur alia verba Abbatis Ioannis, 9. & eorum difficultas expeditur.

CAPVT II.

1. DIximus tempus mutati coloris habitus; & vestitis, quibus nouus inductus, declarauimus. Superest, vt mutationis etiam causam aut explicemus, aut saltim discutiamus. Et mihi quidem in re obscura, & dubia reuerentiam incutiunt ipsæ tenebræ, nec puto sine mysterio factum fuisse, vt antiqui, ne accusati quidem super hac mutatione, responderent, si quid scripserant, prorsus interierit. Certè in Exordio magno nequaquam dubito qualemcumque hanc historiam memoriæ proditam. Sed periit (heu) tota illius pars, quæ tempora Alberici concernebat, quam aliàs ab auctore eius descriptam, & quidem latè, ex pluribus eiusdem Exordij locis annis sequentibus manifestè comprobabimus. Cæteros puto tacuisse, præ modestia, & qui de aliis rationem reddebant, etiam non quæsiti; hoc vnum caput accusationis deseruisse Virgini matri, si vellet, defendendum. Ne vel sibi imputarent cum mendacio, quod non elegerant, vel vetus auctor per ipsos propalatus redoleret iactantiam, atque aliorum inuidiam concitaret.

2. Cæterùm sicut in Ecclesia Dei non ea tantùm creduntur fide diuina, quæ in Scripturis sacris continentur, sed multa, traditione accepta quasi per manus, atque ab Apostolis ad nos vsque deducta, eadem fide credenda, proponuntur: sic in Cistercio, quædam scripta habemus, quibus infra diuinam, fides summa; à primis Patribus in vtroque Exordio tradita, auctoritate, antiquitateque inter humana, cunctis venerabilia. Non tamen ea sola credenda nobis, non sola aliis, sed & quæ ab eisdem Patribus accepta conseruantur constanti traditione: nec hæc, quàm illa, minoris certitudinis, quippe eiusdem omnino auctoritatis. Vtraque eodem testimonio fulciuntur: illa mandato chartis, dum hæc cordibus. Nec longius absunt à conceptu attestantium verba, quàm litteræ.

3. Ergo colorem à parentibus nostris, non singularitatis affectu, vt eis obiectum, sed dono, aut iussu Virginis inductum, eumque quasi proprium matris, præscriptum filiis, tamquam Dominæ seruis, insigni nota vtriusque subiectionis; traditio magis commendat, quàm scripturæ. quam traditionem per manus velut acceptam, & continuata serie traductam ad sua tempora ante centum quadraginta annos scripto mandauit Ioannes Abbas [a] Cistercij X L I I I. perdito sæculo (cui à Deo prouisus, vnicum, sed firmissimum fulcrum Cistercij rebus) ingentis gloriæ vir, Pontifici Innocentio summè charus, quem Bonifacius [b] Simoneta coæuus auctor præuentum à Deo in benedictionibus dulcedinis, atque item massam virtutibus omnibus conditam, limatamque, ipso etiam viuente, prædicauit. Hic ergo verè sanctus, & magnus Præsul traditionem à Patribus acceptam, scriptis suis mandans, ad nos transmisit, simulque titulos, quibus hæc familia præ cunctis aliis gloriatur de matre tanta, de tanta Domina, de tanta protectrice. *Ob hoc* (ait) *& ipsa* (sancta Dei genitrix) *sacri huius Ordinis Patrona, Domina, protectrix, & aduocata nominatur; sicut & Ordo ipse primus est omnium Ordinum, in eius honorem dedicatus; cuius habitum tam Monachorum, quàm Sanctimonialium tradidisse fertur, cum tanta dignitatis auctoritate, merito, & virtute, vt Diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moriatur: saltim donec ipse iudex viuorum, & mortuorum de eo sententiam tulerit.* Hæc ille, verbis dignis tanto auctore, traditione rem ipsam comprobante, & testimonio prodente traditionem.

a in exhor. ad Monach. tom. 1. priuileg.

b lib. 2. ap. 29.

Verùm vtrique nec leuis coniecturæ, & grauia testimonia adstipulantur. quod sanctis viris regulæ inhærentibus, in qua nullus omnino præscriptus color, nequaquam præscribendus ex proprio cerebro, nec nisi cælitus illis datus fuisset. An hoc solum mutarent cunctis intactis? Rursus, quòd si quis 4

quis fortè designandus; sit non albus, quippe pro nunquam Benedictus Pater vnus legitur, ad cuius tamen exempla, vt suprà vidimus, si quid addebant, per omnia componebantur. Tertiò, quòd idem color nulla lege, etiam per ipsos lata, inductus dicitur; cùm tamen nihil mutatum, nihil auctum, nihil imò innouatum per sanctos viros, quod non aliqua lege priùs sancitum. Sola vestis mutatio prætermissa, quasi cognita cunctis cœlesti lege, superflua omnino humana censenda foret. Quartò, quòd color albus innatiatus vbique, vsque ad hanc diem, permaneat in his vestibus: cæterarum colore summè vario, quod præcedenti capite monstrauimus: quasi humanis sanctionibus caducis, sola cœlestis semper perseueret. Quintò commendat hanc eamdem traditionem sacræ Fullieusis congregationis recens, sed grauis nimirum contestatio, nihil non album in vestibus admittens; ex eo nimirum quòd solus vestes portet, quas à Virgine acceptas color probat, & ex colore religio etiam commendat. Et subest sanctis eorum constitutionibus Clementis Papæ octaui maior auctoritas, singulas approbantis, præuio examine; Bulla expedita Romæ, ad sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die octaua Nouembris anno M. DXCV. Pontificatus ipsius anno quarto. [c] Nec sunt, quæ traditionem, alias firmam, conseruare videntur, neque incongruè, singulis fortè minus efficacibus, quia contingentibus: collectione vix aliter possibili.

c apud Henr. prim. 4. Fulli.

5. De modo traditionis maior varietas, occasione antiquarum picturarum, quibus, quia actiones exprimere non possunt, rebus pro verbis vti, familiare. Vnde etiam ad hoc ipsum demonstrandum, nunc Virginem Alberico tradentem vestem, nunc Monacho:, partim nigros, & partim albos, nunc quædam alia similia præ se ferunt: & recentioribus quidlibet supponere, quàm singula indagare facilius visum; in quo etiam cum aliis nos peccauimus, quamdiu non vrdebamur adstricti historiæ legibus. Concionatoribus latior campus subest, morum, quàm chronologiæ errores corrigentibus; nec tam intentis supputare tempora, euentus discutere, quàm excitare fidelium deuotionem. Henriquez [d] monumentis suis insistens, Virginem descendisse visibiliter, atque habitum cunctorum Monachorum dealbasse contendit, insigni miraculo. Atque id quinta die mensis Augusti, quia olim Romæ in monte Equilino, partem, quam sibi elegit, sacrandam templo, candida niue opertam designauerat. quasi eodem candore tunc personas notaret, quo antea locum, & dies eadem mysterium declararet. Sunt, qui addant [e] Albericum indutum veste, ipsi e cœlo delata, quibus plures picturæ adstipulantur. Nec desunt, [f] qui miracula fugientes, sola reuelatione mutationem præceptam tradant, per Albericum, & fratres exequendam.

d in Menol. Non. August.

e Mont. lib. 1. c. 24.

f Bris lib. 1. c. 20.

6. Ego sanè in testimonio, & verbis Abbatis Ioannis nonnulla obseruatione digna inuenio, ex quibus quædam lucem historiæ dabunt, quædam accipient. Primum est, frustrà torqueri recentiores, in inquirendo modo, & circumstantiis mutati habitus, in designandis, etiam citra fidem: præcipuè autem Hispanos, Italosque, qui hactenus huic operi insudarunt. Cùm ipse Ioannes tempore antiquior, Cistercij incola, antiquitatum illius scientissimus, & qui eruendis, euulgandisque Ordinis priuilegiis, nihil intactum in domo sua reliquit, nihil in Gallia, traditum tantum habitum affirmat: neque descendit ad modum traditionis, & difficiles omnes, qui assignantur, suspectique, si per singulos discurras. Nam mandatum Alberico Patri iniunctum, si velis dicere: quis credat non ab ipso promulgatum cum aliis legibus? Quis promulgatum, ab omnibus omissum; siue ab ipsis parui Exordij auctoribus; quod integrum vsque hodie conseruatur, siue ab his, qui duorum Abbatum leges, Alberici, & Stephani, sub beato Patre Rainardo compilarunt? At prætermissum ab illis superiùs vidimus, ad his proprio anno infrà videbimus. Vestem de cœlo allatam suspectam facit, quod sanctos Patres non video seruauisse, nec doluisse de amissa, siue distracta. Adeò ne vilis esset iactura pignoris, nostris summè honorifici, atque ex se cunctis, etiam Angelis ipsis venerabilis? Dicant Hispani qua cura, qua obseruantia sacerdotalem vestem Ildefonso à beata Virgine traditam conseruant? Atque ex eodem motiuo calumniæ subest mutatio vestium in candidas de nigris. An omnes illæ ad nihilum redactæ, vt fragmentis aliarum permanentibus, ex personis dumtaxat venerabilibus, non ex se ipsis; harum quæ in se miraculosæ sunt; nec minus ex personis venerabiles, ne minimum fragmentum perseueret? Ingentes glorias silentium magis decet, ignorantia commendat. Credimus traditam à beata Virgine vestem: sed traditionis modum non inquirimus. Quicumque fuerit, supra humana merita, & suspiciendus nobis potius, quàm indagandus, qui oc difflueret, exemplo sanctorum Patrum, vel cognitus, silentio recolendus.

Notandum item in eodem testimonio, quod ait occasione suscepti habitus, Cisterciensem familiam specialiùs sacratam beatæ Virgini, primam nimirum inter omnes Ordines in eiusdem honorem dedicatam. *Sicut ipse Ordo* (ait) *primus est omnium Ordinum in eius* (scilicet Mariæ) *honorem dedicatus.* Vt non immeritò dicere valeamus, Cistercium primogenita tulisse cœlestis Matris. Nec moueat lectorem Carthusianorum Patrum religio paulo antiquior, commissaque patrocinio eiusdem Virginis, idque sancto Brunone adhuc viuente; imò antequam Calabriam aduenirer, adeoque ante Cistercium mundo exortam. Namque Cistercium Mariæ soli adhæsit, nullo alio in patronum sibi assumpto. Carthusia Virgini Baptistam copulauit, eoque quasi minus propria Mariæ fuit. Verba Francisci Patri Carthusiani, & Carthusiæ Prioris in medium proferam. [g] *At illi* (inquit, & Carthusianos Patres loquitur) *incredibili affecti gaudio, illam sacrosanctam Virginem, cui scirent eius filium nihil negare posse, patronam totius Carthusiani instituti sibi delegerunt, & beatissimum Domini præcursorem Patronum.* Iure ergo Cistercium primogenita, quæ sub solius intemeratæ Matris præsidio fuit. 7.

g apud Sur. Octob. 6.

Tertiò etiam obseruatione dignum est, quod in eodem testimonio sequitur, de prærogatiua per Virginem concessa Cisterciensi 8.

D cucul

cucullæ, per ipsam traditæ: *vt Diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui ea indutus morietur, saltim donec de eo iudex viuorum, & mortuorum sententiam tulerit.* Neque enim quidquam intactum relinquendum, in quo lector hærere iure possit. Offert autem rationem dubitandi tam ipsum priuilegium, quàm limitatio; illud, vt minimum indulgens, aut prorsus nihil; hæc vt destruens idipsum, quod supponit. Nam cùm sententiam in tremendo illo iudicio, non litis contestatio, non probationes, exceptionésve præcedant; non denique aliæ iuris dilatationes, sed vno, & indiuisibili momento coeant probatio, damnatio, & exequutio: si potestas Dæmonibus adempta illico post sententiam restituitur, nec adempta videtur, nec dilata, sed suo tempore, vt in alios exercenda. Quare nullo speciali priuilegio gaudebunt, qui decedunt in eo habitu.

9. Ego non dubito, id genus promissionis excitandis affectibus conceptum, & conciliando feruori deuotionis, tam communes leges firmare, quàm infringere; neque tam priuilegia continere, quàm veluti speciales expressiones iuris communis. Sic [h] nostris alibi concessum esse lego, nullum ex eis prorsus periturum, si Ordinem amauerit, nempe amore efficaci, atque obseruante rigorem eiusdem Ordinis: quod ipsum aliis etiam est promissum. Sed neque credam omnino nihil dare, aut verba rebus vacua tantùm inducere. Insunt diuinis responsis sua arcana, quæ reserare, quia hominibus negatum, suspicienda, quàm examinanda esse comperias. Et hæc ipsa promissio non parum donat, si ad tempus antecedens mortem, referatur, nempe acribus arcendis tentationibus, laruisque, & apparitionibus diuersis, queis moribundi solent infestari. Certè inter beneficia nostris concessa, mortem tranquillam, & quietam ab his omnibus, longissima experientia comprobauit, de qua inferiùs. cuius, quia pignus putarunt virgineam vestem, eam constanter in morte retinuerunt. Nisi quòd tamen ante ducentos annos, plus minusve, vt sumus, senescente spiritu, & natura, tepidiores illo, hac debiliores; cucullis successerunt breuiora tegmina, à breuitate, *Breuiæ* nuncupata, indulgentia Romanorum Pontificum, vt suo loco dicemus.

h apud D. Bern. in lib. int 1. eius doctrina.

1. *Quæsitum de initio officij Mariæ Virginis.* 2. *Et assignata ante Cistercium natum obligationis eius antiquitas,* 3. *à Carthusianis, Cluniacensibus, & aliis admissa,* 4. *nec credenda resecta à Molismensibus.* 5. *Ea Cistercio congenita.* 6. *& continuata sine interruptione, à primo,* 7. *per secundum,* 8. *tertium,* 9. *quartum,* 10. *& quintum sæculum,* 11. *vsque ad sextum, in quo hæc scribimus,* 12. *vnde nequit in dubium reuocari.*

CAPVT III.

1. SVperest de officio paruo beatæ Virginis, quod hac eadem occasione, temporeque à nostris Patribus admissum, sunt qui existiment; quasi notæ perennis seruitutis, perenne etiam obsequium responderet: & qui se habitu Mariæ matris mancipia profitebantur, exhiberent obsequio. Nos in hac re duo certa comperimus: alterum est, istius pensi antiquitas, ab Ordinis initio persoluendi: alterum, nunquam interrupta continuatio, ad nos vsque producta: neque inter varios cæterarum rerum casus, occasusque imminuta, aut deficiens; sed semper crescens. Vtrumque breuiter in hoc capite explicabimus; posterius in sequentibus etiam inueniemus.

2. Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis ante natum Cistercio, præueniensque, inde nobis fatendum esse apparet, quod in Concilio Claromontano, sub Vrbano secundo celebrato, tribus ante Cistercium exortum annis, præceptum legimus, *vt horæ de Beata Maria Virgine dicantur, & eius officium diebus sabbatorum solemniter celebretur.* Horæ, inquam, beatæ Mariæ ab eremitis institutionis beati Petri Damiani ante quadraginta annos frequentari solitæ, & tunc etiam ad Clericos extensæ, vt [a] Cardinalis Baronius adnotauit. Idque fauoris ipsius adipiscendi, pro expeditione Hierosolymitana, quæ, ipso Vrbano adnitente, parabatur. Porrò easdem Beatæ Mariæ horas complures Monachos statim admisisse, diebus singulis deuotè recitandas, compertum est. quod Carthusianis, tunc recèns institutis, & adhuc de perseuerantia dubitantibus, ipse etiam Petrus Apostolorum Princeps intimauerat, cœlesti ad eos responso in hunc tenorem. *Perplexi estis, fratres, verùm hic in loco permanere, vel ex eo excedere debeatis. Sed ego dico vobis verbis omnipotentis Dei, beatissimam Dei Genitricem Virginem perpetuò vos in hoc deserto loco conseruaturam, si in eius honorem quotidie legere velitis preces eius horarias.* Hæc sanctus Petrus ad Patres Carthusianos. Nec dubium, monitos oraculo cœlesti, admisisse consilium, cui suam postea deberent confirmationem.

a ad an. Christi 1095.

Easdem horas receptas à Cluniacensibus, eorumdem statuta non multo pòst sub beato Petro Mauricio Abbate edita, satis clarè demonstrant, quæ sic habent. [c] *Statutum est, vt sicut ex consuetudine aliæ horæ sanctissimæ Virginis Matris Domini in Ecclesia infirmorum, quæ in honorem illius consecrata est, quotidie decantantur, & eiusdem ibi Completorium cantaretur.* Si autem Petri Venerabilis temporibus consuetudo hæc inter eos iam inualuerat, consequitur ante aliquos annos introductam, ab ipso, vt minimum celebrato Concilio, habuisse initium. Denique Monasterio Tamugensi eædem horæ admissæ, sed mox omissæ, minabantur exitium; nisi resumptæ pacem retulissent. quod Beatus Petrus Damianus, qui eius resumptionis auctor extitit, testatur, dum ita ait. [d] *Verùm (ne Lectorem diutius protraham) fratres illi hæc, quæ dixeram (nempe eos pati propter omissum officium Beatæ Virginis) non dubiis erumpentibus signis, vera probantes, in arcto siti; tandem ad eos redeunt, pauimento se* 3.

c in Biblio. Clun. statut. 68.

d apud Baro. ann. 1069.

se humiliter sternunt, ac percepta pœnitentia, nunquam se de cætero neglecturos solita Dei Genitricis præconia, vnanimiter pollicentur. Mox itaque (vt fatear) ita post coruscationes, atque tonitrua, tandem cæli serenitas rediit, vt nunc vsque hodie fratres iucundæ pacis otio perfruantur. Hactenus Cardinalis Petrus Damianus. Ex quibus omnibus non obscurè colligas, Marianum officium sub his temporibus inter Monachos frequenti vsu receptum.

4. Quamuis autem nobis compertum non sit, à Molismensibus etiam recitari: non tamen credimus in Ecclesia beatæ Virginis, a beato Roberto in eius honorem erecta, tectaque per sanctos Monachos, atque ipsi summè addictos, inhabitata, minus aliquid in eius obsequium fieri, aut renoui pensum cunctis imperatum, cunctis impositum, quod alij multo minus deuincti non detrectabant. Probabiliter ergo coniectamur, officium Virginis, ante Cistercium natum, in Molismo recitari inceptum per Patres nostros, atque inde traductam consuetudinem, non secus ac Ecclesiarum cunctarum, sub nomine Mariæ dedicationem. Vnde etiam fit, vt Cisterciensi Ordini ante natum officium, sine ipso aliquandiu, sed ordo sine Mariæ officio nunquam fuerit. Crediderim tamen ab hoc anno, vt minimum, nouo vestium accepto beneficio, acceptatum de nouo, continuatumque deuotius à nostris Patribus.

5. Porrò quanto feruore semel admissum, & quàm sine vlla prorsus interruptione, ad nostra vsque tempora, vbique & semper recitatum fuerit, non aliter manifestius demonstrabimus, quàm si deducta sæculorum currentium serie, ostendamus per singula, non vllum ab hoc penso fuisse immune. Certè beatissimi Patris nostri Bernardi tempore, adeoque ab ipso Ordinis initio, recitari consuetum à cunctis Monachis, habemus in Exordio magno expressum. Inde enim beatus Christianus, sociusque, cùm Cistercium sub Rainardo Patre pergerent, & competenti hora (quæ erat illorum Sanctorum obseruantia) Sextam simul alternis decantassent, statim eo penso persoluto, separati adinuicem, Sextam de Domina nostra recitarunt. Exordij verba, quo maior dictis
e lib. 1. c. 40. fides, in medium proferam. [e] *Cùm verò die quadam iter agerent* (scilicet sanctus Christianus, & socius eius) *& secundùm æstimationem temporis, regularem sextam horam simul dixissent, retraxit se Monachus, qui cum viro Dei ibat, vt horam de Domina nostra secretò singuli per se psallerent.* Non ergo dubium, sub Rainardo Patre (huius enim mandato Christianus aduentabat Cistercium) qui immediatè Stephano successit, & beato Patre Bernardo coæuus fuit, officium Virginis Cisterciensibus in vsu, nec à sanctioribus tantùm recitandum, sed ab omnibus. Nec enim Monachus socius retraxit se, vt Christianus horam de Domina nostra solus psalleret, sed vt vterque, seu quod plus aliquid sonat, etiam vt singuli, quasi ea esset singulorum obligatio per totum Ordinem. Ad idem sæculum pertinere noscitur testimonium Cæsarij, de Canonico illo Leodiensi, cui per oraculum olim ad Bernardum, per Bernardum ad Ordinem conuerso, post sanctum Patrem ad Superos translatum, dum sub Goseuino, Cistercij quinto Abbate, Alnæ prope Leo-
f apud Cæs. lib. 1. Dialog. c. 6. dium Priorem ageret. [f] *Cùm vnus Monachorum*

de confessione signum faceret, illeque Sextam de Domina nostra psalleret, innuit ei, vt modicum expectaret, &c. Cùm, inquam, Sextam Dominæ nostræ psalleret, quam interrumpere, nedum non recitare, profanum duxit. Nec multo pòst intra idem tamen sæculum, anno scilicet M. CXCIV. gliscente deuotione in eamdem Virginem, statutum lego, [g] *quòd horæ beatæ Mariæ (quæ hactenus à* g Cæs. ibid.
singulis seorsim recitabantur) in infirmitorio dicerentur omni tempore. quod ad Cluniacensium Patrum imitationem, à nostris factum, probat statutum ipsorum, de quo suprà.

6. Secundo sæculo pensum continuatum, idem ipse Cæsarius planè conuincit, qui libros dialogorum euulgauit vigesimo secundo illius anno, in quibus eiusdem officij frequens mentio, item tunc in infirmaria cantari soliti; non tamen ideo à singulis omissis, si fortè ei interesse minus poterant. Vnde illud celebre de Monacho Hispano, qui [h] *in obsequio beatæ Virginis ita feruens, & deuo-* h lib. 7. c. 51.
tus, ita in horis eius decantandis morosus, & intentus erat, vt non solùm in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis memoriam ipsius haberet, & sic horam horæ maximo labore continuaret. Ita Cæsarius de sancto illo Monacho, quem non frustrauit affectus in Matrem Virginem. Nam [i] *cùm annos decem &* i idem ibid.
septem fecisset in Ordine (prosequitur idem auctor, eodem loco) *grauiter infirmatus est, & ministrabat ei socius suus de licentia Prioris. Sciens autem cùm sanctum virum, & in seruitio Dei Genitricis deuotissimum, vt aliquid sibi diceret ad ædificationem, intuitu mutuæ charitatis flagitauit. Cui, cùm ille nihil negare posset, nec vellet, respondit: Heri Domina nostra visitauit me, & quia die septimo ad Dominum fuerat migraturus, prædixit.* Hactenus in Sancto illo Cæsarius, quædam alia adiiciens, cautè legenda; quæ tamen ipsa in discipulo inueniuntur inter miracula, atque fauores Matris Virginis.

7. Eodem sæculo, nec multis elapsis annis, Christi nimirum M. CCXXXVII. inter alia in Capitulo statuta, duæ promulgatæ leguntur diffinitiones, ex quibus constat continuatio eiusdem pensi. Altera, qua Beati Patris Bernardi commemoratio diebus singulis ad horas Marianas iubetur fieri. Altera, qua ipsæ horæ permittuntur extra conuentum simul recitari, etiam post diuinum Officium absolutum; atque en verba prioris statuti. [k] *Commemoratio Beati Ber-* k in diffinit. eiusd. anni.
nardi fiat ad horas Beatæ Mariæ ad Vesperas, & Laudes, & in Litania nominetur. Posterioris verò hæc, quæ sequuntur. [l] *Abbatibus, & Mo-* l in diffinit. eiusd. anni.
nachis extra terminos constitutis, si conuentus defuerit, & eis, qui circa defunctum vigilant, liceat simul cantare horas de sancta Maria. Hæc anno Christi M. CCXXXVII. Sed & post hunc decem & septem elapsis annis, Christi nimirum M. CCLIV. commemoratio sancti Patris Roberti iniuncta cunctis continuationem Mariani officij etiam conuincit. [m] *Pro reueren-* m ann. 1254.
tia (inquit) *beati Roberti domus Cisterciensis, & Ordinis primi Institutoris, ordinat Capitulum generale, vt in singulis ipsius Ordinis domibus, post Beatum Bernardum in Litania nominetur, & in Laudibus, & Vesperis beatæ Virginis Mariæ priuatim de eo fiat commemoratio.*

8. Sæculum tertium testimonia alia commendant, præcipiente Capitulo, [n] *quòd quoties-* n ann. 1307.
cumque Officium diuinum canitur in conuentu, post commemorationem quotidianam beatæ Mariæ, ad

Vesperas, & ad Laudes de Beato Benedicto, & Bernardo commemorationes alij subsequantur; tamen de Beato Roberto ad horas Beatæ Mariæ specialiter debet fieri commemoratio consueta. Ergo translatis Benedicto, atque Bernardo, ad diuinum Officium, solus Robertus in Mariano relictus est, anno Domini M. CCCVII. in quo, & vsque ad hunc diem perseuerat. Tam lóge autem abfuit sæculum istud ab imminuendis, aut omittendis Mariæ horis, vt potiùs anno M. CCCXVIII. singulis commemorationem eius addiderit, quæ hactenus recepta communi vsu; idque verbis affectum spirantibus, atque in affectu pietatem,

o anno 1138. & deuotionem. o *Cùm Beatissima Dei Genitrix Maria, omni laude dignissima, à nobis, quorum est aduocatrix specialissima, semper, & vbique debeat congruis laudibus venerari, statuit, & ordinat Capitulum generale, quòd post horas consuetas ipsius Virginis gloriosæ dicatur ab omnibus personis Ordinis antiphona*, Missus est Angelus Gabriël; *versus*, Aue Maria, *collecta*, Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, *&c. & post collectam dicatur*, Dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & beatissimæ Matris eius, sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen. Nec illud etiam omittendum censeo, quod Radulphus Rinius, Tungrensis Ecclesiæ Decanus, ad Canonicos VVindeshenses, anno eius sæculi octuagesimo octa-

p in præf. sua copulat. in fin. uo, plus minusve, vt testatur p Pamelius, reliquit scriptum. Dum enim eos de diuinis Officiis seriò instrueret, ac ritus, ceremoniasque doceret, cùm primùm ad Marianum officium venit, nihil aliud docendos existimauit, quàm quod Cistercienses, & Carthusienses Monachos,

q lib. de can. obseruant. proposit. 15. ad finem. velut Magistros, & antesignanos imitarentur. q *Ad horas* (inquit) *Beatæ Mariæ obseruanda sunt prostrationes, & ceremoniæ, quarum vsum loca vestra congruè recipere possunt à Carthusiensibus, & Cisterciensibus.* Hæc tertio sæculo in aliis deficiente, sed in obsequio Virginis Mariæ, & eius recitandis horis planè perferuido.

9. Sed illustriora, & grauiora adhuc in quarto, de cuius initiis, mediisque Pontifices: de nouissimis habemus idoneos testes, ipsas singularium domuum visitationes, quæ hodieque in multis perseuerant. Eugenius quartus Hispanis præ aliis fauens (quod olim cunctis Capitulum Cistercij) anno M. CDXXXVII. singulis congregationis nostræ Abbatibus, viuæ

r tom. 1. priuil. 10. n. 18. vocis oraculo concessit r, nempe *quòd quilibet Abbas possit dispensare cum suis Monachis, vt cùm non assistunt choro, vel etiam cùm sunt extra Monasterium, possint licitè post Completorium, dicere simul horas Beatæ Virginis.* Quin Sixtus quartus officium Marianum diuino penè adæquat, dum anno M. CDLXXV. vel Abbatiis in com-

s tom. 1. priuil. 10. n. 3. mendam commissis præcipit. s *Solicitè, & debitè in eisdem Monasteriis, & locis commendatis, diuinum Officium tam in horis canonicis, quàm Beatæ Mariæ, morosè, deuotè, & integrè, eiusdem Ordinis ceremoniis seruatis, competentibus, & debitis horis persoluere*, &c. Ita Pontifices. Ast censorum Ordinis, & inter alios Petri de Circlo Claræuallis Abbatis, qui Innocentij octaui commissione, & totius Cisterciensis Capituli auctoritate, anno M. CDXCI. visitauit Hispaniam, duo hodie (fortassis etiam plura) perseuerant mandata, alterum in Monasterio Nucalensi, Astoricensis diœcesis; in regno Legionensi alterum in Monasterio sanctæ Columbæ; illo virorum, hoc Sanctimonialium; vtroque filio domus Moterolæ, de quibus infrà. Prioris mandati exemplar sic se t habet. *In nomine sancta, & indiuiduæ Trinitatis, ad nostræ, &* t In tabula Nucalensi. *totius Christianæ Religionis ædificationem. Nos Frater Petrus Abbas Claræuallis, Cisterciensis Ordinis in Diœcesi Lingonensi, per expressum mandatum Sanctissimi Domini nostri summi Pontificis, & plenariam Capituli Generalis nostri Cisterciensis Ordinis auctoritatem, personaliter visitantes, & reformantes deuotum Monasterium Beatæ Mariæ de Nucalibus, &c. pro eiusdem loci, & personarum in vtroque regimine prosperiori successu, ea quæ sequuntur, statuenda decreuimus. In primis cùm operi Dei, secundùm nostri legislatoris doctrinam, nihil sit præponendum, huius loci personas regulares omnes diuinis mancipatas obsequiis, benignè in Domino hortamur, & monemus, vt in ipso seruitio diuino peragendo, sese deuotas, feruentes, compositas, & disciplinatas exhibeant; diebus singulis omnes & singulas horas, tam diurnas, quàm nocturnas, & tam de beata Maria, quàm de tempore, ac defunctis, horis competentibus integraliter persoluendo. Horas videlicet ipsas de Beata Maria recitando cum bona, & competenti pausa in medio, & in fine versuum psalmodiæ, in virtute salutaris obedientiæ statuentes, vt horæ ipsæ de Beata Maria nullo vnquam die, quantumcumque solemni, intermittantur. Quas horas de cætero incipiant, quemadmodum eis monstrauimus*, &c. Nam latè prosequitur ceremonias, & circunstantias, quibus idem Officium celebrandum. Sanctimonialibus verò sanctæ Columbæ simile præceptum reliquit sub hoc tenore. u *Inhibemus autem, vt de cætero* u In tabul. sanctæ Columb. *quocumque die, quantumcumque solemni, intermittantur horæ de Beata Maria; sed semper in choro coniunctioni cum horis diei dicantur.* Et post pauca. *Maximè autem horæ Beatæ Mariæ Virginis paulo morosiùs de cætero dicantur, & reuerentiùs incipiantur.* Hactenus censoria lima Claræuallis Petri, nulla occasione intermissionem admittens Mariani pensi, non solùm sigillatim, verùm in choro, & ab omnibus simul persoluendi.

Sæculum quintum, quò proximius nostrò, 10. eo patentius, continuati Mariani officij pensum pandit, & in ipso recolendæ, & verè sanctæ memoriæ Pius quintus priuilegio concesso Hispaniæ Monachis, quod cunctis aliis per orbem fidem facit. Indulget namque pœnam centum dierum, quo deuotiùs adimpleant, quæ aliàs faciunt; atque ex instituto, seu consuetudine, non tantùm propria, sed communi totius Ordinis, facere tenentur, sub his verbis. x *Cupientes nihilominus, vt dilecti filij, & dilectæ in Christo filiæ, reformati Monachi, & Moniales, aliaque vtriusque sexus personæ regularis obseruantiæ regnorum Hispaniarum Ordinis Cisterciensis, qui, vt accepimus, erga Beatam Virginem singularem gerunt deuotionis affectum, vltra septem horas canonicas dominici Officij, secundùm formam dicti Ordinis Cisterciensis, eo feruentiùs, ac maiori cum deuotione, & fructu, Beatæ Mariæ Virginis, & defunctorum officia, iuxta Ordinis institutum, seu consuetudinem recitent, quo ex hoc cælestis doni gratiæ conspexerint se vberiùs refectos; de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, eisdem Monachis, & Monialibus* x tom. 3. priuil. 9. num. 1.

libus toties, quoties iuxta institutum, seu consuetudinem dicti Ordinis Beatæ Mariæ Virginis officium, tam in choro, quàm extra chorum recitauerint, pro qualibet vice centum dies de eis iniunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium misericorditer in Domino relaxamus. Hæc Pius quintus, repetens, & inculcans Marianum officium, non vtcumque, sed ex proprio instituto, aut consuetodine in Cisterciensi familia recitari. Nec tacendum, quod hoc eodem sæculo, anno scilicet M. DLXXII. eodem officio in Hispania paululù imminuto, mutatoque, quippe omisso in diebus Beatæ Virginis, in reliquis, breuiata psalmodia tertiæ, sextæ, & nonæ, per mediationes, vt duobus partita diebus recitaretur: reformator, quo agente id factum est, per immaturam mortem de medio raptus, & stallum eius in choro perculsum fulmine, diuinam iram vindicem nunciarunt. Certè occasionem dederunt timoratis, vt nouitate abiecta laxiori, ad antiquum recitandi morem, quasi moniti à Deo, reuerterentur.

In lib. alber. capituli obseruant.

11. Demum hoc ipso, quo nunc degimus, sæculo, cùm Breuiarium monasticum prodiisset, pro omnibus, singulisque congregationibus, quæ Beatum Patrem Benedictum Magistrum habent, nec deessent, qui opinarentur, Monachos Cistercienses, eo admisso, ab officio Deiparæ immunes, solis Canonicis horis satisfacere; Gregorius XV. quæsitus, declarauit. [z] *Quòd Ordinis prædicti Religiosi, siue vtantur Breuiario Romano, siue monastico Benedictino, iussu felicis recordationis Pauli Papæ V. prædecessoris nostri reformato, ab obligatione, quam habent ex antiquissima ipsius congregationis consuetudine, recitandi quotidie officium paruum Beatæ Mariæ semper Virginis, ac diebus ferialibus officium defunctorum, nequaquam liberi censeantur, &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decima octaua Octob. M. DCXXII. Pontificatus nostri anno secundo.* Hæc Gregorius decimusquintus ante quindennium; quo nihil potuit expressiùs declarari.

z extat in Archiu. S. Mar. de Palazuelos.

Ergo siue ab accepta veste candida, siue, quod præfero, etiam ante Cistercium, Molismi cœperit, extunc vsque ad hanc nostram tempestatem, non vnquam sine Mariano penso Cistercium fuit. Neque id lege, aut statuto aliquo cautum; nam quæ adduximus, supponunt, non præcipiunt: sed receptum perpetua consuetudine, vel Claramontensis Concilij, atque præcepti in ipso lati acceptatione. quod summè velim eos animaduertere (extraneos tantùm alloquor, neque enim vlli dubium inter nostrates) qui dum Monialium confessiones audiunt, ambigunt de huius officij obligatione. Quod ex sola ignorantia historiæ, (nam doctriœ, cur credam?) oriri potest: siue enim ea consuetudine introducta sit, rationabili in filiis, & specialibus addictis, quis negabit? Vltra quingentos annos continuata, nec quasi ex voluntaria deuotione (vt Psalmi pœnitentiales in sextis feriis) sed ex debito Ordinis, (quod communis consensus antiquorum, atque indulta Pontificum affirmant) tam religiosè à cunctis persoluto, vt nec diuidere horas à Canonicis, nec simul recitare posse putarent, sine Capituli, aut Romani Pontificis dispensatione: aut nulla prorsus consuetudo erit, quæ vim legis obtineat, ad obligandum, aut hæc obtinet. Si verò non ex sola consuetudine, sed ex præcepto Claramontensis Concilij, à nostris acceptato, habuit originem, nullus de obligatione dubitabit, qui bene senserit de Ecclesiæ potestate. Ego hæc omittere piaculum duxissem, nec censui alibi opportuniùs inserenda. 12.

IESV CHRISTI ANN. 1104. — CISTERCII ANN. 7.

1. Monachorum noui Monasterij summa perfectio. 2. Tristitia præ defectu successorum. 3. Emendatus Fiteriensis, 4. atque item Brito, & Lobera, Regij historici. 5. Diuina visio Clerico ostensa, 6. atque in fauorem Cistercij comprobata. 7. Susceptus Clericus euadit in sanctum virum. 8. Perpensa visio, & comparati fauores matris, & filij.

CAPVT VNIC.

1. SEQVENTI anno, nimirum millesimo centesimo quarto, Cistercij septimo, Alberici quinto, nouum Monasterium, vtriusque curæ commissum, meritis simul, famàque crescebat, stupentibus cunctis in Monachis illius vitæ rigorem; nec prius nondum remisisse summum cognoscentibus, quàm maiorem adhuc moliri, & strictiorem tenere probabantur. Tum verò nouo fauore Virginis erecti, & nouis confidentes promissionibus, maiori quadam vi cœptis insistere, æmolari cœlestia, terrena despicere, inferos ad certamen prouocare, neque homines albatos, sed Angelos in albis præ se ferre, queis humanæ functiones, quasi per speciem, insuperatæ vires genus supra humanum arguebant. Intenti omnibus, velut si in nullo defatigarentur, cibum, & somnum libare magis, quàm sumere: reliqua omnia Angelorum more tractabant, sine strepitu, sine intermissione, sine querela: Albericum Maria Angelorum Domina, Stephanum Alberico, reliquos Stephano illuminantibus potius, quàm mouentibus, illuminatis sine mora obtemperantibus. Continua illic in labore quies, otium in negotiis, in societate solitudo, in securitate timor, in timore securitas, & vitiis exulibus, virtutibus vix locus, quas putares in dona transiisse, adeò dominis suis dominabantur.

2. [a] *Id vnum tamen* (vt eorùm verbis vtar) *viro Dei venerabili Alberico, & suis aliquantulum mœstitiæ subdidit, quòd rarò quis illis diebus ad eos imitandos veniret; viri enim sancti thesaurum virtutum cœlitus inuentum, successoribus ad multorum salutem profuturum committere gestiebant. Sed ferè omnes videntes, & audientes vitæ eorum asperitatem insolitam, & quasi inauditam, plus corde, & corpore elongare, quàm approximare se eis festinabant. Et de perseuerantia eorum dubitare non cessabant; sed Dei misericordia, quæ hanc*

a Exord. par. n. 17.

hanc militiam spiritualem suis inspirauit, ad multorum profectum egregiè eam amplificauit, sicuti sequentia declarabunt. Huc vsque Exordium. Haud aliter Abraham inclitus factus, ditatusque [b], nihil se habere credebat, quandiu non liberos.

b Genes. 15.

3. Ex his tamen, vt id obiter notem, miror [c] Fiteriensem, virum aliàs ingenij perspicacis, & quem correcti, vulgatique Exordij auctorem veneramur, (atque vtinam notas etiam euulgasset, quas propria ipsius manu descriptas, & quidem doctas, licèt nondum correctas, apud me habeo.) Miror, inquam, instituendi Ordinis curam, hîc primùm cognouisse in nostris Patribus, nempe in illis verbis. *Successoribus ad multam salutem committere gestiebant.* Cùm tamen hæc, si nulla alia præcessissent, pro sola Monasterij sui conseruatione deberent intelligi, defectu succedentium, defecturi, etiamsi solum voluissent permanere. Nam, vt mortalium in orbe caducum genus, si natales excludas, per quos decedentium iacturæ reparentur: sic cœtus eos perire necesse est, in quibus Patribus per mortem auferendis, deficiant filij, in quos mores transfundant, & genus vitæ. Ego tunc primum Ordinem agnosco, cùm plura Cœnobia inter se cohærentia video, quæ à Patribus nostris intenta potiùs dixerim, legibus latis de eorum fundationibus. Porrò has leges ante biennium conditas, atque ex ipsorum scriptis planè acceptas, anno millesimo centesimo primo nos retulimus.

c in notis ad Exord.

4. Nec minus miror, Regios historiographos, Athanasium [d] Loberam, &, qui eum sequitur, Britum [e] Lusitanum, noui Monasterij primogenituram detulisse Bernardo Patri, quasi ipse primus è sæculo conuersus, Cistercium suo aduentu consecrauerit, fœcundaueritque; atque ob hanc causam dicatur Pater Ordinis, ab ipso aliàs nunquam recti, nedum erecti. Sed Bernardum ab aliis fuisse præuentum, hoc clarissimo constat testimonio. Neque enim tristabantur Patres nostri, quòd nulli sub Alberico Abbate Cistercium conuersionis gratia frequentarent; sed quòd rari. *Quòd rarò quis illis diebus ad eos imitandos veniret.* Nec minus clare ex priuilegio Paschalis suprà adducto. [f] *Meminisse debetis,* (inquit) *quòd pars vestri sæculares latitudines, pars etiam ipsas Monasterij laxioris minus absterfas angustias reliquistis.* Pars, inquam, vestri sæculares latitudines, vt nulli vnquam liceat dubitare, ante expeditum illud priuilegium, nedum ante Bernardum conuersum, quosdam alios ad habitum admissos. Denique Clericum conuersum hoc ipso anno, adeóque per nouennium anteriorem, quæ sequuntur, clariùs adhuc demonstrabunt.

d in vita S. Froy. cap. 16.
e lib. 1. c. 12.
f tom. 1. priuil. 1.

5. Non sustinuit Albericum mœrentem pia Virgo, nec pius filius Matrem diu rogantem. E cœlo descendisse visus est, vtriusque vineæ operarios conducturus. Idque admiranda satis visione, quæ euentu comprobata, vulgataque, maioris adhuc fauoris indicium fuit. Eam à Vincentio, Beluacensi Episcopo, Dominicanæ familiæ auctore, olim descriptâ ipsius verbis [g], quo grauius, referemus.

g in Specul. histor. lib. 25. cap. 106.

Tempore autem Beati Alberici, anno videlicet Domini millesimo centesimo quarto, quidam Clericus de Vendopera, cùm studeret in scholis apud Lugdunum, vidit in visione nobilis quamdam vallem sub quodam monte, super quem ciuitas quædam pulcherrima posita erat, cuius aspectus nimium delectabat intuentes, ita vt quisquis eam videret, de aspectu illius satiari non posset; & modis omnibus laboraret, quomodo ad illam peruenire valeret. Inter ea vidit fluuium quemdam sub pede montis, imò circa pedem currentem. quem dum circuiret, quærens artem, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis duodecim pauperes, siue quatuordecim, lauantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissima indutus, multum aliis dissimilis, qui adiuuabat illos in tunicarum suarum ablutione, qui postquam adiuuerat vnum, ibat adiuuare alium. Tunc Clericus, qui hoc videbat, accessit ad illum, qui cæteros adiuuabat, & dixit ei: Quæ gens estis vos? Qui ait, isti pauperes homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lauantes; & ego Filius Dei Iesus Christus, sine cuius auxilio neque isti, neque illi possunt benefacere. Ciuitas hæc pulchra, quam vides, paradisus est, vbi ego maneo: & quando quisque tunicam suam lauerit, id est, pœnitentiam peregerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsiisti viam, qua itur ad illam, sed nulla alia via, quàm ista, ducit ad eam. His dictis Clericus à somno euigilauit, & mirari cœpit de visione.

Cùmque non multo pòst rediisset ab schola in patriam suam, narrauit Episcopo Cabilonensi, cui familiaris erat, visionem hanc. qua audita, Episcopus suasit ei, vt sæculum relinqueret, & religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines, nouellum illum Ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, & inuenit locum incultum, & desertum, & fratres inter bestias commorantes: ad portam verò Monasterij, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cuius sonitu ad portam portarius appellabatur, ab intrare volentibus. Hoc sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, & inclinans salutauit eum. Quem Clericus intuens, statim recognouit, se eumdem vidisse inter eos, qui tunicas suas in flumine lauabant. Rogauitque eum, vt adduceret ad se Abbatem. Abbas igitur, & totus conuentus venit ad eum, & recognouit Clericus omnes se vidisse, tunicas suas in flumine lauantes. Statim cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum cum lachrymis, vt susciperetur. Qui susceptus, non multo pòst factus est Prior. Huc vsque Vincentius, cuius verba Fiteriensis inseruit suo [h] Exordio, non secus ac Exordij parui nonnulla capita: hæc, quòd videret ea desiderari, integro quaternione in originali antiquo deficienti, quod à senioribus Cistercij testatum tradit, & nos etiam inferiùs demonstrabimus. Illa quòd crederet desumpta ab Exordio, dum adhuc integro, suasus nimirum stili æqualitate, & quia Vincentius, quæ plura ex illo refert, nullo auctore citato referre solet; quod etiam obseruauit, dum hæc scripsit. Cùm tamen cæteris, quæ aliunde mutuatur, nomen auctoris semper anteponat. Videri potest in speculo morali, *cap.* 107. 108. & 109. vbi plura desumit ex Exordio. 6.

h lib. 1. c. 26.

Clericum hunc Robertum nuncupatum, atque obseruantia monastici instituti, & sanctimonia vitæ perillustrem, virtutibus in vita, & morte clarum. Demum inter sanctos Cistercij Abbatis sepulturam adeptum, ex quibusdam eiusdem Cœnobij schedis [i] Yepes in suis annalibus testatur. Qui tamen etiam in eo errore est, vt putet illum Cistercium adhuc sterile, aduentu suo, ea nota liberasse, quod nos reiicimus. Qualiter autem sub beato Patre Stephano Prioratum Cistercij adeptus sit, & quàm se in ipso sanctè & piè gesserit, suo loco commodiùs demonstrabimus. 7.

i cent. 7. ad an. 1104. c. 2.

In ipso autem euentu videat lector iam tunc commendatos à Christo Cistercij mores, quippe electos præ aliis imitandos, ad viam patriæ cœlestis capessendam. Videat secundò eumdem Saluatorem 8.

torem

rorem iam tunc item curantem de nouo grege, atque ita prouidentem singulis ouibus, vt adquisitæ acquitendas non impediant, imò alliciant. Videat tertiò cum Filio certantem Matrem, & ferè neutrum alteri cedentem in ea cura, illa vellera agnorum dealbante, lauante isto; illa vestium candore de cœlo misso, diuinitus infusum designante candorem mentium; isto lotione ipsius auxilio facta, maculas emundante, quantumuis minimas, sed non nisi per ipsum abstergendas. Ao & albedinem lotio sequuta est, vt scirent noui illi Nazaræi egentiores se aquæ, quo puriores. Vt color albus nullas sordes patitur, vel leuissimas quasque proditurus: sic pura mens, quo perfectior, impatientior cuiusuis maculæ, etsi ferat, vel graues admissura. Agnouere mysterium viri Dei, congratulantes illa vnica visione se pariter instructos, auctosque doctrina, auxiliis, fauoribus, & numero. Nec dubitarunt augendos in immensum, talibus documentis eruditos, & Christi, ac Matris cura protegendos.

IESV CHRISTI ANN. 1105.

CISTERCII ANN. 8.

1. Septenarius Bernardo velut fatalis. 2. Natale solum. 3. Tempus. 4. Genusque. 5. Parentum sanctitas, proles. 6. Visio præcedens ortum ipsius Sancti. 7. & quid de ea Patres illius sæculi. 8. Matris oblatio, partus, lactatioque, 9. & dotes pueri ab ipso matris vtero.

CAPVT I.

1. HACTENVS noui Monasterij primordia septennio clausa, numero sacratiori, arcanoque, totidem velut reseratis sigillis, vt potuimos, lectori patefecimus. Queis tamen de Bernardo nulla mentio, quippe adhuc io sæculo degenti, & vt septennio Cistercium antè oato, sic non nisi post aliud septennium ingressuro. Numerus viro Dei quasi fatalis, ipsius vitæ terminos describit, si non præscribit. Primo septennio elapso Cistercium surgit: secundo expleto, mater eius obiit, cui summè charus, & vix tertium in sæculo compleuerat, cùm se, & familiam suam Cistercio consecrat, tanto alumno in immensum dilatando. Septem ergo, à Cistercio fundato, elapsis annis, quos quasi ad Lunæ radios ambulantes, sub Roberto, Albericoque distraximus, adhuc aliorum septem via restat, nulla maiori luce peragenda, priusquam sol ille oriatur historiæ orbi. Qui, ceu cedentes imminenti iam crepusculo, seu ipsius aduentum præstolátes, vt solet nox sub aduentum nouæ lucis, aliquanto obscuriores inueniuntur. Certè huius temporis notitia minor est, fortasse vt à domesticis vacantes, liberiùs sanctæ Alcidis pretiosam mortem, quæ ad hunc annum spectat, referamus. Nec verò externa nobis dici potest, quæ vel nupta Monialem referebat, nouo Ordini filios educabat, dum adhue viueret, & vita functa, seu meliorem vitam agens, educatos Cistercio destinauit; si non compulsos, impulsos suis monitis, quod ipsa historiæ series declarauit. Cæterùm, quia Bernardus ab hoc anno familiariùs est nobis pertractandus, ne eadem inutiliter repetamus, ipsius simul natales, vitamque vsque ad hunc eumdem annum describemus.

2. Fontanis oppido, à fontibus sic dicto, patris sui domicilio, dominioque Bernardum natum testantur omnes, qui eius vitam scribunt, dimidio ferè lapide à Diuione, nobili, & notissima curia Burgundiæ Ducum. Talentum inter (arcem munitissimam) & Fontanum castellum ea sita: quod Guillermus Paradinus ita describit. [a] *Planicies amœnissima, duobus fluminibus, Suicione, atque Oscara vtrimque muros abluentibus —— vrbi imminet Talentum arx, & natura loci, & arce munitissima. E regione cuius situm est castellum, cui à fontibus nomen, quod Bernardus Abbas sanctissimus suis illustrauit clarissimus crepundiis: olim Castellionensium equitum domus, hodie Christo ædes sacra.* Recentiores dum oppidum patris legunt, comitatum confingunt, & plurs alios pagos [b] illi adiungunt, queis è Fontanis Tescelinus iura daret. Sed nullo prorsus producto testimonio, imò ipsa reclamante antiquitate, qua potiùs *militem suis stipendiis contentum lego*, [c] *quibus ad omne opus bonum abundabat*. Nec detraxisset Tescelino Bernardi patri, si quos haberet titulos ampliores; qui paulo inferiùs in auunculo Galdrico minores etiam amplè numerauit. *Vir* (inqoit) *sanctus, & potens in sæculo, & in sæcularis militia gloria nominatus, dominus castri in territorio Eduensi, quod Ticilium dicitur.* Non ergo comitatus, alteriusve ditionis pingues redditus, cui præcipui prouentus, si non vnici, militaria stipendia designantur. Sat magnum est, si curiæ suburbanum, alterius, quàm ipsius Ducis iuris foret. Atque hæc de loco.

De tempore omnino certum est, natum anno millesimo oonagesimo primo, eo nimirum, qoo Beatus Petrus Cauensis, Cluniacensis Cœnobij olim alumnus, oblatum sibi ab Vrbano secundo in Concilio Beneuentano vsum mitræ, reuerenter quidem, sed magnificè contempsit. quod in actis vitæ ipsios [d] scriptum videas. quo videlicet Bernardo offerendarum, contemneodarumque iam tunc in illo præsagia ostenderentur. Natum hoc anno facile conuinces, si à millesimo centesimo decimo tertio, quo Cistercium ingressus est, duos & viginti demas, quos tunc habebat; in quo omnes historici conueniunt. 3.

Parentes habuit dictum Tescelinum, Alcidemque, è quibus illum Ducibus Burgundiæ propinquum genere, adeóque Regum Galliæ progeniem claram: hanc ex Corneliensium Comitum familia, alto origine Regum Lusitaniæ, atque Henrico Lusitano primo Comite, Alfonsi Regis patre, in tertio consanguinitatis gradu coniunctam, nostrates referunt; quo Bernardo cunctos Christianos Principes arcto sanguinis fœdere deuinciant. Ego in Guillermo sancti Theodorici [e], atque Alano Altisiodorensi, quondam illo Abbate, isto Episcopo, atque vtroque Bernardo coætaneo solùm inuenio. *Parentes claros secundum sæculi dignitatem*, & Tescelinum, qui *sic consilio & armis seruiebat temporalibus dominis suis, vt etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat.* Sed & io 4.

[a] lib. de antiq. stat. Burg. fol. multo 140.

[b] Brit. lib. 1. cap. 14.

[c] lib. 1. cap. 1. in vita S. Bern.

[d] apud Baro. hoc anno.

[e] lib. 1. cap. 1.

Guillermo Paradino, auctote Bnrgundo, & de Burgundiæ Ducibus tractante, Castellionensem, Safrensemque familias, queis vterque insignis, inter illustres illius, quondam regni (nam Reges olim fuerunt, qui post Duces) numeratas agnosco: Regiam progeniem, aut originem non lego. Illius verba placuit hîc describere. [f] *Sunt & aliæ familiæ pleræque illustres, quales Cornejorum, ex qua Godofredus flamulæ signifer.* Et post non paucas alias numeratas, hæc de vtraque familia Doctoris sancti. *Deinde Castellionensium, ex qua Diuus ille Bernardus Claravallis Abbas sanctissimus, nec minus ingenij monumentis clarissimus, qui de sua eruditione cælitus infusa dicere solebat, quod quercus, & fagos linguæ (alioquin disertæ) formatores habuerit. Itaque mihi monstri simile videtur, quod immensæ solitudinis, ac nemorum amantissimus viros illius temporis disertissimos dicendo superauerit, ne dicam æquauerit. Quin mirabilius est, tantum eloquentia in barbaræ gentis hoc temporis Monachi potuisse elucescere. Habetis ergo Castellionenses, atque Safrenses, quo iure gloriari possitis, qui tam rutilum religionis solem, è vestro corpore edidistis reipublicæ Christianæ. De quo dici solet, quod olim de Nestore cecinit Homerus, melle dulciorem ab eius ore orationem fluere.* Hactenus Paradinus. qui Saftensibus, vt credo, Alcidam matrem, Castellionensibus Tescelinum ortos tradit, illustribus quidem familiis Burgundionum, sed Regium splendorem non æquantibus. Quamuis non abnuam Castellionenses Comites, ex quorum familia Tescelinus, sanguine fortè coniunctos Burgundiæ Ducibus, & per eos Bernardum, licèt remotè. Honor Regis Iudicium diligit; honor Sanctorum certam veritatem. Nec ea nobilitas Bernardi Patris est, quæ egeat addititia commendari. Nos hæc ex auctore fide digno illius Prouinciæ, atque antiquorum dictis concordante, tanquam certa scribimus, scripturi maiora, si dignis fide testibus fulciantur.

[f fol. mihi 93.]

5. Claros parentes, secundùm dignitatem sæculi, virtus, & pietas fecerant clariores; siue quòd hæ rariores in nobilibus, eoque pretiosiores, si inueniantur: siue quòd superfluorum abstinentiam, vtilium abundantia cumulata, non sibi solis, sed aliis sufficientes, claritudinem munificentia comparauerant. Mater præcipuè in pauperes benefica, atque operibus misericordiæ incessanter insistens, non solùm clara, se chara omnibus erat. Matrimonium auxere septem filij Cisterciensi familiæ, quam suæ nati Guido, Gerardus, Bernardus, (nam tertius ordine,) Andreas, Bartholomæus, Nibardus, & Humbelina: sex viri omnes Monachi futuri, fœmina vna, eaque sanctimonalis.

6. Vt strages vrbium, regnorumque dira potentia; sic heroum natalis læta auspicia, felicia, faustaque signa præcedunt. Et, vt loquamur Poëtæ Hispani verbis, [g] non

[g Luc. pharsal. 1.]

——hanc tibi Rector Olympi
Sollicitis visum mortalibus addere curam
Noscant venturas, vt dira per omnia clades.

nisi hoc etiam addito solatio,

Euenus latos, vt fausta per omnia discant.

Ortum Bernardi signa præcesserunt. Matri prægnanti in somnis visus est catellus pulcher candidus, sed in dorso subrufus, & neque in vtero adhuc conticescens. Id ad virum delatum religiosum. [h] *Continuò ille prophetiæ spiritum concipiens, quod David de sanctis prædicatoribus Domino dicit* [i], *Lingua canum tuorum ex inimicis: trepidanti & anxiæ respondit, Ne timeas. optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos, pro ea contra inimicos fidei, editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus est animarum.* Haud aliter Ioannes in ventre adhuc matris, Zachariam patrem fecit prophetare. Quid si & ob hoc dictus est plusquam Propheta, argumento à simili,

[h lib. 1. cap. 1.]
[i Psalm. 67.]

Hoc morte præstat Martyrum
Quod facit esse Martyres,

Bernardus facit esse Prophetas, cùm nondum natus.

Nec ob id assero sanctificatum in vtero, sed ex vtero sanctum designatum signis, & donis sanctitati eius adhibitis, quæ alios, vel illustres adultos redderent. Hinc in ipsius laudem canit Ecclesia, 7.

Latrator strenuus sanctus ex vtero.

Hinc & Gaufridus, ipsius Sancti discipulus: *Cùm alios in pueritia, alios in iuuentute, alios in senectute vocauerit; nonnullos tamen, sed paucos, quodam priuilegio gratiæ spiritualis, in benedictione præueniens, imò præcipiens, necdum natos, quales essent futuri, quibus voluit signis, & indiciis ostendit. Sic electi sui, & prælecti hanc venerabilem Matrem felicissimo onere grauidam, insolita visione perterruit, sed interpretatione eiusdem consolatus est visionis .... Sic nimirum Bernardus noster, ex quo cœpit vtcunque viuere, cœpit mirabilis apparere: nec dum parturiebatur, & iam prædicabatur, vel magis iam ipse prædicabat, & nec lactans quidem adhuc erat, iam tamen laudans Dominum apparebat.* Hinc & Bucardus item Balernensis. [k] *Qui in vtero matris sanctificationem visus est accepisse, de quo concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius, vitæ pariter, & doctrinæ.* Hæc de Bernardo in vtero latente Sancti illi, qui quo proximiores, eo reuerentiores orientis Solis. Tum verò mater tali responso læta, & iam tunc fruens spe conceptæ prolis, atque in amorem nondum nati penè effusa, sacris litteris imbuendum proposuit tradere; quantumuis alij militiæ accingerentur, pro more patrio, nec quid omittere, quod ad rem facere posset, [l] *secundum modum visionis, & interpretationis, quæ ei de illo tam sublimia promittebantur.*

[k in subscript. lib. 1. vitæ S. Bernardi.]
[l lib. 1. c. 3.]

Enixæ Alcidi in more semper fuerat, recèns natos infantes offerre Deo, oblatos proprio lacte nutriendos reassumere, siue quo mater integra existens, (nam quæ non lactant, dimidiare videntur officia matris) plus sibi iuris in oblatos vendicaret, adeóque etiam plus in illis Deo offerret, siue quòd ipsa oblatio, vtroque illo materno clausa munere, innata potius, quàm aduentitia omnibus esset; quam causam paulo aliter designant Guillermos, Alanusque, dum ita scribunt. [m] *Quali, cum lacte materno, materni quodammodo boni eis naturam infunderet.* In Bernardo speciale aliquid lego. Nam primò quod ad oblationem attinet, *Mox vt illum felici partu ediderat, non modò obtulit Deo, sicut de aliis agere consueuerat, sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, quæ petitum a Domino, & acceptum filium, in tabernaculo eius dedicauit perpetuò seruiturum: sic & ipsa in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus.* Præsentatus in templo Bernardus est, vt vel sic ab exordio vitæ inciperet Virginis Matris filius apparere. Deinde, quod attinet ad lac, [n] Bucardus addit, non vnquam aliud sugere voluisse. *Nam, vt referunt de illo, nunquam suxit vbera nutricis, nisi solius matris.* quippe iam tunc votorum illius socius antequam conscius, & necdum iussus per omnia obtemperabat, cooperatrius maternæ pietatis, atque oblationis ab ea semel conceptæ, ipse non tantùm hostia, sed consacerdos. 7.

[m ibid.]
[ibidem.]
[n in subscript. lib. 1.]

Reliqua,

Reliqua, quæ ad lactentis tempus faciunt, prosequitur idem auctor sub his verbis. [a] *De matris vtero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratiosa, vultus placabilis, oculi columbini; infans nondum fante lingua, fari videbatur gratia iam accepta.* Hæc de infante. De puero pauca alia seligenda.

a Burcar. Balern. vbi suprà.

1. Bernardus puerulus abhorret beneficia. 2. Christi natiuitas in visu illi ostensa. 3. Nec sine fructu, 4. eoque multiplici. 5. Profectus in studiis, præcipuè sacris. 6. vt Theologiæ incrementis de cœlo datis, rudimenta acquisita subtacuerint. 7. Fuere qui poesim prophanam illi obiicerent. 8. sed reclamante grauitate morum, cui fidem faciunt auctores vitæ ipsius.

CAPVT II.

1\. PVerulum adhuc, & dolore capitis oppressum, mulier quædam venefica aggreditur, quasi dolorem mitigatura carminibus, *Curar por ensalme,* nostri vulgò dicunt. Cum ille supra ætatem etiam indignans, atque e lecto resiliens, instantem repulit, non acquiescens experiri virtutem dubiam, si diuinam, non verbis alligandam, si diabolicam, omnimodis fugiendam. Mirum in puero, vrgenti acri dolore, medicinam non grauem detrectare, & quominus arctatam naturæ legibus, eo creditam vulgo efficaciorem. Sed mirabilius medicina illibata, morbum fugere, & se celerius liberum sentire, quàm posset carminum ope liberari. Non vltrà magis dolorem passus est, quàm si capite nunquam ægrotasset. Prosequitur Guillermus Abbas in hæc verba. [a] *Nec defuit misericordia diuina bono zelo sancti pueri, sed continuo sensit virtutem, & in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore se liberum esse cognouit.* Tardius profuissent carmina applicata, quam profuere repulsa, non vnquam tantam efficaciam antea sortita, non vnquam postea tantam sortitura.

a lib. 1. c. 2.

2\. Salutem corporis incrementa spiritus sequuta sunt, atque fauoribus fauores cumulati. Bernardo puero puer Iesus apparere dignatus est in ipsa nocte, imò in ipsa hora suæ natiuitatis. Quod idem sancti Theodorici Abbas ita scribit. [b] *Adiecit ei Dominus apparere, sicut olim puero Samueli in Silo, & manifestare ei gloriam suam. Aderat namque solemnis illa nox natiuitatis Dominicæ, & ad solemnes vigilias omnes, vt moris est, parabantur. Cumque celebrandi diuini Officij hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem, expectantemque Bernardum cum cæteris, inclinato capite paululum soporari. Affuit illico puero suo se reuelans pueri Iesu sancta natiuitas, tenera fidei suggerens incrementa, & diuina in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo [c] procedens sponsus de thalamo suo, apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex vtero Matris Virginis, Verbum infans speciosus [d] forma præ filiis hominum, & puerulisancti in se rapuit minime iam pueriles affectus. Persuasum autem est animo eius, & nunc vsque fatetur, quod eam credat horam fuisse Dominicæ natiuitatis.* Hactenus Guillermus. Quibus sanè non obscurè ostensum est, à quanta perfectionis, ac diuini fauoris gratia Bernardus puer inciperet; adeoque & quod de Beato Patre Benedicto ab Angelico præceptore dictum legimus, haud dissimiliter de ipso dici posse, [e] *contingere aliquando, vt vnus homo repentè incipiat, ab altiori gradu sanctitatis, quam sit summum, ad quod pertingit perfectio alterius Sancti, vt patet de sancto Benedicto.* quo videlicet ipsius discipulus futurus, & fortè inter discipulos summus, primusque, vel in hoc etiam talis appareret, atque ipsum iam tunc imitaretur, antequam disceret.

b vbi suprà.

c Psalm. 18.

d Psalm. 44.

e quodlib. 9. q. 11. ar. 21. in fine & 2. 2. q. 199. ar. 1. ad 2.

3\. Porrò autem, quibus diuinæ gratiæ fluentibus in hac apparitione potatus sit, quibus benedictionibus prædicatus, prosequitur idem auctor ita scribens. [f] *Sed facile est aduertere iis, qui eius auditorium frequentauerunt, in quanta benedictione ea hora præuenerit, dum dominus, cum vsque hodie in his, quæ ad illud pertinent sacramentum, & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videatur. Vnde & postmodũ in laudẽ eiusdem Genitricis, & geniti, & sanctæ eius natiuitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum, sumpta materia ex eo Euangelij loco, vbi legitur, [g] missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, &c.*

f l. 1. c. 2.

g Lucæ c. 1.

Vt meritis fauores in Bernardo, sic fauoribus merita, in ipsa adhuc pueritia respondebant. Et, vt Burcardus Balernensis scribit. [h] *Quidquid fuit illi ad indicium bonitatis dono naturæ, per donum gratiæ transiit in virtutem.* præcipuè autem liberalitas in pauperes. *Nam ab ipsis puerilibus annis* (Guillermus addit [i]) *si quos poterat nummos habere, clandestinas faciebat eleemosynas, quo & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, imò supra ætatem, pietatis opera sectabatur.* 4.

h in subscrip.

i lib. 1. c. 2.

Inter hæc mater & voti sui conscia, & futuræ sapientiæ Bernardi præscia, litteris eum curabat erudiendum. Vnde & Castillionem transmisit, cùm primum potuerit, totius Burgundiæ tunc studium nobilissimum. Ibi autem quos fecerit progressus, breui tempore, acta eius vitæ prosequuntur, dum ita aiunt. [k] *Puer autem & gratia plenus, & ingenio naturali pollens, citò in hoc desiderium matris impleuit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem, & præ omnibus coætaneis suis proficiebat.* In studio, inquam, litterarum: sed non tam profanarum, quamuis has etiam non leuiter gustauerit, quàm sacrarum, quibus affatim, & quasi ex præscripto imbuebatur. Quod præter ipsum suscepti studij finem, & scholas ecclesiasticas, nempe in Castellionensi Ecclesia sitas, adeoque sacris, quàm profanis litteris apriores, conuincit etiam ipsius Bernardi genium, sacras Scripturas ardenter semper anhelans; quod idem Guillermus tradit paulo inferiùs. [l] *Litterarum earum studio præcipuè deditus, per quas in Scripturis Deum disceret, & cognosceret.* 5.

k lib. 1. c. 1.

l lib. 1. cap. 1.

Hinc videas, quod de ipso dici solet, Theologiam infusam à Deo fuisse sortitum, quodque ipse etiam dicere solebat, se inter fagos, & quercus didicisse, ad incrementa potius referendum, quàm ad initia, atque ad superiorem rerum contemplationem, certioremque, quàm in scholis habetetur. Aliàs rudimentis Theologiæ imbutus fuit, rudibus sanè pro qualitate illius temporis, sed imbutus tamen, atque in sacra Scriptura versatus non mediocriter. 6.

Non me latet scriptum de illo quondam, à primis ferè rudimentis adolescentiæ suæ exercuisse poësim, editis versibus vernaculo sermone, qui longè, & latè vulgati per totam Galliam, neque post multos annos exoleuerant: tum etiam fratres, aliàs sibi charissimos, nedum cæteros studiorum commilitones rhythmico certamine, acutæque inuentionis experimentis, non solùm exercuisse, 7.

euisse, sed superasse. Quæ tamen, vt nullius fidei digna, quippe ab auctore [m] damnato, & tunc furenti, per conuicium obiecta, ita vera fortasse esse potuerunt. Certè Bernardi rhythmicæ orationes ad singula Saluatoris patientis membra, ad Christum Dominum, & eius Matrem Virginem, & id genus aliæ numen ingenij pandunt. Legitur hodieque libellus eius, cui nomen *Floretus*, heroico, neque ineleganti carmine conscriptus, in quo de vitiis, virtutibusque, de sacramentis, deque cunctis mysteriis nostræ fidei, luculenter, exactéque pertractat. Nec suppositus partus, vt apparet, quippe à Ioanne Gersone antiquo, & graui Theologo, non solùm, vt Bernardi opus admissum, vulgatumque, sed commento illustratum satis prolixo, quod Lugduni in folio apud Ioannem Marion, anno M. D X X. sed & alibi etiam excusum lector inueniet. Ergo Bernardus poesim satis calluit, exercuitque in materiis sacratioribus. Nec multum fuit, si mutata olim materia, & loco, & tempori indulgens, & ætati aliquam eius speciem præ se tulerit.

m Bereng. Abaelardi discip. in Apolog. contra Beatum Bernard. excusa Parisiis ann. 1616. quam tamen hoc an. 1632. sacrum Inquisit. tribunal in Hispa. penitus trasfuit abolendum.

8. Nisi quòd iuuenis mores graues, seriúque ab his ludicris, etsi aliàs permissis, abstemium probant, & præferendi Guillermus, & Alanus, vterque familiaris Bernardo, vterque Sanctus, de cana illius iuuenta ita scribentes. [a] *Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mirè cogitatiuus. Parentibus obediens, ac subditus, cæteris benignus, & gratus, domi simplex, & quietus; foris rarus, & vltra quam credi possit, verecundus; nusquam multum loqui amans; Deo deuotus, vt puram sibi pueritiam suam conseruaret.* Hæc de Bernardo, & gestis ante hunc annum. Nunc ad ipsius Matrem reuertamur, cuius pretiosa mors in eum incidens, hic principaliùs venit describenda.

a lib. 1. c. 1.

---

1. *Alcidis patria, & genus.* 2. *Moresque semper sancti.* 3. *Sed sanctiores sub finem vitæ.* 4. *Singularis deuotio in beatum Ambrosium.* 5. *Quo reuelante mortem suam præscit.* 6. *Solemni ipsius die celebrandam.* 7. *Qualis ea? Et collata vtrumque cum morte Christi.* 8. *Monachi Sancti benigni corpus ambiunt.* 9. *Accipiunt, locantque.* 10. *Confutatus Henriquez de anno mortis.*

CAPVT III.

1. ALcidi mons Varrus patria fuit, oppidum in Manduuiis situm, de quo Paradinus. [a] *Censentur prætereà in Manduuiis oppida nō ignobilia, mons Varrus, (vnde matrem Bernardi originem sumpsisse constat) Alnetum*, &c. Parentes inter illustres Burgundiæ, clari, siue ex Safrensium familia nobili orti, de qua [b] suprà; seu idem oppidum familiæ nomen dederit, quam etiam inter illustres Burgundionum idem auctor recenset; nec multum erit, si lectori gerentes morem, quasdam ex eis, vel cursim transcribamus. [c] *Itaque* (inquit) *in hoc ordine prima tenet antiquissima Regum Burgundionum familia, quam initia à Gothis sumpsisse originem traditum est posteris. Ea, extinctis quatuor Gundenadi filiis, inter homines esse desiit, quo tempore, ad Francorum Reges iure paterno Burgundia deuoluitur, quorum soboles ad hunc vsque peruenit.* Deinde numerat plures illustres familias, quæ primo Regum, mox Burgundiæ Ducum, non solùm curiam, sed totam etiam ditionem illustrabant, quas nos etiam seruato ipsius Ordine, *Cabilonenses, de Rupi forte, Nouocastrenses, Vergeisensos, Viennenses, Valdraos, de Alba spina, Albones, Binandos, Flacatos, Cornejas, de Balma, Castellionenses, Safrenes, Semuriatos, Damasiotos, Lusianos, Cluniacos, Digonenses, Gyurienses, Longonicos, de Castro veteri, a calce, Bergenbonos, Stellaos, Sandcurejos, Marcilios, Montevarros, Salinenses*, &c. Sic Paradinus, à quo has omnes familias haurire volui, quo palam fieret sanctam Bernardi matrem, siue Safrenses agnoscat progenitores, seu Montevarros, prosapia illustri æquasse mariti genus, atque hæc satis de eius natalitiis.

a fol. mihi 13.

b ad cap. 1. huius ann. num. 4.

c fol. mihi 87.

2. De moribus Abbas sancti Theodorici ita scribit. [d] *Nam & ipsa in ordine suo Apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina.* Filios, inquam, quos septem viro genuit; sex mares, Guidonem, Gerardum, Bernardum, Andream, Bartholomæum, Nibardumque; fœminam vnam nomine Humbelinam, de quibus suo loco erit dicendum. Suæ autem futurorum præscia, quod de aliis (Bernardo excepto) non affirmo; siue, quod, magis placet, euentuum prouida: nec quemquam adeò natum rebus prosperis, vt non etiam aduersis obnoxium sciret; laboribus, quàm ocio, siue inertia; parsimonia, quàm deliciis educabat. Vnde & eremo nutritos Guillermus scribit. [e] *Cùm autem creuissent, quandiu sub manu eius erant, eremo magis, quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus, & communibus pascens, & sic eos preparans, & instituens, Domino inspirante, quasi continuo ad eremum transmittendos.*

d lib. 1. c. 2.

e lib. 2. cap. 1.

3. Bernardi infantia iam tunc promissa reddens, sanctam aliàs Matronam sanctiorem effecit. Vnde, & aliquot ante obitum suum annis, quasi specialibus Deo consecratam, excellentiores virtutes illustrarunt, quas auctor vitæ Bernardo ita describit. [f] *Cùm multo tempore vixisset cum viro suo honestè, & iustè . . . . tamen per aliquot ante obitum suum annos, in eo ad quod nutriisse filios videbatur, prout potuit, & licuit mulieri sub potestate viri constitutæ, nec habenti proprij corporis potestatem, omnes ipsa præuenit. Etenim in domo sua, & in professione coniugali, & in medio sæculi eremiticam, seu monasticam vitam, non paruo tempore visa est æmulari: in victus parcitate, in vilitate vestium, delicias, & pompas sæculi a se abdicando, ab actibus, & curis sæcularibus, in quantum poterat, se subtrahendo, insistendo ieiuniis, & vigiliis, & orationibus, & quod minus assumptæ professionis habebat, eleemosynis, & diuersis operibus misericordiæ redimendo.* Porrò autem quæ fuerint hæc opera, habet lector ex Anonymo Gallo perantiquo, quem ante centum annos fecit Lusitanum Gundisaluus de [g] Silua Alcouaciensis, serenissimæ Catherinæ, tunc Lusitanorum Reginæ, cura simul, & expensis euulgandum: vbi inter alia hæc præcipuè enumerantur. Adire Diuionem, circuire domos, pauperes inquirere, præcipuè infirmos, siue aliàs per ætatem defectos viribus, & his stramina, illis vestes integras, aliis cibaria, medicamentaque largiri, singulis necessaria prouidere. Nec per ministros ista, per seipsam, & quod mireris, sine ancilla, sine comite, Xenodochia discurre

f lib. 1. c. 1.

g in vita S. Bern. cap. 4. lib. 1.

discurrere, & vilissima quæque munia ibi exercere.

4. Addunt & singularem deuotionem in clarissimum totius Ecclesiæ lumen, si non ipse genuisset Ecclesiæ solem, in eximium, inquam, Doctorem magnum Ambrosium, siue Bernardo Doctori iam præuiso, tantum Patrem elegerit in Patronum, siue præsagiens sacrum sancti corpus post multa tempora, tandem familiam Bernardi, adeoque etiam suam illustraturum. Certè hunc Doctorem summè venerata est, addito etiam conuiuio persplendido in ipsa die solemni sancto Patri, cunctis Presbyteris non solùm Diuionensibus, sed oppidorum omnium per circuitum, quod multis annis tradunt frequentasse.

5. Non defuit sanctus Pater suæ cultrici, felicem eius in cœlestem patriam transitum specialiter muniens, & præueniens. Cupienti iam dissolui, & esse cum Christo, in somnis apparuisse visus est, & nuptias agni proximas indixit, instanti ipsius festo, consummandas; nec se tot iam obsequiis quasi deuinctum, imminenti occasioni defuturum, dixit: & illa exultans, laudansque, ac gloriam repromissam intensiùs ardens, primum Tescelino, mox Bernardo, & fratribus exitum suum gratulabunda denuntiauit. Inde solis cœlestibus intenta, vt moritura cuncta præparabat, mœstis quidem marito filiisque, atque inter spem, & metum dubitantibus, quippe, quam fidem adfectus retrahebat, reuerentia matronæ conciliabat.

6. Et iam aderat vigilia sancti Ambrosij, qua conuiuium ex more parabatur, cùm ecce repentina, & maligna febris inuadens fœminam, oraculum cœleste confirmauit. Sequente die morbo inualescente, & penè salute eius desperata, primum Oleo sancto, nam id tunc moris, pòst sacro Christi corpore munita, Clericos omnes fecit adsidere; ac primogenito Guidoni in mandatis dat ipsius loco cunctis ministrare, peracto prandio ad ipsam reducendis. Celebratur conuiuium inter lachrymas, poculis inexhaustis permanentibus, plus quippe aquæ ministrabant oculi, quàm vini poterant absorbere fauces, quantumuis auidæ. Mox ingressis ad sanctissimæ matronæ cubiculum, hilaris ipsa suum exitum denunciat, iamiam instantem, atque vt orent pro se omnes, ardenter petit, simul cum ipsis, si possit, oratura.

7. Qualiter autem hoc ipsum factum sit, atque inter orandum felicissimum spiritum suum cœlo tradiderit, verbis Guillermi Abbatis prosequamur. [h] *Obdormiuit autem psallentibus Clericis, qui conuenerant, (scilicet ad celebrandum festum sancti Doctoris) & ipsa pariter psallens, vt in extremis quoque cùm iam vox eius audiri non posset, adhuc moueri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter Litaniæ supplicationes, cùm diceretur, per passionem, & crucem tuam libera nos Domine, eleuans manum signauit se, & emisit spiritum, ita vt manum non posset deponere, quam leuauerat.* Mirum in Christo, quod in cruce pendens erectum caput, cœlumque respiciens, vsque ad extremam vitam conseruauerit, nunquam nisi cum ipsa deponendum, & inclinato capite tradidit spiritum. Mirabilius fortassis in Alcide, quòd crucis super se signum factura, iam moribunda manum eleuare, & non deponere moriens præualuerit. Manum ad cœlum misisse visa est, nec, (quia iam apprehendit) retraxisse.

h lib. 1. c. 2. ad finem.

8. Tum verò felicissimi obitus illius fama diffusa, pene vniuersam curiam conuocauit. Accurrere Diuionensis aulæ proceres, accurrere ministri, & mixta plebi nobilium multitudo. Nec solum castellum, sed cubiculum intrare, corpus inuisere, communem matrem ditiores appellare, pauperes lugere; nec tam relictos ex more consolari, quàm relinquentem, velut superstitem adhuc conuenire, votis pariter, atque actibus gestiebant, adeò vel mortuam credere non poterant, vel nec à mortua volebant separari. Inter alios venerabilis Geranus, sancti Benigni Diuionensis Abbas, Benedictinæ familiæ antiquæ domus, cunctis Monachis suis præeuntibus, Fontanas aduenit, sacris exuuiis, si posset, impetrandis. Et sanctam fœminam, quamuis non professione, affectu tamen iam diu Monialem, deberi Monachis, saltem sepeliendam, quominus antea se talem exhibuisset, solius matrimonij iure effectum. Tunc iam post mortem, soluto matrimonio, eoque sui iuris effectæ nil obstare, vt tandē potirentur optatis votis. Matronas alias sæculo viuentes, maiorum suorum sepulchris adiungendas; hanc soli Deo in vita consecratam, separandam ab aliis, & soli Deo post mortem reponendam. Sed neque licere corpus, quod tot indiciis sanctum credebatur, aliorum ossibus confusè permisceri, se reuerenter illud locaturos, collocaturosque sanctæ matronæ spoliis illustrandos.

Annuere Tescelinus, filiique, & corpus sanctum venerabili Gerano, ac fratribus suis liberales, & pij concessere. Tunc Monachorum humeris impositum, & magna populi frequentia circumseptum, Diuionem alacres, & deuoti deduxerunt, comitantibus quidem, qui conuenerant, nec qui remanserant, minùs occurrentibus. Tandem in eadem Ecclesia sancti Benigni, peractis ex more diuinis Officiis, honorificè sepultum est, in ipsa die sanctissimi Doctoris, quem & obsequiis viuens promeruerat, & mortis prouidum habuerat monitorem. Atque hæc omnia ex Anonymo illo Gallo. Qui etiam addit, sepulchro sanctæ fœminæ post annos aliquot, sex imagines insculptas, totidem filiis eius designandis, quo videlicet eorum omnium merita meritis sanctæ Matris cumulata, eius memoriam gloriosiùs coronarent, & filij gratiæ, quàm naturæ, geniti, atque vtriusque etiam infantiæ lacte nutriti, genitricis aureolam implerent, in cœlesti adhuc curia venerandam. Ipsis post mortem non semel apparuisse, & conuersionem suam retardantibus, tristem, seueramque præstolantibus gratulabundam visam esse, annales suis locis declarabunt, atque item qualiter idem corpus matronæ sanctæ, post centum quadraginta quinque annos, Claramuallem translatum sit, & quam ibidem obtineat sepulturam. 9.

Interim de obitus anno certum iudico, vt rationem eius lectori etiam reddamus, in hunc millesimum centesimum quintum incidisse, contestantibus Guillermo, Alano, & aliis, tunc primum decessisse matronam sanctam, cùm [k] *puer Bernardus de pueritia transiret ad adolescentiam.* hoc est, cùm quatuordecimum ætatis explesset annum, postquam adolescentia sumit exordium. Constat autem natum anno millesimo nonagesimo primo, sequenti millesimo centesimo quinto, vixisse ætatis quartum suprà decimum. Henriquez *in Menologio* [l] obiisse putat anno millesimo centesimo decimo, quo Bernardus decimumnonum agebat suæ ætatis; sed nullo antiquo adducto testimonio. Nec potuit dici de pueritia in adolescentiam tunc transire, si fuisset in ipsa media adolescentia, quæ à quarto decimo vsque ad vigesimum quartum protensa, decimonono, medio inter vtrumque, declinare videtur, quàm incipere. 10.

k lib. 1. c. 2.

l Apr. 30. lit. 8.

Iesv

IESV CHRISTI ANN. 1106. 1107. 1108. — CISTERCII ANN. 9. 10. 11.

1. Desideratus Albericus in Exordio. 2. Atque id probatum ex verbis, quæ præcedunt. 3. & quæ sequuntur. 4. præcipuè ex loco sepulturæ beati Stephani. 5 Neque lacuna satis plena per Fiteriensem. 6. Crescit sub Alberico Patre Cistercium vtrisque bonis.

CAPVT VNIC.

1. GESTA sanctissimi Patris Alberici his tribus annis erant prosequenda. Nec dubium quin primordiis consimilia, si non maiora, Cisterciensem familiam illustrarent. Sed in Exordio magno, vt credimus, descripta, antiquorum desidiâ perierunt. Desiderato, vt suprà notabamus, vno, aut pluribus etiam quaternionibus, in ipso originali Cisterciensi, ex quo cætera alia sunt transcripta. quod præter ipsam Alberici Patris memoriam omnino prætermissam in exemplaribus, pluribus eiusdem Exordij locis constat, quæ defectum præcedunt, & sequuntur.

2. Non primò quidem auctor illius, capite decimo, promittit, ea præcipuè se scripturum, [a] *quæ per litterarum monimenta tradiderunt nobis viri sancti, qui ab initio sacræ huius religionis auctores extitere.* Adeóque transcripturum Exordium paruum, quod solum ab eis constat fuisse scriptum, sub hoc initio [b] *Nos Cistercienses, primi huius Ecclesiæ fundatores*, &c. Cùm autem in eo Albericus paginas impleat, argumento est, in hoc etiam implesse, nec minus quæ de eo ibidem extant, quàm quæ de aliis, suo operi inseruisse, idque pleniori, vt solet, narratione. Præterea in eodem capite præmittit, se *litteras summi Pontificis, Cardinalium quoque, & Episcoporum, qui negotium tantæ pietatis tractauerunt, ostensurum.* Et tamen nullæ Cardinalium omnino litteræ in eisdem exemplaribus inuentæ, mutila illa, & defectuosa esse conuincunt. Hæc ex antecedentibus lacunam.

a lib. 1. c. 10.

b c. 1. in princip.

3. Nec minus clarè ex his, quæ subsequuntur. Capite enim vigesimo tertio, quod in excusis Fiteriensis est 35. docet beatum Stephanum sui prædecessoris exemplo, misisse Romam firmandis legibus chartæ charitatis. Nectamen Robertus vnquam ad hoc misit, sed Albericus. Verba ipsius Exordij subiiciamus. [c] *Pius autem Pater Stephanus, considerans talia nequaquam inconsulta sedis Apostolicæ auctoritate firma esse posse, prædecessorisque sui religiosum imitatus exemplum, cum conuenientia Abbatum, & fratrum suorum, Romam misit, a Domino Calixto secundo Summo Pontifice suppliciter petens, quatenus ea, quæ cum Abbatibus, & fratribus suis statuerat, auctoritate Apostolica in perpetuum rata, & inconcussa fore decerneret.* Prædecessoris, inquam, sui religiosum imitatus exemplum, nempe Alberici, qui Ioannem, Ildebodumque miserat Romam, pro nouæ vitæ, seu potiùs renouatæ, obtinenda à Paschali confirmatione. Quare hac missione Patris Alberici in exemplari Exordij non inuenta, palàm efficitur periisse historiæ partem, quæ eiusdem sancti viri acta describeret.

c paru. c. 23.

4. Nec minus clarè *cap.* 37. idem ipse defectus comprobatur, dum tradit auctor, corpus beati Stephani iuxta prædecessoris sui sepulchrum conditum. *Sacra (ait) corporis eius exuuia, iuxta prædecessoris sui reliquias, venerabiliter condita sunt.* Nec tamen iuxta reliquias sancti Roberti, quem Molismum reuersum iussu Pontificis, Molismi etiam constat fuisse sepultum: sed Alberici, quem Cistercij obeuntem, Cistercium condidit, monumento pro meritis electo, & reuerenti ipsius sanctitatis. Porrò autem ex his planè deduci, defectuosum Exordium in hac parte, nemo ibit inficias, si perpendat, nequaquam explicandum locum sepulchri vnius, per sepulchrum alterius, de quo nil dictum, alias ignotum, vt Dialectici dicunt, per ignotius: & rursus nobis foret inquirendum, vbinam corpus Alberici sepultum foret. Ergo ab auctore Alberici mentio facta, & historia scripta; sed quam semel auulsam ab exemplari, necesse fuit in transumptis æquè deficere.

Porrò implendæ lacunæ nequaquam satis, quæ ex Exordio paruo Fiteriensis mutatus est, duo mihi conuincunt argumenta. Alterum est, quod auctor Exordij magni *cap.* illo 10. citato, etsi promittat se scripturum ea, quæ Patris nostri; non tamen sola, vt constat ex eius verbis, sed *adiunctis aliis, quæ maiorum relatione didicerat.* Alterum verò quòd hoc ipsum, quod promiserat, video in Stephano plenissimè adimpletum. His enim, quæ in Exordio paruo de eo tradita, multo plura, maioraque adiecit, decem capitibus, nec breuibus vix clausa, nimirum à vigesimo octauo, ad trigesimum octauum. Quis autem credat tot, ac tanta in Stephano superaddentem, in Alberico nil prorsus additurum, vt non leuis appareat coniectura, de qua superiùs, colorem habitus diuinitus mutatum, ab hoc eodem Exordij magni auctore, memoriæ proditum, sed periisse cum reliquis gestis sancti Patris, non sine magna iactura Christiani orbis, quem talia monumenta summè decorant. 5.

Sub Alberico creuisse Cistercium in vtrisque etiam bonis breui tempore, Sigibertus scribit in hæc verba. [d] *Albericus vir religiosus, & sanctus, Roberti loco substituitur, quo facto, nouum Monasterium noui Patris felicitudine, & industria, in breui, non mediocriter, Deo cooperante, in sancta religione, ac conuersatione profecit, opinione claruit, rebus necessariis creuit.* Et de temporalibus quidem dictum suprà: de spiritualibus id vnum addendum censeo, ex Monachis, quos sub Alberico Patre Cistercium habuit, vix quempiam esse, cuius sanctitatis memoria non supersit in veterum fragmentis adnotata. Inde enim Philippus [e] Seguinus deprompsit, vt par est credere, quæ postmodum Chrysostomus Henriquez suo Menologio inseruit, operi sanè studiosè elaborato, & cui plus copia officiat, quàm defectus. Inter hos Beati Odo, Mansuetusque; ille sexta, vigesima quarta hic mensis Octobris. Beatus Felix, de quo Iunij 13. Beatus Ioannes, de quo Iulij 11. Beatus Letaldus, de quo Nouembris 14. & plures alij, quorum aliquos nos suprà recensuimus, quosdam etiam inferiùs nominabimus. 6.

d in Chron. ann. 1098.

e lib. 2. litter. D. E. C.

IESV

IESV CHRISTI ANN. 1109. — CISTERCII ANN. 12.

1. Benedictinæ familiæ laus. 2. Morum Alberici descriptio, & mortis affectus. 3. Felix obitus. 4. & quid de eo antiqui. 5. Ratio temporis. 6. & conuicti recentiores. 7. Explicatum Exordium. 8. Sepulchri locus. 9. Funus, & oratio in laudem beati viri. 10. Crebra miracula, acclamatioque. 11. Quæ pro canonizatione illis temporibus.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus nonus, Cistercij duodecimus, Benedictinæ familiæ memorabilis, quo tres illustres Sanctos cœlo inuexit, doctrina, meritis, opinioneque, vel singulos vniuersam Ecclesiã illustraturos. Primus illorũ Albericus fuit, qui obiit sub initium intrantis anni, quod attinet ad ipsum ingẽti gloria, sed nõ minori iactura noui Cœnobij. Sequuti postmodũ Hugo Cluniacẽsis, & Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, intra biduum vterque consummatus, ille decima nona die mẽsis Aprilis, hic vigesima prima. Quo palàm fieret, sacrũ istum Ordinẽ, ignorãtem occasus, defectusve, tũc etiã lucis clariores radios mittere, cùm magis declinat. Sed de Hugone, & Anselmo alij scribunt, nos de Alberico pauca prosequamur.

2. Rexerat ille Cistercium per annos nouem, quibus sex alios menses superaddiderat, ingenio mitis, eloquio dulcis, discretus zelo, adspectu venerabilis, atque amari paratior, quàm timeri. Vnde, si quos exemplo non trahebat, paternis verbis frequenter confirmabat, rarò verberibus. Et iam ætate grauem, & laboribus fractum, strenuum ducem, superni ciues dudum præstolabantur, suæ coronæ participem futurum. Nec minus ipse longioris pertæsus vitæ, imò exilij, eoque magis mansuræ patriæ flagrans, citiùs deponi ardentiùs exoptabat. Et se diu licuit Mariæ pauisse gregem, nullis prorsus periculis parcentem, nullis vigiliis: nunc iam aliorum curis minus vtilem, & tegi potius indigẽtem, quàm aptum regere, iure sibi missionem postulare. Stephanum Priorem pollentem viribus, nec minus validum zelo religionis, vtiliùs multo cuncta peracturum; quo sine nihil antea gestum sit, & quo superstite nil postea non agendum.

3. His, aut similibus Dominum precatus, voti compos futurus, in febrem incidit, qua statim se præuidit consummandum. Ferunt, dum filios suos consolaretur, deliquio morbi, an amoris, extra se factum, & sibi reditum feruentiùs exclamasse: [a] *Felices vos, quos tanta gloria manet, cœlestes spiritus æternum beatura.* Dixit, & singulos fratres lustrans oculis, omnium se sedes vidisse demonstrabat, præmium laborum, in cœlis obtinendas. Tunc verò cunctis in gratiarum actionem primò effusis, mox coronantibus lectum sancti Patris, atque ejus exitum piè muniẽtibus, cùm primam omniũ Mariam inuocassent, Albericus, sibi ipsi appropriaus verba Ecclesiæ, sancta Maria ora pro me, Inter ipsam dulcissimi nominis articulationẽ, oculis, facieque in splendorẽ versis, seu iam præuentis cœlestis gloriæ lumine, felicissimum spiritũ, per Mariam Matrem filio tradidit, vigesima sexta die Ianuarij, vt dictum est, intrante hoc anno millesimo centesimo nono.

a Brit. lib. 5. c. 10.

4. Exordium paruum hæc pauca de Sancti morte. [a] *Vir autem Domini Albericus in schola Christi per nouem annos, & dimidium feliciter exercitatus, migrauit ad Dominum fide, & virtutibus gloriosus, & ideo in vita æterna à Deo beandus.* Concordat chronicon Roberti Abbatis Montis, cuius hæc verba. [b] *Albericus Abbas Cistercij, superna vocationis brauium, ad quod per nouem annos, non in vacuum cucurrerat, decimo apprehendit.* Ita Robertus. Porrò quod diximus, Sanctum obiisse vigesima sexta die mensis Ianuarij, habemus ex Martyrologio Cisterciensis Cœnobij, quod ab illis temporibus inceptum, perpetua serie ad nos vsque deductum, in eodem Cœnobio perseuerat. *Septimo* (ait) *Kalendas Februarij, obiit Diuus Albericus secundus Cistercij Abbas.*

cap. 18.

b ad ann. Christi 1107.

5. Ex hoc Martyrologij testimonio, iunctis Exordij verbis, quæ retulimus, haud difficile colligemus rationem temporis; in quo tamen, ni mea me sententia fallit, cæcutire videntur recentiores, imò & antiqui. Nam quidam sancti viri religiosum transitum ad annum referunt M. C VII. in quo Miræus [c], Henriquezque [d] conueniunt. Nec sine duce, quippe sequuti Sigiberti continuatorem, & sibi ipsi contrarium, & veritati. Quidam errore intolerabiliori anteponunt biennio, quod soli video Brito contigisse. [e] Denique alij vero proximiores, vt Montaluo, [f] & Yepes [g] proximo anno mortuum adseuerant; Christi nimirum M. CVIII. Idque sequuti testimonium Exordij magni, quo expressè dicitur. [h] *Decimo anno ab instituto Cisterciensi Ordine, Stephanum suscepisse pastoralem illius curam.* Cumque susceperit post mortem Alberici, in quo omnes conueniunt, palàm fit Sanctum mortuum eodem anno. Rursus cùm decimus à nonagesimo octauo, centesimus item octauus sit, consequi, nec incongruè visum est, & Alberici Patris felicem exitum, & successoris Stephani electionem in eum annum fore referenda.

c in chronico. d in fasciculo tom. 1. dist. 2. cap. 9. & in Menolog. Ianu. 26. e lib. 1. c. 10. f lib. 1. c. 17. g ann. 1108. cap. 1. h Exor. mag. lib. 6. cap. vlt.

6. Nobis nulla sententia ex his arridet, quia nullam credimus niti veritati, quam ex antiquis Exordij testimoniis, Martyrologiique hauriendam, nemo negabit. Duæ autem priores nedum starent, si Robertum de medio tolleremus, Alberico ab initio præfecto nouo Cœnobio, quippe à vigesima prima die mensis Martij anni millesimi nonagesimi octaui, vsque ad vigesimam sextam Ianuarij anni millesimi centesimi quinti, septem non amplius anni numerantur, iique non integri. Sicut nec nouem integros reperies, si ad annũ millesimũ centesimum septimum, atque eumdem ipsius diem id tempus protrahas. Porrò si ad annum millesimum centesimum octauum, inuenies quidem nouẽ cum dimidio, pro sancti viri Alberici præfectura: sed soli restabunt Roberto quattuor menses, hi nimirum, qui à Martio currentis anni M. XCVIII. vsque ad Iuliũ eiusdẽ numerãtur. Quod tamen suprà à nobis reprobatũ, nec ab ipsis auctoribus admittitur. Cùm igitur Robertus vltra annũ præfecturam protulerit, vt vidimus, si aliàs Albericus desiit viuere vigesima sexta die mensis Ianuarij, consequitur nouennium, & sex menses, quibus Cistercio præfuit, ad hunc annum vt minus protrahendos.

7. Testimonium Roberti parũ viget, quippe quod contrariatur suo auctori. Sed neque tam puto annũ mortis designasse, quàm retulisse per anticipationẽ, vt quædã alia. Quòd verò Stephanus in Exor-

[i lib.6. c.10.] dio magno [i] dicitur decimo à Cistercio fundato anno illi præfectus, futilius adhuc. Decimus nāque ex more numeratur, quandiu nō est vndecimus cōpletus. Palam est autem Cistercium in Martio cōditum, Ianuario mēse, quo Albericus obiit, integrum adhuc bimestre præstolaturum, ante vndecimum ab ortu consummādum. Omitto, quòd liber sextus, à quo id haustum, diuersi Auctoris est, & qui minorē præ se ferat antiquitatem, etsi nō modicam.

8\. Sancti corpus sepulturæ mandatum est, loco ad venerationem conuenienti, & crediderim etiam intra Ecclesiam sanctis corporibus tunc solū permissam. Inde enim postea Stephano parente vita functo, cū sanctis eius exuuiis venerandis opportunum sepulchrū quæreretur, proximus Alberici sepulchro locus electus est, gemino pignore gloriosiùs illustrādus. [l mag. l. 1. c.37.] [l] *Sacræ* (inquit Exordiū Cisterciēse) *corporis eius exuuiæ* (id est, Stephani) *iuxta prædecessoris illius reliquias* (scilicet Alberici) *venerabiliter cōdita sunt, vt quibus in hac vita vnus fuerat spiritus, & vna fides, sic etiā in æterna beatitudine nō dispar esset gloria*. hoc est, æqualē habere gloriā in cœlis, æqualis in terris cultus significaret. Hæc in Exordio.

9\. Officia funeris deuotè persoluta, inter lachrymas, & suspiria Monachorum, Stephano Patre aliòs consolante, sed neque minus eisdem conlugente. quos affectus in Capitulo expressos, concione ad fratres habita, maiores nostri memoriæ mandauerunt, sub hoc tenore.

Sermo beatissimi Patris nostri Stephani in obitu prædecessoris sui, S. Alberici.

[m Brit. l. 1. c.11.] [m] *Si in amissione tanti boni æquales nos reddidit tristitia, debilis consolator erit, qui indiget consolatione. Amisistis venerabilem Patrem, & rectorem animarum vestrarum; amisi ego non solum Patrem, & rectorem, sed socium, & commilitonem, & in bellis Dei singularē athletam; quem venerabilis Pater Robertus ab incunabulis religionis, vnica domo, singulari doctrina, pari pietate nutrierat. Deest nobis, sed nō Deo, & si non Deo, nec nobis deerit. Hoc enim peculiare, & proprium Sanctorum est, dum à vita discedunt, relinquere corpus amicis, & amicos in mente deferre. Corpusculum, & singulare pignus dilectissimi Patris habemus, & ipse nos omnes pio affectu in mente deduxit. Et si ipse ductus ad Deum, inseparabili amore coniunctus est cum eo; & nos, qui in eo sumus, similiter coniunxit. Quid amplius dolendum? Felix sors, felicior cui taliter contigit, felicissimi nos ad talem præsentiam euecti; nihil enim iucundius euenisse potest Christi athletæ, quàm trabeâ carnis relictâ ad eum euolare, pro cuius amore tot perpessi sunt labores. Accepit pugnator brauium, apprehendit cursor premium, victor assequutus est coronam, possessor nobis postulat palmam. Quid igitur dolemus? Quid lugemus gaudentem? Quid tristamur super plaudentem? Quid mœstis vocibus queruli coram Domino prouoluimur, si euectus ad sydera, dolet de hoc (si dolere possunt Beati) ille, qui assiduo desiderio similem nobis deprecatur finem. Non doleamus super militem securum, doleamus super nos constitutos in prælio, & tristes, mœstasque voces in orationes vertamus, deprecantes triumphatorem Patrem, ne rugientem leonem, & sæuum aduersarium de nobis triumphare patiatur.* Hæc Stephanus, (aut qui eius acta scripsit, quæ hausit Brito) fiduciam inter factus, mœrorem que, acri, & neruoso stilo disserebat.

Interim verò sancti Patris mortem solito maior filiorum reuerentia sequuta est, siue ea delata adeptæ beatitudini, seu crescenti à decessu viri Dei, virtutū, quibus ornabatur, admirationi. Maiorem reuerentiam, crebra miracola, acclamatio, primùm Galliæ, mox totius Ecclesiæ subsequuta, almum parentem adscripsit Sanctorum albo. Is tunc canonizandi Sanctos receptus mos, nondum edita Alexandri tertij [n] constitutione. Non quòd Pontifices non semper approbauerint, ac proposuerint Sanctos venerandos, si Romani, vniuersæ, si inferiores, vnusquisque propriæ Ecclesiæ. Vnde & Cyprianus ad Clerum suum scribens. [o] *Denique* (ait) *dies eorum, quibus excedunt, adnotate, vt memorias eorum, inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Sed quod populi etiam acclamatio, connibentia eorundem, vires sumeret, ac concessioni per omnia adæquaretur. Sed de his latiùs Thomas [p] VValdensis, Bellarminus, & alij recentiores. 10.

[n in cap. 1. de reliq. & venerat. SS.]

[o l. 3. epist. 6. aliàs 37.]

[p de Sacram. tit. 14. c. 122. Bellar. l. 1. de SS. beatitud. c. 8.]

Ergo Albericum, Alexandro longè anteriorem, communis populorum consensus, atque sedis Romanæ cōnibētia Sanctis adscripsit. Atque hinc crediderim ortū habuisse, quod multi [q], iique graues Auctores, canonizatū ab Ecclesia Romana esse affirmēt, nempè cōmuni illa, atque ab omnibus recepta acclamatione. Aliàs per speciales Bullas Pōtificias primus omniū Cisterciēsiū Bernardus fuit, cui hunc honorē Alexander tertius detulit, & vix ante ipsō ex vniuersa Ecclesia vnus, aut alter, certè pauci reperiuntur per Romanos Pōtifices recepti, quod Cardinalis Bellarminus [r] perpendit, vt solet reliqua. Cæterùm siue hoc, siue illo modo, certum est Albericū Patrem pro Sancto habitū, ac veneratū cultu Sanctis debito, cūctis antiquis idipsum proclamantibus, atque ipsa perpetua traditione. 11.

[q Ast Hard. Schedel. in chronic. ann. 1098. Renat. Chopin. l. 1. Monast. tit. 3. n. 15.]

[r l. 1. de SS. c. 8. Sigeb. in chro. ann. 1098. Vinc. in spec. histor. lib. 25. c. 94. Anton. & aly.]

---

1. Electio Stephani. 2. & zelus in præfectura. 3. Proposita noua leges. 4. & collata. 5. Tandem ex Stephani mente prodierunt. 6. Paupertatis affectus futuri præscius. 7. Candelabri vnius antiquus vsus. 8. Moderata lychnorum superfluitas. 9. Resecta pallia; & quid sub eo nomine.

CAPVT II.

1\. ALberico de medio iam sublato, Stephanus Pater Monachorum omnium suffragiis suffectus est, quod Exordium describit in hæc verba. [a Mag. l. 1. c.17.] [a] *Post mortem verò secundi sui pastoris Cisterciensis Ecclesia adhuc pauper, & modica conuenit de electione Abbatis, sine personarum acceptione tractare. Et mediante gratia Spiritus sancti eligerunt virum bonum, nomine Stephanum, natione Anglicum, qui cum eis de Molismo exierat, virum conspicuæ sanctitatis, omniumque virtutum gratia decoratum; eremi amatorem, & feruentissimum sanctæ paupertatis æmulatorem.* Hæc in Exordio. Cæterum non promotum; fugientemque, argumento est, id quod Gulielmus Malmesburiensis eius sæculi auctor, memoriæ prodit, nempe electioni suæ non interfuisse. Haud dubium, quin subtracturum se electoribus; vt non memoriam, at teneros affectus, per absentiam, cui maxime succumbunt, exueturis. Vicit tamen eorum eximium zelus, vicit iudicium, & vel fugiens, & absens electus est, dilatando Cistercio, per totum orbem. [b] *Tunc*, ait, id est, Alberico feliciter consummato) *haud dubium nutu diuino, Stephanus absens etiam in Abbatem eligitur, dux olim facti totius; speciale, & insigne nostrorum dierum decus.* Ita synchronos auctor, & qui scribebat, viuente adhuc Stephano. Sunt qui addant in Abbatem promoto successisse Robertum in prioratu, alium nimirum Monachum ex Clerico, qui anno millesimo

[b VVillel. 2. an. 13.]

millesimo centesimo quarto ad Cistertiense Cœnobium vocatus est, admirāda ea, quam retulimus, visione: neque id sine probanda coniectura. Nam Vincentius testatur, [b] cum non multo post susceptum habitum, in Priorem noui Monasterij fuisse assumptū. quæ verba, quinquennij spatio iam tunc elapso, satis accommoda, & neque verificari antea potuerant, Stephano Priore præexistente, neque si in sequentes annos differantur, mediante inter vtrumque Priore alio, ita facilè poterunt aptari.

b vbi suprà an. 1104.

2. Tum verò Stephanus Pater, sociique, quo erant religionis feruenti zelo, atque ad maiora quæque parato animo, mortuo Alberico denuo conuenire, & nouas adhuc leges meditari, non reformandis deformatis, vt olim, moribus; quippe ad regulam cunctis concordantibus, imò ad exēpla sui legislatoris, in nullo prorsus videbantur esse degeneres, sed formæ veteri ampliùs decorādæ, vlteriùs perficiendæ: imò in hoc ipso obseruādæ sanctæ regulæ, quæ tunc demū ad maiora inuitat Monachos, cùm contenta in ipsa, velut perfectionis initia, omnino expleuerint. [c] *Quisquis ergo ad patriā cælestem festinas, hanc minimam inchoationis regulam descriptā, adiuuante Christo, perfice, & tunc demū ad maiora, quæ suprà memorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.* Stephanus tanquam in initio perfectionis, ad progressum ex regula aspirabat; quod Exordium magnū expressit sub his verbis. [d] *Quòd cùm donante Domino, sicut præfati sumus, factum fuisset,* (loquitur autem de Stephani electione) *tanquam fidelis, & prudens dispensator, cœpit illico deuotissima mentis intentione tractare, qualiter Ordinem suum noviter fundatum, & adhuc in multis vacillantem, quippe nondum perfectis, & meram paupertatem redolentibus institutionibus excultum, in melius promoueret, & extolleret, talique moderatione roboraret, vt Domino Iesu fructum plenum afferre valeret.* Hactenus Exordium.

c cap. 73.

d lib. 1. c. 27.

3. Stephanus autem conuocatis in vnum fratribus, forte & proposito textu sanctæ regulæ, hæc inter alia proposuit diffinienda. Curiæ, & Curialiū conuictū fugiendū Monachis, veris nimirum Ecclesiæ Nazaræis, qui sæcularibus mixti denigrentur, nec mereantur agnosci, si in plateis. Ipsos à curia arceri facile satis: sed & curiam ab eis fore arcēdam. Hugonē Ducem, Othonis quondam Patris, nō minus in affectu noui Cœnobij, quàm in statu Burgundiæ successorem, frequētare eremum, atque viensilibus templi, queis nondum modus, in speciem religionis locupletare: proceres aulæ, seu pietate in in Deum, siue adulatione in Principem gliscentē, certare muneribus, & vasa sacra, & vestes obtulisse, quæ velut paupertatem dedecentia, si non cupidinem forsan irritantia, æquè fugienda, relegandaque censebat. Mentibus Deum, quàm auro, & gemmis coli; neque illas satis aptas diuinis laudibus, nisi ab istorum cura liberentur, queis inhiantes æquè distrahantur, siue in hos, siue in illos vsus inquitant. Aurum præterea in templis prædæ expositum, sic religionē exteriùs promouere, vt interiùs non rarò alliciat ad sacrilegia. Denique Christo non serico indutum, non gemmis ornatum, sed nudum potiùs: neque in cruce argentea, & clauis aureis, sed lignea, & ferreis sacrificium obtulisse. Hæc Pater Stephanus ardens declamabat.

4. E contra alij (nam conferre animus erat) Sacrorum reuerentiam, & summi Sacerdotis antiquæ legis ornatum supra modum pretiosum, ab ipso Deo descriptum, obiectabant. Diuitias abiiciendas fore pauperibus: sed nunquam melius, aut sanctius vsurpari, quàm si diuino seruitio mācipentur. Non eandem suam, & Dei esse rationem, se paupertatem professos, tegendos vilibus; neque quidquam vnquam pretiosum admissuros in proprios vsus: è contra Deo supremo omnium Domino, pretiosissima quæque consectanda. Non aliter constare pietatem, non paupertatem ipsam, quàm si inæqualiter hæc duo peragantur. Neque impediendas fidelium oblationes, non minus religiosas, quàm frequentes, vnius, alteriusve arcendæ cupidinis, quam rarò Deus patietur esse inultam. Sæculares vt minimè quærendos; sic non fugandos, præcipuè viros Principes, qui spiritualia, æternaque ab ipsis, à quibus temporalia ipsi participent.

5. His, & similibus obiectis, disiectisque, auidiores quærendæ veritatis, quàm contendendi; tandem Stephano omnes consensere nouis, arctioribusque statutis editis, quæ vtriusque Exordij verbis iam describo. [e] *Conuocatis itaque fratribus suis, & habito cū eis consilio, tam ipse, quàm fratres eius interdixerunt, ne Dux terræ illius, seu aliquis alius Princeps curiā suam in aliquo tempore in Ecclesia illa teneret, sicut antea in solemnitatibus agere solebant. Deinde ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte Deo seruire cupiebant, remaneret, quod superbiā, aut superfluitatem redoleret, aut paupertatem virtutum custodem, quam spōte propter Deum elegerant, aliquando corrumperet. Confirmauerūt etiam, ne retinerent cruces aureas, vel argenteas; sed tantùm ligneas, coloribus depictas: neque candelabra, præter vnum ferreū: neque thuribula, nisi cuprea, vel ferrea: neque casulas, nisi de fustaneo, vel lino, sine panno; sed sine auro, vel argento: neque albas, vel amictus, nisi de lino, similiter sine auro, vel argento. Pallia verò omnia, & cappas, atque dalmaticas, tunicasque ex toto dimiserunt. Calices non aureos, sed argenteos, & si fieri posset, deauratos: fistulam argenteam, & si possibile sit, deauratā: stolas quoque, ac manipulos de panno tantùm, sine auro, & argento haberi voluerunt. Pallæ quoque altarium, vt de lino fierent, & plane sine pictura, statuerunt; & vt ampulla ad ministerium altaris sine auro, & argento essent.* Hactenus secundæ illæ Cistercij leges, quas plures exteri, adhuc antiquiores; non minus confundunt cum charta charitatis, quàm præcedentes. Sed vt illæ sub Alberico latæ decem & octo, sic hæ sub Stephano nouem, vt minus, annis præcessere, sequuta charta Cœnobiorum fundationes; sed antè latis sub Cistercio adhuc sterili, vtrisque legibus.

e paru. c. 18. & mag. lib. 1. cap. 27.

6. In quibus tamen, vt id obiter notem, videat lector, vtrumque sanctum Patrem plenum, ni fallor, spiritu prophetico, paupertati plus nimium institisse, non solùm obseruātiæ regulari, sed suæ etiam conseruandæ plantationi, quam nimirum solis diuitiis tandem opprimendam, atque sub commendarum onere casuram, si non præuiderant, saltim præsagiebant. Videat præterea, vt de primis notabamus, in his etiam secundis statutis, reformandarum postea religionum, non dicam solùm exemplar, sed mensuram, cui se per omnia cæteræ adæquarent, quo similiores, eo etiam perfectiores, vt dictum singulis à Domino videatur, quod salua reuerentia omnium acceptū velim, [f] *fac iuxta exemplar, quod tibi in monte* Cistercij *monstratū est.* Certè his vestigiis adhærere alias videmus: Cistercium, nescio an præcesserint vestigia, quibus insisteret.

f Exod. c. 25.

7. Cæterùm quod ad ipsas leges attinet, quædam ex more veniunt prænotanda. Et primò quidem candelabri vnius vsus in Ecclesia olim frequens, modò rarus, & vix, vt credo, conseruatus, nisi inter nostros, qui salutandæ Angelorum Reginæ diebus singulis, antiphona, quam, *Salue*, nuncupamus, nempe à primo illius verbo sumpto vocabulo, vnicum tantùm cereum medio altari, vnico candelabro superponimus; partim mysterio, partim

venerandæ antiquitati. Sed quid si per candelabrum, etiam pendentes lychnos, lampadésque, quibus alias nondum præscriptus modus, sancti illi Patres significauerunt? Certè in vtrisque peccatum antiquis Monachis, aut saltem excessus in vtrisque illis obiectum: sic enim in beatissimo Patre Bernardo lego. g *Ponuntur deinde in Ecclesia, gemmatæ, non coronæ, sed rotæ, circumseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Cernimus, & pro candelabris, arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas; nec magis coruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis. Quid putas in his omnibus quæritur, pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio.* Ita Bernardus.

g in Apolog. ad Guillerm. Abbat.

8. Sed & Petrus Mauricius, sicut in aliis, censuit in his nonnihil moderandum. Statuto in hunc modum pro suis edito. h *Statutum est, vt magnæ illæ coronæ, ex ære, auro, & argento elegantissimè compositæ, quæ in medio chori forti catena sustentata dependent, accensi cerei non imponantur, nisi in quinque præcipuis festiuitatibus, & in festo dedicationis Ecclesiæ, & omnium Sanctorum. In reliquis verò festiuitatibus, quibus accendi solebat machina illa ferrea, quæ vulgo* erza *vocatur, pro illa lampadibus vitreis illustretur.* Hactenus statutum Petri Mauricij, ex quo, & loco Bernardi planè constat, excessus lampadarum, siue candelabrorum illis temporibus. Contra hunc ergo lucernarum ingentem numerum, & lychnorum, candelabrorumque abusum, qui sanctis viris videbatur esse damnabilis, ne nouum Monasterium etiam inuaderet, aut si quid fortè in eo peccatum erat, diutiùs permaneret; Patres nostri candelabrum vnum tantùm, eumque ferreum fore decreuere.

h Stat. 52.

9. Quod verò additur, pallia omnia reiecisse, duplici via censeo posse intelligi. Primò, si pallia, & cappæ synonyma sint, idque significent, quod nos *capas de Choro*, Latinè *Publialia* solent appellare. Nam his nominibus significatā eamdem vestem, Stephanus Durantus, & alij adnotauere. Secundò etiam, vt pallium quasi genericè, pro quacūque alia veste palliante ministros, siue etiam Sacerdotem (præter planetam, siue casulam, de qua seorsim dictum) cappæ verò, Dalmaticæ, & tunicæ, quasi species palliorum numerentur, atque hæc omnia prorsus reiiciantur, nimirū cappa pro Presbytero, Dalmaticæ pro Diacono, & subdiacono; tunicæ pro ceroferariis, thuribularioque, & si quæ alia in vsu, aut tunc, aut antea. Porrò ex his omnibus à seruitio altaris tūc reiectis, quædam decursu temporis admissa, tepescente nimirum primo rigore, quædā vsque in hunc diē perseuerant. Nam neque Diaconus vtitur Dalmatica in Missis, quas vnius ministri solemus dicere, & pro ceroferariis, thuribularioque, vnicus tantū, cucullatusque ministrat.

---

1. Communio sub vtraque specie olim in vsu, ad quam ministeriales confecti calices. 2. Sed relicta in aliquibus Ecclesiis, præ reuerentia. 3. Succedentibus fistulis in aliis. 4. Quæ Cisterciensibus ab initio familiares. 5. Sanguinis haustum diutiùs conseruarunt. 6. Expedita leues aliæ difficultates. 7. Perpensa Exordij verba. 8. & noua occasio dissidij, cum aliis Monachis.

CAPVT III.

1. DE fistula, quia rarior modò vsus, breuiter nobis aliquid dicendum. Ea autem erat, per quam, præter Sacerdotem, Diaconumque, reliqui omnes hauriebant sanguinem Christi. Quod vt clariùs à cunctis percipiatur, sciat Lector communionem sub vtraque specie olim in vsu totius etiam Ecclesiæ, *cap. cum omne, cap. comperimus*, de consecratione, distinctione secunda. Vnde & ministrando Christi sanguini, calices habebantur, ministeriales ideo nuncupati, de quibus in vitis Pontificum, Damasi, & Bibliothecarij, maximè in vita Siluestri frequens mentio. Extant carmina ministeriali calici inscripta, quem beatus Remigius Remorum Archiepiscopus Ecclesiæ suæ obtulit, hunc ipsum eius vsum testificantia.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro;
Iniecto æternus, quem fudit, vulnere, Christus.
Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Quod quidem poculum (inquit a Igmarus) *apud Remensium basilicam vna etate, ad captiuorum liberationem erogabatur.* Addit Lindanus, b calicesin plerisque Ecclesiis vsque in illum diem extare, quibus sanguis Domini communicabatur.

a apud Durant. l. 1. c. 7. num 3.
b l. 4 panopl. Euang. c. 56.

2. Sed calicibus minus aptis ad hunc vsum, paruli quippe; & quibus applicatis sumentium ori, facile erat aliquid effundi, gliscente maximè haurientium numero, frequentiáque in multis Ecclesiis, etiam ante Concilium Constantiense, non ex præcepto, sed ex reuerentia hæc eadem communio omissa legitur, quod Angelicus præceptor c docuit discretis verbis. c *Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat in iniuriam tanti mysterij, quod præcipuè possit accidere in sanguinis sumptione, quia si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et quia creuit multitudo populi Christiani, ideo prouidè in quibusdā Ecclesiis obseruatur, vt populo sanguis sumēdus non detur, sed solum à Sacerdote sumatur.* Hæc D. Thomas.

c 3. p. q. 80. art. 12. in corp.

3. Cæterùm cùm in pluribus Ecclesiis antiqua præualeret consuetudo, cunctis fidelibus auide sitientibus Dominici sanguinis potum salutiferum, nec se patientibus priuari tanto solatio, pro calicibus ministerialibus minus aptis fistula inducta est, qua labiis sumentium vndequaque circundata, atque intra calicem immotum consistentem, speciebus admota, tractu aeris, sanguis hauriebatur. Inde in antiquo Ordine Romano de diuinis Catholicæ Ecclesiæ officiis primùm Coloniæ, postea Romæ edito, de Episcopali Missa, & communione occidentales Patres sic decernunt: d *Ipse autē Diaconus stet ante Episcopum, tenens calicem, & fistulā, vsque dum ex sanguine, & corpore Christi, quantum voluerit, sumat: & sic calicem, & fistulam Subdiacono commendet.* Et post pauca. *Postquam verò Diaconi in sinistro cornu altaris, de sanguine Christi communicent*, (scilicet per fistulam) *venientes Subdiaconi ordinatim accipiant sanguinem Christi ab Archidiacono, fistula in calice adhuc remanente.* Et in constitutionibus Patrum Præmonstratensium. *In præcipuis autem solemnitatibus, vt in Pascha, Pentecoste, & Natiuitate Domini, in quibus totus conuentus, ex consuetudine Ordinis tenetur communicare, Abbate Missam celebrante, & corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi cum suo Diacono percipiente, tradat calicem cum sanguine Priori, qui indutus alba, & stola, stans ad sinistrum cornu altaris, cum fistula argentea conuentui sanguinem administret.* Sunt & complura alia testimonia hoc ipsum confirmantia, quæ nunc omittimus.

De communione sub vtraque specie, vide Fr. Suarez. to. 3. in 3. p. disput. 71. sect. 3.
d Ordo Rom. de Missa, & reliquis per an. officiis fol. 6. Alph. 2.
lib. 1. Bibliotheca cap. 4.

Porrò hanc Cisterciensibus in vsu per multa tempora, pluribus constat expressis testimoniis, ex 4.

quibus

d in vsib. antiq. cap. 53. quibus vnum tantùm adducam, quia clarissimũ. [d] *Si vnus, vel duo tantùm communicaturi sunt, Sacerdos ministres eis sanguinem eadem parte calicis, qua ipse recepit.* nempe quia in vno, duobusve nollum videbatur effusionis esse periculum. *Quòd si plures fuerint, Diaconus, percepto sanguine, ponat calicem super sinistrum cornu altaris, & teneat vtraque manu in calice fistulam, à Subdiacono antea preparatam, qui Subdiaconus percipiat sanguinem cum fistula, & post eum alij,* &c. Percepta verò communione subiungit. *Quam fistulam, antequam reddat Sacerdoti, in quantum poterit ab vtraque parte sugendo, à sanguine Domini euacuabit.* Et iterum de ea purificanda. *Diaconus accipiens fistulam, non secus ac calicem, abluat eam vino,* &c. Hactenus in antiquis Cistercij vsibus, de sanguine per fistulam sumendo, non quidem à Sacerdote, Diaconove, sed à cæteris communicaturis.

5. Cæterùm, nam id obiter notabo, hac fistularum cautione effectum est, vt sacræ sub vtraque specie communionis vsus tandiu inter Cistercienses perdurauerit, vt tempore Cardinalis Caietani,

e 1. p. q. 80. art. 12. q. 3. hoc est, proximo sæculo, ipse scribat. [e] *Quòd in Ordine Cisterciensi alicubi communio fieri legitur sub vtraque specie.* Illud certum adhuc post tempora Conciliorum Constantiensis, & Basiliensis perseuerasse saltem pro ministris, quamuis re vera cæteris prohibitus ab anno M. CCLXI. ministris ab anno M. CDXXXVII. ex ipsis legibus satis comprobetur. sed de his suo loco erit dicendum: nunc ad institutum reuertamur. Has fistulas, non secus ac calices, ob reuerentiam sanguinis Dominici, ex argento, deauratasque esse, non solùm permiserunt, sed commendarunt. De patenis nulla mentio facta est, forsan quia eadem ratio de eis, ac de calicibus.

6. Reliqua omnia faciliora sunt, quàm vt indigeant à nobis illostrari. Id vnum difficultatem videtur ingerere, cùm casulæ de lino, aut lana permitterentur, quippe ex fustaneo, aut lino, siue panno; cur stolis, manipulisque arctata materia, & solo ex panno fieri præcipiantur? Nisi forte pretiosiori specie expressa, minus pretiosas dicamus subintelligi. Aduerto etiam in manuscriptis exemplaribus, vbi nos cum Fiteriensi leginus, *sine panno,* communiter *sine pallio*, scriptum esse, facili nimirum errore amanuensium, si primi *n*, in *u*, aut duplex *ü*, posteriores in duplex *ll*, transmutauerunt; parum de sensu curantes pro suo more. Sed hoc à Fiteriensi animaduersum, correctumque; sufficiat nobis lectorem admonuisse, ne in manuscriptis, vt alij, hallucinetur.

Porrò autem ex his, quæ reiecerunt, quædam videntur ab initio retinuisse, ex Molismo nimirum illuc adducta, & vsque ad illud tempus conseruata; quædam fortè in principio non ex vsu, sed occasione oblatorum primum admissa, mox fortè resecanda, quia serpentia. In primo genere vestes sacras pono, quas in vsum altaris, sacrorumque allatas à Molismo nequaquam dubito. In secundo vasa alia pretiosiora, cruces, & candelabra, similiaque, queis nunquam se Molismenses spoliassent. Vtrumque admittunt Exordij magni verba, quæ sic se habent. [g] *His, & huiusmodi* (ait) *sanctis, & Deo placitis, institutis, nouum Ordinem suum serui Dei roborantes, & ex iis, quæ prius in vsu habuerant, alia quidem tamquam veræ humilitati contraria penitus amputantes; alia verò melioribus, & sanctam paupertatem magis redolentibus consuetudinibus introducentes, praua voluptatum indirecta continentia, & aspera vanitatis, & superbiæ, in vias planas iustitiæ commutarunt.* 7. g lib. 1. c. 27.

Crediderim posteriora hæc statuta, tamquam minus ex regula, vicinos Monachos acriùs irritasse, atque in nostros ardentiùs commouisse. Nam Stephanum non multo pòst conquestum lego. [h] *Quòd ab omnibus vicinis Monachis, tamquam nouarum rerum inuentores, & scandali, schismatisque incentores diiudicarentur.* Fortè etiam, & diuersi cultus occasione arrepta, & diuisionis non solùm Monachis, sed penè etiam ab vniuersa Ecclesia Dei, seueriùs inde, & districtiùs carpebantur. Certè Bernardus huic obiectioni visus est occurrere, cùm dixit, aliam esse causam sæcularium in his ipsis diuinis Officiis celebrandis, aliam Monachorum. [i] *Scimus namque* (ait) *quòd illi sapientibus, & insipientibus debitores cùm sint, carnalis populi deuotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos verò, qui iam de populo exiuimus, qui mundi quæque pretiosa, atque speciosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia canore mulcentia, suaue olentia, dulce sapientia, tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrari sumus vt stercora,* [k] *vt Christum lucrifaciamus, quorum, quæso, in his deuotionem excitare intendimus?* Sed hæc aliàs, nec quid aliud memoratu dignum occurrit in hoc anno. 8. h Exor. mag. l. 1. c. 28. i in Apol. ad Guiller. Abb. k Philip. c. 3.

Iesv Christi Ann. 1110. | Cistercii Ann. 13.

1. *Cistercij sub Patre Stephano paupertas, vsque ad mendicitatem.* 2. *atque in ipsa Pastoris sancti zelus, & magnanimitas.* 3. *Distinctus auctor Exordij ab Helinando.* 4. *noua esuries præsentibus subsidiis.* 5. *Monachus ad multa emenda missus sine pecunia.* 6. *Reportans omnia deuotissimè suscipitur.* 7. *Hac semel facta firmanda filiorum fidei, nec vltrà legitur Cistercium indiguisse.* 8. *Ioachimi Abbatis concordia, quid de Cistercio.* 9. *notanda verba.* 10. *concernentia præsentem annum.*

Capvt I.

1. Seqventi annò Christi millesimo centesimo decimo, Cistercij tertio decimo, paupertas Stephano semper desiderata, etiam cùm possessa, solito grauior fertur obtigisse. Atque eo vito gratior, quo districtior, quippe ad maiorem adhuc adspiranti, minima semper videbatur, quæ nondum summa. Siue ergo offensione Hugonis Ducis, cuius curiæ interdictum Cistercium fuerat, subsidia illius cessarent, olim contiona, siue proceres, quam ab eo fortè didicerant, munificentiam cum eo etiam exuerent, seu tandem Deo ita disponente, augendis meritis, & fidei noui Pastoris, Monasterium per omnia priùs abundans, & renunciare superfluis pro suo modo, quàm necessariis egere lõgè consultius, virtute in necessitatem transeunte, seu verius dixerim, necessitate virtutẽ solidante, cœpit inopiæ, & defectui subiacere. Certè sub Alberico Patre nunquam legimus

indiguisse Cistercium, sub Stephano non solùm eguisse, sed mendicasse. *Memini* (inquit Helinandus [a] apud Vincentium, nec aliter Exordij magni auctor [b]) *me audiuisse magistrum Petrum Cantorem Parisiensem, virum iustissimum, atque doctissimum, referentem de Abbate isto Stephano Cisterciensi, quòd cùm ei quadam die nunciatum esset à suo cellario, nihil haberi in Monasterio, vnde vel vna die fratrum necessitas sustentari posset, respondit. Sternite nobis duos asinos; qui cùm strati essent, fecit secum ascendere conuersum vnum, & iussit ei, vt in quodam vico panem ostiatim mendicaret, & ipse similiter in alio faceret; & postquam sic fecissent, ad vnum locum, quem ei designauerat, conuenirent.* Hactenus verba Exordij, & Helinandi, quæ extremam Cistercij inopiam planè conuincunt, vt non immeritò feruori sancti Patris concessam dixeris, siue immissam probandæ illius constantiæ, atque toti erudiendi posteritati.

a lib. 26. spec. histor. c. 2.
b lib. 1. c. 23.

2\. Certè quodcumque ex his duobus fuerit, in sancto viro singulare extitit, quòd eleemosynam egens, repudiauerit, mendicus respuerit; nec mendicauerit tam vt accepturus, quæ mendicabat, quàm vt docturus, quæ non accipienda, quæ respuenda, vrgente etiam inopia. Nam audi quod sequitur. *In loco predicto sibi, iam redeuntes, obuiabant, cùm ecce Abbas vidit sacculum conuersi multo pleniorem, quàm suum. Et subridendo ait: Vbi mendicasti? vt video in crassiori palea collegisti, quam ego. Vbi (obsecro) collegistis? Respondit conuersus: Presbyter ille, quem vos optimè nostis, sacculum meum impleuit. Quod audiens Abbas, ingemuit, & ait: Væ vobis, quare ibi aliquid accepistis? Nesciebatis, quòd Presbyter ille simoniacè ordinatus sit? & quod accepit, est lepra, & rapina. Viuit Dominus, quia de omni, quod dedit, nihil gustabimus: absit, quod peccatum illius comedamus, & nobis incorporetur. Conuocatisque Pastoribus ouium, qui non longè erant, totum conuersi sacculum in sinus eorum euacuauit.* Hactenus item Vincentius ex Helinando; quæ eadem Exordium eisdem verbis. Sic sanctus Pater non tam mendicauit, vt mendicaret, quàm vt malè acquisita prorsus respueret; quippe non mendicitatis exemplum sequendum filiis, sed zeli, & magnanimitatis relicturus, atque ita eos firmaturus in his virtutibus, vt postmodum vel Imperatorum, & Regum donis illuderent, quoties ex malè partis data non ignorarent. Sic tribus millibus marcarum (ingenti argenti ponderi) à Friderico oblatis in thuribula: sic mille aliis, in diuersis locis, quæ ipsa historiæ series demonstrabit.

3\. Interim priusquam à loco recedamus, illud nobis notatione dignum occurrit, Fiteriensem, & eum sequutum [c] Yepium, quia eadem verba legerunt in Exordio, quæ Vincentius ab Helinando scripta refert, coniectari ipsum fuisse Exordij auctorem. quod forsan nobis etiam arrideret, si non Helinandum Monachum Frigidi montis, Exordij auctorem Claræuallensem fuisse, illum in Ordine tandem consummatum, hunc ad Episcopatum assumptum, atque in eo scripsisse Exordium arbitraremur. Quod de Helinando dicemus suo loco, de Exordij vero auctore, ipse testatur, & quidem non obscurè bis verbis. [d] *Ceterùm postquam Clara illa vallis primum, & clarissimum Abbatem suum post octo & triginta annos ad superni Imperatoris palatium emisit, vt iam tanto esset potentior ad subueniendum, quanto summæ maiestatis faciem viciniùs contemplaretur, per sanctos successores eius, de quorum virtutibus aliqua superiùs comprehendimus, sanctæ religionis vigor conseruatus, in eadem gloriosa domo illibatus durauit; sicut temporibus venerabilis, ac Deo digni viri Dei, Domini Petri, eiusque successoris, Domini Farnerij postea Lingonensis Episcopi, diuina fauente gratia, nobis probare concessum est. Testis enim nobis est Dominus, quia cùm in Claravalle disciplinis claustralibus, & sacri Ordinis obseruantiis subditi essemus, tantum ibi religionis, & grauitatis, tantumque puritatis, & honestatis vidimus, vt sapiùs in gratia Dei exultantes diceremus in cordibus nostris, quia si ipse legislator noster beatissimus Pater Benedictus in carne viueret, & per seipsum sanctissimum conuentum regeret, districtiùs sacri Ordinis instituta in loco illo obseruare non potuissem.* Hæc auctor Exordij, ex cuius verbis, & Clarevallensem fuisse constat, monasticis nimirum disciplinis olim in Claravalle instructum, & iam nihilominus in altiori gradu positum, in quo ab eadem disciplina subtractus, diceret. *Dum disciplinis claustralibus, & sacri Ordinis obseruantiis subditi essemus.* Sed de his satis. Quæ tamen non, vt omnino certa dixerim, sed vt probabiliora, & præferens vtramque coniecturam ei, quæ sumitur ex verborum identitate, inefficaci, vel in recentioribus, quorum, ob prælo vulgatos cunctorum libros, notiora furta, & facilia deprehendi. In antiquis reuera, omnino nullo; quod in grauissimis etiam est videre. Nunc ad Cistercij pauperiem reuertamur.

c ad an. 1108. c. 2.
d lib. 6. c. 10.

Semel mendicasse sufficit sanctis viris, ac reiecisse suspectam eleemosynam: sed non semel eguisse certum est, cœlesti dono largiùs subleuandos, quin singulari Dei prouidentia effectum credimus, vt eo tempore, quo magis abundare soliti erant, nempe in solemnitatibus præcipuis, in quibus cuncta eis suppeditabat præsentia Ducum, penuriam, defectumque pati inciperent: certè in Exordio, quæ prima memoratur fames Cistercio imminens, in sacrum Pentecostes Pascha incidisse inuenio, quo nimirum ex præterita abundantia, præsens inopia grauiora, atque ex præsentis necessitatis remedio, fides robustior reddita, meritis Stephanum, & socios cumularent. Id qualiter gestum sit, describit auctor Exordij, sub his verbis. [f] *Instabat sancta solemnitas Pentecostes, & in ipsa sacratissima die vix tanti panes in eadem domo inueniri poterant, qui fratribus sufficerent. Cùm verò fratres vehementer exhilarati, tanquam si de ipsa paupertate sua, quam propter Deum sustinebant, saginarentur, Missam tantæ solemnitatis cum summa deuotione in iubilo cordis cantare cœperunt. Et ecce necdum finita Missa, de promptuariis gratia Dei largam benedictionem repente, vnde non sperabant, sibi transmissam cum multa gratiarum actione susceperunt.* Hæc de conuentu; de beato autem illius Pastore ista. *In his, & similibus vir Dei perpendens, quàm veraciter Scriptura dicit*, [g] quoniam nihil deest timentibus Deum, *largitatem, & miserationem Domini super se, & super fratres suos admirans, magis, ac magis in sancta religione proficiebat, & beatæ paupertatis angustiis gloriabatur, sicut in omnibus diuitiis.* 4.

f lib. 1. c. 31.
g Psalm. 33.

Porrò autem quàm feruens in fide fuerit, imò quàm potens, qualiterque efficacia huius virtutis terrenam omnem substantiam sibi subiecerit, mirabili sanè diuinæ bonitatis exemplo, latiùs adhuc describit idem auctor in hæc verba. [h] *Quodam tempore, cùm domus Cistercij magna fuisset paupertate adstricta, Venerabilis Abbas Stephanus vocauit vnum ex fratribus suis, & loquens ad eum in spiritu Dei, dixit: Vides charissime frater, quia magna coarctati sumus inopia, & propè est vt fratres nostri fame, & frigore cæterisque molestiis periclitentur. Vade ergo ad nundinas Vercelliaci, quæ proximè instant, & compares ibi quadraginta tres, & earum singulis ternos equos fortes, atque tractores,* 5.

h lib. 1. c. 34.

quibus

quibus maximè indigemus ad onera nostra portanda. Cumque quadrigas illas pannis, & alimentis, aliisque rebus necessariis oneraueris, adduces eas tecum, cum gaudio, & prosperitate reuertens ad nos. Respondens autem frater, dixit: Paratus sum domine Pater, vt tuis iussionibus obsequar, si pretium dederis ad illa subsidia comparanda. Cui venerandus Abbas in paupertate sua, de misericordia Dei magnificè præsumens, respondit. Verè frater scias, quia cum sollicitus, & anxius quærerem, vnde necessitatibus fratrum nostrorum subuenirem, tres tantùm denarij in tota domo ista reperti sunt, hos si volueris, tolle: reliqua verò quæcumque defuerint tibi Domini nostri Iesu Christi misericordia prouidebit. Securus itaque vade, quia mittet Dominus Angelum suum tecum, & prosperum faciet iter tuum. Profectus itaque Vercellicum frater ille, à quodam viro fideli, & timorato, hospitio receptus est. Qui dum itineris eius causas, & fratrum indigentiam agnouisset, abiit in instanti ad quemdam locupletissimum virum finitimum suum, qui desperatè languens, ac penè iam moriturus, facultates suas pauperibus erogabat. Cumque Cisterciensium Monachorum, quorum iam in partibus illis sanctitas celebris habebatur, eidem infirmo penuriam indicasset, vocatus est ad domum eius supradictus frater, tantamque pecuniæ summam ab ipso moriente recepit, vt cuncta, quæ iniunxerat ei Abbas, sufficienter ex ea compararet.

6. *Accepit itaque tribus rhedis cum nouem quadrigariis equis, ornauit, atque onerauit eas cunctis, quæ fratrum vsibus opportuna esse cognouit. Et ita qui vacuus venerat, secundum prophetiam Abbatis, plenus, & gaudens ad suos remeauit. Cumque Cistercio appropinquaret, nuntium misit, qui Abbati eius significaret aduentum pariter, & prouentum. Quo audito, venerabilis Pater exultauit in Domino vehementer, & conuocatis in vnum fratribus, ait: Deus miserationum Dominus, Deus miserationum liberè, ac liberaliter egit. Verè nobiliter, verè eleganter fecisti, Procurator, & Pastor noster, aperiens manum tuam, & implens benedictione tua penuriam nostram. Tunc ordinata processione occurrerunt obuiam venienti fratri vsque ad portam, ita vt ipse Abbas procederet indutus vestibus sacris, cum pastorali virga, ministris præcedentibus eum cum cruce, & aqua benedicta. Exceperunt ergo solemniter, & cum multa gratiarum actione eleemosynam, non ab homine præstitam, sed tamquam cælitus missam benedictionem a Domino,* [i] *& misericordiam à Deo salutari suo.* Hactenus Exordium. i Psalm. 23.

7. Quibus videas venerabilem Stephanum in ipsis præfecturæ suæ primordiis, fortem in fide, potentem oratione, prophetiæ non dubio pollentem spiritu, atque in gratiarum actione feruentem, æquè & humilem, hæc omnia suis in exemplum proposuisse, à quo virtutes discerent, in quo dona, atque gratias venerarentur, atque ex vtrisque in Domino confiderent, à quo, & per quem hæc omnia consequuntur. Sed audiamus Exordij ipsius auctorem, grauiter sanè hoc ipsum prosequentem, pro suo more. [k] *Porrò (ait) vir iste prudens, & spiritualis, sicut intelligi datur, in hac tam celebri susceptione beneficij filios suos tam præsentes, quàm posteros admonere voluit, vt huius miraculi gratiam iugi meditatione retinerent, atque ex eo discerent in cunctis necessitatibus suis pia confidentia præsumere de misericordia Dei, quæ nunquam deserit sperantes in se; sed est semper pauperum suorum piissimus consolator, atque adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Hactenus auctor Exordij: qui etiam addit, ex illa die nouum Monasterium specialioris indigentiæ titulo, etsi imminentis tantùm, Deo commissum, atque ipsius prouidentiæ commendatum à sancto Patre, non vnquam ampliùs temporalibus eguisse, quo videlicet k vbi suprà.

susceptum beneficium, & præsens opportunitas, & futura duratio commendarent, & donum Dei vel inde probaretur, quòd sine pœnitentia semper fuit.

Ioachimus Abbas, sui temporis oraculum, & qui si non scholasticum egisset, meritò inter Ecclesiæ Patres veneraretur, intelligentiæ, & prophetiæ donis illustris, quod multa eius scripta, multa ad diuersos responsa testificantur. Ioachimos ergo in concordia veteris, & noui Testamenti, quam per reuelationem accepit, vt ipse ait. [l] *Lucij tertij mandato incipit scribere,* [m] *atque Clementis, Vrbanique, vtriusque item tertij consummauit.* In hac, inquam, concordia, quæ inter opera eius circumfertur, hunc initiis Cistercij annum designat. Quod siue ad hoc speciale patrocinium, siue ad Bernardum in eo primum vocatum, quod mox videbimus, referendum sit, quia ad gloriam eius conducit non vulgarem, hîc congruenter duxi recensendum. Ergo dum veteris, & noui Testamenti mutuam inter seipsa concordiam notat, Benedictinam, Cisterciensemque familias, inter alia, cócordantes etiam enumerat, illam Eliseo, & filiis Prophetarum, hanc Apostolis; nec rebus tantùm res putat respondere, sed tempus tempori: vt sicut à Iacob figura Christi, sexdecim processerunt generationes, (si triginta annos vnicuique tribuas) vsque ad Helisæum, & filios Prophetarum, quæ octuaginta supra quadringentos conficiunt annos: sic vsque ad Benedictum à Christo nato, cuius anno CDLXXX. puer adhuc eremum habitabat. Et rursus, sicut ab Helisæo vsque ad Christum generationes præcessere XXV. sexcentis trigintaque annis constantes; sic & à Benedicto, vsque ad Cistercium, Christi tempora felicia rediturum. Sed ipsum meliùs loquentem audiamus. 8. l l. 1. in princ. m In prima operis, & in fine l. 5. c. 118.

9. [n] *Circa finem (ait) Asa Regis Iuda, qui fuit 16. à Iacob Patriarcha, facta est mentio de Helisæo Propheta; & circa finem generationis, quæ fuit 16. ab Incarnatione Domini, claruit sanctus Benedictus, cùm adhuc esset puer, non minus clarus in miraculis in populo Christiano, quàm ille in populo Israël. Præfuit ille filiis Prophetarum, qui erant in Iericho, & secus fluenta Iordanis: iste duodecim Monasteriis secus stagnum, seu fluuium, qui sub Laco vocabulo dictus est. Consummatis autem ab Asa generationibus 21. orta est in Iuda religio... laudabilis quidem in fide, nec minus in obseruatione mandatorum. Ex illorum numero fuerat Nicodemus, ex illorum Gamaleel, & Apostolus Paulus, & alij multi, qui crediderunt, à generatione quoque 16. Incarnationis Dominicæ, sub qua cœpit clarescere sanctus Benedictus, circa finem 37. generationis, (idest 21. à sancto Benedicto, sicut 21. ab Helisæo) confirmatus est in Galliarum partibus Ordo Monachorum, & multos ex eo tempore habere zelatores contigit in obseruatione regulæ sancti Benedicti.* Hæc ille. Porrò de Cisterciensi familia loqui, vltra rationem temporis, exprimunt verba immediatè subsequentia. Nam, *Ceterùm (ait) si de bono agitur, quod operatus est Dominus, & tunc, & nunc: quemadmodum de Ecclesia Hierosolymitana ortæ sunt quatuor principales Ecclesiæ, Antiochena videlicet, Romana, Alexandrina, & Constantinopolitana, & ex eis alia multa; ita de Cisterciensi Cœnobio ortæ sunt plures Abbatiæ, quarum quatuor, quæ fuerunt primæ, factæ sunt matres aliarum,* &c. quæ plura alia subdit Cisterciensem familiam exprimentia. n lib. 2. tract. 2. c. 8.

10. Ego verò in his verbis duo obseruo, quæ nefas duxi silentio præterire: alterum, [1] excellentiam vtriusque ex his, quibus dicuntur concordare, neque enim concordarent, nisi excellerent; quod

fine inoidia cæterarum dixerim, quibus detrahere alienum à nostris scriptis. Alretum, quod superiùs proposuetam, ex ipsamet concordia, rationem tempotis, quæ huic anno Cistercij initia adscribit, quippe sicut triginta & seprem generationes, quæ inter Iacob, & Christum intercesserunt, singulæ per triginta annos multiplicatæ, mille supra centum & decem expleuere; sic si à Christo totidem enumeres, sexdecim vsque ad sanctum Benedictum, & vnam & viginti post eius ortū; hunc ipsum annum signabunt, quem nonc traoscurrimus, nempe M. CX. Igitur, siue ex speciali illa cura, qua tunc primùm Deus prouidit Cistercio, siue ex prima Bernardi vocatione, quam in eundem incidisse etiam dicemos, hic annus veluti fatalis Cistercio fuit, qui concordantis initiis responderet: oeque id sine ingenti totius familiæ gloria, quæ tali metuit concordia decorari. Sed iam Bernardum in sæculo degeotem, sed à sæculo deuium prosequamur.

1. Bernardi spes in sæculo concepta. 2. Varia pericula. 3. & modus euasionis. 4. Hospita in parte lecti intacta iacet. 5. Alia fugatur sociorum conuocatione. 6. Dæmon tentator Bernardo in obsequium traditur. 7. Conuersio iuuenis. 8. Descripta in eius actio.

CAPVT II.

1. HVnc quintumdecimum agentem ætatis annum, Alcidis mater orphanum reliquerat, adolescentem eleganti corpore conspicuum, nec minus grata facie cunctis amabilem, ornatum moribus, ingenio validum, potentem eloquio, & cui tunc primum ingredienti sæculum, plures se viæ sæculi offerebant, vel reluctantem vltro pertractutæ, dubia fortasse electione commodioris, sed in quacumque profectu planè non dubio, quippe iam tunc spoodebat militia, nec dum militi supremos apices, aula fauores Principis, iura ciuilia altiores curiæ gradus, studia sacra subliniores infulas; & nec fortunæ merita, quod rarum, nec, quod rarissimum, meritis fortuna, in Bernardo videbantur posse deesse.

2. Solus inter hæc ipse modestus animo, & sanctæ Matris documenta perpendens mente, prosperitates sæculi despicere, terrena, vt periculosa omnia vitare, suspirare cœlestia, & quoad poterat corpus, mentemque immaculata, & illæsa custodire, modis omnibus prouidus gestiebat. Sed duo eraot, quæ ipsum retardarent, sodalium mores, ipsius longè dissimilis, & vitia quælibet, non solùm admittentium, sed osteotaotium, & quæ mulierum conditio esse solet, fugientes insеqoi, maxiотè illustriores; oec mious vanitate prostitui, quam cupidine. Seu probrum decoret auctoris claritudo, qood multas fallit, seu vincere aliquando delectet, assuetas vinci.

3. Vtrisque his periculis expositum diuina gratia Betnardum non prætipuit, sed præseruauit. Et primò quidem quod sodalium mores ipsi aliquatenus imptimere potuerunt, seuerus excussit, crudelis nimium in se vltot existens morosi, non dicam consensus, sed tantùm visus. Id à Guillermo ipsius vitæ auctore descriptum, eiusdem verbis grauiòs referemus. [a] *Cum enim aliquando curiosius aspiciendo, defixos in quadam muliere oculos aliquandiu tenuisset, cōtinuò ad se reuersus, & de semetipso erubescens, apud semetipsum, in seipsum vltor seuerissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, colo tenus insiliens, tandiu inibi permansit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, induens illum castitatis affectum, quem induerat, qui dicebat*, [b] Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.

a lib. 1. c. 3.

b Iob c. 31.

4. Hæc in seipsum, si quid ex sodalitio suggestum, aut ingestum; imò si quid ex adspectu maculatum, inter vndas ad purum abluturus. In fœminas procaces initiùs actum, sed non inefficaciùs. quod mirabilius, semel, & iterum a diuersis sollicitatus, & nunc se Deo, sibique committens, nunc socios conuocans, vtrubique victoriam reportauit, non sine vtriusque fœminæ rubore, sed sine sanguine. Nam audi, quod sequitur. [c] *Circa idem tempus instinctu Dæmonis, in lectum dormientis iniecta est puella nuda. quam ille sentiens, cum omni pace, & silentio partem illi lectuli, quam occupauerat, cessit; & in latus alterum se conuertit, atque dormiuit. Misera verò illa aliquandiu iacuit sustinens, & expectans, deinde palpans, & stimulans. Nouissimè cùm immobilis ille persisteret, illa licet impudentissima esset, erubuit, & horrore ingenti, atque admiratione perfusa, relicto eo, surgens aufugit.* Castitatis cingulo inter vndas dunatum credens immobilem, inconcussumque perstantem tot illecebris, si non tibi timentem, pauidumque, ac sodalium auxilium iouocantem, similis alius euentus demonstraret, quem auctores vitæ ipsius ita describunt.

c vbi suprà.

[d] *Contigit autem, vt cum sociis aliquantisper apud matronam quamdam Bernardus hospitaretur: considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam eius exarsit. Cumque tanquam honoratiori omnium seorsim ei fecisset lectulum preparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. quam Bernardus sentiens, nec consilij inops clamare cœpit: Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, surgit familia, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minimè inuenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut priùs, pausant cæteri, sed non illa misera acquiescit. Exurgit denuo, & Bernardi lectulum petit: sed denuo ille proclamat, Latrones, latrones. Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo, qui solus nouerat, publicatur. Vsque tertiò improba mulier sic repulsa, vix tandem sui metu, seu desperatione victa cessauit. Cùm autem die sequenti iter peragerent, arguentes Bernardum socij, quosnam toties ea nocte latrones somniauerit, perquirebant. quibus ille, veraciter* (inquit) *aderat latro, & mihi castitatem hospita nitebatur auferre, irreparabilem thesaurum.* Huc vsque Guillermus, & quotquot alij scripsere vitam sancti Patris. Vt videas meritò virginem prædicari, qoi castitatem, non qualemcumque, sed irreparabilem, hoc est, virginitatem conseruauerit; non solùm in periculusiori ætatis tempore; sed etiam in congressu horribiliori. 5.

d lib. 1. c. 3.

6. Noo tamen hæ victoriæ sine mercede, quam etiam in hac vita reportauit. Tradit Anonymus [e] Gallus in eius actis, (quod ex Ioanne Eremita Bernardo sub æquali acceptum, vt ipse ait, certiorem adhuc fidem sibi vendicat) post multos annos Claramvallem regenti sancto viro, mulieres quasdam à Dæmonibus obsessas, per ipsum liberandas fuisse adductas.

e lib. 7. cap. 9.

adductas. Ab altera, ante aduentu Sancti fugatum Dæmonem, vel potius vltrò abeuntem proclamasse, Bernardo se resistere non posse; quippe cui adhuc in sæculo manenti, atque eius opera contra castitatem tentato grauiter, sed omnino inuicto, per omnia obsequuturus fuerit traditus. Hæc, & similia trophæa vix Sanctus referens, de communi hoste, ex Dei gratia, gloriosus triumphabat.

7. Tunc verò in ipso flore adolescentiæ, ætatis suæ anno 20. quo cæteri plus solent retardari, feruore appetitus altiùs æstuante, atque obruente spiritus feruorem, ipse è contra præualente eadem gratia, ac motus omnes rebelles coërcente, primas eterni vocationes sentire, sæculi fugam tunc primum meditari, atque Cistercium altius infixum cordi, periclitanti salutare refugium, infirmo remedium, præseruatiuum valenti meditabatur. Cælestem orbem in terra tunc fulgentem, quem iam Luna, & stellis, hoc est, Stephanò, & sociis illustratum; eius, vt Solis radij, quod minimè præsumebat, præstolabantur. Hanc ergo primam illius vocationem Alanus, Guillermusque ita describunt.

f lib. 1. c. 3. [f] *Inter hæc tamen cogitans, & perpendens, quod vulgò dicitur, non esse tutum cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum, & Principem eius exterius sibi multa offerentem, magnas res, spes maiores: sed fallaces omnes, & vanitatem vanitatum, & vanitatem omnia. Veritatem verò ipsam interiùs ingiter audiebat clamantem, ac dicentem:* Venite ad me omnes, [g] qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. *Perfectius verò relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere, & inuestigare, vbi certiùs, ac puriùs inueniret requiem animæ suæ sub iugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cistercij innouata monastica religionis noua plantatio, messis multa, sed operariis indigens, cùm vix adhuc aliquis conuersionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius, & paupertatis austeritatem. Quæ tamen cùm animum verè Deum quærentem minimè terrerent, posthabita omni hesitatione, ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere, & abscondi in abscondito faciei Domini, ab omni conturbatione hominum, maximéque ad effugium vanitatis, seu de sæculari generositate, seu de acrioris ingenij gratia, seu etiam fortè de alicuius nomine sanctitatis.* Hæc illi, de hac prima Bernardi vocatione. Cæterùm vt in nouo Monasterio temporalium bonorum sufficientiam penuria grauis, ita & gloriosam filiorum abundantiam orbitas antecedere debebat. Speciosa misericordia Dei, maximè autem in die tribulationis. Crescit ex magnitudine morbi, remedij pretium: atque ex tenebris noctis præcedentibus, orienti luci nitidior, speciosiorque aspectus accedit. g Matth. 11.

IESV CHRISTI ANN. IIII.

CISTERCII ANN. 14.

1. *Funestus annus nonnullorum fratrum morte.* 2. *Nullius successoris aduentu reparata.* 3. *Notanda quædam.* 4. *Retardatus Bernardus à suis fratribus.* 5. *& verè hærens.* 6. *Stephani exemplum, doctrinaque Bernardo communiter adscripta.* 7. *minuto Stephano de cœlo esca promisa.* 8. *Minutio quid, & in quem finem instituta.* 9. *Quibus temporibus.* 10. *Explicatum inde Exordium, Bernardusque.* 11. *Demum communis, & aliis religionibus.*

CAPVT VNIC.

1. SEQVENS annus, Christi videlicet millesimus centesimus vndecimus, Cistercij quartus decimus, vt captione sacrilega Paschalis toti Ecclesiæ, sic nouo Monasterio funestus, & tristis fuit, desideratis per mortem non paucis fratribus, nec succedentibus, qui iacturam repararent. Quin & Bernardus remissus in proposito, si non omnino à proposito resiliens, vt non abstulerit, distulit remedium, atque ipsa dilatione morbum velut adauxit. Obiisse aliquos, Exordium magnum prodit, dum beatum Stephanum loquentem introducit (quantum ex serie historiæ potest colligi, sequenti anno, hoc est, Bernardi aduentum antecedenti) in hæc verba. [a] *Super omnia autem mœroris acerbissimi iaculo transfigit cor meum paucitas nostra, quoniam singuli morte interuenienie, quotidie tollimur è medio, & sicut valde pertimesco, nobiscum pariter hæc noniter cœpta religio finem accipiet.* Hæc Pater sanctus, vt dixi, anno sequenti, vt videas iam tunc plures è viuis raptos, non incongruè in præsentem referendos. a lib. 1. c. 28.

2. Defectum porrò aliorum, qui succederent, & per quos cœptum institutum propagaretur, ostendunt verba immediatè subsequentia, quæ ita habent. *Nobiscum pariter hæc nouiter orta religio finem accipiet, quia personas industrias, & ad humilitatem sanctæ paupertatis idoneas, ad præsens Dominus sociare nobiscum nequaquam dignatus est; per quas huius nostræ institutionis formulam ad posteros transmittamus.* Ergo vt defectu bonorum temporalium, sic personarum Stephanus priuatus, in eam penè desperationem inductus est, vt non solùm de Ordine diffideret, sed de Cœnobio, & cui modò nouarum plantationum præcipua cura, iam tunc satis superque factum foret, si dudum plantato Cistercio prouideretur. Expressit hunc eumdem affectum Exordium paruum [b]. *Et ferè* (ait) *ostio desperationis appropinquabant, pro eo quòd successoribus penè carerent.* Nec dissimilia, aut minora Guillermus Abbas. [c] *Cùm omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur.* Sic in vtroque homine probatus, & perfectus inuentus egregius Pater, vtriusque etiam bonorum abundantiæ præparabatur. b c. 18. c lib. 1. vitæ S. Bernardi c. 3. in fine.

Id vnum tamen obiter aduertam, in quo non paucos ex nostris deceptos video, nunquam Cistercium personis adeò exhaustum, vt numerum à principio inductum, vicenarium videlicet, & suprà, non conseruaret. Aliàs Bernardo adueniente, non potuisset nouum illico fœtum in lucem edere, fundata Firmitate, prima filia, quæ tredecim, vt minus (nam Abbatem includo) Monachos hausit, & nihilominus Cistercij retinere quotquot regimini, negotiisque gerendis, instituendis Nouitiis, atque integro conuentui formando requirebantur. Sed de his aliàs. Nunc Stephanum probatum, non derelictum, nec diminutum Monachorum numero, sed tantùm non crescentem ostendisse 3.

sufficiat

sufficiat per hoc tempus. Id etiam notatione dignum est, in non vulgarem sancti viri commendationem. Qui suæ, & suorum inopiæ, quantumcumque extremæ, numquam succubuit, penè successorum defectui succubuisse, & causam Dei, vitæ propriæ anteponentem, huic nihil prorsus timuisse, dum illi plurimum. Atque hunc eumdem timorem Bernardus auxit retardatus in sæculo, vt sequentia pleniùs declarabunt.

4. Hunc vt sensere fratres interiùs tactum, de conuersione sua seriò tractantem, atque monasticam vitam concipientem, certatim retrahere, ad laxiora diuertere, & sæcularibus modò negotiis, modò studiis, hisque præcipuè aptiorem, implicare: nec tantùm meritis mercedem polliceri, sed ex præmiis ad præmia gradum facere, eorum omnium cupidinem ingerere, animo alioqui ingenuo, sed generoso, eoque ad altiora proniori, quanto poterant, nixu conabantur. Addebant, homines non solis sibi natos, sed reipublicæ, imò Orbi profuturos. Monachos in eremo latentes, & mundo profugos, neque doctrina alios iuuare, neque exemplis. Quin sub honesto contemplationis nomine palliantes otium, segnitiei potius, & desidiæ operam dare, & sustentandos aliorum eleemosynis, quod olim Tiberius Imperator de aliis dixerat, sibi ignauos existere, aliis graues. Tum vt otium excutiant laborantes, ac de proprio sudore quærentes victum, aliorum etiam tedioiant grauamen, quod de nouo illo Monachorum genere in agro Beloensi recèns instituto, fama vulgauerat: haud tamen tantæ spei adolescentem, indole, motibus, ingenioque præstantem, atque in suæ familiæ gloriam, vt credebant, vel magis in communem vsum concessum Orbi, ruri, & aratro fore mancipandum. Colendis agris multos superesse, quibus non alia munia iniungi possent, ipsum se se debere publicis rebus, ne si talentum sibi à Deo creditum in terra deserta, inuiáque absconderit, damnationem incurrat, quam exhorrebat, vtriusque vitæ miserias subiturus. In sæculo præcepta posse seruari, imò consilia, quæ si aliis imitanda proponat, plurimos Christo per eum fore lucrandos. Solitarios quodammodo videri, indemnitatem suam anteponere diuinæ gloriæ, nec curare, ne Deus offendatur, dum ipsi ab offendendo sint immunes. Denique Christum electos suos, hoc est, Apostolos, primitias spiritus, & dignitate, & tempore habituros, non in eremum misisse, sed in vrbes, [e] prædicare Euangelium omni creaturæ, atque regere Ecclesias per totum orbem. e Marci 16.

5. His, & similibus, quæ hominum ingenia sunt, formandis, in quamcumque partem argumentis, atque rationibus inueniendis contra rationem, amici, & fratres Bernardum dissuadebant. Et primò quidem inania visa omnia, mox properantem parumper retardarunt. Nam quid, si vera; quid si ex Deo essent, quæ sibi per amicos proponebantur? Nil temerè aggrediendum viro prudenti, rationes omnes vtrinque discutiendas, nec nisi cunctis pensatis, deliberandum. Inter hæc hærens, dubius penè stetit, & vt non retrocesserit, resedit, altiùs perpendens quid sibi esset faciendum. Atque hoc ipsum non progredi in via, iuxta ipsius sententiam, regredi fuit. Subeunt animo fratrum documenta, & quæ viribus vacua antea contempserat, iam tunc aut dubia, aut etiam probabilia, forte & vt valida, paulatim in sententiam trahebant gaudentem vinci. Atque fortassis sæculo adstrinxissent, si non Alcidis matris pia memoria altiùs insidens menti adolescentis, iteratis siue apparitionibus externis, siue internis impulsibus, recalcitrantem tandem adegissent vlteriùs progredi, non vltrà amplius retro respecturum. Id auctor vitæ illius ita describit. [g] *Vbi verò de conuersione tractantem fratres eius, & qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, omnimodis agere cœperunt, vt animum eius ad studium possent diuertere litterarum, & amore scientiæ sæcularis, sæculo amplius implicare, qua nimirum suggestione* (sicut fateri solet) *propemodum retardati fuerant gressus eius. Sed Matris sanctæ memoria importunè animo eius instabat, ita vt sæpius sibi occurrentem videre videretur, conquerentem, & improperantem, quia non ad huiusmodi nugacitatem tam tenerè educauerat, non in hac spe erudierat eum.* Hæc ille. qualiter autem Bernardus tandem victus, seu potiùs victor, diuinis maternisque monitis acquiescens; fratres, quos peruersores prius habuerat, tandem in suam sententiam ipse conuerterit, imò in consortium vitæ secum traxerit, sequenti anno, quo euenisse compertum est, Deo dante, commodiùs referemus. g lib. 1. c. 33.

6. Interim Stephanus decedentium filiorum luctu mœstus, & succedentium destitutus prorsus solatio, quo ægriùs orbitatem suam ferebat, eo instantiùs & Christo, & Virgini Matri repromissam Alberico patri prolem, continuis precibus, & suspiriis commendabat. Et iam tunc temporalibus abundans, sed carens filiis, velut alter Patriarcha Abraham, instanter clamabat, [h] *Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis, & vernaculus meus hæres meus erit.* Non vllis tamen solicitudinibus, non vllis curis dimoueri poterat, quominus totus in Deum semper absorptus, ipsi soli iugiter vacaret, maximè autem cùm diuinis Officiis, & sacrificiis, atque continuis instaret orationibus. Ferunt ingredienti Ecclesiam in more fuisse, ostium digitis premere, cogitationibus ibidem relinquendis, quæcumque possent distrahere orantem, atque ostio quodammodo affigendis, quoad exiret. Id quia Bernardo Patri tribui solet, cùm tamen à Magistro suo ipse acceperit, verbis Exordij non pigeat hic subiicere. [i] *Cæterum quam non surdus auditor sanctæ regulæ fuerit* (loquitur autem de beato Patre Stephano) *præcipientis*, [l] *vt sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ, ex eo quod subdimus, liquebit. Mos erat ei, vt lecta collatione, cùm Ecclesiam intraret, ostium Ecclesiæ manu teneret, & digitos firmiùs, quasi pro signo, premeret: sicut solent homines signum, aut nodum facere, quatenus per hoc admoniti, memoriæ arctiùs imprimant, quod obliuisci nolunt. Cumque hoc frequenter faceret, quodam die vnus de fratribus, cui familiaritas ausum præbebat, interrogauit eum, cur hoc faceret? Cui Pater sanctus, Omnibus* (inquit) *cogitationibus meis, quas ex iniuncto officio, pro dispositione domus per diem admittere cogor, dico vt foris remaneant, nec prorsus ingredi præsumant, sed expectent vsque cras, vt dictâ primâ hic eas inueniam.* Hanc legem à beato Ministro sibi præscriptam, Bernardus Pater non solùm accepit, sed discipulis suis etiam reliquit, in libello, qui dicitur, *Doctrina beati Bernardi* (si tamen propria ipsius) cuius hæc verba. *Quando surgendum est ad vigilias, præparandus est animus ad deuotionem, ita vt feruenter exilias de lecto, & corpore excusso, gratias diuinæ misericordiæ agas pro quiete indulta, pro custodia, & protectione Angelica. Deinde veniens ad Ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: Expectate hic cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis: tu autem anima mea intra in gaudium*

h Gen. c. 15.
i Mag. lib. 1. 32.
l in reg. S. Benedict. c. 9.

Domini

m Psalm. 26. *Domini Dei tui, vt videas voluntatem Domini,* m *& visites templum eius.* Hinc factum est, vt Bernardi opinione sparsa per totum mundum, hoc documentum, cum illius operibus, ipsius nomine fuerit vulgatum, nulla veri auctoris memoria habita. Felici sane, & gloriosa obscuritate parentis, cuius præclaris meritis concessum, vt solus gigneret, à quo posset obscurari. Nisi quod tamen, vt id obiter notem, quod Bernardus vigillis tribuebat, Stephanus ante noctem inchoabat, à collatione nimirum (lectionem claustri nunc solemus dicere, quam olim collationem à collationibus Patrum in ea lectis) completorium antecedente, adeoque noctem etiam præeunte, vsque ad sequentem diem continuandum.

7. Cæterùm Deus eumdem sanctum Patrem vltra continuas internas consolationes, quibus mirè effulsit, per fauores etiam exteriùs manifestatos venturæ proli gloriosiùs præparabat. Celebre est illud, quod sanguine minuto seruo Dei contigisse narratur, oblato illi cœlitus edulio (sicut magno Antonio) pisci nimirum grandi, cùm nullum aptum in cœnobio reperiretur. Id ab Exordio magno mutuatum, dum annus ignoratur certus, hîc non incongruè duxi describendum, obiterque de antiqua missione sanguinis, solenni nostris, sed translata etiam ad alios, venerandam antiquitatem in lucem dabimus. Exordij verba de Stepha-
n lib. 2. c. 30. no hæc sunt. n *Minuerat aliquando sanguinem propter Christum pauper Abbas Stephanus, & propter*
o cap. 31. *inopiam domus, cellarius, cui ex precepto* o *regula pauperum, & infirmorum cura incumbit, nihil ad manum habebat, vnde pauperi, & infirmo Abbati suo lautius aliquod edulium præpararet. Et syncera charitate Abbatem suum diligens, discurrebat, si fortè alicubi aliquid inueniret, vnde charitatem, quæ intus ardebat, etiam foris ostenderet. Cùm ecce auis quædam grandis aduolat, non mediocris quantitatis piscem in vnguibus ferens, quem continuò coram mirantium oculis proiicit, & recessit. Copiosam prædam cellario relinquens, vnde Abbatis sui minutioni sufficeret, ac prouideret.* Hæc in Exordio. Haud clariùs aliter magnus Cistercij Pater, primorum Patrum vtriusque Testamenti sacræ eremi cultorum, hoc est, Eliæ, & Antonij, aut successor, aut socius designaretur, consimili cum vtroque fauore de cœlo altus, nec dissimili auium ministerio, nisi quòd illis communis passer, coruus huic, quo ignotior, & rarior, mirabilior, & illis in defectu hominum aues, huic vtrorumque simul ministerium, quo inusitatius, eo gloriosius fuit.

8. Verùm quod attinet ad sanguinis missionem, quod explanandum obiter suscepimus, sciat lector inter nostros frequentem olim, debellandæ, subiiciendæque carnis cupidini, & spiritus quieti reponendæ. Audi Nicolaum Clareuallensem Monachum, ad Petrum Cellensem Abbatem, de
p Epist. 49. his loquentem. p *Nuper cùm Aquilonaris rabies rapidiori flatu meditatem nostram perussisset, & percussisset, iussi sumus minuere sanguinem vniuersi. Hæc autem minutio solemnis est, & ab his, qui fundauerunt Ordinem, ordinatiùs ordinata, vt de superfluitate conqueri non queamus. Tacere namque, & iacere precipimur, omnia in refectorio sicca, sicut heri, & nudius tertius intuentes. Non laborare possumus,* &c. Et post pauca. *In hoc spatio spirituales viri secretissimos conscientiarum suarum recessus inuestigant, non vt non inueniant, sed vt quod inuenerint, reprehendant. Tunc diuidunt inter aquas, & aquas, videlicet inter puritatem spiritualis intelligentiæ, & sensualitatem infirmæ carnalitatis. Ponunt autem firmamentum rationem, ne superiores inferioribus inclinentur, aut inferiores superioribus misceantur. Ego inter alios, & cum aliis, ad hoc iubileum sum vocatus, & collocatus in deliciis istis.* Hactenus Nicolaus de minutione omnium solemniori, ea nimirum, quæ fiebat mense Septembri.

Porrò non eam solùm, sed tres alias in vsu per 9.
annos singulos, lege sancitum in antiquis vsibus legimus. q *Quòd quater in anno minui possunt fra-* q cap. 90.
tres, & sic conuenienter fiet minoratio, Februario, Aprili, & Septembri mensibus: quarta verò circa festiuitatem sancti Ioannis fiat. Cùm autem pars conuentus minui debuerit, dicat Prior in Capitulo, illi, qui sedent ad illam, vel ad illam tabulam minuantur. Cæterùm hæc quatuor temporum præscriptio, sanguini minorando constitutorum, non ita pressè intelligi solebat, vt non extra tempora etiam constituta, de consilio, & licentia Abbatis minui possent, cauto tantummodo, vt *Fratres in tempore messionis, & in Aduentu, & in Quadragesima, & per tres primos dies natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes non minuerentur.* Plura de sanguine minutis videre qui volet, consulat priscos vsus Cistercienses, in quibus latè, pluribus etiam regulis præscriptis, ad hoc negotium.

Hinc est, quòd non minuisse sanguinem vt- 10.
cumque, sed propter Christum Stephanus dicatur, hoc est, non ægritudine cogente, sed spiritu imperante aduersùs carnem, atque extenuante concupiscentiæ vires, quo debilior, infirmiorque, ac penè exanguis, rebellare aut non posset, aut non attenderet. Ob eamdem etiam causam proditum est, Bernardum Patrem cœnobia, quæ fundabat, non nisi in locis palustribus, eoque minus salubribus construxisse, quo videlicet quæ corpori deficerent, spiritui vires augerentur; & virtus in infirmitate perfecta, robustiorque Apostolicos viros armaret, vel cœlum ipsum violenter inuasuros.

Porrò hæc sanguinis missio, seu minutio, non 11.
ita propria, & specialis Cistercio fuit, vt non etiam Carthusianis ante ipsum, sed & aliis post Cistercium fundatum in vsu fuerit, quod pluribus apparet testimoniis. *Minuimur autem in anno quinquies*
(aiunt statuta Guidonis Carthusiensis) *per octauas* lib 2. statut. cap. 39.
Pascha, per solemnitatem Apostolorum Petri & Pauli, secunda hebdomada Septembris, septima ante aduentum, & hebdomada ante quinquagesimam. In quo tempore, minutionis scilicet, per tres continuos dies bis reficimur, aliquid cibi melioris accipientes, &c. Hæc statuta Patrum Carthusiensium. Nec dissimilia in prædicatorum constitutionibus. *Minutio* (inquiunt) distinct. 1. c. 8.
quater in anno fieri potest, prima in mense Septembris, secunda post natale, tertia post Pascha, quarta post festum sancti Ioannis Baptistæ. Præter has nullus audeat sibi minuere, nisi discretio Prioris, propter aliquam causam aliter iudicet alicui faciendum. Quin & Canonici
Præmonstratenses, *Minutione*, inquiunt, *tempus* cap. 19.
sit in dispositione Abbatis, vel Prioris, absente Abbate, &c.

IESV

IESV CHRISTI
ANN. 1112.

CISTERCII
ANN. 15.

1. Bernardus tandem Cistercium ingressurus. 2. Cunctam secum familiam trahere tentat. 3. Galdricus, Bartholomæusque primùm conuersi. 4. Reluctantibus aliis, & impeditis. 5. Tum Andreas, atque Guido, si coniux velit. 6. Mox etiam ipsa, non sine miraculo. 7. Gerardi supra alios renitentia. 8. Et completa Bernardi prophetia, mira mutatio. 9. disrupta vincula. 10. & collata vinculis Petri.

CAPVT I.

1. ANNVS incipit centesimus millesimus
duodecimus, Cistercij quintusdecimus,
quo Bernardus Cistercio tandem firmatus,
Cistercium etiá Ecclesiæ confirmauit.
Retardatum vtrumque, dubiumque alterum
successionis, constantiæ alterum, idem impulsus
inxta stabiliuit, quo neque Ecclesia membro no-
a priuil. 34. bilissimo (sic Alexander [a] quartus Cistercium vo-
cat) nec membrum ipsum careret suo vigore. Id
qualiter, post longam cunctationem, tandem con-
b lib. 1. cap. 3. tigerit, auctor vitæ illius ita describit. [b] *Demum,
cum aliquando ad fratres pergeret* (scilicet Bernardus) *in obsidione castri, quod Granceium dicitur, cum
Duce Burgundiæ Hugone constitutos, cœpit in huiusmodi cogitatione*, (conuersionis nimirum diu dilatæ)
*vehementiùs anxiari. Inuentáque in itinere medio Ecclesia quadam, diuertit, & ingressus orauit cum multo
imbre lachrymarum, expandens manus in cælum, & effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini
Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis
eius.* Hæc ille.

2. Cæterùm Bernardus, vel à fratribus olim, vel
tunc etiam à Deo efficaciùs monitus, homines
non sibi solis natos, sed toti mundo, quo plures
alios Christo lucraretur, primùm eosdem fratres,
propinquosque, deinde amicos, & familiariùs sibi
notos, demum quoscumque poterat, vocabat, se-
c 1. ad Cor. cap. 13. cum periter Cistercium ingressuros. [c] *Charitas
non æmulatur*. Haud aliter cœlestis quondam spon-
d Cant. 1. sa [d], diuini amoris vulnere sauciata filias Sion vo-
cauerat ad thalamum per ipsam sponso, & cum
ipsa copulandas. Sex filios ex Alcide matre reli-
e ann. 1105. c. 3. num. 2. ctos [e] diximus, duos priores, Guidonem, Gerardumque,
tres reliquus Bernardo posteriores, Andream,
Bartholomæum, atque Nibardum. quibus
addo auunculum Galdricum, virum potentem (sic
eum auctores nominant) nec minus naturæ, quàm
fortunæ pollentem dotibus, omnes tandem Bernardo
consensuros. Sed Guido quidem, Nibardusque
natu inter fratres, ille maximus, hic minimus,
vterque conuersioni minus aptus; ille accessione
vxoris, filiarumque, hic defectu ætatis, videbantur.
Nec multo magis Gerardus miles in armis strenuus,
& cui sæculi gloria iam dulcescere, fortè
etiam, & deliciæ diu inceperant. Imò neque Andreas,
Bartholomæusque, quippe alteri militiæ
tunc accincto, alteri iam in proximo accingendo,
eadem bona sperata, quàm possessa, atque è longinquo
apparebant longè maiora. Nec Tescelinus
Pater relinquendus, quasi vno ictu orbandus omnibus
filiis. Denique auunculum prouectæ iam
ætatis, quis crederet cessurum nepoti iuueni? Hæc,
& similia difficile reddebant conceptum opus: sed
quominus ei manum admoueret, nihil potuit Bernardum
retardare.

3. Et primò quidem auunculum Galdricum, cuius
auctoritati alij deferrent, mox Bartholomæum
fratrem aggressus est, vtrumque sibi faciliùs assensurum:
nam de Galdrico Guillermus ita scri-
bit: [e] *Primus omnium Galdricus auunculus eius abs-* e lib. 1. cap. 3.
*que dilatione, aut hesitatione, pedibus, vt aiunt, iuit in
sententiam nepotis, & consensum conuersionis, vir honestus,
& potens in sæculo, & in sæcularis militia gloria nominatus,
Dominus castri in territorio Edicensi, quod
Tuillium dicitur, dedit.* De Bartholomæo verò statim
subdit. *Continuò etiam Bartholomæus occurrens, iunior
cæteris fratribus, & necdum miles, sine difficultate, eadem
hora salutaribus monitis acquieuit.* Sic strenuus
Dux effectus, ex nouo milite, faciliora à natura, siue
à gratia, consilio prouido priùs adorsus est, quo
exinde auctoritate, & numero auctus difficiliora
quæque superaret.

Intima, abstrusaque cordium penetrare, fu- 4.
tura præcognoscere, imperare naturæ, imò &
gratiæ, putares hominem non aliter potentem
prouidere saluti fratrum, aut præualere reluctantiæ
cæterorum, crescenti ex tunc, ab ipsis vocatio-
nibus. Nam Andreas quidem, qui tertius vocatus
est, ægrè consensit, nec nisi à Matre miraculosè visa,
suadenteque ad tantum opus vnquam persuadendus.
Guido, qui quartus adstrictus matrimonio,
atque ideo fortasse ex se minus difficilis, reclamante
vxore tenebatur. Nec verò poterat impatiens
viduitatis fœmina nobilis, nisi duriori fræno,
nempe imminente morte, coërcere. Et tandem
Gerardus (nam hic vltimus fuit, Nibardo puero
nondum apto ad religionem) quo tardiùs vocatus
est, renitens magis, pluribus, maioribusque indiguit
miraculis. Nos singulorum omnium conuersiones
Guillermi Abbatis verbis prosequemur.

Et de Andrea hæc ab eo scripta reperio. [f] *Por-* 5.
rò Andreas Bernardo etiam ipse iunior, & nouus eo tem- f lib. 1. c. 3.
*pore miles, verbum fratris difficiliùs admittebat, donec
subitò exclamauit: Video* (inquit) *Matrem meam. Visibiliter
siquidem ei apparuit, serena facie subridens, &
congratulans proposito filiorum. Itaque & ipse continuò
manus dedit, & de tyrone sæculi, factus est miles Christi.*
Addunt præterea cœlo delapsam fœminam, non
solùm Andreæ, sed Bernardo apparuisse, illi nimirum,
quo vocanti, assentiretur, huic, quo in proposito
pleniùs confirmato, reliquos fratres instátiùs
euocaret, quod in Guidone continuò ita peractum,
idē auctor describit in hunc modum. [g] *Gui-* g Brit. c. 16.
*do primogenitus fratrum coniugio iam alligatus erat, vir
magnus, & præ aliis in sæculo radicatus. Hic primò paululum
hesitans, sed continuò rem perpendens, & recogitans,
conuersioni consensit; si tamen coniux annueret.
Verùm id quidem de iuuencula nobili, & paruulas filias
nutriente penè impossibile videbatur. At Bernardus de
misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter
ei spopondit, aut consensuram fœminam, aut celeriter
morituram.*

Demum

Demum cùm omnimodis illa renueret, vir eius magnanimus, imò ea iam preuentus fidei virtute, in qua postmodum excellenter enituit, virile consilium, Domino inspirante, concepit, vt abiiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, vnde suam sustentaret, & vxoris vitam, quam inuitam dimittere non licebat. Interim superuenit Bernardus, qui vndique alios, atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellabatur prædicta Guidonis vxor infirmitate graui, & cognoscens quia durum sibi esset contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo, veniam deprecabatur, & prior ipsa conuersionis petit assensum. Denique iuxta morem ecclesiasticum separata à viro, interueniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium trãnsit fœminarum, religiosè vsque hodie seruiens Deo. Hæc ille. In cuius verbis, vt id obiter notem, videas certantem inter se fide, vtrumque fratrem; nec Magistro discipulum cedentem, fortè etiam, & altiora meditantem, vel in ipso militiæ tyrocinio. Videas illum prophetiæ spiritu dotatum, hunc fortitudinis; illum iam tunc superantem febribus, hunc sibi; illum sæculi fugam consulentem, hunc sæculum calcantem in ipso sæculo; illum agrestem vitam concipientem, sed agendam à Monacho, hunc nondum Monachum in agro laborantem, tantum vt Monachum sibi esse liceret. Videas tandem, nec minus admireris, delicatam puellam, nobilemque, oobili, & sibi æquali viro copulatam, rustico etiam agricolæ adhæsisse, nec prius passam dissolui cooiugij fœdera, quàm voluntate diuina palàm facta, se non ab homine, sed à Deo separari, cum propriæ vitæ dispendio esset experta. Qualiter autem, quòd vel Monasterium, Bernardo procurante, ingressa sit, vel potiùs ipsa cum aliis sibi construxerit, ex vita eius, quæ apud Surium extat, hoc eodem anno inferiùs referemus. Viuebat fœmina, vt ex supradictis constat, anno salutis M. CXL. plus minusve, quo hæc à Guillermo scripta esse noscuntur. Porrò, quo tempore postea superuixerit, aut quid de filiabus eius actum sit, nullus, quem viderim, auctor memoriæ prodidit. Crediderim, Christo etiam sacratas Virgines, simul cum Matre religioni fuisse addictas. Hæc de Guidone.

7. De Gerardo maiora, mirabilioraque, eiusdem Guillermi verbis prosequamur, quibus tamen, quia longiorem continent historiam, aliqua forsan nostra interponemus. [h] *Secundus natu post Guidonem Gerardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, & qui ab omnibus diligeretur. Qui cæteris, vt dictum est, primo auditu, & prima die acquiescentibus, vt mos est sapientiæ sæcularis, leuitatem reputans, obstinato animo salubre consilium, & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide iam igneus, & fraternæ charitatis zelo mirum in modum exasperatus: Scio, inquit, scio; sola vexatio intellectum dabit auditui. Digitumque lateri eius apponens: Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa, perviam iter ad cor tuum faciet consilio salutis tuæ, quod aspernaris, & timebis quidem, sed non morieris.* Porrò hæc dicenti Bernardo, *præsentialiter in latere fratris lancea apparebat infixa, loco vulneris mox futuri, sicut postmodum ipse confessus est, cùm ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.* Hactenus de prima Gerardi vocatione Guillermus Abbas.

h lib. ... c. 3.

8. Interim ipse de Bernardi prædictione minus sollicitus, seu militaris gloriæ, atque in hostes vindictæ nimis flagrans, suorum cum aduersariis inito prælio, eminus immissa lancea vulneratur, quæ eidem lateri, imò eidem loco, quem digito Bernardus designauerat, altiùs infixa, velocem eius mortem prænunciabat. Tum verò prophetiæ fratris tandem memor, atque vim verbi expertus dispendio proprio, cùm ab aduersariis captiuus duceretur: Monachus sum, Monachus sum Cisterciensis, geminabat. quasi vulnus, & captio corporalis recalcitranti inflicta velut in pœnam, ab obsequente eo ipso essent arcenda. Sed maiora adhuc restabant, mirabilioraque, ipsius animo firmando, & confirmando. Captus in carcerem detrusus est, imò in specum profundam, & obscuram, vbi vinculis ferreis compeditum, remedia vulneris lateris adhibita, seruandum magis in mortem indicabant, quàm à morte, per ipsa, liberandum. Et iam de vita omnino desperasset, si non se sancti fratris prophetia, non moriturum tunc antè, nouisset. Accersitus nihilominus Bernardus est, de redemptione, & salute tractaturus, an fruiturus fratris conuersione. Sed qui rem totam longè antè præuiderat, ac futurum euentum prænoscebat, non ideo magis aduentum maturauit: sed, *sciebam*, inquit, *& prædixeram, quod durum esset ei contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam.* Sciebat, inquit, fratri, quantumuis charo, atque præ aliis sibi vsui futuro, noo aliter commodius subueniri, quàm si laboribus suis relinqueretur, solius Dei potentia liberandus. Nec dubitabat, quo olim pacto Petrus, [i] Gerardum tunc à vinculis absolui, atque illæsum ad propria remeare, firmandæ fidei fratrum, fore conueniens. i Act. 12.

9. Id verò qualiter tandem gestum sit, prosequitur idem auctor in hæc verba. [k] *Siquidem de vulnere præter spem citò conualuit, propositum verò, seu votum, quod vouerat, non mutauit. Cumque iam liber ab amore sæculi, hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset, quod conuersionis eius propositum retardaret, in hoc etiam citò affuit ei misericordia Dei. Venit frater eius laborans, vt erui posset, sed non profecit. Et cùm neque loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem, clamauit: Scito frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, & Monasterium introituri: tu verò, quandoquidem exire non licet, hîc Monachus esto, sciens, quòd vis, & non potes, pro facto reputari. Cumque Gerardus magis, ac magis anxiaretur, paucis interpositis diebus, audiuit vocem in somnis dicentem sibi: Hodie liberaberis. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans, quod audierat, compedes suos tetigit, & ecce ex parte crepuit in manu eius ferrum, vt minus iam teneretur, & aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, & pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, & non tam spe euadendi, quàm tædio iacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus, & clausus erat: mox vt pessulum tetigit, sera tota inter manus eius collapsa est, & ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad Ecclesiam, vbi adhuc vespertina celebrabantur officia, prætendebat. Porrò mendici, qui pro foribus domus adstabant, videntes, quod fiebat, & diuinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque iam Ecclesiæ appropinquaret, egrediens quidam de familia domus captiuitatis suæ, germanus illius, à quo custodiebatur, vidensque eum ad Ecclesiam properantem, Tardè, inquit, Gerarde venisti. Expauescente illo, festina, ait, adhuc superest quod audias. Oculi quippe eius tenebantur, nec prorsus quid ageretur, intelligebat. Demum ad altiores gradus Ecclesiæ, cùm adhuc compeditum data manu Gerardum subleuasset, introeunte illo Ecclesiam, tunc primum quid ageretur, agnouit, & conatus eum retinere, non* k vbi suprà.

potuit. Hoc modo Gerardus à captiuitate amoris sæculi huius, & captiuitate filiorum sæculi liberatus, votu, quod vouerat, fideliter exoluit. Hactenus Guillermus, qui etiam addit, *hinc potissimum apparere, à quanta perfectione sanctæ conuersationis gratiam iste Dei famulus* (scilicet Bernardus) *inceperit, qui in eius Spiritu, qui fecit, quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit, quasi iam factum.*

10. Potuisset addere, & à quantis mirabilibus collegium illud fratrum Cisterciensi familiæ adscribi cœperit, & vincula Gerardi reuerenter cum Petri Apostoli vinculis conferre, quippe vtrique in carcere dormienti cœlestis vox intonuit, vtrique vincula ferrea deciderunt, vtrique carceris ostia vltrò aperta, & miraculosè reserata esse leguntur. Nec fortè minus miraculum fuit, clamusa semper mendicorum ora obstruere, atque ipsos ante acceptam stipem in fugam dare, quam refulsisse lumen in habitaculo, & saluari ab homine Inimico, quam ab Angelo ad id misso à Deo, eoque congruo ministro salutis hominum. Debuissent vtique vincula Gerardi anniuersaria celebritate familiæ Cisterciensi esse festiua, si non ingens Sanctorum multitudo ipsi etiam Gerardo celebritatem omnino denegasset. Crediderim, & ad Bernardi gloriam pertinuisse, quantumuis fulgens obscurare lumen suorum fratrum, quippe stellarum, merito cedentium orienti soli. Quid si & Patres etiam obscurauit? Certè Roberti, Albericique, & Stephani nomina celebriora, notioraque; si non Bernardi gloria quasi oppressa, micantes aliàs radios contraxissent. Nec verò extinguere omnino potuit Gerardi flammas, cuius conuersio, quo tardior, eo virilior, & quo miraculis gloriosior, illustriorque, eo virtutum feracior comprobata, ipsius etiam Bernardi elogia meruit, quæ suo loco commodiùs adducemus.

1. Iuuenis sancti feruentior prædicatio. 2. Hugonis Matisconensis prima conuersio. 3. Inde subuersio, & miraculosa reuocatio. 4. Renouata primitiua Ecclesiæ sæcula. 5. Ratio temporis probata. 6. & confirmata. 7. Initium Monasterij Sabigniaci. 8. Vita sancti Vitalis fundatoris. 9. Mors, moresque quæ omnia Deus Cistercio præparabat.

CAPVT II.

1. GErardo tandem à vinculis erepto, atque Cistercio cum fratribus segregato, sanctum eorum, atque auunculi propositum felici Deus auspicio confirmauit, quod Guillermus, [a] Alanusque describunt. *Cùm autem die quadam Bernardus, cum cæteris secum in eodem spiritu congregatis, quandam intrasset Ecclesiam, Apostolicum illud capitulum legebatur: Fidelis est Dominus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet, vsque in diem Christi Iesu, quod deuotus iuuenis haud secus accepit, quàm si de cœlo sonuisset.* Tum verò tali responso confirmatus, neque propria tantùm, atque domestica, vt ita dicam, contentus præda. *Cœpit* (ait Guillermus Abbas) *ex hoc prædicationi insistere, & quoscumque poterat aggregare. Cœpit nouum induere hominem, & cum quibus de litteris sæculi, seu de sæculo ipso agere solebat, de seriis, & conuersione tractare, ostendens gaudia mundi fugitiua, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis, seu in malis perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei, & verbo virtutis eius, & oratione, & instantia serui eius, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant, & consentiebant.* Hactenus ille de efficaci Bernardi verbo. Quod tamen non secretò, non priuatim, vt priùs cœperat (quod clarum iuuenem minus decebat) sed in compitis vrbis, plateisque nouus Ecclesiastes disseminabat, quippe Christum Iesum semel indutus, seipsum dudum cum sæculo exuerat. Hinc Philotei carmen de eo loquens,

a lib. 1. cap. 3.

[b] *Conspicuum forma iuuenem, decus omne suorum,*
Non puduit medio spargere verba foro.

b in vet. S. Bern. quæ habentur inter eius opera.

Prosequitur Guillermus paulo inferiùs. *Iamque eo publicè, & priuatim prædicante, matres filios abscondebant, vxores detinebant maritos, amici amicos auertebant, quia voci eius Spiritus sanctus tantam dabat vocem virtutis, vt vix aliquis aliquem teneret affectus.* Hæc Guillermus de noua turba verbi, de nouo Paulo tonante, atque tonitruo suæ prædicationis inferis simul, ac mundo præualente.

2. Cæterùm Bernardum è pluribus, quos genuit per Euangelium, nullus perinde ac Hugo delectauit ætate iam, prudentiaque maturus, & cui morum, studiorumque similitudo eiusdé Sancti amicitiam conciliauerat, & resilienti post præstitum consensum, iterum reuocari, atque iterum à Bernardo gigni pro gratia fuit: vt non immeritò bis filius, bis parenti, genitis semel tantùm præferretur. Huius igitur vocationes, responsaque, quia Altisiodorensi pòst Ecclesiæ præfuit, Altisiodorensis Episcopi immediati illius successoris verbis, hîc referre opportunum iudicauimus. [c] *Inter alios* (inquit Alanus Insulensis) *adiunctus est ei etiam Dominus Hugo Matisconensis, qui postea raptus à Pontigniacensi Monasterio, quod ipse ibidem Abbas ædificauit, Altisiodorensi Ecclesiæ præfuit merito, & honore Pontificis. Hic audiens de conuersione socij, & amici charissimi Bernardi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Vbi autem data est vtrique primò facultas mutui colloquij, post dissimiles lachrymas, & gemitus dissimilium dolorum verba verbis cœperunt conferri, & res rebus comparari. Cùmque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam iam faciem habere cœperant verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dextris in sodalitium nouæ vitæ, longè dignius, vtriusque facti sunt cor vnum, & anima vna in Christo, quàm in sæculo antea fuissent.* Ita Alanus de prima conuersione, quo faciliori, fortè minus firma, adeoque per secundam confirmanda, impetante in ea Bernardo nubibus cœli, quo virtus Dei in eo clariùs micans, Hugonis mentem altiùs penetraret, cordi, & animo firmiùs adhæreret. Eadem idem Alanus memoriæ prodidit, sic scribens:

c inter opera antiqua D. Bern.

Post paucos dies nunciatur Bernardo subuersum ab aliis eumdem Hugonem à proposito resilire. Qui, opportunitate inuenta, quòd magnus quidam Episcoporum conuentus illis in partibus haberetur, festinat, vt reuocet pereuntem, iterumque parturiat. Porrò obseruantes prædicti sodales, & subuersores Hugonis, viso Bernardo, prædam ambiunt suam, & omnem ei colloquendi adimunt facultatem, omnem aditum 3.

inter

intercludebant. At ille, cùm ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum. quo orante cum lachrymis, subita, & vehemens inundatio pluuiæ mox erupit. Consederant autem in campo, quòd aer serenus esset, & nihil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens: Mecum, ait, sustinebis huius pluuiæ guttas. Cumque soli remansissent, Dominus eis reddidit continuò & aeris, & animi serenitatem. Ibi renouatum est fœdus, & propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari. Hactenus Alanus. Quibus videas, vel in ipso suæ conuersionis initio, Bernardi potestatem penè immensam, cœlum nimirum nubibus claudentis, & rursus aperientis portas eius pro suo libito, obediente nimirum Domino, etiam ante prolatam vocem, menti hominis, vt Bernardi non solùm linguâ, sed cor etiam clauis cœli iam tunc comprobaretur.

4\. Videas præterea renouata primitiuæ Ecclesiæ felicia tempora, & primas illas Christi vocationes, non consanguineis parcentes, non extraneis, renouata miracula, & prodigia, queis homines trahebantur ad Euangelium. Et vt Gerardum à vinculis eductum, Apostolorum Principem, sic reliquos vocatos à Bernardo collegium Apostolicum, forte iam tunc in numero æquantes, in vita, & moribus, qua poterant, reddentes. Id, vt melius, exactiusque consequi possent, Castellioni, vbi studiorum occasione maior iuuenum seges sperabatur, domum sibi communem elegerunt. Nec clam, aut in occulto tractare negotium, sed palàm, publicéque omnia peragere, quo plures se hac ratione illis adiungerent: forte &, vt adhuc in sæculo manentes, religionis statum præuenirent, cui parabantur. Porrò hanc domum iuxta primitiuæ Ecclesiæ exemplar, nec minori, quàm sex mensium spatio ab eis inhabitatam, tradit Guillermus Ab-
d lib.1.c.3. bas, ita scribens. [d] *Crescente siquidem numero eorum, qui in hanc conuersionis vnanimitatem consenserant, sicut de primitiuis Ecclesiæ filiis legitur, multitudinis eorum erat cor vnum, & anima vna in Domino, & habitabant vnanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se coniungere eis; erat enim eis Castellioni domus vna propria, & communis omnium, vbi conueniebant, & cohabitabant, & colloquebantur, quam ingredi vix aliquis audebat, qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat, videns, & audiens, quæ ibi gerebantur, & dice-*
e 1.Cor.c.14. *bantur; sicut de Christianis Corinthiis Apostolus [e] dicit omnibus quodammodo prophetantibus, conuincebatur ab omnibus, diiudicabatur ab omnibus; & adorans Dominum, & confitens, quòd verè Deus esset in eis, aut ipse vnanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat.* Hæc Guillermus. quæ satis aptè quadrant his, quæ ex Ioachimo in concordia suprà retulimus.

5\. Ex his autem, si præcedentia etiam adiungas, rationem temporum, cui præcipuè adstricti sumus, non difficili calculatione coniicias. Nam quòd Bernardi ingressus in Ecclesiam, dum pergeret ad fratres in Granceium, adeoque & Cisterciensis instituti firmum propositum contigerit sub initium intrantis anni, Gerardi vincula conuincunt manifestè, quæ sacrum Quadragesimæ tempus contingentia, priores duos, aut tres ad summum menses vocationibus fratrum, atque auunculi, ipsius etiam Gerardi præterequirunt, maximè interueniente vaticinio vulneris infligendi, sanandique, atque vtriusque experta probatione. Quòd verò hæc omnia contigerint hoc anno, neque ad sequentem, quo Bernardus Cistercium ingressus est, referri possint, duplex mihi conuincit argomentum. Primum, quòd processus rerum id exposcit: nam post Gerardi miraculosam libertatem, quæ contigit in ipsa Quadragesima, duplex Hugonis conuersio sequuta est, eaque diuisa media pœnitentia, quæ in viro aliàs constanti, prudentique, non breue spatium temporis requirunt. Cui si sex alios menses adiûgamus, quibus Castellioni, post ipsum iam reuersum, habitasse leguntur in domo vna; integrum annum taliter conficient, vt nullus ingressui religionis supersit locus, sed is necessariò sit in principium alterius referendus.

Atque hoc est, quo secundo loco moueor, vt hæc omnia hoc anno facta credam; quia constat Bernardum Monachum induisse cum suis sociis, ante Maium sequutis anni mensem, nempe millesimi centesimi decimi tertij, quo beatus Stephanus tot filiorum aduentu dilatatus, nec dubius de eorum perseuerantia, vtpote promissorum sibi à Deo, cuius sine pœnitentia noscebat dona, propagationi diu desideratæ imponens manum, duodecim ex veteranis Monachis misit sub venerabili Abbate Bertrando Firmitatem, primam Cistercij filiam, fundaturos, vt suo loco pleniùs referemus. Cùm ergo Firmitas non antea fundata sit, quàm Bernardus Cistercium ingressus, vt constabit, atque eius fundatio facta fuerit decima octaua die mensis Maij, anni millesimi centesimi decimi tertij, consequitur Bernardum non in fine, sed in principio eiusdem anni aduenisse Cistercium, adeoque & omnia quæ huc vsque à nobis dicta sunt, hoc quem narramus anno millesimo centesimo duodecimo, nequaquam verò sequenti, contigisse. Nec mireris annum integrum elapsum viro Dei à concepto proposito, priusquam exequutioni illud mandaret. Sat citò, si sat bene. Bernardus, quia optimè, citissimè respondit, etiam post annum. Sed plures congreget in domo illa communi, dum nos ad Stephanum Patrem reuertentes, quid interim Cistercij factum sit, ex magnu Exordiu, & aliis explanamus. 6.

Hoc ipso anno, quo Bernardus socios incrementis Cistercij congregabat, insignis domus, atque ex ea Sabigniacensis congregatio initium sumpsit ad Cisterciensium normam, tandem etiam Cistercio congreganda, nec paucioribus aucta Monasteriis, quàm Bernardus personis, nempe triginta, quod suo loco fusiùs referemus. Nunc primordia, & infantiam nascentis domus, quæ in hunc annum incidisse constat, ex Guillermo Neubricensi penè authore eo æuo proferamus. *In transmarinis partibus, sicut à maioribus accepimus, memorabiles viri vno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbuscula, Bernardus, & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi, & spiritu feruentes circuibant per castella, & vicos, seminantesque secundùm Esaiam super omnes aquas, de conuersione multorum fructus vberes colligebant, pio inter se placito, quòd Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora conuersarum sollicitudinem gereret, Bernardus verò, & Vitalis propensius maribus prouiderent. Robertus itaque famosissimum illud Cœnobium fœminarum de Fonte Ebrandi construxit, & regularibus disciplinis informauit. Bernardus verò apud Tyrocineum, & Vitalis apud Sabigniacum Monachos regulariter instituit, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit.* Hactenus Neubricēsis, quibus constat per omnia, quæ ex monumentis antiquis 7.

Sabigniacensibus Hugo Menardus nuper concinnauit.

8. Cæterùm quod ad Vitalem attinet, hæc ab eodem authore scripta inuenio fuisse genere humilem, Comitis Moritolij in territorio Sagiensi Capellanum, & ibidem in Ecclesia beati Ebrulfi Canonicum. Mox spreto sæculo eremum incoluisse, & circa fines Cænomanorum cum beatis illis viris Roberto, atque Bernardo communicasse; vnde inter ipsos facta partitione in territorio Sabigniaco (sic ipse loquitur) ædificasse Monasterium Monachis congregatis, quibus leges ad similitudinem Cisterciensium (sic iam præparabantur) præscriptas dedit. *Et certè* (ait Hugo Menardus [f] eodem loco) *Ordericus Vitalis scribit eum sectatum fuisse nouorum instituta; ita enim appellabant eo tempore Cistercienses. Porrò Cœnobium Sabigniacense conditum fuit anno M. CXII. in diœcesi Abricensi Redulfo Varone Fulgeriarum suas facultates beato Vitali conferente, vt habetur in veteribus monumentis Abbatiæ Sabigniacensis.* Hactenus ex antiquis Hugo Menardus, mutato licèt ordine, quem nos consultò inuersum continuauimus.

f lib. 9. hist. eccles.

9. De Vitali in eodem authore ista inuenio. *Fuit acris vitiorum insectator, suis concionibus multos ad contemptum mundi adduxit.* Septem annis præfuit Sabigniaco. Fuit adeò obseruantiarum Regularium rigidus custos, vt inter ipsas animam efflauerit, in æternum Christo in cœlis conregnaturam, atque in eius obitum. *Tandem emisso septennio in morbum incidit, neque idcirco aliquid remisit de vitæ rigore, imo in ipso morbo cùm nocturna synaxi de sancta Maria operam daret, Lectori poscenti benedictionem dedit; & cùm responsum esset, Amen, expirauit, vt docet Ordericus Vitalis libro quinto historiæ ecclesiasticæ.* Hæc de beati viri vita, & obitu, occasione Cœnobij, quod cum aliis, & ad Cistercij normam erexit, & Cistercio subdenda præparauit. Reliqua omnia in tempore dicemus, si Deus dederit.

---

1. Cisterciensium Monachorum tristitia, timorque. 2. Præceptum Stephani morienti fratri impositum. 3. Eiusdem apparitio, & responsum de statu, & profectu Ordinis. 4. Reuerentia in beatum Patrem Stephanum. 5. Secunda visio de augmento nouæ familiæ, 6. eaque à Pontifice approbata. 7. Fons Ennon quis, & cur Cistercij symbolum. 8. Bernardus item, & socij ventura nosse per visum promerentur.

CAPVT III.

1. CRescebat in dies Cœnobij desolatio, decedentibus Monachis prioribus, nec loco illorum aliis succedentibus, queis possent sedes vacuæ reparari. Nec iam de propagatione, vt olim, sermo; sola conseruatione contentis, & vix sperantibus. Imò ob hoc ipsum anxiis, dubiisque, probaretur ne Deo vitæ forma, quam nolebat in terris perdurare? Adeò, ne vineæ, quæ veras vuas faceret, & non potiùs labruscas vanitatis, prouidus Dominus operarios denegaret? Adeóne plantationem vix dum consitam, si non agrestem, infructuosamque, Paterfamilias pateretur eradicari? Deceptos se, etsi zelo forsan bono, nam hoc sperabant, sed non secundùm scientiam, vt timebant, laboribus labores cumulare; atque vtinam non etiam in die iræ thesaurizarent sibi iram supremi Iudicis. Nam quid, si vita illa insolita, quo singularior, eò periculosior, sibi in perniciem fiat, aliis in scandalum? Quid si nimio rigore defecti viribus, dum asperiora debitis sequuntur, vel immaturam mortem sibi parent, quam iam in fratribus suis experiebantur, vel inutiles se reddant ad ipsa debita? Quid si iustè carpantur ab aliis Monachis, probatis vtique antiquo vsu Ecclesiæ, adeóque non damnaturis, quæcumque bona? His, & similibus anxiè cruciabantur, cùm Pater Stephanus spiritu Dei plenus, ac deiectioni animorum suorum condolens, vix iam erigendorum mediis communibus, ad miracula censuit recurrendum. Neque id præsumens de sua sanctitate, sed de misericordia Dei planè confidens, & de diuina illa promissione, & socio, & Patri, & prædecessori suo quondam facta, quam firmiter sperabat adimplendam.

2. Igitur in extremis agenti cuidam fratri, ac præstolanti mercedem sui laboris, non minus charitate, quàm fide feruidus, omnibus coram iniunxit in hæc verba. [a] *Vides charissime, in quanto tædio & defectione mentis versamur, quia arctam, & angustam viam, quam in regula beatissimus Pater Benedictus proposuit, vtcumque ingressi sumus: sed vtrùm hæc nostra conuersatio Deo placeat, non satis constat nobis, præsertim cùm ab omnibus vicinis Monachis, tanquam nouarum rerum adinuentores, & scandali, schismatisque incentores diiudicemur. Super omnia verò mœroris acerbissimi iaculo transfigit cor meum paucitas nostra; quoniam singuli morte interueniente quotidie tollimur è medio: & sicut valde pertimesco, nobiscum pariter hæc nouiter cœpta religio finem accipiet. Quoniam personas industrias, & ad humilitatem sanctæ paupertatis idoneas, vsque ad præsens Dominus associare nobiscum nequaquam dignatus est, per quas huius nostræ institutionis formulam ad posteros transmittere valeamus. Quapropter in nomine Domini nostri Iesu Christi, pro cuius amore arctam, & angustam viam, quam in Euangelio sequacibus suis proposuit, ingressi sumus, & in virtute obedientiæ tibi præcipio, quatenus post obitum tuum, tempore, & modo, quo eiusdem Domini nostri gratia decreuerit, ad nos redeas, & de statu nostro, quantum ipsius misericordia voluerit, nos certos facias.* Hæc Pater Stephanus, cunctis admirantibus ardentem in viro fidem: nec dubitantibus adimplendum fore mandatum, quod non nisi Deo afflante esset impositum. Ad quem infirmus serena subridens facie, atque cœlestis gloriæ beatitudinem, quam iam præstolabatur, præueniens vultu. *Faciam*, inquit, *libenter domine Pater, quod præcipis, si tamen precibus tuis adiutus, mandatum tuum licuerit adimplere.* Dixit, & vel in eo etiam obediens, spiritum non tam deposuit, quàm emisit, ad Patris sui præceptum rediturum.

a Exor. mag. lib. 1. cap. 18.

3. Corpus viri sepulturæ mandatum est, & funeralia officia persoluta, cùm ecce fratres inter spem, & metum positi, deuoti exitum ni præstolabantur. Et iam iam (quæ conditio hominũ est) defunctum fratrem videbantur sibi videre, dum cogitabant, iã quasi illusi, seipsos corrigebãt, & minus redituũ sperabant, qui non redierat. Nec deerãt, qui sancto Patri in culpã verterent, præsumpsisse in mortuos, atque imperiũ trans vitã extendisse. Non tamen diu nutantes dereliquit, qui serui sui honorẽ,

qui

qui suorum constantiam, qui incrementum nouellæ plantationis, qui denique fulcimentum suæ Ecclesiæ fortiter, æquè ac sapienter parabat per hæc media. *Pauci post hæc fluxerant dies, & venerabilis Abbas cum conuentu fratrum in labore positus, sicut moris est, pausandi dederat signum* (verba sunt hæc Exordij Cistereiensis) *ipse quoque paululum remotus ab aliis, orationi insistens, caputio coopertus caput, sedebat. Et ecce frater ille defunctus magna claritatis gloria perfusus, coram ipso astitit, ita tamen vt magis in aëra leuari, quam in terra consistere videretur. Requisitus, quomodo se haberet? vel qualiter sibi esset? respondit: Bene, optime Pater; bene mihi est, bene sit & tibi; quia per doctrinam, & sollicitudinem tuam illius interminabilis gaudij, illius incomprehensibilis pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum, particeps esse merui. Pro qua adipiscenda duras noui Ordinis nostri labores patienter, & humiliter sustinui. Et nunc iuxta tuum præceptum redij, gratiam, & misericordiam Domini nostri Iesu Christi tibi Patri, & fratribus tuis annuncians. Quia verò præceperas de statu vestro vos certificare debere, & omni scrupulo dubietatis excluso, certum teneatis, quòd sancta, & Deo placens est vita, & conuersatio vestra. Porrò mœror, qui de non relinquenda posteritate præcordia tua nimium depascitur, quantocius a te repelletur, & in iubilum, & exultationem euadet.* [b] *Quoniam adhuc dicent* b Esai. 49. 4. Reg. 9. *filij sterilitatis tuæ in auribus tuis: angustus est nobis locus, fac spatium, vt habitare possimus. Ecce enim iam ex hoc tempore magnificauit Dominus facere vobiscum, mittens vobis personas multas, inter quas erunt nobiles, & litterati viri plurimi, qui ita domum istam replebunt, vt hinc tamquam examina apum æstuantia, & redundantia, euolantes, plurimas mundi partes penetrent, & de semine Domini, quod in hoc loco per gratiam coaluit, multiplices sanctarum animarum manipulos, ex vniuersis mundi partibus collectos, cœlestibus granariis inferant. His auditis Abbas sanctus gaudio, & exultatione repletus, diuinæ pietati gratias ex intimis medullis cordis retulit, felici experimento probans, quàm veraciter scriptura testatur,* [c] *quoniam* c Psalm. 9. *non derelinquit Dominus sperantes in se.* Hactenus Exordium.

4. Porrò qui Stephani fidem, zelumque ipsa obedientia fratris commendauit, sanctitatis etiam excellentiam ostendit, dum beatum Spiritum abire non permisit, nisi priùs ab ipso benedictum: quod idem auctor Exordij, ita prosequitur. *Parabat interim nuncius cœlestis abire, sed sine benedictione Patris spiritualis (quod mirum dictu est) minimè præsumpsit. Dixit itaque Abbati: Tempus est Domine Pater, vt reuertar ad eum, qui me misit, & propterea peto, quatenus benedictione tua firmatum me dimittas. Cui stupens, & pauens Abbas respondit: Quid est, quæso, quod loqueris, tu de corruptione ad incorruptionem, de vanitate ad veritatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam transiisti, & à me, qui sub his omnibus adhuc miserabiliter gemo, benedictionem petis? Hoc contra omnem iuris, & rationis integritatem esse videtur. Ego potius a te debeo benedici, & propterea obsecro te, vt benedicas mihi. Cui ille: Non ita conuenit Pater, tibi enim a Domino collata est benedicendi potestas, vtpote in apice dignitatis, & spiritualis magisterij constituto. Mihi verò discipulo tuo, qui per salutarem doctrinam tuam huius mundi inquinamenta deuitaui, benedictionem accipere optabile est: neque enim prorsus hinc recedam, nisi benedictionem tuam meruero. Abbas verò stupore, & admiratione repletus, neque ausus vltrà pertinaciter reniti, eleuata manu, benedixit ei: sicque illa sancta anima disparens, speciem visibilem, quam assumpserat, secretis inuisibilibus restituit.* Hæc ibi. Quibus, & humilitatem videas sanctorum Spirituum, & hominum miseris dignitatem, vel ipsis etiam beatis reuerendam.

Cœleste hoc, admirandumque oraculum, non minus admiranda visio sequuta est, alio item fratre in extremis constituto; nam id vtrobique obseruatum, neque immeritò, siue certiora prænuncia futurorum, quo proximiora cœlestibus arcanis, seu (quod maluerim) dissipante Domino [d] muros, expansi funus, certiùs indicarent, quæ noua mœnia forent construenda. Visionem idem auctor narrat in hæc verba. [e] *Altera vice, cuidam ex fratribus viam vniuersæ carnis ingressuro, apparuit in visione innumera multitudo hominum prope Oratorium eiusdem Ecclesiæ, iuxta fontem quemdam lucidissimum, lauans vestimenta sua; & in ipsa visione dictum est ei, quia fons ille, fons Ennon vocaretur. quod cùm indicasset Abbati, protinus intellexit vir magnificus per hoc diuinam consolationem significari.* Hæ prophetiæ, hæ visiones, hæ figuræ præcessere Bernardum, sociosque, quo tantum incrementum nouæ familiæ altiùs à Deo per visum commendaretur. 5. d Threnor. 2. e ubi suprà.

6. Cæterùm in hac vltima visione, duo nobis occurrunt obseruanda: alterum est ad probatam à Pootifice, dum Cistereiensem familiam fontem vocat, eamque congruè figuratam affirmant sub hoc typo, quod Clemens IV. expressit in hæc verba. [f] *Paruus fons, qui creuit in flumium, & in lucem, solemque conuersus, in aquas plurimas redundauit, Cisterciensis est Ordo prælucidus, quia sui ortus initio .... sub fontis metaphora non indignè describitur, cui diuersarum proprietatum conformitate non immeritò comparatur. Hic est enim fons hortorum irriguus, cæteras rigans religiones, & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturiscens. hic est fons amœnus varietate virtutum,* & cætera, quæ ibi latè prosequitur. Igitur Clemens Cistercium sic describens, visionem approbare videtur, ad quam adludit. f priuil. 41.

7. Quòd autem fons Cistercium præfigurans, non quiuis alius, sed fons Ennon dicatur, censeo ad baptismum Ioannis referendum. Nam Ioannem baptizare in Ennon solitum Euangelium restatur. [g] *Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.* Porrò id nomen, non fluuij, sed fontis, iuxta Iordanem, habemus ex Doctore Ecclesiæ magno. [h] *Ennon* (ait Hieronymus) *vbi baptizabat Ioannes, sicut in Euangelio scriptum est: & ostenditur nunc vsque locus, octauo lapide Scythopoleos, inter Salim, & Iordanem.* Ergo figura Cistercij fons Ennoo, pœnitentiæ baptismum sub Ioanne offerens cunctis, tum designando rigori noui Ordinis, asperam præcursoris in deserto, si seriò cooferatur, reddentis vitam: tum, vt concordans primitiuum Cistereium primæ Ecclesiæ, ipsius item figuræ designaretur, baptismo Ioannis existente Cistercij typo, quod Christi prius baptismum, adeóque Ecclesiam ipsam præfiguraucrat. Quòd si aliis fortassis habenda fides, quibus Ennon, non fontis, sed biuij nomen, crediderim Cistercium in fonte biuij, id est, duplicis viæ præostensum, ad designanda vtriusque vitæ opera, contemplatiuæ nimirum, & actiuæ, quæ vtraque Cistercio familiaria. Sed de his alij; nos ad historiæ seriem reuertamur. g Ioan. 3. h in locis Hebra.

8. Nec verò soli Stephanus, & filij his meruerunt consolari, velut oraculis; concessum idem Bernardo, sociisque, ac si qui eorum erant defecturi in visione diuinitus ostensum. Hanc non Bernardo, vt falsò aliqui [i] putant, sed cuidam ex sociis factam, atque à Guillermo Abbate descriptam, accipiat lector. [k] *Cùm autem iam suspecta inciperet esse multitudo, ne quemquam de numero eorum subriperet is, qui tentat, placuit Deo super hoc reuelare, quid futurum esset. Adspiciebat enim quidam eorum in visu noctis, & videbat quasi eos omnes consedisse in domo vna, & per ordinem singulos, quasi communicare de cibo quodam miri candoris, & saporis. Quem cæteris omnibus optimè suscipientibus, & cum gaudio magno sumentibus, duos ex omni numero illo notabat, à cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat, alter sumere quidem videbatur, sed tanquam minus cautè sumeret, spargebat.* Ita Guillermus. Qualiter autem visio impleta sit, atque cæteris aliis persistentibus, vnus illorum proposito ingrediendi, alter verò statui renunciauerit, etiam post ingressum, sequenti anno, quo euenisse compertum est, Deo dante, commodiùs expediemus. Hæc vaticinia, hæc oracula, hæ visiones ortum Bernardi in Cistertio præcesserunt. Haud aliter ortum Solis in cœlo, lucis crepuscula; ortum auroræ præcedere consueuit stella Veneris.

[i] Brit. lib. 1. c. 27.

[k] lib. 1. c. 3.

IESV CHRISTI ANN. 1113. CISTERCII ANN. 16.

1. Excreuere conuersi vsque ad triginta. 2. quorum coniugibus (nam vxorati multi) Monasterium erectum, voti consimilis participibus futuris. 3. Atque hoc primum Monialium Cisterciensium; quod Humbelina pòst nobilitauit. 5. Bernardus Tescelinum Patrem adit. 6. Huius, Humbelinaque in discessu dolor. 7. Nibardi verba. 8. Atque impleta ex parte visio capitis præcedentis.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus decimus tertius, Cistercij decimus sextus, quo Bernardus Cistercium tandem ingressus, sterilitatis ab eo opprobrium abstulit, suscepta illico filia primogenita, cui nomen Firmitas, prouidè impositum, nouæ religionis firmandæ auspicium fuit. Id ab auctoribus acceptum illius temporis, vtrumque breuiter, & fideliter reddamus.

Bernardum iam Cistercio destinatum cum suis fratribus, verboque, & opere potentem mouere alios, Castellioni reliquimus, in idem opus socios congregantem ex consanguineis, ex amicis, ex extraneis. Et iam in omnibus triginta numerabat, qui sacræ Christi militiæ, nouo licèt sub Duce, nomen dederant: quos inter, an Robertus etiam fuerit, ille nimirum, qui Cluniaco à parentibus oblatus, dum adhuc infans, mox se puerum offerens Cistercio, atque primò repulsus, deinde admissus, & vtrique familiæ dissentiendi, & Theologis disputandi occasio fuit, lite necdum dirempta nostra ætate, diffinite non ausim. Coniector semel repulsum, quia nimis tenersum, mox procedente ætate admissum, vtrumque Cistercij, quod infrà patebit, aut cum Bernardo nunc primum aduenisse, aut statim post ipsum. Aliàs vix locus erit intra biennium, quo sanctus Pater Cistercij moratus est, assignandæ repulsæ, & admissioni. Quin si serior, & Bernardo iam Abbate, superuenisset, nunquam Cistercium intrasset, sed Claramvallem, quò vel Nouitium constat fuisse transmissum. Sed hæc inferiùs dicenda declarabunt. Certè Ganfridum ex triginta fuisse constat, Bernardo Patri sanguine coniunctum, & quo plurimum postea erat vsurus. Sed & Ganfridum alium dictum de Amaio, quem moltis Abbatiis fundandis Deus in Gallia, Anglia, & Belgio præparabat; de quibus multa in sequentibus dicemus.

2. Tum verò præcauens eorum periculo, si tanto tempore in sæculo manerent segregandi à sæculo, & sui Deo in eremo consecrandi, præuidens etiam Cistercium, Cœnobium humile, nequaquam posse præ locorum angustia plures capere, & vix fortasse suffecturum ipsorum numero: maturata iter, parare ingressum, indicere diem, & si quibus disponendum erat, disponere. Et primò quidem, cùm ex eisdem sociis, præter Guidonem fratrem, natu maximum, non pauci alij matrimonio tenerentur, consentientibus vxoribus mutuæ separationi, diuino, & ipsis seruitio mancipandis; hoc ipsum prouidus exequi curauit ante discessum, ne quid non deberetur ipsius curæ, neve à vitis in sæculo relictæ, aut ingressuros iustè detinerent, aut iam ingressos Cistercium inquietarent. Æquè vtrumque timendum, cauendumque, atque æquè etiam à Bernardo vtrumque cautum, raptim ædificato Monasterio, quo omnes simul Deo consecrarentur, non quòd deessent Burgundiæ Cœnobia virginum, fortè etiam & confinio loci, seu sanguinis affinio commodiora, singulis singula, vt possent, ingressuris. Sed quia viris colligendis in vnum locum, placuit vxores minimè dispergi, nec in eadem prouincia congregari, quo maiori locorum intercapedine, interdictus aditus; corporali vnione penitus dissoluta, spirituali tantum locum faceret. Quid si, vt coniugium in eis perseuerarer, vtrisque ex tunc non minus subiectis eidem iugo? Quid si in eo Monasterio Bernardus voluit, fœminis etiam tractabilem probare Cistercij vitam?

Ego apud Surium Guillermi verba innenio, quæ hoc ipsum nec leuiter insinuant, simul & rem incognitam aliàs (oscitantia, vt credo, scriptorum, in aliis omissa clausula) pandunt; atque ecce verba. 7.
[a] *Quia verò ex prædictis sociis eius* (Bernardi scilicet) *vxorati aliqui fuerant, & vxores quoque cum viris idem votum sanctæ conuersationis inierant, per ipsius sollicitudinem ædificatum est eis cœnobium Sanctimonialium fœminarum, quod Villetum (alias Iulleium) dicitur, in Lingonensi parochia, quod, Domino cooperante, magnificè satis exercuit vsque hodie religionis opinione celeberrimum, & personis, ac possessionibus dilatatum,* sed

[a] Sur. lib. 1. vita S. Bern. c. 4.

sed & propagatum iam per loca alia, & non cessans adhuc ampliorem facere fructum. Hæc ibi. ex quibus planè licet coniectari, Cistetciensem rigorem in eo Monasterio ex tunc inductum, tum quia vxores eiusdem sacræ conuersationis voto perhibentur adstrictæ, cui seruando Cœnobium id surrexit: tum maximè, quia si alterius stetisset antiqui Ordinis, nequaquam ipsi, sed Ordini per ipsum, propagatio à Guillenno tribueretur. Crediderim ergo Cistercicnse institutum virorum olim, tunc primum fœminis incepisse esse commune, non multo pòst vtrimque dilatandum, vt hac speciali prærogatiua, etiam præ Monachis possent gloriari, Bernardum se habuisse verè parentem, verè institutorem, & cuius nos tanquam adscriptitij tantùm, & veluti adoptiui filij sumus, ipsæ filiæ existant naturales, nulla in hoc genere adoptione interueniente, nulla metaphora. Sed & post Cistercium fundatum, si hoc sequamur, priores illæ, atque adeò primogenitæ. Vtrùm autem Stephanus Pater plantandæ religioni illuc accesserit, & tunc illis leges imposuerit; an Malismo subiectas in primis annis; post Claramuallem natam, adultamque, Bernardus tandem Cistercio incorporauerit, inferiùs, Deo daute, examioabimus.

4 Hinc videas, falsò propagari ad fœminas Cisterciensis rigoris gloriam sanctæ Humbelinæ à pluribus adscribi, sine auctore, sine coniectura, sine ratione. Solùm ne alienam ab Ordine fateantur, qui nullam antea inuenerunt memoriam extensi Ordinis. Sed inducta ad Villetum obseruantia (Villeium, Iulleiumque oscitantia scriptorum irrepsit alibi) idque ante conuersionem sanctæ fœminæ, discipulam, quam magistram ostendit clariùs. Nisi forsan incorporationis auctrix, aut coadiutrix, quod vt forte non habeat, vnde probetur, sic nec vnde à nobis redarguatur. Porrò Villetum, idem quod Iulleium, ipsum exemplar Surianum manifestat, dum de eiusdem Humbelinæ conuersione loquens, paulo inferiùs, hæc habet verba. [b] *Illa vero* (ait) *optata libertate potita, Monasterium Villeium, cuius suprà meminimus, adiens, reliquum vitæ suæ Deo vouit.* Non me latet ab aliquibus opponi Cardinalem Iacobum de Vitriaco, subæqualem authorem, & prorsus grauem, quasi contrarium scripserit, dum loquens de Monialibus Cistercij, hæc habet verba. [c] *A principio autem Ordinis* (scilicet Cisterciensis) *fœminarum sexus fragilior, ad tantæ districtionis seueritatem, & perfectionis cacumen aspirare non audebat. Nam & viris fortioribus, nisi eos Dominus confortaret, tantum pondus, valde graue, & penè intolerabile videbatur.* Verùm hæc ad Cistercium referenda, ante quindecim annos mundo exortum, & vix à paucis viris vsurpatum, nedum à fœminis? Aliàs non longè ab ingressu Bernardi, sociorumque, Cisterciensia Cœnobia Sanctimonialium floruisse per Galliam, ex inferiùs dicendis [d] palam fiet. Neque dissentiunt Bernardi plures epistolæ, ad Moniales scriptæ, [e] quæ manifestè Cistercium præseferunt. Sed de his satis. Nunc ad institutum reuertamur.

b ubi sup.

c In hist. occid.

d An. 1112. cap. 2.

e Epist. 113.

5. Cunctorum, qui coniugio adstricti erant, vxoribus fortè, & filiabus, Villetum ingressis, ibidem perpetuò Deo seruituris, Bernardus reliquis, quæ cuique opus, iniungens. assumptis fratribus, Fontanas properauit, Patris benedictione muniendus in nouam vitam: an Patrem, fratremque, Nibardum puerum, imò & sororem præ aliis sibi dilectam, benedictionibus ipse præuenturus. Certè eos omnes tunc domi relinquendos, sed quasi ex tunc à Bernardo compellatos ad religionem, virtus diuina post tempus Cistercio intulit. Primum Nibardum, mox etiam senem patrem, demum sororem, singula suis locis reddemus, si Deus dederit.

Potuisset Tescelinus tanto tempore orbitati imminenti præparari, atque obdurato animo perferre, quæ tanto antè imminere sibi prænouerat. Sed quinque liberos vna die amittere, ac domum modò plenam ipsorum titulis, repentè vacuam videre etiam personis, conceptas omnes spes prorsus abiicere, & vix posteritatem sperare, seruando nomini, ex puero Nibardo planè dubiam, ex Humbelina, si detur, minus aptam, quippe ex fœmina, eoque necessariò concessura memoriæ viri. Hæc, inquam, & similia, quæ occurrebant, quamuis præuentam, obfirmatamque, deiicere potuerunt constantiam senis. Obriguere artus, spiritusque, & faucibus, atque oculis hærentes vox, & lachrymæ, ferè exanimem Tescelinum iudicabant. Valentior tamen, an affectuosior Humbelina, vt solent fœminæ, Bernardum fratrem fertur alloquuta, & se ipsi præ aliis confidentem, nunc ipso agente ab omnibus destitui, orphanam matre, obstrictam patri seni, & solo comitatam fratre puero, lachrymabunda, & gemens quærebatur. Selectos omnes, aptosque negotiis, ex vniuersa familia eremum pergere, & tres inhabiles sæculo relinqui, duos ætate aut nimia, aut immatura, alteram sexu. Sequuturam Germanos, si daretur, atque animum virilem induturam, sed non minus ab ipsis sperandam, deberi saltim patri, fratrique, vtriusque matrem efficiendam, dum adhuc virgo. 6.

Hæc Humbelina, & fortè teneriora. Nibardus puer robustior supra ætatem, cùm totam terram possessionis omnium sibi relinqui, à Guidone fratre audiret. Vobis ergo (inquit) cœlum, & mihi terram? Non ex æquo diuisio hæc facta est, per me, si possim, celeriùs rescindenda. Dixit, & vt Guillermus adnotauit [e]. *Abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit, sed modico pòst euoluto tempore, fratres sequutus, neque à patre, neque à propinquis, aut amicis potuit retineri.* Ita de puero Nibardo Guillermus Abbas: de parente, & sorore infrà dicemus. 7.

e lib. 3.

Porrò Bernardus, & fratres, sociique conuenientes prædictis loco, & tempore, inuenerunt defuisse vnum ex ipsis, illum nimirum, qui cæteris sumentibus, cibum non sumere fuerat prænisus, vt prophetia in hac parte comprobata, in reliquis implenda probaretur, & vel ipsa vnius retrocessio dudum præcognita, animos cæterorum confirmaret. Nisi quòd tamen alius adhuc deerat, qui sumpto cibo foret abusurus. Igitur de periculo præmoniti, atque ideo cautiores cuncti redditi, fortè & Apostolos etiam imitantes, dum singuli de se sciscitabantur, [f] Nunquid ego sum Domine? abiere Cistercium, & patris Stephani pedibus prouoluti, recipi se in consortium postularunt Sanctorum, qui in eo conuentu inhabitabant. Sed hunc aduentum, quem non immeritò dicere possimus initium Ordinis, vt-pore à quo propagatio eius incepit, atque ex vno Cœnobio, eoque exiguo, transiit in plura, in vnum Ordinis corpus coalentia, lectori nostro, qua liceat subleuando, singulari capitulo explicemus. 8.

f Matth. 26.

1. Bernardus, sociisque Cistercium pergunt. 2. Antiqua carmina de eorum susceptione. 3. Repulsus Robertus, cæteri sub sæculari habitu admissi. 4. Communis omnium lætitia de nouis sociis. 5. Continua aduenientum multitudo. 6. Tum Stephano, desiderio nouæ propagationis; 7. Consulti fratres. 8. atque vtrimque res discussa. 9. Tandem placuit ex veteranis emitti nouum germen, & Stephanum deputari quærendo loco.

CAPVT II.

1. PRodiit è Castellione tyronum agmen, quo potentiùs, violentiùs, & cœlum ipsum rapturum, Bernardo duce. Nec longa via pergentibus Cistercium, maximè velut ad conflictum properantibus. Ergo primum, vt beatus Pater Stephanus, tot nobiles, tot doctos, tot potentes subdere colla videt iugo dominico, & vitam hactenus iudicatam supra mortales, certatim à mortalibus ambiri, animosioribus, quo delicatioribus, neque vxoratos, solutos, Clericos, milites vinculis vllis sæculi teneri, certam iam tunc promissionem Dei expertus, primò gratias deuotus patri luminum, mox sociis fiduciam, demum hospitibus labores nouæ vitæ, & in laboribus gloriam intimauit. Nec tamen omnes admissi, sine delecto Robertus iuuenis repulsus, quia nimium tener, si reuertatur maturior, recipiendus. Sed de his statim; interim adnoto, hinc fortè factum fuisse, vt quidam triginta tantùm viros, alij Bernardum cum triginta venisse tradant, nempe Roberto inter eos enumerato, quem dilata probatio, non ablata, vtrique parti reliquit, velut in dubio. Sed de Roberto, vt dixi, statim multa: de reliquis Exordium hæc habet verba. [a] *Ergo istis temporibus visitauit Dominus locum illum. Nam tot Clericos litteratos, & nobiles laicos, etiam in sæculo potentes, & æquè nobiles, vno tempore ad illam Dei gratia transmisit Ecclesiam, vt triginta insimul in cellam Nouitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia, & incitamenta malignorum spirituum, fortiterque decertantes cursum suum consummarent.*

[a] *par. 1. c. 18.*

2. Eadem, sed paulo altiùs repetito principio pangit carmen antiquum, quod hodie etiam Cistercij dicitur permanere, ipsius columnis Ecclesiæ appensa tabula.

Anno milleno nonageno simul vno,
Fontanum castrum Bernardo contulit ortum.
Postea duntaxat septem labentibus annis,
Hoc in cœnobio cœpit Cistercius Ordo.
Qui dum quindenos tandem creuisset in annos,
Intus suscepit vix sanctus religiosam
Sub Stephano vestem, socios triginta trahendo.

Hæc de aduentu Bernardi antiqua carmina; quod attinet ad vestem religiosam, ex statim dicendis corrigenda: quibus similia, & paulo prolixiora videre qui volet, inter opera inueniet ipsius Sancti.

3. Cæterùm Stephanus diuinitus præmonitus, Oraculis, superiùs iam relatis, & de exhibitione præsentium firmiorem spem concipiens futurorum, vno Roberto repulso, quia paruulo, sed admittendo, si perseueraret, vt notabamus; cæteros omnes alacris admisit, non quidem statim religionis habitu donandos, quod ante annum probationis expletum tunc non in vsu, sed probandos in veste sæculari, anno tandem transacto, deponenda. Vtrumque colligo ex epistola Bernardi ad eumdem Robertum, inter omnes eiusdem Sancti prima, si non tempore, dignitate miraculi patrati, dum scriberetur; anno, quo contigit, à nobis referendi. Primum ex his verbis. *De sæculo, te teste, Roberte venisti Cistercium. Quæsisti, petiisti, pulsasti; sed tui adhuc teneritudine, te licèt inuito, dilatus es per biennium.* Secundum verò ex subiunctis paulo inferiùs. *Post hæc per annum iuxta regulam in omni patientia probatus, perseueranter, & sine querela conuersatus, post annum sponte professus, tunc primum sæculari veste reiecta, religionis habitum suscepisti.*

Igitur Roberto tunc excluso, Bernardum, socios que admisit Stephanus, sermone priùs habito in Capitulo, quem ex Arnoldo Monacho, tunc præsenti, [b] Brito Lusitanus inseruit suo Chronico. Porrò lætitiam de nouis filiis, ac de dilatatione sui Ordinis, [c] Alanus Altisiodorensis ita prosequitur, verbis, vt solet, mutuatis ex Guillermo. *Eo tempore nouellus, & pusillus grex Cisterciensis sub Abbate degens viro venerabili Stephano, cùm iam grauiter tædio ei esse inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret, venerantibus cunctis in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem, repentè diuina hac visitatione, tam læta, tam insperata, tam subita, lætificatus est, vt in die illa responsum hoc ab Spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur.* [d] *Lætare sterilis, quæ non pariebas, exulta, & lauda, quæ non parturiebas; quia multi filij desertæ magis, quam eius, quæ habet virum; de quibus postmodum visura est filios filiorum, vsque in multas generationes.* 4.

[b] *lib. 1. c. 18.*
[c] *inter opera antiq. D. Ber.*
[d] *ad Galat. 4.*

Hæc Alanus, & quidem meritò. Nam Bernardi, sociorumque exemplo plures ex tunc Cistercium aduenisse, neque vnquam Nouitiorum cellam vacuam, quantumuis Monachis transmissis ad fundationes, domus ipsa quotidie euacuaretur, Patres nostri memoriæ mandauerunt. [e] *Quorum exemplo* (intellige Bernardi, sociorumque) *senes, & iuuenes, diuersæque ætatis homines in diuersis mundi partibus animati, videntes scilicet in istis possibile fore, quod antea impossibile formidabant, illuc concurrere, superba colla iugo Christi suaui subdere, dura, & aspera regulæ præcepta ardenter amare, Ecclesiamque illam mirabiliter lætificare, & indeficienter corroborare cœperunt.* Hæc ibi. 5.

[e] *Exord. par. c. 18.*

Interim Stephanus propagandi Ordinis flagrans, seu etiam importunitate loci pressus, angustiisque, iam non capientis venientium multitudinem, Cœnobium aliud construere cogitabat. Lætus, vt olim Cistercio habitatores, sic tunc Cistercium habitatoribus deesse, atque eorum augmento decreuisse, in noua germina statim dilatandum. Igitur ad conuentum res perducta, quæ erat consuetudo sancti viri, nihil omnino inconsultis filiis aggredi, cœpit vtrimque modestè ventilare. Errant, qui subditorum obedientiam, quia cæcam audiunt, ad consilia extendunt, atque vilissimum adulationis genus, perennem annuentiam resignationis palliare conantur honesto nomine. Sancti illi viri, vt obedire parati etiam contra sententiam, sic propriam singuli quæsiti proferebant. 6.

Annus ergo probationis expectandus non paucis videbatur, ac voto priùs adstringendi, qui recèns venerant. Nam quid si experti ab incepto resilirent? Atque ipsorum abscessu, reuocandi mox forent, qui mitterentur? Turpius postea reduci, 7.

quàm

quàm non amitti: & Cistercium sterile iam annis quatuordecim, quintumdecimum etiam expectaturum, sine vlla prorsus nota, sine periculo. Semel concepta prole, si euanesceret, contemptui, irrisuique omnibus fore. Et vt non prorsus euelleretur, si quid plantarent, at matrem minus prouidè relinqui solis tyronibus, sub sæculari adhuc habitu degentibus, necdum instructis Monasterij disciplinis. Sed neque se facile diuidendos ab Stephano, quem solum Patrem, quem magistrum vnicum, post Robertum, Albericum essent experti.

8. E contra alij diuinæ virtutis opera nequaquam humano iudicio mensuranda, cœlestia oracula immota, firmaque, vt illuc vsque impleta noscebantur, sic & deinceps sine dubio fore implenda. Bernardum, & socios cœlitus promissos, missosque, perseuerantes in Ordine futuros, nec post peractum in sæculo annum probationis, tyrones iam reputandos, sed veteranos, habitum non facere Monachum, ad mentem, eamque illis firmiorem multis antiquis, & ex prioribus non paucos superesse, queis cura nouæ domus commendetur. Stephanum Patrem vbique talem fore, atque ex Cistercio satis prouisurum vtrique domui.

Hæc sententia, quo fide in Deum plenior, eo Stephano gratior, tandem præualuit, decretumque, vt locus quæreretur aptus, nouo extruendo Monasterio, quod memoriæ mandatum ab antiquis, hodie etiam permanere fertur in hæc verba. [f] *Tantus erat numerus fratrum apud Cistercium, quod neque substantia, quam habebant, ei sufficere, nec locus, in quo manebant, eos conuenienter capere posset. Placeat itaque fratribus, vt locum alium quærerent, in quo pars ipsorum ab aliis corpore, non animo separata, Deo deuotè, & regulariter deseruiret.* Hoc decreto firmato cunctorum votis, Stephanus inquirendo loco accingitur, inuenturus, si posset, intra Prouinciam, quo minori terrarum interuallo, maiori inter se glutino vnirentur. 9.

f ex Tabulario Firmit.

1. Quæsitus locus ab Episcopo, & Comitibus. 2. Officina erecta. 3. Vocati fratres, & Bertrandus præfectus nouæ familiæ. 4. Tum Stephano ducente, 9. Cœnobium adeunt, 6. cui nomen Firmitas, non sine mysterio. 7. Vtensilia asportata ex Cistercio, atque insignia assignata, cognata nomine. 8. Præscripti termini. 9. Anathema indictum contra irruptores. 10. Probati fundatores per coniecturam.

Capvt III.

1. Qværebat opportunum locum nouo Cœnobio Cisterciensis Archimandrita. Cùm ecce ad aures venerabilis Gualteri Cabilonensis Episcopi, fama diuolgante perlatum, negotium ad se censuit pertinere, vt qui Cistercium olim inter præcipuos, Cistercij etiam tunc filiam promoueret, vtramque in diœcesi, hoc est, in sinu suo, alteram natam, alteram nascituram. Ipse ergo primus, vt credere par est, quo Stephanum, & fratres intimiùs nouerat, & sanctitatem instituti altiùs penetrarat, hortari reliquos, Ecclesiasticos, sæculares ad opus pium instanter permouere: mox persuasos Canonicos Ecclesiæ, atque Principes populi, Comites scilicet Gaudericum, Guillermumque, ad eremum ducere, lustrare terram, penetrare siluas, circuire deserta, in via quæque, & abscondita rimari. Neque destitit, donec idoneo supra Grosnam inuento loco, partem siluæ donatam à Comitibus futuro Monasterio, mancipauit. Id quia pietatem concernit illius temporis, ab antiquis non minus propalatum, ipsorum verbis hîc duxi referendum. [a] *Quem locum* (inquiunt) *dum præfatus Abbas* (Stephanus scilicet) *solicitè ac studiosè perquireret, ad notitiam Domini Gualteri Cabilonensis Episcopi, & Canonicorum eiusdem ciuitatis, necnon ad aures duorum Comitum, Gauderici videlicet, & Guillermi, aliorumque illustrium virorum, ista peruenit discussio. Qui vehementer inde gaudentes, & terram suam vndequaque perlustrantes, Deo volente tandem locum idoneum prædictis Monachis, ad Deo seruiendum, & regulariter viuendum, inuenerunt. Quibus inibi collocandis, duo supradicti Comites partem siluæ, quam incolæ loci illius* Bragne, *appellant, læto animo præbuerunt.* Hæc ibi. Sic religiosos cœtus olim clerus, sic populus inferre terminis suis, omni cura, omni studio satagebant. Nunc religionum gliscente multitudine, an sæcularium frigescente pietate, pro beneficio est non repugnare, & satis gratantes suscipiuntur, qui non arcentur.

a vbi suprà.

Inuento loco, nec dubium quin & approbato priùs per beatum Stephanum, Ecclesiolæ vtcumque ædificatæ, siue ab olim ibidem præexistenti, officinæ adiunctæ, illico in Monasterium surrexerunt. Exiguum sanè, & quale paucis diebus extrui potuit, quippe ab initio anni ad mensem Maij, quantumuis ingressum Bernardi anticipemus, quatuor ad summum menses intercedunt, nullius etiam reformatæ domus, vel fundamentis hodie suffecturi. Sed Patres illi quo incommodiùs, eo iucundiùs, & cœlestis patriæ habitaculis inhiantes, præsentis vitæ hospitia contemnebant. Monasterium ad Grosnam fluuium situm, auctor Gallus affirmat Claudius Robertus. *Firmitas* (ait) *diœcesis Cabilonensis, prima Cistercij filia, ad Grosnam fluuium.* 2.

Tunc Pater Stephanus accersitus est, conuentum illuc, cùm velet, transmissurus. Ipse verò in gratiarum actionem profusus totus, ac manum Dei præsentem veneratus, primum Abbatem præponit, præcipuum zelo, doctrinaque, & prudentia non ignobilem, venerabilem senem Bertrandum; dubium an ex Molismo illuc appulsum, an in Cistercio è sæculo conuersum. Mox Priorem designat, Petrum nomine, iam tunc ab ipso præuisum insignem virum, successurumque Bertrando post breue tempus, nec in Ordine quidem consummandum, clarum hominibus, Angelis clariorem, vt suis etiam dicemus loco, & tempore. Inde vndecim Monachis selectis ex omni numero, demum vtensilia omnia illis accommodat, simul Ecclesiæ, & conuentui profutura. Non decuit filios vacuos discessisse de matris gremio, missi præcipuè propagando ipsius nomini. 3.

His sic dispositis, & cunctis lachrymantibus, præ gaudio magis desiderij obtenti, quàm præ discessu, venerabilis Pater agmen ducens, Cistercio tandem egressus est, decima sexta die mensis Maij, sequenti luce in locum peruenturus. Vigilia ea inclyti Martyris Dioscori, neque id, vt credo, 4.

sine

ſine diuino numine, quo dômus illius euerſio poſt multos annos, in fidei, religioniſque contemptum, hæreticorum perfidia ſuccendendæ, & Monachorum martyria proximo noſtro ſæculo futura, iam tunc in ipſo dedicationis die prænunciarentur. Sed id ſuo tempore latiùs referendum: in præſenti ſufficiat tetigiſſe. Præſtolabantur aduentum ſancti viri duo Epiſcopi, Lingonenſis nimirum, & Diœceſanus. Duo item Comites Gaudericus, & Guillermus, illuſtres fundatores eiuſdem domus: atque ij omnes multo populo, & Clero comitati, venientes Monachos deuotè ſuſceperunt.


5. Sequenti luce, decima octaua nimirum eiuſdem menſis, Eccleſia illa dedicata eſt in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ, iuxta ſtatuta Patris Alberici, non minus Stephani tempore obſeruanda: Monachi item introducti in Monaſterium eiſdem Prælatis, Principibuſque, aliis agentibus, aliis aſſiſtentibus; quod memoriæ etiam mandatum ab antiquis, ne ſuam fidem hiſtoriæ detrahamus, placuit ipſorum verbis hîc ſubiĳcere.[c] *In Dei nomine, Amen. Præpoſteritati notatum ſit, quòd decimo octauo menſis Maij, anno Domini milleſimo centeſimo decimotertio, Monaſterium Firmitatis ſupra Groſnam (vt aiunt) ſitum, prima filia Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Cabilonenſi, ab illuſtriſſimis Comitibus, Gauderico videlicet, & Guillelmo fundatum eſt. Cuius quidem Eccleſia beatiſſimæ Mariæ Virginis per reuerendiſſimum Gualterum Epiſcopum Cabilonenſem, præſentibus Ioſceranno Lingonenſi Epiſcopo, dictis venerabiliſſimis Comitibus, aliiſque viris quamplurimis conſpicuis pietate, conſecrata fuit. Quò, decimoſexto Maij, vigilia dedicationis eiuſdem, venerabilis Pater Stephanus Abbas tertius Ciſtercienſis ſeſe conferens, fratrem Bertrandum cum aliis duodecim Religioſis, propaganda religionis cauſa ſecum adduxit.* Sic antiquæ memoriæ illius Cœnobij. Hac igitur ſolemnitate, hoc Principum, Prælatorumque concurſu ſurrexit Firmitas, prima Ciſtercij filia.

c in Tabular. Firm.

6. Cæterùm quod ad nomen illius attinet, & quo conſilio hoc illi inditum ſit, ex verbis Exordij magni accipiat lector.[d] *Fundata eſt Firmitas, primogenita filia domus Ciſtercij, & pulchra ſignificationis ſuæ titulo firmitatem, & ſtabilitatem Ordinis præſignauit.* Conſonat aliud inſtrumentum eiuſdem domus. *Maturè quoque rebus digeſtis* (loquitur de beato Patre Stephano) *primitias frugum ſpiritualium, fratrem Bertrandum, cum duodecim Religioſis pro conuentu emiſit, ad Firmitatis Monaſterium conſtruendum. Et meritò quidem à fortitudinis virtute duxit inchoandum, veluti ſine qua tantum per orbem plantari non poterat ædificium.* Hæc de ratione nominis.

d lib. 1. c. 35.

7. De neceſſariis verò à Ciſtercio tranſmiſſis, ſeu tranſportatis, quod huc vſque in antiquis non reperimus, proſequitur idem ipſum inſtrumentum. *Nec dubitandum quin priùs ſollicitudine paterna eis, non dico pretio, ſed virtutum odore locum ipſum cum ædificiis acquiſierit, atque etiam ex Ciſtercij patrimonio, reliquias, calices, ornamenta, veſtimenta, libros ad officium diuinum, ad menſam, & ad lectionem Clauſtri neceſſarios, cæteraque ad religionis ſtatum, iuxta morem per ipſum in ſuo Ordine inſtitutum requiſita miniſtrauerit.* Inſignia, vt puto, ex nomine deſumpta, ſeu magis nomen ipſum exprimentia, atque indicantia tenendam quibuſque Monachis. Parmam ab imo ad ſummum diuidit baculus: & dextræ medietati tertis impoſita, vacuam præbet ſiniſtram, quaſi replendam ſingulorum firmitudine. Haud aliter antiquis Parma in vſu, alba dum ſine titulis, iuxta illud Poëtæ,



——— *parmaque inglorius alba,*

ſed ſtatim acceptura geſta, quæ quis patraret.

8. Sequenti die, ſi non eiuſdem veſperæ locus ipſe à Comitibus donatus nouo Cœnobio, ab eiſdem extenſus, actuſque, fixis, terminorum vice, deuotis crucibus, non minori concurſu eſt deſignatus. Et quod mireris, cunctorum non ſolùm aſſenſu, ſed petitione, latum anathema à venerabili Gualtero, loci Epiſcopo, in quemcumque irrogantem moleſtiam fratribus, aut locum ipſum inuadere volentem. Cuius rei inſtrumentum inuenio, cunctorum adhuc quæ geſta sũt, annum, diem, circunſtantiaſque deſignans: quod ita habet.[e] *Quam partem* (nimirum loci donati nouo Cœnobio) *ne inde vlteriùs ab aliquo calumniam prænominati fratres paterentur præſente domino Gualtero Cabilonenſi Epiſcopo, & domino Ciſtercienſi Abbate, & Guidone de Berduno, & aliis pluribus, ſicut opportunum fuit, deſignauerunt, fixis crucibus. In qua etiam deſignatione, ſicut duo Epiſcopi definierunt, dominus Gualterus Cabilonenſis, & dominus Iozeranus Lingonenſis, in dedicatione ipſius loci, vnanimi eorum conſenſu, qui ad ipſam dedicationem venerant, ſtatuerunt, quòd ſi quis dictorum fratrum poſſeſſionem, quam eodem tempore, in eodem loco, a prædictis Comitibus Gauderico, & Guillelmo ſuſceperunt, vllo modo infringeret, excommunicationi in perpetuum ſubiaceret: niſi Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & fratribus ipſius Cœnobij ſatisfaceret. Sed & prædicti Comites reliquam partem ſiluæ Brogne, quæ extra priorem poſſeſſionem erat, fratribus ad omnia neceſſaria ſua explenda, ad vſus domorum, ad paſtum ſuorum pecorum, & ad fœnum colligendum gratanter conceſſerunt. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo decimotertio, indictione ſexta, concurrens ſecunda, Epacta prima. Tuncque Cœnobium de Firmitate ſumpſit exordium, & baſilica eiuſdem loci eſt dedicata, eratque dies Dominicus, videlicet quinto decimo Kalendas Iunij, & in ſabbato eiuſdem Dominici diei Monachi de Ciſtercio venientes ad eundem locum applicuerunt.* Hactenus inſtrumentum.

e in Tabul. Firm.

9. Porrò terminis, crucibuſve terræ mandatis, atque eiuſdem inſtrumenti chartæ inſertis, anathema ſubiungitur, cuius placuit exemplar hîc apponere, non contemnendum monumentum antiquitatis. *Ego Gualterus, diuino nutu Cabilonenſis Epiſcopus, quod in hac charta continetur acquiſitum ad ſuſtentamentum fratrum de Firmitate, adteſtor, & ratum facio, & firmum decerno, nulli prorſus deinceps concutiendum eſſe permitto, & eos omnes, qui contra illud venire tentauerunt, omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum Dei, & noſtra auctoritate, à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ excommunico, & donec inde dignè ſatisfaciant, à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti alieni fiant. Eis autem, qui ſupradictis Eccleſiæ Firmitatis fratribus pacem tenuerint, atque ſeruauerint, ſit pax, & miſericordia à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto, & ab omnibus Sanctis, & nunc, & in perpetuum, Amen, fiat.* His firmitatibus Firmitas ſurrexit, & ſi prole fortaſſe inferior aliis, ordine tamen primogenituræ cunctis filiabus Ciſtercij præferenda.

10. Comitum fundatorum titulos antiquorum memoriæ minus exprimunt: crediderim tamen Cabilonenſes fuiſſe, quòd eorum ſepulchra hodieque in eadem Eccleſia perſeuerent, licèt extra ſacellum

lum maius, quæ erat modestia, & religio illius seculi. Porrò familiam Cabilonensium Comitum, post antiquissimam, regiamque Burgundiæ Ducum, [f] Guillelmus Paradinus primam nominat cunctis illius status præferendam.

f de antiq. stat. Burg. vel. Illustres Burgundionfam. fol. mihi 87.

1. Stephanus Cistercio restitutus, 2. & Nouitius retrocedens iuxta visionem. 3. Bernardi spiritus feruens in probatione. 4. Negligentia in recitandis pro matre Psalmis. 5. atque in colloquio quorundam sæcularium; correcta vtraque: 6. & qualiter in externis se exercuerit.

CAPVT IV.

1. AT Pater Stephanus, post cuncta iam disposita, ac Bertrandum, & Petrum, sociosque salutaribus monitis, simul & necessariis vtriusque vitæ subsidiis cumulatos, benedictione paterna etiam munitos, tandem deseruit, suis & loco, & filiis restituendus. Cistercium ergo reuersus cùm primùm potuit, mœrentes de discessu ipsius filios, maxime autem Bernardum, sociosque suæ præsentiæ solatio, sui magisterij præceptis confortauit.

2. Defecerit ante sancti Patris reditum, an pòst, adhuc in dubio: illud certum resilientem ex eis vnum, reliquos omnes in proposito firmasse. Illum nimirum, qui cibum quidem sumere, sed minus cautè sumptum totum spargere, in viso noctis Castellioni olim præuisus, solus è numero Cistercium ingressorum non perseueraturus noscebatur. Semel, & iterum, nec de vno tantùm, sed de duobus comprobata visio, ostendit prophetiam, eoque de aliis etiam comprobandam. Nec omittendum,

a lib. 1. c. 8. quod Guillermus Abbas scribit de illo misero. [a] *Vidi ego* (inquit) *cum in sæculo postea vagum, & profugum a facie Domini, sicut Cain, quantum aduertere potui, hominem humillimum, & miserabilis confusionis, sed nimiæ pusillanimitatis. Qui tamen in vltimis Claræuallem rediit, infirmitate corporis, & inopia cogente, cum homo bene natus ab omnibus cognatis, & amicis suis proiiceretur. Ibique proprietati renuncians, sed non omnino propriæ voluntati, obiit non quidem intus, sicut frater, & domesticus, sed foris misericordiam postulans, sicut pauper, & mendicus.* Hæc Guillermus, quæ ideo hîc subiungenda esse putaui, quia à multis obseruatum video, ab illo die, vsque in præsens tempus, vix vnum aliquem Cisterciensem ingressum Ordinem, rediisse ad sæculum, qui non in sæculo miserandus, abiectusque, suæ in hac vita apostasiæ pœnas luat. Multa exempla in Cæsario, [a] multa in

a Dom. infra ellan. Natu. aliis, nec pauca à nobis inferiùs adducentur. Sed ad Bernardum Patrem reuertamur.

3. Cuius spiritum in anno probationis idem Ab-

b lib. 1. cap. 4. bas Guillermus ita describit. [b] *Conuersationis autem eius insignia, quomodo vitam Angelicam degens, in terris vixerit, neminem enarrare posse puto, qui non viuat spiritu, quo ille vixit, solius quippe donantis, & accipientis est nosse, quantum ab ipso mox conuersionis exordio præuenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ, quanta repleuit gratia electionis, & quomodo ab vbertate domus suæ inebriauerit eum.* Et infra. *Ipse verò nil tale de se æstimans, aut cogitans, potiùs ad custodiam sui cordis, & propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat Bernarde, Bernarde, ad quid venisti?* Porrò hoc ipsum clariùs, distinctiusque prosequitur idem auctor paulo inferiùs. *Ipse cum Nouitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solùm concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed & sensus ipsos, per quos fiunt. Cum enim iam interiori sensu illuminati amoris dulcius, ac frequentiùs sentire inciperet, desursum spirantem sibi suauitatem, sensui illi interiori timens, à sensibus corporis, vix tamen eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conuersationis societatem. Quod cum continui vsus instantia in consuetudinem transiret, consuetudo ei ipsa quodammodo versa est in naturam. Totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa, intentione, seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat: nihil sapiebat gustanti, & vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Iam quippe annum integrum exegerat in cella Nouitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere, cellaturam. Multo frequentauerat, intrans, & exiens domum Ecclesiæ, cum in eius capite, vbi tres erant, vnam tantùm fenestram esse arbitraretur.* Ita Guillermus de Bernardo adhuc Nouitio, verè eum Paulo

c ad Gal. c. 6. dicere valente: [c] *mihi mundus crucifixus est, & ego*

d Galat. c. 2. *mundo.* & item: [d] *Viuo ego, iam non ego.* Solus quippe viuebat, adeoque, & solus sentiebat in eo Christus.

4. Interim tamen ne sibi quidquam fideret, aut acceptam à solo Deo gratiam alteri redderet, hac spiritualium donorum affluentia præuentum iuuenem virtus diuina magis monuit, quàm deseruit, duplici siue imperfectioni permissum, siue defectui. De altero à beato Patre Stephano, eoque de cœlo diuinitus admonito, de altero corrigendum ab ipso Deo, & de vtroque non sine prouentu, illico etiam in melius surrecturum. Priorem ab auctoribus omissum ipsius vi-

e lib. . c. 29. tæ, Exordium magnum narrat in hæc verba. [e] *Puer Domini Bernardus Claræuallensis Ecclesiæ postmodum primus futurus Abbas, cum adhuc apud Cistercium Nouitius esset, solitus erat diebus singulis pro anima matris suæ septem pœnitentiales Psalmos in silentio dicere. Omisit eos per obliuionem, & nescio, an per somnolentiam, antequam perfecisset. Veniensque ad stratum suum, quiete soporifera membra refecit, & solitam refectionem parenti non impendit. Abbas verò, cognita per spiritum negligentia, die postera conuenit eum, dicens: Frater Bernarde, vbinam, quæso, Psalmos tuos externa die dimisisti? aut cui eos commendasti? Quod audiens adolescens, vt erat timoratus, erubuit, & cœpit intra se mirando cogitare, & dicere: Domine Deus, quomodo palàm factum est verbum istud, de quo solum mihi conscius eram? Et intelligens à viro spirituali esse deprehensum, procidit ad pedes eius, negligentiam confitens, atque indulgentiam petens. Qua facile impetrata, curauit deinceps in huiusmodi tam priuatis, quam publicis obseruationibus solicitiùr inueniri, & quæ consulta ratione proposuisset, non facilè transgredi.* Hactenus Exordium: in quo quid magis mitor, prorsus ignoro; magistri sancti cœlestem prouidentiam, in discipulis occultiora quæque rimantem; an discipuli vitam adeò sanctam, vt solum imperfectioni datum sit, quod consueuerit antea esse perfectior.

5. Nec maior culpa, quam Deus corripuit, ex Anonymo Gallo referenda. Propinquis sæcularibus ad priuatum colloquium admissis à sancto viro, de licentia, & mandato sui Abbatis, attendisse quæsitis, responsisque manus diuina seuerior castigauit,

subtractis

ſubtractis interim interioribus conſolationibus, ac dulcedine gratiæ ſpiritualis. quæ non prius reddita ſibi expertus eſt, quàm corde, & corpore prouolutus ante altare per quinque & viginti dies orans,& deprecans, miſericordiam & veniam impetrauit. [f] Extunc, ſi fortè ad aliquos exibat,non aliter attendebat eorum verbis, quàm ſi non ſibi, ſed aliis dicerentur. Quin obſeratus,ſtupis iniectis, aures conſueuiſſe efferre, proditum eſt, non ante eorum diſceſſum recludendas.

f apud Sil nam. l. 7. c. 1.

6\. Hæc, & ſimilia de homine interiori auctores narrant, nec inferiora Goillermus de exteriori. [g] *Communis vita, ſeu conuerſationis* (inquit) *feruentiſſimus æmulator fuit; cùm opus aliquod manuum fratres actitarent, quod ſeu minor vſus ei, ſeu imperitia denegabat, fodiendo, ſeu ligna cædendo, & propriis humeris deportando, vel quibuſlibet operibus æquè laborioſis illud redimebat. Vbi verò vires deficiebant, ad viliora quæque confugiens, laborem humilitate compenſabat.* Porrò qualiter vtrumque etiam coniunxerit, nec alternis,ſed vtrique ſimul intentus, corpore, & mente ſuffecerit vtrique,proſequitur idem auctor in hæc verba. *Sed mortificata,vt dictum eſt,ſenſualitate, cuius ſeu curioſitate,ſeu infirmitate in huiuſmodi laborum corporalium diſtractionibus, perfectorum etiam quorumcumque,mentes ſæpe neceſſe eſt,& ſi non intentione, certè memoria, & cogitatione ab interiori vnitate ſpiritus aliquam pati diſſolutionem, ipſe priuilegio maioris gratiæ in virtute ſpiritus ſimul, & totus exteriùs laborabat, & totus interiùs Deo vacabat, in altero paſcens conſcientiam,in altero deuotionem. Laboris ergo tempore, & intus orabat, ſeu meditabatur, abſque intermiſſione exterioris laboris, & exterius laborabat, abſque iactura interioris ſuauitatis.* Hactenus ille de Bernardo adhuc Nouitio. Sed & fratres ipſius,ſociique,quem æmulari nullatenus audebant, tamen in omnibus geſtiebant imitari,cooperante illis gratia Dei, atque largè rigante in cordibus eorum præiacta iuſtitiæ ſemina,vt non immeritò Stephanus doleret, probatis iam ab ipſo,& approbatis, imò, quod magis eſt, etiam à Deo; annum nihilominus integrum explendum, prius quàm per vota ſolemnia admitti poſſent, illico ad alias prouincias tranſmittendos.

g lib. 1. c. 4.

IESV CHRISTI ANN. 1114. — CISTERCII ANN. 17.

1. Recapitulatio dicendorum in hoc anno. 2. Bernardi,ſociorumque vota ſolemnia. 3. Negata Monachalis tonſura olim Nouitiis, 4. & coniectatus Ordo profeſſionis, 5. ſancti Ioannis conuerſio miraculoſa; 6. viſionum pondus; 7. vita, & miracula in bona valle mutila. 8. Bernardi feruor, 9. & diuinitus infuſa metendi ars. 10. Quid de aliis,præcipuè de Hugone.

CAPVT I.

1\. SEQVENS annus,videlicet Chriſti milleſimus centeſimus decimus quartus,Ciſtercij decimus ſeptimus, Bernardi, & ſociorum eius votis ſolemnibus,ac Pontigniaci ſecundæ Ciſtercij filiæ felicibus initiis fauſtus fuit. Nec minus felix conuerſione beati Ioannis, qui primum Bonæ valli Viennenſi, mox Valentinæ Eccleſiæ præficiendus,atque vtrobique multorum Sanctorum futurus Pater,magno vtriuſque bono, Ciſtercio illuxit, ſingula vt ex antiquis hauſerimus,more noſtro fideliter reddemus.

2\. Bernardum, & ſocios poſt annum profeſſos regulam, auctores magis ſupponunt, quàm affirmant,quod non crediderim factum ſine myſterio; quippe cùm habitus non Monachum faciat, ſed profeſſio, imò cùm neque habitum Nouitij tunc geſtarent, vt præcedenti anno iam oſtendimus: ſatis profectò mirabile apparet,quorum ingreſſus ab omnibus deſcribitur, profeſſionem à nemine referri. Delatum fortè conſtantiæ virorum Dei, quos ſemel ad aratrum admotâ manu, haud dubium foret peracturos,quod inchoauerant.

3\. Profeſſi nihilominus ſunt regulam beati Patris Benedicti, iuxta rigorem conuentus Ciſtercienſis, tuncque primùm Monachali habitu induti,tonſurarique,quod etiam vltimum placuit adnotare. Nam ſicut ſine habitu, ita & ſine tonſura probationem exigi conſueram illis temporibus, teſtem habeo Cæſarium Heiſterbacenſem,poſt centum adhuc annos ſcribentem,de Nouitio tūc ſibi coætaneo. [a] *Nouitius quidam, cùm in Hemmenrode ſatis tranquillè annum probationis peregiſſet, & voluntate ſtabilitatis expreſſa in Capitulo, radendus eſſet in Monachum; is, qui cùm raſurus erat,raſorium* (id eſt, nouaculam) *ad corrigiam acuens, in eadem hora ſic eum contriſtauit*, &c. quibus videas, ante voluntatem ſtabilitatis expreſſam neminem radi ſolitum. Quod magis mirum tēpore Cæſarij, quo Nouitij iam cappam,caputiumque,religionis inſigne,præferebant. Forte ne eo ſigno notandi retinerentur, ſi medio probationis anno egredi vellent. Primis ergo illis Ordinis temporibus, probandi in habitu, & tonſura ſæculari: pòſt tonſurâ dilatâ, conceſſus habitus, quantumuis Monachali valde diſſimilis; quod hodie etiam videmus permanere. Tandem diſcurſu temporis effectum eſt, vt ſimul habitum, tonſuramque ſuſcipiant, quod fortè à mendicantibus inceptum recens exortis,paulatim etiam ad noſtros extenſum fuit.

a lib. 4. Dialog. cap. 51.

Bernardum primum emiſiſſe vota,ſunt,qui affirmant; [b] quod mihi dubium. Tenerior ætas, & profundior humilitas vetabant, quominus aliis præferretur magiſter omnium. Aliàs neque Hugo prior miſſus fuiſſet Pontigniacum in Campania fundaturus,neque Bernardo in Abbatem præfecto Claræuallis,cæteros omnes occupaſſet admiratio, quam Guillermus Abbas deſcripſit in eius vita. [c] *Mirantibus ſanè illis,tanquam maturis,tam in religione, quàm in ſæculo viris, & timentibus ei, tum pro teneriori ætate iuuentutis, tum pro corporis infirmitate, & minori vſu exterioris occupationis.* Crediderim ætatis ſuæ ordine, ſiue nihil, ſiue parum immutato, & ante annum admiſſos,& tunc profeſſos; niſi quod fortè coniugatos Clerici,ſolutos coniugati anteceſſerunt. Atque hæc de profeſſione ab antiquis omiſſa,breuiſſimè ſufficiat prælibaſſe. 4.

b Bru. l. 1. c. 12.

c lib. 1. c. 5.

Per idem tempus inter plures, quos Bernardi exemplum traxit a ſæculo,beatus Ioannes,Lugdunēſis patria, ſtatu Clericus,occupatione ſcholaſticus, retardatam aliquandiu conuerſionem diuino 5.

monito, seu, meliùs dixerim, comminatione diuina, satis, primum, horribili, mox, dulci, & pro more Dei, misericordi, magno Cistercij incremento accelerauit. Rem, quo maiori fide digna sit, verbis Ganfredi duxi referendam eiusdem Ioannis, & discipulorum eius (nam plures habuit, eosque sanctitate, & doctrina insignes viros) non

d super Apoc. solùm coætanei, sed familiares. [d] *Cùm prima nostri Ordinis Cisterciensis iacerentur fundamenta, erat in Ecclesia Lugdunensi quidam Clericus honestus, & honorabilis, Ioannes, qui rumore celebri nostri Ordinis compunctus, tacitus secum proposuit in nostro se collegio sociandum. quod propositum post paucos dies, subeunte alia cogitatione, mutauit, & pro quadam recompensatione talis propositi, peregrinationem sancti Iacobi aggressus est. Qua deuotè completa rediens, à domesticis gratulabundè susceptus est, & fatigatus ex itinere, in cubiculum se recepit. Quiescentique mox affuit in visu Deus noster Iesus Christus, cum duobus Apostolis, beatis Petro, & Iacobo, quorum Petrus in manu librum tenebat, quem præcepit Dominus aperiri; erat autem scriptus aureis litteris, continens nomina prædestinatorum. Iussus ergo Apostolus cœpit legere, & cùm ibi legeret nomen Ioannis illius: Tolle, ait Dominus, tolle; dele eum, dele; quia meum se futurum promiserat, & resiliit à promisso. Accedens autem propius beatus Iacobus, & obsecrans, dicebat: Domine, meus est peregrinus; ne deleas, obsecro, nomen eius. Cui Dominus: Meus, inquit, non peregrinus, sed ciuis esse debuerat. Nónne maius est ciuem esse meum, quàm tuum peregrinum? Apostolus autem Iacobus persistens in supplicatione, Ne deleas, inquit, Domine piissime, ne deleas eum, obsecro, ego tibi pro eo fideiubeo: faciet, quod proposuerat; & Dominus ad eum: Quando faciet? Apostolus autem: Intra quindecim dies. Excitatus ad hæc verba Ioannes, solo prosternitur, & fideiussori suo cum vberrima lachrymarum effusione, gratias egit, dicens: Faciam prorsus, Apostole sancte, faciam, quod tam misericorditer pro me pollicitus es. Non multo post statum magnum, iterum obdormiuit. Iterumque Dominus cum duobus Apostolis prædictis affuit, iussitque iterum librum aperiri, in quo audiuit idem Ioannes beatum Petrum legentem,* [e] Murenulas aureas faciemus tibi,

e Cant. c. 1. vermiculatas argento. *Mox Ioannes surgens, & præfixum diem præueniens, adimpleuit votum. Hic fuit primus Abbas Cœnobij Bonæuallis, & post Ecclesiæ Valentinæ Antistes, cuius vita, & mors multis meritis, & miraculis claruit.* Huc vsque Ganfredus.

6. Porrò Vincentius hoc ipsum ex eo referens, vt priorem apparitionem ad præterita vota, sic posteriorem ad futuram dignitatem testatur respicere, verbis in ea ab Apostolo prolatis, tela, tisve, præsagientibus Valentinæ Ecclesiæ apicem, seu meliùs dona gratiæ, virtutesque, quibus ibidem erat consummandus. Ego in vtraque notauerim duo breuiter, vtrumque in laudem familiæ Cisterciensis. Alterum, causam eius peculiarem, quasi Ecclesiæ communem illis temporibus, non Benedicto, non Roberto Patribus, sed ipsi soli committi procurandam Ecclesiæ Principi. Alterum Monachos eius ciues Christi, ipso Christo attestante declaratos, adeoque quibus verè dice-

f Ephes. c. 2. retur illud Apostoli, [f] *Vos estis ciues Sanctorum, & domestici Dei*, &c. Vrbe Romana donatos olim, legimus, liberè vsos priuilegiis Romanorum: quid si & donatis cœlesti ciuitate, cœlestia etiam indulta, vel ex parte pro vitæ huius statu concedebantur. Hæc occasione visionum beati Ioannis, queis extortum consensum, quem retractauerat,

summè etiam voluntarium Deo restituit. Nos in vtramque Ecclesiam electionem, Bonæuallis nimirum, & Valentiæ, atque miracula illius, actaque suis temporibus, & locis adducemus.

Extant in Monasterio Bonæuallis sancti Præsulis gesta ab Anonymo, vt apparet, Valentino, eiusdem temporis homine descripta, sex & viginti capitibus comprehensa. Nisi quòd tamen non tam 7.
estat viri, quàm sancta mors, & miracula à morte patrata; quæ non vulgaria. Desideratis prioribus capitibus, quæ vitæ illius acta continebant. quorum titulos, quos solùm conseruat indes, in lectorum gratiam hic duxi subiungendos.

Caput I. quo oriundus steterit beatus Ioannes.

Cap. II. qualiter intrauerit Ordinem Cisterciensem, & de serpente, quem precibus fugauit.

Cap. III. qualiter electus est in Abbatem Bonæuallis, & de quatuor Monasteriis, quæ fundauit.

Cap. IV. de depositione Eustachij Episcopi Valentiæ, & promotione beati Ioannis.

Cap. V. quòd multa sustinuit in Episcopatu.

Cap. VI. de bursa inuenta plena pecunia apud confluentem portum.

Cap. VII. qualiter ferè submersos in Rhodano liberauerit.

Cap. VIII. quomodo beato Ioanni exeunti de castro Liberone familiares Eustachij tetenderunt insidias.

Cap. IX. qualiter misericors erat erga pauperes, & præcipuè erga verecundos.

Post hæc verò sequitur

Caput X. qualiter migrauit ad Dominum ex hoc sæculo. Cuius priores lineæ etiam deficiunt, reliqua integra, illæsaque perdurant. quæ aliunde decerpere poterimus, inseremus pro tempore. Ast nunc de gestis ante conuersionem nihil reliquum habemus, quod proferamus.

Interim Bernardus Pater, socijque, quo erant in 8.
nouo statu feruentes spiritu, instare orationibus, vigiliis, ieiuniisque corpus atterere, laudes diuinas io choro deuotè canere, & nihilominus operati manibus, tenere silentium, insistere lectioni, ac reliquis obseruantiis religionis sine intermissione exerceri, sine querela, Stephano, vt olim docente, tunc mitante, ac verè iam experiente strenuos Duces, quos paulo antè tyrones nominauerat. Et quidem de virtutibus Bernardi Guillermus multa, & quotquot scripsêre vitam beati viri, quæ nimis longum esset huc transcribere. Cæterùm quod de peritia metendi tradunt, seruo Dei per miraculum collata, quia peculiarem continet doctrinam, fortè minus probatam, saltim minus in vsu nostris temporibus, non putamus silentio prætereundum.

Redemerat eam inscitiam anno proximo aliis 9.
operibus substitutis, messionis loco; quorum, etsi non minor labor, facilior vsus, & quotidianis operibus promptiores artus, quàm non nisi post annum repetêdo. Sed à cæteris solus separati, & metentibus fratribus non metere angebat animum ardentem vitæ communis, & neque semper quid aliud faciendum suberat, neque si suberat, ei permittebatur, debili quippe, ac præ nimia abstinentia, & vigiliis, defecto viribus. Audiant, qui putant, opera hæc externa minoris apud Deum esse valoris. Audiant, qui totum negotium meoti deputant, corpore adeò à laboribus immuni, vt minus aptum contemplationi censeant, si fatigetur. Bernardus egregius futurus Ecclesiæ Doctor, imò oraculum, fidei columna, quo principe, quo duce, Schismaticorum colla subigenda, hæreticorum calcanda parabantur. Ber-

nardus Catholicis omnibus firmandis, atque ipsius Pontificis Romani stabiliendo solio concessus orbi; Bernardus Pater, qui Reges, regnaque, quæ denique vniuersum Christianum axem ad sui imperium erat commoturus; cuius verba Concilia mutuabantur, dum adhuc viueret, & cui, vt clauigero cœlestium arcanorum, vel ipsa sacra Scriptura erat subdenda; Bernardus, inquam, ad hæc omnia gradum faciens, à peritia metendi exorsus est, eamque à Deo per lachrymas obtentam, atque collatam non sine miraculo, lachrymæ simul, & miraculum commendant vtilem, etiam acquirendo in Ecclesia Doctoris apici. Id qualiter factum sit, Guillermus in eius vita ita describit. [h] *Messis tempore, fratribus ad secandum, cum feruore, & gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse, quasi impotens, & nescius laboris illius, sedere sibi, & requiescere iuberetur, admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lachrymis postulans à Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium Religiosi, continuo namque, quod petiit, impetrauit. Ex illa die in labore illo præ cæteris peritum se esse, cum quadam iucunditate gratulatur, tanto in hoc opere deuotior, quanto se in eo ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse.* Hactenus ille, de gratia metendi Bernardo data, quam in binum annum duxi referendam, quia vir Dei post emissam professionem, his tantùm frugibus Cistercij adfuit colligendis, quippe mense Iunio sequentis anni Claramvallem, vt dicemus, transferendus.

Carnere cæteri scriptore fauorum, sed non fauoribus, fortè nec miraculis, quod de Hugone præcipuè certum credo, illo nimirum, quem Bernardus vocatum semel, semelque consentientem, sed mox reuersum, pluuiæ miraculo tandem confirmauerat. Neque enim minus à Deo manifestatum Stephanus Pater cunctis prætulisset, etiam Bernardo, neque vix dum religioni addictum per vota sacra, præfecisset Abbatem, tunc primum nasciture secundæ Cistercij filiæ. Ea qualiter mundo exorta sit, quia vna ex quatuor primariis inuenitur, non solùm tempore, sed etiam dignitate, altiùs repetito principio propalemus. Si tamen lectorem priùs admoneamus, de Pontigniaci fundatione discordantes Auctores, diuisosque, quibusdam eam Heriberto cuidam Canonico, quibusdam verò adscribentibus Theobaldo Campaniæ Comiti, &, quod mireris, vtrisque cohærentibus monumentis antiquis eiusdem domus, si tempora, ædificiaque distinguas, facilè posse ad concordiam reuocari. quod nos, vt meliùs exequi possimus, præsentibus futura præter morem, sed leui manu, & parca, per anticipationem adiiciemus. Nunc iam historiam ipsam aggrediamur.

---

1. Heribertus conuentum petiturus Cistercium pergit. 2. Responsio Stephani. 3. & facilè impetratus consensus vtriusque Principis. 4. Quin, & expensa Nibernensium Comitum, quibus fabrica opus consummaretur. 5. Noui Asceterij Abbas, insignia, nomen. 6. De fundatore dissensio. 7. Conciliata. 8. ex diuersis Ecclesiis eiusdem domus. 9. Quæ nata in Pontificum matrem, & asylum.

CAPVT II.

1. Vulgauerat fama Cistercium per totam Galliam, & vt Bernardi, sociorumque exemplo ingressi plures, sic instituti extensi ad firmitatem, noua Cœnobia exigenda in propriis terminis aliquorum affectum excitabat. In bis Heribertus (non Ansius, vt falsò Yepes, [a]) Antisiodorensis Ecclesiæ Canonicus, honestus moribus, zeloque præcipuus, & felix possessione loci ad flumen Serinum, (Claudius [b] Robertus Seniam, Papyrius [c] Masosaniam, vulgò *Senaem*) quarto lapide ab vrbe Antisiodoro, quem beatus Stephanus olim Eremita meritis suis, & miraculis illustrauerat. Hic occasionem ex ipso loco nactus, quem talibus hospitibus dignum, nec inferioribus censebat fore contentum, adire Cistercium, & Patris Stephani pedibus prouolui, offerre locum, ac subsidia quæcumque posset, nouo ibidem Cœnobio construendo, deuotus simul, & largus properauit. Non soli Cabilonensi Ecclesiæ Cistercium natum, per alias etiam prouincias extendendum. Altisiodorensem, nec loco nimium dissitam, & Sanctorum feracem, aptam fore incrementis nouæ familiæ. Stephani Eremitæ beati locum ipsi præ aliis, debitum, quia Stephano, quia eremi cultori, quia verè sancto. Non contemnendam Ecclesiam, quantumuis minimam, tanti viri probatam electione, sacratam præsentia, & miraculis etiam illustratam. Monachos tantùm cum Abbate illuc transmitteret, cætera omnia per ipsum procuranda. Quin & se in Monachum etiam obtulisse testatur Yepes, [d] suppresso licèt fonte, vnde id hausit.

a anno 1114. c. 1.
b in Catal. Cœnob. Cist. lit. P.
c in descript. flum. Gal.
d cent. 7. ann. 1114. c. 1.

2. Ardebat Stephanus extensionem sui Ordinis, atque idipsum intensiùs appetebat, quod rogabatur. Sed cunctabundus, & penè nolenti similis, ne vel tantum negotium temerè aggredi, vel nimia concedendi facilitate exponere contemptui videretur, primò de loci ipsius qualitate, circunstantiisque, mox de beati viri Stephani cella suscitatos non pauca, & quæ immutanda, addendave construendo Cœnobio aduertens obiter, addidit se à Roberto Patre olim edoctum, nihil terræ Domino in huiusmodi negotiis, nihil Prouinciæ Episcopo inconsultis, tutò tractari. Vtriusque ante omnia consensum obtinendum, ac fratribus qualemcumque parandam habitationem, Sancti Oratorium ipsi satis amplum, pluribus Monachis minus suffecturum: quare eo permanente ob reuerentiam, aliud fore extruendum conuentum capiens, diuinis in eo officiis peragendis. Tum demum se libenti, & grato animo transmissurum ex fratribus aptiores, Ordini in ea Prouincia propagando.

3. Facilia omnia Heriberto visa sunt, ac peragenda intra spatium paucorum mensium. Tali ergo responso lætus, vt voti compos, atque benedictione accepta à sancto Patre, nec minus ipse Deum benedicens super his omnibus, quæ viderat Cistercij, crescente tunc ab aspectu æstimatione;

Antisio


Antisiodorum alacris reuertitur, noui Cœnobij flagrantior, quàm exierat. Res ad Humbaldum Episcopum delata, atque ad Comitem Nibernensem terræ dominum, summæ vtrique lætitiæ occasio fuit, congratulantibus sibi, quòd nouum Ordinem hominibus percelebrem, Angelis familiarem, à Cabilonensi Parochia primi educerent, atque ad Antisiodorensem transportarent, suis & vrbi, & termino illustrandis. Beati Stephani contiguum Oratorio sacellum paucis mensibus exereuit, quod penes habitatio etiam facta est, naturæ magis, quàm superbiæ seruitura.

4. Solius Heriberti impensis constructum opus, an Comes etiam aliquid contulerit, vel totum ædificium consummauerit? in dubio est. Et consummasse, vel saltim contulisse, videtur indicare Heruæus Comes, huius, de quo dubitamus, nepos, aut pronepos, in eodem sacello, quasi suorum sepulchro tumulatus, de quo Vincentius. [c] *Non multo pòst Herreus de Giemis, Comes Nibernensis, vir magna vi iura ecclesiastica conseruans, præcipuus hæreticorum persecutor, hostium superator, fidelis vasallus iustitiæ, cuius etiam magnanimitati, inuidebant Barones Franciæ, apud sanctum Anianum in Bituria castrum suum moritur, ibique in quindena Dominica apparitionis tumulatur. Porrò Abbati Pontigniacensi, cum septem Abbatibus, pluribusque Monachis, & aliis multis venientibus, vt corpus eius secum portarent, ferè ab inimicis populis lapidantur. Demum idem corpus apud Pontigniacum transfertur.* Ita Vincentius. Vt non immeritò coniectari possimus, sepulchrum illud Heruæo hæreditatium maiorum suorum munificentia contigisse. Visitur hodieque tumulus elegans pro temporis illius simplicitate, quod tamen deformatum ab hæreticis, è pluribus, hos tantùm versus retinet:

c in spec. hist. lib. 30. c. 124.

Hic lapis Heruæi Comitis celat faciei
Formam, forma Dei clarificetur ei.

5. Verùm de Heruæo fortè iterum sermo, nunc noui fœtus partum prosequamur. Cunctis dispositis, ac Patri Stephano per nuncium intimatis, ipse diuinitus, vt creditur, admonitus, Hugonem Matisconensem vix dum professum, vix dum in habitu, & tonsura Monachali, paucorum mensium spatio constitutum, eligit in Abbatem futuræ domus, ac duodecim Monachis subsumptis, partim ex veteranis, partim ex nouis, conuentum implet illuc transmittendum. Miserit ne, an duxerit, ignotum, aut saltim ab antiquis non expressum. Nimium Hugonis prudentiæ delatum est, si quem ducatum præbuerat veterano, Bertrando scilicet, censuit non exhibendum vix dum tyroni. Tum Monasterium dicatum Beatæ Virgini, ac Pontigniaci nomine insignitum. Vicino è ponte, ac nido quarumdam volucrum, quasi *pons nidi*, tractum quidam volunt; alij pontem ignitum, siue igniendum: quasi igne charitatis stabilitus, pons ibi surgeret transmeandis mundanis fluctibus. Neutra etymologia omnino certa, nec multum interest, vtra præferatur. Insignia domus priori magis fauent, dum nidum arbori, arborem ponti imponunt, parma in hunc modum sculpta, siue depicta. Atque hæc de nomine.



Rem ex memoriis domus longiùs traditam, ad breuem summam redegit Ioannes Frasquetius, Comitis licèt memoria prorsus suppressa, & quod mireris, etiam beati Stephani. [f] *Pontigniacense Cœnobium ædificatum est in allodio Heriberti Canonici Antisiodorensis Matris Ecclesiæ, eodem Heriberto rogante, sub Humbaldo venerabili Episcopo, tunc Antisiodoro præsidente. Huius Cœnobij primus Abbas extitit Dominus Hugo vir religionis eximiæ, & præcipuæ honestatis.* Hæc Frasquetius; & quidem verè, sed nimium breuiter, addo & diminutè.

f in Chron. 1113.

6. Non multo pòst, cùm crescente fratrum numero, idem sacellum angustius videretur, pietate, & munificentia Theobaldi Principis templum aliud augustius cœptum est, quod hodieque perseuerat in vsu fratrum, tribus, vt aiunt, nauibus distinctum, atque ad Orientem sustentatum octo columnis, exquisitis lapidibus, ingenti & molis, & pretij magnitudine, vt non immeritò idem Theobaldus Pontigniacensibus habeatur pro fundatore, nempe illius Basilicæ maioris, in qua ipse, & Adela filia quiescunt. Quod idem, qui suprà Vincentius memoriæ prodit. [g] *Adela,* inquit, *Regis Philippi mater Parisiis obiit, & in Burgundia sepulta est, apud Pontigniacum iuxta patrem suum Theobaldum Comitem Crescensium, atque Blesensium, qui prædictum, vt dicitur, Monasterium fundauit.* Hactenus ille. Et consonat Vincentio sepulchrum elegans antiquo opere apprimè perpolitum, licèt recenti hæreticorum impudentia turpiter deformatum, quod Adelæ Reginæ cineres continere, traditione à Patribus accepta, incolæ produnt.

g in spec. hist. lib. c...

7. Extant ergo Pontigniaci hodieque sacella duo, & templum tertium ingens, singula singulis debita extructoribus. Sacellum paruum Stephano oraturo olim constructum, mox orando sacrum, nunc Diuo Thomæ Cantuariensi inclyto Martyri, in quo, dum viueret, ab Ecclesia sua extorris, atque apud Pontigniacum Monachum agens, cœlesti oraculo meruit consolari, de quo inferiùs, & hoc præcessit Monasterij fundationem per multa tempora. Aliud rursus aliquanto maius, augustiusque, sed sacellum tamen, cui Comitis Heruæi sepulchrum inest; idque hoc anno constructum ab Heriberto, siue à Comite fortè Nibernensi, illo solicitudine, & cura, hoc impensis, & potentia iuuante opus, Monachis è Cistercio transmittendis, iuxta præceptum, promissionemque Stephani Patris. Denique templum, atque magnificum, quod Comes Theobaldus ædificauit. Reliqua suis temporibus reddemus.

8. Interim adnoto, Pontigniacum, si euentus futuros computemus, videri natum orbi, atque Ecclesiæ, Pontificibus simul dandis, fouendisque, quippe ex Abbatibus continuata serie per centum annos, cuncti promoti in Ecclesias præcipuas, & primas totius Galliæ, Hugone Guichardo, Garino, Guarmundo, Petro, Gerardo, Gualteroque translatis Antisiodorum, Lugdunum, Bituricas, Altisiodorum item, Attrebatum, Prenestre, atque Carnotum; earumdem vrbium Ecclesiis instituendis. Et rursus ex relegatis, à suis sedibus, benignè ibidem, ac deuotè suscepti sunt sancti Thomas, Stephanus, Edmundus, vt non immeritò eorum occasione, metricum illud olim exortum sit, & per orbem vulgatum celebri fama,

Est Pontigniacum, pons exulis, hortus, asylum.
Hic graditur, spatiatur in hoc, requiescit in illo.

Sed hæc alias, & longiùs pertractanda. Nunc ad historiæ seriem reuertamur.

1. Professio Abbatum olim sub Episcopis, 2. temperata ab Hugone, 3. & temperatio sancita decreto Ordinis. 4. Atque Apostolica firmata auctoritate, 5. Conradi sententia. 6. expresso etiam motiuo per Alexandrum, 7. Cistercium primum, mox alias religiones exemit ab ordinaria Episcoporum iurisdictione. 8. Bernardum huic exemptioni contrarium, sunt, qui existiment, 9. sed immeritò. 10. Hugonis Pontigniaci Abbatis commendatio.

CAPVT III.

1. SAtis, superque à nobis dictum hactenus de fundatione secundæ Cistercij filiæ, si non noui Abbatis noua professio distinctum sibi caput vendicaret. Facta ea Diœcesano, pro more temporis, quippe tunc Monasteria sub Diœcesanis, & vt Monachi Abbatibus, sic Abbates Episcopis solemni ritu obedientiam profitebantur. Vnde etiam beatus Pater Benedictus Abbatem discolum, si quis fortè subesset, [a] *Per Episcopum, ad cuius diœcesim pertinet locus, prohibendum, & deponendum fore*, sanciuit. Et in iure Canonico præcipitur. [b] *Id tantum sibi in Monasteriis vendicare Sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est, Monachos ad conuersationem sanctam premouere, Abbatem, aliaque officia instituere, atque extra regulã facta corrigere*, &c. Ergo, vt modò generalibus, quos vocant, sic tunc Episcopis Abbates omnes suberant, adeoque & se obedituros profitebantur.

a in Regul. c.64.

b cap. 1. 18. q. 2.

2. Cæterùm, ne huiusmodi professio rigori Ordinis aliquid detraheret, Episcopis, siue quidquam relaxantibus, siue impedientibus Cistercij districtionem, neve alterius diœcesis Abbas, vt peregrinus, à visitando Cœnobio repelleretur, prouidus Hugo, quo erat sagaci animo, siue ab Stephano Patre, aut lege fortè indicta, olim admonitus, verbis aliàs consuetis addendum censuit; vt *saluo Ordine suo* profiteretur. quod ab Humbaldo tunc comiter acceptum, magno postmodum vsui nostris fuit, quippe tantus iam tunc filiarum cum matre nexus, talis, ac tanta dependentia stabilita, vt vix Episcopis quidquam præcipiendum, vix quidquam prohibendum superesset, illæsis his, quæ inter se mutuo pepigerant. ea vulgata in charta charitatis adducemus inferiùs. Nunc professionem ipsam Abbatis sancti, quia prima omnium concepta sub his verbis, non pigebit ad literam transcribere. *Ego Hugo Pontigniacensis Abbas subiectionem, reuerentiam, & obedientiam à sanctis Patribus institutam secundùm regulam sancti Benedicti, tibi, Domine Humbalde Episcope, tuisque successoribus canonicè substituendis, & sanctæ sedi Antisiodorensi, saluo Ordine nostro, perpetuò me exhibiturum promitto.* Hactenus professio, vt secunda parte priscorum statutorum, capite sexto exarata conseruatur, quam ideo duxi in præsenti subiiciendam, quo huius præcautionis antiquus vsus, à primis etiam Ordinis initiis, non solùm sanctitatis illorum Patrum, sed etiam prouidentiæ, prudentiæque (sagacitatem forsan alius dixerit) lectorem admoneam, quæ præsentibus, simul & futuris, spiritualibus, temporalibusque damnis obuiaret. Quæ verò iurgia, quas lites pòst sedauerit, suis & loco, & tempore inseremus.

3. Porrò autem hunc modum professionis à primis nostris Patribus firmatum vulgata lege, vt omnes sub eodem tenore verborum profiterentur, idque ante editam chartam charitatis, præscripta forma visitationum, & electionum, quam pòst eidem chartæ inseruerunt, non pauci, grauésque auctores affirmant. Atque hoc esse decretum illud celebre inter matrem, & filias exaratum, firmatumque, ostendendum Episcopis ante cuiusque domus fundationem, vt gratum, ratumque illud haberent. Sic auctor [c] Dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis, quem diligentia reuerendi admodum Patris Leandri Vadillei, Procuratoris generalis curiæ, dum hæc scribimus, ex veteri exemplari transcriptum apud me habeo. Certè in prologo chartæ charitatis, tamquam quid prius, scriptum inuenimus. [d] *Antequam Abbatiæ Cistercienses florere inciperent, Dominus Stephanus Abbas, & socij eius ordinauerunt, vt nullo modo Abbatia in alicuius Antistitis diœcesi fundarentur, antequam ipse decretum inter Cisterciense Cœnobium, & cætera ex eo nata, exaratum, & confirmatum, ratum haberet.* Ante (inquam) quam Abbatiæ Cistercienses florere inciperent, adeoque, vt puto, ante chartam charitatis, quæ non, nisi florente Ordine prodiit, & per varias iam prouincias extenso, vt suo loco videbimus. Quod autem aliud decretum esse potuit, quod indigeret Episcopis, ostendi, & eorum consensu velut fulciri, præter hoc ipsum?

c 5. par. § 19.

d in prolog. chart. charit.

Conradus Leontorius altiùs repetit, nempe à Cistercio sub Roberto Patre condito, & decretum approbandum à Diœsanis in eum putat referendum esse, quippe Cistercium ab eorum imperio eximens, & ne vnquam admittat non exemptũ. [e] *Diuina*, (inquit, & de hoc decreto loquitur, & modo professionis nostris consuetæ) *prouidentiam sanctos Patres Robertum, & eius fratres inspirante, & dirigente Cistercium, & vniuersa eius membra in summa libertate, & exemptione, ab ordinariorum subiectione nata, & continuata fuerunt.* Quin imò addit, pressiùs, an subtiliùs? nostros exemptos in vi eiusdẽ decreti, & particulæ professioni Abbatum additæ, nõ ab Ordinariorum subiectione, quem nunquam experti, quippe immunis à primo sui ortu, sed à debito incurrendæ subiectionis, atque id explicat exemplo sublimiori præseruationis ab originali Mariæ Virginis. Sed ipsum nos loquentem audiamus. [f] *Et cum exempta* (inquit) *dicuntur*, (scilicet Monasteria Cisterciensia) *exemptio non præsupponit subiectionem aliquam fuisse præuiam, sed solam præseruationem, ne in subiectionem ruerent. Sic suo modo accipiendo exemptionem, sicut gloriosa Virgo Maria à peccati originalis macula, quandoque exempta dicitur, quamuis ab illa totaliter immunis, & præseruata semper fuerit, quia tota pulchra, & sine macula, aut ruga.* Ita Cooradus, seu quicumque fuit, qui priuilegiis à Ioanne Abbate collectis notas addidit. Parum probare videtur argumentum, qood multum probat. Sed in præsenti non vacat hæc discutere, sicut neque cum aliis disputare, qui verba protectionis Apostolicæ, tutelæque, ad exemptionem trahunt, & nostros ab initio exemptos putant, quia ab initio sub ea protectione, quasi idem esset protegere, & eximere: aut singula Cœnobia, quæ protecta, soli Romano Præsuli subiecta censenda forent. Sed hæc lemora. Certè decretum quandocumque 4.

e in not. ad priu. Vrb. tertij, in antiq.

f in antiq. ad priu. 8. num.

factum,

factum, integrum semper, illæsumque permansit, neque quisquam Cistercienſium Abbatum ex hac die, nisi *saluo ordine suo*, professus legitur.

5. Quin cùm Episcopi, procedente tempore, id genus professionis, veluti diminutum, auersarentur, varij summi Pontifices diplomatibus suis approbauere, simul testantes (quod ad præsens attinet) obseruatum ab Ordinis initio. Sic Lucius tertius priuilegio firmante hanc consuetudinem, post annos septuaginta, plus minusve, cuius hæc

g tom. 1. priuil. 7. verba: [g] *Adiicientes quoque decernimus, vt Archiepiscopi, & Episcopi in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint forma, & expressione contenti, quæ ab origine Ordinis noscitur instituta, scilicet, vt Abbates ipsi, saluo ordine suo, profiteri debeant, & contra instituta Ordinis nullam professionem facere compellantur.* Hæc Lucius tertius. Similia habet Vrbanus item tertius, priuilegio expedito, anno millesimo centesimo octo-

h tom. 1. priuil. 8. num. 1. gesimo sexto. [h] *Illud adiicientes, vt in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint Episcopi forma, & expressione contenti, quæ ab origine Ordinis noscitur instituta, scilicet, vt Abbates ipsi, saluo ordine suo, profiteri debeant, & contra statuta Ordinis nullam professionem facere compel-*

i tom. 1. priuil. 53. n. 1. *lantur.* Approbat, & confirmat [i] Clemens V. anno M. CCCVIII. & plures alij inhærentes vestigiis, & verbis prædecessorum.

6. Verùm hæc verba inuenta à nostris Patribus, & confirmata à Summis Pontificibus, non vt Abbates ab obedientia eximerent, qua nihil illis sacratius, sanctiusve; sed ne occasione eius ab Episcopis aliquid de Ordinis rigore, & stricta obseruantia relaxaretur, neve ex vi professionis compelli possent, suis vel leuiter obuiare constitutionibus, expressit Alexander Papa tertius, eadem illis concessa immunitate, quæ mentem æquè recludit

k tom. 1. post priuil. 3. concessionis. [k] *Vt electus* (ait, scilicet in Abbatem Cistercienſis cuiusuis domus) *nulli Archiepiscoporum, vel Episcoporum, emancipatus, vel quasi absolutus tradatur: sed neque post factam Archiepiscopo, vel Episcopo suo professionem, occasione eius, Ordinis sui constitutiones transgrediatur, vel in aliquo præuaricator eius existat,* &c. Hæc Alexander. Quibus & exemptionem expressam videas, & veram item rationem exemptionis, ne videlicet occasione extranei regiminis aliquid de rigore obseruantiæ relaxaretur.

7. Hinc ergo Cistercienſis familiæ prima exemptio, quæ exemptionis aliarum religionum veluti fundamentum, & basis fuit. Cùm enim in decreto sancitum esset, vt Monasteria per Patres Abbates Ordinis, & nequaquam per alios visitarentur, dissidio super hoc orto cum Diœcesanis, In-

l tom. 1. priu. nocentius quartus declarauit suo diplomate, [l] *quòd ipse Ordo* (scilicet Cistercienſis) *sicut olim, sic in posterum, ab eiusdem dumtaxat Abbatibus, & Monachis idoneis, quos vos, filij Abbates, ad hoc prouideritis deputandos, & à nullo alio visitari possit, aut corrigi.* Rursus cùm, visitationibus cessantibus, Episcopi nihilominus procurationes exigerent, quasi sublata eis iurisdictione, non item lucrum foret auferendum; Alexander quartus consequenter de-

m tom. 1. priuil. 31. clarauit, [m] *Quia sic sunt procurationes visitationi annexæ, vt Prælatis non sint, nisi visitent, exhibendæ, auctoritate præsentium, ne quisquam Diœcesanus, aut Prælatus alius, à vobis* (scilicet Cistercienſibus) *procurationes huiusmodi exigere, vel extorquere præsumat.* Sic quia in eodem decreto continebatur, electiones vacantium Cœnobiorum, non ad Episcopos, sed ad Patres Abbates, & conuentus vacantes pertinere; reclamantibus Episcopis obuiatum

n tom. 1. priuil. 15. Gregoriano edicto. [n] *Ne vllus Episcopus, aut quilibet cuiuscumque dignitatis, aut præeminentiæ existat, regularem electionem Abbatum ipsius Ordinis impediat, aut in ea quomolibet se ingerat.* Quod plures alij Pontifices confirmant, de definiendis intra eumdem Ordinem, Ordinis controuersiis, plura decreta, & multis aliis, quæ suis locis commodiùs declarabimus. Porrò hæc semel exemptio Cistercio data facilè in alias pertransiit religiones, exemplo, vt solet, sternente viam similibus, atque ad maiora etiam prouocante, quod hîc compertum, nempe, vt hoc antiquiores omnes Ordines, hoc recentiores Cistercio gratularentur, quod nunquam à non Religiosis iudicandi, sine speciali sedis Apostolicæ delegatione pertrahantur. Porrò ratione primæ acquisitionis vulgare istud Cistercio, quasi pro titulo.

o in init. priuil. prisc. ordinis. [o] *Sanctus, & exemptus, primáque ab origine liber.*
Nullus in hunc quicquam iuris habere solet.

Aliàs exemptio expressa diplomatibus, atque firmata Pontificio robore, longè Cistercij initio posterior fuit. Atque hæc de antiqua illa cautione, quam, vt Bertrandus Firmitatis Abbas, quia intra eamdem cum Cistercio diœcesim, omiserit, aut Hugo omisisse non potuit, qui extra illam. Sed neque Pontifices aliàs asseuerassent inductam ab initio nascentis Ordinis.

Sed antequam ab ea discedamus, breuiter referendi, & refellendi, qui putant illi contrarium 8.
Bernardum Patrem, atque in eius auctores inuectum acri stilo, verbis munitum, quæ ad Henricum Archipræsulem scripsisse inuenitur in hunc tenorem. [p] *Miror quosdam in nostro Ordine Monasteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili (quod peius est) habitu, & tonsura tam superbè sapere, vt cùm ne vnum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, ipsi propriis contemnant obedire Episcopis, spoliant Ecclesias, vt emancipentur, redimunt se, ne obediant. Non ita Christus, ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua vt isti careant, totum ferè suum, suorumque victum expendunt: quid est hoc præsumptionis, ô Monachi?* Et post pauca, velut omnem euasionis excludens aditum, *Sed non propter me* (inquit) *facio, sed quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni, vt ita dicam, seruitu seruilior. Patienter ab huiusmodi libertate abstineam, quæ me pessimæ abdicat superbiæ seruitutí.* Mirabilem quoque statim infert conclusionem. *Certus sum enim* (ait) *ego Monachus, & Monachorum qualiscumque Abbas, si mei quandoque Pontificis à propriis ceruicibus eximere iugum tentauero, quòd Satanæ, mox tyrannidi me ipsum subiicio.* Et paulo pòst. *Quid igitur vos, ô Monachi, Sacerdotum grauat auctoritas? metuitis infestationem? sed si quid patimini propter iustitiam, beati sæcularitatem contemnitis? sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus astitit iudicandus. Ite nunc ergo resistere Christi Vicario, cùm neque suo aduersario Christus restiterit,* &c. Ita Bernardus. Quæ verba adeò manifesta esse videntur, vt auctor dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis dicere non ti-

p epist. 42.

muerit. [q] *Multis viribus Sanctum contendisse, vt sub Episcopis Ordo militaret, verùm non præualuisse sententiam eius, resistendo Abbatũ illi contradicente, & inuentum consequente suffragiis omnium, & communi succedentium approbatione.* Hæc ille, nec sine apparenti satis fundamento.

q part. 1. §. 19.

Ego verò in prædictis Bernardi verbis nil contra nostros, nil contra sanctam eorum cautionem, 9.

&c obseruantiæ zelum scriptum puto: sed contra alios Abbates Ordinis nigri, quibus exemptio non restricta, sed absoluta, non in fauorem, sed in odium obseruantiæ, neque denique superiore mutato, sed abiecto, & nullo alio pro ipso substituto, per Apostolica indulta comparabatur, quod de non paucis antiquæ historiæ produnt. Namque Bernardo Benedictinos quoscumque Monachos, sui Ordinis dicere familiare, & frequens, neque aliter deformatos quorumdam mores in Apologia deplorasse noscitur, quam sui Ordinis statum, quasi exhorrens. *Heu mihi* (inquit) *quid adhuc viuo videre Ordinem nostrum.* Nostrum (inquam) idest, non Cistereiensem, sed monasticum, sub regula militantem eiusdem Patris, vt nullum hinc argumentum sumi valeat, quo probetur inuectum in Cistercienses. Reliqua verò, quæcumque subiiciuntur, nequaquam possunt nostris conuenire, quippe qui non absolutam exemptionem, sed in his tantùm, quæ statutis suis contrariarentur; neque nisi substitutis superioribus, nempe Patre Abbate cuiusque domus, Generali Cistercij, & Capitulo annuo, queis obedirent: neque eam adhuc à Romano Pontifice impetrauerant, sed exercebant cohibentia Episcoporum, atque propriæ industriæ præcautione. Denique neque Ecclesias spoliabant, vt emanciparentur, nullius prorsus cupidini expositis vnico, eoque ferreo candelabro, cupreo thuribulo, cruce lignea, & picta, queis pro argenteis, & aureis vtebantur: sed neque emancipati, qui tot subiecti. Absit ergo, vt communis Pater Ordinis (sic Bernardum appello) quid contra ipsum. Absit, vt filij, si ipse reclamasset, quid contra eius sententiam aut statuerent, aut statutum auderent conseruare. Sed de his hactenus.

Hugonem Pontigniaci Cœnobij arcam plures commendant, quod à beato Stephano electus, vix dum professus, quòd Bernardo Prælatus per annum integrum, quòd præfectura in ipso nulli miranda, etiam sine exemplo; cùm tamen, vel in ipso præcedente, fuerit pòst in Bernardo admirationi. Qualis, & quantus Hugo credendus est, qui Bernardum anteibat opinione; neque id aliorum, quibus aut minor notitia, aut dubior fidei, sed Stephani communis vtriusque Patris, & cui non possit non credi sine piaculo. Sed de Hugone iam Abbate, mox Episcopo, atque in vtraque sede coruscomeritis, plura inferiùs: nunc huic anno finem imponentes, ad sequentẽ fundatione Claræuallis, & præfectura Bernardi felicem accedamus.

IESV CHRISTI ANN. 1115. — CISTERCII ANN. 18.

1. Claravallis, & Morimundus hoc anno natæ. 2. Lingonenses Cisterciensi familia addicti; 3. & Ioanne Eremita solicitante Monachos petunt. 4. Interim retardata hac fundatione, incertis sedibus, incertisque subsidiis, 5. Bernardi fratres mittuntur ex Claravalle cum paucis aliis: 6. queis Bernardus præficitur, non sine omnium aliorum admiratione. 7. Egressus noui Conuentus de Cistercio, & discedentium, remanentiumque tristitia.

CAPVT I.

1. QVINTVS decimus, supra millesimum centesimumque salutis reparatæ per Christum annus, Cistercij decimus octauus, Claræuallis, & Morimundi initiis, quamuis tenuibus, roborauit Cistercium, quatuor ex tunc filiarum numero auctum, quas in partem curarum secum assumptas, matres postmodum daret crescenti Ordini. Gemellas eas, atque eodem partu editas, gemellos fratres Phares, & Zaram dixeris: hunc priùs nasci incipientem, sed retardatum, illum è contra tardiùs adnitentem, sed celeriùs egressum, eoque præripientem benedictionem. De Morimundo priùs actum est, sed nihilominus antè nata Claravallis primitias spiritus sibi vendicauit, Bernardo duce. Vtriusque initia in præsenti declaranda, vt quæque res conueniant suis temporibus.

2. Molismenses Cisterciensibus infensos, vel quia ab ipsis diuisi, vel quia dissimiles, quasi minus austera ipsorum vita ab aliorum feruore incusaretur; importunè detrahere, & nunc rerum nouarum inuentores, nunc scandali, schismatisque incentores, dicere, verbis Stephani Patris disseruimus. quo factum est, vt in Lingonensi Episcopatu celebriores existerent, crescente fama ab ipsa æmulatione. Vt magnus ignis ab aqua viris sumit, remissiorem forrassis extinctura; sic opinio, quandiu leuis, cessura facili, si semel præualet, crescit ab inuidia. Optabant ergo plures Lingonenses experiri nouum illud viuendi genus, quod ab ipsorum finibus egressum, debitum sibi iure vendicabant. quippe Robertus, Albericus, Stephanusque hauserant in eorum Parochia, quod postea in Cabilonensi edoctum alios, iam tunc per totam Galliam diffundebatur.

3. In his Sacerdos quidam, Ioannes nomine, eremiticam vitam agens, non longe ab Acrimonte, oppido noto, inter confinia Campaniæ, & Lotharingiæ vliginoso loco, palustrique, ac hominibus antea inhabitato, & vix accesso. Hunc non dissimilem Cistercij quondam solo, Cisterciensi instituto aptum intelligens, nec dubius impetrandum à terræ domino, & sibi, & sociis censuit eligendum. Frugalitas Monachorum, & largitas Principum fundationes tractabiles reddebant illis temporibus his partem terræ facile donantibus, illis nihil amplius vnquam exigentibus; reliqua omnia educturis ab ipsa terra. Nec grauabantur confinia nouis pauperibus, quos ex proprio labore sustentandos, nouerant potiùs cæterorum inopiæ subuenturos. Igitur Ioannes communicato cum aliis consilio, atque cunctorum suffragiis approbato, Cistercium adiit, Stephanum accersit, intentum pandit, atque singulis negotij circumstantiis ab eo planè propositis, à sancto Abbate prouidè discussis; tandem impetrat Monachos duos seniores, expertosque, quibus res tota posset demandari, è propinquo commodiùs peracturos. Neque inuenio notatum ab auctoribus, an beatus Pater Arnaldum tunc transmiserit, virum doctrina, &

moribus

moribus præcipuum, postmodumque io Abbatem præficiendum nascenri domus. Duos tantùm cum Ioanne profectos lego, lustrando loco, obtinendis facultatibus, ac disponendis, quæcumque opus viderent, pro more Otdinis.

4. Hæc initia nascendi Morimundo; sed Claræ valli sub Bernardo Patre, totius Ecclesiæ bono surrectutæ, ptiora, & tempus, & locus debebantur. Igitut Monachis cum eremita missis, negotiumque quantauis cura agentibus, sed oondum peragentibus (neque obstacula ptodunt antiquæ tabulæ) cùm plures in dies, conuersationis gratia, aduenirent Cistercium, atque iterum non sufficeret domus multitudini, ne pulsantibus non posset aperiri; iterum Stephanus censuit euacuandam, emisso fœtu. Et quia de Lingonensi diœcesi actum semel, illuc putauit conuentum transmittendum, incertis sedibus, incerto fundatore, incertis etiam subsidiis surrecturum. [a] Claudius Robertus Tbeobaldum Comitem putat, promoturum initia futuræ domus; translationem cum fundatione confundens. Sed immeritò, quippe boc anno, necdum Campanus Comes, & vix post quindecim (quod ex vita beati [b] Norberti constat) fuit consilium ad fratres delatum, multis dubium, cunctis arduum, aliquibus videbatur etiam imptudens, quippe in futurum sine prouidentia, In præterito etiam sine exemplo, & Molismenses familiares illius diœcesis, intra ipsam efficaciùs restituros. Sed non audeotibus illis contradicere sermonibus Sancti, quem in bis non tam agere, quàm agi, longa experientia tandem comptobauetant; consensete omnes Deo, potius quàm Stephano, & se paratos ire, quocumque vellet, spiritu prompto, catoe licèt infirma, pronunciarunt.

a in catal. Monast. lit.c.

b apud Sur. tom.6.

5. Ille in gratiarum actionem priùs erumpens, mons Fon anenses fratres, cognatosque, atque auunculum Galdricum negotio deputat, iunctis, vt credo, quibusdam ex antiquis, complendo oumero. De Abbate tunc fortè nihil actum, tacente Stephano, sed interiùs Bernardum designante, quippe, vt quo duce de sæculo exierant, eodem Magistro in religione militarent, & nouam, acternellam plantationem, quam moliebatur, ipsius auspiciis dilatarent per totum orbem. Fratres Bernardi ad Claramvallem fundandam missos, testatur Guillermus Abbas in hæc verba. [c] *Cùm autem placuit ei, qui eum (id est, Bernardum) segregauit a sæculo, & vocauit, vt ampliore gratia reuelaret in eo gloriam suam, & multos filios Dei, qui erant dispersi, per eum congregaret in vnum, misit in cor Abbatis Stephani ad ædificandam domum Clareuallis, mittere fratres eius.* Sed de Galdrico etiam certum est, quem mox videbimus impropetantem Bernatdo propter miracula. Nec dubium, quin duo Godefridi cum eo ierint, vter ab ipso ad religionem tractus, alter eius propinquus secundùm carnem, alter de Amaio dictus, de quibus infrà: & probabile etiam de Roberto. Nisi quòd hic, si fortè missus est, professionem anteiuit, triennio, vt minimum, post ingressum Bernardi illi dilatam, duobus annis repulsæ antecedentibus annum probationis. Pottò ex antiquis aliquos adiunctos, indicio est Elbodo, siue Elbodus, quo sene, comitatum sanctum Bernatdum Catalaunum petiisse, mox videbimus. Quid, si hic idem Ildebodus sit, quem Albericus Pater Romam miserat, impetrando à Paschali priuilegio, sub initium vtriusque præfecturæ? De Gualtero in Priorem præficiendo, vix ausim dicere; nisi, quòd si antiquior, eo probatior; si recens Bernardi suffragio probatissimus; aliàs non assumendus in partem curæ, præcipuè ab humili, neque exercitato, & sibi, vt in expetto, diffidenti.

c lib.1. c.5.

Tantis viris ab Stephano Bernardum præfici, 6.
ætate iuuenem, quippe vigesimum quartum annum vix dum egressum, infirmum corpore, verecundia implicatum, aut impeditum, atque omni experientia destitutum, mirabile in oculis omnium visum fuit, & ob hoc forsan seriùs pronuntiatum. Certè Guillermus innuere videtur, nequaquam nominatum ante discessum. [d] *Quibus*, inquit, *abeuntibus, etiam ipsum Dominum Bernardum præfecit Abbatem: mirantibus sanè illis, tanquam maturis, & strenuis, tam in religione, quàm in sæculo, viris, & timentibus ei, tum pro tenerioris ætate iuuentutis, tum pro corporis infirmitate, & minori vsu exterioris occupationis.* De Bernardi promotione iu Abbatem, hoc anno facta, extant versus antiqui, quod multi codices subiungunt eius operibus.

d lib.1. c.5.

Annus millenus ter quinos commemoratur,
Necnon centenus, vix sanctus quando creatur
Abbas, & Patrum sequitur decreta priorum.
Fit doctor fratrum, fidei lux, regula morum.

Porrò autem egressum noui conuentus, prout 7.
in Otdine fieri solebat, à Cæsario Heisterbacensi descriptum, quia grauitatem deuotioni mixtam præfert, non pigebit ad litteram transcribere. [e] *Duodecim Monachi, loco duodecim Apostolorum, cum tertio decimo Abbate, qui loco Christi eis præponitur, ad nouam Abbatiam fundandam emittuntur. Crux enim Dominicam habens imaginem, a Patre Abbate datur ei in manus, quem de Oratorio cum eadem cruce exeuntem, duodecim ad hoc ordinati sequuntur, quasi Christum Apostoli.* Hæc Cæsarius. Cruce itaque Bernardo ab Stephano Patre in manus data, ipse prior, quasi Pater, & dux omnium, mox fratres eius, & filij egressi sunt, locum sibi inter Lingonenses quæsituri. Videres, cùm iam essent recessuri, in profundo silentio, cadentes lachrymas omnium Monachorum, & solas voces cantantium resonantes, inter singultus, quippe modestia membris exteriùs imperans, vix in affectus internos præualebat; nec discerneres remansuros, à discedentibus, quoad vsque ad portam domus illos stantes, à progredientibus cunctatio ipsa diuisit. Hæc Bernardo, atque sociis abeuntibus, deuota quidem, sed tristis facies Cistercij fuit.

e hom in Domin.3. post 8. Epiph.

1. Quæsitus, & inuentus locus ad fluuium Albam. Qualis ille, & quanta eius mutatio, 2. Præterlabentis fontis descriptio. 3. Tempus ingressus. 4. Explanata, & erecta habitatio manibus fratrum. 5. Tum noui Monasterij nomen, insigniaque. 6. Ministeria, & officia distributa. Bernardi benedictio per Guillermum Campelensem. 7. & quanta ex tunc cum ipso familiaritas.

CAPVT II.

1. CAsu inuenerint, an admoniti quæsierint, incertum constat peruenisse ad locum satis horridum, latronum, vt ferebant, receptaculum, absinthiorum feracem; eoque val-

lem absinthialem dictam, siue amaratam, nimirum ab vtrisque desumpto nomine. Crediderim omni ope destitutos, elegisse hunc locum, nulli incolarum vsui proficientem; noxium potiùs, eoque longè faciliùs obtinendum. Eum auctores de-

a lib. 1. vi. a c. 5. scribunt in hæc verba. [a] *Erat autem Clarevallis locus in territorio Lingonensi, non longè à fluuio Alba, antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur vallis absinthialis, siue propter abundantis ibi absinthij copiam, siue propter amaritudinem doloris incidentium in manus latronum.* & alibi. [b] *Loci verò ipsius similitudo*

b lib. eod. c. 7. *inter opaca syluarum, & vicinorum hinc inde montium angustias, speluncam illam sancti Benedicti Patris nostri quodammodo repræsentabat, in qua aliquando à pastoribus inuentus est: vt cuius imitabantur vitam, habitationis quoque, ac solitudinis formam habere viderentur.*

c in carminib. quæ habentur inter opc. D. Bern. Nicolaus Aquævillensis [c] Regij senatus apud Parisios Præses, vallem non solùm montibus circundatam, sed fonte etiam peremni (præter aquas labentis Albæ) scatentem describit.

Abdita vallis erat mediis in montibus, alto
Et nemore, & viridi tunc ad operta rubo.
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons ibi perpetuo munere donat aquam.

2. Qualiter autem idem fons loci primum exortus, mox absorptus, ad breue spatium iterum resiliat, vsibus tantùm fratrum profuturus, habes in descriptione situs Claræuallis, quæ incerto auctore, Monacho tamen, vt apparet, Claræuallensi, inter opera Bernardi circumfertur, nec sine sale. *Vbi cùm* (idest, fontem) *mons euomit, vallis deglutit, & in loco, quo oritur, eodem quasi moritur, quin & sepelitur. Sed ne expectes signum Ionæ Prophetæ, vt tribus diebus, & tribus noctibus delitescat absconditus, statim ad mille passus intra claustrum Monasterij, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, & quodammodo rediuiuus apparet, visui tantùm, & vsui fratrum sese offerens, ne cum aliis, quàm cum Sanctis sors illius à modo sit futura.* Plura ibi de situ Claræuallis, quæ tamen, quantum ad ædificium attinet, & præcisum, vt ita dicam, illius locum constat ad præsentia Angelorum vocibus præmonstrata, vt mox videbimus, non ad priora fore referenda. Prosequitur Guillermus Abbas,

d lib. 1. c. 5. dicens. [d] *Ibi ergo in loco horroris, & vastæ solitudinis, consederunt viri illi virtutis facturi de spelunca latronum templum Dei, & domum orationis.* Atque hæc de loco.

3. De tempore extat tabella in Claravalle, hodieque appensa ad sepulchrum sancti Patris, mensem Iunium designans in hunc modum. *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, in mense Iunio* (sanctus Bernardus) *missus fuit cum fratribus Germanis, & conuentu suo, ad locum istum, qui nunc vocatur Claræuallis, antea autem vallis absinthialis dicebatur.* Sic in tabella.

4. Tum dumeta fratrum manibus excisa, gratulantibus incolis, & crediderim etiam, adiuuantibus, atque ex arbustis habitatio præparata, qualem Molismus olim, qualem Cistercium in suis primordiis habuit. Meliùs dixerim, qualem olim Ægyptij Patres, quorum eremo Claramvallem

e lib. 1. cap. 7. collatam lege. [e] *Mansi autem indignus ego* (loquitur Abbas sancti Theodorici) *cum eo* (idest, cum Bernardo) *paucis diebus, quocumque oculos vertebam, mirans, quasi cœlos me videre nouos, & terram nouam, & antiquorum Ægyptiorum Monachorum Patrum nostrorum antiquas semitas, & in eis nostri temporis hominum recentia vestigia.* Et paulo inferiùs. *Primáque facie ab introeuntibus Claramvallem per descensum montis, Deus in domibus eius cognoscebatur, cum simplicitate, & humilitate ædificiorum, simplicitatem, & humilitatem inhabitantium pauperum Christi vallis muta loquerentur.* Extat hodieque Oratorium humile, longitudine ad viginti pedes, latitudine ad quatuordecim extensum, beatæ Virginis sacrum, quod paucis tunc diebus constructum, creditur diuinis officiis inseruisse per tempus aliquod.

Monasterio Claræuallis nomen inditum, in claritatem, pro modo occupationis, & exercitij, veteri commutata amaritudine. Vnde versus, 5.

In Vallem claram, vallem conuertis amaram.

Insignia statim assumpta, an post tempus electa, dubium adhuc. Minus dilata conuincere videtur sigilli necessitas, eamdem, quam subscriptio modò, facientis fidem. nec alia cognoscebatur illis temporibus: quod inferiùs ex Bernardo Patre etiam videbimus. Ea quandocumque sumpserint initium antiquitus deformata, constat in hunc modum. Verum est tamen, his tempore obsoletis, Bernardi Patris insignia successisse, quæ à



Claravalle postmodum diffusa, ac leuiter discriminata, alia etiam Cœnobia, imò & congregationes illustrarunt, quod in nostra sacra Hispaniarum Obseruantia etiam videmus. Sed hæc alias, & pleniùs disserenda, nunc obiter sufficiat tetigisse.

Interim in Claræuallis nouo Cœnobio, Gualtero Monacho in Priorem nominato, Andreas frater Bernardi ab ipso proximus, portæ Monasterij, Gerardus nato maior, administrationi externæ præficiuntur. Ipse Bernardus, quia sedes Lingonensis tunc vacabat, assumpto secum Elbodone seniore Monacho, Catalaunum abiit, baculum pastoralem ab Episcopo loci, venerabili viro Guillermo, celebri tam doctrina, quàm sanctitate, deuotè, & reuerenter suscepturus. Ibi qualiter ab aliquibus irrisus, ab aliis prætermissus, ab ipso Præsule in honore habitus sit, narrant auctores omnes, qui eius vitá. [f] *Cùm missus noniter Claramuallem Bernardus, ordinandus esset in Abbatem Monasterij, ad quod assumptus erat, & sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa pertinebat; quærentibus fratribus, quò eum ducerent ordinandum, citò de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium Episcopi, opinatissimi illius Magistri Guillermi de Campellis, illudque eum transmittendum esse diffinitum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elbodone Monacho quodam Cisterciensi. Intrauit ergo prædicti Episcopi domum iuuenis exesi corporis, & moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente Monacho seniore, & magnitudine, & robore corporis eleganti; aliis ridentibus, aliis irridentibus, aliis rem, sicut erat interpretanda, venerantibus. Cùm autem quæreretur, quis eorum esset Abbas? Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnouit seruum Dei, & suscepit sicut seruus Dei.* Hæc de congressu Bernardi cum Episcopo. 6. f lib. 1. cap.

Quantum autem familiaritatis ex illa die, quantum amicitiæ inter vtrumque creuerit, & sequentia magis declarabunt, & iidem auctores prosequuntur, dum ita scribunt. [g] *Ex illa die, & ex illa hora facti sunt cor vnum, & anima vna in Domino, intantum, vt sæpe alter alterum hospitem deinceps haberet, & propria esset domus Episcopi, domus Claræuallis: Claræuallensium verò efficeretur non sola domus Episcopi, sed & per ipsum tota ciuitas Catalaunensis. Quin etiam & Remensis prouincia, & Galia tota per eum in deuotionem excitata est ad reuerentiam viri Dei.* Hactenus 7. g vbi suprà.

illi;

illi; in quibus tamen, quod ad deuotionem aliorum attinet, minus erupisse in subsidia certum est, Claravalle ad extremam etiam miseriam perducta, non semel tantùm, nec reparanda, nisi per miracula, quod hoc eodem anno etiam videbimus.

---

1. Morimundi situs, & fundatores. 2. Insignes circunstantiæ loci. 3. Monachorum aduentus sub Arnaldo. 4. Nomen, insignia, atque vtriusque significatio. 5. Tempus fundationis: 6. & Tepes in aliquibus correctus.

CAPVT III.

1. INterim, vt euentus quosque reddamus suis temporibus, Monachis eremitam comitantibus, ac præparantibus necessaria, vt tunc putabant tertiæ, sed dum minus properant, non nisi quartæ futuræ Cistercij filiæ; res primum quidem dubiæ, mox difficiles, tandem prosperæ cunctæ successere. Suberat terra Comitibus Cascoli, Olderico Agrimontis, *de Agramont* vernacula lingua incolæ dicunt, & Adelinæ; hominibus non solùm claris, sed munificis, & qui cuncta Cœnobio contulissent, si non retardarentur auerso filio. Terris tamen aratro subigendis, pascua adiunxisse, constans traditio est, atque ædificio, si non impensas omnes, saltim non leuia subsidia ministrasse. Vnde & pro fundatoribus habentur, & Monasterium mortui etiam illustrant, simul & possident. Claudius Robertus de his hæc pauca scribit. [a] *Fundatum legitur, anno M. CXV.* (loquitur autem de Cœnobio Morimundi) *ab Olderico de Agrimonte, & Adelina eius vxore, Dominis de Cascolo, vulgo de Choiseul.* Et post pauca. *In hoc autem Monasterio cernuntur sepulcra Dominorum de Cascolo, & de Agrimonte fundatorum*, &c. Hæc de dominis loci, & fundatoribus.

a in sua Gallica hist.

2. De loco verò notabiliora. *Moribundum* (ait) *diœcesis Lingonensis in Basigneio Campania, Francia regione, fines Lotharingia, & comitatus Burgundia attingens, vt in eius territorio sic lapidea tabula limitem trium Episcopatuum designans, Lingonensis, Tullensis, & Bisuntinensis, vulgo* la borne de trois Euesques, *in valle satis angusta, ac profunda fundatum*, &c. Ergo in hoc Prouinciarum meditullio Monachi à beato Stephano directi, cum eremita Cœnobiolum tunc paruum construxerunt. Tardius, quam pro ædificij qualitate, impediente fortasse progressus filio Comitum, cui semper Monachorum conuentus molestus fuit. Certè nulla alia causa in promptu subest. Nam Diœcesani consensus expeditus, Capitulo seu de nouo annuente, seu approbante defuncti concessionem, & gratulanti nouis fundationibus, queis, vt putabant, Ecclesia Lingonensis illustrabatur.

Cunctis dispositis, nec paucis congregatis, qui venturæ militiæ nomen darent (namque hos primum Stephanus Pater commendauerat) rediere Cistercium, coloniam potituri nouo Cœnobio. In Abbatem Arnaldus præfectus est, ingentis spei Monachus, patria Coloniensis, genere nobilis, & Friderici Coloniensis tunc Præsulis frater, qui [b] *contempto mundi flore* (vt verbis vtar eiusdem Friderici) *Cistercium intrans, in virilis iam animi robur dudum euaserat.* Certè Bernardus, adhuc iam degenerem, ne dicam fugitiuum, & Apostatam, quod suo loco videbimus, dulcissimum sibi caput, & magnam appellat columnam totius Ordinis. Ferunt, Stephanum Arnaldo dimittendo, præter morem, Monachos tantùm octo subdidisse, seu quatuor reliquis ex Nouitiis substituendis, seu forè præscium futuræ transgressionis; nec æquare volentem sanctis viris, nempe Bertrando, Hugoni, Bernardoque, quem nouerat non sanctè consummandum. Sic neque præsenti statui non perficiendo; neque futuri notitiæ, non præsignando, potuit videri aliquando defuisse. Haud aliter Christus piissimus magister Apostolum elegit, quem proditorem nouerat futurum: neque vindicta in repulsam prorumpente, anteuertit delictum, sed expectauit.

b in diplom. & ampl. confir fundationis.

Quid si, & Arnaldum discedentem cum suis Monachis admonuit, nominis imponendi Monasterio, & Morimundum mandauit appellare? Quasi cunctis in eo morituris, sibi præ aliis moriendum fore cognosceret, tanquam duci aliorum; adeoque ad mundum nunquam redituro? Etymologia nominis emphatica sacramentum portendit, neque dissentiunt insignia illi conformia. Mediæ parmæ inest orbis, & orbi crux: litteris quatuor angula quadrantibus, quæ mortis nomen orbi præsentant, in hanc formam. His insigniis Arnoldus edoctus est, non solùm se crucifixum [c] mundo fore, sed sibi mundum, nisi fortè crucem eam orbi affixam, ad Ordines militares commodiùs referas, vt propriæ matri, Morimundo subiiciendos. Sed neque timendam mortem Christi militibus, variis contra Christi inimicos signandis crucibus, quippe Calatrauæ, Alcantaræ, Abisij, Iesu Christi, Montesiæque, quas omnes, siue immediatè, siue mediatè, sub Morimundi disciplina iam tunc orbi exoriendas præsagiebat. Horum Ordinum initia, atque progressus Cisterciensis familiæ, eo pulchrius incrementum, quo singulatius, suis temporibus sumus reddituri. 4.



e ad Gal. 14.

Vetus Monasteriorum chronologia eodem die surrexisse testatur Cœnobium Morimundi, quo Claræuallis, his ferme verbis. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, millesimo, centesimo decimo quinto, septimo Kalendas Iulij (alij Aprilis, sed perperà) fundata est Abbatia Claræuallis, eodem anno, & eodem die Abbatia Morimundi.* Sunt, qui id referant ad egressum de Cistercio, quasi vtráque coloniam eadẽ die auulsam à matris gremio, Stephanus Pater in diuersa loca transmiserit: quod minus probo. Nam neque Abbatia fundata verè dicitur per egressum conuẽtus fundaturi, neque his duobus egressis eadem die, primogenia cessissent Claræualli, dubiæ adhuc domui, & verè vix cõceptæ, nedum formatæ. Sed Morimundo, proli omnino certæ, & cuius dudũ partus agebatur. Crediderim Claræuallis coloniam priùs egressam, eoque Monasterium iure Prælatum, quamuis rebus pro eo minus dispositis, Morimundum surgentem expectauerit. Neque posthabitio probrosa Morimundo, quippe quadranti filiarum Cistercij numerum, eoque portendenti firmitudinem, quin etiam, & vnionem totius Ordinis, siue quòd figura quadrata summè stabilis, non secus, ac rotunda summè volubilis; siue quòd, adnotante [d] Diuo Thoma, ad vnitatẽ faciat, vt quæ conficitur ductu eiusdem lineæ. 5.

d lib. 8. metaph. cap. 46.

lineæ. Ioannem, & ſocios admiſſos memotiæ ſilent: ſed puto, quia ſupponunt, non quia negant.

6. e ad ann. 1115. c. 5. [e] Yepes hic multa miſcet minus certa. Priores Monachos, non diſponendis rebus, ſed Ioannis eremitæ loco ſubſtituendos, dum ipſe diſponeret, ab Stephano miſſos: poſteriores non tantùm octo fuiſſe, ſed duodecim; tot quippe, quot pro aliis fundationibus: eos ab Epiſcopo Lingonenſi Gozetano deuotè ſuſceptos, & hoſpitio habitos; demum comitante eodem Præſule, Morimundum petiiſſe, atque ab illo, & Eccleſiam dedicatam, & Abbatem Arnoldum benedictum. Dubia omnia, neque auctoribus innixa, & poſteriora etiam contra auctores illius temporis. Nam Bernardo in Abbatem benedicendo, Lingonenſem ſedem paſtore ſuo vacuam, conueniunt omnes, eoque Catalaunum fuiſſe deductum. Atque ſi eodem die vtrumque Cœnobinm dicatum eſt, vt antiquæ etiam tabulæ concordant, quibus ipſe aſſentitur; conſequitur Arnoldo etiam benedicendo, & Morimundi Eccleſiæ dedicandæ Lingonas vacare, adeoque neutrum à Gozerano potuiſſe effici. Nos in his omnibus antiquas traditiones ipſius domus, nobis inde tranſmiſſas, libentiùs ſequimur, quo in auctoribus vix quidquam inuenimus; nec inſtrumenta ſubſunt, aut aliæ chartæ, quibus poſſimus firmùs adhærere.

---

1. Claræuallis anguſtiæ primis temporibus; 2. ſubleuatæ per quemdam Abbatem ſanctum. 3. Per mulierem item Caſtellionenſem, 4. & plures alios. 5. Bernardi viſio: 6. eiuſdemque, & filiorum grauis tentatio. 7. Magiſtri ſilentium, 8. & diſcipulorum muta doctrina. 9. Rogerij, & aliorum conuerſio ad Catalaunum: 10. & Bernardi de Magiſtro Stephano prophetia.

CAPVT IV.

1. HÆc Initia naſcentis Morimundi. At Claravallis tenuibus initiis, ſed ſubſidiis multo adhuc tenuioribus, poſt primum illum feruorem incolarum, gratè, & deuotè ſuſcipientium hoſpites ſanctos, admitatione decreſcente, vt fit, abuſu: neceſſariis deſtitui, victualibus egere, penuriam pati, nec propriis manibus poſſe victum quærere, quippe occupatis in aggeſtu domus, quantumuis paruæ; neque aliàs mandaturi terræ ſemina, nedum repetituri per multos menſes, penè ad deſperationem properabant, atque hominum alimentis prorſus defecti, vix more pecudum valebant ſuſtentari. Audire licet Alanum, & Guillermum, in

a lib. 2. c. 5. hæc verba prorumpentes, dum ita narrant. [a] *Pulmentaria ſæpiùs ex foliis fagi conficiebant. Panis inſtar prophetici illius, ex hordeo, & milio, & vicia erat, ita vt, aliquando religioſus vir quidam appoſitum ſibi in hoſpitio, vbertim plorans, clam adſportauerit, quaſi pro miraculo omnibus oſtendendum, quod inde viuerent homines, & tales homines.* Hactenus illi. Hordeum, & milium cum pecoribus communia: ſed foliis fagi corpus ſuſtentare penè vltra pecora ſoli præſumpſere.

2. Non tamen deerat pauperibus Chriſti, Chriſti miſericordia, quæ geminatis, repetitiſque fauoribus, altiùs etiam firmaret, inter anguſtias. Religioſus, qui clam panem adſportauerat, pro miraculo aliis oſtendendum, Odoni detulit Cœnobij ſui

b lib. 7. c. 3. Præpoſito (Clementimpre apud Syluam [b] vocatum lego): & rei nouitate permotum, compunctumque facile impulit, vt victualium, & annonæ onuſtis curribus, Claramvallem deuotus viſitaret, Bernardo Patre deuotiùs ſuſcipiente; neque perſonarum tantùm, ſed Cœnobiorum ex illa die amicitiam confirmante, inter vtrumque vltra vitam prolatandam, quippe pro mortuis etiam firmato fœdere, mutuis viuentium ſuffragiis adiuuandis.

3. Subſidium hoc plura alia ſequuta ſunt, ex occaſione creſcentia vſque ad miracula: ſi non miraculis aliis ſuccedentibus, priora poſterioribus cederent, poſteriora prioribus detraherent. Horum exemplum adducit Guillermus Abbas poſt tres, aut quatuor ad ſummum menſes contingens incep-

c lib. 1. cap. 6. tæ domus. [c] *Cùm verò ante inſtantem hyemem Gerardus frater eius, cellarius domus, apud eum duriùs quereretur, ad neceſſaria fratrum multa deeſſe, nec habere ſe vnde ea coemeret, & vrgente neceſſitate, iam nullam verborum reciperet conſolationem, res autem in prompeu non eſſet, qua daretur; vir Dei quantum interim ad præſentes anguſtias ſufficere poſſet, inquiſiuit. Ille verò vndecim libras reſpondit. Tum dimittens eum, ad orationem confugit. Poſt paululum verò rediens idem Gerardus, mulierem quamdam de Caſtellione foris eſſe, & velle ei loqui, nunciauit. Ad quam cùm egrederetur, procidens ad pedes eius eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum ſuffragia implorans viro ſuo periculosè ægrotanti. Quam breuiter alloquutus dimiſit. Vade, inquiens, ſanum inuenies virum tuum. Illa verò abiens in domum ſuam, ſicut audierat, ſic inuenit.* Hæc ille. Quibus certare videas inter ſe auxilij ſuperabundantem menſuram, & promptitudinem; ſed & diuinæ manus largitatem id ipſum remunerantis piæ mulieri.

Addit Guillermus. Nec tantùm ſemel id ei contigiſſe, (Bernardo ſcilicet) ſed ſæpe, cùm huiuſmodi neceſſitas inſtaret, repentè vnde non ſperabatur, auxilium ei à Domino affuiſſe. Quin etiam fratres aliquoties dimiſſos vacuos, & neque pretia, neque res mendicaturos, nihilominus neceſſaria referre ſolitos, narrat [d] Anonymus Gallus, de quo ſuprà, exemplis etiam prolatis, quæ hoc confirmant. Qualiter verò deficientibus ad tempus his auxiliis, aut non ſufficientibus victui quotidiano, quantumuis tenui; cedentes fratres inopiæ magnitudini, & iam iam meditantes diſceſſum à Claravalle, cæleſte oraculum pleniùs confirmauerit, ſequenti anno, quo eueniſſe credimus, Deo dante, commodiùs referemus. 4.

d apud Syluam lib. 1. cap. 24.

Interim Deus quam domum conſeruabat, vtriuſque prouidentiæ commiſſam curæ, perſonis etiam auctarum in immenſum, quæ Bernardi Patris continua ſolicitudo, manifeſta viſione, declarauit; quam eidem Patri diuinitus oſtenſam, acta vitæ illius ita deſcribunt. [e] *Contigit autem intra hæc, vt aliquanto temporis ſolito ſurgerent ad vigilias. Quibus peractis, cùm vſque ad matutinas laudes, aliquanto longiùs ſupereſſet noctis interuallum, egreſſus foras (ſcilicet Bernardus) & loca vicina circumiens, orabat Deum, vt acceptum haberet obſequium ſuum, & fratrum ſuorum, in eo, quem diximus, ſpiritualis fructus deſiderio conſtitutum. Subitò verò ſtans in ipſa oratione, modicè interclufis oculis, vidit vndique ex vicinis montibus tantam diuerſi habitus, & diuerſæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem deſcendere, vt vallis ipſa* 5.

e lib. 1. c. 5.

ipsa capere non posset. Hac igitur vir Domini visione consolatus magnificè, exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos de misericordia Dei nunquam desperare. Vmbram hanc corpus ipsum subsequutum, figuram veritas, à Deo immissam visionem comprobauit, quod mox videbimus.

6. Per idem tempus, quo Bernardi fratres, filiique in omnibus probati, in nullo inuenirentur esse degeneres, temporali penuriæ, quam patiebantur, spirituales angustiæ superadditæ patrem simul, & filios exercuere. Hos non capientes verba Patris sancti, neque assequentes sublimia, quæ prædicabat: illum ignarum temperandi feruoris spiritus, eoque tunc re vera minus aptum ad promouendam salutem animarum. De primo in eius vita f lib.1.c.6. scriptum lego. [f] *Si quando namque de spiritualibus, & ædificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, & vix intelligebatur. Maximè autem in his, quæ ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, vt durus videretur sermo, in tantum non capiebant, quæ dicebantur. Rursum cùm sigillatim eos audire confitentes sibi, & semetipsos accusantes super diuersis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne viuens homo penitus vitare potest, hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conuentio esse non potuit, scilicet, quòd homines inueniebat, quos in hac parte Angelos existimabat.* Hæc sancti Theodorici Remensis Abbas, qui paulo antè Moysi Bernardum comparat, pellucida vtrumque, hunc mente, illum facie; illum à Monte Sina, hunc à Cistercio: ex consortio sermonis Domini prodeuntem vtrumque; vtrumque tamen homines, quos regere, & inter quos conuersari venerat, à se prorsus fugantem, quippe impatientes nimiæ claritatis, & cæcutientes ad radios vtriusque lucis.

7. Sed vt exterriti illi nimio tunc sine dubio Bernardi zelo, sic etiam ipse pro illis contristatus, ac suam ipsius arguens imperitiam, penè sibi silentium imperauit. *Cæpit etiam* (prosequitur idem auctor) *spirituali magistro, aduersus fratres humiles, & subiectos, zelus suus esse suspectus, in tantum, vt ipse iam potius accusaret ignorantiam suam, & defleret necessitatem, quòd silere non liceret, cùm nesciret loqui. Quod non tam alta ad homines, quàm indigna hominibus loquendo læderet conscientias auditorum: quod tam scrupulosè perfectionem a fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inueniret esse perfectum.* Hæ Bernardi angustiæ primis diebus: hæ fratres eius, & filios coarctabant. Crediderim electionibus futuris iam tunc à Deo consultum per hæc media, & commendari ætatem, experientiamque in Prælatis eo vsque necessarias, vt supplendis, neque omnino Bernardi sanctitas, neque ipsa suffecerit doctrina. Ob hanc causam Prælatus Petrus Ioanni, non quia Christo charior, sed quia senior: vt discant homines præficere seniores, neque canos melius alibi constitui, quàm vbi eos natura collocauit, id est, in capite.

8. Sed nihilominus discipuli experti inexpertum Magistrum correxere, ac deuotè, & humiliter fe-
g 4 Reg.c.2. rendo, simplicem Elisæi sui [g] spiritum, hoc est, non aliis aptum, sed sibi soli, duplicari feliciùs impetrarunt. Id ab eodem Auctore memoriæ prodi-
h lib.1.c.6. tum, verbis eius exactiùs declarabimus. [h] *Sed viri verè religiosi, & piè prudentes, & in prædicatione sermonum eius venerabantur etiam, quæ non capiebant, & in confessionibus suis licèt ad nouum stuperent auditui, eo quòd seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis; tamen iuxta sententiam sancti [i] Iob ne-* i Iob.c.6. *fas putabant contradicere sermonibus Sancti, non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu hominis Dei, in quo nemo viuens iustificari potest in conspectu Dei. Vnde factum est, vt fieret Magistra Magistri, pia humilitas discipulorum.* Hactenus ille, qui etiam prosequitur modum collatæ gratiæ: quam tamen nos consultò in sequentem annum, quo credimus obtentam, reseruamus.

Initio illius, an ad finem huius, dubium; cer- 9.
tum, Bernardum Patrem per hoc tempus Catalauno ab Episcopo redeuntem beatum Rogerium è sæculo traxisse cum multis aliis, cunctos diuino obsequio mancipandos in Claravalle, quod ab eodem Guillermo etiam descriptum, licèt longè postpositum, suo tempore veoit restituendum. [k] k lib.1.c.13.
Cùm autem (ait) *Episcopi gratia Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium, & litteratorum Clericorum, & laicorum.* Inter eos autem, & præcipuum eorum, stitisse Rogerium, dixerat verbis immediatè antecedentibus. *Aderat Rogerius, & alij cum eo. Ipsi fuerunt, quos vir Dei aliquando de Catalaunensi traxerat ciuitate.* Porrò hanc tot nobilium conuersionem nequaquam vltra designatum tempus posse differri, argumento est idem ipse Rogerius præfectus fundationi trium fontium, primæ futuræ filiæ Claræuallis, anno millesimo centesimo decimo octauo, vt suo loco dicemus. quem ne fateamur transmissum ante biennium, hoc anno, vt minimum, aut initio subsequentis admissum tenemur dicere. Atque hi primi nouitij Claræuallis, iam tunc per eos adimplente Domino propheticam visionem, paulo antè Bernardo præostensam. Nisi fortè Vbaleranus Prior aduenerit, ingentis spei iuuenis, & magno postmodum vniuersæ Cisterciensi familiæ vsui futurus. Robertus montis Sigeberti continuator de eo ita. [l] *Vbaleranus Abbas, primus fuit ex nobi-* l ad an.1109.
lioribus personis, qui Claramvallem sua conuersatione illustrauit. Certè omnes nobiles, omnes coætaneos facilè est adiuuicem Prælatos, siue simul receptos omnes primos negatiuè, vt minus, dici posse.

In Catalaunensium Nouitiorum aduentu illud 10.
mirabile, eoque dignum inseri his annalibus, quod celeberrimum Magistrum eiusdem vrbis Claramvallem post ipsos aduenientem imitando, an magis impediendo eorum proposito, neutrum tamen reuera peracturum, Bernardus Pater & spiritu præuiderit, & verbo expresserit. Mirantibus sanè cunctis cùm audierunt, sed multo magis, cùm id ipsum, quod audierant, opere impletum viderunt post nouem menses. Rem, qualiter gesta sit, verbis Guillermi Abbatis, qui ferè potuit oculis haurire clariùs, & fide digniùs, referemus. [m] *Qui-* m lib.1.c.13.
bus adhuc (id est, Rogerio, & sociis) *in domo hospitum demorantibus, dum nouellas plantationes cælestibus rigare colloquiis, superuenit portarius Monasterij, nuntians Stephanum de Vitreio Magistrum eorum adesse ad renunciandum sæculo, & cum eis commorandum. Quis alius de talis viri aduentu non exultasset? præsertim cùm vallis illa huiusmodi frumento, non multum adhuc abundaret. Ipse verò reuelante sibi Spiritu sancto insidias spiritalis nequitiæ, tacitus aliquamdiu ingemiscens, erupit in vocem audientibus vniuersis. Malignus (ait) spiritus huc eum adduxit. Solus venit, & solus reuertetur. Obstupuere omnes, qui priùs audito eius aduentu, non se capere poterant præ lætitia. Veruntamen, ne pusillos adhuc scandalizaret filios, suscepit hominem, de perseuerantia, aliisque virtutibus studiosè commonuit: & sciens, & prudens omnia promittentem, nihil peracturum,*

cùm

cùm verè Deum quærentibus, & perseueraturis in cellam Nouitiorum probandum intromisit. Sed de omnibus, quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Nouem ferè mensibus in Claræualle degens, nouissime tamen defecit, & vt de eo prædictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit: frustrata versutia inimici, vt quem Nouitiorum parauerat in ruinam, de ipsius potiùs ruina illi confirmati sunt.

Hactenus Abbas sancti Theodoriel. Egressum autem Magistri Stephani de domo Nouitiorum, quamuis ad annum sequentem spectare compertum sit, præsenti inseroi, ne verba auctoris nimium interciderēm, & ne lectores euentuum semper auidos suo in hac parte frustrarem desiderio, quod ferè in aliis facere non licuit.

IESV CHRISTI ANN. 1116. | CISTERCII ANN. 19.

1. Series dicendorum. 2. Claræuallis præ inopia desperatio. 3. Primum cælesti oraculo fugata, deinde opere. 4. Bernardi miraculum. 5. & subiunctum prodigium, sed fabulosum. 6. Eidem prædicationis donum de cælo datum; 7. atque ipso opere, & fructu manifestum.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus decimus sextus, Cistercij decimus nonus, quem Bernardo præfecto Claræualli, Claræuallensium acta sibi vendicant, penè aliorum gestis obscuratis, non secus ac stellæ solent, oriente sole. Celebris tamen memoria primi Capituli, quod beatus Pater Stephanus congregauit: tum primum introducta consuetudine, quæ pòst à Cisterciensi desumpta Ordine, ad omnes alios pertransiit, in non minorem illorum vtilitatem, quàm eius gloriam; quod suo loco latiùs demonstrabimus.

2. Claramvallem inopiæ subiacentem vtriusque cibi, spiritualis nimirum, & corporalis, deficientibus sibi necessariis, pro victu corporis, atque Bernardo spiritualem panem (verbum Dei) timidiùs ministrante, pro victu animæ, vndique operiebat caligo, vndique tenebræ. Obscurè sanè, & nimium tunc prementes, sed non longo interuallo pòst fugandæ, imò fugatæ, vt credo, hoc ipso anno, quod ex Guillermo, & aliis mutuatum breuiter, sed fideliter reddemus.

3. Igitur temporalis penuria, famesque tunc magis ingrauescens, intrante hyeme, & subuentionibus vndeque cessantibus, Bernardi fratres denuo conturbauit, desperatione eo vsque producta, vt deserere locum Claræuallis, atque Cistercium redire cogitauerint. Testatur id Anonymus [a] Gallus, antiquus auctor, & qui transcripsit ex his, qui rei adfuerunt, quippe firmandis eorum omnium mentibus, parabat Deus aduersùs nouam diffidentiam, noua miracula. Re ergo ad Bernardum perlata, tristari priùs, soloque prosterni, ipsos simul, & Deum deprecaturus, deinde ad orationem, mox ad lachrymas, vnicum eius refugium in his confugere: neque seorsim Deum deprecari, sed coram omnibus, nempe, vt communi causæ omnes assisterent, & voci suæ, quam debilem putabat, vocem virtutis darent eorum merita. Et iam cunctos silentio occupante, Bernardi lachrymæ cœlos penetrabant, cùm ecce vox cælestis ad ipsum reddita, omnium adstantium auribus intonuit, *Surge Bernarde, exaudita est oratio tua.* Tum verò illi nouitate rei perculsi, pauere quidam, alij dubitare, & de eadem audita voce inuicem quærere, Bernardo ipsum auidè consulere. Et se deceptos fortè cogitarent, si non eadem hora, sed successiuè, duo homines Claramvallem aduenissent, quorum prior libra argenti probati decem, posterior tredecim alias afferebat. Et hic petebat filio sospitatem, quem desperata vita domi reliquerat.

[a] apud Sylu. lib.7. c.3.

4. Bernardus Pater & responso lætus, & de exhibitione præsentium firmiorem adhuc futurorum spem concipiens, benedictionem oblatam deuotus suscipit, Monachos consolatur, confortatque, & tandem benefactoribus suis rependens gratiam, vtrique præmium suæ largitatis, timenti Patri etiam sanitatem promittit iacentis pueri. Nec fefellit promissio discedentem, filio suo non solùm incolumi inuento, sed sibi obuio. Ex illa die Claræuallenses Monachi aduersùs omnem diffidentiam firmati animis, vix sentiebant defectus, quos patiebantur. Sed & fidentiùs, ac firmiùs spetantibus diuina manus promptior subueniebat.

5. Cedant leuioribus etiam historiæ graues, & detur fabulis locus inter authentica. Equos sine rectore vagari solitos, & conuicinos populos discurrere, colligendis fidelium eleemosynis, quas illico ad Cœnobium reportarent, ab oppidanis cuiusdam villæ proximæ, per ludibrium, an per rapinam spoliatos, & pro panibus saxis onustos immensi ponderis, traditio est ab incolis recepta. Porrò Bernardo Patre flagitij conscio, (equis quippe sub pondere gementibus, eoque citiùs rem ipsam publicantibus) atque execrante aggressores impietatis, terram repentè scissam in duas partes, locum cum incolis simul absorbuisse, Ecclesia sola immota permanente, pro certo habent. Et sunt, qui credant in memoriam tanti miraculi, eam etiam paulatim absorberi, nempe ad vnius argentei grossitiem per annos singulos, Ecclesia, loco, saxisque monstratis, queis maior fabulæ fides adstruatur. Adeò nulla omnino terra est, quæ non laboret fabellis incolarum, à quibus ne sancti viri omnino immunes. Verùm autem eiusdem rationis sit similis alia quædam maledictio, qua idem sanctus Aquitaniæ prædicans, dicitur impetiisse viride folium, illius Prouinciæ locum non exiguum: suo tempore dabimus. Nunc sufficiat hæc seriis permiscuisse, quasi per otium.

6. Supererat secunda, & maior fames spiritualis cibi, verbi nimirum Dei, Bernardo Patre aut timidiùs prædicante, aut omnino silente, ne nimio zelo, & rerum inexperto læderet, vt putabat, conscientias fratrum, siue, vt Guillermi Abbatis verbis vtar, *Ne prædicatione eius scandalizarentur potius, quàm aliquid perciperent ædificationis.* Sed qui priorem miraculo compescuit, posteriorem grassari non permisit, maiori Ecclesiæ bono reprimendum, quippe Bernardo assumpto ab ipso Deo in

ministe

ministerium verbi, prædicationis officio illi iniuncto, eoque ad tantum opus adaptato virtute diuina. Id ab eodem Abbate plenius traditum, verbis ipsius exactiùs describemus. [b] *Cumque super hoc vehementiùs turbaretur, & contristaretur, & diuersæ cogitationes ascenderent in cor eius: post multos cogitationum flexus, & cruciatus cordis, decreuit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis, & secreto silentij continere, & præstolari Dominum, donec quocumque modo misericordia sua super hoc ei suam reuelaret voluntatem. Nec tardauit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno; paucis siquidem euolutis diebus, vidit in visu noctis puerum cum claritate quadam diuina adstantem sibi, & magna auctoritate præcipientem, fiducialiter loqui quidquid suggereretur in apertione oris sui: quoniam non ipse esset, qui loqueretur, sed spiritus, qui loqueretur in eo.* Hactenus ille.

b lib.1.cap.6.

Qualiter autem visionem præcedentem subsequens gratia abundantiùs confirmauerit, idem auctor, qui suprà, ita prosequitur. *Ex tunc manifestius in eo, & per eum loquens Spiritus sanctus, & sermonem ei potentiorem, & sensum in Scripturis abundantiorem suggerens, in apertione oris eius, apud auditores quoque ei gratiam addidit, & auctoritatem, & intellectum super egenum, & pauperem, & peccatorem pœnitentem, & veniam postulantem.* Ita Guillelmus. Produnt alij authores, [e] *Cum tempore quodam nescio quid dictaret, & testimonium haberet in promptu, quod præsenti loco congruebat, velletque reseruare in finem, timens ibi defectum, audiuisse de cœlo dicentem vocem: Si istud reseruaueris, aliud non dabitur tibi.* Adeò non ipse erat, qui loquebatur, sed Deus in eo. Sic pax reddita Cœnobio Claræuallis, & corporalis sibi sufficientia, spiritualis abundantia etiam inualuit, inde postmodum per orbem dilatanda. 7.

e Cæsar. in oct. Natiuit. Dom.

1. *Conuersio diuersorum in Claravalle.* 2. *Humberti vita anterior,* 3. *& feruor dignus Bernardi imitatione.* 4. *eiusdem laus.* 5. *& Odonis (subprioris postea) aduentus.* 6. *Dubitatum de Canonicis regularibus,* 7. *de quibus consultus Guillelmus Campelensis suscipiendos respondit.* 8. *Gelduini querela de susceptione,* 9. *& Bernardi per litteras responsio.* 10. *dictorum, temporisque reddita ratio,* 11. *& sancti Patris ad Nouitios exhortatio.*

CAPVT II.

1. PRæuiderat Bernardus multitudinem non sæcularium tantùm, sed regularium è vicinis montibus descendentem ad Claramvallem, quippe, *diuersi habitus, & diuersæ conditionis.* Atque hoc ex parte restabat adimplendum. Cùm ecce celebri eiusdem domus fama per totam Galliam, multi Religiosi, relictis propriis sedibus, atque ex veteranis, imò & emeritis in probata militia, Ducibus, tyrones efficiendi in Claravalle, Bernardi Patris ductum perquirebant. De his Exordium magnum ita scribit. [a] *Postquam gratia, & misericordia Domini nostri Iesu Christi domus Claravallis fundata est, vt flagrantissima sacra religionis eius opinio multis fieret odor vitæ in vitam: inter cæteros, quos diuinæ bonitatis arcanum consilium, de diuersis mūdi partibus vocauit, plures religiosi viri, qui suis in locis perfecti in religionis obseruantia videbantur, audientes quòd tam specialiter, & excellenter magnificasset misericordiam suam Dominus cum domo eadem, & eius sanctissimo Abbate, (Bernardo) tanquam noui tyrones ex eremita militia laboribus venientes, tantæ sanctitatis collegio sociari feruentissima spiritus deuotione cupiebant. Inter quos primi, vel inter primos præcipui extiterunt Humbertus Igniacensis, Cœnobij postea primus Abbas, Raynaldus, & Petrus cognomento Tolosanus, Guillermus, & Gerardus Farfensis, qui non quidem vno in loco, sed diuersis, & multum inter se distantibus Prouinciis habitantes, ita se ab ipsis infantiæ rudimentis diuinis obsequiis mancipauerunt, vt in omni virtutum gratia florentes, alienis quasi perfectioribus exemplis institui minus necessarium habere viderentur.* Ita Exordium.

a lib.1.c.4.

2. Porrò ex his, qui ibidem numerantur, etsi non omnes, nam id prorsus incertum; aliqui tamen ad hunc annum referendi, præcipuè Humbertus, ingentis sanctitatis vir, de quo plura in sequentibus dicemus. Nam ab ipso Claræuallis initio Claramvallem venisse, ipse etiam Bernardus Pater testis est in sermone speciali de eius obitu. [b] *Nobiscum* (inquit) *triginta annis, ab ipso penè principio Monasterij huius conuersatus est.* Porrò vitam illius antecedentem, ac secundam, si ita fari licet, conuersionem in Claravalle, Exordium Cisterciensi ita describit. [c] *Seruus Dei Humbertus à puerilibus annis in Sanctuario Domini locatus, cùm iam per viginti annos strenuè in religione Domino militasset, tandem perfectioris, & sacratioris vitæ desiderio, Claramvallem se contulit, in ipso feruoris principio domus illius, vbi tantis virtutum charismatibus effulsit, tantaque mansuetudinis, & charitatis gratia decoratus extitit, vt tanquam vnus de numero cœlestium Seraphim vniuersitatem congregationis, feruentissima conuersatione sua in amorem Dei vehementer accenderet.*

b habetur inter oper. Bernard.

c lib.3.c.4.

Addit verò de illo rem singularem, nullis vnquam encomiis exæquandam, Bernardum Patrem in exemplar sibi propositum, hunc sanctum virum suscepisse imitandum in suis actibus. *Ipse etiam sanctæ huius, & à Deo benedictæ congregationis speciali prærogatiua beatus Bernardus Abbas in vertice virtutū stans, neque ab homine religionis incrementa mendicare necesse habens, cùm esset tamen doctus vnctione Spiritus sancti, humiliora sectari potius, quàm sublimiora volens, Humbertum Dei famulum ad imitandum perfectionis exemplum, sibi proposuerat, ipsius virtutes admirari satagens, & merita eius magna, & sublimia æstimare, ipsum sanctitatis exemplar, religionis formam, monasticæ puritatis speculum reputare, & respectu illius conuersationem suam nullius momenti pensare, & denique Sancti feruoris ipsius intuitu sua licèt feruentissima studia, tanquam minus habentia die, noctuque castigare.* Hactenus auctor Exordij Cisterciensis. 3.

Qualis, ac quantus Humbertus putandus est, cui Bernardus ardebat conformari? primum in vnoquoque genere cæterorum mensuram appellat Philosophus. Certè Humbertus mensura Bernardi fuit, ipso se commensurante ad illius acta, non ideo primum in Claravalle dicam, sed magnum fuisse nequaquam dubitabo. Monasticem per viginti annos professus adhæserat Monasterio casæ Dei, sub Patris Benedicti regula, quod tabella ad eius sepulchrum appensa tradit. *Primum locum obtinet* (inquit, & intelligit in sepulchro, cui alij insunt) *diuus Humbertus Monachus casæ Dei, qui cùm iam esset maturæ ætatis, ad Beatum Bernardum se* 4.

conrulit, & Prioris officium sub eo aliquandiu administrauit. Deinde factus primus Abbas Igniacensis Cœnobij, &c. Hæc de Humberto ante ingressum Claræuallis, hoc est, ante hunc annum, & de sancta illius conuersatione, nec clariora habentur apud antiquos. Reliqua, quæ ipsius vitam concernunt, suis locis commodiùs inseremus.

5. Humberto addere possumus Odonem Priori subpriorem, non quia Monachum ante aduentum Claræuallis, sed quia admissum à Bernardo Patre per hæc tempora. Nam & de eo in eodem
d lib. 3. cap. 6. Cisterciensi Exordio scriptum lego. [d] *Fuit quidam de senioribus Clarevallis, Odo nomine, Subprioris officium in eadem domo per plures annos strenuè administrans, homo verò pauper, & humilis spiritu. Qui à primis annis domus illius arduos labores, non solum voluntaria paupertatis, sed etiam dura necessitatis (qua in nouitate sua domus illa ob penuriam rerum sæpius constringebatur) tam alacriter percurrit, vt tunc feruentior esse in Dei laudibus notaretur, cùm corporalibus subsidiis ex aliqua parte carere videretur.* A primis (inquit) annis domus illius, & item arduos labores duræ necessitatis, quia in nouitate sua domus illa ob penoriam constringebatur, &c. vt planum fiat, Odonem sub his initiis Monachum iam agentem in Claravalle.

6. Humberto, Odonique hoc eodem anno, certè non multo pòst, additos censeo (quo magis impleretur visio sancti Patris) quosdam sancti Victoris Pariensis Regulares Canonicos, domus fundatæ à Guillelmo de Campellis, antequam Catalauno præficeretur, atque per eum sanctitatis Bernardi, præ aliis conscientiæ, ipsumque venerantis etiam nondum visum. Hi (nam quia aliqualis dissidij ansam præbuere, cuius similia pòst oborta, libet rem totam latiùs explanare.) Hi ergo celebri Claræuallis Cœnobij, & sancti illius Abbatis perculsi fama, iam tunc latè diffusa per totam Galliam, sed Victoriano Cœnobio celebriori, crebris epistolis sui fundatoris, eius fortè visendi quæsita causa, sed imitandi ardentiores, quàm visendi, Campaniam adeunt, Claramvallem visitant, atque ad Bernardi genua prouoluti, suscipi se probandos enixè postulant, si approbentur, perpetuò permansuros. Ille, vt erat maturus in negotiis, atque iuris alieni summè obseruans, neque omnino admittens, neque repellens, Guillermum ipsum duxit consulendum, vt fundatorem illius congregationis, vt virum æquè sanctum, doctumque, & quod aditum fiduciamque præstabat, vt sibi charum.

7. Direxerat deuotus Præsul viros in Claramvallem, eisque mutandæ vitæ auctor extiterat. Quare à Bernardo consultus, sibi conformis, tale fertur responsum tradidisse, Canonicos eius iudicio debere suscipi, nec vlli hominum obserandum ostium tam sanctæ vitæ. Abbatis proprij litteras necessarias pro Monachis, quippe inter professores eiusdem regulæ, in Canonicis nullatenus requiri, quibus leuiori, vt credebat, iugo obnoxiis, liberum esset, renitente adhoc Prælato, ad arctioris vitæ statum peruolare. Nullam in hoc iniuriam cæteris fieri, nullam ipsi conuentui, cui in medioeri statu perfectionis, satis ad gloriam fore, si sit idoneus formandis animis ad altiora tendentibus, semel formatos statim trasmissurus. Addidit tamen se supplicem rogare, amicum intercedere, quin & Episcopum, qua poterat, iniungere; neque id pro extraneis, sed pro filiis. Hæc sanctus Præsul sine æmulatione: neque quia deesset zelus propriæ fundationis, imò & Ordinis, (nam & ipse, Archidiaconatu dimisso, Canonici regularis habitum induerat) sed quia zelus Dei præualebat in viro sancto.

Bernardus Pater tali consilio fretus, vel magis pressus tanta auctoritate, (& quosdam alios ad idem consuluerat,) Canonicos admisit ad probationem. Sed Gelduinus sancti Victoris Abbas, qui post Guillelmum Catalauno præfectum, electus fuerat, anno, vt ferunt, M. CXIII. acerbè ferens suis se filiis orbum etiam ignarum, nec minus credens deferendum esse Canonicis, antiquissimæ, vt volunt, religioni in Ecclesia Dei, eoque Apostolis non solùm proximiori, sed etiam similiori, quàm Monachis in Ægypto, & Ibebaide pòst obortis: quare nec suscipiendos non commendatos, quo poterat conatu contendebat. Oppositum dissensionis seminarium, & scandali incentiuum, maiori iniuria subreptis Religiosis hinc inde ve, quàm quæuis alia bona subripiantur. Spirituum solum Deum ponderatorem, neque sanctitatem, perfectionemve humano fore iudicio metiendam. Se imperfectum, & tepidum cessurum cunctis, sed sancti Patris Augustini regulam sanctissimam nolli alteri prorsus concessurum. Igitur conuocatis suis Canonicis ad Bernardum scribere decreuit humilem sanè, ac veneratione viri Dei, & totius conuentus Claræuallis plenam epistolam, sed minacem tamen, & excommunicationis gladium aut exerentem, aut, ni resiliant, exerere parantem contra Nouitios. His susceptis Bernardus Pater, quo erat aduersùs conuitia, laudesque æquali semper, atque in bonum firmato animo, tale constat responsum tradidisse. 8.

[e] *Exhortatio illa in litteris vestris tam salubris, tam* 9.
compendiosa, magna quidem scientia, mira charitatis e epist. 3.
vestræ indicia mirantibus nobis, & congratulantibus præfert. Sed quod de laudibus nostris pro vestra deuotione, quæ tamen non probastis, tam excellentia præmisistis, & si ad humilitatis quoque formam, quantum ex vobis est, non mediocriter instruere nos potuit, conscientias tamen nostras multo inferiùs iacentes, quantum in nobis est vehementer absterruit. Quis enim nostrûm suam attendens conuersationem, tantam de se, & tam indebita, sine magno vel metu, vel periculo possit audire? De huiusmodi quippe alieno, seu etiam proprio se iudicio committere, securum non est. [f] *Qui enim* f 1. ad Cor.
iudicat nos, Dominus est. Cæterùm de fratribus, de c. 4.
quorum salute vestram nimirum charitatem sollicitam esse cognouimus, vt securos vos reddamus, noueritis multorum illustrium virorum, & maximè clarissimi viri VVillelmi Catalaunensis Episcopi hortatu, & consilio ad nos declinasse, seque à nobis suscipi multis precibus, de supplicationibus impetrasse. Ea videlicet intentione, vt ob tenorem arctioris vitæ, ab institutionibus beati Augustini, ad obseruantias sancti Benedicti Dei adiutorio sic transeant, vt tamen ab eius magisterio, qui vnus est omnibus Magister in cœlo, & in terra, non discedant, illamque primam fidem, quam apud vos, imò quam primum in baptismo promiserunt, non irritam faciant, sed saluam, integramque custodiant. Talibus itaque, & taliter susceptis, absit, vt synceritatem vestram, aut in suscipiendo læsam, aut in retinendo lædendam esse credamus: dum tamen illos, si fortè intra annum probationis, qui regulariter constitutus est, cœpta deserere, & ad vos redire velle contigerit, inuitos non detineamus. Alioqui sanctissimi fratres, vestra non refert, ea spiritum libertatis, qui in eis est, anathemate inconsulto

consulto frustrà impedire nitamini. Nisi fortè (quod Deus auertat) quæ vestra, non quæ Iesu Christi sunt, quærere studeatis. Hactenus Epistola.

10. g in notis ad Epist. 3. D. Bern. Canonicos ad sancti Victoris Parisiensis pertinuisse Cœnobium, Ioannes g Picardus supponit potius, quàm probat: & titulus epistolæ truncatus Canonicos regulares tantùm ostendit. *Ad quosdam Canonicos regulares.* Sed Victoriano, & sui Monasterij callenti antiquitates, de rebus Victorianis habenda fides. Nec Bernardus pluribus consultis, solum Guillermum nominasset in epistola, nisi ad ea scriberet, quos sciret illi specialiter obnoxios, auctoritati eiusdem delaturos. Porrò hæc omnia ad hunc annum referenda, aut saltim non differenda per multum tempus, ipsa Guillermi acta, cuius hortatu, & consilio Bernardus vsus, manifestè conuincunt, quippe qui viuere desiit mense Ianuario anni millesimi centesimi decimi noni, quod ex Necrologo sancti Aginlphi Corboliensis idem Ioannes Picardus adnotauit. Vt ergo epistola post hunc annum scripta sit, procedéte negotio: at hoc, aut ad summum sequenti inceptum, admissis viris, minus potest in dubium reuocari. Nos in lectoris gratiam ea coniunximus, quæ magis ad rem facere sunt visa. Nec dubito Canonicos retentos, quorum non vlla memoria vlteriùs extat, siue id auctoritate Guillermi delatum sit, siue Bernardi Patris, siue vtriusque. Hanc primam litem agitatam super personis, multæ aliæ, & pleræque graues sequutæ sunt. Et imminebant plures, si non Bernardus, & iuris sui retinens, neque alieni inuasor, obuiasset, multis repulsis, nec dilaris paucis, sed constanter retentis semel admissis, quod ipsa historiæ series demonstrabit. Atque hæc de primis Nouitiis Claræuallis.

In quibus tamen tacendum non est, quòd sanctus Pater Cœnobium ingredientibus, corpora exteriùs dimittenda fore dicebat, & solos spiritus Claramuallem introituros. *Si ad ea, quæ intus sunt, festinatis, hic foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis. Soli spiritus ingrediantur: caro non prodest quidquam.* Et absterruisset multos verbum hoc, si non teneris parcens, exposuisset de concupiscentia, & affectibus carnalibus, quos foras relinquerent, nequaquam vltrà ab ipsis resumendos. Hæc in Claravalle. 11.

1. Cistercij incrementa, 2. & ex Basilij magni regulis, 3. sumpta capitula. 4. quibus visitationes etiam addita, 5. atque neutrum dilatum vltra hunc annum, 6. Bernardi ex nimia pœnitentia grauis infirmitas, 7. procurata à Guillermo Campellensi, primum frustrato, 8. mox per Capituli Patres exaudito: 9. & præparatum Sancto tuguriolum, in quo saluti eius prouideretur.

CAPVT III.

1. NOn minus interim Cistercij crescere omnia, augeri fratrum numerum, obseruantiam vigere, & tractu temporis intendi, quàm remitti, pauculis filiis suppetere necessaria, denique omnia in melius semper ire Stephanus Pater congratulabatur. Nec quiquam sibi, aut suæ solicitudini, sed cuncta in Deum ratus referenda, quo se gratiorem præteritis exhiberet, nouis semper augmentis inhiabat.

2. Inciderat olim in Basilij magni regulas, quas
a in regul. S. Basil. cap. 54. Sanctus vocat fusiùs disputatas, & in caput earum quinquagesimum quartum, cuius hic tenor. [a] *Quòd Præpositi conuentuum vicissim de his, quæ se concernunt, conferre inter se debent. Responsio. Operæpretium est autem si statis interdum quibusdam temporibus, certisque locis consessus celebretur eorum, qui fratrum conuentibus præsunt, in quibus videlicet tum de rebus his, quæ sibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus etiam ad tractandum naturis, aut moribus; & quomodo in singulis moderandis se gesserint, vicissim inter se communicent, & conferant, quo videlicet, si aliquid aliquando minus rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum sententia, maiore cum auctoritate quod in medium adductum est, quale sit, indicetur. Contraque, si quid rectè gestum, multorum similiter testimonio comprobetur.*

3. Igitur Stephanus Pater dum hæc memorat, in
b in reg. c. .. sancti Patris Benedicti regula [b] pro tempore omissa, sed non negata, eoque si expedire videantur, etiam concessa, maximè ipso sancto Legislatore Basilium appellante, pro his, quæ ab ipso fuissent prætermissa; paucos Abbates statuit vocare, præfixa die Cistercij congregandos. quo videlicet ex mutuo omnium congressu, colloquioque, in vnum mysticum corpus coadunati, anima etiam
c Actor. c. 2. vna efficerentur: & sicut olim [c] credentium multitudinis, ita & tunc Cisterciensium Monachorum vnum cor, vna mens semper existeret; quantumuis pòst diffunderentur per totum orbem, facilè eo congressu concordandi, si discordauerint. Conceperit ne tunc prouidus Pater eumdem repetendum per annos singulos, in dubio est. Certum hoc anno vt maximè indictum, habitumque, & ex eo continuatum per longa sæcula, fortè simul cum Ordine incepisse, vt non immeritò dolendum nobis sit, laudabilem consuetudinem inter nos, siue quod propiùs dicam, nobiscum natam, nobiscum adultam, atque à nobis translatam ad alios Ordines, ingenti eorum bono conseruatam, maiori ex parte in nostro defecisse, vix permanentem in quibusdam illius membris. Et ne in his quidem pura, perfectaque, quippe electionum discordia, si non ambitu, perturbante vnionem, & dum quisque blanditur suffragantibus, disciplinæ rigorem remittente. Sed hæc aliàs.

Cæsarius Heisterbacensis coæuas Capitulis visitationes tradit, singulis etiam annis perficiendas, has corrigendis vitiis, secandisque; illa charitati, & vnioni stabiliendis. Atque en eius verba. [d] *Duo enim primitiui Patres nostri instituerunt ad vitiorum correctionem, & charitatis conseruationem: videlicet generale Capitulum, & singulas annis visitationes domorum.* Crediderim, aut hoc anno natam vtramque legem, quin & integram illam pactionem inter matrem, & filias confirmatam, Episcopis ante omnia ostendendam, de qua superiùs: aut fortè illo adhuc antiquiora. Nam vt constet, generale Capitulum hoc anno; at ante illum, non aliud celebratum, nequaquam constat. 4. d lib. 1. c. 1.

Cæterùm non dilatum vltra hunc annum, duo mihi argumenta manifestant: alterum sumptum ex morte Guillermi Præsulis; alterum ex Bernardi infirmitate. hæc quia modico tempore transacto, ab eius in Abbatem ordinatione: quam tamen constat in annum præcedentem incidisse. 5.

Et Guillermus Bernardo procurando Cistercium abiit, in Capitulo eodem præsentandus, quod iam dicemus. Illa, quia incidit sub initium anni millesimi centesimi decimi noni. Et tamen Guillermus duobus, vt minus, annis superuixit Capitulo, cui interfuit, altero procurandæ saluti sancti Patris sub cura rustici; altero fundando Cœnobio Trium fontium; nec paucis aliis, quæ reddemus loco, & tempore. Vtrunque multo clarius percipitur, si ad historiam iam interim redeamus.

6. Indixerat ab ingressu Cistercij Bernardus bellum crudele, & atrox carni suæ, non quidem contumaci, rebellive, sed quouis modo Sanctis pertimendæ. Id acta vitæ eius his verbis referunt. [e] *Sed cùm caro in eo ex dono præuenientis gratiæ, & adiutorio subsequentis naturæ, & bono vsu spiritualis disciplinæ, vix iam aliquid concupisceret aduersus spiritum; hoc est, quod spiritum læderet, spiritus supra vires, supra virtutem carnis, ac sanguinis, tanta aduersus carnem concupiscebat, vt infirmum animal cadens sub onere, vsque in hanc diem non adiiciat,* [f] *vt resurgat.* Hinc quasi desuetudine alimenti impatiens stomachus, si quid sumebat, crudum reuocabat. quod à transacto anno probationis incepisse, eadem acta describunt in hæc verba. [g] *A primo siquidem conuersionis suæ anno, seu egressionis de cella Nouitiorum natura eius, cùm tenera nimis semper, & delicatæ complexionis fuisset, ieiuniis multis, & vigiliis, frigore, & labore durioribus, & continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum omnino per os solet reiicere, quod ingeritur.* Complicabantur & aliæ infirmitates, quas longum esset in præsenti recensere, nec nimis vtile. His præpeditus discessit à Cistercio; his in Abbatem Claræuallis præfectus, & crescentibus ab ipsa præfectura, quippe sibi quodam modo relictus, nullis protsus rigoribus parcebat, nullis laboribus; in febrem incidit, grauem quidem, nec diu passuram hominem subeunti oneris pondere gementem: cessuram tamen, vt credebatur, ex onerato, & in aliquo sibi compatienti. Hæc modico post benedictionem eius sequuta tempore, vt nimium differatur, venit nobis hoc anno referenda.

e lib. 1. c. 4.

f Psalm. 40.

g cap. 4. lib. 1.

7. Non latuit charissimum sibi amicum, & patrem venerabilem Catalaunensium Præsulem, de salute viri eo magis solicitum, quo magis ab eo contemni expertus erat. Venit ergo ad infirmum non vocatus, & sanctum Patrem deuotè visitauit. Ibi multa de morbo, plura de causis eius sciscitatus, non desperauit de salute hominis; tantum rigori vitæ quid detraheret, & qui cadenti nullatenus pepercerat, parceret corpori saltim surrecturo. Vile mancipium illud, sed mancipium, eoque sustentandum, quandiu viuit, quo possit spiritui deseruire. Nam quid, si viribus protsus deficientibus, sui protsus probaretur homicida? Quid, si tunc recens natam Claramvallem sibi charissimam, quid, si gregem Cistercij tenellum adhuc, quid tandem, si vniuersam Ecclesiam Dei iniuriosus priuaret, illam parente charo, has filio vtili? Sed hominem nihil tale præsumentem, & sibi semper suspectum de seipso, minus mouebant, quæcumque dicebantur.

8. Tum verò Episcopus reducendi desperans, comperto, quòd Cistercij iam instabat celebrandum Capitulum, cui Bernardus non posset contraire, Cistercium humilis decreuit proficisci; atque ad Abbatum pedes prouolutus (quæ sancto viro reuerentia Sanctorum inerat) Bernardum petere sibi obediturum, ac suæ committendum curæ per annum integrum. Porrò idipsum opere exequutum, & consequutum, quo maior dictis fides adhibeatur Guillermi, & Alani verbis libet prosequi, rem totam reducentium, quasi ad compendium. [h] *Modico verò pòst tempore (à Bernardo in Abbatem ordinato) transacto, cùm eò vsque infirmitas Abbatis ingrauesceret, vt iam non nisi mors eius, aut omni morte grauior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solùm vitæ eius, sed & sanitatis spem habere diceret, si consilio eius acquiesceret, secundùm infirmitatis suæ modum, aliquam corpori suo curam patretur impendi; ille verò à rigore consuetudinis suæ minus faciè flecti posset, profectus Episcopus ad Capitulum Cisterciense, ibi coram paucis Abbatibus, qui conuenerant, Pontificali humilitate, & sacerdotali charitate toto corpore in terram prostratus, petiit, & obtinuit, vt toto anno vno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari?* Hactenus illi. In quibus stupidus erit, qui non miretur, hinc dignationem venerabilis Episcopi, illinc sanctorum illorum nostrorum Patrum, non dicam dignitatem, sed reuerentiam. Quatuor tantùm, & pauperes Abbates conficiebant Capitulum, Stephanus, Bertrandus, Hugo, Arnaldusque (nam Bernardus abfuisse credendus est, desperata salute, penè & vita) & si qui Monachi illos comitabantur, ex antiquioribus. Et nihilominus ingens Ecclesiæ Princeps, nec minus moribus, quàm doctrina orbi illustris, non dedignatur prouolui ad eorum pedes, solo prosterni, & supplex exorare: nec reputat Pontificiæ dignitati quicquam detractum iri per hæc obsequia. Ea tanti Præsulis reuerens dignatio Cisterciensium Conuentuum initia consecrauit. Et perierunt huius primi reliqua acta, nisi quòd tamen, si quæ statuta sunt, crediderim chartæ charitatis, post tres annos confectæ, fuisse inserta.

h lib. 1. c. 7.

9. Episcopus impetrato, quod petierat, Claramvallem reuertitur, Bernardum visitat, Capituli generalis mandatum promit, sibique vel inuitum ex tunc obediturum, non iactabundus, sed gratulabundus commemorat. Cæterùm quid ab eo prouisum sit restaurandæ saluti Abbatis sancti, ex eisdem Guillelmo, & Alano accipiat lector. [i] *Reuersus itaque (scilicet Episcopus) extra claustra, & terminos Monasterij, domunculam vnam ei,* (id est, Bernardo) *fieri præcepit, ordinans, & mandans in cibo, vel potu, siue in aliquo huiusmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis districtionem, nullam de tota cura domus ad eum referri solicitudinem, sed sini eum viuere secundùm modum ab eo præfinitum.* Sic Bernardus, separatus ad tempus à suis filiis, & zelo suo negatus, quamuis inuitus, extra conuentum mansit, primùm Episcopo, mox per Episcopum rustico subiectos, nec nisi anno transacto liberandus. Quæ autem in illo secessu illi contigerint, quas Angelorum, quas hominum consolationes, visitationesque susceperit, sequenti anno, quo euenisse coniectamur (nam pauci menses in reditu Episcopi, & domunculæ illius præparatione necessariò elapsi) more nostro fideliter reddemus.

i lib. 1. c. 7.

IESV CHRISTI ANN. 1117. CISTERCII ANN. 20.

1. Bernardi salus rustico commissa, 2. cùm ipse Medicos, & medicinas artefactas detestaretur. 3. Quale tugurium illi præparatum, 4. & qualis rusticus. 5. Guillelmi Abbatis cum Sancto familiaritas, 6. atque vtriusque in alterum affectus. Bernardi Patris martyrium per annum integrum: 7. Claræuallis sub Gualtero Priore summa perfectio, 8. atque ostensa Bernardo per visum translatio domus.

CAPVT· I.

1. ANNO salutis per Christum reparatæ millesimo centesimo decimo septimo, Cistercij vigesimo, Guillermus Catalaunensium Præsul procurandæ salutis Bernardi curam sibi ab Stephano Patre, & Capitulo Cisterciensi delegatam subdelegauit rustico, ignaro quidem, & penè naturali rationis vsu carenti homini, sed iactanti, seu donum sanitatis, seu medendorum morborum experientiam, longis, & dubiis medicinæ anfractibus non securiorem tantùm, sed breuiorem. Nulla gens, nulla ætas vnquam fuit, quæ non huiusmodi homines portaret, quibus optata semper promittentibus, ac productis exemplis, vt ementitis, sic non examinandis, facilior fides, atque appetitu ad assecutum inclinante, grauissimi etiam viri suppetias eunt. Episcopus siue rustico fidens Bernardi sanitatem ferè præsenti, siue in hoc forte eidem Bernardo deferens Medicos aspernanti, & artefactas omnes medicinas, conduxit hominem, cui sanctus Pater curandus obediret.

2. Porrò Bernardum Medicos, medicinasque aspernari solitum, tamquam minus decentia Religiosos, habet lector ex epistola eius satis notabili, ad Monachos sancti Anastasij in vrbe, super hoc ipso, cùm per Abbatem tunc eiusdem domus Petrum Bernardum, postmodum Eugenium tertium Ecclesiæ Præsulem, sollicitum pro suis consuleretur. [a] *Cæterùm* (inquit) *vnum quidem à me petit Abbas vester venerabilis, quod mihi minimè bonum videretur. Credo autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam, & consilium Dei in hoc scio equidem, quòd in regione habitatis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus. Sed mementote, quis dixerit:* [b] *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: & cùm infirmor* (inquit) *tunc fortior sum. Compatior vtique, & multum ego compatior infirmitati corporum; sed timenda multo magis, ampliusque cauenda infirmitas animarum.* Quo autem hæc omnia ab ipso allata sint, quidque petierint, ipseque negauerit, clariùs manifestat, dū statim subdit. *Propterea minimè competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed neque expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At verò species emere, quærere Medicos, accipere potiones, religioni indecens est, & contrarium puritati, maximè autem Ordinis nostri, neque honestati congruit, neque puritati. Hæc* [c] *omnia gentes inquirunt.* Hæc Bernardus: quæ ideo hîc subiungenda esse putaui, ne zeli sancti Patris inscius lector, deuotum Præsulem damnet sacrilegij Bernardum sibi tradi postulantem, illico à se tradendum homini bruto, & penè sancti Abbatis homicidæ.

[a] epist. 321.

[b] 2. ad Cor. cap. 12.

[c] Matth. 6.

3. Domunculam Bernardo præparatam paruam, & humilem, quippe ad illius modestiam & paupertatem, non adstruentis largitatem compositam, leprosorum tuguriis Guillermus comparat, testis fidelis, oculatusque, vt qui in eadem Bernardum visitauerat. [d] *Inueni eum* (inquit) *in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet.* Ibidem autem feriatum ab omni cura, eoque soli Deo, & sibi vacantem, quantum languoris acerbitas permittebat, idem qui suprà auctor ita prosequitur. *Inueni autem ex præcepto, vt dictum est, Episcopi, & Abbatum, feriatum ab omni solicitudine domus, tam interiori, quàm exteriori, vacantem Deo, & sibi, & quasi in deliciis paradisi exultantem.*

[d] lib. 1. c. 7.

4. Ergo à conuentu fratrum segregatus, feriatusque, & rustico illi medico commissus, qui soli morbo restituturus desperabatur, longè acerbiorē expertus, & passus est eiusdem morbi pseudocuratorem. Nulla prorsus adhibita cura viro Dei, nullus ciborum, nullus potus delectus habitus, ipso vix discernente sensu emortuo, & medico suo nihil prouidente, ingenito torpore, siue inscitia. Audi Guillelmum testem oculatem, virum Dei visitantem in his angustiis. [c] *Ibi cum eo manducauimus, cùm arbitraremur hominem tam infirmum, tantaque prouidentia commissum, sicut oportebat procurandum, & videremus ei, agente medico illo suo, offerri cibos, quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret, videbamus, & tabescebamus; vix regulari silentio nos cohibente, quin in illum, quasi in sacrilegum, & homicidam ira, & contumeliis insurgeremus.* Hæc de Medico. Et prosequitur statim de infirmo. *Ipse autem, in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æquè omnia approbabat, sicut qui sensu ipso corrupto, & penè emortuo sapere, vix aliquid discernebat. Nam & sagimen crudum per errorem sibi oblatum, pro butyro multis diebus noscitur comedisse, oleum bibisse tamquā aquam, & multa alia contingebant ei.* Hactenus Guillelmus. atque ex his desumptus versus hymni, in officio sancti Patris cantari soliti.

[c] ibidem.

Oleum calicis bibis pro sbetico.

Deriuatiuo à Thetis satis duro: extorto tamen quærendis assonantibus, quod illis poëmatibus commune, meritò ea relegauit à nostro sæculo.

5. Addit Abbas sancti Theodotici, ab hoc tempore frequentatum ab ipso hominem Dei, & nec tunc solùm, sed alio comitatum Abbate illuc venisse, Religiosum vtrumque, vtrumque nigri Ordinis, quo videat lector sanctissimam familiam, quantumuis in aliquibus tunc nostris infensam, quippe auersantem nouitatem vitæ, & singularitatem obseruantiæ, quæ laxiora quæcumque condemnaret: tamen per viros graues, sanctosque fauorabilem potiùs, & deuotam, multum eorum initia promouisse. quod in hoc ipso venerabili, & verè sancto Abbate, in beato Petro Mauricio Cluniacensi, ac multis aliis, nec solùm affectu, & verbis, sed operibus, ipsa series historiæ demonstrabit.

6. Cæterùm de prima hac visitatione ipsum Guil-

f lib. 1. cap. 7. lelmum audiamus ita loquentem. [f] *Ingressusque regium illud cubiculum* (sic tugurium vocat, cui Sanctus aderat) *cum considerarem habitationem, & habitatorem, tantam mihi (Deum testor) domus ipsa incutiebat reuerentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantáque affectus suauitate circa hominem illum, tantoque desiderio, in paupertate illa, & simplicitate, cohabitandi ei, vt si optio illa die mihi data fuisset, nihil tam optassem, quàm ibi cum eo semper manere ad seruiendum ei.* Qualiter autem à Bernardo è conuerso susceptus sit, & quod status, & vitæ suæ rationem sciscitanti, reddiderit responsum, immediatè continuat in hæc verba. *Cumque & ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, & quæreremus, quid ageret, & quomodo ibi viueret? modo illo suo generoso arridens nobis, Optime,* inquit, *ego cui hactenus homines rationales obediebant, iusto Dei iudicio irrationali cuidam bestiæ datus sum ad obediendum.* Hæc Guillermus de Bernardo ibi manente, quem annuum martyrem iure nuncupaueris, aliquibus in tormentis fortè non imparem, quippe non solo corpore cruciatum, sed etiam spiritu, in duratione longè superiorem. Neque erat gloria ante oculos proposita, iam iamque capessenda, quæ quo propinquior, eo acriùs incitaret.

7. Cæterùm de conuentu Claræuallis in hac absentia Patris dilectissimi, sub Gualtero Priore, quæ propriis oculis hausit idem Guillermus, piaculum
g lib. 1. c. 7. putarem, si non adiicerem. [g] *Denique in valle illa plena hominibus, in qua nemini ociosum esse licebat, omnibus laborantibus, & singulis circa iniuncta occupatis, media die, media noctis silentium à superuenientibus inueniebatur, præter laboris sonitum, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porrò silentij ipsius ordo, & fama tantam etiam apud sæculares homines sui faciebat reuerentiam, vt & ipsi, non dico praua, vel ociosa, sed aliquid etiam quod ad rem non faceret, ibi loqui vererentur.* & paulò inferiùs. *Omnes quippe etiam in multitudine solitarij ibi erant .... Quia sicut vnus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est: ita ibi vnitate spiritus, & regulari lege silentij, in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis Ordo ipse defendebat .... Panis non tam furfureus, quam terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus: cætera quoque cibaria, quæque vix erant aliquid saporis habentia, præter eum, quem fames, seu amor Dei faciebat.* Hactenus de Claravalle sub Gualtero, vt videat lector, qualis, ac quantus fuerit, qui sic supplebat locum Bernardi Patris, sub quo, si minus forsan dilectus filiis, penè potuisse non desiderari.

Per idem tempus exigendo Bernardi animo, 8.
Angelos Deus è cœlis destinauit, qui vnica visione, quippe cœlesti, firmauerunt infirmum, & præsentis Claræuallis status, nedum futuri pauidum, ferè potuerunt reddere securum. Visionem acta ipsius ita describunt. [h] *Nocte quadam solito attentiùs orando, effuderat super se animam suam, cùm leniter soporatus voces audiuit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Euigilans autem, & easdem voces pleniùs audiens, cellam quoque, in qua iacebat, egreditur, & prosequitur abeuntis. Haud prorsus aberat locus, densis adhuc spinarum, vepriumque frutetis abundans, sed nunc longè mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant, velut alternantes chori hinc inde dispositi, & vir sanctus audiebat, & delectabatur. Cuius tamen mysterium visionis non prius agnouit, quàm translatis post aliquot annos ædificiis Monasterij, eodem loco positum Oratorium cerneret, vbi voces illas audiuisset.* Hactenus acta. Et de translatione Claræuallis dicemus in tempore; interim illud tantùm perpendamus, Bernardum Patrem, etsi tunc minus certum, saltim post annos aliquot suam Claramvallem Angelorum cœtibus, Monachos Angelis, cantantium in choro voces, vocibus Angelorum per omnia similes, Deo ipso monstrante, cognouisse, simulque translationem à se factam, placentem ipsi, quippe talibus signis auspicatam, imò præuentam. h lib. 1. cap. 7.

---

1. Roberti historia per compendium vsque ad hunc annum, 2. quo Cluniaci Prior missus ad Claramvallem, 3. adolescentem Cluniacum, cui adhuc infans oblatus, reuocauit. 4. Explicatus Bernardus in puncto iuris: 5. & ratio temporis ostensa, 6. & confirmata. 7. Excusatus Petrus venerabilis, 8. & distincti Abbates Cluniacenses. 9. Epistola Bernardi ad Robertum miraculosa; 10. & miraculi varia testimonia. 11. Demum notati errores recentiorum circa hoc ipsum.

Caput II.

1. REm certam, sed incerto tempore traditam, à multis tactam, à nemine expeditam coniector in hunc annum referēdam. Discessum loquor Roberti à Claravalle, Bernardo Patri secundùm carnem propinqui, (sic ipse loquitur) sed spiritu longè propinquioris, qui Cisterciensem, Cluniacensemque familias, nec parum, nec ad breue tempus conturbauit. Is Cluniaco olim, dum puer esset, oblatus à parentibus, sed detentus in sæculo, processu temporis Bernardi exemplo motus, verbo-
a epist. 1. que, quod idem sanctus Pater ad eum scribit. [a] *Nam si dignaris,* (ait) *& verbo, & exemplo meo in religionem, ego te genui.* Cistercium venerat vnus ex sociis, qui eum comitabantur. Cæterùm cùm tenella adhuc ætate, rigori Ordinis minus conueniret, repulsam passus a beato Patre Stephano, per duos integros annos detentus fuerat, perseuerans, & pulsans, tandemque impetraturus, quod exora-
b ibidem. bat. [b] *Quo tempore* (inquit Bernardus) *patienter expleto, & absque calumnia, suis precibus, multisque, (si meministi) lachrymis diu expectatam impetrasti misericordiam, & quem satis desideraueras ingressum, obtinuisti.* Tunc Bernardo ad Claramvallem misso cum suis fratribus, & sanguine propinquis, Robertum puerum, qui vnus ex eis erat, siue traditum statim, siue post annum tradendum designatum, Claræualli Stephanus addixerat, sub sancti Patris ducatu profecturum. Cæterùm cùm lasciuientis adhuc pueritiæ motus solito zelo Bernardus coërceret, idque forsan acerbiùs in nepote; quod ne ipse quidem Sanctus diffitetur. *Delicato quippe adolescentulo* (ait) *austerus extiterā, & tenerum durus nimis inhumane tractaui.* Cluniacenses, siue ab ipso Roberto moniti, siue dolentes amisisse adolescentem nobilem, atque ab ipsa pueritia sibi debitum, aucupium parant, mittuntque venerabilem Priorem, iouenem, seu volentem educturum, seu seducturum nolentem, vt res exposceret. Porrò id (quod in hunc annum referimus) qualiter exequutioni mandatum sit, quia sanctissimam Cluniacensem concernit domum, ne in aliquo excedam, siue deficiam, verbis eiusdem Sancti libet prosequi.

Primò

2. c epist.1. d Matth.c.7. [c] *Primò quidem missus est magnus quidam Prior, ab ipso Principe Priorum, foris quidem apparens in vestimentis ouium, intrinsecus autem lupus rapax. Deceptisque custodibus, æstimantibus quippe ouem esse, væ væ, admissus est solus ad solam lupus ouiculam. Nec refugit ouicula lupum, quem & ipsa putabat ouem. Quid plura? attrahit, allicit, blanditur; & noui Euangelij prædicator commendat crapulam, parsimoniam damnat: voluntariam paupertatem, miseriam dicit; ieiunia, vigilias, silentium, manuumque laborem, vocat insaniam. E contrario ociositatem, contemplationem nuncupat; edacitatem, loquacitatem, curiositatem, cunctamque intemperantiam, nominat discretionem. Quando (inquit) delectatur Deus cruciatibus nostris? Vbi præcipit Scriptura quemquam sese interficere? Qualis verò religio est fodere terram? syluam excidere? stercora comportare? Nunquid non sententia veritatis est, Misericordiam volo* [e], *& non sacrificium? Et nolo mortem peccatoris:* [f] *sed magis, vt conuertatur, & viuat. Et, Beati misericordes,* [g] *quoniam ipsi misericordiam consequentur. Vt quid verò Deus cibos creauit, si non liceat manducare? Vt quid nobis corpora dedit, si prohibeat sustentare? Denique qui sibi nequam, cui bonus? Quis vnquam sanus sapiens, carnem* [h] *suam odio habuit.* Hæc Bernardus, io persona Prioris oiissi, quo mious stilo temperans, eo animarum zelum ostendens magis, atque acrioribus verbis securiùs vsus, quo arctiori charitatis vinculo, eos etiam amplectebatur, quos increpabat.

e Oseæ c.6. f Ezech.18. g Matth.5. h Eccles.14.

3. Sed qualiter ipse Robertus Priori consenserit, & Claravalle deserta, ductus Cluniacum, à Cluniacensibus fuerit susceptus: denique qualiter sedandæ illius conscientiæ, pauidè quippe ex discessu à Claravalle, ac Cisterciensem reiectam disciplinam sæpiùs repræsentanti iuuenis menti, Romam transmiserint, ac Pontificium priuilegium impetrauerint, pergit Bernadus scribere in hunc modum. [i] *Talibus tandem allegationibus malè credulus puer circumuentus seducitur, seductorem sequitur, Cluniacum ducitur, tonderur, raditur, lauatur, exuitur rusticanis, vetustis sordidis, induitur pretiosis nouis, ac nitidis, & ita in conuentum suscipitur. Sed cum quali putas honore? Cum quanto triumpho? Cum quanta reuerentia? Defertur ei super omnes coætaneos suos, & tamquam victor rediens a pugna, si laudatur peccator* [k] *in desideriis animæ suæ. Sustollitur in altum, statu non mediocri collocatur, ita vt multis senioribus Prælatus sit adolescens. Fauet, blanditur, congratulatur ei vniuersa fraternitas, exultant omnes, tamquā* [l] *victores capta præda, quando diuidunt spolia. O Iesu bone! quàm multa facta sunt pro vnius animulæ perditione? Cuius ad hoc quantumlibet robustum pectus non emollesceret? Cuius interior, quantumuis spiritualis oculus non conturbaretur? Cui inter talia ad suam liceat recurrere conscientiam? Quis denique in tanta pompa vel veritatem videat agnoscere, vel obtinere humilitatem? Mittitur interea pro eo Romam, Apostolica compellatur auctoritas, & vt Papa non neget assensum, suggeritur ei infantem olim à parentibus oblatum fuisse Monasterio. Non fuit, qui refelleret: neque enim contradictor est expectatus: iudicatum est de parte, abindicatum absentibus. Iustificati sunt, qui iniuriam fecerunt, exciderunt à causa, qui passi sunt: absque satisfactione absoluitur reus; firmatur priuilegio crudeli nimium clemens sententia absolutionis, quo reportato, confirmaretur fluctuanti mali suasa stabilitas, securitas dubitanti. Et hic tenor literarum, hæc iudicij summa, hæc totius causæ diffinitio, vt teneant, qui tulerunt; sileant, qui amiserunt.* Hactenus Bernardus, cuius verbis nihil prorsus addi potuit, sed neque quidquam demi sine piaculo.

i vbi suprà. k Psalm.9. l Esai 9.

4. Cæterùm quod ad punctum iuris attinet, quia Scholasticos nostros malè torquet, [m] quibusdam donationem parentum præferentibus, eoque solum Robertum excusantibus, quòd promissus tantùm fuerit, non donatus: [n] aliis è contra per traditionem filij de seipso, qualemcumque anteriorem rescindi existimantibus, atque vtrisque Bernardum adducentibus, quasi eius mens pro vtrisque stare posset: placuit eiusdem Sancti verba subnectere, quibus probat Robertum sibi deberi, vt vel ex ipsis aperta eius sententia, constet quid in re fuerit sentiendum. [o] *Videant (inquit) & iudicent, quid potiùs stare debuerit, an votum patris de filio, an filij de seipso, præsertim cùm filius maius aliquid vouerit? Videat & famulus tuus legislator noster Benedictus, quid regularius sit, vtrùm quod factum est de infantulo nesciente ipso, an quod ipse per se postmodum prudens, & sciens fecit, cum iam ætatem haberet, vt pro se loqueretur?* Atque hæc quidem Sanctus tamquam præcipua, & iuris sui neruos præferentia. Quæ eadem, occurrente casu simili, pro Thoma de sancto Audomaro inculcat & repetit ad Leonium Abbatem sancti Bertini, dum ita ait. *Sed iam videndum est quid ponderis habeat illud quod dicitis, eum oblatum à parentibus. Videat prudentia vestra, quid habeat plus vigoris, & rationis, vtrùm illud, quod factum est de ipso per alium, ipso nesciente, an illud quod sciens, & prudens de ipso fecit?* Non ergo dubium, hanc fuisse Bernardi mentem. Cæterùm ad præcludendum omnem aditum, cùm non ignoraret ab aliquibus receptum, Monachos etiam fieri traditione paterna, quod Concilium [p] Toletanum quartum (non multo pòst à Gratiano [q] decreto insertum) iudicasse videtur, quantumuis ipse Sanctus contrarium sentiret, ne vel hoc qualicumque quæsito colore, daretur euadendi Roberto locus, non absolutè, sed conditionatè, & quasi per condescensum quemdam subiungit. *Quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum. Neque enim petitio, quam regula præcipit, pro eo facta fuit à parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione inuoluta palla altaris, vt sic offerretur coram testibus .... Alioqui oblatus Monasterio, quid quærebat in sæculo?* Quasi diceret. Donatio patris de filio prorsus inscio, nequaquam potest præualere donationi filij, ab ipso de se factæ, sciente, prudenteque, & volente tradere. Sed esto posset, vt aliquibus videtur: at Robertus promissus, sed non donatus, sui iuris remansit, vt se traderet, adeoque, ne hac quidem ratione fieri potest, quin se Cistercio debeat, non Cluniaco. Atque hæc obiter notanda esse putaui, quo verum sancti Patris sensum promerem, nunquam docentis sola Patrum traditione ignaros filios, reluctantesve Monachos effici; sed tantùm id, velut gratis admittentis, cùm nihilominus oppositum sentiret. Et ne à Doctoribus in partes dissecatus, quod satis frequens, vtrimque adduceretur pro suo libito, quamuis nonnihil etiam ad rem facere, neque abhorrere ab historia ipsa videantur.

m Basil. l. 7. de matr. c. 5. num. 8. & 9. n Vasq. 1.2. disp. 165. c. 4. à num. 52. o epist. 1. epist. 324. p Canon. 49. q cap. Monachum 27. q. 2.

Iam quod ad rationem temporis attinet, Prioris aduentum, Robertique discessum coniector non differendos vltra hunc annum. Namque Robertum seductum fuisse constat non multo post emissam professionem, quam anno præterito etiam emisisse io comperto est, admisso eo ad Ordinem Cistercij, ante fundatum Cœnobium Claravallis, adeoque ante mensem Iunium anni millesimi centesimi decimi quinti. cuius rei testem habeo omni prorsus exceptione maiorem (Exordium Cisterciense) de eodem Roberto ita loquentem. [r] *Dominus Robertus, quōdam domus Dei Abbas,* r lib. 3 c. 9.

& sancti Bernardi secundùm carnem propinquus in adolescentia sua [f] *iugum Domini suaue, & onus eius leue apud Cistercium susceperat. Postmodum verò, Reuerendissimo viro Dei Bernardo primo Claræuallis Abbate constituto, sub ipso in eodem Cœnobio cælestibus disciplinis instituebatur.* & plura alia, quæ ibidem sequuntur de seductione Roberti, atque discessu. Cæterùm in primis verbis perpendo illud aduerbium *postmodum*, quo institutio Bernardi in Claravalle, admissione Roberti probatur fuisse posterior. Adeoque & ipse admissus ad probationem anno, vt minimum, M. C X V. Idque ante mensem Iunium (quo Bernardus præfectus futuræ domui) sequenti anno, hoc est, M. C X V I. Deo consecratus votis solemnibus: neque enim detentus per ætatem, quæ ante probationem, vt suprà vidimus, integro iam expectata biennio fuit. Vnde etiam videat a Bernardo Patre neque absolutè filium, nec solo verbo à se in religione genitum nuncupari, sed verbo, & exemplo. *Nam si dignaris* (ait) *& verbo, & exemplo meo, in religionem ego te genui.* quippe non à se admissum, sed ab Stephano, non potuit absolutè filium dicere. Sed neque sola prædicatione conuersum, genitumve, quem suo exemplo traxerat de sæculo, exequens opere, quod verbo prædicabat. Denique nec Cistercij stabilitate firmata semel, facile ad Claramvallem transisset, nisi fundando nouo Monasterio, extunc ab Stephano Patre adscriptus nouæ coloniæ.

f Mat. c. 11.

6. Hoc testimonium Exordij satis euidens plures aliæ confirmant coniecturæ. Tum, quia Robertum recessisse constat, quasi fugientem nimiam auunculi sui austeritatem, quod ipse etiam Bernardus ei concedit. [r] *Sed dices* (ait, Robertum alloquens) *nec læsi quemquam, nec spreui, sed spretus potiùs ego, ac multifariè læsus, tantum fugi malefactorem meum. Cui iniuriam feci, si iniurias fugi?* Et iterum. *Fugere persequutionem non est culpa fugientis, sed persequentis. non contradico.* & plura alia, quæ in epistola continentur ad hoc propositum. Hæc autem, etsi meritis poscentibus, semper Bernardo possint conuenisse: at multo meliùs sub initium præfecturæ, quo inter defectum, excessumque, experientiæ, & zeli, perfectissimos etiam exterruit. Tum quia, quod dicit, *custodibus deceptus*, traditum Robertum Priori, ouem lupo, Bernardi absentiam videtur indicare, quæ non incongruè refertur ad hunc secessum.

r Epist. 1.

7. Sed tandem tertiò, & quod caput omnium est, quia incredibile prorsus apparet sub Petro venerabili, viro sanctissimo, ac Bernardi Patris, vel inter ipsa dissidia non solùm amantissimo, sed reuerentissimo, aut Priorem missum decipiendo adolescenti, aut deceptum, susceptum cum eo honore, cum eo iubilo; & senioribus etiam antelatum, in dedecus, ac probrum totius Ordinis. Multo autem minus crediderim viro sancto Cluniaci præsidente, Bernardum Patrem proruptiturum in ea verba plena acrimoniæ, nec vacua amaritudinis, quibus scatet epistola: nec si fecisset, Deum aduersùs Sanctum ea comprobaturum, præcedenti miraculo, eoque satis grandi, quod mox subiungam. Vero similius deceptum, susceptumque tempore Pontij (nam Hugo tribus tantùm mensibus præfuit) à beato Petro dimissum, & transmissum, post annum Christi M. C X X I I. quo ipse in præsulatum fuit assumptus. Et de transmissione quidem postea dicemus: nunc de discessu tantùm coniectamur, de Prioris aduentu, & de seducti admiranda susceptione. Porrò hæc, quantúmuis alias dedecentia, Cluniacensis Cœnobij grauitatem, quantúmuis leuia, si ad Pontium referamus, nihil homine indignum asseremus, ad maiora etiam mala prouoluto, quippe inuasore sui Monasterij per sacrilegia, per cædes, per rapinas, & quæ plura [u] idem Petrus venerabilis de eo scripta reliquit, ex quo alij, [x] nec pauci transcripsere. Sed de his infrà.

u lib. 2. miracul. c. 12.
x Baron. tom. 12. ann. 1125.

8. Crediderim ergo Robertum puerum primo illo sancti Patris Bernardi rigore territum, nec sperantem tam citò mitigandum, scripsisse Cluniacum, orta occasione ex secessu sancti Patris: Pontium porrò hoc anno illius Abbatem, eidem occasione captandæ, atque Roberto simul abducendo, transmisisse Priorem: tum Roberto Cluniacum deducto, ibique tonsurato, misisse Romam, siue hoc eodem anno Paschalis Papæ, siue sequenti Gelasij, priuilegio impetrando, & sedandæ per illud conscientiæ iuuenis. Neque enim ex quo Calixtus electus est, Cistercienses, quos summè diligebat (sic loquuntur de eo omnes auctores) nec sterili amore, sed fructuoso, & in opera multa prorumpente, inauditos omnino condemnasset. Inde Bernardum, expectato non paruo tempore, scripsisse epistolam, quæ vt sub Pontio nihil impetrauerit, quod ipse sanctus Doctor conquestus est ad Abbatem sancti Nicasij Remensis scribens, ita sub Petro efficaciam sortita, Robertum tandem valuit reuocare. [y] Sed id post annos aliquot contingens, quo tempore venisse credimus, reddemus.

y Epist. 34.

9. Interim ne lectorem nimium distraham, quamuis epistola post hunc annum scripta sit, quia eius tot testimoniis vsi sumus, sciat lector, Bernardum impatientem absentiæ iuuenis, spiritu sibi iuncti, simul & sanguine, mellitas ei litteras scripsisse; nec minus planè longas, quàm efficaces, quei ipsum reuocaret ad Claramvallem. Porrò hanc epistolam, ex qua ferè quæcumque hactenus dicta, sicut Spiritu sancto afflante à beatissimo Patre dicta fuit, ita Dei esse opus, quod intendebat, manifesto miraculo innotuisse; quod ab Abbate sancti Theodorici descriptum, ipsius verbis meliùs referemus. [z] *Frater Robertus, eiusdem sancti viri* (id est, Bernardi) *Monachus, & secundùm carnem propinquus, in adolescentia sua quorumdam persuasione deceptus, Cluniacum sese contulerat. Venerabilis autem Pater postquam aliquandiu dissimulauit, eumdem fratrem statuit per epistolam reuocare. quo dictante venerabilis Guillelmus, Rieuallis, postea Monasterij primus Abbas, in membrana scribens, eamdem excipiebat epistolam. Erant autem ambo pariter sub dio sedentes, ad dictandum quippe secretius septa Monasterij egressi fuerant. Subitò autem inopinatus imber erupit; & is, qui scribebat (sicut ipso referente didicimus) chartam deponere voluit. Ad quem Pater sanctus: Opus, inquit, Dei est: scribe; ne timeas. Scripsit ergo epistolam in medio imbris sine imbre. Cùm enim vndique plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis, & qui dictabat epistolam, schedulam quoque pariter conseruabat.* Hactenus Guillelmus. Cardinalis Baronius, dum idem refert, renouatum Gedeonis miraculum adnotauit. [a] *Cùm vndique madente terra densis imbribus, charta illa, in qua epistola scribebatur (velleri similis) neque gutta pluuiæ ostendi potuerit esse læsa.*

z lib. 1. c. 11.
a tom. 12. an. 1126.

10. Addit Guillelmus in memoriam tanti miraculi, epistolam hanc in codice epistolarum Bernardi primum sortitam locum, quamuis aliæ ante ipsam scriptæ fuerint. Idem in hymno eius decantari ostendit versus,

Scribit epistolam in imbris medio.

Quin

Quin & in ea vallis parte, qua & notata, & scripta tradebatur, ædiculam sacratam decursu temporis, [b] Ioannes Picardus etiam adnotauit. Qui tamen, nescio, qualiter desideret locum (si ipse loquitur) ex quo miraculum bausere maiores, idque ad faciendum fidem lectori suspicioso. Cùm inter acta Bernardi vix vllum sit maiori dignum fide, quàm boc miraculum, vtpote ex relatione Sancti, à Sancto scriptum, vtroque sancto Patri familiari; altero, qui miraculi pars fuit, saltim qui expertus est ipsum miraculum; altero, qui ex eius ore illud scriberet.

b in notis ad epist. 1.

11. Hæc de tempore discessus Roberti coniectata à nobis, aliorum maneant iudicio corrigenda. Illud certissimum, errasse à vero Basilium [c] Legionensem, dum priuilegium ab Innocentio secundo obtentum tradit, vix post tredecim annos summo Pontifice. Nec minus Ioannem [d] Picardum, dum lecta eiusdem Sancti *epistola* 32. qua dolet Robertum Cluniaci retineri, putat nunquam rediisse ad Claramvallem. Sed rediisse, & sanctissimè vixisse, atque in Abbatem etiam domus Dei, è Claravalle sub Bernardo Patre editæ prolis, ab eo præfectum, & præcedentia satis indicarunt, & suo loco sequentia item docebunt.

c lib. 7. de marr. cap. 15. num. 8. 9.

d in not. ad epist. 1.

---

1. Concilium Auenionense, in cuius reditu Guido Cistercium visitat, 2. Viennæ Allobrogum conuentum petiturus. 3. Instrumentum antiquum super hoc ipso: 4. & Viennensium nobilium donationes, 5. confirmata à Guidone, iam Calixto secundo summo Pontifice. 6. Bertrandi mors, & Petri substitutio. 7. Bernardus Pater ad rigorem vitæ reuersus. 8. Tescelini conuersio; 9. Variè à Vincentio scripta, & ideo dubiè: 10. obitus, 11. & Humbelinæ memoria incidens.

CAPVT III.

1. AT Patrem Stephanum Cistercij commorantem, & sui Ordinis incrementis semper intentum, non minus benignus Deus consolabatur. Agebat tunc Legatum per totam Galliam regio stemmate insignis Guido Burgundus, Stephani Comitis Burgundiæ frater, atque tunc imperanti Henrico quarto, arcto sanguinis fœdere coniunctus; quod Guillermus Tirius, [a] Sugeriusque, eius temporis auctores tradidere. Sed præcellebant in viro virtutes, constantiaque, firmato aduersùs Imperatorem animo, quippe sacrilegè innadentem Ecclesiæ iura. Hic sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, atque Viennæ Allobrogum Archiepiscopus, Concilium indixerat, quod à Baronio, & Vinio prætermissum; constat tamen hoc anno celebratum Diuione in ipsa Ducum Burgundiæ curia, magno consensu Episcoporum, & Abbatum. Igitur siue Cistercio ante deuotus, nam eius semper suffragio surrexisse, sunt, [c] qui affirment, siue propinquitate loci tactus, & celebris sanctitatis Cistercij fama, nec non, & venerabilis illius Abbatis Stephani, quem adfuisse Concilio vix est dubium, alloquij, & morum suauitate illectus, in reditu Cistercium visitauit, vbi à sancto Abbate hospitio habitus, maiora longè inuenit, quàm conceperat.

a lib. 12. de bello sacro.
b in Ludou.

c Vinc in specul. hist. l. 25. c 94. Antonin. 2. p. tit. 15. c. 18.

2. Tum verò suo Viennensi territorio tantæ religionis radiis illustrando, siue etiam orationibus muniendos Monasterium struere cogitauit, & Monachos à beato Patre petiit, per quos in eo Cisterciensis reformatio, & nouum vitæ genus propagaretur. Stephanus communicato consilio cum suis fratribus, quo sine nihil exequi consueuerat, primum Deo, mox Archiepiscopo etiam gratias agit, Monasterium acceptat, Monachos offert, tandem cum eo Viennam proficiscitur, lustraturus Prouinciam, electurus locum, & ædificij formam traditurus, fortè etiam acceptandis donationibus prædiorum, de quibus laborantes fratres sustentarentur. Extat de his monumentum distinctum satis, antiquitate sua venerabile, in paruo Chronico Bonævallensi, cuius hic tenor.

3. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo cẽtesimo decimo septimo, cùm dominus Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, Viennẽsis Ecclesiæ Archiepiscopus, nunc autem Papa Catholicus, rediret à Concilio, quod apud Diuionense castrum, cum multorum Episcoporum, & Abbatum, aliarumque religiosarum personarum conuentu celebrauerat; veniens ad nouum Monasterium, quod vsitato vocabulo* Cistercium *nuncupabatur, rogauit Dominum Stephanum Abbatem illius loci, vt in Viennensi suo Archiepiscopatu Monasterium construeret, vbi Monachi sub regula, & Abbate viuẽtes, pro se, & omni Clero, & populo sibi commisso, misericordiam Dei deuotè exorarent. Cuius petitioni idem Abbas, communicato Monachorum sibi commissorum consilio, annuens venit Viennam, & consilio, & adiutorio prescripti Domini Papæ Calixti, in valle quadam cœpit Cœnobium ædificare, quod Bonam vallem idem Papa dictauit vocari. Et sciendum, quòd omnes sumptus ad hoc opus necessarij eiusdem Papæ prouidentia, seu administratione prouenerunt.* Hactenus in Chronico.

4. Stephano Patre Viennam appulso cum Archiepiscopo, nouum viuendi genus mirari eius, venerari personam sancti Abbatis, in habitu abiecto, & despicabili, sed quo abiectiori, despicabiliorique, eo magis faciente ad reuerentiam; Cisterciense institutum verbis attollere, audita referre, atque in maius augere pro more hominum: tales Monachos sibi conuenire, propitiando, aduersùs peccata, diuino numini. Nec solum verbis, sed rebus etiam agere; ex nobilioribus quippe totius terræ, prædia, & agros certatim offerebant. Et acceptatæ ad laborem sufficientes, cæteris æstimatis, sed non admissis. Simon de Bello visu, Garinus de Pineto, & Guillelmus de Castellione inter præcipuos, qui terras Monasterio contulerunt. Nec tacendus sancti Theodorici Guillelmus Abbas cum suis fratribus Benedictinis, vt puto, habitus nigri (quamuis id Monasterium in libro taxarum Cameræ Apostolicæ, in diœcesi Viennensi non reperiatur.) Quo clariùs constet, Cistercij incrementa, progressusque, non parua ex parte ab initio ipsis deberi, dum vel propria Cœnobia, quod satis frequens, ad nouum vitæ genus reformabant, vel ex propriis donabant, quod non infrequens, quo reformata commodiùs sustentarentur. Atque hoc in vtriusque familiæ, quæ tunc iam emergebat, æmulatione: quæ, vt incipientes aliquos turbauerit, at perfectiores, & maioris meriti viros nequaquam tetigit. Guillelmi, & cæterorum donationes non multo pòst confirmauit idem Guido, iam Calixtus secundus, suis ad Bonevallenses litteris datis, quæ sic se habent.

5\. [d] *Calixtus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis*
d in Chronic. Bonavall. *filiis Ioanni Abbati Monasterij sanctæ Mariæ de Bonavalle, & eius fratribus tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Etsi nos vniuersis Ecclesiæ filiis debitores ex Apostolicæ sedis beneuolentia existimamus; vobis tamen propensiori conuenit charitatis studio prouidere. In Viennensis siquidem Ecclesiæ adhuc regimine positi, sapientium, ac religiosorum virorum consilio locum vestrum elegimus, & vos assensu charissimi filij nostri Stephani Cisterciensis Abbatis, de ipso venerabili, ac religioso Cisterciensi Monasterio assumptos, in eo statuimus, vt ibi deinceps religionis monasticæ disciplina, protegente Domino, conseruetur. Vestris ergo, filij in Christo charissimi, petitionibus annuentes, vos, & prædictum locum vestrum sub Apostolicæ sedis tutela suscipimus, & vestra omnia beati Petri patrocinio communimus. Confirmamus insuper vobis omnem terram, quæ Bonus fons nominatur, Mansum Asueni, cum terris, & syluis Simonis militis de Bello visu, Garini de Pineto, Guillelmi de Castellione... Mansum de Ribato, ex concessione Guillermi Abbatis sancti Theodorici, & fratrum eius.* & plura alia, quæ ibi numerantur. Subscriptio autem priuilegij talis est. *Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus confirmo. Datum Viennæ per manum Grisogoni, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij. Septimo Idus Februarij, indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo vigesimo.* Hæc confirmatio prædiorum post triennium, quæ nascituræ domui velut in dotem, ipso Guidone procurante, designabantur. At Pater Stephanus, cunctis iam dispositis, benedictione ab Archiepiscopo accepta, & cæteris benefactoribus suis consalutatis, Cistercium reuersus est; constructa domo, conuentum emissurus.

6\. Per idem tempus venerabilis Bertrandus, primus Abbas egressus de Cistercio, primæ filiæ fundandæ, de qua suprà, firmiter in ea religione fundata pro norma nominis, nec parum aucta bonis, personisque, plenus dierum, nec vacuus virtutum, agonis sui cursum consummauit, incerta die, nec satis certo anno, parua licèt interueniente differentia. Henriquez Menologio suo inseruit, idque ad decimam diem mensis Aprilis. *In Monasterio* (inquit) *Firmitatis depositio beati Bertrandi, primi Abbatis illius loci, qui vitæ integritate, & doctrinæ præstantia Ordinem Cisterciensem mirabiliter illustrauit.* Hæc ille. nec scio satis, an pro libito. Mirum, quod Ioannes Abbas, Cistercij Pater, primum Cistercij filium manumissum, nec longè positum, sed intra eamdem diœcesim, aut ignorauerit, aut conscius prætererit, Bertrando Petrus substitutus est, cuius superiùs fecimus mentionem, ex Priore promotus in Abbatem, meritis ingens, doctrinaque conspicuus, nec in ea sede diutiùs permansurus, quippe in Pontificem breui promouendus, quod mox videbimus. Nunc ad Bernardum Patrem reuertamur.

7\. Qui interim expleto secessus sui anno, ad Conuentum reuertitur, dubium an firmior, & salute robustiori? Certè ardentior districtioris disciplinæ, & restaurandi rigoris dudum omissi. quod acta
f lib. 1. cap. 8. vitæ eius ita referunt [f]. *Sed continuò, cùm ab annua illius obedientiæ vinculo solutus, & sui iuris effectus est, velut arcus distentus, ad pristinum rigorem, & sicut torrens detentus, & dimissus, ad prioris cursus consuetudinem reuersus est, quasi repetens à semetipso pœnas diuturnæ illius quietis & dationis laboris intermissi.* Porrò speciales illius abstinentias, orationes, vigilias, & cætera, quibus carnem suam domabat, eadem acta his verbis prosequuntur. *Orabat stans die, noctuque, donec genua eius infirmata à ieiunio, & pedes eius à labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, & quantum occultum esse potuit, cilicio ad carnem vsus est: vbi verò sciri aduenit, continuò illud abiiciens, ad communia se conuertit. Cibus eius cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent. Cætera vel eius infirmitas non recipiebat, vel parsimoniæ studio recusabat. Vino si quando vtebatur, rarò, & nimis modico, cùm magis aquam, & infirmitati suæ, & appetitui competere testaretur. Sic autem affectus, & confectus à communi fratrum labore, siue diurno, siue nocturno vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu à communibus occupationibus, & laboribus ministerij sui.* Hactenus acta. Nec silentio prætereundum, quod visum Medicis, admiratumque, suprà naturam esse attestabantur, aut fortè contra. [g] *Vide-* g lib. 1. c. 2.
bant eum (inquit Guillelmus Abbas) *& conuersationem eius homines medici, & mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur.* Sic deficiente natura, vigebat gratia, & iam tunc ipso exemplo demonstrabat, Religiosos non solùm à deliciis, sed à nimia etiam cõseruatione salutis abstemios fore.

Per idem tempus Pater eius Tescelinus, relicto 8.
sæculo, Claramvallem venit, filiis suis aggregandus, fratrique ac sub Bernardo Deo militaturus. Guillelmus, & Alanus de eo ita. [h] *Cumque iam a-* h lib. 1. cap. 6.
liquatenus didicisset (Bernardus) *inter homines conuersari, & humana agere, & tolerare, & cum fratribus suis inciperet frui fructibus conuersionis suæ: Pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos.* Addit Vincentius in speculo morali, Tescelinum eumdem reluctantem, nec consentientem filio, ab eodem nihilominus conuersum mirabili efficacia, nec solùm verbis motum, sed quasi exemplo, quod in gratiam lectoris hîc subiungam.

[i] *Cum beatus Bernardus conuertisset omnes suos, &* 9.
sequuti fuissent eum, Pater eius inobediens erat ei, in sua i lib. 3. p. 3.
duritia perseuerans. Cùm autem semel in villa sua prædi- distin. 22. in
caret, nec vellet ei pater suus obedire, præcepit, quòd ap- fine.
portaretur ignis. Quo facto, applicauit eum ad quemdam truncum veterem, qui erat ante portam Ecclesiæ, & cum laboraret ad eum succendendum, non poterat accendi, sed fumabat. Tunc iniunxit omnibus, vt post comestionem illuc conuenirent ad sermonem, & quòd quilibet apportaret secum vnum fasciculum de malleolis sarmentorum, & proiiceret super illum truncum. quo facto, præcepit ignem apponi, & succensis fasciculis, etiam truncus succensus est, maximum ignem emittens, & flammantem. Tunc beatus Bernardus cœpit sermonem de tormentis, & igne inferni, quomodo inobedientes, fasciculis peccatorum suorum super eos proiectis, torquerentur in inferno. Et de hoc ita excellenter prædicauit, quod ipsum Pater suus durus & inobediens ad claustralem obedientiam sequutus est. Hæc Vincentius. Qui tamen dum eumdem euentum in eodem opere morali diuersimodè accidisse testatur; fidem dictis demere videtur, sibi contrarius. Certè lignis ad truncum applicatis, atque succensis, in quo vtrobique conuenit, reliqua longè aliter narrauerat. [k] *Quo facto* (inquit) *ligna* k lib. 2. p. 3.
sicca citò succensa sunt, & truncus tardè circa medium dist. 4.
ab extremis emittens humorem fœtidum, & fumum teterrimum, diu ignem seruauit. Tunc incepit sanctus loqui de pœnis inferni, dixitque Patri, quòd ipse esset similis illi trunco, qui hîc non poterat igne diuino succendi, sed in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, & fœtentem fumum emitteret. Ad quæ verba Pater compunctus, eum sequutus est, & Monachus effectus. Ita Vincentius, discordans à seipso.

Non

10. Non multo tempore vixisse in Monachatu, facile est ex Guillermo coniectari: vix namque refert Monachum effectum, cùm subiungit de morte pauca hæc verba. [l] *Qui cùm aliquantum tempus ibi fuisset, obiit in senectute bona.* Eadem, pro suo more, habet Alanus, nec quid aliud antiqui, quos ego viderim. Henriquez, æquè diligens, ac pius, Tescelinum suo inseruit Menologio, ad vigesimum tertium diem mensis Maij, quippe virum religiosum, vel in sæculo, eoque religiosiorem in Monasterio, præcipuè sub Bernardi disciplina. Antiquos omnes obliuio hominis tenuit, exceptis his, quæ superiùs recitauimus. Multis sanctis scatent Monasteria, multis Ecclesiæ, quos Sanctorum catalogus non continet, non quia tales non sint, sed quia non satis constat, an sint tales.

l lib. 1. cap. 6.

Humbelinam viro digno antelocatam, & ratio ipsa poscebat, & auctores indicare videntur, etsi non asserant, quippe solum Patrem relictum domi affirmant, haud dubiũ quin ipsa traducta in domũ viri. Eamdem nunc in sæculo degentem sustineat lector, non diu post associandam Patri, & fratribus.

IESV CHRISTI ANN. 1118. — CISTERCII ANN. 21.

1. Mors Paschalis, & Gelasij substitutio. 2. Cistercij sub Patre Stephano fœcunditas. 3. Pruliaci fundatores, 4. & primus Abbas. 5. Curia Dei primordia comperta minus: 6. sed sancti Hugonis illustria sanctitate. 7. Perfectum Bonæuallis ædificium, 8. & sanctus Ioannes cum conuentu illuc directus. 9. Vita sanctorum Monachorum Bonæuallensium, 10. ex vicinia Carthusia commendata.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus decimus octauus, Cistercij vigesimus primus, quo Paschalis Papa senio tandem confectus, & fato functus, successorem habuit Ioannem Caietanum, post Gelasium secundum, vnius anni Pontificem futurum, nec sine æmulo; Imperatore, schismatico nimirum, schismaticum Mauricium, alij Burdinum malunt, intrudente, dignum tamen præesse per longum tempus, ac summa in pace Ecclesiam gubernare, virum quippe æquè doctum, sanctumque, neque inæqualis zeli, atque constantiæ.

2. Huius tempore Cistercium dilatatum sub Patre Stephano, quatuor filiis, tres alias superaddidit. Pruliacum in Episcopatu Senonensi, Curiam Dei in Aurelianẽsi, & in Viennensi tertiam Bonamvallem: omnes Stephano Patre agente natas, eius cura adultas; quin & matres per eum etiam futuras, idque in breui, vt videat lector Stephano scriptores, non scribendi materiam defuisse, magisterio ipsius ita quæsito, ita fœcundo, vt euacuando discipulorum numero vix vllæ vnquam suffecerint missiones. En quatuor iam ex actis intra triennium, nouæ parantur, nouis, ac nouis in dies prodituris.

3. Pruliaco fundatrix Adela Angliæ infans, memorabilis fœmina, admirabilisque (sic eam vocat Guillermus [a] Neubrigensis, Anglus auctor, nec distans ab eo sæculo) Stephani Blesensis quondam vxor, Theobaldi mater, cuius superiùs fecimus mentionem. Fundauit autem eodem Theobaldo, quem præ cæteris filiis diligebat, non solùm consulente, sed adiuuante, & promouente ædificia Monasterij, quæ erat munificentia illius Principis, larga in omnes, in nostros inexhausta. Guillermus de Nangia, sancti Dionysij apud Parisios Monachus in Chronico manuscripto hæc habet verba. *Anno Christi millesimo centesimo decimo octauo fundata est Abbatia Pruliaci à Theobaldo Comite Campaniæ, & Adela matre sua.* Petrus Tarantasiensis Archiepiscopus non multo pòst Cœnobium illustrauit. *In eo namque per spatium mensis vnius* (inquit [b] Ganfredus Abbas) *infirmitate detentus plurimis ægrotis beneficium præstitit sanitatis.* Quin & ibidem annonam multiplicauit, pro his, qui aderant salutem recepturi. De eo in Chronico [c] Antisiodorensi, in epistolis Petri Cellensis, & sæpè alibi. Maximè autem in diffinitionibus [d] Cistercij, multis Pruliacensi Abbati concessis gratiis, quòd quota in ordine suæ generationis, prima post quatuor hæc domus haberetur in toto Ordine. Sed hæc, & alia suis locis distribuemus.

a lib. 1. rerum Angl. cap. 4.

b vita S. P. apud Sur. mense Maij c. 34. & 35.

c circa hunc ann. lib. 2. epist. 8.

d diff. ann. 1318. & in nouellis. c. 12. in fine.

In Abbatem aliter Attraudus præfectus est, Bernardi Patris in Cistercio socius, studiis compar, amicitia iunctus, quin etiam & ætate coæqualis. quod idem sanctus Pater memoriæ prodidit, epistola in hæc verba ad eum scripta. [e] *Quidquid gratia & dilectionis sibi impendere possunt absentes amici, puto & me debere tibi, & mihi deberi à te, non solùm ob consortium propositi, & professionis, sed etiam ex debito nostra inuicem pristina societatis.* Hæc de amicitia, & conuictu vtriusque apud Cistercium. Ætate autem eos non inæquales, inferiùs manifestat, dum ita pergit. *Timendum tibi pariter & mihi, ne si sollicitè in operibus nostris non seruemus, quod Apostolus dicit,* [f] *Nemo adolescentiam suam contemnat: citiùs quia iuuenes sumus, de leuitate notemur.* Quibus videas, non solùm coætaneos, sed & epistolam scriptam prope hunc annum. Aliàs Bernardo vigesimum octauum annum iam agenti, non multum deerat, vt iuuenis non esset. Ex quo vlteriùs eumdem hunc Artaudum, primum Pruliaci Abbatem, coniectamur, virum prudentia, & moribus præstantem, quod amicitia Bernardi satis probat; neque improbat Stephani iudicium, adhuc iuuenem præficientis nouo Cœnobio. Denique id ipsum effectus confirmauit, Pruliaco sub ipso ita crescente, vt breui nouæ prolis spem conceperit, nec edendæ tantùm, sed longè adhuc terrarum transmittendæ, vt suo loco dicemus. Hæc ex Bernardi epistola ad ipsum. Non me latet, in aliquibus codicibus Pultariensem pro Pruliacensi Abbate scriptum: sed emendatiora exemplaria Pruliacensem [g] legunt, quod Ioannes etiam Picardus adnotauit; quamuis errans in diœcesi, pro Senonensi, Remensem designauerit. Neque inuenies Monasterium Pultariense, cuius Abbati epistola conueniat. Memoratur Attraudus Abbas Pruliaci in epistolis Petri Cellensis *lib. 2. epist. 8.* Itémque à Stephano Tornacensi *epist. 72.* & alibi. 4.

e epist. 73.

f 1. ad Tim. 4.

g in not. ad epist. 73.

Obscu

5. Obscuriora initia Curiæ Dei, idque fortassis non quia ignobiliora, sed quia incognita. *Anno* (ait Chronicon Cœnobiorum Cistereiensium) *M. C XVIII. pridie Kalendas May fundatur Abbatia, de Curia Dei.* Incerto tamen prorsus fundatore. Nisi quòd struendæ domui fundum donasse dicuntur, Ioannes Episcopus, Decanus, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Aurelianensis. De die discrepat Dunense M S. ex quo vix plura, sed fortassis certiora Henriquez hausit. [h] *Curia Dei Aurelianensis diœcesis, Cistercy filia fundata anno Domini millesimo centesimo decimo octauo, decimo secundo Kalendas May.* Claudius Robertus Chronicon sequutus, & pauca quædam addens, hæc habet verba. [l] *Curia Dei, Ordinis Cisterciensis, diœcesis Aurelianensis conditur. anno M. C XVIII. pridie Kalendas May, sub Ioanne Episcopo Aurelianensi L X I X. apud Carolum Sanscium, vbi eius Abbates recensentur, vnus ex his interfuit cum aliis vndecim eiusdem Ordinis expeditioni Albigensi, apud Petrum de Vallibus Samay cap. 52.* Hactenus Claudius. Nos Carolo Sanscio nec dum inuento, adeoque neque Abbate primo cognito, quæ Petrus Vall Sarniensis tradit, reddemus in tempore. Extat in iure mentio Curiæ Dei, Abbati eius à Gregorio nono causa commissa, super matrimonio Guidonis Vice Comitis, *in cap. accedens, dist. 4. vt lite non contestata.* Nec non aliis Pontificum decretis, de quibus infrà.

h in Menol. Sept. 18.

l in sua Gallia Christiana.

6. Verùm primordia eius (inter nebulas ipsas) summè illustrat sanctitas, & perfectio nouæ coloniæ, cælesti gloriæ supra modum appetens, terrenæ contemptrix, imò auersatrix, adeò vt Sanctos non minus occultare, quàm habere, & vel ipsis domesticis ignotos æque, ac Deo cognitos facere studuerit. Vnus pro mille, testis Hugo sit, de quo vix quidquam scitur, præter miracula, & ne hæc quidem populis paterent, si non salus. Philippus Seguinus post longam satis, & exactam inquisitionem, hæc tantùm pauca. [k] *Sanctus Hugo, Curia Dei Monachus, vel Abbas (nam id incertum) vir sanè fuit miræ sanctitatis, & virtute miraculorum insignis. Colitur à populo summa deuotione, & febricitantium patronus habetur.* Hæc Seguinus, reliqui paucinra. Henriquez sancti viri memoriam recolit ad decimam octauam diem mensis Septembris, nulla maiori luce, quàm ex Seguino. Is in historia Cistercij frequens dolor, vt eos etiam, quos scimus, ignoremus; nec quales fuerint dicere possimus, cùm constet fuisse. Sed si eunctorum acta permanerent, quis finis esset annalium scribendorum?

k In Catal. Sanct. Ordi. Cist.

7. Non sic exordia, & progressus Bonævallis, quibus vt nihil infuit non illustre, fundator, Abbas, Monachi, atque proles; sic ea omnia posteritati mandandi prouidis viris abinitiò curæ fuit. Feruebat opus surgentis Monasterij, iuxta exemplar ab Stephano relictum; idque agente Reuerendissimo Archipræsule, atque ædificij impensas ministrante. Quod ipse etiam post biennium iam Summus Pontifex, diplomate ad Decanum & Canonicos Ecclesiæ Viennensis directo, ita testatur, [l] *Abbatia quoque sancti Petri foras portam Viennæ, & intra eandem vrbem Abbatia sancti Andreæ, & Abbatia sanctæ Mariæ de Bonavalle, quæ præstante Deo, nostris sumptibus, & nostris est fundata laboribus.* Sic ipse Pontifex. Vnde, & in Chronico Bonævallis scriptum legas, *quòd omnes sumptus ad opus Monastery eiusdem Papæ prouidentia, seu administratione prouenerunt.*

l apud Baro. ann. 1120.

8. Igitur consummata domo, atque exactioris ædificij commodo non omnino indemni, sororibus (sic enim voco filias eiusdem matris) quamuis tardiùs conceptis, celeriùs natis, eoque semper illi præferendi, Stephanus Pater, quo erat in Guidonem, atque eius fundationem propenso animo; siue vtiliùs partus tarditatem maiori benedictione compensaret, selectis Monachis, selectum Abbatem dedit, venerabilem Ioannem, illum nimirum, qui Cisterciensis Ordinis proposito, in Iacobæam peregrinationem commutato, de libro vitæ deleri se præuiderat vix sancto Apostolo pro eo fideiubente, & vix intercedente rescribendum: sed rescriptum tamen, & lætissimo auspicio futurorum, magnum Dei Sacerdotem, nec exiguo totius Ecclesiæ bono, ipsa eadem visione prænunciatum, quod suprà vidimus. Nec crediderim sine prouidentia Dei factum, vt Præsuli Diui Iacobi obseruantissimo, & qui de miraculis ipsius historiam scripsit; Abbas eidem Sancto summè addictus, & sub ipsius clientela seruatus mitteretur. Certè Guido, cùm etiam iam Calixtus, quod Guillermus Malmesburensis reliquit scriptum. [m] *Angelos peregrinos magis ad sanctum Iacobum Compostellanum, quam ad Romam pergere admonebat.* Vt non immeritò Iacobæi sepulchri cultor, & quidem celebris, fundando eius Cœnobio datus sit, eoque ab ipso in maiori honore habitus, atque ardentiori adstrictus dilectione.

m de gestis Reg. Angliæ. l. 5.

Tum honorificè ab Antistite suscepti, quia Cistercienses, quia missi à beato Stephano, quia sub ducatu Abbatis peregrini, qua munificentia tantum Ecclesiæ Principem, qua pietate decebat viros sanctos, sacrauere Cœnobium. Nomen, ac dedicatio ex dictis nota: cætera in spiritualibus felicia, in temporalibus tenuia præ modestia, nec nisi fratrum labore subleuanda. Extat in actis sancti Amedei Monachi, incipientis Bonævallis, & disciplinæ ibidem institutæ, pulcra descriptio, quam in gratiam lectoris ab auctore synchrono, & oculato traditam, non pigebit ad literam transcribere. [n] *Præerat* (inquit) *Bonævalli Ioannes vir religiosissimus, primus eiusdem Cœnoby Abbas, postmodum Valentinus Episcopus, cuius vitam sanctissimam miracula crebra testantur, quæ per ipsum, & cum ipso ad tumulum eius omnipotens operatur. Erat autem domus eadem nouella plantatio, diuitiis & possessionibus, nec non & habitatoribus egens. Sed religione, & bona fama præ cunctis Viennensis Archiepiscopatus Monasteriis pollens, Monachi per se metipsos excolebant noualia, succidebant syluas, dumeta extirpabant, quæ iterum arefacta ipsi nihilominus succendebant, Contos, quos vulgo furgones vocant, tenentes in manibus: quibus, vt mos est noualium agricolis, titiones submouebant. Cumque tota die in huiusmodi exercitio laborarent, tam Solis calore, quam ignis ardore vehementer fatigati, atque instar fabrorum ferrariorum denigrati, circa horam nonam prandendi causa domum repedabant. Et statim signo lauandi pulsato, corporis ardore adhuc æstuantes, intrabant refectorium, vbi quidquid apponebatur, pro magnis deliciis habebant, fame cogente. Panis erat spurcus, lolio, & vicia mixtus, eiusque parua libra: potus laticis plus habebat, quàm meri. Scutella plena rapis, atque oleribus offerebantur pro piscibus. His dapibus pasti, gratias referebant omnium largitori. Diei reliquum lectioni, & orationi vacabant, vsque ad vesperum. Quo, & completory officio deuotissimè celebrato, summo cum silentio dormitorium intrabant, & singuli stratis suis accubabant. Pro fulcio filtrum, & pro vulpinis coopertoriis vile sagum. Sacculus auena foliculis plenus illis erat pro puluinari. Ex his lectisterniis, circa noctis medium surgebant digesti ad vigilias,* quippe

9. (beside "Tum honorificè ab Antistite suscepti…")

n in vit. S. Amed. c. 3.

quippe paruo, & tenui cibo vix refecti, nedum grauati. Hæc eorum conuersatio vicinos circumquaque summè admirabat, sed & terrebat, vt vix vllus diuitum inueniretur, qui tale iugum suscipere præsumeret. Hactenus de primordiis Bonævallis.

10. In quibus videas veram Cistercij sobolem in nullo prorsus à matre sua degenerem, & fundatoris nec potentiæ cedentem, nec largitati. Sed, quod mireris, vt obiter id notem, recentem domum, Carthusiæ magnæ proximam (sanctitatis miraculo, iam tunc altas radices emittenti) quippe intra eamdem Metropolim inclusæ; nihilominus opinione præ aliis celebrem, atque fama pollentem prædicari. quod pace dixerim tantæ religionis, non vt illius extenuem sanctitatem, ad nostrum etiam tempus pene in summo, natura reluctante, permansuram, sed vt appareat, quanta luce fulserit, quæ vel Soli collata lumen dabat. Tale decebat habitaculum parari Petro, Amedeo, Hugoni, & aliis pluribus, quos sancti Ioannis irrigua magisterio, vallis illa iam iam erat productura. Reliquos suis temporibus, & locis, nunc de Petro loquamur, magno futuro Tarantasiæ Præsule, Ecclesiæ luminari, orbis miraculo, hoc eodem anno Bonamvallem ingresso, ingenti illius, & totius Cisterciensis familiæ bono.

1. Sancti Petri parentes, & familia. 2. eorumdem sanctitas, 3. filiorum studia, 4. & Petri ipsius conuersio in Bonavalle. 5. Conuersionis primordia feruentissima, 6. & ratio temporis petita ex actis Sancti. 7. Reprobata Cœnobiorum Chronologia, 8. & reprobatio argumentis confirmata.

CAPVT II.

1. PRoprij prædij cultorem Petrum nomine (nam etiam Pater Petrus vocabatur) magis autem iustitiæ historiæ produnt Monasterio confinem: hominem verè sanctum, & qui, ex sancta vxore, dum esset iuuenis, filios nequaquam degeneres susceperat. Masculos tres, Lambertũ, Petrũ, Andream; fœminã vnam, ignoto nobis nomine, non secus atque matris, sed vtroque in cœlis permansuro. Horum, quia iuniore Petro agente, omnes tãdem Cistercio mancipati, vitã, conuersationemque ex Ganfredo Altecumbæ, eius sæculi auctore, qui Lucij tertij ea descripsit iussit, vsque ad hunc annũ libet recẽsere.

2. Et sanè de Petro patre, & eius vxore idem Gaufredus Abbas hæc habet verba. [a] *Prædiũ proprium in Viennensi incoluere diœcesi, quod postmodum Petrus pater mutato nomine sancti Mauricij nuncupauit. Illic, & iustis suis laboribus, victu mediocri vitam sobriam transigebant: secundum sæculum præsens humiles, sed erga pauperes eleemosynis, & compassione; erga viros religiosos obsequiis, & affectione deuota, apud Deum ingenui, atque sublimes.* Hæc de genere, & facultatibus coniugis vtriusque. Porrò sublimitatem apud Deum, quã toto iuuentutis suæ tempore per opera virtutum acquisierant, à fundatione Cœnobij Bonævallis, in maturiori ætate constitutos longè maiori cumulo illustrasse, verbis dignis transcribi, ita prosequitur. *Eo tempore (id est, cùm Bonavallis fundabatur) iam legitima liberorum procreatione completa, vitam in sæculo eremiticam præoccupare parentes, abstinentiæ dare operam, à coniugij opere penitus abstinere, & amplius solito eleemosynas exercere cœperunt. Deputauerant meliora fulcra pauperibus, ipsi in palea recubantes, & cùm tota domus xenodochium videretur, assignata erat pauperibus, & peregrinis propria cella seorsum; Religiosos non modo suscipere, sed expetere satagebant. Maximè autem Carthusiensibus, & Bonæuallensibus, in quibus maximè complacebant, congrua ferre cibaria, & salutis consilia ab eisdem, non modò sibi sectanda, sed pluribus communicanda referre. Pacem habere cum omnibus, pacem omnibus persuadere, & ad pacem reuocare discordes. Iniuriam patientibus opem ferre, opportunè arguere, quos licuit, inferentes. Cilicio Pater vtebatur ad carnem, quod sub vestibus sibi congruis occultabat. Ambo pariter magis ac magis innocentiam conseruare, sectari iustitiam, colere pietatem; in fide, & operibus bonis liberos educare. Filiis Clericis nulla volebant beneficia ecclesiastica tribui, licèt adhuc in sæculo constitutis; quod vix solent etiam religiosi præseruitare parentes.* Hactenus de vtroque cõiuge Gaufredus.

3. Nunc de liberis Lamberto, Petroque: nam de Andrea, & sorore minor mentio. Porrò vtriusque actus, & exercitia pergit auctor describere in hunc modum. *Eorum primogenitus, Lambertus nomine, litterarum studiis traditus, in puerili erudiebatur ætate. Petrus verò secundus natu officio fuerat alteri deputatus: fraterna tamen æmulatione, vel potius inspiratione diuina, ipse quoque ad eadem studia vehementer aspirans, proficiebat eatenus, vnctione magis, quàm eruditione magistra; vt mirari inciperent, qui videbant puerum litteras rapientem, amplius discere, quàm doceri.* Pergit vlterius de Petri solius eximia indole iam ab officio, cui priùs deputatus, prorsus abstracti, atque litteris tantùm incumbentis. *Neque ingenio, memoria, imò neutri gratia defuit. Psalmos omnes Dauidicos sic apprehendit, sic tenuit, vt anno primo corde tenus vna die psalleret vniuersos. Praeuentus in benedictione dulcedinis a pueritia grandiusculam sibi induit grauitatem, lectionis amator, ludorum fugitans, quibus illa consueuit ætas potissimum delectari.* Hæc Gaufredus de Petro adolescente, quem iam diuina manus per hæc studia ad multorum salutem præparabat.

4. Nos eius vocationum, assensumque, quæ hoc anno contigisse credimus, eiusdẽ etiam verbis prosequamur. [b] *Iam Petrus iunior Pythagoricæ litteræ bivium, & ambiguum adolescentiæ tempus attigerat. Iam pro ætate, & religione sua, in ea quidẽ litterali doctrina, quæ competere vtrique videbatur, fructũ potius conscientiæ eligens, quàm infantis scientiæ folia vana sectari, suadente Abbate Ioanne, ad quem Pater propter hoc ipsum, sed alia occasione, accedere eum fecerat, prædicto Bonæuallis Cœnobio sese contulit, ibi se offerens Deo, sub regula, & Abbate fideliter seruiturum.* Sic ibi. Quibus videas, primò seniorem Petrum boni parentis erga pium filium fungẽtem munere, virtutem ingerere magis, quàm docere, dum ipsis, vnde hauriẽda erat, fontibus, vel quasi aliud intendens, implicabat. Videas secundò, venerabilem Abbatem vix dum Cistercio egressum, vix ab Stephano Patre manumissum, neque otiosum, neque segnem, talento sibi credito insudare, atque in ipsa, velut prima negotiatione, duplicare pecuniam, plura, & maiora semper lucraturum. Videas tertiò, respondentem iuniorem Petrum vix dum vocatum, & iam tunc magna quæque promittentem: vt penè in ipsis initiis Bonævallis gloriosa æmulatione inter se certent maturitas illius inuocando, in respondẽdo huius: atque in vtroque impatiẽte dilationis, nesciẽs tarda molimina, sancti Spiritus gratia com-

[a] *Ubi supr.* [b] *ubi supr. c.2.*

probetur. Sed neque Petro respondisse satis esset, si vocatus, & ipse non vocaret, imò non traheret, si vacuus in conspectu Domini appareret. Lambertum fratrem secum tunc adduxit, post se reliquos. Sic Bernardus vniuersam familiam suam Cistercio dederat, diuisam tamen, & partim comitantem, partim sequentem.

5. Igitur Petrus ætatis natus annos 20. salutis nostræ millesimo centesimo decimo octauo, recente tunc Cœnobio Bonævallis, & quod sciamus, nullo alio antè admisso, à sancto illius Abbate, simul cum fratre Lamberto susceptus est, vterque per annum probandus pro more Ordinis. Porrò qualem se statim exhibuerit, & quale futurorum specimen prætulerit, ab ipso penè ingressu iam prouectus, idem Gaufredus paucis ita expressit. *Supplicem Deo, miserantem animæ suæ, corpori durum castigatorem, Prælatis obedientissimum, humilem cunctis fratribus, cunctis amabilem, nec multo pòst etiam vtilem, imitabilem, venerabilem; raptim potius, quàm paulatim proficiendo, incepit exhibere.* Hæc beati viri primordia in Bonavalle, vltima etiam aliorum superantia, quamuis perfecta. Nec multo, credo, inferiora Lamberti fratris; sed vt Bernardus sociorũ suorum merita (illustria alias) maioris lucis radiis obscurauit, sic Petrus, si vtriusque acta attendas, Bernardo compar, saltim suppar meritis: nec præter scripta, quibus ille perenne fluit, multo minori Ecclesiæ vsui futurus.

6. Iam ratio temporis, vt ea nobis præluceat, ex ipsius Sancti actis depromenda. Natum quippe eo anno, quo Cistercium, atque inter viuos septuagesimum tertium expleturum 53. ab ingressu Bonævallis, viginti in sæculo, vt obiisse constat anno salutis millesimo centesimo septuagesimo ptimo, in quo cócordant auctores, qui de ipso; si sic ab hoc numero Monachatus annos demamus, decimus octauus supra millesimum centesimumque ingressui relinquetur, quem nunc transcribimus.

7. Atque ex his corrigendum censerem Chronicon Cistercienfium Cœnobiorũ, quod Bonævallis initia, & fundationem in annum millesimum cétesimum decimũ nonum differẽs, multis aliis [c] errandi occasio fuit. Nisi tot ferè erroribus scatens, quot annos signat, facilius forte deleas, quàm emendes. Certè illi Chronico, vt semel dictum maneat, in ea designatione ambigua fides, quippe nón solùm aberrãti in multis à veritate, sed à seipso. Hoc eodem

c Claud. Rob. in Catal. Cœnob. Ord. & aliy.

anno M. CXVIII. Pruliacum, quam quintam Cistercij filiam, & fatetur, & constat, Curiæ Dei sextæ nihilominus postponit, vtraque scilicet hoc anno mũdo obotta: sed hæc in mẽse Aprili, illa Augusto. quod mirum est nõ alios adnotasse. Nec dissimilia in annis subsequẽtibus. Mitto quòd Sabigniacum multarum aliarũ filiarum illustrem matrem, Clarævalli submittit hoc ipso anno. Quod quam alienum à veritate sit, & statim dicam, & suo loco fusiùs demonstrabo. Sic Mansiade, primam filiã Bonævallis, eodem anno cum matre obortam scribit, imò intra breue sex mensium spatium; alterã mense Aprili, Nouembri alteram. Et tamen fundata per sanctum Amedeum, Bonævallis priùs Nouitium, mox professum, inde post vota emissa, desertorem, & Cluniaci Monachum; demum reducem, & pœnitentem in Bonavalle, non potuit non biennium expectare, quantumuis propera.

Hinc etiam videas, quod multos malè torsit, anno salutis millesimo centesimo vigesimo primo, hoc est, octauo ab ingressu Bernardi Patris, viginti, & duas Abbatias iam tunc fundatas recenseri in Chronico: cùm tamen ex Exordio paruo, cui summa fides, quippe scripto ab ipsis fundatoribus, duodecim, non amplius, erectas constet, idque pro magno ab ipsis æstimatum, singulari capitulo retulerint, cuius tenorem, quo res magis elucear, quia satis breue, libuit hîc inserere. 8.

De Abbatiis, cap. xix. *Abhinc Abbatias in diuersis Episcopatibus ordinauerunt, quæ tam larga, potentique benedictione Domini in dies crescebant, vt infra octo annos, inter illa, quæ de Cisterciensi Cœnobio specialiter egressa fuerant, & cætera quæ ex eisdem fuerant exorta, duodecim Cœnobia constructa fuerint inuenta.* Hactenus caput illud Exordij parui: quo videat lector, vel ex eo solo, quasi vno ictu deprehensos decem errores. Atque huius generis tam multa alia sunt, vt tot ferè contineat, quot Monasteria. Quod hîc breuiter libuit adnotare, ne in supputatione annorum hæreat lector, dum sæpe videat nos ab eo discordes: quamuis vbi nulla alia fax præluxerit, quod sæpe contingat, vel inuitis sequendum nobis erit. Non ergo anno millesimo centesimo decimo nono, sed hoc, quem agimus, illum præcedente, Bonavallis venerabilem Ioannem cum suis Monachis, ipsi Lambertum, & Petrum suscepere.

1. Trium fontium in Catalaunensi tractu primordia, 2. prima absque dubio filia Claræuallis. 3. Chronicon Cœnobiorum fusè conuictum. 4. Bernardi de hoc Cœnobio, interueniente Guidone, prophetia; 5. & in ipso miraculum patratum. 6. Claræuallis turbatio per hæc tempora. 7. & recusato iudicio sancti Patris, 8. appellatus Guillermus Campellensis.

CAPVT III.

1. EOdem anno Guillelmus Campellensis Catalaunensium Præsul, de quo suprà, vt se Bernardo arctiùs implicaret, strictiùs deuinciret, Cœnobium aliud construxit in sua diœcesi; Colonia ex Claravalle transmittenda, quã idem Pater Bernardus designaret. Monasterio Triumfontium nomen inditũ, fortè à fontibus loco scaturientibus; & Rogerius præfectus in A[illegible] ille nimirum, qui cum aliis pluribus ex Catalauno adductus a sancto Patre, Claramvall[illegible] centem illustrauerat; genere clarus, sed longè [illegible] moribus: [illegible] qui Bernardo dignus visu[s] fuit, in Magist[erio] instituti, vix dum discipulus, tyro nimirum, seu (quod idem iudico) biennij tantùm miles in Claravalle.

Ioannes Picardus domum aliàs notam, & sibi, & suis arcto, velut fraternitatis coniunctam fœdere (quippe fundatam ab ipso fundatore sui Cœnobij) dum nimium defert Chronico, primogeniorũ, ex Bernardo, iure, defraudat prorsus immeritã. Nam Sabigniaco, quã primò natam autumat (hoc fortè anno fundatæ, de quo inferiùs) nihil cũ Cistercio, nihil cũ Claravalle commune per multa tempora, quippe diuersi Ordinis, Sabigniacẽsis ab ea denominati, clarius constat, quàm vt multis indigeat probationibus. Vnus pro mille sit Bernardus Pater, qui schismate in Ecclesia Dei suborto post duodecim annos, cui extirpando nimiũ insudauit, dò religiones Innocentio addictas refert, Sabigniacẽsem ab 2.

[d epist. 126.] ab aliis condistinguit, etiam à Cisterciẽsi, cui nondum dedita. [d] *Non autem debeo* (inquit Bernardus) *pretermittere Sanctos, qui mundo mortui, Deo melius viuunt; quorum vita abscondita est cum Christo in gloria; vbi certè studiosè inquirunt, & non dubiè inueniunt beneplacitum Dei, qui soliciti sunt, quomodo ei placeant. Itaque Camaldulenses, Valombrosani, Chartusienses, Cluniacenses, mei quoque Cistercienses, Castemblenses, Cadumenses, Tyronenses, & Sabigniacenses; vniuersitas denique, & vnanimitas fratrum tam Monachorum, quàm Clericorum regularis vitæ, probatæque conuersationis Innocentio firmiter adhærent.* Hæc sanctus Pater. Vt non supersit occasio dubitandi, Sabigniacenses, post plures adhuc annos, à Cistercio alienos, & multis sibi subditis Cœnobiis, diuersam constituisse congregationem, subdendã tandem Cistercio, & Claræualli; sed nondum subditam, neque id hactenus fortè cogitantem, quod certum iudico.

3. Vnde etiam videas, post receptum Innocẽtium, adeoque post viginti annos transactos, Monachis de benedictione Dei (alterius domus filiæ Claræuallis, in diœcesi Lugdunensi, de qua infrà) Sabigniacensium expositis calumniæ; eũdem Sanctum zelantem pro suis filiis, non Cisterciensis Abbatis communis Patris, non generalis Capituli implorasse tutamen, non ipsum per seipsum opitulatũ, vt deberet, & posset, si Sabigniacenses iam subditos haberet; sed Falconis Lugdunensis Archiepiscopi patrocinio muniendos commisisse, idque epistola *[e epist. 173.]* ad eũ directa, in qua hæc habet. [e] *De cætero si inueni gratiam in oculis vestris, intelligite super egenos, & pauperes illos, qui sunt apud benedictionem Dei: quod enim vni ex illi feceritis mihi, imò & Christo facietis. Nos & pauperes sumus, & habitamus inter pauperes. Hoc præcipuè obsecramus, vt Sabigniacenses Monachos prohibeatis ab infestatione eorum, quoniam calumniantur eos iniustè, vt putamus. Aut si sese confidunt habere iustitiam, iudicate inter illos.* Hactenus Sanctus. Cui, si iam subderẽtur Sabigniacenses, quando eos prouocaret ad Archiepiscopum, aut quando causam Cisterciensiũ Cœnobiorum vellet extra Cistercium iudicari? Non ergo prima filia Sabigniacum, quam sanctus Pater sub Eugenio adoptandam diu sustinuit, ingenti, & ipsam filiarũ suffultã agmine: sed Tres fontes, quæ ab ipso verè genita, idque hoc anno M. CXVIII. cæteras omnes tẽpore anteiuit. Cæterùm qualiter Sabigniacensis congregatio Cisterciense institutũ amplexa sit, qualiterque, licèt tempore posterior, antenatis prælata, immediatam à Pruliaco sedem obtinuerit, suo tempore fusiùs declarabimus.

4. Ergo Tres fontes ex Bernardo primogenitã statim ipse insigni prophetia, postmodum etiam miraculo illustrauit. Et prophetiæ venerabilis Guido Bernardi frater particeps fuit, siue potiùs interpres Dei, ad ipsum. Eam Guillelmus Abbas, ab eiusdem Guidonis ore haustam, historiæ suæ inseruit, ita *[f lib. 1. c. 13.]* scribens. [f] *Petente, & agente Domino Guillelmo Episcopo, in Episcopatu Catalaunensi eam, quæ Trium fontium dicitur, domum construxerunt. Ad quam cum Abbatem cum Monachis emisissent, dominum Rogerium, virum nobilem secũdum sæculum, sed nobiliorem sanctitate, & viros quosdam similis formæ cum eo: spiritualis Pater* (*scilicet Bernardus*) *filios, quos emisit, non dimisit, sed paterna solicitudine, & pia affectione cum eis erat. Vnde cùm die quadam soli essent simul Abbas, & ipse* (*scilicet Guido*) *cuius hoc relatione didici, & de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur, subitò altiùs suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondẽte: Vade* (*ait fratri suo*) *ora pro eis, & quidquid de eis ostenderit tibi Deus, refer ad me; ipse enim grauissima valetudine laborans, in lectulo tenebatur. At ille vehemẽter expauescens: Absit* (*inquit*) *non sum, qui hoc modo nouerim orare, qui hoc merear impetrare. Perseuerãte tamen eo in sententia, iussum est, & oratum. Orans ergo quantũ præualuit, pro singulis effudit animam suam, sãtáque per singulos in orando perfusus est suauitate cõscientiæ, cum impetrandi fiducia, & omni gratia spiritualis consolationis, vt in omnibus certa fide exauditum se exultaret spiritus eius: exceptis tamen duobus, in quibus oratio titubauit, hæsitauit deuotio, fiducia defecit. Quod cùm retulisset ad eum, à quo missus erat, ille statim pronunciauit de illis duobus, quod postea probauit euentus.* Hactenus Guillelmus, seu potiùs per Guillelmum Guido, cui res ostensa; siue tanti apud Deum meriti fuerit, vt quasi Angelus, in hoc saltim superior, lucem acceperit, Bernardo illuminando, seu virtuti obedientiæ delatum sit, quod prior ipsa cœlos penetrauerit. Nec prætereundum, inter sanctos etiam viros, ciues sanè Sãctorum, & domesticos Dei, defecisse nonnullos; cæteris aliis firmandis in timore, quo pauidioribus, eo beatioribus, adeoque & securioribus futuris: beatus quippe homo, [g] qui semper *[g Prouer. 18.]* est pauidus. Non tamen constat adhuc, in quo defecerint, neque an post defectum resipuerint. Certè quodcumque fuit, publicum fuit, atque ideo, vt apparet, prætermissum, quia cunctis motum.

Miraculum pòst tempore sequutum, Gaufredus 5.
Claræuallensis memoriæ prodidit. [h] *Cùm venisset* *[h lib. 4. vitæ c. 4.]* (inquit) *aliquando Pater sanctus ad Monasterium Triumfontium, oblatus est ei Clericus quidam ex his, qui Regulares nominantur, homo grandæuus, & cæcus imposuit ei manum, & breuem ex more fecit orationem, & eadem hora videntem eum remisit ad Ecclesiam suam.* Fortè sancti Victoris Parisiensis, quo fundatori Cœnobij Trium fontium, pius Trium fontium Pater, in suis gratiam rependeret, qua fortè minus egebat in seipso. Atque hæc de primordiis huius Cœnobij, quòd sicut primogenitum ex Bernardo Patre fuit, sic etiam primas tenet inter omnia, quæ ex Cistercij filiabus prodiere, & vt reliqua Stephanũ parentem, Tres fontes fecere auum, eoque fortè teneriùs adhæserũt illius cordi. Atque vtinã nancisci potuissemus [i] Alberici historiã, Monachi *[i apud Clau. Robert. in sua Gallia Christ.]* Trifontani, quæ plura alia maioraque obtulisset. Verùm quæ ex aliis colligere licebit, suis locis inserere curabimus. Abbati Triũfontiũ extat in iure epistola Innocẽtij Papæ III. *in c. ex parte 13 de priu.*

Interim in Claravalle Bernardi filios nouus ob- 6.
ortus scrupulus turbauit. Et quidem scrupulus; sed qui ex ingenti mentis puritate, & deuotionis pullulans feruore, tempestate sedata, transactáque, serenitatem foret pariturus. Hunc siue eorum zelo commendando, seu prouocandæ nostræ remissioni, nequaquam censeo silentio contegendum. Vitæ rigorem aliàs insuperabilem, tolerantia peruicerant, fame quippe condiente quoscumque cibos, atque labore somnum conciliante. [k] *Delecta-* *[k lib. 1. c. 7.]* *bilius viuere* (ait Abbas sancti Theodorici) *sibi videbantur viuere in eremo, quàm prius vixissent in sæculo.* Hinc dubitatio, hinc scrupulus obortus. *Persuasum quippe habentes* (pergit Guillermus) *& quasi cum testimonio conscientiæ suæ, memoriæ fideliter commendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis, quidquid carnem cum aliqua delectatione nutrire videbatur, fugiendum arbitrabantur.* Atque ecce tempestas nequaquam leuis, quippe aspera illa fugitantibus, quia nimis dulcia, aut abstinendum erat ab omni cibo, adeoque & mors necessariò subeunda, aut redeũdum ad sæculi delicias, minus suaues, sed periculosiores, atque ipsis omnino detestabiles.

7. Bernardus Pater primo audito lætus, sed mox solicitus, arguens, obsecrans, increpans, & docens, satagebat sedandis eorum animis. Sed qui nimij rigoris quódam filiis, jam tunc maioris indulgentiæ erat suspectus, adeò vt minus in hoc illi fidentes, Pontificale iudicium appellauerint, Catalaunensis videlicet Episcopi, hominis planè docti, sanctique, & Claræualli summè familiaris. Audi Guillermum de hoc ita loquentem. [l] *Cumque in hoc suspectam haberent aliquatenus spiritualis Patris quotidianam correctionem, quasi carni eorum plusquam spiritui deferentem, ad iudicium prædicti Catalaunensis Episcopi, qui tunc fortè aderat, res delata est.* Hæc Guillermus de sancti Bernardi filiis, eoque ipsius iudicium refugientibus, quasi timerét in nimiam indulgentiam, per paternalem affectum declinaturum.

l lib. 1. c. 7.

8. Porrò autem qualiter venerabilis Præsul delectationem, quam experiebantur, quamuis sensibilem, non naturæ, sed gratiæ esse adscribendam, eoque modis omnibus captandam, cum gratiarum actione, sacræ Scripturæ exemplo pronunciauerit, idem auctor declarat, dum ita pergit. *Super quo vix ille potens in verbo, sermonem ad eos aggressus, ad eum finem perduxit, vt omnem hominem, quicumque dona Dei recusauerit propter gratiam Dei, inimicum esse gratia Dei, & Spiritui sancto resistere, pronunciaret. Adducta siquidem historia de Elisæo Propheta,* [m] *& filiis Prophetarum, cum eo in desertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo cum aliquando ad horam refectionis ventum esset, amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inuenta, per virtutem Dei, & ministerium Prophetæ, per infusionem farinulæ dulcorata est. Olla, inquit, illa prophetica, olla vestra est, nihil in se nisi amaritudinem habens: farina autem amaritudinem in dulcedinem conuertens, gratia Dei operans est in vobis. Sumite ergo securi, & cum gratiarum actione, quod cum naturaliter minus aptum fuerit vsibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est vsibus aptatum, vt vtamini, & comedatis. In quo si inobedientes, & increduli permanetis, resistitis Spiritui sancto, & gratiæ eius ingrati estis.* Hæc tanti viri auctoritate fulcita, magis autem diuino testimonio, pauidas eorum conscientias, & reuera timentes, vbi non erat timor, confirmauit. Felices animas, quarum præ culparum communium leuitate, soli fauores conscientias onerabant: felices (si ita fari licet) fauoris Dei, queis suscipientium non solùm humilitas, sed timor etiam, & tremor respondebant; nec minus felix vitæ disciplina, cui labor in requie, rigor in deliciis; vtrumque, quasi meriti expers, dulcescebat; sed merebatur, quasi summè amaricaret. nempe vt aliis operibus valorem, his etiam gratia præstante suauitatem.

m 4. Reg. cap. 4.

---

1. Fontanetum, secunda Claræuallis filia surgit. 2. Godefrido in Abbatem eius præfecto, 3. distinctus is, 4. & emendatus liber sepulchrorum Claræuallensium. 5. Hugo Flaviniacensis Prior, qualis, ac quantus. 6. Noui Cœnobij incrementa, atque perfectio. 7. Angelus Moribundum fratrem inuitat ad gloriam, 8. ad alium transiit, & horam mortis prædicit. 9. Impleta visio, & lux de cælo sequuta in eius transitu.

CAPVT IV.

1. PArum esset tres annos vix dum natam apparuisse fœcundam, si non eodem ferè partu editam, Claravallis emisisset geminã prolem. Hoc eodem anno, [a] vt tabulæ testantur, quibus de domesticis rebus plenior fides, Fõtanetum in diœcesi Eduensi mundo oborta, coronauit Bernardum secunda sobole, quippe tot iam ad habitum admissis, tot prouectæ virtutis Monachis factis, vt neque Claræualli de solitudine, nec de laxiori, aut minus ordinata virtute timendum in quis Cœnobiis. Fundatores incerti nobis adhuc, & fortè nulli, surgente domo, & prædiis acquisitis, labore fratrum, & confinium fidelium eleemosynis.

a post oper. S. Bern. excusa Antuerpiæ ann. 1110.

2. In Abbatem Godefridus præfectus est, religione prouectior, quàm ætate, qui per Bernardũ, & cum ipso olim conuersus, sociorum, quos de sæculo ad Cistercium adduxit, impleuit numerum. Hic ille Godefridus est sancti Patris propinquus secũdùm carnem, sed spiritu, & virtute longè propinquior; quem, vt de sæculo secum ad religionem, sic de Cistercio ad Claramvallem traxerat, ni causa Dei obstaret, aut aliud posceret, nõ vnquam viuus ab ipso diuidendus. *Et in conuersione socius, & ex tunc per omnia indiuiduus ipsius comes,* ait Guillelmus. Diuisus tamen regendæ nouæ coloniæ, atque iterum, quod suo loco dabimus, Lingonensem Ecclesiam gubernaturus. Nunc hæc, sed paucis, ex libro sepulcbrorum Claræuallis, quo maior fides dictis, accipiat lector. *Godefridus* (ait) *quondam Lingonẽsis Episcopus, cognatus beati Bernardi. Hic de primis filiis eius fuit, qui præsens Cœnobium in suo sanguine fundauerunt. Hic tertius Prior Claræuallis fuit, postea primus Abbas Fontaneti. qui fundato loco, regulariterque ordinato, ad suam Claramvallem rediit.* Hactenus liber sepulchrorum Claræuallis. Nos nunc de exitu viri ad Fontanetum, de reditu in sequentibus dicemus.

3. Interim adnoto Godefridum hunc diuersum à Notario diui Bernardi, qui vitam eius in tres libros digestam, post Guillelmum, & Arnaldum Abbates continuauit: in quo [c] Ioannes Picardus lapsus est, vtrumque confundens. [d] Ille namque non Gallus, sed Scotus, vt multis placet, hic sine dubio Burgundus natione fuit, ille Petri Abailardi antea discipulus, hic solius Bernardi, quod sciamus: ille conuersus post fundatam Claramvallem, imò post condemnatum eumdem Petrum, circa annum Christi M. CXL. hic biennio ante eius fundationem, ille socius Bernardi per annos tredecim, eosque vltimos vitæ ipsius sancti, [e] *quem ab eius vberibus, post annos circiter tredecim (ipsius Godefridi verba sunto) sola tãdem, quæ sola potuit, mors auulsit.* hic ab ipso initio conuersionis: ille quartus Claræuallis Abbas, hic tantũ Prior: denique hic Lingonum Pontifex, non ille. Plura in sequentibus diuersa de vtroque: nunc hæc sufficiant, Picardo corrigendo.

c in not. ad ep. 170.
d Emsterus in hist. Scotorum.
e in proœm. vit. S. Petri.

4. Verùm quod in libro sepulchrorum dicitur, hunc Godefridum Claræuallis Priorem priùs, pòst Fontaneti Abbatem designatum, per errorem existimo irrepsisse. Nam ex Priore assumptũ in Pontificem constabit inferiùs. Sed neque totius in ordine Priorum potuit hoc anno officiũ exercuisse, quippe Gualtero in eo ministrãte, vsque ad annum M. CXXVI. quo in Abbatem Moribundi promotus legitur. Inde pro illo Humbertus substitutus, quo ad fundandum Igniacum transmisso, circa annum M. CXXVII. siue M. CXXX. vt aliis placet, tertius Godefridus Priorem potuit agere, cùm iam antè de Fontaneto reuersus

sus esset. Correctius ergo censeo legendum fore. *Hic tertius Prior Claraevallis fuit, postquam primus Abbas Fontaneti, fundato loco, & regulariter ordinato, ad suam rediis Claram vallem.* Sic ego locum: alij, vt malent, corrigent. Certe de re non licet dubitare.

5. Hugonem, cognomento Flauigniacensem, Fontaneti Priorem per hæc tempora, aut certè non distantia, compertum habeo, quippe de cuius morte gloriosissima testimonium perhibuit adhuc viuens venerabilis Guillelmus de Spitiaco, sancti Bernardi nepos, ex cuius ore hausit, qui eam scripsit. Credibile Godefrido datum à sancto Patre, [f] *virum religione feruentem (coaeui, & grauis auctoris verba profero, qui vitam viri redegit ad compendium) virtutum gratia pollentem, & litterarum scientia praeminentem*, cuius cōsilio, & auxilio Godefridus Fontanetum profundiùs radicaret, altiùs proueheret. Quocumque tempore in Priorē electus sit, constat virum sanctissimum, doctissimūque, sancti Augustini præ aliis reuerentem, eumdem Sanctum sibi conciliasse, cuius in vita pariter, & morte felix, ac iuge patrocinium experiretur. Sed de his infra.

f in add. ad Exord. mag. §.24.

Godefridus noui gregis curæ incumbens, atque ad instar Cistercij, & Claræ vallis cuncta componens, Stephanum, Bernardumque parentes, Monachi ad Fontanetum cum eo missi, vtrumque etiam conuentum imitabātur. Hinc factum est, vt hominibus dilecti, & familiares cœlestibus spiritibus, vtrorumque fauores obtinerēt, Summo Pontifice dedicante eorum Ecclesiam, quod nos, quo anno contigit, reddemus, atque Angelis ipsos visitantibus, crebris, nec minus ideo admirandis consolationibus. Constat non longè ab initiis tenellæ domus, quamuis annus incertus habeatur, adstitisse infirmis, & moribundos ad cœlestes delicias inuitasse: prædictis etiam die, horaque, & subsequutis signis supra naturam, queis veritas visionū præcedentium, ab ipso euētu manifestiùs comprobarentur. In additis ad Exordium magnum Cisterciense, quæ ex Cistercio, Magistro Ignatio Firmino, Fitereiensi Abbati olim transmissa, tandem ad nostras manus peruenere, hæc inter alia, historia recitatur, quam ideo hoc anno duxi transcribendam; quia constat pertinere ad hæc initia, quippe ab Hugone relatam Priore sancto, quem modò primum eiusdem Monasterij coniectabamur; tum vt ex ea perfectio disciplinæ, quam Godefridus in eo loco plantauit, ex disciplina Magisterium viri appareat. Igitur auctor additorum ad Exordium totidem verbis historiolam nobis tradit.

[g] *Apud Fontanetum, quod Cisterciensis Ordinis nobile Monasterium est, quidam eximiae conuersationis Monachus in extremis agonizabat. Quodam verò die solemni, cùm admissam matutinalem omnes, qui surgere poterant infirmi, processissent, repente apparuit ei quædam persona splendida vultu, & habitu reuerenda, quae accedens ad lectulum cuiusdam alterius infirmi, adhortabatur eum plurimis verbis, vt sequeretur se, introducendus ab ea in locum serenissimum, totius amœnitatis, & gaudij plenum. Verùm aegroto faciem obnubilante, & tardum, tepidumque ad ista responsum reddente, Sanctus ille contempsit, & pertransiit.* 7.

g sub finem lib. 7. Exord. §.21.

Accedensque ad Monachum supradictum, sermonem eumdem proposuit. Ille verò grataanter assurgens, atque ex omnibus medullis gratias agens, cùm incontinenti subsequi vellet, nuncius ille cœlestis dedit ei mandatum, vt interim ita maneret, indicans etiam tempus, & horam, quo ad ipsum in proximo remearet. Cùm ergo Sanctus ille disparuisset, curauit idem infirmus intimare fratribus cuncta, quae viderat. Instante autem vespera, vocatis ad se seruitoribus suis, ait. [h] *Ego quidem iam delibor, & tempus resolutionis meae instat: veruntamen nolite circa me vigilare, nec soliciti sitis, quia ego vocabo vos opportunè, cùm tempus aduenerit. Profunda itaque nocte, pausantibus vniuersis, cœpit ille clamare, dicens: Surgite, & pulsate quàm citiùs tabulam; quia iam tempus meum impletum est. Contigit autem omnes illa hora extinctas esse lucernas.* 8.

h 2. ad Tim. 4.

Surgentes itaque fratres, viderunt circa morientem, cùm luna minimè luceret, tanti luminis splendorem, ita totam domum illuminantem, vt etiam in libro legere possent. Tandiu verò lux illa durauit, donec in multa mora lampades succensae essent; ita vt etiam plurimi de conuentu, qui priores aduenerant, eam præsentem adhuc inuenirent. Fratres verò videntes, & audientes cuncta, quae acciderant, exhilarati, & cōsolati valde gratias Domino retulerunt; atque ingenti deuotione sancti viri exequias celebrarunt. Porrò ille alius, qui inuitanti se nuncio cœlesti acquiescere libenter noluit, multo tempore postea in languore permansit, & vsque ad mortem de lectulo, in quem descenderat, non ascendit. Hæc autem sicut à venerabili Hugone Flauigniacensi, quondam eiusdem Fontaneti Priore audiui, fideli narratione perstrinxi. 9.

Hactenus auctor de felici illo Monacho, cuius vtinam nomen expressisset, vtinam annum. Quicumque fuerit, satis clarè probat, genitam à Bernardo tenellam domum, à Godefrido educatam, rectamque, nec ab eorum doctrina declinasse, neque degeneres filios protulisse: sed de his satis. Nunc subsequentis anni acta pandamus.

IESV CHRISTI ANN. 1119. — CISTERCII ANN. 22.

1. Guidonis, ex Bonaevalle rapti, Pontificatus; 2. qui designatus, viuente adhuc Gelasio, 3. non parum Romana Ecclesia vtilis fuit. 4. Guillelmi Episcopi Catalaunensis mors, 5. atque obiter explecata eius conuersio. 6. Sed Monachatus dubius, aut fortè falsus. 7. Emendatus Seguinus, 8. & Guillelmus laudatus Bernardi verbis.

CAPVT I.

1. PRINCIPIVM anni auspicetur mihi successor Petri, ex Guidone Calixtus, ex-Viennensis, Romanæ Ecclesiæ Præsul, mense Ianuario, viuente adhuc Gelasio, contra consuetum morem designatus, si non electus. Ex Bonævallis Cœnobio raptum dixeris, inter Monachos continuò conuersantem, atque æmulantem eorum exercitio, quantum Pontificia maiestas permittebat. Quin, & Seguinus, [a] infulis depositis, ibidem Monachum agere instituisse, memoriæ prodit. Sed recentem auctorem, quantumuis gratum, antiquo testimonio destitutum, æstimare, quam sequi tutius nobis, qui certa tantùm, aut certis proximiora his annalibus seligenda esse decreuimus. Nostris tamen præ aliis adhæsisse fatentur omnes, qui acta

a lib. 2. vir. illustr. seu descript. Ordin. Cell. luc C.

eius scribunt. Vt non immeritò Cardinalis Baronius, dum priuilegium ab ipso indultum hoc anno prodit, quod nos etiam sub finem referemus, in hæc verba proruperit. [b] *Eodem quoque tempore Calixtus Papa priuilegio munire voluit suos, quos summopere diligebat, Cistercienses.* suos, inquam, quos summè diligebat.

b tom. 12. anno 1119.

2. Intrante igitur anno salutis nostræ millesimo centesimo decimo nono, Cistercij vigesimo secundo, Gelasius Papa Cluniaci ad mortem decumbens, quo fluctuanti, præ schismate, Ecclesiæ naui aptum rectorē pro necessitate prouideret. [c] *Coram Cardinalibus, qui aderant,* (inquit Chronicon Beneuentanum, ab auctore conscriptum illius temporis) *Praenestinum acciri iussit Episcopum, qui cum ipso in Gallias nauigauit, & imponi illi tanti honoris culmen Romanæ sedis satagebat. Audiens autem Episcopus huiusmodi verba Pontificem proferentem: Absit, inquit, omnino absit, vt tanti honoris culmen, onerisque pondus indignus ego, & infelix suscipiam, præcipuè cum auxilio, & sæculari virtute diuitiarum Romana sedes temporibus nostris, sub persequutionis flagello afflicta, defendi oporteat, & muniri. Si verò meis acquiescere velitis consiliis, Viennensem Archiepiscopum, virum vtique religiosum, prudentiaque animi, potentia, & nobilitate sæculari pollentem, ornatum virtutibus, ad tale, tantumque patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & beati Petri meritis, & vere huius solatio Romanam sedem, sub tanta persequutionis periculo durissimè oppressam, credimus ad serenitatem, & triumphum sublevandam. Quid plura? Gelasio ægrotanti, & aliis Cardinalibus, & cæteris, qui aderant, sermo placuit. Nec mora: Archiepiscopum illum accersiri iubent, & vt dicta factis compleant, perseuerant.* Hactenus in Chronico. Vbi etiam additur, obiisse Gelasium vigesima octaua die mensis Ianuarij, antequam Guido Cluniacum adueniret. Sed nihilominus, neque prædecessoris morte, neque successoris absentia effici potuit, vt electio concepta turbaretur.

c apud Baro. tom. 12. ann. 1119.

3. Igitur die vndecima Februarij, quinta decima à morte Gelasij, vt testatur Pandulfus, [d] Guido in Calixtum secundum consecratur, præcedente visione, qua *apto satis, licèt ignoto præsagio* (verba sunt Sugerij [e] Abbatis sancti Dionysij Parisiensis, sanctissimo Patri Bernardo summè amici) *vidit sibi à persona præpotenti Lunam, sub chlamyde repositam, committi.* Dignitatem dum potuit, recusauit; tandem suscepit. Quo autem fructu Ecclesiæ Dei præsederit, & qualiter in Imperatorem, quantumuis sibi sanguine propinquum, innouato anathemate, ipsi timorem, submissionemque, damnationem Burdino, siue Mauricio, orbi Christiano pacem, immunitatem Ecclesiis restitueret, ex Othone Frisingensi, eius item sæculi auctore, accipiat lector. [f] *Imperator propter anathema deficere à se regnum videns, patrisque metuens exemplum, congregato iuxta Vbormatiam maximo Principum conuentu, inuestituram Episcoporum Legato Apostolicæ sedis Lamperto, qui postmodum Summus Pontifex factus, Honorius est dictus, resignauit, per eumque ab anathematis vinculo absolutus est.* & post pauca. *Ex hinc Ecclesia libertati ad plenum restituta, paceque ad integrum reformata, in magnum montem creuisse sub Calixto Papa secundo inuenitur. Vnde de ipso Romæ scriptum est.*

d apud Baro. ibidem.

e Suger. in Ludou.

f lib. 7. Chronic. c. 16.

Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Libet subnectere Papyrij Massonis verba de Calixto. [g] *Nemo constantius pro Paschali aduersus Cæsarem steterat, nemo promptior fuerat ad damnandum eo perfidiam. Concilio enim Viennæ ad Rhodanum celebrato, in ipsum sententiam anathematis iaculatus fuerat; idque epistola eius ad Paschalem, quæ adhuc extat. Nemo tamen charior illi postea fuit: mutata enim voluntate, & pacem Pontifici dedit, & iuri cessit, si quod habebat, inuestiendi Episcopos, & Abbates: quod nunquam Pontificum fore videbatur (in exercitio, expeditumque intellige) si Germani Cæsares in pertinacia sua, & odio erga successores eorum perseuerassent.*

g in Calixto.

Hæc breuiter de Calixto dicta sint, Pontifice vt illustri, sanctoque, sic Cistercij amantissimo, & qui res nostras, dum vixit, summè promouit.

Eodem mense, quo Gelasius Papa obiit, Ianuario scilicet, quarta ante ipsum die, obiisse fertur Guillermus de Campellis, ingens Catalaunensis, imò & totius Gallicanæ Ecclesiæ lumen, magno suorum luctu, maximo autem Monachorū Trium fontium, quippe orbatorum fundatore perillustri, atque patrono sibi colendissimo. Sic duo Monasteria anno præterito, simili ferè sorte, à duobus Præsulibus constructa; alterum Catalauno, Viennæ alterum, quatriduani euentus huius anni vix dum ingressi, longè inæqualiter discriminauerunt. Alterius fundatore morte extincto, alterius in apicem rerum sublimato, sed tribus fontibus viuebat Bernardus parens, quo superstite solareotur iacturam viri. 4.

Philippus [h] Seguinus hunc eximium Præsulem Cisterciensibus censet connumerandum, quippe quem tradit, relicto Episcopatu, Monachum induisse in Claravalle, motus, vt credo, Hildeberti Cenomanensis, ad eum [i] scripta epistola, qua gratulatur ipsius conuersioni. Sed à sæculo conuerso ad religionem ante Episcopatum, atque ex Archidiacono Ecclesiæ Parisiensis, regulari Canonico, multis etiam sequentibus, effecto; immeritò conuersio alia tribuitur, qua Episcopatum postea resignauerit. Et priorem quidem, cuius suprà etiam meminimus, ex Anonymo continuatore Sigiberti in Bibliotheca Gemneticensi ad Sequanam trans Rothomagum, Ioannes Picardus describit in hæc verba. [k] *Eodem tempore* (quo scilicet Carthusiensium, Cisterciensiumque apparuere familiæ) *Magister Guillelmus de Cāpellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum litteratus, & religiosus, assumens habitum Canonicorum regularium, cum aliquibus discipulis suis, extra vrbem Parisius, vbi erat quædam capella sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare Monasterium Clericorū.* Hæc de illa Guillelmi conuersione. quam etiam, vt honestas actiones plerumque solet, maximè in viris claris, suggillauit inuidia, & per ambitum, quam per deuotionem conuersum hominem, eius pseudo discipulus scripsit, idque ex aliis, tegendæ suæ malitiæ; an vt iuncto iudicio cæterorum, detractioni vires conciliaret. [l] *Elapsis*, inquit, *paucis annis, cùm ex infirmitate iam dudum conualuissem, præceptor meus, ille Guillelmus Parisiensis Archidiaconus, habitu pristino commutato, ad regularium Clericorum Ordinem se conuertit, ea, vt ferebant, intentione, vt quo religiosior crederetur, ad maiorem prælationis gradum promoueretur; sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi Episcopo facto.* Cæterùm, quæ araneæ in virus, in mel apes, & bonis omnibus laudata ea mutatio, atque inter cæteros etiam Hildeberto. Hæc de prima Guillelmi conuersione, ex sæculari in regularem Clericum, ex veterum Scriptorum fide, certa inuenio. 5.

h lib. 1. & 2. de viris illustribus.

i epist. 1.

k in not. ad epist. 3. D. Bern.

l Petr. Abail. in histor. suarum calamitatum cap. 2.

6. Secundam, qua ex Episcopo in Monachum, ex Catalauno transierit in Claramvallem, quos ego vidi, cuncti prorsus omittunt; omittunt & vtriusque

que Ecclesiæ monumenta, Catalaunensis nimirum, Claræuallensisque, illa dum virum sedisse tantum referunt annos septem, & menses sex, nulla prorsus cessionis mentione habita, ex quo loco, & tempore electionis, quæ incidit in annum M. CXII. obitus etiam annus designatur: hæc, dum aliorum Monachorum memoriæ prod

unt, sed non Guillelmi, rursus Guillelmi in Bernardum, & Claramvallem affectum summè commendant, Monachorum nequaquam tacitura (summum illius iudicium) si præcessisset. Sed neque inter sepulchra Claræuallis insignis viri cineres reperio. quod argumentum, etsi purè negatiuum, vt dici solet, in Monasterio summè debitore, nec minus grato, & sub Abbate Bernardo summè amico, summè etiam reuerenti, & officioso, non parum vrget. Atque hinc corrigendus venit noster Henriquez, qui eumdem virum inseruit Menologio, pridie Nonas Iulij, quippe qui diem obitus non viderat in Necrologio Corboliensi designatum, atque ab eodem Ioanne Picardo etiam adductum, [m] *octauo Kalendas Februarij, anniuersarium VVillelmi Catalaunensis Episcopi, & nostri Canonici.*

m in not. ad epist. 3.

7. Cæterùm quod Seguinus vlteriùs addit, eumdem venerabilem Guillelmum scripsisse epistolam ad Innocentium secundum, summum Ecclesiæ Præsulem, errorum Petri Abailardi condemnatoriam, adhuc nobis apparet difficilius, quippe si hoc anno inter viuos esse desiit, ante Innocentium, & Abailardi errores raptus, neque illi scribere, neque hos damnare potuit. Fuerat quidem Abailardus, dum adhuc puer, discipulus Guillelmi, quod ipse tradit loco à nobis superiùs assignato, vbi etiam tunc in illo magisterio, re, & fama præcipuum inter omnes illius scholæ Doctores, nominat. Cæterùm Catalauno iam præfectum, quo tempore Abailardus cœpit, tamquam fidei suspectus, incusari, decessisse è viuis, non minus clarè docet in subsequentibus. [n] *Vnde,* inquit, *emuli mei vehementer accensi, concilium contra me congregauerunt, maximè duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet, & Lotulfus, qui iam defunctis magistris eorum, & nostris, Guillermo scilicet, atque Anselmo, post eos quasi regnare se solos adpetebant, atque etiam ipsis, tamquam heredes, succedere.* Non ergo potuit Episcopus Guillelmus erroris Abailardi condemnare, qui iam obierat, cùm is accusaretur. Quare Seguinus in vno comprehensus, de alio etiam suspectus habendus erit.

n in ead. hist. c. 9.

Mortuo Guillelmo, Ebalus successit, cui Bernardus prædecessorem suum imitandum proponit, Præsulem verè sanctum, æquè ac doctum, & qui ouium sibi commissarum solicitam, atque indefessam curam gereret. 8. [o] *Certè* (ait) *duobus Monasteriis, sancti videlicet Petri, & sancti Vrbani, pastorali aliquando solatio similiter destitutis, bonæ memoriæ prædecessor vester Dominus Guillelmus non longè itineris laborem, non hyemis reputans asperitatem, bis (ni fallor) Cluniacum, semel Diuionem per seipsum adiit, hincque virum bonum Dominum Hugonem, qui pòst defunctus est; illinc virum venerabilem, qui adhuc superest, dominum Radulfum, vix multis precibus impetratos abducens, singulum singulo præposuit Monasterio.* Hactenus Bernardus Pater de Guillelmo. In cuius etiam laudem non parum facit, quòd Abailardo in illa sua historia, vanitatis, & ambitus notetur, quippe hominis turbidi, & hæretici, necdum reconciliati, neque conuersi (vt postea apud Cluniacum) conuitia in honore, & detractiones pro veris encomiis sunt habenda.

o epist. 58.

1. Amedei Altæripæ genus, 2. opes, 3. filij, 4. conuersioque, 5. & vocatio per ipsum, 6. plurium. 7. Dictum quot, & qualium; 8. & qualiter vxoribus prouisum. 9. Bonavallis petita, 10. & retardata ob vitæ asperitatem, 11. Sed viris nihil prorsus detrectantibus, 12. tandem à sancto Abbate concessa fuit.

CAPVT II.

1. PRocedente anno, illustris Amedeus, dominus Altæ ripæ, cum sociis sexdecim Bonamvallem aduenit, omnes diuino seruitio mancipandi. Hic seu Bernardi Patris exemplo motus, seu à Deo ipse immediatè impulsus, semel concepto voto religionis, ferè per annum in sæculo permanserat, plures alios, si posset, lucraturus. Genus illi clarissimum, quippe ex prosapia Conradi Imperatoris proaui, atauique vtrique communes, sanguinis vinculo vtrumque deuinciebant. Opes pro modo generis, neque infrà: sex nobilibus oppidis subiectis, dicundo iuri, & redditibus capiendis, queis vtile, & honestum iungebantur. Natale solum primum ex his oppidis, & quasi aliorum caput: ex quo etiam cognomen iure dominij, inde Altæ ripæ vulgo agnominatus.

2. Non cedebant bonis fortunæ naturæ bona, quippe *in bello strenuus* (ait [a] Anonymus, qui eius vitam scripsit) *in armis conspicuus, in consiliis prouidus, vultu hilaris, conuersatione affabilis, statura formosus, atque sublimis, suis amabilis, & hostibus terribilis.* Sic Anonymus ille, quem ad instantiam Burnonis de Boitone, Prioris Bonæuallis, non multo post beati viri obitum, ipsius vitam constat scripsisse, hanc in eodem Cœnobio conseruatam, indeque Fiteriensi Abbati primum, dein nobis transmissam simul cum aliis, libentiùs sequor, quod ab auctore non solùm coætaneo, sed familiari, fortè & famulo (nam & Amedeum dominum suum vocat) compactam video: stilo quidam non admodum culto, sed tolerabili, & qui veritati narrandæ sic insistat, vt lectorem, etsi non pelliciat, non repellat.

a cap. 1.

3. Genuerat Amedeus filium ex iusto matrimonio, nominis simul hæredem futurum, & facultatum; sed multo magis virtutum, vt pòst videbimus; nec minus filiam, ignoram licèt nomine, munere cœlo accepto orbi notissimam, præcipuè Lausannæ, vbi hodie etiã seruatur tradita à Virgine lanea chirotheca, æquè miraculis clara, atque origine. Mentionem eius omissam in vita Patris, ex fratris actibus, & nunc obiter mutuamus, & suo loco inferiùs extendemus. Coniux an viueret, an fatis iam concesserit? in dubio est: reliqua omnia prospera, & felicia hominem supra alios efferebant.

4. Sed inter hæc, quæ in prosperis rara, memoria mortis, & vita quo felicior, eo breuior, miserabili fine terminanda: macie nimirum primo, mox cruciatibus, inde dissolutione ipsius naturæ, ac demum vermibus, fœtore, atque putredinè, Amedei animum cœpit commouere. Hunc exitum, si dubius, rarusque, cunctis horribilem, cunctos etiam in officio contenturum: nunc eo solùm paucos

continere, quia frequens, & omnino ineuitabilis. Sumpta de malefactoribus supplicia, leuiora corporibus, atque animis etiam salubriora, homines à flagitiis retardare: quanto magis, quæ natura ipsa vindice, acerbiora doloribus, tempore diuturniora, minori ex se satisfactionis fructu, impeditiori præuentionis spatio, pessumdant animas, iudicium Dei æternum subituras? solis facilem mortem viris iustis, quippe per eam ad gloriam transferendis, & breui momentaneæ vitæ obsequio, comparaturis regnum immortale, nulli vnquam discrimini exponendum. Bonæuallenses tunc recèns appulsos (nam & ipse habitabat in illis partibus) homines vere sanctos, pauperesque forsan in eam Prouinciam à Deo missos, quibus seipsum, & sua, quæ posset, traderet. Sic mutua ope vtroque subleuari, & cæcum seducendum à sanctis viris, quos quasi claudos, opibus defectos, suis ipse faciliùs sustentaret.

5. His, & similibus motus illustris Princeps, atque nominis sui mensuram (Amedeus, quasi amans Deum) iam tunc adimplens, quo plures alios Deo lucraretur, præcipuè nobiles, vocationem suam non tam distulit, quàm perfecit: sæculum in sæculo fugiens, per annum integrum, & suæ conuersionis ardorem infrendens aliis, secum, si posset, exuturis veterem hominem, atque in Christo per ipsum renouandis. [b] *Igitur vna dierum* (ait citatus Anonymus) *è quodam suo castello egrediens, duos de satellitibus suis secum assumpsit, armigerosque ad aliud oppidum nihilominus suum, prandij causa parandi præcedere iussit. Ipse verò cum prædictis militibus lento gradu subsequens, alterum ipsorum ad dexteram suam, alterum vero ad læuam equitare mandauit. Et aperiens os suum, interrogabat eos, dicens: Num vidistis tyrones illos, & illos? quam fortes, quam strenui, quam alacres, quàm decori, quam sapientes, quam probi, quam largi fuerunt? Horum tamen omnium fatale mortis periculum nullus euasit. Ille ludis Circensibus incolumis, postmodum lancea perforatus interiit. Alter, vrgente necessitate, de suo confisus equo, vndis se armatum commisit, & sic in abyssum equitando descendit. Alterum fundibulator lethale coegit subire supplicium. Ille sagitta transfixus obiit, suus alterum equus ad Tartara præcipiendo transmisit. Hunc æstimantem se diutius viuere, mors subitanea subtraxit. Illum deliciis affluentem, & in malitia vsque ad senium perseuerantem, eadem nihilominus mors tradidit inferis. Quid, rogo, temporalis illis profuit libertas, quid deliciæ? si nunc eos retinet æterna captiuitas? Quid pretiositas vestium, si nudos nunc torquet exitiale supplicium? Quid larga conuiuia, si modò macerantur insatiabili inedia.* Sic Amedei acta ipsum describunt, rebus, quàm verbis tonantem auribus militum, atque eo acrius pungentem eorum corda: & subiiciuntur leonina carmina, frequentia satis in vsu illius temporis; quibus à sæculi illecebris abstractos, ad religionis amorem incitaret.

b cap. 2.

Mundus hic immundus, leuis, & breuis, & moribundus:
Non ne velut flatu, celeri fert cuncta rotatu?
Sæcula transire video, transacta perire.
Solis sola bonis stat merces religionis.

Pergit auctor de consensu vtriusque militis. *Talibus monitis, & consimilibus, seruus Christi prædictis militibus mundi odium persuasit, & antequam peruenirent, quo ibant, religionis habitum cum ipso, quando, & vbi vellet, se suscepturos, vterque promisit.*

6. Porrò qualiter alios, & alios (binos quippe, vt Apostolos olim Christus Dominus) idem illustris Princeps ad Deum traxerit, continuata narratione ita describit. [c] *Sequenti die exiens de eodem castro, alios duos milites secum adduxit, quibus vt externa die fecerat aliis, contemptum mundi, & salubria pœnitentiæ opera euangelizauit. Qui diuina præueniti gratia, vt alij duo fecerant, acturos se per omnia promiserunt. Grates omnium Creatori referentes, quod qui eos ad præliandum, imò ad prædandum ducere consueuerat, nunc vice versa, ad erogandum propria, ad tolerandas iniurias, & ad paupertatem sectandam inuitabat. Talia opera vix venerabilis egit per annum, in quo turbam nobilium non modicam ad Dei conuertit seruitium.* Hæc auctor, ille qui propiùs ista nouerat. Bernardum alterum iure nuncupaueris, qui sæculum non tam fugiendo vicerit, quàm vincendo spoliauerit. Id Bernardo vix dum mundum ingresso, facilior via, & nondum victo, longè maior animus. Amedeum, & late diuagatum, & sæpe victum, forte & in sæculo etiam potentiorem, maiora impedimenta retardabant. quo magis nimirum, cunctis expeditis, non solum ipsum euasisse incolumem, sed & tot alios secum exportasse.

c cap. 2.

Cæterùm qui fuerint conuersi, qualesque, & quanti, & quomodo eis filium, etiam tenerum, nec æqualem rigori Ordinis, nihilominus Amedeus aggregauerit, diuino cultui consectandum in Bonavalle; nam id Cœnobium, & vicinia loci, & sanctitatis flagrantia electum fuerat; pergit auctor describere in hæc verba. [d] *Amedeus, assumpto secum vnico filio suo, cum sexdecim militibus, quos Christo fuerat lucratus, conuenit. Fuerunt autem inter eos quatuor nobilissimi, Amedeus videlicet Pater, & Amedeus filius, Artmannus riparum, & Berlio de Moirinis. Reliqui omnes erant quidem milites potentes in sæculo, & terris, rebusque aliis locupletes: sed tamen his quatuor Hominio subiugati.* Hæc ille. 7.

d cap. 2.

Obstabant aliquibus eorum propriæ coniuges, sacro nimirum matrimonij constrictis vinculo. Quibus nihilominus elaborandum fuit, vt relicto sæculo, & proprio iure in viros abdicato, Deo se itidem in Monasteriis consecrarent. Renuerint, an stimulauerint? in dubio est. Certè sicut Bernardo ducente agmen, Monasterium Villetum, seu Villeium, pro sequacium vxoribus surrexit: sic per vxores sequentium Amedeum Monasterium de Valle aliàs exiguum, multum creuisse idem auctor memoriæ prodit, tacito licèt statuto fœminarum, & an viris in eo assimilarentur. [e] *Interim* (ait) *quotquot erant ex ipsis vxores habentes, Monasteriis Sanctimonialium tradiderunt, multumque profuit Monasterio de Valle Amedei nostri prædicatio, in quo ipsarum plurimæ, cum rebus, & possessionibus multis se contulerunt.* Hactenus ibi. Nec dubitauerim Amedei etiam filiam ante Patris discessum Cœnobio traditam, magnæ spei fœminam, & virtutibus adultis, teneros adhuc annos præuenientem, quos beatæ Virgini ab infantia consecrauerat. 8.

e ibidem.

Cunctis igitur prouidè dispositis, atque condictis die, locoque, quo omnes pariter forent conuenturi, decem & septem viri potentes, nobiles, spreta mundi pompa, atque deliciis, relictis opibus, & quæ cuique erant chariora, Amedeus etiam (quod vltimum in sacrificio fuit) assumptum secum Amedeo filio paruulo, Bonamvallem adeunt, venerabilem Ioannem Abbatem accersunt, propositum pandunt, & quantumuis in sæculo probatos anni interstitio, probandos se à beato Patre, supplices offerunt, si non displiceant, perpetuò permansuros. Tum Ioannes Abbas, quod auctor etiam notat, seuero vultu interiorem lætitiam celans, 9.

celans, rigorem Ordinis ob oculos proposuit, vigilias, manuum laborem, abstinentiam, abnegationem propriæ voluntatis, nuditatem, & alia, viris in sæculi delitiis educatis, & iam adultis, superiora naturâ, & sola gratia duce superanda. Sed Amedeus, quo erat feruenti spiritu, hæc contrà submissa voce, & vultu hilari. [f] *Pater venerande, seruos vestros nolite terrere; multum peccauimus, & pœnitentia omnes egemus, quam vt agamus, societatem vestram, flexis genibus vnanimiter postulamus. Reliquimus delitias, quomodo iterum reuertemur ad illas? Omnia, quæ dixistis, egregiè perficiemus, donante Deo, si orationibus vestris adiuuemur.* Sic Amedeus eloquentia naturali, atque eo efficaciori, quo magis simplici. (f vita S. Amed. c. 4.)

10. Satis, superque fuisset cuicumque alteri rigorem Ordinis (aliàs cunctis terribilem) simpliciter proponere, & nihil magis optanti, quàm nouos milites, semel eosdem ab incepto deterrere. Sed Pater sanctus, siue eorum constantiæ præscius, seu fortè virtuti nobilium minus fidens, quo meliùs meritorum de Deo bonis acceptis, eo vt solet, eidem ingratiorum, atque ipsis bonis vtentium contra datorem deliberandi super eo, spatio concesso, iterum fertur talia replicasse. [g] *Non est consuetudinis in Ordine nostro quidpiam relaxare nobilibus; ingenuus seruo non præfertur. Si vos suscipimus, bubulcos constituemus; tondebitis oues, hortum stercorabitis. Hæc cogitate, & super his conferte: nam si ferre nequitis, expedit vobis hinc discedere, & alium Ordinem quærere, cuius disciplinam faciliùs sufferentes, Deo, quem vultis, exhibeatis famulatum.* (g cap. 4.)

11. Dixit, & hospitibus suis consalutatis, & in hospitum domo relictis, ipse inter spem, & metum dubius, ancepsque restituitur filiis, pro nouis sociis Deum deprecaturus. Tum verò milites, discedente sancto Abbate, primò attoniti se inuicem respicere, post paululum audita auferre, verbis pondus adiicere, & quod restabat, trepidare animis, atque penè ab incepto resilire. Nam sanctum virum non tædio Nouitiorum, quos potiùs auidè ardere dicebatur; non nobilium fastidio, quorum inopia magis laborabat, sed suæ infirmitati prouidentem, seu fortè præscium, eos à suo proposito absterruisse, in quo nimirum non forent permansuri, turpem tunc non ingressum, postquam venissent; sed semel ingressis, egressum longè turpissimum: neque mittendam manum ad aratrum minus constantibus, & retro respecturis. Agrestes homines aptos vitæ agresti, se delicatos, & mollibus assuetos, minus aspera tutiùs æmulari, & verè, vt venerabilis Abbas commonuerat, esse alia Monasteria aliorum Ordinum, quæ possent minori periculo experiri. Hæc, & similia socij conferebant, cùm Amedeus medius inter omnes, talibus dicitur omnes alloquutus. [h] *O nobiles viri, qui toties hostium arma superastis, quomodo nunc vnius hominis, & amici verbis terremini? Nondum cœpit pugna, & iam trepidatis, & tractatis de fuga? Quæso ne à proposito deficiatis: nam non est ita durus Ordo Cisterciensis, sicut Abbas loquutus est nobis; sed idcirco ea dixit, vt hoc modo nostros probaret affectus. Quòd si, sicut prædixit, cuncta se habent, numquid non sumus fortiores istis, qui omnia tenent?* Verba viri clamor omnium sequutus est, inter lacrymas cuncta confirmantium, siue ruboris ex præterito timore, siue ex præsentis feruore, lætitiæ indices. Et probauit euentus euasisse animæquiores, Amedei exhortatione, quàm Abbatis repulsa pusillanimes. (h ibidem.)

[i] *Sequenti namque die* (pergit idem auctor) *Missis celebratis, Abbas ad visendos milites exiit, scire gestiens, quid secum transacta nocte deliberassent. Quem videntes, humiliter protinus salutauerunt, & pedibus eius omnes pariter aduoluti, de susceptione sua rogare cœperunt, dicentes: Quidquid, reuerende Pater, à vobis heri audiuimus, irrefragabiliter custodiemus, nihil prorsus prætereuntes. Quod si non recipitis, hospites nos semper habebitis: sic saltem, cùm moriemur, inter vestros à vestris sepeliemur.* Tunc venerabilis Abbas in gratiarum actionem corde profusus, sed & vultu etiam exteriùs placidior solito, Amedeo filio excepto, quia nimis puero, reliquos omnes in cella Nouitiorum, Nouitiis adhuc Petro, Lambertoque, & si qui alij erant, aggregauit. Quin & Amedeus puer in Monasterio retentus est, litteris erudiendus, dum adolesceret; adductus, Deo cùm Patre mancipandus. Sic Bonavallis, incrementum dante Deo, eodem anno, nec multorum mensium spatio, fundatore totius Ecclesiæ Præsule Abbate sancto, sanctissimis Nouitiis, duobus maximè Petro, & Amedeo, hoc incipiente probationem, explente illo; multis etiam & genere nobilibus, & opibus potentibus, vix Clara valle, vix Cistercio inferior erat. Et excelluisset fortè possessionibus, si sanctus Abbas Nouitiis acquieuisset. Sed qui cœlestibus tantùm inhiabat, spernebat terrena, & neque priùs corporibus alendis acceptauit oblata, quàm anno integro probationis expleto, animabus prouidit: nec tunc quæ vellent, sed quæ satis essent, modestiæ, & paupertatis amator, acceptauit. 12. (i cap. 4.)

1. Recèns edita historia de Monachis transmissis in Lusitaniam. 2. Epistola Bernardi ad Ioannem Ziritum, 3. atque ad vtrumque facta reuelatio, 4. comprobata euentu. 5. Indultum Principis de loco fundationis, 6. qui fratribus ostensus cœlesti lumine, 7. felix noui Cœnobij auspicium fuit. 8. Grauis prædicta historia difficultas, ex Bernardi epistola. 9. Ex peritiori notitia antiquitatis, 10. ex vnione Monasterij Morerolensis, 11. neque leuibus aliis coniecturis.

CAPVT III.

1. A Bona in Claramvallem transeamus; nec scribendis, quæ certam fidem habeant, sed bona fide transcribendis, quæ recèns edita; licèt instrumentis antiquis confirmata, nec præteriti debeant, nec de facili valeant reprobari. Bernardo Patri post Laudes matutinas, in sacro præcursoris festo præsentis anni, eumdem præcursorem apparuisse, iussisseque, vt in vltimas Hispaniæ oras, quæ occidentem respiciunt, Monachos mitteret, exigendo Cœnobio, & sacrando sub eius nomine, Bernardus [a] Brito constanter asseuerat. Neque id vbilibet, sed loco priùs è cœlo designando, quo succedentia miraculis miracula, & priora posteriorum spem augerent, & posteriora firmarent priorum fidem. Mittendos rursus eremitam inuenturos in illis partibus, cuius consilio, & auxilio, si vterentur, feliciter negotium consummarent. Tunc Bernardum se legisse Monachos octo, Boëmundum, Aldebertumque, illum Abbatem futurum, hunc Priorem; Ioannem, Bernardum, Sisinandum, (a l. 1. cap. 2.)

nandum, Rolandum, & Alanum (nam octauum Anonymum reliquit) atque eos omnes Lusitaniam transmisisse post breue tempus; addita epistola scripta ad Eremitam Ioannem Ziritam nomine (nam & nomen Baptista reuelauerat) breuiter rem perstringente, sub his verbis.

2. b apud Brit. ibidem c. 2. [b] *Venerabili fratri, Deo dilecto, & in via sæculi huius socio nostro, Ioanni Ziritæ, Bernardus Claravallis vocatus Abbas, salutem in salutis auctore. Permittente Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis, qui non sitit animas peccatorum, peccatis damnari, sciuimus de fraternitate tua, quo pacto assiduis orationibus pro peccatorum venia pectus dinimum pulsare non desinis: & quia vir desideriorum es, adimplenit Dominus desiderium tuum, dum nobis aperuit exaudiri deprecationes tuas. Et quia in eadem societate nos tibi sociauit, qui duobus discipulis euntibus in Emaus se socium prabuit, mittimus hos filiolos, quos lacte Euangelica doctrina Domino nutriuimus, vt quocunque miseratio diuina disposuerit, & celeste aliquod micauerit signum, Monasterium condatis, in quibus te ipsum Dei pietas signiferum, & ducem cæterorum elegit, vt & principia agas, & actum ad exitum perducas, perductumque Deo, & eius præcursori offeras.* Hactenus epistola Sancti ad Eremitam, cuius vitam, & mores, actaque, quia non minus Cistercio nomen dedit, iuxta Patris Bernardi prophetiam, in proprium locum consultò reseruamus.

3. Quo tempore Bernardo in Claravalle præcursor Christi gloriosus apparuerat, Ioanni Ziritæ visum in Lusitania eremiticam vitam agenti, iuxta Barosum fluuium, idem auctor affirmat: auditumque de aduentu Monachorum, & Monasterio per eos ædificando. quo nimirum non quærerent ignarum, aut rogarent inuitum, sed expectantem, exoptantemque, atque quærentibus obuiam processurum. Hæc fusiùs Brito concernentia præsentem annum: nam cætera sub initium sequentis gesta. Verùm nos, ne lectorem distrahamus, consequutiua serie hic subiiciemus.

4. Igitur Monachi à Bernardo parente missi, superato Pyrene ad medium hyemis, & tota ferè Hispania peragrata, Lamacæ terminos (*Lamego* hodie appellant) applicuere. Ibi Ioannes Ziritus obuius factus, ipsa comprobatione vaticinij confirmauit hærentes, & iam iamque pertæsis longum iter pretium fecit apparere supra laborem. Lusitanis imperabat Alphonsus primus, Henrici Comitis filius, tunc ipse Comes, pòst regio titulo etiam insigniendus. Hic oriundus ex Ducibus Burgundiæ, eoque Bernardo Burgundo iam fama celebri, carne simul, & spiritu coniunctus, facile potuit à Ioanne persuaderi, vt terram, quam eligerent, daret Bernardi filiis, donatione firmata priuilegio, quod non post multos ab aduentu virorum dies, apud Araducam (vulgò *Guimaranes*) idem Rex expediuit in hæc verba.

5. c apud Brit. c. 2. [c] *Alphonsus gloriosissimus Dux, & Dei gratia Portugalensium Princeps, illustris Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius, magni quoque Alphonsi nepos, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, facio vobis Abbati Ioanni Ziritæ, & fratribus, qui vobiscum sunt, chartam, & cautum, ne quis vobis impediat, quòd vadatis, & faciatis Monasterium Ordinis sancti Benedicti de noua reformatione, de isto modo, quod solum vbi feceritis, sit nostri dominij, & si de alieno fuerit, ematur de nostro habere. Et si aliquis de vasallis nostris, vel de militibus contra hoc venerit, sit maledictus à Deo, & cum Iuda traditore in infernum sortus. Facta charta cauti apud Vimaranes Kalendas Martij, æra millesima centesima quinquagesima octaua. Ego supradictus Princeps hanc chartam propriis manibus roboro.* Hactenus priuilegium. In quo sequentem annum, hoc est, millesimum centesimum vigesimum, æra designat, triginta & octo annis præcedens Christi natale. Pyrenem verò subiugatum in ipsa hyeme, dies ostendit, quippe prima Martij, seu meliùs dixerim, prima post tempus hyemis, vt vel totos tres menses ociosos fateri necesse sit, si ante ipsos appulsi, nihil fecerint: vel intra ipsos Pyrenem transmeasse, brumali niue, & frigore rigentem.

Priuilegio obtento, [d] Brito diuisos tradit, & Ioannem quidem repetiisse suam eremum: Boëmundum paruas cellas construxisse sibi, & suis; locum in eis è cœlo designandum, pro nouo Monasterio præstolaturum. Inde fulgente in media nocte luce, signatum locum, & primum Boëmundo Abbati, mox eius sociis, demum vocato Eremitæ etiam ostensum, felix auspicium construendo Cœnobio. Atque horum omnium proferuntur testes epistolæ Boëmundi ad Ioannem, & Ioannis ad Boëmundum in hunc tenorem. [e] *Venerabili Patri Ioannis Ziritæ frater Boemundus, & reliqui, qui cum eo sunt, modicum id quod possunt. Noueritis, miseratione diuina sic disponente, signum mirabile indignis oculis conspexisse, non solùm ego, sed & omnes, quos hoc loco reliquistis: & quia iam duodecim transacta sunt noctes, postquam illud primitus vidimus, & a Patre nostro, quiuos huc direxit, simile prodigium audiuimus; ideo nobis visum est, hoc tibi referre, ne fortè velit Altissimus hac parte Monasterium construi. Valeat Paternitas tua, & hos filiolos apud Deum commendatos habe.* Hæc Boëmundus, & socij ad Abbatem Ioannem. Exemplar autem rescripti Ioannis ad Boëmundum sic se habet. *Dilectissimis fratribus, qui sunt in Eremitorio super fluuium Barosa, ad montem Curuum, Ioannes indignus seruus Christi Iesu in eo salutem desiderat. Misericordiam Domini in æternum cantabo, quam voluit ostendere super vos seruos suos. Fiduciam habete, & credite verbis Magistri vestri, quia per ea iam appropinquat dies gaudij vestri. Et ne per falsum visum erretis, obnixè, & cum lacrymis petite à Domino vniuersorum, quòd signum istud iterum vobis ostendere dignetur. Et quo loco (postquam Missas dixeritis) claritatem videritis, signate, & vallate, vt in eo, Domino adiuuante, Monasterium construamus. Seruet vos pietas æterna, & in sanctis orationibus vestris veniam postulate pro peccatis meis.* Hactenus epistolæ. Quas ideo testes totius euentus dixi, quia nihil ferè in eo ratum est, cui non aliqua ex parte fidem faciant: & consonant non pauca alia instrumenta, à nobis adducenda per annos singulos. 6. d lib. 2. cap. 3. e Brit. ibid.

His auspiciis surrexisse Cœnobium in Lusitania præcursori dicatum, à quo, & à loco nomine mutuato, sancti Ioannis de Taro ea vocatum sit; primum quod vidit Hispania nostræ familiæ, quin & si instrumentis prædictis standum sit, primum extra Gallias, indubitata fide adstruit Brito. Et subdit, Lusitanum illustrem Principem, atque ad eius exemplar cunctos proceres (inter quos Bracharensis Archiepiscopus) miraculorum conscios contulisse subsidia in opus fabricæ, atque in diuini cultus celebrationem, illum marcas argenti septuaginta, ex quibus cruces, & alia vasa conficerentur, hunc vestes sacras, quibus vtebatur, ad Missarum solemnia peragenda. Atque hæc omnia conformare videtur testimoniis, quæ fidem lectoris concilient, etiam increduli. 7.

Cæterùm me, vt verum fatear, hærentem detinent non leues coniecturæ, oppositum indicantes, 8.

quas

quas hic subiungam. Non vt grauissimi Monasterij antiquitati detraham, aut Lusitanæ religiosissimæ congregationi, quam summe veneror, eã gloriam inuideam, vt ipsi primum Hispania Cistercium debeat; quod ex his necessariò fatẽdum censeo; sed vt pro ingenij mei tenuitate historiæ adstrictus, & lectori obnoxius, veritati indagandæ morem geram. Sed neque ea est Lusitanæ gentis laus, vt mentitis honoribus indigeat. Certè mentitum hunc non ausim dicere, tamen existimo non omnino certum. Primò autem, & quod caput omnium est, difficultatẽ ingerit Bernardus Pater, qui paulo post hunc annum, sed reuera post ipsum, vt mox ostendam, contemporaneo, & eo Abbati suo Artando Abbati Pruliacẽsi fundationes Hispaniæ dissuadet, quippe in longinquo positas, quo non expediat filios relegare. Habes epistolam Sancti satis apertam, ad eumdem scribentis in hæc verba. [f] *Audiui autem* (inquit) *ego de te, quòd de sancto conuentu tuo Abbatiam in Hispania construere velis, quod mihi nimirum in magnam admirationem venit, quid causæ videlicet sit, quid consilij, quid vtilitatis, quòd filios tuos exulare cupis in locũ vtique tam longinquum? Tanto sumptu, & labore, & quærendum, & ædificandum*

f Ep. 75.

Hæc Pater sanctus, qui si iam in Hispaniam misisset filios, nunquam ab alio mittendos condemnaret. Siccine enim dissuaderet, quod ipse fecerat. Porrò epistolam post hunc annum scriptum vel inde constat, quòd Pruliacum (cuius Abbas Artandus erat) præcedenti, nempe millesimo centesimo decimo octauo fundata domus, non potuerit de edẽda prole tractare, vix dum professis filiis, quos admisisset, & quos fundatum esset transmissum. Certè neque Claravallis, quæ fœcundissima, ante tres annos; nec Bonavallis, vt minus ante quatuor, nec reliquæ ante plures parturierunt. Ergo epistola scripta post hunc annum, sed ante millesimum centesimum vigesimum secundum, quo dilatatus Ordo per Germaniam sine vllo periculo, minus patebat eiusmodi timoribus. Vnde non mirum, si annis subsequentibus, Christi nimirũ M. CXXX. idem Sanctus mutato iam consilio pro modo temporis, & euentuum experimento, Monachis suis Hispaniam nobilitauerit; primum Moreroleuse, de quo inferiùs, mox plura alia Cœnobia fundaturis, siue reformaturis, quod ipsa historiæ series demonstrabit.

9. Verùm, vt ex epistola prædicta constare videtur, Bernardum Patrem nequaquam per hoc tempus Monachos in Hispaniam transmisisse, sic ipsa historia ex se nobis suspecta, quædam, neque pauca inuoluit, quæ minus redolent antiquitatem illius temporis, quòd eo anno Lusitaniam Alfonsus regeret; quem tamen vel ætate imparem tunc, quippe decennem tantùm; vel matre retinente sibi dotalia bona, adeoque Lusitaniæ principatum, non ante annum vigesimum octauum euectum solio, producto etiam eiusdẽ Alphonsi testimonio, probat [g] latè Brandaonius Regius scriptor & longè callens Lusitanas antiquitates, quòd Princeps conficiendis ex eis crucibus, septuaginta, & eis amplius, argenti marcas, quòd vestes sacras Bracharensis Archiepiscopus, quibus ipse vtebatur, Monachis dederint: quos tamen constat, nec crucibus argenteis illis temporibus, nec ex serico vestibus, quales decebant magnum Ecclesiæ Præsulem, iuxta propria instituta vti potuisse. Quod Bernardus filiorum amantissimus; hyemis medio algentes, & penè nudos, quippe duabus tantùm laxis indutos vestibus, Pyrenæi niuibus improuidus obiecerit: nec tempus opportunius, eùm potuisset, siue præuenerit, siue etiam expectauerit.

g 3. p. Monarch. Lusit. l. 8. c. 26.

Accedit, quòd lectorem etiam summè moueat, Morerolæ Cœnobium, sanctissimis Froilano, & Arilano quõdam, illo Abbate, hoc Priore, præ aliis celebre; quod ipsa etiam historia fatente, quã hausit Brito, neque ipso id audente denegare, Cisterciense institutum in Hispania primum suscepit. Et tamen constat, nondum suscepisse post annos decem, certè vt maximè Cistercium ei præluxerit, expectauit quinquennium, quod suo loco videbimus: sed & huic lustro lustrum aliud additum, ne ipsi negant auctores Morerolenses; ea nimirum contenti antiquitate, cui ex instrumentis antiquis certa fides, concordantibus præcipue Claræuallis, atque Cistercij tabulis, nec reclamante aliquo instrumento, siue auctore, quem ego viderim. 10.

Quid, quòd epistola, quæ ex Bernardo Patre profertur, Bernardum minus sapit? Quid quòd in ea reuelationem refert, quod nusquam alibi ab eo videmus factum: Quid quòd cæteri auctores eamdem sileant, & tot apparitionum, miraculorumque velut congeriem inueniuntur tacuisse, qui narrant minima: Quid quòd omnes antiquæ memoriæ Ordinis Monasterium sancti Ioannis de Tarouca in Lusitania post plures annos affirmant fuisse constructum: anno videlicet M. CXXXI. Quid quòd Cœnobia ab eo anno frequentia, & crebris fundationibus prolifica, etiam per lõgum tempus, ante eum annum aut prorsus inaudita, aut si quod fuit, sterile permansit: Nam quod de sancto Christophoro, vulgo *de la Foens*, [h] Brito subiũgit, eamdem prorsus difficultatem patitur, vt suo loco videbimus. Atque hæc sanè dubitandi magis, quàm decernendi fine à me proposita, lectori perpendenda relinquo, iudicij anceps, & neque omnino affirmans, nec planè negans. Illud certissimum, si Abbatia sancti Ioannis hoc, quo dicitur anno, lucem vidit, omnibus aliis in Hispania esse priorẽ, & sine causa Morerolæ cedere, quam planè constat, posterius fuisse vnitam, quod Brandaonius [i] consequentius loquens aduertit. Quin & ea occasione latè probat, Lusitanos in rebus ecclesiasticis non tarò præluxisse aliis nationibus, & pietate anteisse etiam potissimas. Sed de his satis, nunc ab Hispania ad Gallias reuertamur. 11.

h lib. 4. cap. 7.

i lib. 9. cap. 9.

---

1. Stephani Patris zelus pro suo Ordine. 2. Procurator in charta charitatis, rursus exemptio. 3. & Ordo ipse ad Ecclesiæ normam conditor. 4. Emendati Antoninus, & Vincentius, 5. itemque Artmannus, ex numero assistentium, 6. & ex Pontifice, sub quo charta edita, 7. certus annus, 8. & Pisseus etiam correctus.

CAPVT IV.

1. STephanus Pater dilatationi suorum congaudens piè, ac voti compos, quod maximè exoptauerunt: nam septem filiis inter sexennium genitis, Firmitate nimirum, Pontigniaco, Claravalle, Morimundo, Pruliaco, Curia Dei, & Bonavalle; ex Claravalle neptes duas susceperat, tres videlicet

fontes,

fontes, & Fontanetum, auspicantibus iam tunc ipsis nominibus fœcunditatem perennem illius domus. Ergo denario Cœnobiorum numero auctus, auspicato, fœlicique in omnem progressum; quippe totius multiplicationis radice, in quem numeri alij reuoluuntur, atque ex summi totius Ecclesiæ Præsulis electione recenti, fiduciam sumens, quem sibi charum, quem Cistercio summè addictum per biennium, & vltrà expertus fuerat, quo filios suos inter se magis vniret, atque ab omnibus aliis explicaret (hos namque duos fines sibi proposuit, vt mox parebit) leges, quas priùs inhærens sanctæ regulæ, Cistercio indixerat, inde ad alia Cœnobia transituras, vltra regulam extendere decreuit: vt iam non Monachos tantùm sub Abbate, quæ fuerat mens Patris Benedicti, sed Monasteria etiam, & Abbates vniret inter se, & sub vno capite, quod sanctus legislator prætermiserat.

2. Intenderat hoc idem vir sanctus, à prima susceptione conceptæ prolis, Capitulis ob primum, visitationibus ob secundum finem institutis, ob quem etiam obedientiæ vouendæ Episcopis, verba illa curauit adijcienda, *vt saluo ordine suo* profiterentur; non aliter Coloniam transmissurus, quod suprà vidimus. Cæterùm prima pars adhuc infirmis, quippe nullis dum legibus distinata: secundam, etsi cohibentibus Episcopis, vtcumque mansuram, si resilirent, aut omnino infirmam, aut statim infirmandam, non dubitabat, nisi maiori robore subsisteret. Et erat adhuc in Galliis Calixtus Pontifex, à quo facile posset confirmari, Episcopos consuluisse, quibus suberant Cœnobia constructa, certum est, probabile adiisse etiam Calixtum, nec quidquam sine ipso aggressum in re tanta, quæ minus posset stare si ipse daret.

3. Cunctorum ergo consensu priùs obtento (quem venerabili Patri quis negaret,) atque Capitulo Cistercij celebrato, per decem tunc Abbates totius Ordinis, hoc anno millesimo centesimo decimo nono, à fundatione Cistercij vigesimo secundo, à prima eius propagatione (edita Firmitate) anno sexto, mense Septembri, vt ab initio moris fuit: insignes illæ primæ Cistercij leges Ordinem concernentes latæ sunt, quas chartam charitatis appellamus; nostris ad vnitatem, & libertatem spiritus; sæcularibus in admirationem, cæteris religiosis in exemplar. Summa illarum, vt sicut Christus Ecclesiam suam condidit sub Romano Pontifice, per quatuor Patriarchas, Archiepiscopos multos, sed plures adhuc Episcopos regendam; sic Cisterciensis Ordo sub Abbate Cistercij supremo capite, pro Episcopis Abbates filios habeat, pro Archiepiscopis Abbates, quos Patres vocant, pro Patriarchis primos illos quatuor, per quos in charitate radicatus, ac mutuis inter se officiis deuinctus, sine alius interuentu regeretur, Ioachimus Abbas paucis rem totam attigit, sedibus quamuis non ad dignitatem, sed ad tempus compositis, his verbis. *Cæterùm* (inquit) *si de bono agitur, quod operatus est Dominus, & tunc, & nunc: quemadmodum de Ecclesia Hierosolymitana orta sunt quatuor principales Ecclesiæ, Antiochena videlicet, Romana, Alexandrina, & Constantinopolitana. & ex eis aliæ multæ: ita de Cisterciensi Cœnobio orta sunt plures Abbatiæ, quarum quatuor, quæ fuerunt primæ, factæ sunt matres aliarum*, &c. Eadem auctor dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis, sed pluribus itemque alij, quos inferiùs adducemus. Nunc annum certum chartæ charitatis, de quo antiqui discordant; mox chartam ipsam lectori meo proponam: demum quæ in ea notanda visa fuerint breuiter, sed ex vsu demonstrabo.

Et quidem quod ad rationem temporis attinet, Sigebertus, dum Stephanum commemorat, atque eius electioni post Albericum, per anticipationem subnectit, quæ gessit Abbas; atque inter ea chartam charitatis (laudum ipsius summam) pluribus sanè errandi occasio fuit, quippe æstimantibus eodem anno gesta, quo recensentur, cùm Gemblacensis solius electionis, non cæterorum tempus designauerit, vt promotionem Stephani illi anno (quamuis in eo etiam non nihil errer, quòd suprà vidimus) cætera Stephano adscribat, sed sine tempore, siue incuriosus, siue fortè etiam ignarus, maluit ex certa persona gesta illustria, quàm ex tempore incerto designare: quod nos etiam, nec semel, faciemus in his annalibus. Errant ergo Antoninus, & Vincentius, qui chartam charitatis anno M. C V I I. confectam tradunt, quod ex capite vigesimo Exordij parui constat facilè. Tum quia edita, non sub Alberico, sed sub Stephano. *Domnus* (inquit) *Stephanus Abbas, & fratres sui ordinauerunt*, &c. qui eo anno, & sequenti necdum electus. Tum, quia Cistercium post plures, adhuc sterile, nondum filias genuerat, cum quibus super materia chartæ pacisceretur. Et tamen Exordium chartam decretum vocat, inter matrem, & filias exaratum, firmatumque; adeoque aliquas vt minus lucidatas, manifestè conuincit, cùm primùm condita. En eius verba. *Ordinauerunt* (ait) *vt nullo modo Abbatia in alicuius Antistitis diœcesi fundarentur, antequam ipse decretum inter Cisterciense Cœnobium, & cætera ex eo orta, exaratum, & confirmatum, ratum haberet.* Confirmant prima verba eiusdem capitis, quæ designantia tempus confectæ chartæ. *Antea* (inquiunt) *quàm Abbatiæ Cistercienses florere inciperent.* Sed non antea, quàm quædam fundatæ essent. Quin & notat Ignatius Fiteriensis in nonnullis eiusdem libelli exemplaribus, pro illis verbis, clariora alia haberi. [a] *Antea quàm Ordo Cisterciensis plurimum dilataretur.* quasi iam incepisset dilatari, quantumuis modicè. Demum capite nono eiusdem chartæ, quatuor primi Abbates, sub expressis Cœnobiorum suorum titulis, Firmitatis, Pontigniaci, Claræuallis, & Morimundi, Cisterciensem iubentur visitare; & capite decimo nono electioni interesse noui Abbatis, & capite vigesimo septimo eisdem subiicitur, si fortè discolus (quod absit) inueniatur, vt prorsus nequeat in dubium reuocari, Cœnobia hæc ante chartam fuisse constructa.

4.

[a] in not. ad c. 20. Exord. paru.

Proximiùs ad veritatem accessere [b] Artmanus Schedelius, & qui eum sequuti recentiores, qui chartæ charitatis promulgationem in annum referunt centesimum decimum octauum supra millesimum, qui nonus præfecturæ Stephani fuit. Sed neque is historiæ satis quadrat, quod duplex argumentum persuadet. Alterum sumptum ex numero Abbatum, ex Pontifice aliud, sub quo edita, à quo itidem confirmata esse probatur. Decem Abbates Capitulo affuisse, cùm charta charitatis conficeretur, diffinitiones conuincunt posteriores, sub beato Raynardo collectæ, sic enim habent. [c] *Nos illo tempore decem Abbates*, &c. illo (inquam) tempore, idest, quo latæ leges, de quibus antea, & quas desumptas ex charta infrà constabit. Porrò anno millesimo centesimo decimo octauo, nondum potuisse tot Patres congregari, inde deducitur, quòd Pruliaci,

5.

[b] in Chron. ad ann. Christi 1118.

[c] infra ann. Christi 1124.

liaci, Fontanetique Abbates, alterius domus fundatæ mense Septembri, Nouembri alterius, neutet potuerit Capitulo interesse, illo tunc prima fundamina iaciente sui Cœnobij, hoc nec dum missu, atque adeò necdum Abbate. Quid si Capitulo chartæ charitatis, non decem tantùm, sed vndecim affuere? Quod verbis diffinitionum Raynardi longè conformius, vt quæ non decē Abbates vtcumque numerant, sed rogātes Stephanum, adeoque alios ab eo, qui rogabatur. *Nos Abbates illo tempore decem... Rogabamus dominum Abbatem Stephanum*, &c. Sed de his paulo inferiùs hoc anno.

6. Iam ex Pontifice, sub quo charta edita, idem annus exclusus, nec minus clare, quippe sub Calixto, quem, hoc millesimo centesimo decimo nono iuitante, promotum vidimus. Portò eo Ecclesiæ præsidente confectam chartam, vtrumque Exordium tradit (posteriori ex priori mutuante verba.) quatenus in eodem Capitulo, in quo edita, confirmanda offertur summo Pontifici, designato Calixto, qui tunc Christi Vicarius, & hæres Petri; ipsius Exordij verba transcribamus. [d] *Considerans autem ipsius Pater Stephanus, hec statuta* (nimirum chartam charitatis, quam tunc condiderat) *nequaquam inconsulta sedis Apostolica auctoritate, firma esse posse: pradecessoris quoque sui* (scilicet Alberici) *imitatus exemplum, cum conuenientia Abbatum, & fratrum suorum Romam misit, à domino Calixto secundo, tunc Apostolica Sedis Pontifice suppliciter petens, quatenus ea, que cum Coabbatibus, & fratribus suis ad roborandam Monastici Ordinis disciplinam, statuerat, auctoritate Apostolica rata, & inconcussa fore decerneret.* Ita Exordium. Quod dum tunc præsedisse Romanæ sedi Calixtum tradit, annum M. CXVIII. apertè excludi, quem integrum Gelasius occupauerat, & sequentem, vt minimū requirit, in quo cœpit Calixtus præsidere.

d Exor. paru. c. 23. magn. lib. 1. c. 31.

7. Probaro hactenus contra aliquos Auctores, chartam ante hunc annum M. CXIX. nequaquam editam, facilè erit demonstrare, neque post ipsum. Idque ex anno & die confirmationis, quibus non potuit charta esse posterior. Et tamen constat hoc anno confirmatam mense Decembri. nam Pater Stephanus chartam tunc recèns editam obtulit confirmandam summo Pontifici. *Cuius* (subdit Exordium [e]) *petitioni Summus Pontifex clementer annuens, ad confirmationem Ordinis tale decretum promulgauit.* Et statim subiungit priuilegium. [f] *Datum Sedeloci, per manum Grisogoni, sancta Romana Ecclesia Diaconi Cardinalis, decimo Kalendas Ianuarij, Indictione decima tertia, Incarnationis Dominica anno M. CXIX. Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papa anno primo.* Atque hæc satis de anno editæ chartæ. De numero Abbatum adhuc dubium, an decem tantùm, an vndecim extiterint, vtrumque suasum admittentibus verbis, de quibus suprà. Certè hoc anno surrexisse Bellamvallem Besuntinensis in Burgundia diœcesis (nisi præponderet alia coniectura de computo Chronologiæ Monasteriorum, de qua infrà) idque in mense Martio, hoc est, sex ferè menses ante Capitulum à multis receptum. Vt non difficile Abbati illius fuerit, rebus domi compositis, adire Cistercium, simul cum aliis Concilium illud magnum, sanctitate assistētium, etsi non numero, pro debito nouæ dignitatis celebraturo.

e paru. c. 23.

f paru. c. 24.

8. Hinc obiter corrigendum veoir, manuscriptum exemplar Claro-Lorense in Lothariogia, non procul à Nanzeo, cuius [g] Pitseus meminit, chartam charitatis, per viginti non minus Abbates compactum tradens. Sed confirmatæ hoc anno, quem nunc transcurrimus, non potuerunt tot Patres interesse, quippe vel toto integro sequenti, hoc est, centesimo vigesimoque supra millesimum, Abbatiæ duodecim tantùm fundatæ erant: quod ex Exordio paruo comprobatum, largiente Deo, ibidem demonstrabimus. His de tempore, & numero assistentium animaduersis, chartam ipsam ad litteram inserere, pro his, quæ à nobis in ea notanda sunt, haut inconueoiens fore reputauimus.

g tom. 1. de reb. Angl. part. 2. atate 12.

[h] Incipit prologus in Chartam charitatis.

h Exor. paru. c. 11.

Quia vnius veri Regis, & Domini, & magistri nos omnes seruos, licèt inutiles, esse cognoscimus: idcirco Abbatibus, & confratribus nostris Monachis, quos per diuersa loca Dei pietas per nos miserrimos homines sub regulari disciplina ordinauerit, nullam terrena commoditatis, seu rerum temporalium exactionem imponimus. Prodesse enim illis, omnibusque sancta Ecclesia filiis cupientes, nihil quod eos grauet, nihil quod eorum substantiam minuat, erga eos agere disponimus. Nedum nos abundantes de eorum paupertate esse cupimus; auaritia malum, quod (secundum Apostolum) idolorum seruitus comprobatur, euitare non possimus. Curam tamen animarum illorum gratia charitatis retinere volumus: vt si quando à sancto proposito, & obseruantia sancta regula declinare, (quod absit) tentauerint, per nostram solicitudinem ad rectitudinem vita redire possint.

Regula D. Benedicti obseruetur sine nouo sensu, sine mutatione aliqua.

Nunc ergo volumus, illisque pracipimus, vt regulam beati Benedicti per omnia obseruent, sicut in nouo Monasterio obseruatur. Non alium inducant sensum in lectione sancta regula: sed sicut antecessores nostri, sancti Patres, Monachi videlicet noui Monasterij intellexerunt, & tenuerunt, & nos hodie intelligimus, & tenemus: ita & isti intelligant, & teneant. 1.

Mores, cantus, & libri ad diuinum Officium iidem sint in omnibus domibus Cisterciensibus.

Et quia omnes Monachos ipsorum ad nos venientes in Claustro nostro recipimus, & ipsi similiter nostros in Claustris suis, ideo opportunum nobis videtur, & hoc etiam volumus, vt mores, & cantum, & omnes libros ad horas diurnas, & nocturnas, & ad Missas necessarias, secundum formam morum, & vsum librorum noui Monasterij possideant; quatenus in actibus nostris nulla sit discordia, sed vna charitate, vna regula, similibusque viuamus moribus. 2.

Nullā persona Ordinis impetret priuilegium contra communia Ordinis statuta.

Nec aliqua Ecclesia, vel persona Ordinis nostri, aduersùs communia ipsius Ordinis instituta, priuilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quomodolibet retinere. 3.

Abbas Cistercij tanquam Abbas totius Ordinis matris recipiatur.

Cum verò Abbas noui Monasterij ad aliquod horum Cœnobiorum visitandi gratia venerit, illius loci Abbas, vt Ecclesiam noui Monasterij sua matrem esse Ecclesia recognoscat, cedat ei in omnibus locis Monasterij. Et ipse Abbas adueniens locum illius loci Abbatis, quandiu ibi manserit, teneat, excepto quòd non in hospitio, sed in refectorio cum fratribus propter disciplinam seruandam comedat; nisi illius loci Abbas defuerit. 4.

Abbates hospites quomodo recipiendi.

5. *Similiter & omnes superuenientes nostri Ordinis Abbates faciant. Quod si plures superuenerint, & Abbas loci defuerit, Prior illorum in hospitio comedat. Et hoc excipitur, quod Abbas loci illius, etiam in præsentia maioris Abbatis Nouitios suos post regularem probationem benedicet.*

Abbas Cistercij quid non possit in filiationibus.

6. *Abbas quoque noui Monasterij caueat, ne quidquam præsumat tractare, aut ordinare, aut contingere de rebus illius loci, ad quem venerit, contra Abbatis, vel fratrum voluntatem.*

Quid possit in eisdem.

7. *Si autem præcepta regulæ, vel nostri Ordinis instituta intellexerit in eodem loco præuaricari, cum consilio præsentis Abbatis charitatiuè studeat fratres corrigere. Si vero Abbas loci illius non adfuerit, nihilominus quod sinistrum inuenerit, corrigat.*

Abbas Pater maioris Ecclesiæ, semel per annum visitet filias.

8. *Semel per annum visitet Abbas maioris Ecclesiæ per se, vel per aliquem de Coabbatibus suis omnia Cœnobia, quæ ipse fundauerit. Et si fratres amplius visitauerit, magis inde gaudeant.*

Domum Cistercij quatuor primi Abbates visitent.

9. *Domum autem Cistercij simul per seipsos visitent quatuor primi Abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, & Morimundo, die qua inter se constituerint, præter annuum Capitulum, nisi forte aliquem eorum grauis ægritudo detineat.*

Abbatibus qui ad Cistercium venerint, reuerentia Abbati congrua exhibeatur.

10. *Cùm autem aliquis nostri Ordinis Abbas ad nouum Monasterium venerit, reuerentia Abbati congrua ei exhibeatur. Stallum illius Abbatis teneat, & in hospitio comedat, si tamen Abbas defuerit. Si verò præsens fuerit, nihil horum agat, sed in refectorio comedat. Prior autem loci negotia Cœnobij disponat.*

Abbates qui, neque paternitatem, neque filiationem inter se habent, quomodo se debeant gerere cùm alicubi conueniunt. Præferuntur autem secundùm antiquitatem fundationis suorum Monasteriorum.

11. *Inter Abbatias illas, quæ se alterutrùs non genuerunt, ista erit lex. Omnis Abbas in omnibus locis sui Monasterij Coabbati suo cedat aduenienti, ut adimpleatur illud. [i] Honore inuicem præuenientes. Si verò duo, aut eo amplius conuenerint, qui prior de aduenientibus erit, locum superiorem tenebit. Omnes tamen præter Abbatem præsentis loci in refectorio comedent, ut suprà diximus. Alias autem vbicumque conuenerint, secundùm tempus Abbatiarum suarum ordinem suum tenebunt, ut cuius Ecclesia fuerit antiquior, ille sit prior. Vbicumque verò consederint, humilient se sibi mutuo.*

i ad Rom. 12.

Abbatia quæ aliam fundauit, in illa habeat superioritatem.

12. *Cum verò aliqua Ecclesiarum nostrarum Dei gratia eo creuerit, ut aliud Cœnobium construere possit, illam diffinitionem, quam nos inter nostros confratres tenemus, & ipsi inter se teneant. Excepto quòd annuum inter se Capitulum non habebunt.*

Omnes Abbates Ordinis ad Capitulum generale Cistercij quotannis conueniant, exceptis infirmis, & longè distantibus, sub certa pœna.

Sed omnes Abbates de Ordine nostro, singulis annis ad generale Capitulum Cisterciense omni postposita excusatione conuenient: illis solis exceptis, quos corporis infirmitas retinuerit. Qui tamen nuntium idoneum delegare debebunt, per quem necessitas remorationis eorum valeat Capitulo nunciari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes, eo termino venient, qui eis fuerit in Capitulo constitutus. Quòd si quis quacumque alia occasione quandoque remanere à nostro generali Capitulo præsumpserit, in sequentis anni Capitulo pro culpa veniam petat, nec sine graui animaduersione pertranseat. 13.

In Capitulo generali quæ sint agenda.

In ipso autem Capitulo de salute animarum suarum tractent, in obseruatione sanctæ regulæ, vel Ordinis, si quid est emendandum, diminuendum, vel augendum, ordinent; bonum quoque pacis, & charitatis inter se reforment. 14.

Abbatum negligentiæ, vel defectus, si qui fuerint, in Capitulo generali puniantur, & quomodo.

Si quis verò Abbas minus in regula studiosus, vel sæcularibus rebus nimis intentus, vel in aliquibus vitiosus repertus fuerit, ibi charitatiuè clametur, clamatus veniam petat, & pœnitentiam pro culpa sua sibi addictam adimpleat. Hanc verò proclamationem non nisi Abbates faciant. 15.

Si in Abbatum correctione non conueniant omnes Capitulares, controuersiam finiat Abbas Cistercij, coassumptis aliis nonnullis.

Si fortè aliqua controuersia inter quoslibet Abbates emerserit, vel de aliquo illorum tam grauis culpa propalata fuerit, ut suspensionem, vel depositionem etiam mereatur; quidquid inde à Capitulo fuerit diffinitum, sine retractatione obseruetur. Si verò pro diuersitate sententiarum in discordiam causa deuenerit, illud inde irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cistercij, & ij qui sanioris consilij, & magis idonei apparuerint, iudicabunt. Hoc obseruato, ut nemo eorum, ad quos specialiter causa respexerit, diffinitioni debeat interesse. 16.

Si Abbatia aliqua ad intolerabilem penuriam deuenerit, ab omnibus Abbatibus illi subueniatur.

Quòd si aliqua Ecclesia pauperiem intolerabilem incurrerit, Abbas illius Cœnobij coram omni Capitulo causam intimare studeat. Tunc singuli Abbates magno charitatis igne succensi, illius Ecclesiæ penuriam ex rebus à Deo sibi collatis, prout habuerint, sustentare festinent. 17.

Mortuo Abbate aliquo, electio successoris fiat præsente Abbate, & aliis de filiabus Monasterij vacantis.

Si qua domus Ordinis nostri Abbate proprio fuerit destituta, maior Abbas, de cuius domo domus illa exiuit, omnem curam habeat ordinationis illius, donec in ea Abbas alius eligatur. Et præfixa die electionis, etiam ex 18.

Abbati

Abbatibus si quos domus illa genuit, aduocentur: & consilio, atque voluntate Patris Abbatis, Abbates & Monachi domus illius Abbatem eligant.

Mortuo Abbate Cistercij, quatuor primi Abbates intersint electioni, & alij nonnulli, qui de linea Cistercij fuerint.

19. *Domui autem Cistercij, quia mater est omnium nostrûm, dum proprio Abbate caruerit, quatuor primi Abbates, scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, provideant, & super eos sit cura domus illius, donec Abbas in ea electus fuerit, & statutus. Ad electionem autem Cisterciensis Abbatis præfixa & prenominata die ad minus per quindecim dies, conuocentur ex Abbatibus, quorum domus de Cistercio exierunt, & ex aliis quos prædicti Abbates, & fratres Cistercienses idoneos nouerint, & congregati in nomine Domini Abbates, & Monachi Cisterciensem eligant Abbatem.*

Abbas matris Ecclesiæ eligi potest etiam ex Abbatibus filiarum.

20. *Liceat autem cuicumque matri Ecclesiæ nostri Ordinis, non solum de Monachis filiarum suarum Ecclesiarum, sed de ipsis quoque Abbatibus earum, liberè sibi, si necesse fuerit, assumere Abbatem.*

Nulla persona de alio Ordine eligatur in Abbatem nostri Ordinis, neque è contra.

21. *Personam verò de alio Ordine, nulla de nostris Ecclesiis sibi eligat in Abbatem: sicut nec nostrarum aliquam licet aliis Monasteriis, quæ non sunt de Ordine nostro, dari.*

Abbas, qui renunciare voluerit, quomodo sit admittendus.

22. *Si quis Abbas pro inutilitate, seu pusillanimitate sua, a Patre suo Abbate domus illius, vnde sua exiuit, postulauerit, vt ab onere Abbatiæ suæ relaxaretur, caueat ille ne facile ei, & sine causa rationabili, & multum necessaria acquiescat. Sed etsi fuerit tanta necessitas, nihil per se inde faciat, sed conuocatis aliis aliquibus Abbatibus Ordinis nostri, eorum consilio agat, quæ pariter nouerint oportere.*

Abbas quomodo deponendus, quando id pro demeritis faciendum fuerit.

23. *Si quis Abbatum contemptor sanctæ regulæ, aut Ordinis esse prævaricator, vel commissorum sibi fratrum vitiis consentiens innotuerit, Abbas matris Ecclesiæ per seipsum, vel Priorem suum, aut quomodo opportunius potuerit, de emendatione, & correctione eum admoneat vsque quater. Quòd si nec ita correctus fuerit, nec sponte cedere voluerit, congregato aliquanto numero, Abbatem nostræ congregationis, transgressorem sanctæ regulæ ab officio suo amoueat: ac deinceps alter qui dignus sit, cum consilio, & voluntate maioris Abbatis, à Monachis illius Ecclesiæ, simul & ab Abbatibus, si qui ad eam pertinent, [k] sicut scriptum est, eligatur.*

k in reg. c. 64.

Abbas depositus quomodo puniendus, si non acquieuerit sententiæ.

24. *Si autem is, qui deponitur, aut Monachi eius (quod Deus auertat) contumaces, & rebelles esse voluerint, vt sententiæ minimè acquiescant: ab ipso Abbate matris Ecclesiæ, & à cæteris Coabbatibus eius excommunicationi subdantur, ac deinceps ab eo coerceantur, prout potuerit, & cognouerit expedire.*

Quomodo Abbates ad matrem suam possint se conferre.

Ex hoc sanè si quis illorum ad se reuersus, de morte animæ suæ resurgere, & ad matrem suam redire voluerit, tanquam filius pœnitens recipiatur. 25.

Nullus Monachus ab vna domo in aliam mutetur, nisi consentientibus Abbatibus.

Nam sine hac causa multo semper studio attendenda, nullus Abbas Monachum alterius cuiuscumque Abbatis Ordinis nostri, sine eius assensu retineat: nullus in domum alterius cuiuslibet sine eius voluntate suos ad inhabitandum Monachos introducat. 26.

Abbas Cistercij quomodo corrigendus, & deponendus, quando id (quod absit) meruerit.

Eodem etiam modo, si fortè (quod absit) Abbates nostri Ordinis matrem nostram Cisterciensem Ecclesiam in sancto proposito languescere, & ab obseruatione sanctæ regulæ, vel Ordinis nostri exorbitare cognouerint, Abbatem eiusdem loci, per quatuor primos Abbates, scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, & de Morimundo, sub cæterorum Abbatum nomine vsque quater, vt corrigatur ipse, & alios corrigere curet, admoneant, & cætera quæ de aliis dicta sunt Abbatibus, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiosè adimpleant. Excepto quòd, si sponte cedere noluerit, nec deponere eum, nec contumacem dicere, nec anathema poterunt, donec aut in generali Capitulo, aut si illud fortè tandiu visum fuerit expectari non posse, in conuentu alio, conuocatis Abbatibus, qui de Cistercio exierunt, & aliquibus aliis, vt virum inutilem ab officio suo deponant, & tam ipsi, quàm Monachi Cistercij idoneum Abbatem eligere studeant. 27.

Si fortè Abbas Cistercij depositus, aut eius Monachi nollent acquiescere sententiæ, quomodo essent plectendi.

Quòd si Abbas ille, & Monachi Cistercij contumaciter recalcitrare voluerint, gladio excommunicationis eos ferire (prædicti quatuor primi Abbates) minimè vereantur. 28.

Possunt Abbas Cistercij, & eius Monachi transire ad vnam ex quatuor primis Abbatiis ad peragendam pœnitentiam.

Postea verò si quis horum prævaricatorum tandem resipiscens, & animam suam saluare cupiens, ad quamlibet quatuor dictarum Ecclesiarum, siue ad Firmitatem, siue ad Pontigniacum, siue ad Claramvallem, aut ad Morimundum confugerit: sicut domesticus, & cohæres Ecclesiæ cum regulari satisfactione recipiatur, quoad vsque propriæ Ecclesiæ, sicut iustum fuerit, reconciliatus quandoque reddatur. 29.

Abbate Cistercij deposito, vbinam celebrandum annuum Capitulum generale.

Interim autem annuum Abbatum Capitulum, non apud Cistercium, sed vbi à quatuor supra nominatis Abbatibus prævisum fuerit, celebrabitur. 30.

Finis Chartæ charitatis.

Hactenus charta charitatis, circa quam primùm aliqua in communi, nonnulla in speciali etiam notabimus.

K 2 1. Char

1. Charta charitatis auctor beatus Stephanus; 2. non tamen proprio, sed omnium Abbatum nomine, 3. finis duplex, nimirum mutua charitas, 4. & Ordinis exemptio. 5. Eadem charta à regula auspicata, nec multo pòst imitata à Cluniacensibus. 6. Deductum inde iudicium de Cistercio ad alias beati Benedicti congregationes; 7. & verba Raineri adducta ad hoc propositum.

CAPVT V.

1\. CHartæ charitatis auctorem beatum Stephanum, ex eius verbis non obscurè colligas, quippe qui in prologo Coabbates suos alloquitur, & regendarum animarum eorum curam sibi reseruans, exactionum, contributionumque immunes declarat. Sic capite secundo eiusdem chartæ Cistercij claustra, & Monachi, à cæterorum Cœnobiorum Ordinis, & Monachis, & Claustris distinguuntur, illaque nostra absolutè pronunciantur; secus ista. *Et quia omnes Monachos eorum* (id est, aliarum Ecclesiarum Ordinis) *ad nos venientes, in claustris nostris* (id est, noui Monasterij, quo adhuc nomine Cistercium appellabatur) *recipimus, & ipsi similiter nostros in Claustris suis*, &c. quæ verba nequeunt ab omnibus proferri: sed nec si ab vno, ab alio, quàm ab Stephano, quippe si ab omnibus, nequaquam distinxissent; si à quouis alio, nunquam inter leges, aut Cistercij statuta computarentur. Ergo Stephanus chartæ charitatis non solùm auctor, quia lator, & promotor; sed quia scriptor, vt non immeritò Pater venerabilis propter hoc, & quædã alia docta opuscula, à Ioanne Baleo, Ioanne item Pitseo, Antonio Posseuino, & pluribus aliis, inter scriptores sacros connumeretur.

2\. Non tamen ideo asserendum nobis est, [a] quod ab aliquibus video asseueratum, adulatione magis in Abbates Cistercij, quàm iudicio; eumdem Patrem propria auctoritate, & non totius Capituli loquutum. Aliàs aut non statuisset leges contra seipsum, aut statutis potuisset derogare; quorum neutrum charitatis charta admittit, quippe procedens vsque ad ipsius Abbatis Cisterciensis depositionem, etiam inuiti, renitentisque; quod viuente adhuc sancto Patri Stephano, successori eius factum, infrà dicemus. Vnde etiam videas Pontificem Calixtum eamdem charitatis chartam confirmantem, non ab Stephano solo latam dicere, sed consensu, & deliberatione communi omnium. [b] *Siquidem* (ait) *consensu, & deliberatione communi Abbatum, & fratrum Monasteriorum vestrorum, quadam de obseruatione regulæ beati Benedicti, & aliis non nullis capitula statuistis.* Sic etiam, & Eugenium Papam tertium, qui chartam charitatis, atque eius initia propiùs nouerat, quippe non multo pòst Monachum factum, indeque ad Ecclesiæ apicem promotum, dum eam confirmaret, non dixisse statuta, quæ Stephanus Abbas Cistercij condidit, sed quæ Abbas Cistercij, & eius Coabbates simul statuerunt, & diffinierunt. Audi Eugenium in suo priuilegio ita loquentem. [c] *Dilectis filiis Abbati Cisterciensi, & cæteris Abbatibus, & fratribus regularem vitam, & Cisterciensis Ordinis statuta professis, in perpetuum ..... Statuistis siquidem inter vos, ne in alicuius Antistitis diœcesi, Ordinis vestri Abbatia fundaretur, donec ipse Antistes decretum quod inter Ecclesias vestri Ordinis, ad custodiam disciplinæ firmatum est, ratum habere promittat.* Statuistis, inquam, inter vos, non vnus vestrûm, Cistercij Abbas statuit. Et iterum. *Decretum quod inter Ecclesias Ordinis vestri, ad custodiam disciplinæ firmatum est.* non quod vnus sanciuit, siue firmauit. Demum non solùm Stephanum parentem, sed cunctos alloquutus, subiungit vlteriùs. *Quia verò singula quæ ad religionis profectum, & animarum salutem regulariter ordinastis, præsenti abbreuiatione nequiuerunt annecti, nos cum his, quæ præscripta sunt, omnia quæ continentur in charta vestra, quæ appellatur charitatis, auctoritate Apostolica roboramus.* Ita Eugenius. Quibus expressè videas, etsi ab Stephano, cæterùm non solius ipsius, sed omnium nomine, eamdem charitatis chartam fuisse confectam. Quamuis vir sanctus sensui magis, quàm verbis intentus, atque aliquando personæ alienæ oblitus, in propria loqueretur, quod non mirum in assueto regere omnes, & in quem cæteri, vt in communem Patrem, Magistrumque, filiali reuerentia compromiserant. Sanè potestas concedendi leges penes solum Capitulum, concessione Pontificum, pòst residens; Capitulum etiam antè requirebat, offerens confirmandas, quas ordinaret. Hæc de auctore.

a Dialog. de prosp. & aduerso statu Ord. p. 1. c. 15.

b 10. 1. priu. 2.

c Ibid. priu. 3.

De fine certum est, duplicem illum sibi proposuisse, quem iam tetigimus. Charitatem, & vnionem inter se ipsos (vinculum perfectionis) & ne ea per extraneos turbaretur, aliqualem ab eis independentiam. Ordinis exemptionem; non recusantis, sed præuenientis Episcoporum de se solicitudinem, quo sic rigorem diutiùs conseruaret. Charitatem concernunt priores leges, morum in omnibus vniformitatem, mutuum influxum inter domos matres, & filias, pauperum subuentionem promptam ex omnibus; & quod in Ordine singulare æquè, & antiquum, hospitum reuerentiam, & reliqua id genus, præcipientes. Et de his manuscriptum Clariloci. *Venerabilis* (inquit) *Pater Stephanus sagacitate peruigil, ac mirè prouidus, ad præcidendos schismatum surculos, qui succrescentes exorituram mutuæ pacis præfocare poterant fructum, eximias leges condidit, & scriptum illud chartam charitatis competenter voluit vocari, quòd ea tantùm, quæ sunt charitatis, tota eius series redoleat. Ita vt nihil penè aliud vbique prosequi videatur, quàm nemini quidquam* [d] *debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Quæ quidem charta, sicut ab eodem Patre digesta, à præfatis Abbatibus confirmata, sigilli quoque Apostolici auctoritate munita est.* Hæc auctor ille. Sed & à Clemente Papa de eisdem legibus dicta post annos aliquot, non pigebit ad litteram transcribere. [e] *Primi namque ipsius Ordinis architecti, quasi prima eius fundamenta in charitate iecerunt, eumdem Ordinem ad instar sponsi cœlestis, qui in speciosissima sponsa sua charitatem, vt ipsa* [f] *fatetur, ordinauit, charitatiuis præceptis, & institutionibus ordinantes, quibus charitatis chartæ nomen, neque immeritò imponentes, per ipsam, ad charitatis conseruationem, strauerunt, iuxta Prophetæ promissum, ipsius Ordinis lapides, ordinantes in illa quid maioribus, quidve minoribus debeatur.* Hactenus Clemens de prioris partis legibus. 3.

d ad Rom. 13.

e 10. t. priu. 4.

f Cant. c. 2.

Reliquæ omnes, etsi charitati etiam inseruiant, 4.

exem

exemptioni Eccleſiarum nonnihil tribuunt inſtitutionibus, & deſtitutionibus Abbatum, culparum correctionibus, deciſionibus litium, & ſi quæ alia emergant, peragendis iudicio Ordinis, vt nihil ferè Epiſcopis reſiduum, neque eorum iudicio decernendum relinqueretur. Id Pater Stephanus à principio naſcentis Ordinis, quod ſuprà notabamus, velut informe, his legibus formauit, firmauitque, vt nihil prorſus Ciſtercium extra poſitum Ciſtercienſem quietem perturbaret. Eſt tamen quod mirabile appareat, & quod humanam prorſus induſtriam ſuperans, diuinæ tantùm potentiæ adſcribi debeat, has omnes leges Epiſcopis conſultis, atque eorum conſenſu factas fore. Neque eorum, quibus minor experientia ignorantiam feciſſet conceſſionis, ſed expertorum, quippe intra quorum diœceſim fundata Monaſteria, earumdem legum à principio vſum habuerant. Porrò de omnibus Epiſcopos conſultos, ne quidquam ſine eorum conſenſu actum, in ipſa etiam chartæ charitatis confirmatione expreſſit Calixtus, paulo inferiùs

g Exor.parv. c.24. à nobis adducenda. g *Siquidem* (ait) *conſenſu, & deliberatione communi Abbatum, & fratrum Monaſteriorum veſtrorum; & Epiſcoporum, in quorum parochiis eadem Monaſteria continentur .... capitula ſtatuiſtis*, &c. Sed voluntati Dei quis reſiſtet? in cuius manu ſunt corda quorumque Principum.

5. Illud vlteriùs in charta charitatis notandum cenſeo, omnes, & ſingulas Ciſtercienſis familiæ leges auſpicatas à regula, & perfectiori illius obſeruatione. Quare ſicut priores ſub Alberico, nihil aliud vel leuiter intendunt, ſic hæ ſub Stephano ad alia progreſſuræ; nihilominus à regula exorſæ, de vnanimi illius intelligentia, velut de fonte totius conformitatis, atque vnitatis, charitatiſque radice, primum, & præcipuum caput inſtituere. Vnde etiam videas, ſicut priores illæ, Cœnobia ſingula ad regulam aptantes, à grauiſſimis Patribus Cluniaci non multo pòſt ſuſceptæ: ſic poſteriores has, quæ præter regulam, vnionem Cœnobiorum concernunt in vnum Ordinem, aliquibus interiectis annis, maiori ferè ex parte ab eis admiſſas, ſtatutis editis. *De electione quatuor perſonarum, quæ ſemel in anno veniant viſitare Cluniacum, & diligenter inquirant de ſtatu domus .... De vniformitate ſeruanda in cantu, & aliis, in omnibus locis noſtris .... De generali Capitulo Cluniaci, per ſingulos annos celebrando .... De electione Priorum .... De Eccleſiis matricibus, filiabuſque .... De eo quod Abbas Cluniaci ab Abbatibus & Prioribus ſuis nihil exigat.* Et id genus plura, quæ ſub Hugone quinto, circa annum Domini M. CC. plus minuſve, lege ſancita in Cluniacenſi Bibliotheca inueniet lector. Quin & Ordines alios diuerſos regula, inſtitutos de nouo ſub his legibus, Ciſtercienſium exemplari expreſſo in Bullis, ſuis & loco, & tempore dicemus.

Atque hinc obiter diſſolui poſſe puto quæſtionem vulgarem, quæ recentiores nonnullos malè torſit. An Ciſtercienſis ſpecialis Ordo ſit, à beatiſſimi Patris Benedicti diſtinctus Ordine? quæ etiam qualeſcumque nos exercuit, dum adhuc iuuenes. h Auctores varij, varieque loquentes puto magis, quàm ſentientes, rem de ſe facilem nimium implicarunt: ſed magis vulgus. Certè, ſi quæſtio de nomine non ſit, in qua fortaſſis non vincimur, ſpeciali nomine, præ propria magnitudine, quodammodo obliterante in nobis nomen commune: in reliquis de Cluniacenſibus, & noſtris, crediderim eamdem per omnia eſſe rationem. Vt enim de colore non cauſemur, quod ex præcepto i regulæ debemus vtrique pariter, eiſdem penè legibus adſtrictos, eiſdem arctos, non video cur aut priùs incepiſſe, aut aliquanto ſtrictiùs obſeruaſſe, alieniores nos faciat à ſancto Patre, nihil præcipuè magis intendentes, quàm ipſum ſequi? Sed hæc vtcumque à nobis olim tradita, aliorum maneant iudicio diſcernenda. 6.

h to.1. Sanct. l.2.epiſt.1.

i cap.55.

Interim Clemens Raynerus Anglus Benedictinus in medium prodeat, qui præ aliis rem paucis tetigit. k *Nicolaus quartus* (ait) *anno Chriſti M. CCLX. ſpeciali Bulla Cluniacenſes ſeparatim ad reformationem inuitauit. Et duo Pontifices ſemper eos appellant Ordinis Cluniacenſis Monachos, nunquam verò congregationis Cluniacenſis, aut Ordinis ſancti Benedicti, neque eos ad inſtar Monachorum Ordinis ſancti Benedicti, aut iuxta conſtitutiones Innocentij, vel Honorij, ſed ad inſtar Ciſtercienſium regulari volunt, & cum eis ſæpe comparantur. Qui Ciſtercienſes, cùm (noſtro iudicio, & plerorumque regula noſtra) reipſa Ordinem diſtinctum à Benedictinis alias non faciant, ſed tantùm, vt nunc loquimur, congregationem diuerſam; tamen vulgi ſermone, & recepto etiam iuris, & Pontificum, & Doctorum, ipſorum etiam Ciſtercienſium vſu, Ordo diſtinctus, tam à nigris Monachis, quàm etiam à Cluniacenſibus, aliiſque communitatibus regulam ſancti Benedicti profitentibus, & olim, & noſtro etiam ſæculo habentur.* Hactenus Raynerus. Qui dum eamdem de noſtris, ac de Cluniacenſibus rationem conuincit, quidquid antiquitatis, quidquid ſplendoris à Benedicto parente alij participant, æquè probat Ciſtercio conuenire. Nullus enim tam hebes inuentus hactenus, qui glorias has Cluniaco detraxerit, cunctis, ſi ſemel id admitteretur, congregationibus, ipſi etiam Caſinenſi detrahendas. Sed de his ſatis pro modo noſtri inſtituti. 7.

k in diſp. de antiq. Bened. in Anglia.

1. *Morum vnitas Ciſtercio velut congenita.* 2. *Vrbanitas in hoſpites, & inter filias, ac matres Eccleſias mutua connexio.* 3. *Benedictio Nouitiorum reſeruata,* 4. *aliorum Monachorum vſu recepta.* 5. *Inſtituta Capitula, & quo fructu.* 6. *Perpenſa moderatio Patris Stephani.* 7. *Additus liber vſuum,* 8. *dubium an ipſo, an Bernardo Patre auctore.*

CAPVT VI.

1. HActenus leges chartæ charitatis quaſi in communi, nunc ſigillatim quaſdam diſcurriemus; nam omnes neque vacat, neque ipſæ egent. Priores tres vniformitatem morum reſpiciunt, & ſemel iam admiſſorum perſeuerantiam; pellendo vtramque noxiuo ſatis vitio; diuiſionis illam, hanc nouitatis. Porrò hæc conformitas Ciſtercio velut congenita, à cantu, & moribus ad ædificia tranſiens, ad Patrum vſque æuum perdurauit; imò ad noſtrum hac ſola in omnibus

structuræ differentia, quòd Claustra, domusque nunc ad sinistram, nunc ad dextram Ecclesiæ conficerentur. Cætera omnino in omnibus conformia, earundem officinarum idem situs, atque eadem proportio; neque vnam poterat domum ignorare, qui sciret aliquam. Sic ambitioni obuiatum, & cupidini, quippe forma ex vsu iam præscripta, nullus nouis augmentis residuus locus, nullus excessibus.

2. Sequuntur leges hospitalitatis, & quæ concernunt radicatam altiùs Ecclesiarum inter matres, & filias connexionem. Summa illius, vt quicumque Abbas in propria domo Abbati hospiti cederet, rarum neque ab externis æmulatum, vt quædam alia, sed inter nos ab initio vsu receptum, inconcussum huc vsque perseuerat. Neque deest vtrique probabile motiuum, vrbanitatis nostris, constantiæ cæteris. Summa huius, vt Ecclesiæ matricis Abbas visitaret filias, earum præesset electionibus: filiarum è contra, in matrici suffragarentur. Inde post annos centum plus minusve, Iulianeis militibus donatis Alcantara oppido, Calatrabensium liberalitate, cùm se se illis in filios tradidissent, his legibus initum fœdus inter vtrosque, quippe Cistercienses, & salua disciplina militari, in cunctis aliis professos Cistercij mores. Sed de his suo loco erit agendum.

3. Vnica Nouitiorum benedictio inter actus honoris reseruata per chartam Abbati proprio, ne ipsi quidem Cisterciensi Præsuli extra domum Cistercij concedebatur, quippe annexa eorumdem professioni; adeoque ab eo tantùm largienda, cui fit professio. Hæc olim cunctis Monachis in vsu, nostris temporibus, vt pluraque antiqua, prorsus euanuit. Extat inter alia de ea benedictione priuilegium nostratibus concessum. [a] *Vt si Episcopi tertio cum humilitate, & deuotione, sicut conuenit, requisiti, Abbates benedicere fortè renuerint; eisdem Abbatibus liceat nihilominus proprios Nouitios benedicere, & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere.* Et item aliud tempore posterius, quippe sub misero statu commendarum, contra Commendatarios impetratum. [b] *Vt Nouitij Ordinem profiteri volentes, in manibus Patris Abbatis (Commendatario excluso,) seu Commissarij ipsius professionem expressè emittere debeant, & teneantur, ab eisdem Patre Abbate, seu Commissario eius benedictionem, secundùm instituta eiusdem Ordinis concedi solitam, humiliter recipiendo.* Ratio in promptu, quia Nouitios de iure soli Abbates, nec nisi benedicti, benedicebant.

a tom. 1. priuil. 6.

b tom. 1. priuil. 103.

4. Porrò id ipsum in vsu cæteris Monachis, nec Cisterciensibus tantùm peculiare, non minus clara conuincunt testimonia. Inde enim inter Cluniacenses, quibus raræ Abbatiæ, receptum vsu, Nouitios in prioratibus admissos Cluniacum mittere, ab Abbate eius loci benedicendos. Testis Theodorus Prior de Charitate, ad Petrum Mauriacenum ita scribens. [c] *De his, & de cæteris vestrum nosse, vestrumque velle nobis renonciate. Præsertim, si possemus vos inuenire Cluniaci vsque ad festum sancti Petri; quia si potuerimus praparare Nouitios, ad benedicendum mittemus.* Testis & ipse Petrus venerabilis, promulgato statuto, sub hoc tenore. [d] *Vt extra Cluniacum Nouitij recepti, vsque ad primum, vel secundum, aut plus tertium annum ad benedicendum Cluniacum adducantur.* Nec satis Monachus ab aliis habebatur, qui nondum benedictus, quamuis professus. Audi quæ de Matthæo Cardinali Episcopo Albanensi, viro sanctissimo, & Bernardo familiari, olim ad sanctum Martinum de Campis Monacho, narrantur in eius vita. [e] *Paruo temporis spatio emenso (scilicet, ab emissa professione) Cluniacum venit. Quod ei de professione scripta, vel de Monachi vsitata benedictione defuerat, a Cluniacensi Abbate suppletur. Et iam integer corde, ore, habitu, ac vita Monachus, sibi iam penè de Monachatu nihil deesse in Domino gloriatur.* Hæc de Matthæo, vt planus fiat benedictionis vsus, grauitasque, quam charta charitatis reseruat propriis Abbatibus.

c inter epist. Pet. venerab. lib. 2. epist. 5.

d stat. 38.

e apud Petr. Mauricium l. 2 mirac. c. 7.

Sequuntur leges, quæ Capitula concernunt, vsu inter nostros adeò diligenti, seueroque, & ab exteris adeò venerato, vt Reges, Principes, Episcopi, Prælati, atque ipsa etiam totius Ecclesiæ capita (Romani Pontifices) ad eorum celebrationem conuenirent, atque Cistercium tempore Capituli, veluti loca sacra, visitarent, admiraturi viros, sessionesque, atque orationes ab eis impetraturi. Scatebit historia mille exemplis. Verùm quo fructu per sanctos illos Patres eiusmodi conuentus celebrarentur, vel ipsa generalis æmulatio aliarum item sacratum familiarum non parum indicat. Extat in iure Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio tertio decretum celebre, *in cap. in singulis de statu Monachorum*; quo idem Capitulum celebrandum cunctis iniungitur; idque sub Cisterciensium Abbatum ductu, quibus hæc cura à Concilio delegatur. *In singulis* (ait) *regnis, siue prouinciis fiat de triennio in triennium (saluo iure Diœcesanorum Pontificum) commune Capitulum Abbatum, atque Priorum Abbates proprios non habentium.* Et post pauca. *Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordiis duos Cisterciẽsis Ordinis vicinos Abbates, ad præbendum sibi consilium, & auxilium opportunum, cùm sint in huiusmodi Capitulis celebrandis, ex longa consuetudine plenius informati, qui absque contradictione, duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Atque ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso.* Hactenus Concilium, cuius decreta executioni regna, & Prouinciæ non solùm probauere, sed etiam transcripserunt in patrias leges. Sed hæc inferiùs à nobis pertractanda, nunc obiter sufficiat tetigisse. 5.

Demum admiratione dignas censeo Stephani modestiam, & charitatem, temporalia filiorum respuentem, in spiritualibus omnes sibi æquantem, quippe illa in prologo reiecit, dum *nullam* (ait) *terrenæ commoditatis, seu rerum temporalium exactionem illis imponimus.* hæc duodecima lege communicauit. Vt quemadmodum Ecclesia Cisterciensis, ideo caput aliarum, quia initium: ita quibusuis matricibus Ecclesiis, generali Capitulo excepto, idem prorsus ius esset in proprias filias. *Cùm verò aliqua Ecclesiarum nostrarum Dei gratia adeò creuerit, vt aliud Cœnobium construere possit, illam diffinitionem, quam nos inter nostros confratres habemus, & ipsi inter se teneant, excepto quòd annuum inter se Capitulum non habebunt.* Hæc sanctus Pater, modestiam præ se ferens, & alios docens, neque inuidens filiorum incrementis, vel quibus pollent Cistercium superare. At quæ dissidia, procedente tempore, atque aliquantulum charitate refrigescente, ex tenore harum legum orta sint, Cisterciensibus, Clarevallensibus hinc inde, nec semel tantùm, sed pluries adnitentibus, (nullum omnino bonum est, quod non subiaceat hominum abusui) suis temporibus, locisque dicemus, si Deus dederit. 6.

Traditio est in hoc eodem Capitulo, in quo charta charitatis confecta legitur, Ordinis quoque cætemoniis fuisse prouisum. Non quòd ex tunc de nouo instituerentur, sanctis Patribus nihil magis intendentibus, quàm omnia antiqua 7.

incon

inconcussa reseruare; sed quòd praxi receptas ab initio, & continuato vsu velut sancitas, scripto redigerent, minori ad posteros dubio transferendas. Hinc liber vsuum dictum opus illud, non quòd non leges æquè contineret, sed quòd excerptas ex prisca consuetudine. Porrò eiusdem Capituli hoc opus, vltra perpetuam traditioné Ordinis, ex ipsa charta colligi videtur. Vix enim posset vnitatem morum, & cantus, secundùm formam morum, cantusque in Cistercio præscriptam, aliis iniungere, nisi eorumdem morum scriptum mitteret, præ oculis habendum in cunctis actibus, ne in aliquo ab illo dissentirent. Hinc liber vsuum semper appendix chartæ, quippe illius Capituli secundi, neque in antiquis vllis exemplaribus, inuenies chartam, quam vsus non sequantur; aut librum vsuum, in quo charta non præcedat. Ignatius [f] Fiteriensis vlteriùs addit, eumdem librum oblatum summo Pontifici, & confirmatum ab ipso simul cum charta. Addito in probationem titulo Bullæ, vt in antiquo Tabulario sacri Monasterij Cistercij, vnde ipse hausit, continebatur. *Priuilegium Domini Calixti secundi Papa, de confirmatione omnium statutorum Abbatis, & Conuentus Cisterciensis, vt sunt charta charitatis, vsus Ordinis, & ea, qua antiqua dicuntur Cisterciensium instituta.* Cui titulo, si nobis standum est, librum vsuum, vel adhuc ante hunc annum, vel editum cum charta charitatis perspicuum erit.

f in not. ad Exord.

8. Collector libri, vt nondum plane notus, sic summæ auctoritatis, & nostri vtplurimum Bernardo Patri tribuunt, exteri Stephano [g] auctor dialogi de prospero & aduerso statu Ordinis, [h] Bernardus Brito, [i] Ignatius Fiteriensis, & eos sequutus Chrysostomus Henriquez, [k] scriptorem Bernardum asseuerant, cui à Capitulo opus iniunctum fuerit. [l] At Valæus, [m] Pitseus, [n] Posseuinus, [o] quibus ex nostris etiam Seguinus adhæret, Stephanum proclamant, atque inter eius opera recensent. *Vita monastica ritus, & vsus... librum vnum.* Vtrique aut mediæ, aut extremæ huius ætatis, verùm alterutris necessariò assentiendum, dum Prisci silent. Prioribus diffinitio antiqua fauet, nempe anno M.CCCXX. in qua præcipitur, *quòd antiqua forma cantandi, à Beato Patre nostro Bernardo tradita, simpliciter obseruetur.* Atque item alia M. CD. XXXIX. qua *diuinum Officium cum circumstantiis, per beatum Patrem Bernardum, & alios sequentes Patres nostros traditis, celebrari* iubetur. Quicumque fuerit ingentis nominis auctor, opus consecrat potius, quàm commendat. Vt nisi causa subsit vrgentissima, nihil in eo liceat immutare, nihil addere, nihil præterire, citra piaculum.

h lib. 1. c. 13.
i in notis ad Exord.
l de scriptor. eccles. Angl.
m de script. eccles. Angl.
n in apparatu sacro.
o de scriptor. Cisterc.

---

1. Stephanus confirmationem legum à Calixto secundo orat, 2. & impetrat. 3. Quo sensu Exordium dicat misisse Romam? 4. Quis Sedelocus? statutum aliud editum: 6. atque in ipsius verbis quædam notata.

CAPVT VII.

1. MAnebat adbuc in Galliis Calixtus Pontifex, & erat Stephano ea solicitudo, quæ vel iam abeuntem sequeretur, longè positum non minus quæsitura. Ergo confecta charta charitatis, vsibusque, per quæ noua plantatio Cisterciensis eodem spiritu, & moribus eisdem per vniuersum orbem propagaretur: Monachos misit eadem oblaturos, & relaturos priuilegium confirmationis, quod non timebat à Calixto denegandum. De his Exordium paruum ita scribit. [a] *Considerans autem pius Pater Stephanus, hac statuta nequaquam, inconsulta Sedis Apostolica auctoritate firma esse posse, prædecessoris quoque sui imitatus exemplum, cum conuenientia Abbatum, & fratrum suorum, Romam misit, à Domino Calixto secundo, tunc Apostolica Sedis Pontifice suppliciter petens, quatenus ea, qua cum eo Abbatibus, & fratribus suis, ad roborandam monastici Ordinis disciplinam statuerat, auctoritate Apostolica rata, & inconcussa fore decerneret.* Hæc pauca Exordium de Stephani parentis petitione.

a cap. 15.

2. De concessione Pontificis pauciora, nisi quòd ipsum priuilegium etiá subnectit, & nos ex ipso. [b] *Cuius petitioni* (continuat) *Summus Pontifex clementer annuens, ad confirmationem Ordinis tale decretum promulgauit. Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, charissimis in Christo filiis Stephano, venerabili Cisterciensis Monasterij Abbati, & eius fratribus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad hoc in Apostolica sedis regimen, Domino disponente, promoti conspicimur, vt ipso prestante religionem augere, & quæ rectè, atque ad salutem animarum statuta sunt, nostri debeamus auctoritate officij stabilire. Iccirco filij in Christo charissimi, petitioni vestra charitate debita impertimur assensum, & religioni vestra paterno congratulantes affectu Dei operi; quod cupistis, manum nostra confirmationis apponimus. Siquidem consensu, & deliberatione communi Abbatum, & fratrum Monasteriorum vestrorum, & Episcoporum, in quorum Parochiis eadem Monasteria continentur, quædam ab obseruatione regula beati Benedicti, & de aliis nonnullis, quæ Ordini vestro, & loco necessaria videbantur, capitula statuistis, qua nimirum ad maiorem Monasterij quietem, & religionis obseruantiam, auctoritate Sedis Apostolica petitis confirmari. Nos ergo vestro in Domino profectui congaudentes, capitula illa, & constitutionem auctoritate Apostolica confirmamus, & omnia in perpetuum rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodis prohibentes, ne Abbatum aliquis Monachos vestros sine regulari commendatione suscipiat. Si qua igitur ecclesiastica, sæcularisue persona nostra confirmationi huic, & constitutioni vestra, temeritate aliqua obuiare præsumpserit, tanquam religionis, & quietis monastica perturbatrix, auctoritate beatorum Petri, & Pauli, & nostra, donec satisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui verò conseruator extiterit, omnipotentis Dei, & Apostolorum eius benedictionem, & gratiam consequatur. Interdicimus autem, ne quis conseruos, laicos, vel professos vestros ad habitandum suscipiat. Ego Calixtus Catholica Ecclesia Episcopus confirmaui, & signaui. Datum Sedeloci per manum Grisogoni sancta Romana Ecclesia Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij, decimo Kalendas Ianuarij, Indictione decimatertia, Incarnationis Dominica anno millesimo centesimo decimo nono, Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papa anno primo.*

b vbi suprà.

3. Hactenus priuilegium Calixti, cui impetrando, cùm Exordium dicat, transmissum Romam, occurrunt statim duæ difficultates, quæ breuiter sunt nobis expediendæ. Altera, quomodo non expeditum Romæ, sed Sedeloci? altera, quisnam locus ille sit? & in quo regno, aut Prouincia contineatur? [c] Fiteriensis in prima dubius hæret, nec putat testimonia conciliari, nisi recurrat ad

c in not. ad Exord.

Procuratores transmissos Romam, ibidem remansuros pro causis Ordinis, atque confirmationem velut in via, negotia reliqua Romæ peracturos. Id semel ab eo admissum sub Alberico, facile fuit in præsenti accommodare. Cæterùm, & à nobis refectum illic, potiori iure hîc venit reiiciendum. Neque enim Stephanum ad alia misisse Romam, sed ad confirmationem impetrandam [f] Exordium perhibet. Non tamen Roma pro vrbe supponente, sed pro sede Romana, atque Apostolica illius auctoritate. Vt sicut Papam Romanus Pontificatus, sic & Romana curia, sic Roma ipsa sequatur, quocumque ierit. Haud aliter eiusdem Exordij auctor priuilegium Romanum suprà dixit, quod non Romæ, sed Troiæ concessum extitit. Certè

—Veios habitante Camillo,

Illic Roma fuit,

ait Poëta. Quanto magis id Petro, & successoribus eius concedendum?

f parm. n. 23.

4. De Sedeloco fortasse minus dubium: sed quod intactum nostrates reliquere. Exteri neque in nomine conueniunt. [c] Baronius priuilegium hoc idem referens, non *Sedelocum* legit, sed *Sodolocum*: & hærens asterisco notauit nomen, quasi emendandum in margine relinquens. Nostra exemplaria proximior vero *Sedeloci* scribunt; sed necdum rectè. Crediderim vrbem Galliæ Lugdunensis (*Saulieu* vernacula lingua incolæ dicunt) de qua olim Amianus Marcellinus; *Sedem leucorum* nominans, & Pireus relatus ab Ortelio, quibus etiam *Sidoleuchum* appellatur. Moueor, quia video vrbem Viennæ proximam, neque ab Alpibus dissitam, ad quam potuit Calixtus diuertisse, iter versùs Italiam paraturus.

c Baron. ann. 1119.

g apud Abrahamum Ortelium in thesauro geograph.

5. Hactenus de charta charitatis, vsibusque atque vtriusque libelli legum conformatione. Sed inter acta Capituli huius anni illud etiam relatu dignum censeo, quod continuandæ narrationis gratia, in hunc locum consultò reseruaui, frugalitatem, & modestiam commendans illius æui. Abbatibus Cistercij congregatis, titulo hospitij, & dignitatis prærogatiua ferculum refectioni communi addi consuetum, Ordinem mensæ turbabat, & retardabat, in aliquale vtrumque dispendium, licèt leuissimum, disciplinæ regularis illud, hoc quietis fratrum. Sed vix ab eis animaduerti potuit, cùm reiiciendum omnimodis curarunt: nec destiterunt, donec sancita lege, non ampliùs propinandum relegaretur. Habemus id ex aliis statutis, quæ beatus Rainardus compilauit, post annos quindecim. Sic enim habent. *Nos Abbates, illo tempore decem, sicuti solemus Cistercium post annum venientes, rogabamus Dominum Abbatem Stephanum, & fratres, ne nobis in refectorio solita picantia, post duo pulmentaria regularia propinarentur; quia & in refectorio, in distributione videbatur esse quædam inquietudo; & in mora illa diminutio dormitionis fratrum. Itaque Abbate illo, & fratribus consentientibus, stabiliuimus, ne ista nobis vllo tempore ampliùs fierent.* Hæc sancti viri de gestis in hoc Capitulo, quod ex numero Abbatum datur intelligi.

Porrò in his verbis tria obiter noto, quæ tam ipsis, quàm aliis lucem dabunt. Primum est, huiusmodi pitantias, siue fercula, non cuilibet seorsum, ne vel in hoc transgrederentur decreta regulæ, sed Stephano soli propinari, charitatiuè inter omnes diuisuro, quod regulæ conforme esse cognoscitur. Ideo enim in propinatione mora, & inquietudo, quia nimirum indiuisa in mensa posita, diuisionem, ac distributionem præstolabantur. Secundum est, hæc Ordinis comitia annuatim per Abbates celebranda, ex quo semel cœperunt, nunquam omissa. Aliàs nequaquam dicere potuissent, sicut solemus, Cistercij post annum conuenientes, maximè sex ad summum elapsis annis, à primo, in quo potuerunt congregari. Et tandem tertium, sanctos illos Patres certantes inuicem, vt largitate illos, hos modestia, charitate vtroque illos, vt hospites suos lautè susciperent, hos ne vel modicè hospitantes inquietarent. 6.

1. Recensita Chronologia Monasteriorum, 2. & coniectatus inuersus illius calculus. 3. Bellævallis initia, & primus Abbas, 4. Bernardi stola miraculum perficiens, 5. iudicium Sancti, emendatus Gaufridi locus. 6. Bonradÿ primordia, 7. & quid de Cadunio?

CAPVT VIII.

1. SEquuntur fundationes præsentis anni, quæ abhinc, ex Chronologia referendæ, singulas singulis ad calcem subiiciemus, quippe quarumdam nobis notitia dubia, fortè nulla, nisi ab ipsa. Ergo quæ certiùs aliunde nouerimus, corrigemus ex more. Cætera bona fide inde mutuabimur.

Anno (inquit) *M. CXIX. quinto Idus Iulij, fundata est Abbatia Bonævallis.*

Eodem anno, sexto Idus Septembris, Abbatia Boniuadÿ.

Eodem anno, quinto Kalendas Nouembris, Abbatia Caduini.

Eodem anno, quarto Kalendas Nouembris, Abbatia de Fontaneto.

Eodem anno, tertio Idus Nouembris, Abbatia de Mansiade.

Eodem anno, decimo primo Kalendas Aprilis, Abbatia Bellævallis. Hæc Chronologia; sed Bonamvallem, Fontanetumque anno præterito, Mansiade post nouem surrexisse, & suprà vidimus, & infrà demonstrabimus. De tribus reliquis aliquale dubium; quod, vt non expediamus, adnotabimus.

Sed priùs alia mouenda difficultas, quæ lectorem pulsauit per annos singulos. In Chronologia seruato annorum ordine, inordinatos menses plerumque poni, enumeratis priùs fundationibus Septembris, Nouembrisque; mox Ianuarij, & Februarij, siue vt hoc anno Martij, cursu retrogrado. quod adeò in hoc libello, & cunctis exemplaribus eius frequens est, vt suspicer non errore, casuve factum, maximè cùm posteriores nouem menses plerumque præcedant, tres priores plerumque subsequantur. Coniector priùs, non à Christi ortu, sed ab ortu Cistercij signatos annos, incepisse ab ipso; hoc est, à vigesima prima die mensis Martij: vnde & sequentes menses priori loco, antecedentes posteriori connumeratos. Quòd si hæc coniectura minus placet, sciat lector, diuersas tum ætates, tum nationes initium anni, non à Ianuario, sed à Martio, aut Aprili computare consuetas, idest, siue à vigesima quinta die Martij, quæ fuit ipsa Dominicæ Incarnationis; siue à die sancto Paschatis, ob eius celebriorem solemnitatem. Ita Bartholomæus Cassanæus [a] in suo gloriæ mundi Catalogo, 2.

a Par. 12. consid. 39.

logo, eruditè, vt alia. Nec minus eruditè insignis ille nostræ Academiæ, & Collegij maioris Ouetensis splendor, Didacus Couarruuias: [b] Cuius hæc verba. *Sunt qui ab Incarnatione Iesu Christi, idest, à vigesima quinta die mensis Martij annos dinumerent, nam & huius moris meminit textus in cap. 1. vigesima tertia distinct. Et Castella Rex Alphonsus in proœmio illius operis, quod septem partitum apellamus.* Ita de primo modo computandi à die Incarnationis. Et paulo infrà de secūdo à die Paschatis. *Cæterùm quòd quedam Rota decisio ait, iuxta consuetudinem Galliæ, & Angliæ incipere annum Incarnationis post mensem Martium, ita est interpretandum, vt sciamus, annum Incarnationis apud Gallos, & Anglos incipere à die ipso Paschæ Resurrectionis, non à vigesima quinta die mensis Martij.* Voluit itaque Chronologiæ author, vtpote Gallus, hunc vltimum computandi modum sequi. Siue autem à Paschate exordiatur, siue ab Incarnatione, siue à die sancti Patris Benedicti, in qua Cistercium cœpit, tres primi menses postponendi sunt, vt semper eos postponit. Atque id tantùm nobis aduertendum, quas in illis fundatas recenset domos, non ad eum annum propriè pertinere, in quo ab eo notantur, sed ad sequentem: quod semel in præsenti animaduersum, non opus erit iterum repetere.

b rom 2. var. cap. 12.

3. Cæterùm eam hoc anno, mundo obortam tradunt auctores Galli, ex quibus Robertus Claudius hæc habet verba. [c] *Bellævallis diœcesis Besontinensis fundatur anno M. C X I X. in Comitatu Burgundiæ, in quo à terrenis ad cælestia transiit Petrus Archiepiscopus Tarantisiensis, apud Surium Maij VIII.* Atque hoc primum elogium huius Cœnobij, quod in sacrarium tam cælestis thesauri præparabatur. Hic ille Petrus senioris Petri filius, præcedenti anno ingressus Bonamvallem, sub sancto Ioanne tyrocinia peracturus; qui primum Stamedij primus Abbas, mox Tarantasiæ Præsul, vt vitæ meritis Ecclesiam suis temporibus, sic rebus gestis Annales Ecclesiasticos apud Baronium replet, Cistercienses vberiùs repleturus. quod dixerim ad differentiam alterius Petri, de quo superiùs, hoc anno Firmitatis Cœnobij Præsulis, sed Tarantasiæ non minus præficiendi, quod & suprà notauimus, & suis locis distinctiùs referemus. Eidem Sancto Bellamvallem in vita charam, crebræ visitationes, & miracula in ea patrata indicant. Quin & Gaufredus Altæcumbæ Abbas, [d] *visitabat* (ait) *sanctus (scilicet Petrus) Monasterium Bellevallis in abundantia suauitatis, & gratiæ, deuotam sibi congregationem sua benedictione letificans.* Vt non immeritò sancto viro gratam, acceptamque, sanctam præ aliis domum, certè non inferiorem, coniectemur. Atque hæc prima filia Morimundi, sub Arnaldo parente, numerosæ post eam edendæ prolis felix, & faustum hoc anno initium fuit.

c in Gallia Christ. in Catal. Monast. ordin.

d apud Sur. c. 25. & 33. May 8.

4. Primus Abbas ignotus nobis adhuc. Certè inter primos Pontius, nam Bernardo coæuus, vir verè sanctus, atque in consortium miraculi ascitus à sancto Patre, cùm eius stola Dæmonem fugasset. Id quia corruptum in multis exemplaribus, emendatione eget, hîc subiungam; lustrandis obuiter Pontij Abbatis meritis, atque primordiis nouæ plantationis, quæ non aliunde meliùs percipientur. Igitur rem à se ipso comprobatam Antisiodorensis Godefridus ita scribit. [e] *In Monasterio, cui nomen est Bellævallis prope vrbem Chrysopolim (est autem Chrysopolis ipsa vrbs Besontina antiquiori vocabulo, vt Paradinus, & Ortelius adnotariū)* homo quidam à Dæmone vexabatur, mira, eo instigante, faciens, mira loquens. [f] Post multas igitur orationes fratrum, cùm improbè persisteret illa nequitia spiritualis, recordatus est venerabilis Abbas loci illius Pontius, hodieque superstes, habere se stolam, qua beatus Pater (scilicet Bernardus) aliquandiu vsus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus, tulit protinus arma potentia Deo, & fiducialiter aggressus est inimicum. Vix limen attigerat cellulæ, in qua miser homo iacebat, cùm subitò ille malignus, horrendis vocibus victum se profitens: Eu, inquit, egredior: recedo protinus: manere vltrà non possum. Respondente autem eodem Abbate: Per nomen Domini, & ipsius beati meritum, cuius stola fuit, tibi præcipio: exi citiùs, ne moreris: continuò Dæmon fugatur ab homine, & homo liberatur à Dæmone. Hæc de miraculo scriptor vitæ Sancti.

e in vit. S. Bern. lib. 4. cap. 1.

f Ort. in thesaur. geograp. verbo Vesontio.

Verùm de Pontio in consortium eius vocato, neque immeritò (in quo mendum irrepsit vix tolerabile) cùm ab eodem rem totam accepisset, hæc quæ sequuntur. *At ille (scilicet sanctus Bernardus) Abbate ipso (Pontio) nunciante, nihil motus .... hec eadem verba respondit. Quid ni facile nos duo præualuissemus in vnum? leuiter illum eiicere potuit Deus, præsertim cùm ego ei socius datus sim, & adiutor.* Sic in plerisque codicibus impressis, cùm tamen non *ei*, sed *huic*, id est, ipsi Abbati miraculum narranti, legendum foret. Aliàs illud præsertim, quod præcesserat, non solùm esset superfluum, sed superbum, adeoque indignum proferri à sancto Patre. Quid enim? An ne Deus, adiutore Bernardo, socioque, facilius posset Dæmonium eiicere, quàm sine illo? Solus Bellevallensis Abbas est, ex personis, quæ ibi introducuntur, qui potuit indiguisse eius auxilio. Vnde & Sanctus de se, & de illo loquens, non de Deo, quem nunquam sibi componeret: quid ni (ait) nos duo (vterque Abbas) præualuissemus in vnum? Quasi quod antea Pontius solus non posset, Bernardo in socium adiuncto, perfecisset. Non ergo *ei*, sed *huic* legendum censeo, atque ad Pontium stolam proferentem, & Dæmoni imperantem, referendum. Sed hæc obiter dicta satis sint, pro loci sine dubio corrupti correctione. Extat in vita, & actis sancti Petri, [g] Bellevallensis Abbatis, fortè eiusdem, memoria viro sancto non indigna: qua Herberum Episcopum schismaticum, siue, vt vocat auctor, Chrysopolitanæ Ecclesiæ incubatorem, iam moribundum, & visitauit, & reducere conatus est, licèt sine fructu, Deo aliter vltionem disponente, de qua nos infrà. In libris taxarum Cameræ Apostolicæ Bellævallis Cœnobium inter tenuia, iniuria temporum, ac defectu dotationis, centum tantùm florenorum adimplet numerum. 5.

g apud Sur. c. 25. May 8.

Supersunt alia duo Monasteria, Bonus radius, & Cadunium, seu Caduinum: illud in Antisiodorensi fundatum diœcesi, hoc in Sarlatensi; vtramque domum filiam Pontigniaci, agente venerabili Hugone, qui quinque annorum sterilitatem, duplici prole emissa compensauit. Et quidem fundationi Boniradij consonat Chronicon sancti Mariani, ex quo Robertus Claudius in sua Gallia. *Bonus radius, diœcesis Antisiodorensis, fundatur anno M. C X I X. sexto Idus Septembris in Chronico sancti Mariani filia Pontigniaci.* Præcipuus siue auctor, siue fautor Hugo, qui tunc præsidebat Antisiodoro, Hugonis magni Abbatis Cluniacensis, non minus moribus, quàm sanguine nepos, ac Cisterciensi familiæ summè addictus. Vtrumque habemus ex Roberto Abbate Montis, in hæc verba 6.

scribente sancto viro. [b] *Anno salutis M. CXX. Amisiodorensem regebat Ecclesiam Hugo sancti Germani primus Abbas, & sancti Hugonis Cluniacensis Abbatis nepos, vir pro virtutum suarum insignibus perpetuò memorandus. Hic Ordinem Cisterciensem, qui tunc temporis adhuc recèns erat, dulcissimis visitationibus frequentabat, & iuxta facultates suas in multis necessaria ministrabat. Suo enim tempore eiusdem Ordinis Abbatiæ Regniacum, Rupes, & Bonumradium fundationis habuerunt initium, & per manus eius, tum in ministrando necessitatibus eorum, tum in acquirendo possessiones, non modicum incrementum.* Ita Robertus; nos de Regniaco, & Rupibus inferiùs; de Bonoradio hæc satis prælibasse. Cætera dubia, nec tradenda fide incerta. Extat inter litteras Innocentij Papæ tertij grauis causa, inter Monachos Cluniacenses, & milites templi, decidenda per Abbatem Boniradij, de quo nos suo loco fortè nonnihil.

b in contin. Chron. Sigeberti anno 1150.

7. De Cadunio (Caduinum alij vocant) non nihil dubij, præter Monasteriorum Chronologiam, nullo probato auctore prodente annum, & aliàs reclamante Exordio paruo, quod duodenarium fundatarum Ecclesiarum, quem Cadunium adæquat, perfectum numerum, non infra septimum, hoc anno numerandum; sed infra octauum sequentem, completum perhibet. [i] *Abhinc* (inquit) *idest, ab ingressu Bernardi Patris, ex quo cœpit Cistercium fœcundari, Abbatias in diuersis Episcopatibus ordinauerunt. Quæ tam larga, potentique benedictione Domini in dies crescebant, vt infra octo annos, inter illa, quæ de Cisterciensi Cœnobio specialiter fuerant egressa, & cætera, quæ ex eisdem fuerunt exorta, duodecim Cœnobia constructa, siue inuenta.* Ita Exordium. cui, cùm præ aliis nobis standum sit, vtpote scripto à nostris primis Patribus, qui rem totam viderunt, & tractauerunt, præstat Cadunij ortum, primordiaque in eum referre, qui iam subsequitur.

i Exord. par. c. 19.

Iesu Christi Ann. 1120.	Cistercii Ann. 23.

1. Dotatio, & situs Monasterij Caduniensis. 2. primordiaque felicia sub Cistercio. 3. Perpensus numerus duodenarum Ecclesiarum. 4. Singularum fœcunditas. 5. Exordium paruum hoc tempore conscriptum. 6. Fiteriensis, de auctoribus eius sententia, 7. explicata ab ipso, 8. sed impugnata, primò quoad Robertum. 9. Inde quoad Albericum. 10. & Stephanus scribi curauit, sed non scripsit.

Capvt I.

1. Præsentem annum, ne historiam diuidamus, ordine inuerso parumper aggrediamur, quippe incipientes à Cadunij fundatione, quam sub finem illius contigisse, & Chronologia tradit, & testimonium ex Exordio adductum probat, non antea computando anno octauo, ex quo Bernardus Cistercium ingressus fuit. Ergo Cadunium in Sarlatensi diœcesi situm Claudius Robertus testatur; nec quidquam aliud, auctor Gallus, & scribens de rebus Gallicis. Consonant taxæ Cameræ Apostolicæ, Cadunio adscripto Sarlatensi Episcopatui, sub quingentorum florenorum taxa, quæ non exiguam innuit dotationem. Addunt eidem Cœnobio vnitam domum sanctæ Mariæ de Falengis, incertum cuius Ordinis. *Quæ taxa est* (inquiunt) *ad ducentos florenos, iuxta reductionem regni Franciæ. Et ideo augetur taxa, pro rata.* Atque hæc de dotatione, & situ huius Ecclesiæ.

2. Fundatores vtrique adhuc ignoti, nisi quòd Monachos missos ex Pontigniaco tabulæ omnes concordes adseuerant, & floruisse per eos plantatam domum, argumento est, multiplex proles breui tempore edita in lucem, Gondonium, Bonavallis sanctus Marcellus, Ardorellum, & Farsa, siue Faseia, quas ante quindecim ætatis suæ annos, per Aquitaniam, Pictauiamque dispersas, singulas propriis locis adnotabimus. Quin & Monachos sanctitate insignes habuit sub his initiis, inter quos duo præ aliis claruere; claruere, inquam, pro Cistercij more, modestiave, Angelis, quàm hominibus notiores, quippe alterius nec nomen adhuc nouimus: alterius præter nomen, omnino nihil. Memorat tamen Ioannes Cistercij Abbas, inter Sanctos Cistercij, sub his verbis. [a] *In Caduino (sanctitate floruerunt) duo Monachi, quorum alter Petrus, alter N. dicebatur.* Sequitur [b] vtrumque sanctum Petrum appellat, atque vtrumque miraculis claruisse ante, & post mortem, ex antiquis eiusdem domus monumentis testificatur. Eundem refert, & sequitur Henriquez, inserens Menologio, alterum nona die mensis Ianuarij, alterum quarta decima Maij. In quibusdam schedis, ad me ex Gallia transmissis, Anonymus, Radulphus nuncupatur, sed dubia fide. Vnde Innocentius tertius de Cadunio, cùm eius tempore à Cistercij legibus, incertum qua occasione, desciuisset, tale inuenitur testimonium perhibere. [c] *Quod ab antiquo Abbatia Caduniensis, non solum pastorem de Ordine Cisterciensi suscepit, sed etiam habitum, & obseruantiam regularem, per quam tam in temporalibus, quàm in spiritualibus olim cælestium donorum profecerat incrementis.* Hæc summus Pontifex de Cadunij primo statu, quandiu Cistercio subfuit. Verùm in quam ceciderit abyssum, cùm primum à Cisterciensibus desertum, ab aliis Monachis cœpit inhabitari: qualiterque Haimerico Abbate agente, & Innocentio mandante, restitutum, Monachis denuo missis, ex Pontigniaco, in pristinum statum refloruerit, suo tempore scribendum reseruamus. Sunt, quibus placeat Cadunij mentionem in iure factam, *in cap. querelam, de simonia.* nomine licèt parum immutato, Cadonium in aliquibus codicibus, in aliis maiori adhuc differentia, Cardonium legant. Sed causa Vigorniensi commissa Præsuli, vt ex titulo constat, Anglum magis Cœnobium præfert, quàm Aquitanum. Illustrat Caduinum (si qua fides Guillelmo Catel. in sua linguæ Occitanæ historia) sudarium Christi Domini, clarum miraculis, & frequentia populorum.

a in catalogo.

b apud Henr. in Men.

c in tom. decretal. typis excuso. fol. mi. 365.

3. Iam Cistercium duodenario Ecclesiarum numero auctum, inter filias, & neptes splendebat, idque iuxta productum testimonium, intra octo annos à primo concepto fœtu. Explendos siquidem

sub

sub initium sequentis anni, præuenit Cadunium, sub finem huius, vt vidimus, exortum. Porrò hunc numerum ad mysterium traxerunt antiqui Patres, solito sibi spiritus ardore. En mysterium in Exordio magno expressum, quod non omnino liceat prætertire. [d] *Nempe, vt iucundo satis spectaculo, & in hoc beatissimi Patris Benedicti imitatores existerent, qui vitam, & instituta ipsius toto conamine mentis emulari cupiebant. Vt sicut ille, statutis Patribus duodecim Monasteria construxit, quibus precepta regulæ suæ seruanda tradidit; sic & ipsi in renouatione Ordinis secundum eamdem regulam duodecim Cœnobia statuerent, quæ in similitudinem duodecim Apostolorum Christi, sancto Spiritu inebriata, salutis poculum vniuerso mundo propinarent.* Hactenus Exordium de mystico Cœnobiorum Cistercij numero, ad præsentem vsque annum fundatorum, vt sigillatim referentium Collegium Christi, numero Monachorum, & Abbatis, qui mittebantur, sic nunc collectim. Vtrumque ad Benedicti parentis imitationem.

d lib. 1. c. 35. in impressis.

4. Interim adnoto, conflantes prædictum numerum Claramvallem, Pontigniacumque duplici prole, Morimundum simplici, primogenita Firmitate adhuc sterili, & quod mireris, sub Abbate Petro, viro sanctissimo, opinatissimoque, ac primo ex noua familia Cistercienſi, in Pontificium culmen assumendo. Crediderim, domui intra eamdem cum Cistercio fundatæ diœcesim, offecisse Viciniam, obtuta quippe a maiori luce proxima, quantumuis radians, minus cernebatur. Ni fortè mauis, Bertrandum præuentum morte, & Petrum recens adhuc substitutum, breuis æui Abbates, nihil magnum moliri adhuc potuisse, nedum perficere. Sane tres aliæ eosdem cōtinuo tractu conseruatunt Abbates ingentis nominis. Et vt Bernardum sileam, Hugo, Arnaldusque vterque prudens, vterque doctus, & in altero excellebat morum probitas, ipsa sui flagrantia cunctos alliciens, in altero viuacior diligentia, & vltra nimietatem solicitudo, vtpote qui, Bernardo Patre reste, [d] *magnam multitudinem Monachorum circumiens mare, & aridam congregauerat.* & Morimundus sub illo æquè fœcunda, ab eius discelsu, post Claramvallem secunda fuit. Sed de his aliàs.

e epist. 6.

5. Interea Stephanus quieti suorum prouidens, quibus detractum iri à multis non ignorabat, nec boni ad posteros nominis oblitus, quo ea, quæ auctore Deo, & Dei Vicariis Summis Pōtificibus, ab initio Cistercij gesta erant, solida, & firma cunctis innotescerent; Exordij Ordinis breuem historiolam curauit describi, quam nos Exordium paruum nuncupamus, oculato auctore, grauique, qoippe ex primis illius Cœnobij Patribus, neque solùm præsente omnibus quæ narrat, sed quasi nomine omnium scribente, quod satis exprimendum curauit in præfatione, dum ita ait. *Nos Cistercienses primi huius Ecclesiæ fundatores, successoribus nostris stylo præsenti notificamus, quam canonice, quanta auctoritate, à quibus etiam personis, quibusque temporibus, Cœnobium, & tenor vitæ illorum exordium sumpserit. Vt huius rei propalata syncera veritate, tenaciùs & locum, & obseruantiam sanctæ regulæ, in eo à nobis per Dei gratiam, vtcumque inchoatam, ament; & pro nobis, qui pondus diei, & æstus indefesse sustinemus, orent: atque in arcta, & angusta via, quam regula demonstrat, vsque ad exaltationem spiritus desudent, quatenus deposita carnis sarcina, in requie sempiterna feliciter pausent.* Ita auctor in præfatione illius libelli.

6. Fiteriensis, dum talia verba legit, putat eius auctores extitisse tres nostros Patres, sanctos videlicet Cistercij Abbates primos, Robertum, Albericum; & Stephanum, collectiuè, aut disiunctim, prout potuerunt, iuxta materiam, & seriem narrationis. Quare etiam Exordio, quod excussit, hunc titulum præfixit; ab ipso quidem bona fide positum, sed in exemplaribus antiquis nusquam inuentum. *Primum Exordium sacri Ordinis Cisterciensis, à sancto Roberto, sancto Alberico, & sancto Stephano, primis eiusdem Ordinis fundatoribus, ante quingentos annos, accuratè conscriptum, & nunc primum typis excusum.* Sic Fiteriensis in Exordio excuso Fiterij, ante viginti annos, dum ipse viueret: quamuis vulgato ab eius successore, tempus, & locus fuerint supposita.

Addit præterea in notis, quas reliquit, & quarum imperfectarum licet, ipsum prototypon, eius manu exaratum apud me habeo, verba quæ ob tanti viri reuerentiam, non pigebit ad litteram transcribere, [f] *Vsque ad caput igitur decimum, vbi finis est historiæ sancti Roberti, & describitur eius successoris sancti Alberici in Abbatem Cistercij electio, dictauit sanctus Robertus, simul cum sanctis Alberico, & Stephano.* Ex illo autem capite decimo vsque ad decimum octauum, in quo fit mentio de morte sancti Alberici, & de electione successoris eius sancti Stephani, prosequuti sunt historiam sanctus Albericus Stephanusque. A capite denique decimo octauo vsque ad finem libri, scripsit solus sanctus Stephanus. Et licèt hæc ita sint, omnes tres dicuntur auctores huius historiæ, iuxta morem omnium historicorum, qui modò cœperint scribere, etsi illas non perficiant, vocantur illarum auctores. Sic Pentateuchon Moysi, sic libri Iosue, & Iob, illis tribuuntur; quantumuis nullus à morte sua scripserit, quod in eisdem libris continetur. Sic Chronicon Eusebij nuncupatur, cui nihilominos quinquaginta annos Hieronymus, Prosper Aquitanicus sexaginta, Palmerius, & alij plures addiderunt. Hæc ob auctoritatem tanti viri (nam reuera vir magnus Ignatius fuit, atque omnigeno scientiarum apparatu, imò & artium, hoc nostro sæculo nullo alio inferior) ad litteram ex ipso referre libuit, proponenda lectori, si velit sequi; atque à me veneranda, si non sequenda. 7.

f in not. ad titul. num. 3.

Ego sanè non dubito, Stephani temporibus, quin &, vt dixi, Stephano iubente, Exordium Cisterciense fuisse conscriptum. Cæterùm, non ab ipso immediatè, vt vult [g] Firminus, & multo minus à prædecessoribus, probant eiusdem Exordij verba penè clarissima. Nam primò quidem, quod ad Robertum attinet, constat post eius mortem inceptum opus, cuius nimirum fronti statim inscriptus, in ipsa prima historiæ narratione, iam beatæ memoriæ nuncupatur. Sic enim ait. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octauo, beatæ memoriæ Robertus Molismensis Ecclesiæ in Episcopatu Lingonensi fundator, & primus Abbas, & quidam eiusdem Cœnobij fratres, ad venerabilem Hugonem, tunc Apostolicæ Sedis Legatum, ac Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopum venerunt.* Prosequitur autem inde narrationem, vt non obscurè intelligendum veniat, post obitum sancti Patris fuisse inceptam. 8.

g in not. ad Exord. Cist.

Deinde Albericus, quamuis non clarè dicatur obiisse, quo tempore eius acta describuntur; his tamen laudibus statim prædicatur, quas vir sanctus, & verè humilis spiritu, non solùm de seipso nunquam scriberet, sed neque ab aliis scriptas tolerarer, si adhuc viuens, & potens impedire, quippe capite decimo vocatur, *vir litteratus, in Diuinis,* 9.

&

& humanis satis gnarus; capite vndecimo, *vir admirabilis prouidentiæ*, tum a capite decimo, vsque ad decimum sextum variis epistolis, & rescriptis occupatis; capite decimo septimo ipse *vir Dei*, simul cum filiis; *Sancti* omnes dicuntur. Quæ quando humilitatis zelator de se diceret? aut dicta ab aliis, si posset, non impediret? Saltim non sineret circumferre ipsius nomine.

10. Superest Stephanus, de quo leuiora molto, neque onerantia modestiam sancti viri, nempe in hæc verba. *Huic* (scilicet Alberico) *successit quidam frater, Stephanus nomine, Anglicus natione, qui & ipse cum aliis de Molismo illuc aduenerat, quique amator regulæ, & loci erat.* Hæc de Stephano: quæ licèt ab alio prolata modesta satis, non videntur ab ipso de se dicta. Quid, quòd auctores, qui alia eius opuscula loquuntur, hoc prorsus silent? Certè historicum, & primæ anctoritatis, vel cæteris prætermissis, recenserent. Præstat ergo sentire, quod suprà diximus, Stephani non solùm cohibentia, sed etiam iussu, post confirmatam chartam charitatis, ac Cœnobiorum duodenarium obtentum numerum; quod sancti Patris Benedicti imitatione ipsi ad initio semper curæ fuerat, aureum opus conscriptum hoc ipso anno: paruum mole, sed pondere, & pretio satis magnum; idque ab auctore beati viri socio, & qui prorsus affuisset cunctis, quæ narrat: neque ideo vlteriùs historiam produxisset, quia nondum plura euenerant, quæ scriberet. Hic ergo nobis occidit sol ille, qui vtinam diutiùs perdurasset, sed paruo tamen noctis interstitio, continuandus magis, quàm de nouo oriturus; addito, quòd abhinc sequamur, Exordio magno.

Exord. paru. cap. 12.

1. Præmonstratensis Ordinis origo: 2. cui repudianti Ecclesiam sancti Martini, 3. Præmonstratum à Bernardo Patre concessum. 4. Norberti in eo loco cælestis visio: 5 & mira Bernardi deuotio in virum Dei. 6. Consultatum Norberto de assumenda cum suis Cistercij; 7. & æmulata instituta Cisterciensium, 8. non modico incremento noua familia.

Capvt II.

1. SVb idem tempus magnum Ecclesiæ lumen Norbertus, patria Teutonicus, siue, vt verbis Roberti Montensis vtar, [a] *de partibus Lotharingiæ oriundus, genere, diuitiis, atque facundia, ipsis etiam summis Principibus familiaris, & charus, clarusque*, tunc charior Deo, atque adeò clarior omnibus; Regularium Canonicorum illustrem Ordinem, Præmonstratensem à primo loco dictum, magno totius Ecclesiæ bono instituit, in diœcesi Laudunensi, loco antiquitus Præmonstrato dicto, & tunc rursus de cœlo præmonstrando. Hunc beatissimi Patris Bernardi, cui priùs traditus, largitate obtentum, multis aliis spretis, Norbertus prætulit, aptum ex se, & commendatum ex donante, iaciendis fundamentis suæ familiæ. Rem, quia concernit Ordinem illustrem, & Cisterciensi non solùm coæuum, sed familiarem; paulo altiùs repetito principio declarabo.

a ad ann. 1116.

2. Norbertum, religiosam ardentem vitam, Calixtus Pontifex suis litteris munierat, ac Laudunum directum, Bartholomæo tunc eiusdem vrbis Episcopo, charitate paterna commendauerat. Ille donatum Ecclesia sancti Martini, prope muros Lauduni, pie excepit. Sed sanctus vir, siue vrbis vicinæ pertæsus mœnia, siue Canonicis, quos habebat Ecclesia, disiunctus motibus, relicto loco, tanquam minus apto, ad commodiorem aliũ adspirabat. Ne desereret Laudunense territorium, venerabilis Episcopi, & multorum aliorum, tam religiosorum, quàm nobilium precibus detulit. Sub ea tamen lege, & conditione, vt terram lustrans, locum aptum quæreret; nisi inueniret, aliò migraturus.

3. Erat in ea prouincia solitudo, Pratum monstratum, siue Præmonstratum ab olim dicta, & religioso viro inhabitata, cui nomen VVido: sed qui, seu Cœnobiticæ ardentior vitæ, quàm solitariæ, seu fortè Diui Bernardi fama illectus, & illi cedens, facilè locum alium inuenturus, eumdem beato viro antè tradiderat, construendo Cœnobio Cisterciensi, ex Claravalle Coloniam suscepturo. Et donationem firmauerat Episcopus; sed nondum operi manus admota erat. Igitur locum hunc Norbertus visitans, & sibi idoneum optatæ vitæ judicans, seu Bernardi iudicio commendatum securiùs approbans; & sibi, & suis censuit eligendum, si concedatur, in eo permansurus. Ipse sibi à Bernardo Patre petierit, an Episcopus, aliique intercesserint? in dubio est. Certum Bernardum, cùm primùm de re monitum, locum ipsum lubentem remisisse; quod ipse sanctus Doctor expressè tradit, ad Abbatem Præmonstrati, post obitum Norberti, scripta epistola, in qua hæc inter alia, de quibus infrà. [b] *Primò quidem locus ipse Præmonstrati, in quo degitis, noster fuit, & nostro munere habuistis. Nam nobis frater VVido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum Episcopi antea tradiderat.* Ita Bernardus ad Abbatem Præmonstratensem, non exprobrans, sed proponens amoris signa.

b Epist. 252.

4. Pristinum loci nomen, incerta causa, certa Norberti visio renouauit. [c] *Nam ibidem* (ait successor illius Hugo) *vbi præsens sita est Ecclesia* (*Monasterij nimirum Præmonstratensis*) *Dominus noster Iesus Christus, tanquam pendens in cruce visus est, super quem septem Solis radij, mirabilis claritatis fulgebant, & à quatuor partibus multitudo magna peregrinorum, cum peris, & baculis properabat: iique flexis genibus, adorato suo Redemptore, & pedibus eius dato osculo, quasi per licentiam recedebant, reuersioni. Quod cùm viro Dei* (*scilicet sancto Norberto*) *reuelatum fuisset, gratias egit Deo, qui seruis suis, se in veritate quærentibus, & in fide, & iustitia obsequentibus, de præteritis dat fiduciam, & de futuris, secreta reuelatione, notitiam.* Hæc in loco à Bernardo donato beato Norberto, iam tunc glorioso vtriusque Sancti dominio; sed multo magis admirabili Christi apparitione, inter vtrumque exprimente vinculum pacis.

c in vita S. Norber. apud Sur. cap. 24.

5. Hinc inter Sanctos amicitia mutua, crebris officiis: Bernardo Patre Norbertum venerante, quod plures eius epistolę demonstrant: Norberto è cõtra Bernardum suspiciente, nec longè facto ab ipsius imitatione. De primo videas Brunonem Coloniẽsem, consulentem Bernardum super aliquibus, tali responso donatum à sancto Patre. [d] *Habetis dominũ Norbertum, quem meliùs præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tanto vir ille in diuinis aperiendis mysteriis, nobis promptior, quanto & Deo propior esse cognoscitur.* Hæc de Norberto Bernardus ad Brunonem. Plura ad Ganfridum Pontificem Carnutum,

d Epist. 8. in fine.

cælestem

e epist.56. cœlestem fistulam vocans os sancti viri. e *Quod à me (ait) de domino Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolymam? ego nescio. Nam cùm ante hos paucos dies, eius faciem videre, & de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audiui.* Sic Sanctus Sanctum, Doctorem Doctor, Norbertum Patrem Bernardus venerabatur.

6. Quòd verò è contra Bernardum Norbertus Pater, nec solus solum, sed omnes eius filij Cisterciensem familiam, Monachosque non minore coluerint reuerentia, duo mihi argumenta persuadent, vtrumque efficax, alterum pro Norberto, pro suis alterum. Certè in Norberto satis mirum est, quod post acceptum Præmonstrati locum, & in loco cœleste illud oraculum; post discipulos plures congregatos, per quos visio ex parte iam impleta, in cæteris adimplenda comprobabatur: de assumendo nihilominus Cisterciensi instituto, nec vllo alio edendo, consultum ierit, quod acta vitæ ejus satis indicant, dum tradunt, multos Religiosos, tam Episcopos, quàm Prælatos (haud dubium quin à viro Dei consultos) respondisse diuersè. f *Et alius (aiunt) eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cisterciensem Ordinem assumendum suadebant.* In quibus verbis illud perpendendum, quod facile rem totam declarabit. Eremiticæ, Anachoreticæque vitæ, Cisterciensem opponi, non quasi ab vtraque condistinctam, cùm sit alterius subiectiua pars (sic Theologi appellant) & contineatur sub Anachoretica. Sed velut Ordinem mundo iam exortum, ab eo quem ipse posset constituere, quippe eremitica, Anachoreticaque vitæ, velut in genere, determinari per leges speciales, & ad nouum condendum institutum, contrahi poterant, quod non post multum factum à sancto viro. At Cisterciensis, non tam determinata, contractaque, quàm ipsa determinatio, atque contractio, velut in ima specie constituta, nihil de nouo addendum præstolabatur. Ergo de Ordine condito, aut condendo deliberatum Sancto, & inter conditos, nulla difficultas, nulla hæsitatio, solo Cistercio eligendo præ cunctis aliis.

f apud Sur. cap.12.

7. Verùm, qui noui instituti nouum decorem Ecclesiæ suæ parabat per sanctum virum, in eodem vestitu deaurato, varietate religionum circumuallandæ, ne Cistercio Norberto cariturum, nullam in ipsius familia partem haberet, imminentem occasum vix orti Solis, imitatione Cistercij reparauit. Nam cùm Norberto promoto in Archiepiscopum, instaret iam excidium deserto gregi, ea vna cunctis concepta spes salutis, si Cisterciensis Ordinis statuta, si Capitula annua, si rerum omnium superfluarum contemptum, ac reiectionem æmularentur. Audi Hugonem de hoc ita scribentem in vita Sancti. g *Positus, & consecratus est illle Pater (scilicet, quem Norbertus designauerat, & teste Surio, idem qui hæc scribit) in Præmonstratensi Ecclesia, & alij duo in duabus aliis supradictis. Sed & duo alij iam consecrati erant in Laudunensi sancti Martini, & Vinariensi. Isti quinque, & sextus, quem ad locum, qui dicitur Bona spes, statim post introitum suum, Abbas Præmonstratensis ablegarat, imminentem dissolutionem Ordinis in plerisque locis videntes, & maiorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato conuenerunt. Et quidquid ad præsens in domibus suis superfluum videbatur esse, recidentes; deinceps ad exemplum Cisterciensis Ordinis, annuatim se reuersuros simul, ad Ordinis sui sinistra corrigenda, firmauerunt.* Hactenus Hugo, Norberti quondam discipulus, mox successor, tunc etiam & historicus, de imminente dissolutione recentis Ordinis, & remedio applicato, per Capitula, ad instar Cisterciensium celebranda. g cap.46.

Iam qualis fructus ex remedio eo prouenerit, ex verbis immediatè subiunctis referamus. 8.
Quod cùm in locis aliis diuulgatum fuisset, si in primo anno sex (intellige Ecclesiæ) in secundo nouem, in tertio duodecim, in quarto decem & octo fuere, & ita deinceps multiplicatæ sunt vbique terrarum, sicut voces, & actus eorum, & opera vsque in præsentem diem testantur. Hactenus Hugo, remedij vim expertus, & charitate in nostros, cunctis propalans, Ordinis sui non solùm durationem, sed incrementa, in illud refundenda esse putauit: ipsa propalatione (nam verum fatear) superabundanter compensans, si quid accepit. Porrò hæc, & similia similitudinis, atque item amoris mutui vincula adeò vtramque familiam deuinxerunt, vt auctores antiqui de vtraque, & vix de vna loquantur, alia omissa. Audi Robertum Sigeberti continuatorem. *His temporibus Ordo Canonicus Præmonstratensis, & Monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliuæ in conspectu Domini, pietatis lumen, & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant*, &c. Hæc, & plura Robertus, ex quo alij. Verùm de mutua vtrorumque dilectione, leuibus ex amore ortis querelis, vt inter fratres solet, aliquando accensa magis, quàm interrupta, dicemus in tempore. Nunc iterum ad istius anni acta, præcipuè in Claravalle, atque ad Bernardum Patrem reuertamur.

---

1. Claræuallis in vtrisque bonis progressus, 2. sed turbata lætitia, Bernardi Patris à conuentu separatione. 3. Damnante ipso indiscretam pœnitentiam, 4. quæ tamen in commune bonum conuersa fuit? 5. consecrati Amedeus, & socij votis solemnibus. 6. Beati Ioannis, ex primis Cistercij Patribus, memoria. 7. & fundata Dalone, 8. atque Tiletum.

CAPVT III.

1. CRescebat interim domus viris, claris in sæculo, sed ab eo spreto longè clarioribus, quos sancti viri aut magisterium alliciebat, aut iugis prædicatio sollicitabat. Nec deerant interim subsidia necessaria, multis Principibus, sed præcipuè Hugone Campaniæ Comi-

te, sanctis viris deuotè subuenientibus. Extat ad ipsum epistola Bernardi, accepta beneficia
a epist. 31. recolentis, grata memoria. [a] *Quid enim* (ait) *possimus ne obliuisci antiqui amoris, & beneficiorum, quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Vtinam ipse, pro cuius amore fecisti, in æternum non obliuiscatur Deus. Nam nos, quantum in nobis est, minimè prorsus ingrati, memoriam abundantiæ suauitatis tuæ mente retinemus, & si liceret, opere monstraremus.* Hæc Bernardus in illa epistola. Quibus videas, cunctos Campaniæ Comites Claræualli fauentes à principio: nec solum Theobaldum, de quo inferiùs, sed & Hugonem etiam ante ipsum, eius initia, & progressus promouisse. Sic sancti viri læti, felicesque, & fauoribus merita, & meritis fauores cumulabant.

2. Sed inter prospera, quominus sibi fiderent, dura alia, & aduersa passi sunt, Bernardo Patre à filiis separato, dubium suo, an suorum maiori luctu? Causa ex ipso, quippe dum nimio rigori, quem suprà diximus, corpore prius, quàm spiritu succumbit; ac supra vires actæ pœnitentiæ, quantumuis seriò, serò tamen pœnitet; conuentum fratrum, quem diutiùs retinuerat, tandem deserere, & seorsim habitare coactus est, Deo, vt apparuit, ita disponente, quo à communibus illis expeditus, ex tunc iam non aut sibi, aut suis tantùm, sed aliis, imò vniuersæ Ecclesiæ viueret, magno totius Christiani orbis profectu, eius opera in omnibus vsuri. Rem ex Guillelmo sancti Theodorici, eius
b lib. 1. c. 8. vitæ scriptore, accipiat lector. [b] *Cùm crebra illa ex corruptione stomachi, per os eius indigestæ cruditatis eruptio, aliis inciperet esse molestior, maximè autem in choro psallentium: non tamen illico collectas fratrum deseruit. Sed iuxta locum stationis suæ, procurato, ac defosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquandiu, prout potuit, necessitatem transegit. At vbi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, & seorsim secum habitare coactus est: nisi quantum siue colloquutione, siue consolationis gratia, siue disciplinæ claustralis necessitate, conuentui fratrum eum aliquando oportebat interesse. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primò sancta illa fraternitas sanctæ paternitatis iugi consortio carere posse coacta est.* Hactenus Guillelmus.

3. Nimiam porrò vitæ auctoritatem, quæ huius separationis causa extiterat, quasi minus discretam, neque imitandam, ab ipso Patre Bernardo damnari solitam, non multò post subiungit, dum ita ait. *Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse, qui veretur omnia opera sua, non confunditur vsque hodie se accusare, sacrilegij arguens, quòd seruitio Dei, & fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto feruore imbecille illud reddidit, ac penè inutile.* Ita Bernardus seipsum incusabat.

4. Sed qui ab initio nascentis Ecclesiæ infirma mundi eligere consueuit, vt fortia confundat, per hanc ipsius inutilitatem, copiosissimum fructum præparauit, quippe seiato à conuentu, vt dicebamus, ipsa ægritudo, ex vacatione, tempus ad negotia, ex pallore, grauitatem in vultu, ex imbecillitate, pondus in verbis, atque ex dissolutione velut instaore, cunctorum æstimationem conciliabat. Et erat vel: ut fugitiuæ vitæ maior vsura, timore, vt solet, vrgente desiderium, commeodante pretium metu iacturæ. Id Alanus, Guillelmusque notarunt eisdem verbis. [c] *Hæc prima* (inquiunt) c lib. 1. cap. 8.
cœpit esse occasio, vt quasi hominibus de sæculo ex- in fine.
positus, quorum iam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberiùs eis, ac liberaliùs commodans, verbum vitæ prædicaret. Hæc de otio, & negotiis viri Dei. De reuerentia autem, qua colebatur, & quæ inde crescebat, efficacia paulo inferiùs. *Virtus namque Dei vehementiùs in infirmitate eius refulgens, ex tunc vsque hodie digniorem quandam apud homines ei efficit reuerentiam, & in reuerentia auctoritatem, & in auctoritate obedientiam.* Hactenus illi. Qui etiam addunt, ex hoc tempore, vulgante fama virum, & negotiis negotia alia trahentibus, sic in breui apud homines innotuisse, [d] *vt Ec-* d ibidem.
clesia Dei, tam vtili membro in corpore suo reperto, vti ad quæcunque non dissimularet. Hæc sancti viri de Bernardi Apostolatu, dum adhuc tyro. Nam quæ pòst gesserit, hæreticis oppositus, schismaticisque, clypeum, & galeam se exhibens Ecclesiæ, longiorem multo petunt narrationem, quam dabimus, Deo fauente suis temporibus.

Dum hæc in Claraualle fiebant (ne vel in 5.
hoc, ab annorum serie recedamus, quod nobis propositum, vbi tempus compertum fuerit) in Bonavalle Amedeus, sociique, nemine omnino ab incepto resiliente, sub venerabili Abbate Ioanne, votis emissis, ac rebus suis dispositis, recentem domum parum non parum promouerunt, quod auctor vitæ Amedei ita describit. [e] *Amedeus, & sexdecim cum eo viri* e in vit. S.
nobiles, qui vna die Nouitiorum cellam intraue- Amed. c. 4.
rant, vbi per annum integrum Regi Regum Christo feliciter militauerunt, eo expleto, omnes pariter consecrati monasticum habitum induerunt. Et disponentes de suis, tam in auro, & argento, quam in rebus aliis, & possessionibus, Bonevallense Cœnobium plurimum amplificauerunt. Hæc ille. Porrò de Amedeo, & eius gestis, sermo nobis replicandus per plures annos. De sociis multa idem auctor, quamuis non multis. *Cæterùm* (inquit) *quàm feruentes in Ordine, quàm religiosi, quàm obedientes fuerint, longum esset prosequi. Hoc vnum sufficiat, quòd in Ordine Cisterciensi, vsque ad diem obitus sui, sine querela perseuerarunt, mortisque debitum persoluentes, æterna præmia receperunt.* Hoc, inquam, sufficit, in quo omnes virtutes (nam connexæ) penè in gradu heroico comprehenduntur; hoc sufficit, quod pœnitentia Martyres, continentia Virgines, charitate, atque fide, Confessores, Doctores, exemplo, ac demum timore vitæ, & animarum zelo, antiquos imitatur Ecclesiæ Patres. Hoc, inquam, sufficit, de singulis dixisse, quod in Ordine Cisterciensi, vsque ad diem obitus sui, sine querela perseuerarunt. Verùm quod huic perseuerantiæ in Ordine, mercedem regni subiunxit, nihil hæsitans, adlusit, ni fallor, ad eam reuelationem, cuius meminit Bernardus Pater, in libello de doctrina Christiana, hæc inter alia verba continente. *Nullus tui Ordinis (id est, Cisterciensis) peribit, si Ordinem amauerit, sed aut in morte purgabitur, aut breui pòst mortem.* Quæ cùm eo tempore frequens in ore omnium, facilè efficit, vt perseuerantes in Ordine, & sub eo decedentes sexdecim viros, bona fide, de misericordia Dei confidens, cœlesti gloria

gloria donatos asseueretit: sed de his suo loco infrà dicemus.

6. Eodem tempore familiarum aliarum matet, Cistercij dumus de thesauto sanctitatis suæ noua, & vetera, [f] Euangelico more, ptoferebat. Nec Roberti discipuli superstites, supetuenientibus filiorum Stephani tadiis, obscurabantur. Claruisse vsque ad mitacula Ioannem, illum, vt puto, quem ttansmissum Romã ab Alberico, vnà cum Ildcbodo, sopràù notauimus. Adseuerat Seguinus, idque ex antiquis monumentis haustum, queis fides cettiot. [g] *Ioannes* (ioquit) *vir sanè celeberrimus iuxtà, & sanctissimus, vnus fuit ex illorum classe, qui de Molismo in vastam Cistercij solitudinem, cum domino Roberto venerunt, & qui in ea, vsque ad extremum vitæ terminum, in pane vilissimo, & aqua cum lachrymis temperata perseuerauit. Tanta denique legitur simplicitatis, religionis, & sanctitatis, vt multis in hac vita effulserit virtutum signis. Claruit anno Domini millesimo centesimo vigesimo.* Hæc ille. Et consonat catalogus Sanctorum, & beatorum Otdinis, à Ioanne Abbate Cisteteij antè collectus. Ex quibus virum adscripsit Menologio Chrysostomus Henriquez ad decimam octauam diem mensis Augusti.

f Matth. 13.

g lib. 1. virorum illustrium, cap. 9.

7. Supersunt fundationes præsentis anni, quæ duo tantùm recensentur in Chrooologia, Dalone, atque Tiletum. Illa vigesima quarta die mensis Aptilis, hæc Octobris vigesima. Nam Cadunium præcedenti adscripsit, vt suprà vidimos. Quin & Dalonem (incettum vnde hauserit) [h] Claudius Robertua eodem exortam pethibet. Sed Abbatiarum hoc anno conditarum numetus in Exordio designatus vtrique obest. Neque nos illi alterutram adscribimus, sed vttamque, quia nullus cettiot subest, vbi ab aliis notantut, describemus. Dalonem in diœcesi Lemouicensi celebrem faciunt, primò fœcunditas, oon paucis intra breue spatium filiabus editis, vt suis locis dicemus. Inde possessiones, quibus floruisse facilè coniicias, si librum taxarum Cametæ Apostolicæ consulas, in quo CDL. flotenorum taxam adimplet. Demum sanctitas, qua præfulsisse compertum est, & nos etiam inferiùs adnotabimus. Monachi ex Pontigniaco missi, eligente Hugone, mitteoteque, tunc trina ptole, Bernardo præferendo, quio hactenus bina tantùm fœcundauerat. Ad Abbatem, & Monachos Dalonenses scripsit Alexander tertius Epistolam decretalem, quæ inter alias eiusdem circunfertur, *in cap. suggestum*, de decimis. Eidem etiam scribit Gtegorius IX. litteris datis Laterani, pridie Nonas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno octauo.

h in Gallia Christ. in Catal. Cœnob. Ordin.

8. Quintadecima Cisterciensis familiæ domns, Firmitatem hactenus sterilem matris honore, & gloria decorauit. Transmissa in Italiam Colooia per beatum Petrum, vt retardatam septennio fœcunditatem, dilatatione Cistercij compensaret, quippe nunc primum Alpes transiliuit, & si Lusitanam Tarouca de medio tollas, prima extra Gallias domus Filetum erit. Id loco nomen, aliàs ciuitatula in territorio Sabonensi Liguriæ vrbe, non longè à Varagine, arce olim Virgini dicata, vt Iustinianus tradit in sua Genua. Aquensem diœcesim Genesis designat, itemque taxæ. Cætera ignota: nisi qnòd tamen Mooasterium celebre, dno nobis indicia manifestant, triplex intra breue tempus concepta proles, & multiplices causæ commissæ eius Abbatibus. De primo Genesis Ecclesiarum Firmiratensium. *Tileti filia, Castaneola, Casa noua, & Staforda.* quas omnes constitutas in Pedemontio teddemus in tempote. Ex secundo Tileti frequens mentio, ptæcipuè intet peritos iuris Canonici: commissa Abbati illius execucione, celebris textus, *in cap. Qualiter, & quando*, de indiciis; atque item alterius sub eodem initio, de accusationibus: necnon *in cap. ex litteris*, de excessibus Ptælatotum. Quin & eiusdem Cœnobij Archimandritam, sub Innocentio tertio, vnà cum Episcopo Hipponensi, visitasse vniuersas Ecclesias per Lombardiam, habetur *in cap. ex litteris*, de excessibus Prælatorum; & nos etiam ex ipso, infrà dicemus. Medietas ptouentuum Tiletensium, ad ducentos florenos taxa in libris Cameræ, argumento est, Ecclesiam aliàs celebrem, sanctitate magis, & viris valuisse, quàm possessionibus.

lib. 1. in descrip. Sabonæ.

IESV CHRISTI ANN. 1121. — CISTERCII ANN. 24.

1. *Bernardus gratuitis donis claruit, ex quo cœpit negotia pertractare.* 2. *Primum miraculum celebre ab eodem editum:* 3. *quod duo alia in breui subsequuta,* 4. *filios, & fratres non parum conturbarunt.* 5. *Sed Galdrico ægrotanti salus reddita, confirmauit eosdem.* 6. *Scripta sancti Patris per hoc tempus,* 7. *recensita ab ipso, atque recognita.*

CAPVT I.

1. HVnc mihi annum impleat Bernardus Pater, nihil ferè ptæter ipsum scriptutu. quamuia materiam augebit Amedeus, & quædam alia leuiora, sed sciru digna. Igitur anno à partu Virginis millesimo centesimo vigesimo primo, Bernardus Pater seiunctus à suis filiis, quo negotiis aliorum magis vacabat, eo magis à Deo illustrabatur, tam per sapientiam cœlitus infusam, quàm pet miracula. Nam [a] *licèt à primo flore iuuentis ætatis* (ait Guillermus Abbas, in eius vita) *fructibus spiritus semper abundauerit: ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est* (*sicut* [b] *Apostolus dicit*) *manifestatio spiritus, ad vtilitatem: sermo scilicet fœcundior, sapientia, ac scientia, cum gratia propheriæ, operatione virtutum, & diuersarum opitulatione sanitatum.* Hæc ille, de incrementis donorum beati viri. At de primo miraculo mundo celebri, quod edidit, & quod tot alia, velut impetu facto eruptura, præstolabantur, nouum caput exorsus, hæc, quæ sequuntur.

a lib. 1. c. 8. in fine.

b 1. ad Cor. 12.

2. [c] *Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu serui sui, mundo celebre Christus effecit. Cum aliquantos iam in Claravalle explesset annos, contigit virum nobilem, & ipsius quoque secundùm carnem propinquum, Iosbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Claravalli, grauiter infirmari. Qui subitò præoccupatus,*

c lib. eod. c. 9. in princ.

L 2 amisit,

amiſit penitus intellectum, pariter & loquelam. Vnde & filius eius Ioſbertus iunior, & omnes ſimul amici, eo magis affligebantur dolore, quòd ſine confeſſione, & viatico vir magnificus, & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuncius ad Abbatem, neque enim tunc in Monaſterio erat. Venit, & inuenit eum iam triduo ſic iacentem. Compaſſus autem homini, ſed & motus lachrymis filij eius, ſimul & lugentium cæterorum, confiſus eſt de miſericordia Dei, & ſermonem magnificum protulit, dicens eis: Notum vobis eſt, quòd in pluribus homo iſte grauauit Eccleſias, oppreſſit pauperes, offendit Deum. Si mihi credit is, vt Eccleſiis reſtituantur ablata, & vſurpata, in grauamen pauperum, conſuetudines dimittantur, loquetur adhuc, & ſuorum confeſſionem faciet delictorum: diuina quoque ſuſcipiet ſacra deuotus. Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exultat, quidquid præcepit homo Dei, firmiter ei promittitur, & impletur .... Itaque poſt ſecretam orationem, ad oblationem ſacrificij immortalis accedit. Quo offerente, nuncius ſuperuenit, qui indicaret præfatum Ioſbertum liberè iam loquentem, rogare obnixiùs, vt vir Dei feſtinaret ad eum. Cui etiam poſt oblatum ſacrificium venienti, cum lachrymis, & gemitu peccata confeſſus, diuina Sacramenta ſuſcepit. Et duobus poſt hæc, aut tribus diebus viuens, & loquens, ea maximè quæ præceperat Abbas ſanctus, conſtituit ſine vlla retractatione ſeruari. Sed & diſpoſuit domui ſuæ, & eleemoſynas dedit, & ſic demum Chriſtiano more, in bona ſpe miſericordiæ Dei animam exhalauit. Hactenus de primo miraculo à beato Patre Bernardo patrato publicè: quod ideo, vt credo, ad ſalutem, & vitam animæ, non ad mortalem corporis, direxit, quo notaretur donum ſanitatis à Deo ſibi collatum, plus multo in animis valiturum, quàm in corporibus. Cùm nihilominus corporibus ſanandis plura ſigna exhibuiſſe traditum ſit, quàm vllum Sanctorum, quorum vitæ ſcriptæ extant, quod ſuo loco etiam demonſtrabimus.

3. Tranſitum inde ab animis ad corpora, & in breui patrata duo miracula. Iuueni putreſcentem fiſtula pedem, & puero brachium aridum habentibus, huic viuida, quæ antea erat emortua, illi caro integra redit, quæ priùs vlcerosa, atque corrupta. Et primus ambulare viſus eſt, æqualibus, atque vtrinque firmatis greſſibus: ſecundus brachio, quod inutile pendebat, collum matris implexus, ipſe è contra pependit, dulcis ſarcina.

4. Hæc, & ſimilia per Bernardum patrante Deo, ſæculares mirari, & obſtupeſcere; hominem venerari de cœlo miſſum; atque eius opem cuncti poſtulabant. [d] *At Fratres eius* (inquit Guillelmus Abbas) *& filij ſpirituales erant mirantes ſuper his quæ audiebant, & videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam eleuabantur humanam: ſed iuuenili eius ætati, & nouæ adhuc conuerſationi, ſpirituali ſolicitudine metuebant. In quo præcipuè zelo Galdricus auunculus eius, & Guido primogenitus fratrum anteibant.* Mirum in viris ſanctis quod ſubiungitur: ſed quia certum, eo etiam hiſtoria dignius. *Vt ipſos* (id eſt, Galdricum, Guidonemque) *tanquam geminos quoſdam ſtimulos carnis ſuæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepiſſe diuinitus videretur. Neque enim parcebant verbis durioribus, exagitantes teneram illius verecundiam: calumniantes etiam bene geſta, ſigna omnia annihilantes, & hominem manſuetiſſimum, nihilque contradicentem, frequenter vſque ad lachrymas, improperiis, & opprobriis affligentes.* Sic Pater humilis, & ſuis, quàm ſibi fidens; ingentia ex tunc in orbe patraturus, quo timidior, ſecurior, diſcere cœpit, non elationem, ſed metum ex miraculis. Quamuis & fidens de diuina gratia, eorum blandè duritiam increparet. *Quid enim* (inquiens) *facilè facere poteſt Deus, quod vos difficile credere poteſtis.*

d lib.1.cap.9.

e 2. ad Cor. 12.

5. Cæterùm, cùm neque lachrymæ viri, neque reſponſa, & quod mireris, neque ipſa miracula, Guidonis zelum, Galdricique compeſcerent; ſecundùm hunc grauiori correptum morbo, compeſcuit vexatio, quippe adactum implorare nepotis opem, aliter adimendum rebus humanis. Rem, quo maior dicendis fides ſit, verbis eiuſdem Guillelmi teſeramus. [f] *Circa idem tempus* (ait) *accidit, vt auunculus eius Galdricus, qui & ipſe zelo ſimili eius manſuetudinem (ſicut prædiximus) duris increpationibus obruebat, grauiſſimis febribus laboraret. Demum ingraueſcente morbo, ipſa doloris magnitudine ſuperatus, Abbatem humili obſecratione compellat, vt ſui miſereatur, & opem ſibi ferat, quam cæteris conſueuit. At ille, cuius ſpiritus ſuper mel dulcis, primum leniter, breuiterque commemorans crebras ſuper huiuſmodi obiurgationes ipſius, & imponens ei, ne fortè hæc diceret tentans eum: perſiſtenti tandem manum imponit, & febrem abſcedere iubet. Nec mora, ad imperium eius reliquit eum febris; expertum in ſemetipſo, quod in cæteris arguebat.* Hactenus ille. Quibus clarè videas ſuauem Dei prouidentiam circa Bernardum, neque prorſus omittentis exercere, neque diutius permittentis tentari, quàm ſatis merito.

f Lib.1.c.10.

6. Inter hæc, quod vacabat à negotiis, legendo, orando, ſcribendo compenſabat. Debet Eccleſia huic eius vacationi, ſiue ſeceſſui, queis ipſam illuſtrauit, plura opuſcula. Nam, [g] *Quoties poterat ſubtrahere ſe negotiis* (*ait Alanus Altiſiodorenſis in eius vita*) *erat aut docens, aut legens, aut ſcribens, aut inſiſtens doctrinæ, & fratrum ædificationi.* Scripſit autem primum omnium per hæc tempora tractatum de humilitate, ſiue de gradibus humilitatis (nam ſic inſcripſit) ab eo exorſus, velut à fundamento omnium virtutum. Homilias etiam ſuper Miſſus eſt, egregium opus, dulce, acre, igneum; & in quo Pater ſanctus prorſus ſuum quaſi effudiſſe ſpiritum videtur, largiùs fortaſſe fluentem in hoc myſterio, in quo adhuc puer à Deo præuentus fuerat, oſtenſa hora Dominici natalis. Nec multo pòſt, occaſione diſſidiorum inter Cluniacenſes, & noſtros repullulantium, zelantibus nimium vtriſque pro ſuo Ordine: ſcripſit ad Guillelmum Abbatem, ſæpiùs à nobis citatum in his annalibus, quippe ſcriptorem primi libri vitæ beati viri (à quo iam dudum fuerat viſitatus in Claravalle) Apologiam vtriuſque ſuccenſentem, atque pro viribus vtroſque concordantem.

g Alan.c.27.

7. Porrò hæc fuiſſe prima illius opuſcula, adeoque ſub hoc idem, aut certè non poſt multum tempus ſcripta, expreſſit ipſe, ad Petrum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Legatum ſcribens, poſt quatuor annos, qui ea ſibi tranſcribi flagitauerat. [h] *Opuſcula* (inquit) *noſtra quæ requiritis, & pauca ſunt, & nihil eſt in eis omnino, quod veſtro ſtudio dignum putem. Tamen, quia melius iudico mihi noſtrum culpari ingeniolum, quàm voluntatem, & periclitari apud vos imperitiam, quàm obedientiam: quæ horum vobis placet, vt mittam, ſcripto nobis per præſentem nuntium ſignificate, vt quæ modò penes me non ſunt, ab his, qui habent, requiram, & dirigam quæcumque mandaueritis. Et vt ſciatis, quid petatis, ſcio me ſcripſiſſe libellum, qui inſcribitur de humilitate, & quatuor homilias*

h epiſt.18.

in

in Laudibus Virginis Matris: nam hunc habet titulum, super illum videlicet locum Euangelij, apud Lucam, vbi dicitur: Missus est Angelus Gabriel. Nec non & Apologiam ad quendam amicum nostrum, vbi aliqua disserui de Cluniacensibus, & nostris, id est, Cisterciensibus obseruantiis. Hæc Bernardus de primis suis scriptis, quibus subnectit aliquas epistolas, quæ ab ipso dictatæ, à pluribus transcriptæ iam tunc per Galliam circum ferebantur.

---

1. Tractatus de humilitate timidè editus, ad instantiam Ganfridi: 2. inde addita illi retractatio cuiusdam loci. 3. Quid de mystica noua expositione, 4. & quid de nouis sententiis Sanctus docuerit. 5. Homilias super Missus est, propria deuotio, 6. eoque eleuatiores, sed & inuidiæ obnoxiores euulgauit. 7. Obiectiones aliorum contra Bernardum, 8. atque ipsius ad Hugonem Victorinum data responsa.

CAPVT II.

1. HActenus prima Bernardi scripta, quasi in communi: nunc seorsim de singulis agamus. Tractatu de humilitate, seu de gradibus eius prius ad fratres in Capitulo loquens, disseruerat: mox plenius, maturiúsque digestum, & prolixiori lima politum, scripto mandauit, ad instantiam Godofridi propinqui sui, & in Cistercio, ac Claravalle socij, cuius superiùs fecimus mentionem. Porrò amantissimo sibi, & fratri, & filio gerentem morem ipsum operis argumentum penè deterruit, si perficeret opus, in ipsa humilitatis tractatione, superbiendi materiam, si non perficeret, temporis iacturam, & sui nominis notam incursurum. Sed perpulit, vt in aliis, nutantem charitas, contrario sibi dilemmate proposito, non minus efficaci, nec minus prouido. Lectorem meum fraudarem mellito frusto, si eiusdem Sancti verba non adnecterem. [a] *Rogasti me frater Godefride, vt ea, quæ de gradibus humilitatis coram fratribus loquutus fueram, pleniori tractatu dissererem. Cui tuæ petitioni dignè, vt dignum erat, & volens satisfacere, & timens non posse;* [b] *Euangelici consilij memor, non prius (fateor) facere ausus sum, quam sedens computaui, si sufficerent sumptus ad perficiendum. Cùm autem charitas hunc foras misisset, timorem quo mihi timebam illud de opere non consummando, subintrauit alius timor de contrario, quo cœpi timere grauius periculum de gloria, si perfecissem, quàm de ignominia, si defecissem. Vnde inter hunc timorem, & charitatem, velut in quodam biuio positus, diu hæsitaui, cui viarum tutò me crederem, metuens, aut loquendo vtiliter de humilitate, ipse humilis non inueniri; aut tacendo humiliter, inutilis fieri. Cumque neutram viam tutam, alterutram tamen mihi tenendam esse conspicerem, elegi potius tibi, si quem possem, communicare fructum sermonis, quàm tutare me solum portu silentij; simul fiduciam habens, si quid fortè, quod approbes, dixerim, tuis precibus posse me non superbire: sin autem (quod magis puto) nihil tuo studio dignum effecerim, de nihilo superbire non posse.* Hactenus Bernardus, hunc quasi primum partum timidiùs edens: sed ex ipso timore subtilior, actiorque; atque eo sanè eleuatior, quo depressior.

a Bernard. in præf. ad tractat. de grad. humil.
b Lucæ 14.

2. Singulare etiam est in hoc tractatu, quodam loco citato minus ex fide, verum humilitatis magistrum, diu post opus vulgatum, retractasse, edita super eo admonitione, atque ea præfigenda singulis libris. Vt ergo præfationem, quia subtilis, sic hanc retractationem, quia humilis, non pigebit ad litteram transcribere. [c] *In hoc opusculo, cùm illud de Euangelio, quod Dominus ait, diem vltimi iudicij se nescire, ad aliquam sententiam confirmandam, atque corroborandam proferrem in medium, improuidè quidem apposui, quod in Euangelio scriptum non esse, postea deprehendi. Nam cùm textus habeat tantummodo, neque filius scit: ego deceptus magis, quàm fallere volens (litteræ quippe immemor, sed non sensus) neque ipse, inquam, filius hominis scit. Vnde etiam totam Ordine sequentem disputationem, ex eo quòd non veraciter posui, veram conatus sum approbare assertionem. Sed quia talem errorem meum multo postquam à me idem libellus editus, & à pluribus transcriptus fuit, deprehendi, cùm non potui per tot iam libellos sparsum persequi mendacium, necessarium credidi confugere ad confessionis remedium.* Hactenus Bernardus Pater de illo loco, nullis in semetipsum vocibus parcens, quantumcumque acerbis, mendacij, erroris que, à quibus in quemlibet alium abstinuisset, maximè leui errore, imò leuissimo, & qui sensum explicet magis, quam immutet.

c vbi suprà.
Matth. 24.

Pergit de alio mysticè explanato, nouiter à se inuenta expositione, sed satis apta. Atque huic etiam addendum aliquid censuit, non quo augeret, sed quo sibi fidem minueret, solius antiquitatis reuerens, & nouitates abhorrés, vel in seipso. [d] *Alio quoque in loco (ait) quandam de Seraphim opinionem posui, quam nunquam audiui, nunquam legi. Vbi sanè lector meus attendat, quod proinde temperanter puto dixerim, volens videlicet, non aliud quàm putari, quod certum reddere de scripturis non potui.* Ita Bernardus de expositione mystica, adeoque liberiori, quam ipse tradidit. Audiant, & timeant, qui vel in litteralibus, vel in altissimis Theologiæ sacræ sensibus, nouitates non solùm inducunt, sed profitentur. Audiant qui dum se per omnia antiquis comparant, & dicta ab aliis fugiunt, vt aliis debita; noua, quia sibi debenda, semper excogitant, & primos se auctores gaudent suæ doctrinæ. Bernardus Pater, primus, vel inter primos, Ecclesiæ Doctor, hæreticorum malleus, diuinitus Theologia infusa præditus, & qui vniuersam velut sub se positam, sacram Scripturam, Deo monstrante, viderat, in sensu mystico, quod ab aliis non accepit, suspectum putat, nec satis credit factum suæ conscientiæ, donec à se excogitatum ipse notaret, quasi minoris ex eo fidei futurum. 3.

d in retract. ad tract. de gradib. hum.

Verum est tamen, eumdem sanctum Patrem alio loco, aliqualem licentiam permisisse, præter, non contra Patres meditandi, dum ita ait. [e] *Si quid dictum est præter Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere.* Et rursus alio in loco. [f] *Sanè ibi vnusquisque in suo sensu securus abundat, vbi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obuiat.* Hæc, & similia quædam sanctus Doctor, priorem sententiam temperans; neque tam nouos sensus in rebus serijs, si ratione ducantur, quàm eorum studium reprehendens. quod viris doctis, cordatisque sequendum, neque adeò compeditis veterum dictis, vt veritatem quærere 4.

e in subscript. ad hom. super Missus est.
f epist. 77. vsque ad fin.

rere non liceat, neque sic expeditis, vt liceat fugere.

Est modus in rebus; sunt certi denique finis,
Quos vltrà citráque nequit consistere rectum.

4. Nihil inuenietis addere socorde, sed petulans in omnibus præsumere.

5. Homilias super Missus est, à conuentu feriatum, negotiis licèt variis impeditum, scripsisse constat: neque aliquo flagitante, quod sciamus, sed propria tantùm vrgente deuotione, adeò, vt de modico, quo solebat, refici somno, sibi detraheret, quo Mariæ Virginis laudes meditaretur; iam pius filius, & totus in obsequium illius factus, quam matrem postmodum erat experturus. Sed eumdem Bernardum loquentem præstat audire. g *Scribere me aliquid & deuotio iubet, & prohibet occupatio. Verùm tamen, quia præpediente corporali molestia, fratrum ad præsens non valeo sectari conuentum, id tantillum otij, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus, intercipere sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sæpe animum pulsauit, loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis matris, super illa lectione Euangelica, in qua, Luca referente, Dominicæ annunciationis continetur historia. Ad quod sanè opus faciendum, etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deseruire necesse est, vel necessitas vrgeat, vel vtilitas moneat: dum tamen ex hoc non impediar, quo ad quæque ipsorum necessaria minus paratus inueniar, non arbitror eos grauari debere, si propriæ satisfacio deuotioni.* Hactenus præfatio Bernardi ad has Homilias.

g in præfat. ad homil. de laud. Virg.

6. In quibus tamen, quo altiùs euolauit, eo patentior flatibus inuidiæ, recens præcipuè scriptor, & nec dum operum aliorum fama celebris, censores, imò & detractores passus est: quibusdam superfluitatis, quibusdam præsumptionis arguentibus opus, quasi aut iam actum, & meliùs actum ageret: aut meliùs ipse agere præsumeret, quod olim Patres reliquerant perfectum. Sed qui se cunctis solebat debitorem, soluentem etiam voluit exhibere, quippe purgandum ab huiusmodi calumniis, excusatione subiuncta ipsis homiliis; quæ inter alia quædam, hæc habet verba. *Vbi autem dixi, quod à Patribus accepi, dum sic absit typus præsumptionis, vt non desit fructus deuotionis, patienter audiant de superfluitate causantes. Nouerint tamen qui me tanquam de otiosa, & non necessaria explanatione suggillant, non tam intendisse, exponere Euangelium, quàm ex Euangelio sumere occasionem loquendi, quod loqui delectabat. Si verò peccaui, quòd propriam magis ex hoc excitare deuotionem, quàm communem quæsierim vtilitatem, potens erit pia Virgo apud suum misericordem filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecumque opusculum deuotissimè destinaui.* Hæc Bernardus pro sui excusatione.

7. Extat eiusdem Patris ad Hugonem de sancto Victore, illius ætatis Doctorem satis celebrem, epistola scripta, seu sub epistolæ nomine opusculum; & ad plura quæsita responsiones Bernardo dignæ, in quarum calce, notatus ab aliquibus, quòd dixerit in eisdem homiliis, consilium Dei de Incarnatione Verbi nulli prorsus sanctorum Angelorum ante reuelatum fuisse, quàm Virgini; acutè satis, doctéque satisfacit, nempe pro suo more. h *In fine (ait) mihi insinuas amicabiliter quidem, moueri aliquos super quadam mea sententia, qua dixi, cùm Euangelium exponerem, consilium Dei nulli etiam beatorum Angelorum, antequam Virgini, reuelatum.* Ita Bernardus de nota sibi imposita, quasi negauerit ante illius executionem, Incarnationis notitiam sanctis Spiritibus, qua vel homines ipsi non caruissent.

h epist. 77.

8. Responsio beati Patris longior est, quàm vt historiæ queat accommodari. Summa illius, se non copulatim, sed disiunctim prædicto sensui alium adiunxisse, quocumque stante, indemnem euasurum. Sed neque si absolutè pronunciasset, refellendam sententiam, quæ de tempore, loco, modoque, & aliis circumstantiis valet intelligi, cunctis credentibus Verbum incarnandum: sed vbi, quando, & à qua, omnino ignorantibus, quoad vsque Virgini Matri reuelaretur. Hæc Sanctus pluribus, quæ legat, qui volet, inueniet sanè acuta, & erudita, & per omnia sapientia suum auctorem. Has ergo ab illis calumnias, ab his notas, Bernardus passus ex laudibus Mariæ coronam meruit, siue altissima quæque pro more perflante vento, seu fortè Deo ita disponente, quo arctiùs matrem sibi deuinciret, postmodum ab ea in filium asciscendus. Hæc de duobus Bernardi primis opusculis: tertij materiam, occasionemque, serie historiæ producta, iam declaro.

---

1. Frequens ex Monachis nigris ad albos transitus, 2. non paruæ dissensionis (etiam inter nostrates) occasio fuit. 3. Epistola Bernardi ad Hugonem Pontigniacensem; 4. atque item ad Abbatem sancti Nicasij, 5. & ad Drogonem, vt Pontigniaci perseueret. 6. Simile in Goduino Aquiscinti Monacho; 7. de quo Bernardus Aloisio Abbati satisfacit. 8. coniectata ex vtroque euentu causa dissidij.

CAPVT III.

1. SVb idem tempus inter nigros, & nostros Monachos turbarant diu pacem, vestium, aut morum dissimilitudine, frequentes transitus hinc inde præcipitabant. Et vt vtrique alterutros reciperent, dum hi non resistendum spiritui, illi non supra vires grauandos homines aut prætexunt, aut sentiunt, vniquique zelantes pro suo Ordine: at neutri (quæ conditio hominum est) suis se filiis orbari patiebantur, quin ipsum transitum impietatem, & apostasiam, admissionem, iniuriam, amissionem, miseriam reputabant. Drogo inter alios sancti Nicasij Monachus Pontigniaci ab Hugone Patre admissus, non solùm familias inter se, sed & nostros à seipsis penè diuisit. Nec qualecumque, sed prima Cistercij lumina, dictis nimirum Hugonem, Bernardumque, nisi hic vltimus scissuram præuenisset, plurimum de amicitia remissuros.

2. Is clarus sanguine, moribus ingenuus, nec litteris inferior, quàm pietate, Cisterciense institutum diu ambierat, sub Bernardo, si posset; sin minus, sub Hugone militaturus. Sic Bernardo noti sibi Monasterij Monachum notum admittere prohibito; Hugo solus negotio relictus est, qui diu pulsantem, nec repulsum semel, tandem admisit, & stabilitate firmata pro more Ordinis, Pontigniacensibus inter proprios filios annumerauit. Ægrè tulit sancti Nicasij Abbas tanta se prole priuari adhuc viuente, & primò quidem, anathema in

Drogonem vibrauit, vt desertorem, modò Archiepiscopi Remensis ad Bernardum, inde Bernardi, alias sibi amici, implorauit auxilium, consiliumque, quo sibi Drogo ab Hugone restitueretur. Bernardus ab vtroque rogatus, roganti similis, & Monachum non tam restitui volens, quàm se videri velle, atque rogare: eo ipso, qui ad eum venerat, nuntio ad Hugonem directo, de missione quidem Drogonis consultò nihil; sed multa incommoda subeunda Pontigniacensibus, nisi eumdem restituant, repræsentat; acri quidem, & viuido stylo, pro suo more, adeò vt Hugoni statim persuasum sit, virum non remittendum à Bernardo requiri, sed admittendum; hoc est, non restituendum sancto Nicasio, sed si semel ab eo admitteretur, illico suscipiendum in Claravalle. Quin & plura in mandatis data nuncio ad eumdem Drogonem deferenda super hoc ipso, quæ minus possent chartæ commendari. Veniat, Cistercium retineat, deserto loco; imò in melius mutando, non deserendo. Id sibi olim in votis diu fuisse; id nunc tutius, consultiusque futurum, aliter permansuro in anathemate, sed absoluendo statim, si illuc transeat. Nam quid posset Bernardo denegari ab Abbate amico & reuerenti, maximè non pro aliis roganti, sed pro seipso: Leuis suspicio, cupidæ aliàs mentis, quantumuis sanctæ, obscurauit iudicium, & cuncta ad se trahens, etiam quæ repugnantia, quod sæpè solet, non iam suspicio habebatur, sed euidentia: nec propriis oculis plus deferret Hugo, quam huic, cui consenserat semel, cogitationi. Hinc ipsius querelæ de sancto Patre prorumpentes in verba amaritudinis, & subdola, ac vafra iudicantes, quæcumque gesta. Extant litteræ Sancti super hoc ipso, dissidij indices, & totius rei testes, quas non pigebit lectori meo proponere.

3. g epist. 33 g *Dilectissimo suo domino Hugoni Abbati, frater Bernardus de Claravalle, idem, quod sibi. In nostris prioribus litteris aut ego, quantum ex vestris perpenditur, minus apertè scripsi quod volui, aut vos aliter illas intellexistis, quam debuistis, siquidem quæ vobis de Monachi illius susceptione euentura denunciaui, veraciter ita timui, & adhuc timeo, vt scripsi. Non tamen ad hoc illa vobis prædicere studui, quod vel suaderem, vel considerem, vel certè, vt scribitis, censerem illum debere reddi, quippe qui ipsius iam dudum feruentissimum desiderium noui, & ei potiùs quòd nunc illud adimpleuerit, debeo congratulari. Sed cùm à familiarissimo nobis Abbate eius, & ab Archiepiscopo Remensi, nostræ litteræ, ad requirendum illum vehementer exigerentur, vt à me, si fieri posset, omnem depellerem suspicionem; tales prout sciui, dictare curaui, quibus & ipsis satisfacerem, & vos contra eorumdem imminentes calumnias, vobis illas non tacendo, præmunirem. Hæc me ita in illis litteris sensisse vestram sagacitatem, vel ex eo aduertere posse credidi, quod in fine illarum posuisse me memini, si tamen eo à vobis acido legeretur, quo à me scriptum fuit. Nam cùm denunciatis malis, quæ non immeritò vobis metuebam, tandem inferrem, quòd si hæc omnia pati melius duceris, quam illum amittere, mea nihil interest; vos videritis, aut enim ipsa mea verba sunt hæc, aut propè ipsa. Cùm itaque hoc in fine dixi, quid aliud vobis, quam illa superiora dispensatoriè (vt non dicam simulatoriè) a me ita scripta fuisse, latenter intimaui? Quod verò scripsistis me per nuncium eidem Monacho de quærenda, si ad nos diuertisset, ipsius absolutione priuatim insinuasse, veritatem testor, hoc verum non esse. Ego ne de notissimo mihi Monasterio vel iactarem, vel sperarem Monachum me posse suscipere, quem nec vos quidem puto sine grandi scandalo posse retinere? Sed esto. Inuidebam illum vobis, & mihi attrahere gestiens, aliquid de eius obtinenda absolutione machinari me posse sperabam, siue fingebam. Sed nunquid credendum fuit me hoc meum consilium ipsi nuncio, quod vtique contra suum Monasterium excogitaueram, voluisse patefacere? Sed iam ne quod de nostra erga vos dilectione huc vsque credidistis, falsò vos credidisse inueniatis; pro vestra, vt video, causa non saltem æquè vt pro mea, imò multo amplius laborandum est mihi: & hoc non quomodo huc vsque solebam, vt videlicet nostra vnanimitas fortiùs solidetur, sed ne penitus dissoluatur. Quid dicam vobis? Ego certè nec vobis, nec de vobis tale aliquid credere possem, quale vos sola de me suspicione diuinastis.* Hactenus epistola. In qua vltra notam Bernardo Patri impositam, quæ à viro prudenti sanctoque, & ipsius amantissimo, satis indicat mores illius æui, & vulgarem in adoptandis alienis filiis, etiam inter sanctissimos viros æmulationem. Vltra hanc, inquam, notam, videat lector eò inter vtrumque Abbatem, etsi eiusdem familiæ, deuentum esse, vt Bernardo deinde admittendum foret (nam eius hæc sunt verba) non vt vtriusque vnanimitas, vt antea, firmiùs solidaretur; sed ne penitus dissoluta, euersaque, leuitatem vtriusque condemnaret.

At Pater sanctus sponsionis suæ memor, & abolendæ indignæ suspicionis, de se ab Hugone conceptæ, quàm totius satagens, primum quidem ad Abbatem sancti Nicasij, dein ad Drogonem ipsum litteras dedit: illas satisfactorias, consolatoriasque, & suadentes, vt quiesceret, atque patienter ferret iacturam viri; has gratulantes de nouitate vitæ, & confirmantes in eiusdem continuatione. Porrò ad Abbatem Sanctus hæc inter alia. h *Quanto tibi affectu condoleam, scit ille, qui dolores omnium nostrûm in corpore suo tulit. Quàm libenter tibi, si scirem, consulerem, si possem, succurrerem, tam efficaciter ipse mihi, qui omnia scit, & omnia potest, in cunctis necessitatibus meis consulat, & succurrat.* Et post pauca. *Iam verò quantum ad te est, optimè mecum nouit sanctitas tua, perfectos solere viros, non solùm in spe, sed in tribulationibus gloriari, consolante eos Scriptura, atque dicente: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio. Et, iuxtà est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Et, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et, Omnes qui piè volunt viuere, in Christo persequutionem patiuntur.* At quorsum ista? Audi quæ sequuntur. *Si frater Drogo de sua discessione nos consuluisset, absit vt consentirem: si post discessionem ad nos diuertisset, absit vt susciperem. Denique quod solum potui ad Abbatem (scilicet Pontigniaci) qui eum suscepit, nostras mox, vt scis, pro eo litteras dedi.* Et tandem concludit. *Solicitè ergo studeat humilis prudentia tua, non vinci a malo, sed vincere in bono malum. Vincis autem spem tuam in Deo fortiter figendo, & rei finem longanimiter expectando. Et si quidem ille resipuerit, siue ob tui timorem, siue ob suum laborem: benè. Sin autem, bonum est tibi humiliari sub potenti manu Dei, & nequaquam velle resistere superbæ dispositioni; quia si ex Deo est, non poterit dissolui.* Hæc Bernardus, & alia leniendo homini, & ne Drogonem insisteret repetere.

4. (beside "At Pater sanctus") — h epist. 32. — Eccles. 17. — Psalm. 33. — Actor. 14. — Ad Tit. 3. & ad Rom. 5.

Cæterùm cùm ne hoc quidem sufficeret viro zelanti pro suo Monasterio, atque in absentem filium quòd rediret, anathematis fulmina vibranti, Pater sanctus, seu de perseuerantia timidus, seu de consolatione Drogonis prouidus, aliam ad eum epistolam scripsit, primum congratulans, deinde etiam confirmans, demum præmuniens, ne iaculis succumbat, quæ inualida vibrata manu, nequaquam ferient. Exemplar autem epistolæ sic se habet. 5.

i *Ad Drogonem Monachum. Quàm non immeritò* i epist. 34.

 tui

tui iam dudum non mediocri fueram affectus amore, nunc appares dilectissime Drogo. Et erat quidem totum pulchrum, totum erat amabile, quod cernebatur; sed ego nescio quid aliud de te supra id quod videbam, aut audiebam ex te, excellentiori dignum, veneratione presentiseram. Nunquid fortè cœlestis sponsi, cuius nunc arctius castus te amplexibus impressisti, iam tunc vocem audieras dicentis ad pudicissimam turturem suum, animam tuam, [k Cant. 4.] *k Tota pulchra es amica mea, tota pulchra, absque eo quod intrinsecus latet? Quid fecisti? Quis hoc crederet? Sanctum te, ac religiosissimum tota ciuitas personabat, ita vt nihil tibi addi posse crederetur ex omnibus bonis, & tu velut è secularibus vnus, Monasterium tanquam sæculum deserens, iam attritum Christi sarcina collum, noua rursum obseruantiis disciplinæ submittere non erubescis? In te nunc, frater veram probatum illam esse sententiam, quæ dicitur:* [l Eccles. 18.] *l Cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit. Iudicium ergo tuæ consummationis est, quod nunc cœpisti, & in quo arbitrabaris te non comprehendisse, iam comprehenderas. Nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit. Et in eo quisque perfectiorem se probat, quod ad maiorem tendit perfectionem. Sed ecce charissime, is cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, arcum suum tetendit, & parauit illum, & quia pulsus de corde tuo intus potestatem amisit, foris sæuiet quantum poterit. Et vt apertius loquar, nescis quia Pharisæi scandalizati sunt in hoc verbo, quod fecisti? Sed memento non omnium scandalum magnopere esse curandum, iuxta responsionem Domini dicentis,* [m Matth. 15. Lucæ 2.] *m sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Melius est enim vt scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Memento qui natus fuerit in ruinam, & resurrectionem multorum, & non mireris, si tu quoque aliis quidem sis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Si maledictiones intentauerint, si anathematum intorserint spicula, audi Isaac pro te respondentem:* [n Genes. 27.] *n qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Sed & tu muro inexpugnabili conscientiæ tuæ circummunitus deintus, responde & dic:* [o Psalm. 6.] *o Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Non enim confunderis, cùm sic loqueris inimicis tuis in porta. Confido autem in Domino, quòd si ad primos ictus fortiter steteris, & non minis eorum cesseris, nec blandimentis, citò conteres Satanam sub pedibus tuis.* [p Psalm. 107.] *p & tunc videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Ita Bernardus ad Drogonem ipsum scribens. quo magis interim dolendum nobis sit, nullam aliam accepisse notitiam viri sancti, & de quo adeò Sancti decertauere.

6. Drogoni succedat Goduinus, ex Aquiscincto ad Claramvallem transiens, hoc ipso tempore; æquè sanctus, atque æquè desertos conturbans suo discessu, vel sola morte pacaturus eorum animos. Extat item Bernardi alia epistola ad Aloisium Abbatem Aquiscincti, post mortem viri scripta, ex qua rem totam lector facile hauriat, longiusculam, sed dignam his annalibus, ad litteram transcribam, interiectis lacunis minus ex re, nec difficile complendis ex ipso Sancto.

[q epist. 65.] *q Aloisio Abbati Aquiscincti Monasterij, Bernardus salutem ex corde. Retribuat vobis Deus misericordiam, quam fecistis sancto filio vestro Goduino. Audiuimus enim, quòd audito eius obitu, mox velut immemor pristinæ calumniæ, sed non amicitiæ, consolatorem potius, quam vltorem vos exhibuistis, Patrem quippe vos cognouistis, vt res exigebat, non iudicem. Ideoque quod pietatis, quod charitatis est, vt fere filio Pater impendere studuistis... Sed quis hoc crederet? Verè nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est. Vbi est nunc illa austeritas, illa seueritas, illa indignatio, quæ olim in illum lingua, vultus, oculi terribiliter ostentare, & intentare solebant? Ad vnum nempe nuncium de morte filij, paterna viscera commota sunt.... Nam quantum mihi videor coniiciendo videre, quid animi tunc habueritis, cùm ad vlciscendam illam, quæ vobis videbatur facta, iniuriam, iustitia zelo accensa, veritas se accingeret; illa r quæ exemplo Ioseph prudenter antea dissimulabatur misericordia,* [r Genes. 45.] *vltra iam latere non ferens, ne in hac dissimiliter quidem à Ioseph ex abdito zelata pietatis erupit, seque veritati adiungens, repressis motum, temperauit zelum, pacem cum iustitia fecit.* Hæc Bernardus ad Aloisium de Goduino: pro se ista,

7. *Itaque* (pergit) *pro filio quidem vestra vobis affectio satisfecit. Sed de nobis Pater qui exit? Quæ, inquam, de nobis digna vobis satisfactio placebit, quibus vtique pro grandi iniuria imponitis, quòd à vobis recedens, à nobis receptus sit? Quid dicam? Si dixero: recepimus quidem, sed iustè, excusare me velle videor. Sed potius respondebo: peccauimus. Si dixero: Non recepimus (quod veritatem sine peccato dicere possem) mentior planè. Verum tamen quantum? non ad defensionem dico. A quo enim ille non reciperetur? Quis, inquam, Sanctum illum, aut pulsantem repelleret, aut susceptum expelleret? Quis verò scit si de vestra abundantia nostram Deus voluerit supplere inopiam? vt scilicet vnum de multis, qui fortè apud vos Religiosi tunc erant, ad nos dirigeret, nobis quidem ad solatium, sed nihilominus vobis ad gloriam? Filius* [s Prouerb. 10.] *s quidem sapiens gloria est Patris. Denique non eum preuenimus solicitando, non circumuenimus attrahendo, quo vos desereret, vel ad nos veniret: quin potius rogantem, pulsantem, supplicantem, non prius (Deus scit) consensimus recipere, quam remittere ad vos tentauimus. Non autem eo acquiescente, eius nos importunitati vix tandem acquieuimus.* Et post pauca. *Vt tamen noueritis, quam non leuiter, imò quam non impunè feramus, quòd vnquam reuerentiam vestram quoquo modo offendimus: sæpe Deum testor, quod corpore non possum, mente ad vos supplici transeo: sæpe genibus flexis humiliter satisfaciens vobis, astare me video... Quam flebilis, quam miserabilis tanquam præsens, ad genua vsque vestra descendo, quam frequenter nudus humeros, virgasque in manibus gestans, & quasi ad vestram iussionem vapulare paratus, peto veniam, gratiam tremebundus expecto.* Hæc Bernardus pro se, & de Goduino: cui dum iam mortuo testimonium perhibet, vt hoc obiter dicam; tanto gloriosiùs suffragatur eius auctoritas, quanto securiùs: Henriquez virum Menologio suo inseruit, ad quintum decimum diem mensis Aprilis, neque immeritò, quippe dignum reuerenti memoria à filiis recoli, acclamatum vt sanctum à sancto Patre.

8. Cæterùm quod & virgas tergo deferens, & tergum virgis offerens, ad Aluisi pedes se præsentat, supplex, & humilis, cùm non possit ad culpæ, quæ nulla fuit (vnde nec cautum de ea non iteranda) ad magnitudinem indignationis Aloisij, & suorum facile referas, nulla minori mitigandæ satisfactione. Id quod in viro grauissimo aliàs, nec multo pòst ob notam probitatem, doctrinamque, Atrebatensi Ecclesiæ præficiendo; vt non omnino insolentiam rei exprimat: at quàm ægrè ferretur illis temporibus indicio satis vrgenti manifestat, vt non immeritò liceat coniectari, transitus hos frequentes per hæc tempora; nec personarum tantùm, sed Cœnobiorum, imò & congregationum, vt pòst videbimus, Benedictinos in nostros commouisse, quippe sanctè zelantes pro suo Ordine, ni resisterent, nimium imminuendo, & longo tempore fortè defecturo.

1. Amedeus desertor Bonævallis, 2. filij occasione. 3. ad Cluniacenses transit. 4. à quibus honorificentissimè suscipitur: 5. inde noua dissidia, & simultates, 6. quas Petrus venerabilis describit. 7. Bernardi zelus de vtriusque familiæ pace, 8. & de scribenda Apologia susceptus labor. 9. Quid in ea purget. 10. & quid demum reprehendat.

CAPVT IV.

1\. HAud multum dispar nostrorum querela fuit. Quibusdam aliis Cluniaci susceptis, his præcipuè annis, quibus ea familia Pontio suberat, inferioribus numero, sed in seipsis fortè superioribus. Nam, vt Robertum Bernardi nepotem sileam, Amedeus Altæripæ quondam dominus, qui gloria mundi spreta, non multo antè Bonamvallem ingressus, probatusque, proximo anno se Deo consecrauerat, qui in sæculo perseuerans per annum integrum, tot milites, tot nobiles conuerterat; qui ne qua parte sui defraudaret Cistercium, vnicum etiam filium secum duxerat, cùm per ætatem liceret consecrandum. Hic, inquam, Amedeus post hæc omnia, Bonavalle relicta, sociisque, diu quæsitæ militiæ, desertor properus; ad Cluniacum transiit hoc ipso anno. Quin & quem meriti cumulum habuerat, Amedeum nimirum filium adductum secum, desertionis principium expertus est, factum in offensionem, & petram scandali. Rem, qualiter gesta sit, ex synchrono vitæ ipsius auctore accipiat lector.

2\. [a] *Amedeus puer, Amedei sæpe dicti filius, erat adhuc paruulus, atque ad habitum monachalem suscipiendum non idoneus, quem susceptum Bonævallenses litteras quidem docebant: minus tamen studiosè, quam deberent, & Patri suo promiserant. Quod ipsius genitor cernens, filium videlicet suum fore quasi neglectum, grauiter ferebat, & Abbati pro eodem puero, vt didascalus, qui super eum studiosius intenderent, traderet, frequentius supplicabat. At Pater venerabilis aiebat, sophisticam artium doctrinam parui pendendam viris religiosis, nec debere tyrunculum Christi mendosis Philosophorum fabulis imbui; quem mundum à sordibus peccatorum, quibus occasione discendi iuuenes solent inquinari, Paracliti vnctio plus in momento doceret, quàm mille Philosophi, mille Magistri per multorum annorum curricula docuissent.* Hæc petra scandali Amedeo Patri fuit, filio nimirum, qui Deo dudum oblatus, oblatorem trahente, neque ipso reluctante, qui trahebatur. Nam cur filium, præcipuè Deo dicatum, rudem, ignarumque fore permitteret? Ingenuum, atque exactæ indolis puerum, si erudietur, vtilem; neglectum, nec sibi proficuum, & otio desidem, aliis etiam nociuum posse euadere. Sapientiæ studium laudatum in sanctis viris, cui si subseruiant aliæ disciplinæ, quantumuis leues, fiant commendabiles. Sed & Abbatem Ioannem illis imbutum, minus debere aliis interdicere, quas ipse hauserat. Et quid, si non feruore religionis, sed charitate pecuniæ, & vitandorum sumptuum gratia, neglectum erat? filiorum educationem, curamque iure naturæ debitas, quibusuis aliis votis anteponi, nec legibus diuinis, aut humanis constringi homines, vt carnem, imò viscera sua odio habeant. Amedeum puerum claro insignem sanguine, pulchra decorum facie, conspicuum corpore, ingenio acri, & viuido exornatum, eius speciesse, cui nunquam desit probitas, si tamen litterarum scientia insit, qua adeò nequeat fraudari, sine piaculo.

a in vit. S. Amedei c. 5.

3\. His, & similibus paternus pulsatus animus, & primò quidem resistens, deinde hærens, mox innati amoris pondere pressus, de Cluniaco cœpit cogitare. Ibi etsi minus austeram, sanctam vitam, eamdem regulam, grauissima custodia, à sanctis Patribus Odilone, Maiolo, Odone, Hugoneque diuino afflatis spiritu, stabilita, atque eo securiori, quo antiquiori, à multis retro annis obseruari. Nec alicui impediri pœnitentiam, non obligantem, sed permissam tamen, imò consultam, atque ibi fortassis vtiliorem, vbi alios sit exemplo lucratura. Cœnobium illud & possessionibus locupletius, & fama illustrius, Amedeo filio non solùm facilius, sed etiam accuratius prouisurum. Et tunc se primum peracturum Monachi munia, cùm Patris expleuerit, aliàs ne Christianum quidem inueniendum, si filium negligens, vel hominem exueret. [b] *Iam ergo* (pergit auctor illius vitæ) *Ordinem Cisterciensem suscepisse, Amedeum tædebat; & violentiam tentationis ferre non sustinens, ad Cluniacenses ire deliberabat. Cùm tandem tortuosi colubri deceptionibus nimium credulus, Palafredos præparauit, seque cum filio suo Cluniacum contulit.* Hæc ille.

b ubi sup. §.2.

4\. Porrò qua reuerentia, quo honore à Cluniacensibus fuerit susceptus, qualiterque prouisum ipsius filio, pergit auctor describere in hæc verba. [c] *Quo* (id est, Cluniaci) *susceptus honoratissimè, Monachi nigri habitum quantociùs induit, totusque nominatissimi illius Cœnobij conuentus, de tanti viri aduentu gauisus plurimum, prope Abbatem sedem ei assignauit, ad honoris cumulum. Filium quoque ipsius cum gaudio suscipientes, post dies aliquot in Germaniam, ad consanguineum suum, (corrige, Henricum,) Conradum Imperatorem delegarunt, qui eum gratanter suscipiens, nominatissimis Doctoribus erudiendum tradidit, multoque tempore curam illius, ac si specialiter eius filius esset, ita peregit.* Hactenus auctor vitæ sancti Patris. Nos Amedeum Cluniaci relinquamus; non tamen ibi diutiùs permansurum.

c ibid. §. 3.

5\. His quasi stimulis vtrinque exagitati, veteres simultates incruduere; nec minus animis, quàm motibus disiuncti, separari actionibus, hospitia fugere, odisse colloquia, atque se inuicem cum nota deuitabant. Quin & ex nostris, quæ conditio hominum est, suorum charitate quasi innata, cæteros omnes Monachos spernere, & quod de se vnusquisque minus auderet, de suo Ordine incautè prædicare, restauratum per ipsum Monachismum, fugatum tepotem, zelum inductum; demum Cistercium soli comparandum, reliquas Benedicti Patris familias syderibus; quippe ad ortum illius obscuratas, si non dicebant, saltim insinuabant. E contra ex illis nostros irridere, chimæras, & centauros appellare, detrahere actibus, inuidere progressibus, atque id genus alia pro palàm facere; queis quamuis plures minus consentirent, paucorum tamen, vt solet, priuati actus, sub omnium nomine circumferebantur, & culpa paucos, eosque minoris notæ; infamia totam familiam peruadebat, atque optimos quosque commaculabat.

6\. Verùm hæc ipsa à nobis vtcumque dicta, à Petro venerabili synchrono auctore, & pacis conciliandæ

liandæ ſummè cupido, ſcribente ad Bernardum, d lib. 4. epiſt. audiuimus. [d] *Vidi (ait) plurimos, nec recordor quoties, de nigrorum numero, occurrentem quempiam album, quaſi monſtrum ridentes, & velut ſi chimæra, vel centaurus, vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce, vel geſtu corporis ſe ſtupore ſignantes. Vidi è conuerſo loquaces prius, & multa paſſim occurrentia ad inuicem conferentes albos, nigro quolibet adueniente, ſubitò obmutuiſſe, & velut ab hoſtibus, hoſtium ſecreta rimantibus, ſilentij ſibi remedio præcauiſſe. Inuitus ſum vtriuſque generis hominum linguas tacentes, oculos, manus, pedeſque loquentes, & quod voce, ne proderentur, indicare nolebant, geſtuum ſuffragio clariùs inclamaſſe.* Et paulo inferiùs. *Dic, dic inquam tu, vt mei propoſiti prius hominem alloquar; dic, ô niger Monache, da gloriam Deo; & quod in imis cordis tui contra fratrem adhuc latet, denuda. Quis, inquis, pati poteſt nouos homines veteribus anteferri? Eorum ſtudia, noſtrorum actibus præponi? Noſtros viliores, illos chariores videri? Quis æquo animo aſpicere poteſt mundum ex plurima ſui parte à noſtro veteri ordine auerti, ad ipſorum nouum propoſitum conuerti? relinqui tritas à ſæculo vias, concurſus fieri ad ignotas hactenus ſemitas? Quis patiatur nouos veteribus, iuniores ſenioribus, albos nigris Monachis anteferri? Hoc tu, inquam, niger dicis, ſed tu albe, quid proponis? Felices nos, inquis, quos longe probabilior inſtitutio commendat, quos beatiores aliis Monachis mundus prædicat; quorum opinio aliorum exiſtimationem, quorum dies aliorum lucernam, quorum ſol aliorum ſydus obſcurat. Nos religionis perditæ reſtauratores, nos emortui Ordinis reſuſcitatores, nos languentium, tepentium, ſordentium Monachorum iuſtiſſimi condemnatores. Nos moribus, nos actibus, nos vſibus, nos veſtibus, a cæteris diuiſi, & veterum teporem oſtentui fecimus, & nouum noſtrorum feruorem præcellere approbamus.* Hactenus venerabilis Petrus, verè ſanctus, & charitatis, paciſque fraternæ verè zelator. Qui quamuis nihil ſuo tempore omiſerit, quo eam promoueri poſſe putaret, tamen ſub Pontio, qui his annis præſidebat, diutina quaſſatione confractam, non de facili valuit inſtaurare.

7. Bernardus interim ſubmouendis ſcandalis, atque vtrorumque animis vniendis, laborans iugiter; cùm minus ſe proficere videret, Guillelmum ſancti Teodorici Abbatem, virum ſanctiſſimum, operis coadiutorem implorauit. Et primò quidem præcedentes litteras, ad Aloiſium Aquiſcincti Abbatem datas, ab eodem Guillelmo tradendas mittit: vt quod per ſe abſentem minus poterat, per præſentem amicum ſatisfaceret. Inde adiutorem vnionis, paciſque, ſiue mauis auctorem, cum adiurat, ignitis verbis, eoque paucioribus, quæ non e epiſt 66. pigebit ad litteram tranſcribere. [e] *Rogo ergo te, & iterum rogo, vt de regno Dei, quod eſt videlicet intra nos, ſcandalum auferas, dum ſalubriter potes. Ne ſi (quod abſit) vſque ad Angelos, qui vtique in fine ſæculi in id miniſterij deputandi ſunt, perdurauerit rancor, neceſſe ſit irreuocabiliter, aut ambos, aut alterum è nobis de medio tolli.* Ita inter alia Bernardus ad Guillelmum. Qui tamen cùm ſe imparem ſentiret oneri tanto, eumdem Sanctum conuenit, inſtâter ſupplicans, vt pro cælitus ſibi data ſapientia, aliquid ſcriberet, quo & Cluniacenſibus pro nobis ſatisfaceret; imò & pro ſe, quem ex liberiori dicendi modo, atque ex aliquibus Monachis admiſſis, dudum ſuſpectum quo ſanctiorem, opinatioremque, eo ſibi ſentiebant perniciosiorem, & nihilominus eoſdem Cluniacenſes tum ad arctiorem obſeruantiam regulæ, tum ad reſcindenda ſuperflua prouocaret. Hæc Apologiæ ſcribendæ occaſio fuit, de qua tamen, quo lectori ſatisfaciam, Bernardum ipſum loquentem in medium proferam.

[f] *Quòd me huiuſmodi operi operam dare iubes, per quod tollendum ſit ſcandalum de regno Dei, libenter accipio: ſed quo modo id velis fieri, nondum ſatis elucet mihi. Nam illam tuam dulciſſimam epiſtolam legens, ac relegens (ſæpius enim repetita placebat) intellexi quidem te velle, vt illis, qui de nobis, tanquam de detractoribus Cluniacenſis Ordinis conqueruntur, ſatisfaciam, quatenus ſciatur non eſſe verum, quod malè huc vſque de nobis putarunt, vel putari voluerunt. At ſi poſt hanc ſatisfactionem, rurſus victus, & veſtitus eorum ſuperfluitatem, & cætera quæ iniungis, & quemadmodum iniungis, carpere voluero, & mihi videbor contrarius, & quomodo ſine ſcandalo facere queam, non video. Niſi fortè & Ordinem quidem laudabilem, & Ordinis reprehenſores reprehenſibiles doceam: & nihilominus tamen ipſius ſuperflua reprehendam. Si hoc modo vis, aut certè aliter magis expedire vides, manda apertiùs, & vt valeam quod vis, cõmodo quouis, ora inſtantiùs. Scito tamen non modico me huius modi ſcriptationibus feriri detrimento; quia multum hic deuotionis ſubtrahitur, dum ſtudium orationis intermittitur, præſertim cùm neque vſus ſuppetat dictandi, neque otium.* Ita Bernardus ad Guillelmum de Apologia, ad ipſum quidem, atque ipſius gratia ſcripta, ſed præſentanda omnibus, præcipuè nigri Ordinis, ſancto Patre inter alia ita dicente. [g] *Scribo vobis, vt quoniam ego per ſingulos ire, & ſingulis ſatisfacere nequeo, ex me habeatis, vnde quod de me certiſſimè ſcitis, eis pro me veriſſimè reſpondeatis.* 8. f in epiſt ad Guillerm. ante apolog. g in apolog. ſtatim à principio.

Portò Bernardus Pater in eo opere primum omnium ſe purgat, non quòd Monachos nigros non ſuſceperit, aut ſuſcepturus ſit, quod cautè ſatis nullibi inſinuat, quippe qui oppoſitum conuenientius iudicabat, quo vota Deo facta meliùs redderent, vt ipſe tradit, ad Adam Monachum ſcribens. [h] *Hac ergo* (inquit) *ratione illos ſuſcipimus, quoniam non putamus eſſe malum, ſi vota labiorum ſuorum, quæ in locis ſuis potuerunt quidem promittere, ſed nequaquam perſoluere, Deo, qui vbique eſt, vbicumque poterunt, reddant, & ſolius ruptæ ſtabilitatis damna, reliquorum regularium præceptorum integra obſeruatione compenſent.* Non ergo vnquam Bernardus ſe purgauit de non ſuſceptis, aut ſuſcipiendis Monachis nigris; ſed quòd neminem ab eo Ordine diſſuaſerit, nemini ad Ciſtercienſem tranſire conſuluerit; quin & multos idipſum appetentes, ſuo ipſe conſilio detineret. [i] *Quem, inquam, (ait) vel clam, vel palam ab illo Ordine diſſuadere, aut ad noſtrum, vt veniret, perſuadere tentaui? An non potiùs multos cupientes venire, repreſſi; venientes, & pulſantes repuli? An non fratrem Nicolaum ad ſanctum Nicolaum; & vobis duos de veſtris, vobis teſte, remiſi? Sed & duobus quibuſdam eiuſdem Ordinis Abbatibus, quorum ne nomina prodam, ipſi eos optimè noſtis: numquid non tamen ad alium Ordinem, quod & vos non latuit, migrare deſiderantibus, iam iamque deliberantibus, noſtrum eis diſſuaſorium conſilium obuiauit, ac ne ſuas desererent cathedras, effecit?* Ita Bernardus de tranſitu ad noſtros, poſt commendatas Cluniacenſes obſeruantias, quas aggredi laudabile, tenere ſanctum, deſerere periculoſum, adeoque nulli conſulendum iudicauiſſet. 9. h epiſt. 7. i in Apol. paulo poſt initium.

Verùm cùm adhuc quid aliud ſupereſſet, quod ſibi in operis fronte propoſuerat, de exhortando ad rigorem diſciplinæ, & quæcumque ſuperflua præſcindenda: mox condemnatis aliquibus ex noſtris, qui, vt verbis ipſius in ſuos vtar, [k] *Repleti ventrem faba, mentem ſuperbia, cibis damnabant ſaginatos, quaſi non meliùs eſſet exiguo ſagimine ad vſum veſci,* 10. k ibid. cap. 2.

veſci, quàm ventoſo legumine vſque ad ructum exſaturari, eos ad humilitatem, ac charitatem fraternam piè hortatur. At denique Guillelmo morem gerens, quæ reſecanda videbat in Cluniacenſibus, charitatiuè, ſed liberè proponit, de quibus ſatis à nobis ſupra dictum, cùm ageremus de primis Ciſtercij legibus. Atque hæc de occaſione Apologiæ editæ, & de ipſa Apologia à nobis dicta, illuſtrandæ hiſtoriæ, atque intimiùs penetrandis rebus illius temporis. Non tamen nimium lectorem meum moueat, quòd ſancti viri abiiſſe quaſi in partes, nec tam pro Deo zelaſſe videantur, quàm pro ſe ipſis, quippe zelantes vtrique pro ſuis ouibus, dum greges ſibi commiſſos augere curant, neutri ſibi acquirebant, ſed committenti. Sic Petrus, Pauluſque diuiſi olim, dum ille Iudæis prouidet, hic gentibus, neuter, quæ ſua erant, ſolicitabat, vel quæ Ieſu Chriſti. Niſi quòd tamen, vt id ingenuè fatear, æmulationes hæ non ſemper tutæ, & vt interiùs cœlum intueamur, vix aliquando à terra demouemur. Sed hæc aliàs. Nos narrationem inceptam proſequamur.

---

1. Amedes lachryma ex deſerta Bonavalle, 2. & varia Cluniacenſium conſolationes. 3. Prælatus reditus, 4. continuoque ſequutus. 5. Chronologia ſurgentium Monaſteriorum. 6. Eleemoſyna initia, 7. & Oratorij. 8. Pauca de Chriſta: 9. plura de Fuſniaco, 10. paterna Bernardi ſolicitudine, 11. & muſcarum miraculo illuſtri. 12. De bono loco, & præſenti quatuor primarum Abbatiarum fæcunditate.

Capvt V.

1. INterea, quòd fortè nouas querelis vires addidit, Amedeus, qui erudiendi filij cauſa migrarat Cluniacum, ſeu voti compos (iam curæ Imperatoris commiſſo filio) ſeu inſtituti Ciſtercienſis deſerti pœnitens, ſeu tandem relictorum ſociorum memor, quos ipſo duce Bonamvallem ingreſſos, perſeuranteſque, inconſtans animo, & leuis deſeruerat, cogitauit de reditu, ſeu potius redituo, quàm totius maturauit, quippe excitatæ ſpecies amiſſi boni impellebant volentem, vel reluctantem efficaciter pertracturæ. Rem ex Anonymo eius vitæ ſcriptore accipiat lector. [a] *Accidit autem, cùm iam Cluniaci Amedeus aliquantulum conuerſatus eſſet, vt ſolemnis quædam feſtiuitas, annuo reditu celebranda illuceſceret; tunc more ſolito Tertia decantata, conuentus ſericis, atque purpureis indumentis ornatus, ad maioris Miſſæ officium celebrandum, ſe præparauit. Inter quos Amedeus etiam interfuit.* Hæc prima illi pœnitentiæ occaſio fuit. Nam cùm in magnifica illa proceſſione, Bonævallenſis paupertatis recordaretur, ex ſacris veſtibus, ad communes priùs, inde ad victum, & potum gradum faciens. *Quale* (inquit) *puto de me erit iudicium, qui ſancta, ac venerabili paupertate, in qua vſque ad mortem perſeuerare promiſeram, derelicta, pro vilibus pannis, quos in Bonavalle ferre conſueueram, optimis, & mollibus induor pelliceis, pro leguminibus veſcor ſagimine, nectareaque pocula vbertim mihi pro ſapa miſcentur. Si iudicor abſque miſericordia, æterna mihi iuſtè debentur ſupplicia. heu! quid feci? prodidi commilitones meos, illos in procinctu conſtitui; ego autem turpiter victus aufugi. Illi nunc ſtrenuè dimicant, vt poſt victoriam brauium perenne recipiant. Ego verò cùm aduerſantium tela euadere volui, hoſtis callidi arte deceptus, multiplices Dæmonum laqueos incurri. Reſtat mihi vlteriùs vnum remedium, quod vt in me clementia Dei perficiat, oportet me vtique pœnitentiam agere.*

a lib. vet. ipſum. c. 5.

2. Hæc, & ſimilia interiùs voluentis animo, ſuſpiria pectus, ſingultus ora, maxillas pallor, atque (dolore exteriùs prorumpente) oculos etiam lachrymæ occupabant, vt non potuerit aliis occultari, Amedeum ea die triſtiorem ſolito interfuiſſe ſolennibus, atque luctui, quàm cantui indulgentiorem, interiorem triſtitiam indicaſſe. Res ad Abbatem Pontium delata eſt, cunctis pro viro officioſè ſolicitis, & dum diuerſi, diuerſas nouæ mœſtitiæ cauſas comminiſcuntur, conſilium tamen vnum omnibus fuit, Amedeo per omnia deferendum, nec denegandum tanto viro, quodcumque petat, præcipuè nihil indignum petituro. Ergo accerſitus, conuenitur ab Abbate. Hic amicam cæterorum ſolicitudinem, audita ſuſpiria, notatas lachrymas, interioris triſtitiæ indices, condolens ipſe, aut certè condolenti ſimilis, refert: cauſam inquirit, & quæcumque foret, per ſe, quoad poſſet, ſubmouendam pollicetur. Ferunt & prioratum, ſi quem eligeret, ſiue in ſua, ſiue in aliis prouinciis, oblatū viro; quod ego, vt de aliis minus crederem, quippe ſanctiſſimis Hugone, Petroque, illo anteceſſore, hoc ſucceſſore: ſed de Pontio non difficile admiſerim, homine graui quidem, doctoque, ſed religionis minus zelatore, atque animo ad quietem minus compoſito. Sed qui longè alio morbo tenebatur, longè diuerſam elegit medicinam.

Ergo Amedeus his verbis prouocatus, neque oblatis attendens, tale fertur reſponſum tradidiſſe, quod ego ob reuerentiam ſancti Patris (prout hactenus feci) non aliis, quàm ipſius verbis deſcribam. Illis ſaltim, quæ auctor vitæ eius pro ſuis tradit. [b] *Tunc Amedeus* (ait) *humili voce, tale dedit reſponſum. Gratias agimus Domine, veſtræ benignitati tam pro collatis beneficiis, quam etiam pro his, quæ vos collaturum meæ paruitati promittitis. Sed volo vos eſſe certum, pro cauſis, quas commemoraſtis, me minimè tribulari. Cæterùm prouidentiæ veſtræ innotuiſſe non ambigimus, qualiter ego, & plures alij mecum, mundi huius fallacem gloriam, pro Dei amore contempſimus, atque paupertatem amplectentes, in Bonamvallem gratia religionis conuenimus. Ecce aliis omnibus in ſancto propoſito conuerſantibus, ego qui in hoc negotio ductor eorum extiteram, vt libitus meos explerem, in confuſionem, & opprobrium meum, inde me inhoneſtè retraxi. Qua de re, propria me remordente conſcientia, quietus inter vos permanere non poſſum; tametſi congregatio huius Cœnobij moribus ſanctis, ac ſumma religione præfulgeat. Vnde religioni veſtræ flexis genibus ſupplico, quatenus data licentia redeundi, iumentum quodlibet mihi ſeruo veſtro accommodetis, quo in Bonamvallem valeam redire, pro magnis exceſſibus meis Deo, & ſancto conuentui illius loci ſatisfacturus. Sin autem pedeſter viam aggrediar, pudore ſubmiſſo.* Hactenus Amedeus ad Pontium, cunctis audientibus, mœrentibuſque, minus iam de triſtitia ipſius, quàm de diſceſſu. 3.

b cap. 5.

Cæterùm Pontius, quæ plurima in eo virtutum ſemina, à ſancto Hugone iacta pullulabant, vt volentem libentiſſimè ſuſceperat, ac ſuſcepto blandiri etiam curauerat, ſic reluctantem noluit retinere. Id ſeu promiſſi memor, ſeu viro deferens, ſeu 4.

Dei

Dei tandem amore delib:rauerit, pergit auctor describere in hæc verba. *His auditis, Abbas de tanti quidem viri recessu condoluit; videns tamen maximam cordis ipsius compunctionem, & à Deo inspiratam illi pœnitentia affectionem, contradicere noluit. Igitur Amedeus relicto filio suo, qui ei causa transgressionis extiterat, ad Bonævallis ianuam venit, omnesque Bonævallenses de reditu suo permaximè lætificauit.* Hactenus ille. Verùm quòd Amedeum, nòn Bonamvallem, sed ad ianuam venisse notanter tradit, adludit, puto, ad morem antiquum Ordinis, quo Apostatæ omnes, seu fugitiui, non antea intra Monasterium suscipiebantur, quàm ad ianuam detenti, moratique, priùs per aliquod tempus satisfecissent. Atque huius motis mētionem expressam inueniet lector, in diffinltionibus anni M. C X C I. vbi hæc de Nouitiis, inter alia. *Nouitij de domibus exeuntes, si reuerti voluerint, ad portam Monasterij satisfaciant, sicut alij fugitiui: & si recipiendi sunt, inde veniant ad Capitulum,* &c. Ergo Amedeus transfugam se fassus, quod primum pœnitentiæ illius indicium fuit, Monasterium ingredi non ausus, ad ianuas substitit, ibidem satisfacturus. Id, licèt hoc, vt credo, anno inceptum, vsque ad sequentem cum mira pœnitentiæ perseuerantia, ne dicam pertinacia, continuandum, referemus ibidem. Nunc ad Cistercij incrementa, propagationemque, nouis Ecclesiis structis, transeamus.

5. Quinarium Chronologia refert, Cistercio duas, Claravalle, Morimundo, & Dalone tres natas, singulis singulas. Ipsius verba ex more primum ponam, mox seorsim descendam ad vnamquamque. *Anno* (inquit) *M. C X X I. quarto Kalendas Iulij, fundata est Abbatia de Eleemosyna.*

Eodem anno, pridie Kalendas Iulij, Abbatia de Christa.

Eodem anno, quinto Idus Iulij, Abbatia de Fusneio.

Eodem anno, quarto Kalendas Septembris, Abbatia Boni loci, in Lemouico.

Eodem anno, decimo octauo Kalendas Octobris, Abbatia de Oratorio. Hæc Chronologia. Primam, & vltimam domos Cistercium protulit, reliquas reliquæ.

6. Eleemosynam in Carnotensi diœcesi sitam liber taxarum Cameræ Binomiam, Claudius Robertus Trinomiam etiam agnoscit, corrupta tamen voce magis, quàm alia, quippe nunc Eleemosynam, nunc Eleemosium, nunc demum Eleemosinum appellant, eius in iure mentio non vulgaris, *in cap. Accedens el 4.* vt lite non contestata. Monachos missos Stephanus commendat, non alios, quàm probatos transmissurus, quorum zelum haud parum promouere duo Christiani, alter Sacerdos, alter laicus, vterque Monachus: ille domum ingressus recèns natam, hic iam adultam. Sed de laico inferiùs plura à nobis. Sacerdotem consecrasse primordia nascentis domus, inde coniector, quòd sub sancto Raynardo, qui Stephano successit in regimine, anno M. C X X X I I I. iam fama celebris, ætateque maturus, Cistercium, imò & Galliam replebat fragrantia vitæ. Vnde de eo in Exordio magno lego.[c] *Raynardus vir venerandus, quondam Abbas Cistercij, audiens famam beati Christiani Monachi, virum tam sanctum alloqui, & videre cupiebat.* Sed de eo alias. Fitericlis in notis ad Exordium,[d] nomen loco, à fructu mutuatum putat: hoc est, ab Eleemosynis. Sed sine antiquo auctore inuentum recèns, neque affirmare ausim, neque refellere. Extat & in epistolis Petri Blesensis[e] Eleemosynæ mentio, valde honorifica, litteris datis ad Abbatem, & Monachos, implorandis eorum orationibus, cùm ipse Petrus post plures, longasque, tandem febri quartana detineretur. Initium autem epistolæ est tale. *Venerabilibus dominis, & amicis, Abbati, & conuentui de Eleemosyna, Magister Petrus Blesensis, Bathoniensis Archidiaconus, salutem in eo, qui mandat salutes Iacob. Sicut domus vestra ita inter cæteras sanctæ opinionis odore præcipua, secundum nomen eius, ita inuenta est, & laus eius. Extunc effudi animam meam in omnem affectum dilectionis ad vos, proposuique, locum vestrum mihi desiderabilem frequentius visitare, solatiari vobiscum, & mutua ædificatione gaudere. Sanè non fui sanus, ex quo recessi à vobis, priùs passus in oculis, postea in acutam incidi, tertiana successit acuta, quæ post varias, & præstigiosas mutationes, quibus me durissimè torsit, transiit in quartanam. Quoniam igitur miserum corpus meum miserabiliter igne, & frigore febrili, aut potiùs gehennali, tamen affligitur, nec mihi salutis fiduciam corporalis medicina promittit, orationum vestrarum suffragia deuotus imploro.* Et cætera quæ latè ibi prosequitur. Sed de Eleemosyna satis, superque; plura, & maiora in sequentibus dicturi. Extant litteræ Alexandri Papæ IV. ad Guidonem Abbatem Eleemosynæ, datæ Laterani 2. Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno 2. quæ suo loco à nobis reddendæ erunt. Recèns Author, Cistercium paruum dici Cœnobium Eleemosynæ, atque à magno Theobaldo, Campaniæ Comite, fundatum asseuerat in suis notitiis Abbatiarum Cisterciensium per totum Ordinem.

[c] lib. 1. c. 40.

[d] lib. 1. c. 4. n. 3.

[e] epist. 110.

Nonam Cistercij filiam, Oratorium, etsi huius anni vltimam, sorori adiungo. Fundata ea in diœcesi Andegauensi, Fulcone, & Heremburge tertæ Comitibus, & Monachos petentibus, & locum Monachis, & loco dotem donantibus. De ea Guillelmus de Nangia paucis in Chronico. *Anno Christi M. C X X I. in Episcopatu Andegauensi Abbatia Oratorij, à Fulcone Comite Andegauensi, & vxore eius Heremburge fundatur.* Ita Guillelmus. Cæteri pauciora. Tamen in litteris Honorij, Gregoriique, illius Papæ tertij, huius noni, mentio eius neque exigua, neque indecora. In libris Cameræ mediocri taxa notatur, quinquaginta nimirum florenorum, supra ducentos. Scribit etiam Abbati de Oratorio Andegauensi Innocentius Papa IV. litteris datis Lugduni 12. Kalendas Ianuarij, Pontificatus eius anno 2. Est & aliud Cœnobium eiusdem nominis, neque Ordinis diuersi, in eadem Andegauensi parochia, quod Robertus Claudius aduertit in sua Gallia. Nisi quod illud fœminis incolitur, hoc viris: illud binomen de charitate, alioqui dicitur, huic vna tantùm vox, ab oratione vocabulo mutuato, nomen dedit. 7.

Christam secundam Morimundi filiam non longè à se relegauit Arnaldus Abbas, quippe in eadem Lingonensi diœcesi, tenuibus, vt credo, initiis, mediocribus progressibus ducentorum florenorum taxam adimplet. De ea Robertus Claudius hæc habet verba.[f] *Christa Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Lingonensis, cuius Abbati scribit Innocentius tertius, fundatur pridie Kalendas Iulij. M. C X X I. filia Morimundi, in Decanatu Caluimontis, & nominatur à sancto Bernardo, epistola trigentesima quadragesima sexta, vbi non videtur præponenda vox Alba.* Ita Robertus. De litteris Innocentij tertij ad Abbatem Christæ directis in causa fidei, nos suo loco. De Bernardo in dubio res est adhuc, nam multi codices, non Albam 8.

[f] in sua Gallia.

Christam

Christam legunt, sed Christã tantùm. *Scito fratrem G. ex quo venit de Christa*, &c. Et tamẽ notat Picardus eo loci, forsan de Alta Christa esse scribendũ. Certè huius nominis extat Abbatia ab ipso Sancto cõdita in Sabaudia, diœcesis Lausanensis, de qua nos infrà. Extat & epistola Vrbani Papæ quarti ad Abbatem de Christa Lingonensi, data apud vrbem veterẽ 7. Kal. April. Pontificatus ipsius anno tertio.

9. Sequitur Ordine Fusneium, seu Fusniacum, Gallicè Foignij. Vnde & aliquibus Latinè Fonsclaustrum, quod Georgius [g] Colueneriùs adnotauit. *Est autem* [h] *vna* (Exordium magnum loquitur) *de dignioribus, & magis religione conspicuis filiabus Claraeuallis.* quam Bernardus præmonstrato substituit, Norberto Patri non multo antè concesso. Primum eius Abbatem [i] Seguinus, Fiteriensisque [k] Ramaldum putant, siue Rainaldum, ad quem tres extant epistolæ Bernardi lacte, & melle manantes vltra consuetum. Vterque immeritò: Fiteriensis autem adhuc culpabilius, quippe ex eodem Exordij loco, cui notas addit, perspicuè constat, post fundatam Fusniacum, Bernardo Patre Parisiis prædicante, imò & Mediolani agente sub Innocentio, Ramaldum in Abbatem nondum promotum, quos suis locis infrà demonstrabimus.

[g] in not. ad lib. 2. de apibus c.10.n.3.
[h] Exor.lib.6. cap.1.
[i] Seguin.li.3. virorum illust.cap.127.
[k] Fiteriens.in not.ad Exor. l.1.cap.3.

10. Quicumque autem Fusniaci primus Abbas, non solùm Patrem, sed & coadiutorem Bernardum expertus est, prophetiæ spiritu supplentem distantiam loci, & paternè per omnia prouidentem nouello gregi. Extat de hoc mirabile exemplum, à Guillermo sancti Theodorici memoriæ proditum, neque ab aliis acceptum, sed à se visum, quod non pigebit ad litteram transcribere. [l] *Aderat* (ait, scilicet Bernardo) *Monachus quidam Fusniacensis, continuò ad suos reuersurus. Cumque accepto responso super his, pro quibus venerat, iam ab eo egrederetur, in spiritu, & virtute Eliæ reuocans illum Propheta Dei, & nomine fratris cuiusdam de domo illa premisso, de occultis quibusdã, me audiente, mãdauit illi, vt ea corrigeret: sin autẽ, super se iudicium Dei in proximo expectaret. Stupefactus ille, quis hoc ei dixerit, requisiuit. Quisquis (inquit) dixerit mihi, tu vade, & dic quæ ego dico tibi: ne dissimulaueris, te quoque inuoluat pax pœna peccati.* Ita Guillelmus Abbas, qui testis aderat, de paterna Bernardi erga singulos Fusniacenses solicitudine.

[l] lib. 1. vit. c.13.

Celebris etiam in eodem Cœnobio fuit nouæ Ecclesiæ illius dedicatio excommunicatione muscarum miraculosa, & miraculo in prouerbium facto, quod idem auctor describit in hæc verba. [m] *Venerat aliquando,* (Bernardus scilicet) *Fusniacum, quæ est Abbatia vna de primis, quas ipse ædificauit, in Laudunensi territorio sita. Cumque noui ibidem Oratorij dedicatio pararetur, ita illum occupauerat muscarum incredibilis multitudo, vt earum sonitus, improbusque discursus grauem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit Sanctus: Excommunico eas. Et manè omnes eas mortuas inuenerunt. Cumque pauimentum omne operuissent, palis eiicientes illas, ita demum Basilicam mundauerunt. Hoc autem tam notum, & tam celebre fuit, vt inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo conuenerat, muscarum Fusniacarum maledictio in parabolam verteretur.* Hactenus ille in Notitiis Abbatiarum Cistercie nsium, editis nuper, Fusniaci fundatorem, & situm lego. *Fundante* (inquam) *Enguerano, domino Couzy, secundo lapide à Veruino, vbi pax conclusa inter Philippum Regem Catholicum, & Henricum Christianissimum.* Illustrauit Fusniaci initia Bartholomæus, Episcopus Laudunensis, relictis infulis, Monachum professus, progressus Alexander, Scotiæ Princeps, atque alij plures: quod suis locis cõmodiùs referemus. Sed de Fusniaci primordiis hæc nunc satis. De progressibus multa infrà dicemus. 11.

[m] lib.1.c.11.

Boni loci notitia minor nobis, nisi quòd tamen ex Dalone Monachos missos probat genesis Ecclesiarum Pontigniacensium. Vbi etiam Lemouicensis notata diœcesis condistinguit Cœnobium, ab alio Bono loco Burdegalensi, de quo inferiùs. Mirum, Claudium Robertum auctorem Gallum omisisse vtrumque, & solùm meminisse Boni loci in Lugdunensi tractu, Monasterij Monialium eiusdem sectæ. Interim adnoto ex cunctis filiabus Cistercij, Pontigniacum adhuc fœcundissimam, totidem quippe cum Claravalle genitis, sed auctam cœpte. Nec Morimundus hoc tempore vltra duas, aut Firmitas vltra primam prolem emiserant. 12.

IESV CHRISTI ANN. 1122.

CISTERCII ANN. 25.

1. *Amedei reditus nunciatus beato Ioanni:* 2. *à quo ei ad portam iniuncta pœnitentia,* 3. *repudiata, vt inferior,* 4. *& producta.* 5. *Abbatis sancti industria diu frustrata,* 6. *præualuit tandem, ac domum introduxit,* 7. *summa Amedei post reditum humilitas,* 8. *per Albionensem Comitem vulgata,* 9. *& in dies crescens,* 10. *Sed ipse quo humilior, eo venerabilior.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus vigesimus secundus, Cistercij vigesimus quintus, Amedei pœnitentiã memorabilis, quam inchoatam anno præcedenti, in hunc remisimus latiùs referendam. Igitur cùm venisset ad Bonamvallem, nec dignum se Sanctorum consortio reputaret, quos deseruerat; ante fores prostratus, atque ad exeuntium, introeuntiumque pedes prouolutus, discessum reditu, pœnitẽtia culpam, lenitatem humilitate compensabat, atque operibus, quam verbis satisfaciens, veniam in silentio, & spe præstolabatur. [a] *Nunciatum est autem* (ait auctor vitæ illius) *venerabili Abbati Ioanni, quòd Amedeus Altæripæ pro foribus adesset, atque corã cunctis ingredientibus Abbatiam, egredientibusque certatim metanias faceret, & humillimè veniam flagitaret. Super quo gauisus Abbas plurimum, Deo gratias retulit: & cõuocans fratres suos, vt de inuentione ouis perditæ mutuo sibi congratularẽtur, protinus cum quibusdam ex illis, ad videndum eum foras exiuit. quem videns Amedeus, pedibus eius, & cæterorũ, qui cum ipso erant prouolutus, se transgressorẽ, refractarium, atque præuaricatorẽ voce lachrymabili depromebat, atque vt sibi ignosceretur, deuotissimè supplicabat.* Hæc auctor ille reduci Amedeo.

[a] cap.6.

At Pater sanctus à terra hominem erigens, vultuque inter condolentem, & seuerum, consolari priùs, deinde etiam arguere, & desertionis culpam exprobrare, intimare pericula, mox detectis 2.

versutiis inimici suadere vigilantiam, cautelamque, demum ex morbo medicinam elicere, atque ex casu salutem præparabat. tum vt admissio, neque alios nimium facilis prouocaret ad culpam, aut difficilis reuocaret à pœnitentia. *Diem* (inquit) *hunc, & crastinum morabimini, hic satisfaciens amore Dei, pariter & timore; tertia autem die suscipiemini in Capitulo pro more Ordinis.* Hæc à venerabili viro Ioanne dicta, eisdem verbis placuit recensere, quæ ab auctore vitæ Amedei scripta inueniuntur, quo seueritate beati viri cognita, Amedei elucescat magis humilitas.

3. Ergo zelo iustitiæ accensus in seipsum, *Absit* (inquit, & hæc eadem verba sunt) *vt ego transgressor sceleratissimus, tam citò socier Monachorum Bonæuallis conuentui sancto. Hic mihi mansio erit, quoad vsque vt iniquitas mea, atque transgressio omnibus circum circa vicinis innotuit, sic pœnitentia etiam innotescat. Hic morabor pulsans, & de meis excessibus veniam deprecans. Hoc solum, si placet, à vobis impetrare merear, vt ad ianuam vestram inter mendicos, vestris eleemosynis pascar. Eritque hoc præstitisse satis, imò & super, cùm mihi immeritò nihil tale debeatur, quippe præuaricatori, atque degeneri, & diuinis muneribus ingrato. Hæc eo dicente, Abbas super tanta illius humilitate, ac cordis compunctione admirans, Deo gratias egit, seque, cum quibus venerat, in Monasterium recepit.* Sic Anonymus auctor, qui hæc scribit.

4. Qualiter autem hoc ipsum adimpleuerit, prosequitur, subiungens in hæc verba. *Amedeus autem mansit ad ianuam ingredientium, pariter & egredientium pedibus se prouoluens, flebiliter postulans veniam, & exinde emendationem promittens. Sanè cibos, qui sibi tanquam vni de Monachis quotidie exhibebantur, pauperibus erogabat. Et post communem conuentus refectionem, extra portam inter famelicos sedens, de fragmentis, quæ eis largiebantur, vnà cum illis corpus reficiebat.* Hactenus sumptum ex actis beati viri.

5. Duos dies pœnitentiæ Abbas iniunxerat; ille nec annos credebat suffecturos, & vel tot menses, quot absentia maculauerat, satisfactione piandos præparabat. Cùm ecce octo diebus iam transactis, Pater sanctus obserari ianuam iubet, alia longè distanti substituta, qua introeuntibus, exeuntibusque aditus pateret. Sic pia fraude humilitas delusa, sed probata in humilitate cõstantia nullis fraudibus cessit, vel iniuriis nullatenus cessura. Diem integrum ad interclusum ostium iacuit, satisfactionis opere fraudatus, sed non merito, quippe, in quo dolor de non satisfaciendo, satisfactionem pleniùs cumulabat. Tum subiit animum Abbatis sancti dolus, atque alibi reseratus aditus, qui sibi necessariò esset quærendus. Igitur surgens, & circumiens domum, atque obuios quosque sollicitè interrogans, tandem inuenit ostium substitutum. Ad quod prostratus, & terram lachrymis rigans, externæ diei damna compensabat, vt non immeritò beatus Præsul diceret, Abbatiam obsessam ab Amedeo, violentia humilitatis, & perseuerantiæ illius, non secus atque cœlum diripiendam. Sustinuit tamen adhuc dies quindecim, morem gerens illius piæ intentioni. *Quibus transactis* (inquit citatus auctor) *iterum venit ad eum foras, ingressum Monasterij permissurus. Cæterùm cùm ille adhuc recusaret, quasi nondum expleto lustrali tempore, venerabilis Pater dixit ei: Grande piaculum super nos, & super fratres nostros inducitis, & dum putatis satisfacere pro culpa discessionis vestræ, nouam, & forte maiorem inobedientia noxam incurretis. Cessate ergo ab huiusmodi satisfactionibus, prout à vobis fortassis inæqualibus; vt tamen innitamini meritis Christi, satis superque pro culpa, de qua doletis.* Hæc Abbas sanctus.

6. Cui cùm neque adhuc Amedeus consentiret, indignum se Sanctorum consortio reputans, enixè, atque humiliter efflagitans, vt illic sibi manere permitteretur, quoad tempus præfixum adimpleret. Venerabilis Pater nouo consilio: Eia, inquit, satisfaciamus ambo pariter, vt vel sic citiùs tempus compensemus. Dimissisque fratribus, qui eum comitabantur, mansit ipse Amedeo consatisfaciens; vterque pariter solo prostratus, vterque ad transeuntium pedes prouolutus, vterque exhibens signa contritionis. *Victus itaque* (pergit auctor vitæ) *venerabilis Amedeus hoc argumento, & quod minùs de sua, de sui Abbatis satisfactione præsumens, tandem se recipi in conuentu passus est, omnium Monachorum posteritati incomparabile relinquens humilitatis exemplum.* Hæc de Amedei reditu eius acta: insignem leuitatis notam in tanto viro, sed insigniori lustrantia satisfactione.

7. Iam verò post ingressum qualis fuerit, qualiterque profundam humilitatẽ, quam exteriùs ostenderat, perseuerantia interiùs consummauerit, pergunt eadem acta ita describere. [b] *In tempore illo domus Bonæuallis erat adhuc pauper, & modica: nec Monachorum calceamenta, vrgente penuria, porcina vngebantur axungia. Sed fiebat confectio quædam fœtidissima, de Alpinarum ouiũ lacte, sagimine, & de adipe suillo, admixto sebo, & cinere, quam vulgò charnilium vocant. Et ex illa putenti confectione tam Monachi, quàm conuersi, omnisque familia perones suos perungebant. Visum est autem Amedeo valde inhonestum, & inconueniens, quòd Sacerdotes tam fœtentem axungiam propriis manibus pertractarent, quibus sacrum sanctum corpus Dominicum quotidie tenebant. Petiit itaque ab Abbate, vt omnium Presbyterorum calceamenta sibi liceret inungere. Quod quidem prima petitione impetrare non potuit: sed tandem importunis precibus ipsius victus Abbas, quod flagitabat, ei concessit.* Sic vir illustris, & quo illustrior, eo humilior, Sacerdotium, quo carebat, venerabatur. Et dum suæ vocationis etiam superabundanter adimplet numeros, humilitate ministerium compensabat, quippe homines ad Sacerdotium promoueri dignitatis est, atque ea parte multis in appetitu: sed virum Principem capacem totius gloriæ, ad vilissima ministeria deprimi, in abiectione positum; quo repugnantius generoso animo, eo apud homines prorsus mirabilius; apud Deum, fortasse fructuosius, certè eximiè acceptabile inuenitur.

b cap. 7.

8. Egregium hoc humilitatis exemplum, intra claustra conclusum, admirandum, imitandumque hominibus, voluit Deus diffundi per totam Galliam, atque Germanos, & Belgas penetrare, quippe Guidone Albionensi Comite, Amedei auunculo, vulgante, quod ipse viderat. Rem idem auctor qui suprà ita prosequitur. *Igitur die quadam cùm Amedeus hoc opus sibi specialiter iniunctum perageret, contigit vt Guido Comes Albionensis auunculus eius, gratia videndi eum ad Bonamuallem veniret. qui postquam hospitium more in Ecclesia cum comitatu suo breuiter orauit, mox vt nepos suus sibi ostenderetur, rogare cœpit. Ad nutum itaque Prioris iubetur Amedeo, vt ad videndum auunculum suum properet. Ille donec opus suum perficiat, inducias petit. Cæterùm cùm plus nimio moraretur, impatiens Comes perrexit ad locum, vbi calceamenta vngebat. Videnśque eum manicis ad cubitos vsque retractis, totum madefactum sudore, & tam laboris fatigatione, quàm ignis ardore æstuantem, lachrymari cœpit.*

Eleuatisque manibus in cœlum, atque vehementer compunctus, omnipotenti Deo gratias egit, quòd homini de stirpe generis sui claro, potenti, diuiti, tantam humilitatem ineffabili pietate sua contulerit. Et exiens inde silenter, ne scilicet ab Amedeo audiri, aut videri posset, ad hospitium rediit, & ibi aduentum ipsius præstolabatur, donec expleto per eum calceamentorum opere, desiderato colloquio frueretur. Amedeus autem postquam omnium omnia calceamenta perunxit, manibus lotis, vt sibi fuerat imperatum, ad videndum auunculum suum exiit. Comes vt vidit, in amplexus viri ruens, sed veneranti propior, quàm colloquenti, dulci illius alloquio paululum perfruitus est. Nec ausus diutius cum illo detineri, ipsius orationibus intentiùs se commendans, ascenso equo suo, remeauit ad propria, quominus capiens, eo magis diffundens, quæ a viro Dei exempla virtutum hauserat. Proprios calceos Bernardo consuenti Dæmon inuidit, atque opus dissuasit, quanta vi potuit, (quod nos etiam dicemus suo tempore,) sebo inungentem irrisit apud [c] Cæsarium. Amedeo non proprios, sed alienos; nec consueuti, aut vngenti sebo, quod paulo mundius; sed immundissimo illo vnguento, & fœtidissimo, quas non difficultates opposuisse eredendus est? Quibus non modis ipsum perturbasse? Et excellebat in Amedeo generis claritudo, & rerum mundi vsus, potentiaque, per suorum obsequia altiùs impressa, forte & genium impentius repugnabat.

c lib. 4. exem. c. 7.

9. At ille non consensus tantùm in se castigans, sed occasiones, atque has non superans solùm, quia præueniens, opprimendæ passioni, si quæ emerlit, fœtoribus fœtores, immunditiis immunditias superaddidit. Nam & fœtidos infirmorum pannos lauasse legitur, neque id semel: &, quod mireris, vel in quolibet conuerso, cloacas ex defectu aquæ odore graues, atque saluti noxias æstiuo tempore, humilis per seipsum emendasse. Eumdem auctorem, qui eius vitam scripsit, familiarem ipsius audiamus. [d] *Præterea* (inquit) *æstatis tempore cum fluuius, qui Monasterium præterlabitur, continuis Solis ardoribus attenuatus, cloacarum stercora abluere minimè præualeret, & fœtor intolerabilis ex conglobatis sordibus exhalans, incolumitati habitantium perniciosus foret; post sextam Monachus, iuxta Ordinis consuetudinem, in stratis suis quiescentibus, sanctissimus Amedeus scapulari indutus, officinam immundam subintrabat. Sumptoque fossorio, aquas congerebat in riuulum, cui simi aceruos, ac fœtentia quæque pala exponens, quantum admittebat possibilitas, cloacas decenter mundificabat. O admirabilem virum, per quem nobis tot, & tanta coruscant humilitatis exempla.* Sic ille vidit, sic refert, sic exclamat.

d cap. 3.

Porrò Amedeus de admissa semel culpa, quantumuis iam dimissa, æternum dolens, atque indefessè cunctis satisfaciens, vt humilitate profundus, sic dilatatus spe, sic firmus fide, sic charitate sublimis procedebat, Deo simul atque hominibus dilectus. Apud quos tamen inter hæc ipsa opera abiectionis, tantam venerationem adeptus est, vt loco Patris à cunctis haberetur; neque illi (quod rarissimum est) aut humilitas auctoritatem, aut auctoritas gratiam diminueret. Venerabantur qui Magistrum, & Ducem olim, qui tunc socium, & fratrem, demum qui discipulum, & filium agnoscebant: Petrus præcipuè, quo cunctis aliis sanctior, eo ardentiùs Amedeum diligens, & reuerens illius sanctitatis. Qualiter autem sub finem huius anni, Monachorum in Bonavalle crescente numero, Amedeus idem à beato Ioanne missus, Abbatiam, quæ Mansiade dicitur, fundauerit, statim aperiam. Nunc quia de Petro fecimus mentionem, pauca de ipso, quædam de eius familia subiiciamus. 10.

---

1. *Petri Bonævallensis mores, & indoles: 2. familia tota Cistercio consecrata: 3. primum vterque parens, fraterque: 4. mox etiam soror. 5. Bonævallis ad hunc annum sterilitas, 6. Ioannis, & Amedei cura fœcundata. 7. Acquisita ab hoc prædia, & possessiones; 8. & demum Monachi Mansiadem transmissi.*

CAPVT II.

1. PEtrum, Lambertumque fratres suprà diximus, recèns fundatam domum Bonævallis adiisse deuotos, diuino in ea seruitio mancipandos. Lambertum quidem, à Petro fratre tractum, Petrum non tam vocatum à beato Ioanne, quàm à Patre transmissum, vt vocaretur. Igitur probationis impleto anno, consecratus vterque votis solemnibus, vterque religiosus, vterque humilis: sed Petri indoles maiora portendebat. [a] *Nec longè post* (inquit Abbas Altæcumbæ) *quam Petrus noster tyrocinij sui tempus expleuerat, reuerendissimus Abbas Ioannes intelligens, quoniam vas electionis est iste, per diuersos eum gradus ad officia diuersa promouit; semper seipso inueniens, quanto perfectiorem, tanto humiliorem.* Ita Ganfridus Abbas de Petri indole.

a c. 2. in fine.

2. Reliquerat ille in sæculo parentes verè sanctos, viros vtique misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acciperent, & sanctitate ad filios deriuata, in quorum semine bona permanerent, quòd ipsum forte, Lambertumque à sæculo traxerat. Reliquerat & minorem natu fratrem, sororemque: nec satis a se factum iudicabat, si non omnem familiam Cistercio dederet. Et erat iam in illo territorio Cœnobium virginum (sancti Pauli nomen loco) Cisterciense institutum æmolantium: ignota nobis adhuc fundatione, sed tunc recenti, quippe ad instantiam fundatorum adhuc viuentium, Petrus senior post solennia vota emissa, Prior eiusdem loci est constitutus. Hoc secundum Sanctimonialium Cisterciensium collegium est, cuius mentionem inuenio apud auctores, expressiori, quàm in primo notitia Ordinis, quod mox videbimus.

Igitur Petrus parentes priùs aggressus, mox Andream fratrem, tandem sororem, omnes secum traxit, idque ante annum millesimum centesimum vigesimum octauum, quo ipse Stamediensi Cœnobio præfectus fuit: incertum quo ex his, quos nunc transcurrimus. Rem ex Abbate Altæcumbæ, accipiat lector. [b] *Prius quàm vir sanctus officio fungeretur Abbatis, vtrumque parentem de sæculo nequam eripuit; fratrem vero se minorem Andream ad Iesum Petrus trahens, recompensauit quodam modo, quod primum Petrum adhuc Simonem ad eumdem præueniens, frater eius Andreas adduxit. Hic itaque Patrem in Bonavalle constituit: matrem in Collegio Sanctimonialium fœminarum,* 3.

b cap. 18. in princ.

loco qui dicitur sancti Pauli, pro facultate sui sexus, & supra Cisterciensis emulantium Ordinis instituta. Cui adhuc nouella plantationi ad fundatoris instantiam, & praeceptum Abbatis sui senior Petrus pluribus annis profuit magis, quàm praefuit. Ita Ganfridus de vtroque parente, & fratre Andrea.

4. Porrò sororem etiam sanctimonialem in eodem sancti Pauli loco egisse, inde colligimus, quòd post annos aliquot, cùm Bitumem Coenobium eiusdem instituti in dioecesi Tharantasiensi fundaretur, ex loco sancti Pauli simul cum matre translatam historiae produnt, vt suo loco nos etiam adnotabimus. Sic sanctus vir, ad exemplum Bernardi Patris, totam suam familiam post se traxit. Quin & ex consanguineis suis plures, vt dicemus agentes de Bitumine. Interim videat Lector, perpendatque, iam tunc crescentis Cistercij progressus faustos, initiis suis in omnibus persimiles, quippe vt non vnius hominis opus, sed multorum, trium vt minus Sanctorum zelo illustrium, seu integri conuentus, vt meliùs dixerim: sic incrementis non singulae personae, sed integrae familiae; nec Monachi, sed Monasteria contulere. Familias integras in Bernardo, in Amedeo, in Petro vidimus Coenobia, & congregationes Coenobiorum, neque exiguas infrà videbimus.

5. Interea Bonavallis in cunctis aucta, quippe viris sanctissimis abundans, quae praecipua possessio Monasteriorum, nec temporalibus omnino destituta, ac demum fundatore gaudens Summo Pontifice: sterilitatis nihilominus damna, inter sorores foecundas patiebatur, nulla adhuc post quatuor annos suscepta prole. Sterilitas charitati imputabatur, cunctis nimirum inter se, & Abbati sancto, tam stricto amoris vinculo vnitis, vt nihil magis timerent, quàm separari, si possent, sola morte diuidendi. Sed neque suberant adhuc facultates, quibus duabus familiis prouideretur. Vrebat nihilominus zelus venerabilem Ioannem, & se seruum inutilem plorabat, qui talentum commissum abscondisset, quandiu non aliud superlucrabatur. Ergo Amedeus, quo erat ingenti animo, atque ad omne opus arduum satis procliui, consolari Abbatem, vrgereque, ac Dei auxilium votis repromittere. Iam Bonamvallem tot Monachos non capere, & inter ipsos adultae virtutis plures, queis posset noua domus commodari. Non abscondendam sub modis lucernam illam, neque in vna prouincia concludendam. Cunctis regionibus Cistercium institutum, & ciuitates refugij ex eo deberi, ad quas aditus pateat vicinis populis. Non facilè diuellendos filios à gremio Patris, sed diuellendos tamen, quo Paracleti, id est, consolatoris superuenientem gratiam consequantur: sic olim etiam Apostolos à Christo, quo amantiores, eo obedientiores. Denique nihil esse, quo retardentur: eligat locum, ac sibi onus imponat, se nouo operi, se quaerendis impensis, se cunctis necessariis affuturum.

6. Sensit vir sanctus Sanctum à Deo motum, nec resistendum spiritui, qui loquebatur. [c] *Et quia iam pridem* (Amedei acta loquuntur) *ad tale opus adspirauerat, gauisus est valde quòd desidery sui talem & socium inuenisset, & adiutorem. Igitur omni haesitatione postposita, cunctas difficultates Dei prouidentia committens, locum quaesiuit, inuenitque in Episcopatu Bituriensi, inter Montana, vallem quandam remotissimam, cui antiquitas nomen imposuerat, Mansum Ada. Hanc vir sanctus ab his, de quorum dominio erat, pro amore Dei, & animarum suarum salute petiuit, & impetrauit construendo Coenobio.* Hactenus acta. Tunc venerabilis Abbas Bonamvallem reuersus, ac locum ipsum fratribus describens, horridum adhuc, & inuisum, sed opportunum: non conuentum statim, vt aliàs factum, sed Amedeum, vt antea proposuerat, cum paucis & rebus, & sociis illius direxit; culturum terram à veprtibus purgatam, & Monasterium aedificaturum. Pergit autem auctor vitae Amedei, de hoc aduentu scribens, in haec verba. [d] *Qui veniens in locum vastae illius solitudinis, quemadmodum in Bonavalle didicerat, inculta coepit excolere, succidere syluas, dumeta extirpare, atque extruere hortos, arboresque generis diuersi plantare. Et licèt ipsi, & his, qui cum eo erant, pauca sufficerent, quotidie tamen magnis laboribus insudabant, vt venturis necessaria prepararent. Praeterea terrae illius proceres, & nobiles quique, qui Amedei generositatem, & claritudinem, antequam ad religionem adueniret, fama diuulgante, cognouerant; admirantes viri nobilissimi humilitatem, se, & sua ipsius seruitio, & vtilitati prompta deuotione exponebant. Grauisque criminis se reum arbitrabatur, si quis Amedeo quidpiam denegabat. Alter ergo syluas, & pascua, alter vineas, alter terras cultas, incultasque, ad construendas grangias, vnde victus, & vestitus Monachis prouenirent, pro salute sua, & suorum deuotissimè erogabant. Videres terrae illius viros potentes certatim concurrere, vt Amedei orationibus participantes, largitione quoque bonorum suorum in eodem loco memoriam sui possent relinquere . . . Factum est autem, diuina fauente clementia, vt aedificialis fabrica multorum capax habitatorum in Manso Ada citiùs consurgeret; multiplici quoque supellectili, ac diuersis possessionibus locus idem in breui ditesceret.* Hactenus ibi de fundatione primae filiae Bonaevallis per Amedeum, atque eius non exigua dotatione.

c cap 9.

d ibidem.

Memoriae tamen idem auctor prodit, *quòd quia terra illa, in qua Abbatia construebatur, accepto semine, agricolam suum fructu defraudabat, longè inde in terris fertilibus possessionum beneficia, pia solicitudine conferebant. Fertur enim Mansum Ada, arida tellus acceptam sementem sepiùs gramine laeto producere; quod tamen niuium ibi decidentium, & gelu asperitate excoctum, molli spica, spe fructus fallit serentem. Proinde Amedeus cura peruigili satagebat alias agrorum possessiones accipere, vbi fertilis gleba cultorem suum turgentibus aristis locupletaret.* Haec auctor ille: quibus Amedei non solùm solicitudo innotescit, sed prouidentia. 7.

Ergo ipso reuerso in Bonamvallem, quod vt citissimè, hoc anno factum credimus, non priùs expediendis quae praecesserunt, atque nunciante cuncta iam parata, imò perfecta, fructusque in horreis mittendis abundare; duodecim Monachorum conuentus, tertiò decimo Abbate adiuncto, illuc à beato Ioanne directus est, Amedeo eius iussu docente agmen. Nomen Abbatis ignotum nobis adhuc: Monasterio ex loco ipso petitum, & Mansiadae, quasi Mansum Adae, dictum prisco vocabulo. Porrò Amedeus, introductis in eo fratribus, ipsius sudoris fructu fruituris, cùm omnia iam reliquisset beoè composita, ad Bonamvallem rediit; solum laborem suam partem reputans, laboris fructum aliis derelinquens. Id auctor vitae eius bis verbis narrat. *Quò postquam peruenerunt, Amedeus, traditis vniuersis in manus illorum, ac possessionibus acquisitis diligenter assignatis, tempore modico conuersatus cū illis, quasi apes ad alueare, diuersorū florum collecta dulcedine, apes quidem ipse prudentissima,* 8.

diuer

diuersarum virtutum fartus suauitate, in Bonamuallem remeauit. Subdit prætetea rationem, propter quam, tam in hac, quàm in aliis Abbatiis (nam quatuor condidit, vt suis locis videbimus) post introductum Abbatem, & conuentum, non acquiescebat diutiùs commorari. *Ne videlicet ab Abbatibus, aut Monachis, vt locorum fundator, & quasi paterfamilias veneraretur.* humilis quippe, & verè honorem fugiens, vel sibi debitum etiam recusabat. Sic Ioannis, Amedeique Sanctorum mutuo iuuamine, huius nimirum labore, industriáque, illius verò imperio, & directione, prima hoc anno Mansiadæ surrexit, viuo Calixto, & suæ plantationis fruente fœcunditate. Atque hæc illa ipsa domus est, quam anno Christi M. CXIX. Chronologia designat, coæuam parenti, sed rebus ipsis plane repugnantibus, vt tota historiæ series manifestat.

---

1. *Fridericus Arnaldum ad se vocat*, 2. *Monachos condendo Monasterio petit, & impetrat.* 3. *Arnaldi prædicatio, redituśque*; 4. *transmissi Monachi*, 5. *locati, atque dotati.* 6. *Gasparis Bruschij discordantia de fundatore.* 7. *Campi fœcunditas*, 8. *& primitiua sanctitas*, 9. *triplici exemplo*, 10. *ex Cæsario manifestata.*

CAPVT III.

1. DVbia hoc anno, & fortè differenda Mansiadæ initia, certus veteris Campi ortus sequatur, primæ domus Germaniam illustrantis; nec multo pòst complures genitricis. Fundator Fridericus primus, Coloniæ Pontifex; qui ne eius diœcesis Cistercio fraudaretur, ascito è Morimundo Abbate Arnaldo, quem fratrem diligebat, & virum sanctum reuerenter venerabatur, ex propria domo Monachos petiuit, à se struendum Cœnobium habitaturos. Annuit Arnaldus, & fratri morem gerens, gaudensque rogari, quod exoptabat, fundationem acceptat, & se conuentum missurum repromittit, cùm primum Morimundum reuerteretur. Vtrumque habemus ex eodem Friderico, litteris in hunc modum expeditis, quas Aubertus Miræus Bruxellensis, vir de ecclesiastica historia optimè meritus, ante non multos annos euulgauit. [a] *Fridericus* (inquit *Dei gratia Archiepiscopus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, ascito fratre Arnulfo, viro religioso, qui quondam nostræ matris vbere lactatus, in virilis iam animi robur euaserat; contemptoque mundi flore, Morimundensi Ecclesiæ præerat, inter cætera, vt aliquos de grege sibi credito, suæque professionis Monachos ad nos transmitteret, petiuimus, & obtinuimus.* Hæc de Arnaldi Abbatis, quem Arnulfum appellat more Germanico, ad Coloniam aduentu, & promissione conuentus transmittendi.

[a] in notit. Ecclesiar. Belgicarum fol. mihi 114.

2. Tunc per vtrumque lustrata confini terra, & loco in ea inuento satis apto (veteri Campo nomen) ad quamdam Friderici curiam pertinenti, fundamenta ædificij iacta sunt, breui in insignem Ecclesiam surrectura. Verùm Arnaldus mittendorum fratrum supplendo numero, an animarum zelo, atque Patris Bernardi imitatione, prædicationis, qua nimium præcellebat, rete in capturam laxans, non paruam cœpit rationabilium piscium multitudinem, secum adducendorum ad Morimundum, vbi sub eius ductu militarent. In his Conradus morum suauitate, & generis splendore illustris, ingentis spei iuuenis: quem tamen (quæ multorum hominum conditio est, de salute suorum, velut de graui iactura, condolere) *non sine scandalo tulit de Colonia.* Bernardi verba sunt, ad Brunonem de Arnaldo ipso scribentis. quippe tota familia, fortè & stirpe tota, lachrymante, ereptum laqueis, quibus ipsi implicabantur.

epist. 6.

3. Ergo agmen ducens, reuersus Morimundum, & sedes prius supplens, quàm euacuans; post omnes eos admissos ad probationem, venerabilem Henricum prouectæ virtutis virum, in Abbatem præfecit, ac duodecim Monachis adiunctis, remisit fratri, in Campo veteri per ipsum collocandos. Ioannes Ditmarus, ex Chronico Campensi transcribens singula, simulque tempus signans, succinctè, & breuiter. [b] *Anno* (inquit) *M. CXXII. Fridericus primus Archiepiscopus Coloniensis fundauit in sua diœcesi Abbatiam veteris Campi, primo Abbate Henrico, cum duodecim fratribus, ex Morimundensi Cœnobio euocato, vt tradit Chronicon eiusdem Monasterij.* Hæc pauca Ditmarus, cui cæteri consentiunt. Nec de tempore dissentit Chronologia, quæ hoc solo Cœnobio illustrat præsentem annum.

[b] in Chronic. hoc anno.

Monachos Coloniam appulsos, ante fabricæ inceptæ consummationem, magnum Chronicon Belgicum affirmat, sed benigoe susceptos à Friderico, atque in palatio suo tandiu retentos, quandiu Cœnobium non valuit habitari. Referam eius verba, quia satis breuia, & præcedentia per omnia confirmantia. [c] *Monasterium* (inquit) *Campense Ordinis Cisterciensis instituit* (scilicet Fridericus) *ac sibi conuentum duodecim Monachorum cum Abbate, a fratre suo Morimundensi Abbate mitti mandauit. Quos missos benignè suscipiens, in palatio suo Coloniæ tandiu retinuit, donec eis de loco congruo prouidit.* Ita ex Chronicis Pontificum Coloniensium, qui magnum illud Belgicum concinnauit. 4.

[c] in Chronic. mag. Belgic. hoc ann.

Cæterùm eumdem Fridericum, non solùm locum, & in loco ædificium suis expensis, sed etiam territotium per modum dotis liberum, & exemptum contulisse, ex superiùs citato eius diplomate, indubitata fide videre liquet, sic enim pergit. *Quos* (scilicet Monachos ex Morimundo adductos) *in loco solitario, qui Campus vulgo dicitur, collocauimus. Quibus etiam, suisque successoribus, beati Benedicti regulam pari ordine, id est, secundùm instituta Cisterciensium, seruantibus, locum prædictum, tam à Curia nostra Berke, ad quam pertinere videbatur, quàm ab incolis eiusdem loci absolutam, cum omni decimatione, & vtilitate concessimus, & tradidimus.* Hæc ipse, qui fundauit, dotauitque. Et dotationem ex se satis opimam, fauore Principum in dies paulatim auctam, notauit Bruschius statim referendus. 5.

Verùm hic auctor, nam id etiam notabo, seu Archiepiscoporum Coloniensium inuertens seriem, seu Fridericum binomium assequutus, aut faciens, veteris Campi hoc anno fundati gloriam Hermanno tribuit (nec dubium, quin de eodem loquatur, vt aliæ circunstantiæ conueniunt) in hæc verba. [d] *Hic quoque Hermannus Monasterij veteris Campi, Ordinis Cisterciensis auctor fuit,*

[d] in epitom. Archiepis. & Episc. German. vbi de Colonia.

anno M. CXXII. Cum enim diœceseos suæ finibus, in inferioribus partibus congregationem religiosam instituisset, voluit ibi agere homines planè modestos, prorsusque religiosos, quibus de prouentibus ipse satis abunde prospexit. Primum ibi Abbatem constituit Dominum Henricum, quem cum duodecim fratribus ex Morimundensi Cœnobio euocauerat. hoc Monasterium Principum fauore, paulatim celeberrimum euasit. Hæc Gaspar Bruschius io omnibus conformia, sed solo auctoris nomine diuersa ab his, quæ cæteri alij prodidere.

7. Monasterium mutuatum à loco nomen, addita tantùm Mariæ aduocatione, & potuissent dixisse Campum fertilem, innouato vocabulo, à numerosa in breui edita prole. Genesis Ecclesiarum Morimundensium, à reuerendissimo Abb te Cistercij nobis transmissa, quinque filiabus auctom, Valle Brurch, VValkenrode, Amelongesborne, Heresmerusid, & Lapide sancti Michaelis: alia exemplaria tres alias superaddunt, Nouum campum, Coronam sanctæ Mariæ, & Montem Dominæ nostræ. Porrò ex his, neptibus, & proneptibus susceptis, in tantum creuit, vt Aubertus Miræus de Campo agens, ad septuaginta, aut circiter Abbatias illi subiectas tradat, nulla filiarum, & neptium distinctione. Atque en eius verba. [c] *Huius celeberrimi Monasterij Abbati parent circiter septuaginta, tam virorum, quàm fœminarum Cœnobia per VVestphaliam, & inferiorem Germaniam.* Ex his à nobis aliquot inferiùs suis locis, ex more, notanda erunt.

c in Chron. Cister. hoc ann.

8. Veteris Campi, aut Campi (nam idem prorsus) frequens mentio in Cæsario Heisterbacensi, variis productis exemplis, & miraculis, quæ singularem Dei prouidentiam erga fratres illius, lætis tristia permiscens, manifestant. Ex his vnum, aut aliud incerti temporis, sed concernentia initia tenellæ dominus, non abs re erit ipsius verbis referre. [f] *Conuersus quidam de Campo sanctæ Mariæ, cùm in quadam solemnitate peteret à Magistro suo licentiam eundi ad Monasterium, gratia communicandi, & ille non concederet, cæteris euntibus ipse tristis remansit, habebat enim maximum desiderium communicandi. Eadem nocte, & sequenti die omnia, quæ intra Monasterium spiritualiter agebantur, diuinitus ei sunt reuelata: & licet absens esset corpore, spiritu tamen præsens fuit, communicans spiritualiter, etsi non sacramentaliter. Reuersis fratribus, ipse eis per ordinem indicauit, quis Missam maiorem celebrasset, quis legisset Epistolam, quis Euangelium: similiter ad vigilias, qui Monachi, quas lectiones, vel quæ responsoria cantassent, cunctis mirantibus exposuit.* Hactenus Cæsarius de Sancti huius conuersi consolatione.

f lib. 9. c. 45.

9. Verùm qui ardenter amantem consolabatur, tepidos etiam acriùs castigabat, in propriam, atque aliorum emendationem. Audi ingens, stupendumque miraculum, quod noo ab alio, quàm ab Abbate Cœnobij se accepisse, idem auctor testatur, dum ita ait. [g] *Vix sunt duo menses elapsi, quod Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valde. Nocte quadam, cum ex more dormiret aliis psallentibus, crucifixus de altari venit, dormitantem excitauit, & cum tanto nisu maxillam eius percussit, vt infra tertium diem moreretur.* Sic, sic, quos diligebat, corrigebat, atque errantibus pœnitentiæ tempus indulgens, cæteros & feruoris commendabat, atque ad perseuerantiam hortabatur.

g lib. 4. c. 38.

At quam miserè io eadem item domo conuersum alium decipi permiserit, ret endis his, qui deuij à vocatione, ex conuersis Monachi, ex laicis Clerici, litterati ex idiotis fieri ambiunt, quia non parum receptum nostris temporibus est, iisdem verbis ex eodem auctore sumptum vltimam manum imponet præsenti capiti. [h] *In Campo,* ait *domo Ordinis Cisterciensis, quæ sita est in Episcopatu Coloniensi, sicut audiui a quodam Sacerdote Ordinis nostri, homine veridico, quem res non latuit, conuersus quidam fuit, qui a Monachis, cum quibus loquebatur, in tantum litteras didicerat, vt textum legere sciret. Huiusmodi occasione illectus, & decepeus, libellos sibi ad hoc idoneos occultè fecit conscribi, cœpitque in vitio proprietatis delectari. Cumque huiusmodi studium eidem conuerso, ad hoc nimis conuerso, prohiberetur, amore discendi, apostasiam incurrit, modicum tamen propter ætatem profecit. Deinde ad Monasterium pœnitentia ductus rediens, & hoc vsque tertio actitans, nunc ad scholas sæculares exeundo, nunc reuertendo, Diabolo copiosam in se præbuit materiam decipiendi. Visibiliter enim illi apparens in specie Angeli, ait: Disce fortiter, quia futurum est, & à Deo diffinitum, vt Halberstadensis fias Episcopus. Stultus ille Diaboli dolos non obseruans, sperabat in se antiqua renouanda fore miracula. Quid plura? Die quadam seductor conuerso se ingerens, clara voce, & hilari facie, dicebat: Hodie Episcopus Halberstadensis defunctus est; festina venire ad ciuitatem, cui à Deo Antistes destinatus es, ipsius enim consilium mutari non potest. Statim miser de Monasterio silenter exiens, nocte eadem in domo cuiusdam honesti Sacerdotis iuxta oppidum Xantense hospitatus est. Vt autem gloriose ad sedem suam veniret, nocte ante lucem surgens, equum hospitis valde bonum strauit, capam eius induit, ascendit, & abiit. Manè famula domus, damno cognito, apostatam insequens apprehendit, a qua ad iudicium sæculare cum furto tractus, & per sententiam damnatus, non cathedram vt Episcopus, sed sicut fur patibulum ascendit.* Hactenus ex Cæsario, qui plura alia: sed nobis hæc de Campo dicta sufficiant. Robertus Miræus [i] in suis Ecclesiarum Belgij notitiis scribit augmentum dotis veteris Campi, quod facilè apud ipsum videri potest. Et sunt, [k] qui putent illustrasse hoc Cœnobium S. Bernardum, Comitem de Lipia: de quo plura in sequentibus dicemus. 10.

h lib. 5. [...]

i cap. 1: [...]

k Menolog. Januar. 3.

1. *Alfonsus Lusitanus Tarouccam visitat.* 2. *Monachum sibi ad prælia dari petit.* 3. *Aldebertus concessus, cum cruce ænea,* 4. *& obtenta victoria illius precibus.* 5. *Inde ab eius absentia sequuta strages, reparata præsentia.* 6. *Diploma Alfonsi testantis beneficium,* 7. *& Basilica structa eius impensis.*

CAPVT IV.

1. DVm hæc in Gallia, Germaniáque agerentur, pergit [a] Briro describens, quæ in Hispania. Albucasano pacis Augustæ Regulo (hodie de Badajoz) Lusitanorum fines inuadenti, Alfonsus Princeps obuiam ire parat, collectis copiis, illis præcipuè, quæ inter amnes Dorium, Miniumque (tunc robur gentis) & bello, & pace firmiores habebantur. Tum Lamacam exercitum deducit; inde ad Trancosum, quod oppidum obsederat Maurus, petrecturus. Ea occasione paucis comitatus, ad sancti

a lib. 1. cap. 4.

sancti Ioannis digreditur Cœnobium, Monachorum iuuandus orationibus, ac Deum per ipsos interpellaturus. Parua tunc domus lignea, terreaque; & vix bimine, aut culmo cooperta: sed sub humili tecto immensa virtus, Angelicaque virtus refulgebat.

2. Dux Lusitanus sanctitate hominum motus, Monachum sibi dari postulauit, quo leuante ad cœlum manus in oratione, velut altero Moyse, ipse velut Iosue in hostes irrueret. At Boëmundus, non tanti suos apud Deum meriti esse, quibus victoria tutò committatur, vel si quid possent, in Ecclesia, cunctos vnitos singulis fortiores. Quid Monachis cum turba militari? Quid cum exercitu? Mansuros intra claustra potiùs omnes, atque ieiuniis, orationibus, vigiliis, hymnis, imò & Psalmis præliaturos. Castra Dei esse, vbi laudes Dei sonant; atque castrorum choros nuncupari, quia hostes fugant. Hæc arma, si quæ, propria Monachorum; cætera militum: & vt his acies, illis claustra, & chorum, extra quæ, vtraque minorem vim obtineant.

3. Alfonsus contrà, hæc omnia integra fore, quantumuis vnus sibi concedatur. Illius præsentia firmandos animos militum, & Dei oculos ad castra conuertendos. Vnius ob meritum, differri vltionem scelerum, quæ vel plurimos alios comprehendant. Mansisse Sodomam, mansisse Gomorrham, dum Loth in illis, ab eius discessu statim comburendas. Mansurum etiam Lusitanum populum, & infidelium acies deuicturum, si Tarouensis quicumque illi assistat, per quem vltio diuina suspendatur. Denique se fidentibus, atque eo audentiùs præliaturum, si Deum sibi præsentem videat, in suo famulo. Igitur Aldebertus Prior electus est, qui Principem in bello comitaretur; vir planè sanctus, & in fide potens, dilectus Deo, venerabilis hominibus. Addita ænea crux, Bernardi Patris munus, ex Claravalle adductum in Lusitaniam, signum salutis, & symbolum victoriæ. Ea crux Principi pro vexillo fuit, Adebertus pro copioso militum numero.

4. Sic auspicato bello, ad suos rediit, ingens animo, & victori similior, quàm præliaturo. Cum ecce hoste quominus conspecto: nec quidquam aliud nisi hostis conspiciebatur, adeò montes, & valles operuerat Paganorum ingens multitudo, lento gradu, atque instructa acie appropinquans, nihil tale opinantes Mauros aggreditur, plures numero, & despicientes fidelium paucitatem. Pugna in ancipiti diu visa est, multis quamuis occisis, sed pluribus substitutis ex aduersariis. At vicit tandem Aldeberti pia oratio, & plus illa, quàm armis factum esse, probauit euentus. Vix mortuos spoliare sufficiebant, quos viuos oppresserant: nec satis erant exangui multitudini, quam repugnantem potuerant debellare, quippe vincentibus aderat oratio viri sancti, spoliantibus sola fortè cupido præerat.

5. Dubium, fortasse Aldeberti auxilium in hoc opere, si non ipso absente, sors inuersa, atque nostris victoria denegata, redito, restituta comprobaretur. Fugitiuos, qui in agmen coadunati, minora oppida, agrosque vastabant, Alfonsus Princeps persequi decreuit, suæ victoriæ reliquiis fruiturus. Neque ea res adeò ardua visa est, quæ Aldeberti præsentiam postularet. Sola crux ænea delata pro vexillo, sub quo exercitus Christi, ipsius nominis hostes persequeretur. Res mira, & supra captum humanæ mentis. Pauci infideles, & recenti clade territi, strauere victores: & Lusitani, qui nuper integros vicerant, fragmento enerui, & victo concessere. Quin & crux ænea amissa in ipso prælio, quasi vexillis captis, vltima victis fugiendi occasio fuit. Agnouit Dux Lusitanus absentiam viri, atque eo minus stragem suorum doluit, quo certiùs nouerat per ipsum reparandam. Ergo sequenti die, Aldeberto vocato, oranteque, qui victor heri à victis victus fuerat, hodie victus victores superauit. Victoriam partam ad ripas fluuij Taboræ, erecto ponte ex lapide quadrato, sed sine calce, perennauit Alfonsus: auxilium Aldeberti, litteris datis, quæ rem testantur, gratiamque rependunt, donato Monasterio sancti Ioannis. Vtrumque antiquitatis monumentum, hodieque permanere Brito affirmat: pontem defectum, sed refectum recenti opere: diploma integrum, atque ipsa corrupta phrasi, antiquitatem præferens, vt non dicam barbariem illius temporis. Exemplar litterarum ab eodem auctore transcriptum accipiat lector.

[b] *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris,* 6.
Fily, & Spiritus sancti. Ego Alfonsus Portugalensium b lib.2.cap.4.
Princeps victoriosissimus, Comitis Henrici, & Reginæ Tarasiæ filius; Magni quoque Alphonsi Imperatoris Hispaniarum nepos, notum facio præsentibus, & futuris, quod Rex Albucazan, Rex de Badalhouce venit cum sua gente destruere nostras terras, & circumdabit Trancosum, & multa alia castella de mea terra depopulauit, & leuauit captiuos homines, mulieres, paruulos, iumenta, & multos ganatos, & fecit multam noxam, & reliquit destructam totam terram, per vbi ego congregaui meos homines, & fui per vbi erant fratres sancti Ioannis de Barosa, & inueni eos, quòd viuebant in multa sanctitate. Et quia cognoui Dominum esse cum illis, leuaui de ibi Priorem Aldebertum, vt rogaret pro me, & pro mea hoste, & diceret Missas: & ipse adiuuauit me in prælio sic bene, quod cùm oraret, ego vincebam. Et vna die reliqui meam hostem, & fui sine illa rixare cum Mauris, in qua rixa perdidi vnam crucem, quam leuaui de Monasterio, & multos milites, & cum Lazeria recessi; propter quæ rixaui sine oratione boni viri. Ego igitur prædictus Princeps, cùm intellexi virtutem, & bonum socorsum, quod mihi dederunt suæ orationes, pro seruitio Dei, & remedio animæ meæ, & parentum meorum, de Monasterio sancti Ioannis, & fratribus, qui in eo deseruierint, casalia Reguenga, quæ habeo apud Trancosum, vt sint illis in victum, & vestitum, cum omnibus suis pertinentiis, ingressibus, & regressibus. Si verò aliquis tam de nostris, quàm de extraneis hoc pactum irrumpere tentauerit, in primis sit maledictus, & cum Iuda traditore in inferno damnatus. Facta charta mense Iunio, era millesima centesima sexagesima. Ego præfatus Princeps hanc chartam, quam fieri iussi, propriis manibus roboro, & mea auctoritate confirmo. Sic Alfonsus acceptum beneficium, & largitate, & memoria compensauit.

Sed & vtrique pietatem addidisse, idem auctor 7.
describit; iterum visitato Cœnobio sancti Ioannis, & nouo templo in ipso construendo primo lapide iacto; propriis vtroque, illo sumptibus, hoc manibus. Sic gratias, quibus debebat, dum retribuit, pius erga Deum, & largus erga homines, crucis amissæ damna, si non vt voluit, vt potuit, reparauit. Neque enim eam vltra comparuisse, ingenti Boëmundi, & suorum luctu, memoriæ produnt. Opus intra biennium consummatum, numero artificum tempus redimente, pro more Principum; talis inscriptio notat, hodie pro foribus legenda perseuerans. *Fundata fuit*

illa æra M. C. L X I I. Kal. Iul. Cui æræ si octo annos demas supra triginta, qui computus probatior nostris auctoribus, centesimum vigesimum quartum inuenies supra millesimum, in quo ædificium biennio consummandum, hoc ipso inceptum facile coniicias.

1. Humbelina iam nupta Bernardum visitans, 2. ob nimium fastum ab eo repulsam passa: 3. sed mox admissa, 4. & præceptis Sancti imbuta, 5. obedientia superbiam compensauit. 6. Ratio temporis, 7. & soluto matrimonio, 8. in Villeium ingressus. 9. Bernardi ad eam libellus, 10. an Sancti opus? & an ipsa Monialium institutrix.

CAPVT V.

1. PEr idem tempus, incerto licèt anno, Humbelina in familia Bernardi vltima, quam vnicam hæredem suæ domus Tescelinus in sæculo reliquerat, a viro suo tandem separata, Monasterium Villeium ingressa est, in quo sanctissime vixit per annos aliquot, feliciter consummandos glorioso obitu, vt suo loco dicemus. Nunc conuersionem, vt ab antiquis traditam in hoc capite paucis describamus, virginem nobilem, atque in domo patris vnicam, certantibus in ea cum bonis fortunæ, naturæ dotibus, facile fuerat locare nobili viro. Ducissæ Lotharingiæ fratrem ex parte genitum,
a lib. 4 cap. 5. inter plures electum [a] Brito tradit, incerto fonte, vnde genus illius hauserit. Quisquis fuerit, & diuitem, & splendidum ipsius vxoris fastus, manifestat, qui tamen ei conuersionis occasio fuit.
b lib. 1. vita S. Bern. c. 6. *Ergo in sæculo nupta, & sæculo dedita* (ait [b] Guillelmus Abbas) *cum in diuitiis, & deliciis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspirauit ei Deus, vt fratres suos visitaret.* Ita Guillelmus.

2. Non latebat humani generis hostem Bernardi zelus, Humbelinæ ingenuitas, vtriusque amor, & vt alterum alter post se traheret, non peruertendum Bernardum a sorore, sed eam potius à fratre conuertendam. Institit tamen, quos diuidere non potuit, vt dissimiles saltim conuenirent. Quidquid seruorum, quidquid apparatus, quidquid mundi muliebris instigauit, quo pauperem diues, humilem superba, pœnitentem deliciosa, demum cælestem mundana auersaretur. Cæterùm diuina prouidentia factum est, vt quæ contra salutem intenta, pro ipsa stantibus, inde occasionem sumeret remedium, vnde morbus firmandus spectabatur. Alanum Altisiodorensem, Guillelmumque eisdem
c ibidem. verbis loquentes audiamus. [c] *Cumque venisset quasi visura venerabilem fratrem suum, & adesset cum comitatu superbo, & apparatu; ille detestans, & execrans eam, tanquam rete Diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquieuit exire ad videndam eam. Quod audiens illa, confusa, & compuncta vehementer, quod ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cum a fratre suo Andrea, quem ad portam inuenerat Monasterij, ob vestium apparatum stercus inuolutum argueretur, tota in lachrymas resoluta; Et si peccatrix sum (inquit) pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium, & colloquium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, non despiciet seruus Dei animam meam. Veniat, præcipiat, quidquid præceperit, facere parata sum.* Hactenus illi compunctionem Humbelinæ.

3. Tunc Pater sanctus, acceptata promissione, ad sororem descendit, nec fidei cedere vellet, dimissurus, aut pern illi[illegible]us fr[illegible] eius aduentum, ex quo spectabat in aliam trans mutandam. Hæsit adspectu primo lingua, & vox, mutuis vtriusque lachrymis obortis, ex dissimili causa, consimilibus. Hæc quòd quem iuuenem in sæculo cognouerat, forma elegantem, adspectuque pulcherrimum, & roseis genis micantem egregium iubar, exesum tunc, moribundumque adspiceret, vix cooperiente maxillam pallida cute, & corpore ferè cadente sub proprio onere. Ille è contra, quòd quam Deo natam, quam cœlo genitam esse non dubitabat; cælestis tamen patriæ prorsus oblita, totam se mundo, totam terræ traderet, terrenis laqueis irretiens, & irretita. Prior tamen Bernardus silentium rupit, cui virilius ex gratia, & sexu robur; spes profectus maior, & caussa melior. Et nunquid (ait) Alcidis mater nostra, hoc tibi, soror, exemplum commendauit? Ergo tot fratribus animæ inseruientibus, tu sola corpori? tot ad cœlum intentis, tu sola terræ? tot tanquam ex hac vita migraturis, tu sola vt permansura inhabitabis: Ergo putredinis, & vermium scaturigo in delitiis, & gloria habenda est, cælestis spiritus prorsus contemnendus? Momentaneæ, & caducæ viæ tot delitiæ, tot sumptus, æterno termino, atque æternum duraturo, nulla prorsus subsidia præparantur. Dixit, & soror resoluta in nouas lachrymas, iam se ipsam, non fratrem deplorabat.

Tum ille terræ eatenus irriguæ, & tunc cælestibus imbribus madenti committens semina, quæ vix possent satorem defraudare, inanem mundi gloriam interdicere, contemptum sui instantiùs prædicare, altiùs imprimere; Christum non in delitiis, non in solatiis, sed in cruce pendentem inueniendum: atque ideo a terra longiùs eleuatum, quo nullus nobis accessus, ascensusve, ad eum patere posset, nisi per crucem. Hæc, & similia Bernardus ad sororem, ipsius verbis per omnia parituram. *Et quia eam separare à viro non poterat* (ait Guillelmus Abbas) *primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, & in omnibus sæculi pompis, & curiositatibus interdixit, formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indicens, & sic eam à se dimisit.* Sic sanctus Pater, & sublimia ingerens, & exempla domestica proponens, sororis lachrymis ex tempore vtebatur. 4.

Humbelina ad virum suum reuersa, sed iam non ipsa, delitias fugere, pompam detestari, domui suæ vigilanter prouidere, lectioni sacræ, orationique insistere, quos sumptus antea vanitati dabat, pauperibus impendere, denique matrem suam per omnia exprimere; nisi quòd tamen illam iam ferè anum, hæc iuuencula, tempus ipsum præueniens imitabatur. Audi Guillelmum de hoc ita scribentem. *Illa verò* (scilicet Humbelina) *obedienti animè parens præcepto, rediit ad propria, mutata repentè, secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu, & victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam; instare vigiliis, & ieiuniis, & continuis orationibus, & ab omni sæculo prorsus se facere alienam.* Hæc ille. 5.

Ex dictis illucescit nobis ratio temporis, nequaquam nimium distantis ab hoc anno, quippe quod 6.

neque

neque differri liceat, nec anteuerti. Si differatur, supergressurum adolescentiam fœminæ, quæ etsi minor Bernardo, tamen post ipsum immediatè nata, iam ad trigesimum annum prosperabat. Si anteponatur, Tescelino coextiturum adhuc superstiti, & degenti in Claravalle: quem adeò potiùs inuisura venisse filia dicenda foret, quàm germanos, saltim nonnulla intercessisset illius mentio.

7. Hoc genus vitæ Humbelina peregit biennio integro, priori anno sustinente viro, fortè & credente spiritus feruorem, quo ardentiorem, velociùs transiturum: posteriori, iam *dante honorem Deo, nec temerare vlteriùs præsumente, templum Spiritus sancti*. Ita Guillelmus. Quibus etiam addit, eo transacto, *Tandem virtute eius perseuerantiæ victum, ac liberam à se dimittentem, iuxta ritum Ecclesiæ, facultatem ei fecisse seruiendi Deo cui se probauerat*. Sic par fortassis vtriusque meritum fuit, dum illa propter Deum omnia reliquit, maritus illam. nisi quòd ipsa caput in hoc negotio, quippe à qua initium cœperunt mariti sensus.

8. Tum Humbelina libertate optata fruens, nec diu deliberans, Iulleiense Monasterium ingressa est, illud nimirum, quod Bernardus Pater, dum socios colligebat, ædificauerat eorumdem filiabus, ac coniugibus. Vbi Angelicam per omnia vitam in carne ducens, & matris, & fratrum dignam sese, & sororem, & filiam comprobauit. *Illa verò* (ait auctor suprà citatus) *optata libertate potita, Monasterium Villeium, cuius suprà meminimus, adiens, cum Sanctimonialibus inibi Deo seruientibus reliquum vitæ suæ Domino vouit. Vbi tantam ei gratiam Dominus contulit sanctitatis, vt non minus animo, quam corpore illorum probaretur virorum Dei esse germana.* Hactenus ille, paucis complectens multa. Nos vniuersum conuersionis huius processum in hunc annum congessimus, ne nimium lectorem nostrum distraheremus: pretiosam tantùm eiusdem Matronæ mortem in proprium tempus tractandam reseruantes.

9. Interim illud restat aduertendum, si libellus de modo bene viuendi Bernardi Patris operibus insertus, proprius ipsius est, ad Humbelinæ instantiam scriptum fuisse, atque ipsi dicatum; quod ex prologo illius licet conijcere, cuius hæc verba. *Charissima mihi in Christo soror, diu est quòd rogasti, vt verba sanctæ admonitionis scriberem tibi. Sed cùm scriptum sit, superbia est quempiam velle docere meliorem se; indignum me ad hoc opus conspexi, & ideo quod rogasti, aliquandiu facere distuli. Sed quia iterum iterumque rogasti, rursus ad memoriam reduxi sententiam Domini, dicentis:* [d] *Quicumque angariauerit te mille passus, vade cum eo duo millia, omnique petenti te tribue. Vndique coactus, tandem charitate compulsus, tuisque orationibus adiutus, sub mensa Patrum micas collegi, & si non vt debui, tamen vt potui; quas in hoc libro tuæ sanctitati represento.* Ita in prologo. Cuius verba, si verè Bernardi sint, non solùm Humbelinæ petitionem, sed summam etiam arguunt sanctitatem, nempe à Bernardo Patre veneratam, & creditam supra ipsius eruditionem.

d Matth. c. 5.

Cardinalis Robertus Bellarminus opus, vt doctum probat, vtileque; sed à Bernardo Patre scriptum reprobat, maximè ad Humbelinam duplici titulo. Altero ex stylo Bernardum non sapiente; altero quia ad Virginem dictatum, quod Humbelinæ nuptæ nequaquam conuenit. [e] *Liber* (ait) *de modo bene viuendi, qui scriptus dicitur à sancto Bernardo ad sororem suam, vtilissima documenta continet. Sed neque stylum habet sancti Bernardi, neque ad sororem eius scribi potuit. Hic enim liber ad sororem virginem, & cum virginibus degentem scribitur, vt perspicuum est ex capite vigesimo primo. Sanctus autem Bernardus vnicam tantùm habuit sororem, eamque primò coniugatam, deinde sanctimonialem.* Hæc Bellarminus. Cæterùm qui Bernardi opus existimant, facilè dicunt, librum Gallicè editum, vtpote ad erudiendas Sanctimoniales, Latinè versum, amisisse leporem, & quod Bernardi phrasim minus sapiat, traductori imputandum, non scribenti. Sed & virgines à sanctis viris passim, non solùm corpore integras, sed quascumque Christi sponsas nuncupari, dicente [f] Apostolo ad fidelium multitudinem: *despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* In quem locum admissis semel viduis nihil obesse, quin eo titulo possint insigniri. Res sanè dubia, nec certis adhuc principiis dirimenda. Cuiuscumque sit, spiritualis est, nec indignus auctore spirituali. Eum è Latino Hispanum nuper fecit Gabriel Castellanus: audio etiam donatum aliis linguis, siue æstimandum ex præscripto Bernardi nomine, siue quia aptum instituendis Sanctimonialibus. [g] Sunt qui Humbelinam Monialium matrem appellant, institutricemque, quæ nigris hactenus Iulleium inhabitantibus, album Cistercij habitum, & cum habitu leges superinduxerit. Idque ex consensu Stephani Abbatis, & Legati Apostolici, qui tunc in Galliis erat, concessione. [h] Addunt prætereà Iulleium Monasterium sub Molismensium cura antè fundatum, sub eisdem nihilominus mansisse. Quod ex Petro, cognomento de Molismo, post aliquod adhuc tempus Priore domus, cum sancta fœmina, soluta vinculis carnis, euolaret ad cœlum, coniectantur; de quo nos infrà. Sed illud auctoritatis expers video, hoc rationis, quippe Iulleium aut ab initio suæ fundationis adhæsit Cistercio, vt suprà ex antiquorum scriptis coniectabamur: aut nullum prorsus profertur testimonium, post hæsisse, vel leuiter innuatur. Sed neque si Cistercij legibus vixit, ex Prioris agnomine probatur Molismensium regimini subfuisse, nempe non ex Cœnobio, sed ex genere, de Molismo valentis agnominari: vel si ex Cœnobio, longè conuenientius Cistercij Monacho, quem cum paucis ab eo illuc appulsum, fortè & tunc nullis aliis superstitibus, distinguebat à cæteris; quod Molismi præstare nequaquam poterat. Non ergo inde argumentum satis firmum, & vt res ipsa forsan vera sit, at leuiter asserta ex eo capite. Nos de Humbelina, & Iulleio, quæ ab antiquis: reliqua in dubio & accepimus, & damus. 10.

e lib. de scriptorib. Eccles. nou. Testam. ann. 1130.

f 2. ad Cor. 11.

g Brito lib. 4. chron. c. 6.

h Henr. tit. 1. lilior. dist. 1. cap. 5.

1. Ber

1. Bernardus Pater Parisiis, 2. primum frustrà; 3. mox cùm orasset, 4. ingenti fructu prædicat. 5. Conuersorum accessio, 6. & sancti viri in scholis docendi modus. 7. Cisterciensis fraternitas ambita. 8. Claræuallensium ad Stephanum Cardinalem fraternæ litteræ. 9. & Capituli generalis ad Regem Galliæ.

CAPVT VI.

1. VIgebat interim Bernardi Patris zelus, & multos litteratos, multos nobiles, multos potẽtes de sæculo trahebat, quippe vix vnquam Claramvallem aggrediebatur, quin agmẽ Nouitiorum secum reduceret, implendo apibus cælesti illo alueari, vnde examina noua indies prodirent. [a] Guillelmus Alanusque in actis ipsius, Catalaunensi capturæ (nam sic vocant, a piscatione nomine mutuato) Parisiensem subiungunt, quam ideo suspicor contigisse circa hunc annum. Nam Mogontinam, quæ immediate sequitur, non multo plures alios præstolatam, ipsa series historiæ demonstrabit. Cæterùm Parisiensis, qualis fuerit, & qualiter conatus primùm irritus, mox fructuosus, ac demum accessione facta, superabundans, Nouitiis Claramvallem, Angelos gaudio, & totam Galliam admiratione repleuerit, auctor Exordij magni memoriæ prodidit, idque a Ramaldo tunc Bernardi socio, pòst Fusniaci Abbate, de quo suprà, veritatem edoctus, qui præses eos fuit. Eiusdem verba ad litteram transcribam.

a lib. 1. c. 13.

2. [b] *Quadam præterea vice, cùm vir Domini Bernardus, causa exigente, Parisius aduenisset, rogatu Clericorum ingressus est de more scholas eorum. Quibus ostendens formam veræ Philosophiæ, monebat eos attentiùs de mundi contemptu, & subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito verò sermone, cùm nemo ex eis conuerteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum, & præter solitum ei accidisset.*

b lib. 2. c. 13.

3. *Veniens autem ad domum cuiusdam Archidiaconi, qui eum ad hospitium suum inuitauerat, secessit in Oratorium ibidem constitutum. Cumque cœpisset orare in spiritu vehementi, & validissima oratione, totus in lachrymas resolutus est, ita vt gemitus, & singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contigerit. Quo comperto præfatus Archidiaconus, à sociis suis inquirere cœpit, quænam esset causa tanti mœroris. Respondens autem vnus ex eis vir religiosus, qui postea fuit Abbas Fusniaci, nomine Ramaldus, qui secretorum famuli Dei magis conscius erat, cuius etiam relatu ista cognouimus, dixit ad eum: Homo iste mirabilis totus ignis charitatis accensus, & totus in Domino absorptus, nihil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, vt valeat errantes ad viam veritatis reducere, & eorum animas Christo acquirere. Et quia modo verbum vitæ seminauit in scholis, & de conuersione Clericorum fructum verbi sui non recepit, Deum putat sibi iratum, cuius hodie in sua prædicatione non persensit respectum. Hinc ista procella gemituum, hinc effusio lachrymarum: proinde nunc certi, vt ne spero, quia hodiernam sterilitatem, crastina satisfactionis vbertas, grandi fœnore compensabit.*

4. *Manè itaque facto, cùm scholas repetiisset Prædicator egregius, ad nutum Domini rete prædicationis duxit in altum, & sacræ doctrinæ rete laxauit in capturam. Finito verò sermone, plurimi ex eisdem Clericis per manum illius se Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculis, tanquam de maximis fluctibus extractos, & vehiculis conductis impositos, in salutarium Claræuallis inferre non distulit. Tandem egressus de ciuitate cum comitatu suo, vsque ad villam sancti Dionysij venit, ibique pernoctauit.*

5. *Summo verò manè facto, cùm recto itinere illum profecturum fratres eius sperarent, dixit: Redeundum est nobis omnimodis Parisios, quia sunt ibi adhuc aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde adducere, & adiungere huic ouili Dominico, vt fiat vnus grex, & vnus pastor. Cùm ergo cœpissent introire in ciuitatem, vidit tres Clericos à longè in occursum eius venientes, dixitque ad socios suos: Expediuit nos Dominus, iamque in via nostra proficiscemur. En isti sunt Clerici, propter quos venimus. Illi verò accedentes, cùm eum adesse cognoscerent, gauisi sunt gaudio magno, & dixerunt: O quàm desideratus aduenis beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te, & vix putabamus abeuntem consequi posse. Qui respondens dixit ad illos: Et ego noueram dilectissimi, propterea festinabam cum panibus occurrere vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. Adiunctis ergo cæteris supra memoratis, secuti sunt hominem sanctum, adhærentes ei, & sub disciplina magisterij eius, spiritualem militiam exercentes cunctis diebus vitæ suæ.* Hactenus Exordium, longa aliquantulum, sed fideli narratione rem totam narrans.

Porrò aliqualiter sanctus in his actionibus non præmeditato sermone, sed subitaneo (inspirato à Deo) atque ex ipsis scholarum materiis, quamuis minutis, occasione accepta, Philosophiam Christianam prædicaret, Beluacensis Episcopus describit. Cuius verba, quo res magis eluceat, operæ pretium me facturum duxi, si hic transcriberem. [c] *Cùm beatus Bernardus (ait) veniens Parisius scholas logicæ intrasset, cogitans quomodo aliquos scholares lucrari posset, quos Monachos faceret, finita disputatione, rogans eum Magister, quod determinaret, ait: Deus nobis facit hoc argumentum; respondete. Propono vobis legem, & mandata, dicens: Hæc mandata, & hanc legem dedi vobis, assumit transgressionem, & concludit damnationem. Sic ergo argumentabitur contra homines: Legem tibi tradidi, tu præuaricator fuisti; ergo damnationem promeruisti à iusto iudice. Ergo damnaberis. Item cùm audiret sæpe ibi dici rationale mortale, ait: Consideranti hoc, duplex occurrit mihi fructus, quia rationale mortale humiliat, & mortale rationale confortat.* Hæc ex Vincentio. Quibus videat lector prædicationis illius efficaciam, imò & auctorem: nec tam Bernardum, quàm in Bernardo spiritum, aut loquentem, aut docentem, quæ loquebatur. 6.

c in specul. morals. l. 2. p. 2. dist. 6.

Hinc factum est, vt multi deuotione, plures, quod efficacissimum est, exemplo moti, relictis scholis, Cistercienses domos, altiorem ibi edocendi Philosophiam, ingrederentur; quin & Prælati, Cardinales, Principes, ipse etiam Ludouicus Galliæ Rex, quibus Monachos esse non dabatur, saltim fraternitatem Monachorum, atque eorum consortium velut ambirent; atque hi Claramvallem, hi Cistercium, alij Capitulum supplices adirent, vt inter familiares, & fratres reciperentur. Neque id in pompam, fastumve, vt assolet, sed in mutuam (sic enim appellabant) vtrinque amicitiam, & veram fraternorum bonorum solicitudinem. Extat Claræuallensis conuentus epistola per hoc idem tempus scripta, ad Stephanum Episcopum Metensem, [d] Calixti secundi ex sorore nepotem, ac sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, titulum 7.

d ex Onuphrio, & Chaconio sub Calixto.

titulum sanctæ Mariæ in Cosmedin; quam in exemplum fiduciæ fraternalis, & summæ dignationis illorum Principum, non pigebit ad literam transcribere.

8. [e] *Stephano Metensis Ecclesiæ Dei gratia strenuo ministro, eius in Christo humiles fratres de Claravalle, salutem, & orationes. Ex quo dudum (si recolitis) nostræ vos fraternitati dignanter sociastis, nostris vos orationibus humiliter commendastis, semper soliciti fuimus, vt debuimus, aliquid scire de esse vestro, & euentus vestros crebrò sciscitari studuimus, à quibus potuimus; desiderantes ingiter, & orantes vos prosperari in Dei opere, ad quod assumpti fueratis, & gressus vestros dirigi in semita mandatorum ipsius. Benedictus itaque Deus, qui non amouit orationem nostram, & misericordiam suam à vobis, lætificans vtique nos per hunc venerabilem fratrem Guillelmum, cuius profectò non minus verbis, quàm nostris credimus oculis de vestra sospitate, & prosperitate, ac pace per vos Ecclesia reddita. Congratulamur vobis, sed damus gloriam Deo, scientes, quod estis, & quod potestis, ipsius, non vestrum esse. Quod & vos semper sentire in vobis amicabiliter admonemus, ne nihil & esse, & posse incipiatis, si quid aliter sapitis, & vestris (quod absit) meritis, vel viribus quidpiam horum adscribitis. Alioquin verendum, ne pax vestra conuertatur in perturbationem, & prosperitas in aduersitatem: sic nimirum illo iustè iudicante, qui vt humilibus gratiam dare, ita & superbis resistere consueuit, qui & non solum cum [f] Sancto Sanctus, sed cum peruerso, peruersus in Psalmo legitur, nec tantum faciens pacem, sed & creans malum per [g] Prophetam describitur.* Hactenus Claræuallenses ad Stephanum. Quibus videas quàm sanctè, quàm piè, quàm amicabiliter fraternæ charitatis affectum, officiumque semel admissum sancti illi viri & retinere, & ostendere curabant. Quanta etiam auctoritas eorum apud omnes, dum Ecclesiæ Principes, Cardinales, Episcopos, ea libertate spiritus monebant, & si opus erat, etiam increpabant.

[e] inter epist. Bern. epist. 19.

[f] Psalm. 17.

[g] Isai. c. 45.

Quin & in Ludouicum Galliæ Regem hoc idem, & liberiùs adhuc præstitum, dicemus inferiùs. Interim ipsum eamdem ambiisse fraternitatem, ex quadam alia Capituli generalis ad eum scripta epistola, paucis mutatis verbis, accipiat lector. [h] *Eximio Regi Francorum Ludouico, Stephanus Abbas Cisterciensis, totusque Conuentus Abbatum, & fratrum Cisterciensium, salutem, sospitatem, & pacem in Christo Iesu. Rex cæli, & terræ regnum vobis in terra donauit, donaturus & in cælo, si id quod accepistis, iustè & sapienter administrare studueritis. Hoc est quod vobis optamus, & pro vobis oramus, vt & hîc fideliter regnetis. Cæterùm vos, quónam consilio, eisdem nostris pro vobis orationibus, quas si recolitis, olim tam humiliter requisistis, modò tam acriter repugnatis.* Et post pauca. *Hæc ita vobis, & pro vobis audacter quidem, sed amanter intimare curauimus, monentes, & rogantes per illam inuicem amicitiam nostram, & fraternitatem, cui vos satis dignanter sociastis.* plura inferiùs. Nunc solum adnoto, ex hac eadem epistola constare, Parisiensem item Episcopum in Cisterciensium Monachorum album adscriptum, eos pro se contra Regem interpellasse. Adeò venerabilis erat religio illis temporibus, adeò sanctitas, vt pauperes Præsulibus, Monachos Pontificibus, pannosos homines Regibus æquaret. Sed de his latiùs dicendum suis temporibus. 9.

[h] inter Bern. ep. 45.

---

1. Cluniacensem Abbatiam Pontius resignat. 2. Succedit Hugo, & post tres menses Petrus Mauricius. 3. Hic Robertum, & alios Bernardo reddit. 4. Confirmata ex his quædam ex supradictis. 5. Emendatus Baronius. 6. Qualis Pontius. 7. & Robertus Bernardo restitutus.

CAPVT VII.

1. HOc ipso anno (nam externa etiam edisseram, quoties maiorem nostris lucem dabunt) Pontio Cluniacensi Abbati resignanti, successit Hugo, ex Priore Marciniacensium Sanctimonialium. Sed ei intra tres menses per mortem rapto, Petrus Mauricius (Mauriacenum alij vocant) ob sanctitatem dictus Venerabilis, suffectus est, magnum Ecclesiæ, maius suæ familiæ, sed maximum incrementum futurus illius domus. Hic Stephanum, Hugonemque Abbates, sed præcipuè Bernardum summè coluit, æquè ab eisdem cultus; hic vniuersos Cistercienses Monachos inter ipsa dissidia, quod mireris, quæ noua subeo, fortè & maiori decimarum occasione tertio repullularunt, vt pòst videbimus, amicos semper habuit, & familiares. Demum Robertum Bernardi Patris nepotem, diu à Pontio Cluniaci detentum, de quo suprà; nec paucos alios Claramvallem remisit; charitatis fraternæ mirus amator, ex qua non pauca in nostros beneficia suis & loco, & tempore reddemus.

2. Et quidem annum resignatæ per Pontium præfecturæ, atque electionis Hugonis, Petrique habemus ex Chronologia Cluniacensium Abbatum, edita ad calcem Cluniacensis Bibliothecæ, quæ ita habet. *Anno M. C XXII. dominus Pontius pro quibusdam negotiis huius Ecclesiæ agendis, Apostolicam Sedem adiit. Ibi quadam animi sui commotione exasperatus, in manu Domini Apostolici Calixti Abbatia Cluniacensi inconsultè abrenunciauit. Hierosolymam magis iratus, quàm deuotus petiit,* &c. Et post pauca. *In abscessu autem illius Hugo secundus Prior Sanctimonialium de Marciniaco ei substitutus est in Abbatem. Quo post tres menses defuncto, nona die Iuly mensis, dilata electione causa congregandi religiosos, & prudentes viros, vsque in octauas assumptionis Dei genitricis electus est vir vita venerabilis dominus Petrus, cognomento Mauricius, nobilis genere, Aruerna oriundus, ætate iuuenis, maturis moribus senior, non plus viginti & octo annorum, & à Bisontinensi Archiepiscopo, nomine Ansterio consecratus, pastorale officium adeptus est.* Hæc Chronologia de cessione Pontij, atque Hugonis, & Petri successione. Consonat per omnia Franciscus Riuius in Cluniacensi Chronico, quod vsque ad annum M. C D. L X X X V. ex mandato Iacobi de Ambasia Cluniacensis Abbatis compilauit.

At de Roberto sub Pontio olim seducto, atque ab ipso retento, sed per Petrum remisso ad Claramvallem, extat epistola eiusdem ad Bernardum (dulcior, an acrior, dubium) satis querula, quòd Nicolaum, de quo infrà copiosior sermo, petitum sibi ad mensem non remiserit, cùm ipse Petrum, cùm Robertum, cùm Garnerium, cùm aliòs plures Bernardo Patri dederit, in Claravalle perpetuò permansuros; sed nos eundem loquentem audiamus. [a] *Hæc (inquit) sunt ludrica, otiosa, vel vana Nicolai apud nos. Cur ergo, mi charissime, vnus saltim mihi per mensem non conceditur, cùm ego Petrum, cùm Robertum* 3.

[a] lib. 4. epist. 15.

Robertum tibi sanguine proximum, cùm Garnerium, cùm quosdam alios, tradius amore tui, sivi, non mense vno, sed perpetuo concesserim? Quos ego Abbates, quos Monachos, aliis, ne dicam alienis Ecclesiis, litteris tuas, vel consiliis victus concessi. Nec me pœnitet amico cessisse, cui & adhuc in pluribus paratus sum cedere. Sic venerabilis Abbas ad Bernardum.

4. Verùm ex his, quæ certa fide constant, non pauca nobis veniunt inferenda, quæ dictis hactenus, dicendisque præluceant. Primum sit id, quod etiam suprà tetigimus, quamuis hoc anno pleniùs comprobandum. quæ Bernardus ad Robertum scripsit, tecens seductum, ad Puntium, non ad Petrum referenda, quippe necdum Cluniaco præfectum, imò neque præficiendum intra sexennium. Addo vlteriùs, nec præsentem tūc Cluniaci. Nam, vt Francisci Riuij verbis vtar, [b] *tempore domini Pontij Abbatis Cluniacensis Prior Viziliacensis factus* (scilicet Petrus Mauricius) *Ordinem strenuè rexit. Inde Prior de Damna: deinde defuncto venerabili Hugone, in Cluniacensem Abbatem promouetur.* Tempore, inquam, Pontij Abbatis, qui per tredecim annos clauum tenuit, vt non immeritò sexennio ante electionem Viziliacensi Ecclesiæ iam præfectus, eoque à Cluniaco absens credendus sit, multa, si adesset, in Pontio correcturus.

b in Chronic. Cluniac.

5. Atque hinc etiam corrigendum Baronium videas, dum Bernardi ad Robertum litteris lectis, dilatisque vsque ad Petri Mauricij tempora, accessisse sanctissimum parentem non obscurè [c] insinuat, dum illi eundem Petrum & compatiēdum, & indulgendum fore duxisse, scriptum reliquit. quibus virtutibus in sancto viro deferens, non solùm eum religiosissimum appellat, sed charitate Bernardo coæqualem, certè non imparem. Cæterùm spirituum ponderator solus est Deus. Et seductio, atque admissio Roberti sub Pontio facta, viro inquieto, & leui, nec bonorum consiliis acquiescenti: & potuit sine excessu referri, nempe ex fide: nec compassionis, indulgentiæve Petro materiam præbuit, qui de eodem acriora multo scripserit. Libet Petri Mauricij testimonium in medium proferre, quo clariùs constet, nihil in eum peccatum à sancto Patre, quin neque in Pontium, de quo ipse tanto maiora. [d] *Primus* (inquit) *assumptionis suæ annis satis modestè, ac sobriè conuersatus, procedente tempore, mores mutauit, & multis ac diuersis casibus, ac causis fratrum, penè vniuersorum animos paulatim contra se concitauit. Dissentientes illi, quòd multa mobilitate, & leuitate animi, nullis bonorum consiliis acquiescendo, res Monasterij pessundaret, inter se, nunc pauci, nunc multi, tandem penè vniuersi murmurabant.* Atque hæc quidem ante resignationem præfecturæ. nam de eadem per violentiam repetente multo atrociora.

c ann. Christ. 1126.

d lib. 2. miracul. c...

Explorata (ait idem Petrus venerabilis) *absentia mea: nam forte tunc in secunda Aquitania partibus, Cluniacensibus negotiis insistebam, fingens se Cluniacum non venire, paulatim tamen appropinquabat. Dein quibusdam fugitiuorum sibi adiunctis, armisque vulgarium, quos sibi asciuerat, constipatus Cluniacensibus portis improuisus aduenit. quibus effractis, & venerabili sanè Priore, fratribusque aliis vbi vbi dispersis, cum promiscua illa armatorū multitudine, ipsis quoque mulieribus irruentibus, claustra ingressus est. Ingressus occupat statim omnia, & eos, quos reperit, minis, terroribus, ac tormentis, in suæ fidelitatis cogit sacramenta iurare. Nolentes aut expellit, aut duro carceri mancipat. Conuertit statim manum ad sacra, & aureas cruces, aureas tabulas, aurea candelabra, aurea thuribula, & quæque alia multa, & multi ponderis vasa inuasit. Rapit & ipsos calices maximè sacros, nec thecis, vel scriniis aureis, siue argenteis, multorum Martyrum, ac Confessorum ossa continentibus parcit . . . abstinet à nulla bellorum specie, rapinis rerum, cædibus hominum, per conductos sacro auro milites vbique desæuit.* Hæc, & plura alia Petrus de Pontio tradit, quæ superiùs à nobis insinuata, placuit eiusdem verbis reddidisse. Quo videat lector talia de eo scribentem expresso nomine, nullam prorsus materiam indulgentiæ in Bernardi epistola inuenisse, minora multo de illo conquerentis, nec prodentis personam, nisi ex officio. Sed iam nos hinc ad alia transeamus. 6.

Vt ex anno Pontianæ resignationis, atque electionis Petri compertum fit, Bernardi epistolam scriptam tempore Pontij, ad ipsum, non ad Petrum referēdam: sic ex Petri ad Bernardum litteris constat, Robertum non restiturum ante hunc annum, quippe ab ipso Cluniaci iam præfecto. Vnde & Bernardum, diuturnam detentionem eius dolentem [e] legimus, quæ vltra quinquennium, vt minus, protendebatur. Verùm an statim ab inita præfectura, an post aliquod tempus illum remiserit, non de facili audeam iudicare. Quandocumque fuerit, illud certum est, inducias austeriori vitæ datas, durioribus obseruantiis, ac maiori feruore compensasse. De eo Exordium magnum hæc pauca habet. [f] *Compunctus resipuit, & licèt serò se errasse, vel potiùs ab aliis errorem immissum imbibisse, ingemuit. Spiritum quidem libertatis tota mente concipiens, locum quem inordinatè petierat, ordinatè deseruit. Et ad Claramuallem rediens, sub disciplina beati Patris Bernardi in tantum profecit, vt succedentibus virtutum incrementis, Domus Dei postmodum Abbas fit institutus.* Hactenus ibi. Sed de eius promotione infrà dicemus. 7.

e epist. ad Abbat. S. Nicasij.

f lib. 3. c. 10.

IESV CHRISTI ANN. 1123. CISTERCII ANN. 26.

1. Mors Boëmundi, & Aldeberti in Tarouca substitutio. 2. Ioannes Cirita Cisterciensem cucullam induit. 3. Initia conuersionis; 4. tentatio vehemens, 5. non aliter, quàm combusto brachio extincta. 6. Prædicta ab eo natiuitas Alfonsi, 7. mutatus locus, 8. & oblatus Aldeberto. 9. Principis Lusitani fauor, 10. & diploma. 11. Sancti Christophori sub Cistercio initia prout à Brito. 12. Brandaonij sententia, quæ facilior. 13. & ex priori emergentes difficultates.

CAPVT I.

1. INITIVM anni millesimi centesimi vigesimi tertij, Cistercij vigesimi sexti, auspicetur nobis Boëmundus Abbas felici obitu, vt primus Cisterciensis in Hispania, si Brito credimus, sic ex Hispania primus ad cœlos raptus, cæteris aliis locum paraturus. Placidam

dam mortem, quam ſomnum potius diceres; placida omnia, & gloriæ proximiora ſequuta ſunt. Corpus viri nec deforme, neque graue olens; nitidum potiùs, decorum, flagranſque, iam tunc futuras dotes prænunciabat. Et manſit inhumatum biennio integro, vltimum filiis orbitarix ſuæ ſolatium, conteſtantibus miraculis, quibus fertur claruiſſe poſt ſepulturam. Hæc, ab eodem Auctore memoriæ prodita, prætetire non libuit, ſed neque licuit. [a] Hentiquez obitum ſignat menſe Septembri, Brito [b] Ianuario: neuter ex fide, quia vterque ſine teſte. Affuit exequiis à principio fidus comes Ioannes Cirita, & lachrymis proſequutus eſt abeuntem: non condolens, ſed congaudens; fortè & inuidens illius ſecuritati. Atque vt veſtigia premeret triumphantis, paratus ſequi, quà poſſet, præliatorem. Hinc Aldeberto in Monachum ſe obtulit, Sacramentis adſtringendus nouæ militiæ.

[a in Menolog. Sept. 11. b lib. 2. cap. 3.]

2. Iuſtis ſolutis Aldebertus Boëmundo, Aldeberto Bernardus ſubrogatur, ex prima nobilitate Galliæ vir, nec minus clarus virtute, quàm patrio ſanguine. Hi, venerabilem Ioannem Nouitium ſe, & probandum offerentem, tenuiſſe tyronem perhibentur, atque ipſo die admiſiſſe ad vota facta. Mirum in Ordine, in quo nihil antiquius fuit, nihil ſolemnius, quàm annus integer explendus in probatione. Vtcumque fuerit, hunc primum ſanctum virum Ciſtercienſe inſtitutum profeſſum in Luſitania, atque adeò in Hiſpania (ſi fides dictis) affirmat Brito [c], firmiſſimo quaſi fundamento iacto tam ſancti operis.

[c vbi ſupr.]

3. Is Luſitanus dubium, an peregrinus, ſub Comite Henrico primùm miles, inde ſaucius, in prælio apud Callaicos, à Sacerdote, qui terram habitabat, animi ſimul, & corporis vulneribus, applicatis remediis, ſaluti redditus, atque per longum tempus hoſpitio habitus, ſæculari militia abrenuntiata, ſpiritualem iam diu profitebatur, litteris ſimul imbutus, atque virtutibus. Mox illo ſuo Magiſtro per mortem rapto, ad Luſitaniam rediens, Durium, Minium que inter elegit locum, horridum ſatis, acceſſuque difficilem, quo ſolus ſoli Deo ſe totum dederet. Ibi à communi hoſte multa paſſus, multa à ſeipſo, quippe anteactæ vitæ liberioris, pro more militum, nunc appetitus ſpecies excitabat, nunc memoria appetitum incendebat. Appetitum, inquam, æque ſibi moleſtum, æquè rebellem, trahentem, ſiue tractum, atque æquè reluctantem contra rationem. Nemo poteſt pericula vitare, ſi non ſeipſum, & quia ſeipſum non poteſt, neque pericula. Conſeruabat tamen indemnem diuina gratia, & iam iamque caſurum detinebat.

4. Cùm ecce mulier quædam genere nobilis, ætate iuuenis, forma præcellens, ornatu inſignis; dum virum ſuum adulterij conſcia fugit, cellulam viri ſancti ingreſſa eſt, noctem in ea latens peractura. Quis miſerabilem fœminam, his dotibus ornatam, hoſpitio pelleret? Quis homines fugientem, feris obiiceret? Quis imò non foueret imbelle animal, atque vt homini datum in adiutorium, ſic etiam natum ab ipſo protegendum? Partem cellulæ ceſſit hoſpiti ſuæ, refectamque, queis ad manum habuit cibis, largus ſimul, & pius conſolabatur, dulci vtrimque colloquio, atque beneuolo, quippe Eremitæ, ex commiſeratione; fœminæ, ex beneficij gratitudine. Et iam pietate in amorem, vt videbatur, ſed reuera in concupiſcentiam degenerante; nox, ſolitudo, hoſpitium, & prodita in fugiente conſcientia ſimilis culpæ, hominem ad flagitium pertrahebant. Nec deerat interiori pugnæ communis hoſtis, omnia in maius attollens, genus, formam, ornatum, alloquiumque; imò occaſionem ipſam, & plurium ſanctorum virorum exempla ſuggerens, qui vel leuiori luctæ ſuccubuiſſent. Sic dum deliberat, aduerſatio vires addebat, & quo magis reſiſtere parabat, maiori impetu præcipitabatur.

Sed vicit tamen in eo gratia Dei, atque vbi 5.
virtus fortè deficiebat, actum à dono, per corporis læſionem, illæſa tandem mente cuſtodiuit. Flammas flammis extinguere decreuit, minori incendio maius repreſſurus. Siniſtrum brachium ad ſummum vſque denudans, accenſis prunis tandiu ſuperpoſuit, quandiu non parua quantitate carnis igni abſumpta, totum carnale incendium mitigaret. Auditæ tunc feruntur Dæmonum voces, atque vlulatus furentium in ſanctum virum. Ipſe verò ex tunc proprio periculo, poſtquam à brachij vſtura conualuiſſet, ſeu ſocietatem Sanctorum, propriæ fragilitatis ſubſidium appetens; ſeu præteritæ occaſionis memoriam æquè periculoſam conſtanter fugiens, relicto loco, velut Ioſeph pallio, duobus Eremitis ſe adiunxit, ad Bougam fluuium, ſanctam, nec breuem vitam, ſanctiori adhuc ſenecta conſummantibus.

Ibi primum diſcipulus, & tyro, quaſi tunc no- 6.
uus in militia ſacra miles; mox magiſterij ſocius nouis diſcipulis, & fortè illius exemplo ad ſanctos viros in dies accurrentibus; demum ipſis ad ſuperos tranſlatis, vt piè creditur, ipſe dux, & magiſter omnium manſerat, celebri fama vitæ, & ſanctitatis. Ferunt Henricum Luſitaniæ Comitem, cùm nullos liberos ex Taraſia Regina ſuſcepiſſet, adiiſſe virum, ipſius precibus impetrandæ maſculæ proli. Tunc Dei hominem filium promiſiſſe, & tanto Patre, & tanto imperio dignum, ſuix in gloriam, Mauris in terrorem. Tum infra annum ab ſponſione libenm, Alfonſo infante nato, illuſtri Principe, ac primo Rege futuro Luſitaniæ, vt nos etiam inferiùs adnotabimus. Inde apud cunctos veneratio viro Dei, atque auctoritas incutiens reuerentiam: etſi acquieſceret, ſubſidia, & eleemoſynæ multo pluribus ſociis ſuffectura.

Sed ipſe tertio adhuc mutato loco (fortè con- 7.
curſus fugiens, qui increbuerant) atque aſſumptis diſcipulis, ad fluuium Taneam colliculo inſederat, vndequaque fructifero, & plantis vltro naſcentibus referto, pomiferiſque lignis, quibus maiori ex parte ſuſtentabantur. Hinc Boëmundo, & ſociis obuiam factus diuino monitu, Bernardi Patris litteris præuentus, quas anno Domini milleſimo centeſimo decimo nono ex Brito tranſcripſimus, illis & dux, & fauor oblatus fuerat, cum cæteris, quæ huc vſque recenſuimus.

Ergo qui priùs fautor Boëmundo, iam tunc fi- 8.
lius, & frater Aldeberti, eoque quaſi ſubrogatus illius loco, pro nouo grege puſilloque ſollicitus, parum ſibi feciſſe viſus eſt, ſi non diſcipulis ſuis Ciſtercium ingerens, aliud ex eis Cœnobium Ciſtercio daret ſub ſancti Ioannis Tarouecæ filiatione. Nam cur ſteriles diutiùs permanerent? Ingreſſum eo vſque negatum multis, ſi ſemel pateat, plures aduenturus, vtrique etiam Cœnobio inhabitando. Super ſatiſque cunctationi datum per quadriennium: inſeruiendum iam tunc propagationi. Eius diſcipulos virtutibus adultos, facilè ad normam Ordinis aptandos,

nullis aliis Magistris indigere: nec deterrendos tenuibus initiis, à quibus plerumque incepissent quæcumque grandia. Locum quem habitabant Monachis apium, facilè à Lusitano Principe obtinend:m, & se, si modò detur petendi copia, nullo negotio eum impetraturum. Placuit Aldeberto Patri consilium viri, placuit in nooo milite veteraoi iam Ducis sollcitudo, placuit affectus. Nec mora: Ioannem ad Principem temittit loco impetrando, & subsidiis in nouam fabricam.

9. Alfonsus venerabili Abbati (neque enim vnquam amisit nomen Patris, altiùs iam reuerentia radicata cordibus omnium) antea etiam deuotus, sed nunc deuotior, quippe ex noui instituti susceptione, duplicato affectu in pio Principe: primum de Boëmundi glorioso transitu, mox de Aldeberti admiranda conuersatione, de statu domus, & de fabrica templi, quod tunc cresceber, inde de nouo Cœnobio construendo sciscitatus quamplura, instructusque tandem petitum locum largus concessit, dato diplomate firmante donationem, quod iam addicam. Fuerit ante structuram Monasterij Oratorium dicatum sancto Christophoro; Alfonsi Principis, an frattum religione, tecenti, vel antiqua, in dubio est. Certum in ipso iostrumento donationis nomen Sancti expressum. Atque ecce exemplar eius, quod Brito, vt alia multa publicauit.

10. d Brit. lib. 2. c. 3. [d] *In Dei nomine, Amen. Quoniam decet vnicuique fidelium de bonis sibi a Deo collatis, Dei ministros participes efficere. Idcirco ego Infans Alfonsus, Dominus Portugalensium, Comitis Henrici, & Regina Tarasia filius, cognoscens bona, qua quotidie de manu Dei suscipio, facio vobis Abbati Ioanni Cirita cautum, & donationem de illa terra, qua iacet supra fluuium Vauca ad riuulum de Tortello, vt possitis ibidem facere Monasterium in loco, quem volueritis, pro seruitio Dei, & Martyris sancti Christophori, & nemo vos contradicat, neque impediat, neque de nostris, neque extraneis. Quod si aliquis attentauerit, sit à Deo, & eius Martyre Christophoro maledictus, & in inferno cum Iuda proditore damnatus, insuper pariat decem solidos, & charta firmiter maneat in suo robore. Facto cauto mense Ianuario, era M. C L X I. Ego supra nominatus infans roboro, ac confirmo. Petrus Cancellarius Principis, qui notauit.* Hactenus Lusitanus Princeps in priuilegio, quod plura alia donaria sequuta sunt, non eius tantùm, sed multorum procerum; Deum, an ipsum etiam promerentium, per hæc obsequia.

11. His donis auctus Abbas venerabilis ad Aldebertum rediit, à quo instructus, dimissus, & suis redditus, facilè omnes effecit sibi conformes. Nonem discipulis ad Ordinem admissis, ædificium, licèt humile, construete, oratoriolum vtcumque fabricare, officinas erigere, instare operi, atque iuxta exemplar in Tarouea sibi monstratum, nouum Cœnobium soliciriùs præparabat. Adeoqne matrem in recenti filia expressit, vt vel fluuiolum ad radices montis subtus labentem appellaret Barosam, nempe à flumine Taroueam irrigante mutuato nomine, quo ipso hodieque ab incolis dicitur. Fundamenta in descensu iugi iacta, arcta nimis planicie, neque passura ædificium vltrà protendi. Atque

e lib. 5. Chronic. Cist. c. 14. hæc omnia ex [e] Brito Lusitano de Lusitanis rebus scriptore regio hausta, eadem fide damus, qua præcedentia. Discipulorum Ioannis Zititæ

d cap. 15. § 9. in fine. nomina, qui admisere Cistercium [d], Marquez adducit in Ordine Augustinianorum Eremitarum; Petrum, Froilam, Pelaium, Aluarum, Andream, Luiuam, Germanom, Rosendom, & Hetmanum: quos omnes viros sanctitate illustres, etiam vsque ad miracula, ex Tabulariis vtriusque Monasterij, SS. nimirum Ioannis, atque Christophori, liquidò apparere latè commemorat.

At [f] Brandaonius non minus regius scriptor, 12.
f lib. 1. Monarch. Lusit. cap. 1. nec minus colens Lusitanas antiquitates, quod continuata eiusdem Briti historia satis demonstrat, Monasterium fundatum per hoc tempus, idque sub Ioannis Zititæ Magisterio, non tamen Monachis, sed Eremitis Augustinianis, sub quo instituto, post decem adhuc annos perseuerarunt, verius putat, instrumento producto, cui plures aliæ memoriæ fidem faciunt; quo & fundator Cœnobij sancti Christophori Ioannes, Portugalensis tunc Antistes, postmodum Bracharensis (cui item celebre sanctæ Crucis Conimbricensis Monasterium debet initia) & Cœnobium ipsum anno post Christum natum M. C X X X I I. ab Eremitis adhuc inhabitari, Alfonsi Principis testimonio comprobatur. Verba instrumenti ipsissima proponam, quibus altè perpensis, collatisque, lector meus faciliùs iudicium ferat. [g] *Ego* (inquit) *infans Alfonsus, Henrici Comitis, & Regina Tarasia filius, gloriosissimi Imperatoris Alfonsi nepos, ad laudem & gloriam Iesu Christi Domini nostri, & ob amorem gloriosissimi Martyris sancti Christophori, & pro remedio anima mea facio cautum firmissimum per huius scriptura firmitatem Ecclesia sancti Christophori de Alafoens, & ipsis Eremitis, qui ibi habitant, scilicet Ioanni Zirita eiusdem loci Priori, & omnibus aliis, qui ibi eremiticum ordinem in prosentiarum tenent, per manum Ioannis Portugalensis Episcopi eiusdem loci fundatoris, &c. Facta charta mense Octobris, era M. C L X X.* Ita Alfonsus. Coincidit autem prænominata æra, cum anno Christi M.CXXXII. vt in hac tanta auctorum varietate, imò & instrumentorum oppositione, animus hæreat, & neutris fidat, ne alterutris præiudicet. Nobis de tempore admissi Cistercij res in dubio: reliqua, siue hoc, siue alio loco, æquè omnino narranda, nempe aut iam nunc ad Cistercium spectantia, aut intra paucos annos spectatura.

g Brandao. vbi supr.

Certè in Brito difficultatem ingerit, quod vtrumque Cœnobium, Taroueæ, & de la Foens, contra Cistercij inuiolatas hactenus leges, Sanctis, alterum Ioanni, alterum Christophoro, neutrum Dei genitrici dicatum sit, vnicæ protectrici, & patronæ velut iuratæ totius Ordinis. 13.
Nam vt vtrique retinere nomen semel sub alio instituto admissum, facile; sic nostros imposuisse, vix credi potest. Quòd Abbas Ioannes, sine præuia probatione, professionem emiserit. Quòd non erecto adhuc Monasterio, quippe erigendo, vt constabit, sequenti anno, Nouitij in eo probandi sint admissi, idque per Ioannem necdum Abbatem factum; quòd, ne laxiora instituta paterentur, quòd Cisterciense institutum illuc inductum, nullo prorsus transmisso, qui edoceret. Quæ omnia, vt singularia, & sine exemplo, sic minus certa aliquibus videantur. Mitto quod de Alphonso superiùs diximus, ante annum Christi centesimum vigesimum octauum supra millesimum, ætate imparem, & Tarasiæ matri cedentem, nec dum cœpisse imperij gubernacula. Hæc pro secunda sententia Brandaonij, quæ plane facilior. Sed nos ex his ad alia transeamus.

1. Ber

1. Bernardi visio corripiens, & confortans, 2. explanata in Exordio maiori luce. 3. Miraculum in indignè communicantem: 4. & rarum fidei, zelique exemplum in respuentem. 5. Promissa salus perseuerantibus in Ordine: 6. neque id semel: 7. & verus sensus eiusdem promissionis.

Capvt II.

1. DVm hæc in Lusitania gerebantur, Bernardus Pater Claramvallem regere, antiquos Patres impensiùs æmulari, perfectioni insistere, filios ex omni gente congregatos in cœlum ducere, prophetiæ spiritu, prædicationis dono, miraculorum consiliique clarescere: Doctor, & doctus, ac si quando opus, vt nihil ei de cœlo negabatur, sic etiam ipse nihil omittebat. Huius generis multa apud antiquos: nos pauca ex his in exemplum adducemus. [a] *Tempore quodam* (Cæsarij verba sunt, quæ ad hunc annum, si non ad interiores, credidetim fore referenda) *cùm sanctus Bernardus Abbas Claræuallis adhuc adolescens, ad Missam staret, & quadam illic negligentia circa ministerium altaris contigisset, quædam reuerenda persona illi tristi vultu apparens, ait: Si scirent Monachi, quantum sanctos Angelos, qui hic præsentes sunt, contristarent, cùm in hoc sacro Ministerio tepidi sunt, & negligentes, & quantum illos lætificarent, quando illos deuotos vident, atque feruentes, cautiores efficerentur. Quem cùm interrogaret vir beatus de statu Monachorum, respondit ille. Omnes qui in Ordine Cisterciensi perseuerauerint, salui erunt.* Hactenus Cæsarius.

a Hom. 8. post Epiphan.

2. Cæterùm qualis negligentia fuerit, quæ persona Bernardo P. visa, atque oraculum ipsum extensiùs adhuc, habemus ex Exordio Cisterciensi, singula, vt solet, altiùs prosequente. [b] *Accidit aliquando in Claraualle, dum Missa in conuentu celebraretur, eodem venerabili Patre præsente, vt lecto Euangelio, Sacerdotis manibus lauandis aqua per negligentiam deesset. Quæ cùm aliquantulum diutiùs expectaretur, conuentus interim versis vultibus, (vt nostri Ordinis mos est) ad Orientem stabat. Cùmque Pater sanctus in stallo suo ante gradum Presbyterij staret, Monachus quidam, ante paucos dies defunctus, ei visibiliter apparuit, & stans quasi redarguendo, caput mouere cœpit. quem famulus Dei videns agnouit, & quare caput contra se agitaret, quæsiuit. Cui ille: O si sciretis quales, & quantos socios habetis in cœlis! profectò caueretis vos ab omni negligentia. Quod verbum Pater sanctus grátanter audiens, respondit. Verè ne putas quòd omnes qui in hoc Monasterio sunt fratres, saluabuntur? Etiam (inquit) saluabuntur. Et non solùm ipsi, sed & omnes qui in Ordine nostro obedienter, & humiliter fuerint conuersati, saluabuntur. Recordatus verò pius Pater cuiusdam fratris, quem pro negligentia, & duritia cordis sui frequentiùs corripi oportebat, & ob hoc super eo multùm contristabatur, subintulit, dicens: Nunquid de salute illius fratris certi aliquid nosti? Respondit: Nec ipsi deerit misericordia Dei. Quo audito, vir sanctus vehementer gauisus est, & tanto alacriùs cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodiuit vias duras, quanto certiùs spem mercedis æternæ in sinu suo repositam tenebat.* Hæc in Exordio de ea increpatione, simul & reuelatione facta Bernardo Patri, vt nihil mirum, si alios benè instrueret, instructus ipse Magistris de cœlo missis.

b lib. 2. cap. 1.

3. Sed & quos verbis suadere minus poterat, miraculis trahebat ad pœnitentiam; audi quod sequitur. [c] *Agebatur solemnitas quædam præcipua* (ait Guilelmus Abbas) *& Frater quidam, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit; sed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præsumptione meliùs aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traycere, & diu multumque conatus, cùm nullo modo præualeret, anxius, & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta denique hora orationis sexta, Patrem sanctum traxit in partem, cuius pedibus aduolutus cum multis lachrymis, quod patiebatur, aperuit, & aperto ore, ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absoluit, & sine difficultate recepit dominica Sacramenta.* Hactenus Abbas sancti Theodorici.

Sed audi maius adhuc, sublimiusque, ab Exordij magni auctore fideliter descriptum; quod tamen non virtutis, sed doni opus, atque internæ motionis specialissimæ, admirandum potius transcribam, quàm imitandum. [d] *Quidam Monachus huius sancti Patris per fallacias Dæmonum, & per proprij sensus simplicitatem in tantam cordis inopiam deuenerat, vt diceret, panem, & vinum aqua mixtum, quæ proponuntur in altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Quapropter eadem viuifica sacramenta, tanquam nihil profutura sibi sumere despiciebat. Notatus denique à fratribus, quòd Sacramentis altaris non participaret, conuenitur secretò à senioribus suis. Requisitus, causam non negat, dicens Sacramentis se nequaquam fidem adhibere. Quibus dum docentibus, & monentibus non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet: ad venerabilem Abbatem res delata est. Cumque vocatus venisset, & Abbas sanctus, secundùm datam sibi sapientiam, infidelitatem illius compuταret, ille respondit: Ego nullis assertionibus ad hoc potero induci, vt panem, & vinum, quæ in altari proponuntur, credam verum corpus, & sanguinem esse Christi, & propterea scio me in infernum descensurum. Quod audiens vir Dei, sicut semper in rebus arduis solebat mirabilem ostendere virtutem, dixit: Quid? Monachus meus in infernum descendet? absit. Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, communica in fide mea. O pium Patrem! O verè sapientem medicum animarum, & per unctionem gratiæ docentem se de omnibus, scientem qualiter infirmantium tentationibus mederi deberet. Non dixit, Fuge hæretice; vade damnate, recede perdite; sed fidenter dixit, vade, & communica in fide mea, credens indubitanter, paruulum filium suum, quem sacri desiderij visceribus parturiebat, donec Christus in eo formaretur, sicut nequaquã à visceribus charitatis suæ, sic nec à fundamento fidei suæ alienum existere. Constrictus itaque virtute obedientiæ Monachus, penitus sine fide, vt sibi videbatur, ad altare accessit, & communicauit, & per virtutẽ obedientiæ, sanctique Patris merita confestim illuminatus, fidẽ sacramentorum recepit; quam etiam intemeratam vsque in diem mortis suæ conseruauit.* Hactenus in Exordio. Ex quibus, similibusque in prouerbiũ exiit, sub aliis Patribus peccare nõ licere, sub Bernardo nec posse. Atque itẽ ipsum vel nolentes ad cœlũ trahere, quip-

4. (margin, beside "Sed audi maius adhuc")

d lib. 2. c. 6.

pe rebelles, nec consiliis acquiescentes, per miracula etiam debellabat.

5\. Cæterùm quod ad promissionem attinet salutis omnium, qui in Ordine permanserint, similẽ planè aliam accipiat lector, sanctissimo cuidã Monacho (dubium an Claræuallis) Gerardo nomine, in extremis agenti, de cœlo factam, Bernardo Patre viuente, & attestante: si tamen eius est libellus ille, qui sub titulo doctrinæ beati Bernardi, inter opera ipsius circunfertur. *Insuper* (inquit) *paratus sis ad obediendum, alacri animo, & vultu. Cogita Monachum illum Gerardum nomine, qui cum de Dei misericordia vltra modum desperaret, infirmatus ad mortem, iacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu. Et visitatus ab Abbate, oculis apertis, ait: Bona est obedientia. Ad tribunal Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsumque facie ad faciem dicentem mihi: Ecce locus tuus inter fratres tuos. Nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amauerit, aut in morte purgabitur, aut breui post mortem. Salui autem qui de Ordine tuo sunt, aut in Ordine Apostolorum, aut Martyrum, aut Confessorum sortem accipient. Et hæc dicens, communione accepta discessit.* Hactenus Bernardus, seu quicumque est auctor illius libelli, planè antiquus, talisque, qui pro Bernardo Patre haberi meruit.

6\. Simile quid sub Abbate Pontio in Claravelle, & contigisse legimus, & suo loco inferiùs referemus. Nempe vt in ore, non solùm duorum, sed trium testium verbum consistens, altiùs mentibus omnium imprimeretur. Simile, inquam, vt credo, sed nõ idem. Nam neque gestum sub Pontio retulisset Bernardus, qui obiit ante eius præfecturam. Et vt dicamus, nõ Bernardi opus, sed alterius iunioris ex Claravalle: at subiectorum adhuc differentiam arguere videtur distinctio nominum, quippe alter Gerardus vocabatur, vt iam vidimus, alter Bernardus, vt ex magno Exordio infra etiam videbimus.

Interim adnoto, quod pulchrè etiam Cæsarius has promissiones, & si quæ sunt similes, nostrorum animos ita in spem exigere, vt nihil prorsus possint præsumptionis, nihil securitatis illis afferre; si obseruantibus, easdem recepturis ex firmiori Euangelico sermone: si transgressoribus, iam factis extra Ordinem, atque adeò extra spem præmij repromissi. Audi Cæsarium de hoc ita loquentem. [e] *Non nos hæc verba fratres seducant. Si aliqui essent inter nos (quod absit) fures, proprietarij, conspiratores, eisque consimiles, tales de Ordine non sunt, quia eiusmodi Ordo excommunicat. Qui autem non communicat, alienus est.* Ita Cæsarius. Quod clariùs Exordium dicit, saltim faciliùs, dum non quibusque in Ordine manentibus; sed si humiliter, & obedienter conuersentur, futuræ gloriæ præmium repromisit. Obseruantibus ergo sanctam regulam, adeoque & Euangelium, facta promissio transgressoribus in nullo est fauorabilis. 7.

e Hom. 8. post Epiphan.

---

1. Milites, ex cereuisia benedicta, in Claravalle Monachi: 2. inter quos VValterus, 3. & Petrus Lusitanus, si Brito credimus. 4. Carthusienses Bernardo Patri scribunt 5. Rescriptum Sancti militũ simul, 6. & humile. 7. Eiusdem ad Carthusiam primus aduentus. 8. Quid cum Portarum, & de Monte Dei Cœnobiis? 9. Quid cum Hugone Gratianopolitano, mutuis vtrinque reuerentia, 10. & dilectione.

Capvt III.

1\. PEr idem tempus, nam incertus adhuc annus, & sunt qui differant nimium, sed immeritò, ex nobilioribus Galliæ non pauci Proceres, &, si credimus Brito [a], ex Lusitanis, dum militarẽ gloriam per orbem ambiunt, facientes sibi pericula, hostesque; neque vindictam quærentes, sed offensam; in Claravalle auxere numerum fratrum, genus vitæ amplectentes, quod exhorrebant. Id Guillermus sancti Theodorici Abbas memoriæ prodidit. [b] *Diuertit* (ait) *aliquando nobilium cohors militum ad Claramvallem, vt viderent locum ipsum, & Reuerendissimum eius Abbatem. Propè autem erat sacrum Quadragesimæ tempus, & illi omnes ferè iuuenes, & dediti militiæ sæculari circum ibant, quærentes execrabiles nundinas, quas vulgo tornetas vocant. Cœpit itaque ab eis petere paucos illos, qui ante Quadragesimam supererãt, dies, ne armis interim vterentur. Quibus obstinato animo renuentibus, nec concedere acquiescentibus: Confido* (ait) *in Domino, quòd ipse mihi dabit inducias, quas negastis. Et accersito fratre, iubet eis cereuisiam propinari, benedicens eam, & dicens, vt potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter quidam, tamen inuiti præ amore sæculi, metuentes eum, quem postea sunt experti, diuinæ virtutis effectum. Vt enim egressi sunt Monasterij fores, mutuis se se cœperunt inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, & currente velociter verbo eius, eadem hora reuersi, & conuersi a viis suis, spirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo, quidam autem cum eo iam regnant, carnis vinculis absoluti.* Ita Guillelmus.

b lib. 1. c. 11.

2\. Inter hos nobiles, conuersum VValterum, dictum de Monte mirabili, virum illustrem; nec minus virtutibus in religione clarum, quàm in sæculo genere, idem auctor testatur. Porrò hunc VValterum eumdem esse, cuius nepos VValterus, dum adhuc infans, Bernardi manum qua potuit apprehendens, osculis repetitis venerabatur (de quo nos infra alibi adnotatum memoriæ prodit. [c] Auunculum inter Sanctos Cistercij [d] Seguinus numerat, & eum sequutus [e] Chrysostomus Henriquez, nulla actorum illius maiori luce; quod eo magis dolendum, quo frequentiùs. Cæterùm quæ de Monachatu nepotis [f] vterque subdit, post annos pubertatis suscepto, incertius adhuc, suo erit nobis loco discutiendum.

c lib. 1. c. 11. in fin.
d lib. 3. de vir. illustr. cap. 16.
e In Menol. Iunij 6.
f Seguin. l. 3. c. 2.

3\. Bernardus [g] Brito nunquam non Lusitanus in his quæ narrat, ex prædictorum militum numero putat Petrum Alfonsum, Henrici Lusitani Comitis nothum, Alfonsi fratrem, qui ostentandæ virtutis in rebus bellicis, sociũ Proceribus Gallis se se addiderat, mox inter Pares etiam numerandus. Hunc imò cæteris auctorem extitisse visitandi Bernardum, & vt statim in Ordine non manserit, cereuisiæ tamen vim non euasisse, duplicata in Cistercio professione, altera sub militia Auisiensi, cui pòst præfectus; altera demũ assumpto Monachatu in Alcobatia. Id vt cõcordet antiquorum scriptis, non omnes illico conuersos arbitratur, sed plures tantùm; reliquos discessisse, tunc rebelles; attamen parituros discursu temporis. Veteres reclamare videntur huic interuallo, quippe eadem hora reuersos, conuersosque sine vlla differẽtia loci, aut temporis, [h] Guillelmus, & Alanus, atque item Vincentius tradidere. Idem Anonymus Gallus, quẽ Sylua transtulit, & quotquot rem proximiùs inspexere.

g Menolog. Iunij 15.
h lib. 1. c. 11. in spec. histor. lib. 26. c. 25.

Inter

4. Interea vt sæculares ad religionem, sic Religiosos diuertentes in Claramvallem Bernardus in sui amorem inflammabat. Sed inter alios Carthusienses Monachos, non multo ante Cistercium, mundo exortos (magnum Ecclesiæ iubar) sibi deuinxit, vt minus nihil Carthusia illius esset, quàm Claravallis. Carthusianus hospitio ab eo susceptus, & propriis oculis hauriens, quæ fama priùs, suis redditus excitauit eorũ animos, & iam olim affectos, amantesque, in externa etiam signa fecit erumpere. Ergo Guido Carthusiæ magnæ Prior, & fratres eius, comperta sanctitate Patris, filiorumque, & multitudine conuenientium ad Claramvallem, venerari viros, & quæ conditio charitatis est, non inuidere; quin cõgaudere profectui nouæ familiæ, & erumpentibus flãmis dilectionis, prouocare silentes, & de bonis illorum gratulari, litteris vltrò scriptis, missisque, queis Bernardũ ignotum licèt adhuc, ardentissimo affectu salutabant. Extat rescriptũ ad ipsos sancti viri, ex quo vt mutuũ amorem exprimente, non abs re erit pauca hîc decerpsisse.

5. i epist. 11. [i] *Inter Patres reuerendissimus, & inter amicos charissimis, Guigoni Priori Carthusiensi, cæterisque Sanctis, qui cum eo sunt, frater Bernardus de Claravalle salutem æternã. Sanctitatis vestræ litteras tam lætus accepi, quam auidus, & olim desideraueram. Legi eas, & quas voluebam in ore litteras, scintillas sentiebam in pectore, quibus & incaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescit ignis, è quibus huiuscemodi euolant scintillæ? Vestra illa succensa, & succendens salutatio, sic mihi (vt verum fatear) accepta fuit, & est quasi non ab homine, sed certissimè ab eo, qui mandat salutes Iacob, descendere videretur. Non me sanè arbitror salutatum in via, non in transitu, non veluti ex occasione, vt assolet, consuetudinis; sed planè ex visceribus, vt sentio, charitatis prodiit hæc tam grata, & inopinata benedictio. Benedicti vos à Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ præuenire curastis, vt daretur puero vestro, vobis primum scribentibus, fiducia rescribendi; scribere quidem ad vos iampridem gestienti, sed non præsumenti. Verebar nimirum sanctam, quam in Domino habetis, quietem, iuge illud vestrum, sacrumque silẽtium à sæculo, susurrium cum Deo, vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus penitus occupatis supernis elogiis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Eliæ in deserto, aut certè excubanti in templo Samueli, si diuinis intentissimos, cõfabulationibus aliquatenus auocare temassem. Quid enim? Ego ne tam temerarius essem, vt inter sponsi brachia suauiter quiescentem auderem suscitare dilectam, donec ipsa vellet?*

6. *Verùm quod non audeo ego, ardet charitas . . . adeò vt minimè duceretis indignum me non modò sustinere loquentem, sed tacentem benignè prouocare. Amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo, & veneror puritatem, qua de nostris profectibus, quos putatis, tanta in Domino exultatione gloriamini. Glorior & ego plurimum tam sancto testimonio, & seruorum Dei tam grata, quam gratuita admodum familiaritate delector . . . Festiuus enim erit mihi dies ille ducendus, & memoriale sempiternum, in quo virum illum videre, ac suspicere merui, per quem factum est, vt in cordibus vestris ego reciperer. Et quidem iam antè receperatis, vt apparet in litteris vestris, sed nunc arctius vt comperi, & familiarius, cùm ille vobis retulit de me quædam, quæ etsi non probauerit, putauit tamen. Fidelis quippe, & religiosus, absit, vt aliter loqueretur, quam credidit. Et reuera in me ex-*

k Matth. 10. *perior, quod ait Saluator,* [k] *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Mercedem quippe iusti dixerim, quòd iustus reputor non ob aliud, nisi quòd iustum recepi. Nam si quæ superaddita sunt, ea iustus non tam ex veritate rei, quàm ex puritate sui loquutus est. Audistis, credidistis, exultastis, scripsistis, & me non parum lætificastis, non solùm quòd aliquem locum gratiæ, & locum non mediocrem apud vestram merui sanctitatem; sed & quòd nobis vestrorum non parua ex parte, puritas animorum innotuit. Paucis proinde aperuistis, cuius spiritus estis. Gaudeo proinde mihi, gaudeo & vobis, meæ vtilitati, & vestræ sinceritati.* Hæc, & alia Bernardus in ea epistola, queis Carthusiensium erga eumdem sanctum virum, itemque eius erga Carthusienses mutuus affectus, & reuerentia designatur. Nec minus id ipsum ostendit alia, breuior licèt, quam pluribus negotiis præpeditus (quippe à quo iam incipiebant cuncta pendere) ad eosdem scripsit excusans, quòd non visos pertransierit, quam suo loco inferiùs referemus.

7. Hinc arcta Sancto cum Sanctis familiaritas, affectuosa amicitia cum toto Ordine: hinc ad Carthusiam magnam diuertendi, hinc ad cæteras instituti eiusdem domos, personasque, occasiones quæsitæ, quàm inuentæ, absorbente attẽtionem mentis affectu cordis, & nihil præter ipsos cogitante, siue exteriùs sentiente, dũ ipsos quæreret. Neque enim sine causa factum puto, vt in eo præcipuè itinere, quo Carthusiam petebat, neque animal ipsum videret, quod equitabat. Audi Gaufridum de hoc ita

l lib. 3. vitæ c. 1. loquentem. [l] *Carthusiæ quoque à viro reuerendissimo Guigone Priore, & à cæteris fratribus eodem affectu, & eadem veneratione susceptus est seruus Christi; exultantibus illis in gaudio, qui qualem eum per epistolam priùs nouerant, talem inuenerunt & præsentem. Cæterùm cùm in reliquis omnibus ædificaremur, vnum fuit quod prædictum Priorem Carthusiẽsem aliquatenus mouit, stramentum videlicet animalis, cui idem vir venerabilis insidebat, minus neglectum, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis, quod mente conceperat: sed loquutus vni ex fratribus, aliquatenus super hoc moueri se se confessus est, & mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum, quod audierat, retulisset, non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum, quærebat, quod ita scilicet à Claravalle Carthusiam vsque venisset, vt nusquam illud vidisset, nusquam considerasset, & vsque ad horam illam, quale esset, omninò nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam Monacho Cluniacensi auunculo suo, & in sua vicinia commorante, fuerat commodatum, & erat sicut sibi sternere ille solebat.* Ita Gaufridus loquens de hoc itinere. Guigo ad continuans mentis eleuationem, quasi abstractæ à sensibus referẽdum putauit. *Quòd sic Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, vt quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset.* Sed distractio specialis in hac via aliquid speciale arguit in termino, Bernardi affectum singulariùs rapiens, eoque magis à quocumque alio diuertens.

8. Porrò hunc affectum non solùm in Carthusiam, Guigonẽque, sed in quascumque instituti eiusdem domos, ac Monachos eidem Sancto insitum, de Portis, & de Monte Dei conuẽtus probant, ad cuius primi Priorẽ tres [m] epistolas, easque plenas mellitæ m epist. 153. 154. & 299.
deuotionis: quin & sermones in Cantica scripsisse, dicemus inferiùs. Sed & frequẽs accessus ad secundam in causa fuit, vt libellus ad fratres de Monte Dei per idem tempus à Guillelmo Abbate editus, & tunc à multis sub Bernardi nomine, & nũc inter opera eius circumferatur: igneus sanè, & Bernardo auctore dignus, si non Abbatis sancti Theodorici, eiusdem Sancti non solùm historici, sed familiaris amici opus comprobaretur. Sed de his aliàs. Nunc sancti Patris in Carthusiam totam, & professores eius præcordialem affectum prosequamur.

9. Inter cæteros, quos charos complures habuit,

& quibus vice versa charus fuit (neque enim vacat omnes recensere) magnum Ecclesiæ lumen Hugo refulsit, Gratianopolitanus Præsul, Carthusianis corde tenus adhærens, & qua licuit, ipse Carthusianus. Hunc Pater sanctus non minus visitauit, non minus coluit; neque præuentus ab ipso, sed præueniens, admiraturusque, quem minus se imitari posse credebat, alloqui saltim, & venerari sollicitauit. At qualiter ab eo susceptus sit, & supra vtriusque ætatẽ præuentus cultu, qualiterque post mutuam agnitionem cõglutinati animis, ad finem vsque vitæ perdurauerint, quia ad hoc tempus coniector pertinere; Godefridi Claræuallẽsis, qui, sicut in proœmio ipse testatur, ea solùm scribit, quæ præsens hausit, vel à præsentibus relatione fida cognouit, verbis mutuatis, libet hîc transcri-
m lib. 3. c. 1. bere.[m] *Cùm iam Dei famulus* (scilicet Bernardus) *annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum eius, vt sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum, & Carthusienses fratres deuotionis gratia visitaret. Quem prædictus Episcopus tam gratanter, & tam reuerenter suscepit, diuinam intelligens in eiusdem hospitis visitatione præsentiam, vt prostratus solo tenus adoraret. Videns autem seruus Christi Episcopum ætate grandæuum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum coram se procidentem, vehementer expauit, ipse quoque pariter corruens ante eum: & ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam, non sine graui gemitu, causabatur.*

Hæc Godefridus de mutua reuerentia vtrique 10.
Sancto, ab altero exhibita. Verùm ex mutua exinde dilectione, hæc quæ sequuntur.[n] *In cuius* (id n ibidem.
est, Hugonis) *pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, vt fierent deinceps duo illi filij splendoris cor vnum, & anima vna, & se inuicem fruerentur in Christo. Sicut enim Regina Sabaa de Salomone testatur, vterque se se in altero longè amplius, quàm fama vulgasset, inuenisse gratulabantur.* Hactenus ille. Nos quæ de beati Patris affectu in Carthusianos, & vice versa Carthusianorum in ipsum dispersa inuenimus, annis licèt fortasse, sed parum dissita, in vnum hunc collegimus, sumpta ex priori epistola occasione; secundam nihilominus omissam, nec sine causa; itemque eas, quæ ad Bernardum de Portis scriptæ sunt, opportuniori loco tradituri. Nunc ad historiam redeamus.

---

1. Vinea hoc tempore sata in Claravalle, 2. maledicta à Gerardo, priùs sterilis: 3. mox à sancto Bernardo benedicta, nimium fructifera: 4. vel grandine vastata, ingentem musti copiam ex botro dedit. 5. In Chronologia inuersus parumper ordo. 6. Secunda Firmitatis filia Locedium surgit. 7. (In qua Beatus Oglerius mirè floret) atque item duæ neptes Pontigniaci.

CAPVT IV.

1. ANnum claudant ex more nascentes domus, quibus Cistercium per orbem dilatabatur. Sed priùs dicenda vinea Claræuallis, nunquam non prodigiosa, nunquam non celebris, quam per hoc tempus satam, ex historiæ eius serie coniectamur. Sanè sterilis primò, mox fœcũda; dein vtrumque simul, semper portentum obedientiæ fuit. Hanc quidam frater nomine Christophorus, externis rebus præfectus à sancto Patre, & quasi in adiutorium Gerardo datus, feriatis, si quæ erant, horis plantauerat, Bernardo inscio; quippe ad quem diximus, multa non deferri, ne animus illius à diuinis ad terrena cum minori fructu descenderet. At Gerardus, & Guido, Bernardi fratres, vinum nimias delicias arbitrantes, eoque dedecens Monachorum austeram vitam; auersari opus, inficiari laborem, Christophorum ab incepto dissuadere, quibus poterant mediis insistebant. Ille è contra, laborantes in agro fratres vix posse sine vino sustentari, & multos esse infirmos, debilesque, quibus sumendum, vel pro medicina: tum si nulli vsui necessarium foret, facilè vendi; atque ex pretio eius emi plura alia, queis proculdubio domus indigebat. Sic pecora inter nostros recepta vsu, quorum carnibus tamen non vescerentur, nisi graui vrgente infirmitate.

2. Atque hæ Guidoni rationes satis visæ, ne opus illud omnino condemnaret. Sed Gerardus, quo erat feruens zelo, ex nimia abundantia vini abusum metuens, si vinea adulta in palmites erumperet, & palmites in botros fructificarent: fortè & satoris intentionem suspectam habens, versus ad eum prorupit in hæc verba. *Tu frater, vineam planta, coleque, nunquam tamen de illa gustaturus, quam infructiferam semper experieris.* Res mira, & digna, quæ versetur in ore omnium: sata, atque industrio labore exculta vinea, fertili solo, & propitio sole, & aëre, sterilis nihilominus permansit per multos annos; nec prius terra fructum ex illa protulit, quàm satorem susciperet, atque eius defuncti corpus in se haberet. Obedientibus nimirum creaturis voci Gerardi, atque ad illius imperium comprimentibus inditas sibi à natura operationes. Sic zelus sancti viri mundo ostensus, & commendatus; miraculo insigni, & prophetia.

Verùm quæ in eadem vinea sequuta sunt, duo 3.
alia prodigia proferamus. Mortuo satore, cùm nec tunc fructificaret, Bernardum Patrem Monachi adiere, dubium an etiam Gerardo vita functo, & vineam eam sterilem maledictione viri illius sanctissimi, in eo statu semper permansurum, si non per ipsum benediceretur, humiles, & fideles renunciarunt. Tunc Pater sanctus, aquam in peluim missam ad se adduci, & benedictam, per vineam iussit spargi. Sparsa aqua, quasi rore de cœlo misso, germinauit plantatio, & vt sterilis Gerardo fratri olim, ex tunc opima Bernardo obtemperauit. Et compensauit abundantia tarditatem, quo nec primum miraculum nocuisset, & secundum gloriosiùs appareret. Hæc ex[a] Anonymo Gallo, quẽ Sil- a lib. 7. cap. 7.
ua transtulit, auctore antiquo æquè, & digno fide.

Addunt præterea seniores Claræuallis, traditio- 4.
ne à Patribus accepta, eamdem vineam post aliquorum annorum fertilitatem, turgentibus iam granis, & penè maturis, grandine è cœlo tactam, protritamque, adeò vt vix duos botros retinuerit, qui possent in vindemiam reseruari. Porrò ex his, vnum datum prægnanti fœminæ, appetenti, aut petenti, quasi appeteret. Sed ex altero, in ingenti vase ligneo, quod hodie perseuerat, expresso Bernardi manibus, in tantum mustum creuisse modico tempore, vt redundante vase, diffunderetur. Sic Villalpandus in suo Itinerario: qui vas vinarium insitatæ magnitudinis se ibidem vidisse, anno Christi M. DXCIX. ac senes traditioni facientes fidem audiisse testatur, illuc à Reuerendissimo Fiteriensi missum, antiquitates lustratum illius domus. Sic vinea illa nunquam non mirabilis, nunquam

quam non obediens, nec minus sterilitate, quàm fructu semper illustris, vsque in hunc etiam diem, post quingentos, & eis amplius annos, perseuerat; nomine magnæ sortito ab spatio loci, vel ab euentibus. Atque hæc per anticipationem ex parte dicta, quod in his leuibus consultius æstimamus.

5. Sed iam eiusdem anni tria Cœnobia, tunc prima mundo exorta, ex Chronologia ipsa recenseamus.

Anno inquit) *M. C X X I I I. decimo Kalendas Maij fundata est Abbatia de Bullio.*

Eodem anno duodecimo, Kalendas Aprilis, Abbatia de Locedio.

Eodem anno .... Abbatia Gundonij. Hæc Chronulogia, temporis, vt apparet, inuertens ordinem, sed qui facile possit instaurari.

6. Locedium secunda filia Firmitatis, secundaque Cisterciensis familiæ domus in Lombardia, venerabilis Petri industria, & zelo nata, & si librum taxarum Cameræ attendas, prædiues fuit; quippe M. CCCCXXXIII. florenos soluit, quos nec Episcopatos Vercellensis, ad cuius parochiam pertinet, adæquat. Nomen à loco Dei, pro more Ordinis, corrupta voce transiit in Locedium. Propago longè, latéque diffusa, quippe vltra mare in Nigropontum missa, ibique dilatata, quod ex litteris Gregorij noni infrà videbimus. Extat in iure textus, non parum celebris, *in cap. olim causam*, de restitutione spoliatorum, & in eo memoria huius Cœnobij, cuius Abbati simul, & Columbæ, de quo in tempore, causa commissa narratur ab Innocentio. Item eiusdem ad eundem litteræ, pro conciliandis Principibus Christianis, de Principatu Antiochiæ inter se certantibus, quas suo loco inferiùs adducemus.

7. Initia domus consecrauit Beatus Oglerus, non multo pòst incrementa promoturus. *Quippe* [b] (vt Philippi Seguini verbis vtar) *audiens famam Diui Bernardi Clareuallensis Abbatis, tantarum virtutum emulus, mundum cum flore despiciens, venit in Locedium, vbi monasticæ vitæ indumentum suscepit, atque multis virtutibus ibidem enituit.* Cæterùm postmodum promotus in Abbatem, meritis æquè, & miraculis gloriosus, vtrisque bonis Locedium locupletauit. *Erat* (ait idem auctor eodem loco) *adspectu decorus, vultu hilaris, incessu grauis, in pauperes liberalis, in amicos iucundus, in delinquentes clemens, & in seipsum rigidus: & licèt sæcularibus negotiis aliquando esset occupatus, tamen totam mentem in Deum semper conuertebat.* Ita Seguinus. Sed quod attinet ad tempus, dubia fide; quippe Oglerum aliquando posteriorem, ex ipsis actis, quæ infrà referemus, non difficile licet coniectari. Eandem domum illustrasse dicitur B. Georgius Monachus, quem tamen à Ioanne Abbate prætermissum, quædam alia instrumenta, ex Tabulario eiusdem domus ad nos transmissa, meritis, miraculisque claruisse produnt. Igitur horum, aliorumque virorum non industriæ, sed sanctitati incrementa Locedij referenda, quæ hodie etiam illustrarent eam Ecclesiam, si non sub tristi commendæ iugo gemeret, eo oppressior, quo ditior, & tanto minori libertatis spe, quanto opulentior. Oglerum inter Sanctos Cistercij numerat Ioannes Cistercij Abbas, ex quo Menardus in suo Martyrologio. [c] *Beatus Oglerus* (ait) *Monachus & Abbas Locedij, Ordinis Cisterciensis, miraculis post obitum clarus.* Nec plura Menologium [d] Cisterciense, quamuis diffusiùs, quippe nulla maiori notitia accepta ab antiquioribus. Nos de Oglero inferiùs multa dabimus, & quidem omnia ex ipsis instrumentis, & litteris Pontificum, quæ Bibliotheca Vaticana largè suppeditauit. Haud tamen dubium multa prætermissa, quæ, ô vtinam! alius superaddat. Sanctorum vitæ annales cæteros implent, nostros respergunt, historiis integris nequaquam suffecturos, & vix nominibus.

Sequuntur ordine Bullium, & Gundonium, vtraque domus neptis Pontigniaci: illa ex Dalone nata, hæc ex Cadunio, vt verè Pontigniaci linea sub his initiis, Hugonis Patris industria, curaque, etiam supra Claravallensem dilataretur. Genesis Ecclesiarum Pontigniacensium Bullium Lectorensi diœcesi in Vasconia assignat, cui codex Cisterciensis etiam concordat. Verùm in taxis Cameræ Apostolicæ non Bullium, sed Bolacium nominatur. Extat & aliud Cœnobium eiusdem nominis (hoc est, de Bullio) in diœcesi Lemouicensi: itemque in Besuntinensi de Bullione, Cisterciense vtrumque, sed recentius, vt suis locis infrà demonstrabimus. Cætera huius Cœnobij obscura nobis. Nec notiora Gondonij, nisi quòd situm in diœcesi Agenensi in Aquitania, Genesis signat, taxæque concordant. In quibus tamen non Gondonium dicitur, sed Gondoma, aut Gondonia, corrupto nomine. Extat inter decretales Gregorij noni, quas ex prototypo Vaticano transcriptas apud me habeo, ad Episcopum Xantonensem, simul & Abbatem Gondonij scripta, honorifica satis, quæ infrà dabimus. An autem à Gordonio diuersa sit, diœcesis Caturcensis, quæ inter Obacinæ filias, in Genesi Ecclesiarum Cisterciensium memoratur, aliorum linquo iudicio discernendum. 8.

[b] lib. 3. c. 20.

[c] in secunda appendice.

[d] Sept. 10.

IESVS CHRISTI ANN. 1124. — CISTERCII ANN. 27.

1. Ioannes Cirita in Abbatem benedicitur. 2. Aldebertus Nouitios tredecim suscipit, 3. quartus decimus cæcus, dum venit, videt. 4. signatus locus, & iuuenis admissus. 5. Balduinus Hierosolymis captus, sed mox liber, 6. locum sancti Samuelis Bernardo Patri ipse Præmonstratensibus donat. 7. Sancti in eam familiam mirè affectus: 8. & amissæ illius plures epistolæ.

CAPVT I.

1. CENTESIMVS vigesimus quartus annus supra millesimum, Cistercij vigesimus septimus, aduersa prosperis variè temperauit. In Lusitania (vt ab his initium sumam) dum surgit Monasterium sancti Christophori, Ioannes Cirita ad mortem ferè ægrotat. Aldebertus vocatus eumdem visitat, & sanitati redditum, præficit in Abbatem noui Cœnobij. Inde Visonium mittit (nunc *Viseo*, vicus aquarius Antonino pio) benedictionem ab Episcopo accepturum. Demum reuersus, & discipulorum suorum vota ac-

ceptans,

ceptans, conuentum sacrat inceptum anno proximo.

2. Tum Aldebertus Pater ad propria remeans, tredecim scribitur Nouitios admisisse, ex selecta Lusitaniæ nobilitate, ætate, indole, atque opibus florentes. Hos sequutus adolescens quidam inferior genere, sed meritis non impar, & miraculo aut clarior, aut celebrior, præfecti fabricæ filius, quem multis aliis dotibus ornandum, maternus vterus cæcum luci dederat. Voluisset Pater tredecim Nouitiis quartum decimum filium superaddere, neque displicebat Aldeberto indoles iuuenis, ingenij claritate compensans defectum visus. Sed cæcum hominem, nulli labori aptum, habere, inutile, suscipere, etiam perniciosum. Et vt spem ex indole, sic ex orio metum concipiebat. Afferri nihilominus iussit adolescentem, fratribus Deum pro ipso rogaturis. Pater miracula aut non credens, aut non sperans, filium dum apud matrem detinebat. Sed Aldebertus zelo, & fide feruidus, & de fratrum suorum orationibus, ac Dei benignitate confidens, cunctantem corripit, & filio visum promittit, si adducatur.

3. Tunc ille aliquanto magis in spem erectus, sed adhuc timenti propior, quàm speranti, iuuenem relaturus proficiscitur, ægre de gremio matris euellendum. Et iam iam Monasterio appropinquabant, proximum illi iugum superantes, cùm ecce iuueni visus restitutus, primò lucem, mox terram, demum in terra templum patefecit, atque templo vicinam habitationem. Conuersusque ad Patrem, Pater (ait) dormio ne, an videre mihi videor, quod nunquam hactenus? Ecce inter cœlum, terramque distingno; ecce ædificium apparet in ima valle; ecce arbores, atque vndas præterlabentes. Tunc demum Pater miraculo perculsus, & prius beneficium expertus penè, quàm sperans, oculis, manibusque in cœlum intentis, omnipotenti Deo gratias egit, qui filium illum, quem vnicè amabat, sibi non tantùm elegit, sed deuinxit. Idque meritis fratrum sancti Ioannis, quos Magistros eo tantùm non quæsierat, quia non sperauerat. Ast nunc spe cum visu simul concepta, quo habilius, auidiùs exoptaret. Cisterciensi familiæ natum non dubitare, qui non prius lucem corporis, quàm animæ; non prius sæculum vidisset, quàm Monasterium.

4. Locum miraculi, antiquiores notâsse perhibentur, erecto crucis signo, quæ hodie etiam vocatur *Domira Dowe*, Inspectorium Latinè reddas, neque incongrue. Iuuenem tunc admissum ad probationem, & post annum professum, religiosam vitam religiosiori morte consummasse, testatur [a] Brito, quem horum omnium proferimus auctorem, continuata per annos serie suæ historiæ. Atque hæc quidem de rebus Lusitanis.

a lib. 1. c. 5.

5. At Hierosolymis hoc eodem anno Rex Balduinus captus à Saracenis, sed miraculo non minus insigni, & rei Christianæ longè fructuosiori, libertate donatus; Bernardo Patri construendo Cœnobio locum offert, impensasque, quæ sanctus vir filiorum amantissimus, ne tanto maris, terræque interuallo, quos genuerat, elongari à se permitteret, beato Norberto, & Præmonstratensibus Canonicis, tunc recèns natis, vtrumque tradendum curat, impetratque, nihil minus deferens eorum sanctitati. Nos Balduini capturam, & libertatem, ex Roberto Sigeberti continuatore; reliqua ex ipso Bernardo del[i]bamus. [b] *Balduinus (ait) Rex Hierosolymorum, à Saracenis prauentus, capitur, qua de re men-*

b in Chronic. hoc anno.

te excedentes, vndique versum euocati, ad quadraginta millia conglomerantur, vnde Christianos à finibus suis exterminent, & apud Ascalon impedimenta sua commendent. Christiani verò in arcto positi, nihil spei, nisi in Deum habentes, exemplo Niniuitarum, vtrique sexui ieiunium indicunt, pueris etiam lactantibus, infantibus, vniuerso quoque pecori pabula denegantur. Dies pugnæ indicitur; procedunt Christiani cum equitibus, & peditibus, vix ad tria millia æstimati. Principes gradiuntur in fronte, scilicet Patriarcha vexillo offerens crucem Christi, Abbas olim Cluniacensis Pontius præferens lanceam trãsfixam in latere Christi, Episcopus Bethlehemites ferens in pyxide lac sanctæ Mariæ Virginis. Saraceni verò quaquaversum effusi, ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos, ne quis posset euadere. Dum ita in promptu barent Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendorem, scisso aere, super paganos subitò cecidisse; sed non prosperum, sed satis nociuum, quamuis hunc ipsi Saraceni non viderint. Illico enim omnium virium robore eneruati, passim fugientes caduntur, non solùm à viris, sed à pueris, & fœminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia: omnes verò Christiani incolumes reuersi, summum, & dulce epinicium reboant Deo in excelsis. Hæc Rubertus de miraculosa illa victoria.

Porrò quod Balduinus libertati per eam, & Regno redditus, amico Dei Bernardo iam tunc celebri, quasi in gratiam suscepti beneficij, locum obtulerit sancti Samuelis, non longè ab Hierosolymis, simulque mille aureos in opus fabricæ, quam Monachi è Clarauallæ missi inhabitarent, habemus ex eodem Bernardo Patre, in epistola ad Abbatem Præmonstrati. Ex qua non minus constat eundem Sanctum, siue adhuc in sententia permanentem, quam ad Artaudum Pruliacensem scripserat, filios non longè ablegandus à suis Patribus, crebra notitia, mutuáque agnitione, neque aliter in officio continendus, seu plurimum amantem sanctos viros, sanctissimi Præceptoris Norberti veros discipulos: re cum Stephano Patre priùs collata, forte & in generali Capitulo discussa, regium munus suspicientem, vt par erat, loco suorum substituisse Præmonstratenses, quasi ipsa missorum excellentia gratiam iam tunc beneficio relaturum. Audi Bernardum de his ita dicentem. [c] *Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viueret, locum sancti Samuelis donauit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur. Vos dono nostro, & locum habetis, & aureos habuistis.* Sic sanctus Ordo, qui Bernardo agente cœperat, aut vbi inciperet, locum obtinuerat, vltra suæ propagines transmisit, eiusdem dono. 6.

c epist. 252.

Cæterùm quantum idem beatus Pater Præmonstrato deferret, quandiu vixit, quantumque insisteret illius propagationi, noua alia beneficia, siue obsequia, veluti continuata serie manifestarunt. Nam & Belli loci, & sancti Pauli Ecclesias, illam Canonicorum Regularium, hanc Monachorum (vt ex Petro [d] Cluniacensi videtur colligi) Præmonstrato tradendas procurauit, obtinuitque, & locum Monasterij Franchævallis, quod postea ad Septemfontes translatum est, non minus impetrauit, atque concessit, vt pari affectu, & effectu familia vtraque, Præmonstratensis nimirum, & Cisterciensis, industria, & charitate ipsius promoueretur. Sed nos eundem loquentem audiamus. [e] *Deinde (ait) quòd de Bello loco vobis se associauerunt, nostri potissimum studij fuit ... Apud Virdunum pro Ecclesia sancti Pauli, vt eam vos haberetis, quantum laborauerim, multi norunt; quantum pro-* 7.

d lib. 4. epist. 10.

e epist. 252.

fecerim

fecerim ipsi sentitis. Si quo minus recognoscitis vos, extant epistola nostra ad beata memoria Papā Innocentium, huius rei veri indices, & quasi viui testes. Illis de septem fontibus locum, quem prius inhabitauerunt (Franchevallis nomen ei) nos contulimus. Hactenus Bernardus Paret in ea epistola. Ex quibus colligas, sanctam hanc familiam, æquè ac suam per omnia dilexisse, atque in omnibus æquè procurasse, quippe sollicitus pro Deo, non pro seipso, quos æquè cœlo charos, atque Ecclesiæ proficuos nouerat, æquè sibi diligendos arbitrabatur. Sic in recentibus, & penè æqualibus familiis, quarum sæculum illud ferax, vigebat charitas, totius (quod rarum) expers æmulationis. Et Carthusianis de Cistercij incrementis summè gaudentibus, gratulantibusque, Cistercienses Præmonstratum promouebant, & cooperabantur eius progressibus. Sed hæc aliàs.

Interim adnoto quod Bernardus Paret ait, extare epistolas eius ad Innocentium pro loco aggregando sancti Pauli, cùm minus inter alias reperiantur, argumento esse, non eas solas, sed plures alias amissas, ingenti damno Doctorum, atque piorum, quos æquè, illos erudiunt, hos inflammant, atque vtrosque delectant, quæ nunc supersunt. Vtinam non periissent plures aliæ, quas ad Stephanum Patrem vltro citróque missas, remissasque, nec dubitare licet, nec amissas fas est non deplorare; quippe his Annalibus multum collatu ras, si permanerent. 8.

---

1. Pretiosa mors Galdrici in Claravalle: 2. atque post mortem apparitio Bernardo facta. 3. Frequentes illa in filiis beati viri. 4. Quos pœnis per suffragia ipse eripiebat. 5. Deriuata in filios eadem gratia. 6. Conuersi apparentis post mortem status miser, 7. sed mox felix.

CAPVT II.

1. FLorebat Claravallis per hoc tempus viris illustribus, Gualterio, Humberto, Odone, Galdricoque, & quatuor aliis, quos suprà recensuimus, æque spiritu, & carne Bernardi fratribus. Sed è quibus Galdricum, cœlestis patria; Bartholomæum, & Gualterium Firmitas, Morimundusque præstolabantur: duos priores hoc anno diuidendos, sequenti, tertium. Ergo Galdricus auunculus Bernardi, sed spiritu filius, & discipulus, quem idem Sanctus morbo laborantem sanitati pridem restituerat, clarus virtutibus, & meritis gloriosus, mortalem vitam exuit, immortalem in cœlis adeptus. Felicem eius exitum, dum turbare conatur hostis communis, Princeps Apostolorum morienti adstat, & Dæmone fugato, animam suscipit, à se in æterna requie introducendam. Id sanctus vir, Bernardo Patri apparens in gloria magna, fideli testimonio reuelauit. Sed nos Guillelmum vtriusque familiarem, latiùs hæc disserentem audiamus.

2. [a] *Idem quoque Galdricus, cùm in Claravalle aliquantos iam peragerет annos, feruens spiritu, & totius boni æmulator ex hac luce migrauit. Qui ante vnam ferè horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit: sed ad pristinam serenitatem reuersus, vultu deinceps placidissimo spirauit. Noluit autem Dominus solicitum Abbatis animum huius rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquos dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cùm omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, & in magna sese gratularetur felicitate locatum: demum interrogatus est, quidnam sibi voluit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio? Dicebat autem, quòd ea hora duos spiritus nequam, velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent: vnde territus ita contremuit. Sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.* Hæc Guillelmus de felici Galdrici transitu, & post transitum gloriosa apparitione. Hinc recentiores omnes accepere. Henriquez virum Menologio suo inseruit ad decimam septimam diem mensis Februarij.

a lib. 1. c. 10.

3. Cæterùm quod attinet ad filiorum decedentium, absentium, præsentiumve præuias, vel subsequutas apparitiones, adeò frequentes tradit idem auctor, vt ægrè valeant scriptis commendari. *Longum esset* (pergit) *cuncta narrare, quæ super his, qui ex hac vita discesserant, & eorum felicitate, seu etiam necessitate diuina ei gratia reuelare ab ipsis initiis consueuit.* Hæc ibi. Sed & alibi in hæc verba. [b] *Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit. Nonnunquam etiam morientes in locis aliis, ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem eius, & licentiam postulantes, nimirum hoc agente, & obedientia missorum, & charitate mittentis.* Sic Bernardus præsentia, absentiaque sine discrimine, vtrumque sæculum sine differentia noscens, in vita, & morte suis prouidebat, dum imperabat.

b lib. 5. c. 13.

At qualiter eosdem ereptos ignibus, si quid fortè purgandum detulissent, quia semel diximus de his apparitionibus, vno, vel altero exemplo producto, non abs re erit lectorem admonere. Et primum quidem haustum ex eius ore, idem qui suprà auctor his verbis tradit. [c] *Vnum dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliquoties ipse commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conuersationis, & minus compatiens, quam deberet, in Monasterio defunctus est. Post paucos autem dies viro Dei apparuit vultu lugubri, & habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem, quid sibi esset? quatuor dilacerantibus sese traditum, querebatur. Ad quod verbum continuò impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus à facie viri Dei, qui grauiùs ingemiscens, post tergum eius clamauit, Præcipio tibi in nomine Domini, vt qualiter secum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. Et conuersus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem nouerat sanctitatem, eidem similiter subuenire monebat. Nec verò destitit, donec pòst, sicut præceperat, per aliam reuelationem cognita eius liberatione, meruit consolari.* Hactenus ille. Vt videas patrem solicitum pro filiis, vt viuentes à culpis, sic defunctos à pœnis liberasse: nec fore qui de manu illius raperet, cùm vix inueniretur, qui detineret. 4.

c lib. 1. c. 10.

Sed audi maius aliud, illustriusque, & in quo à Patre deriuata gratia in filios, earundem consortes apparitionum, & vt torturæ conscios, & cooperatores satisfactionis, sic libertatis participes faciebat. Id auctor magni Exordij ab his, qui affuerunt, acceptum, ita describit. [d] *Defunctus est conuersus quidam in Claravalle. Cumque concurrentibus fratribus, commendationis officium ex more fieret, Monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audiuit* 5.

d lib. 2. c. 2.

turmas

turmas Dæmonum per centurias suas incedentium, cum magnis strepitus vociferatione clamare, & dicere: Eia modò venite, eia modò venite: solummodo de hac mala valle vnam animam in nostræ sortis partem acquisiuimus. Cùm verò idem senior, qui hæc audierat, per noctis quietem somno membra dedisset, frater defunctus ei apparuit, tristi, & lugubri vultu dicens ad eum: Quia audisti heri Dæmones, de meis suppliciis exultantes, veni, & vide quam terribili tormento, Dei omnipotentis iusto iudicio, traditus sum. Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis, & horrendæ profunditatis, & dixit ei: Ecce in hunc puteum frequenter à Dæmonibus iniicior; quorum est tanta crudelitas, vt si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quàm semel à Dæmonibus huc immergi.

6. *Manè autem facto, dum quæ audierat, & viderat præfatus senior, Beato Patri Bernardo retulisset, licèt quoque & ipse ea per spiritum cognouisset, ingemuit, & ait: Scio quia nisi grauis causa existeret, nunquam Dæmones talem ausum præsumpsissent. Itaque Capitulum fratrum est ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti fratris exposuit, & deinde salubri exhortatione singulorum conscientias conueniens monebat, vt cautiùs in via sanctæ religionis ambularent: multam esse malitiam Dæmonum erga omnes Christianos, præcipuè tamen contra monasticæ religionis professores, affirmans. Post hæc fratris animæ in suppliciis constitutæ subuenire eos attentiùs monens psalmis, & orationibus, Missarumque celebrationibus irã Domini placare hortatur si fortè pius pater pulsatus precibus eorũ, per singularis hostiæ immolationem, tyrannicam Dæmonum superbiam debellare, & ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare.*

Quod cùm fratres deuotissimè facerent, paucis euolutis diebus, idem frater defunctus supradicto seniori iteratò apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente verò sene, quomodo se haberet, respondit: Domino Deo nostro gratias, bene, bene. Rursus requisitus quomodo liberatus esset, ait: Veni, & vide. Et continuò introduxit eum in Oratorium eiusdem loci, vbi ad singula altaria Sacerdotes cum ministris stabant, salutaris hostiæ immolationem summa cum deuotione celebrantes. Ecce (inquit) hæc sunt arma gratiæ Dei nostri, quibus ereptus sum: hæc est virtus misericordiæ Dei, huic hostiæ salutari non est quidquam, quod resistere valeat, nisi cor impœnitens. Euigilans autem senex, de liberatione animæ fratris gauisus est, modum quoque visionis eiusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos deuotiores ad immolationem hostiæ salutaris reddidit, quanto certius eius efficaciam in fratris ereptione meruerat experiri. Hactenus in Exordio Cisterciensi, ex quo [e] Magnum speculum exemplorum. [f] Pratum spirituale, [g] Gundisaluus à Silua, & communiter alij recentiores. Atque hæc occasione apparitionis Galdrici dicta, vt peccatores à vitiis deterrete, sic pœnitentes valent consolari, quibus talia remedia Deus prouidit. Ergo quia vtilia, quia planè singularia, quia eamdem apparitionum materiam, sed ignoto adhuc anno concernentia, boni consulat lector. Nunc ad gesta præsentis reuertamur. 7.

e distinct. 3. exemp. 16.
f lib. 5. cap. 6.
g lib. 7. c. 14.

---

1. Venerabilis Abbatis Firmitatis in Archiepiscopum Tarantasiensem electio. 2 ingens pro commissa Ecclesia solicitudo. 3. retentus habitus, & rigor disciplinæ. 4. Bartholomæus in promoti suffectus locum. 5. Admissus Bosso. 6. & Achardus adolescens de Dæmone triumphans. 7. Prophetia Bernardi, 8. & Nouitij cuiusdam miser exitus.

CAPVT III.

1. VT Claræualli Galdricum felix transitus, sic & Bartholomæum Bernardi fratrem promotio abstulit; per hoc tempus translatum ad Firmitatem, cùm venerabilis, & Deo dignus Petrus, eiusdem domus Abbas, sanctitatis æquè, ac doctrinæ fama illustris, in Tarantasiensem Ecclesiam assumeretur. Primus Pontifex curatus ex Cistercio, eoque magis renitens, formidansque, & nisi Stephani præceptum accessisset, fortè & totius Capituli, nequaquam electioni consensurus. Obscurasset obliuio virum sanctissimum, vt plures alios (proh dolor!) nobis eripuit, si non [a] Gaufredus Altæcumbæ Abbas eiusdem meminisset, quamuis obiter in vita alterius Petri Tarantasiensis, illius nimirum, qui hoc anno M.C X X I V. quem nunc transcurrimus, Monachum adhuc agebat in Bonavalle. Verùm eumdem, hunc alium præcessisse, nec immediatè, sed mediante Idraele pseudo Pontifice; adeoque electum ferme per hunc annum, de recentiori loquens, his verbis prodidit. *Interea Tarantasiensis Ecclesia virum sibi à Domino preparatum, & predestinatum, considerans, ab Idraele quodam moribus magis, quam nomine barbaro, de priori errore confusa, recessit. Ille enim prædictam Ecclesiam nequiter occupauerat, vt quàm detinuerat, ambitiosè ingrediens, & perniciosè progrediens; vt praue inchoata principio similis exitus consummaret.* Hæc de Idraele mediante inter vtrumque. At de Petro Firmitati Abbate, quem hoc anno promotum coniectamur, hæc quæ sequuntur. *Hunc præcesserat cum omni reuerentia nominandus alter Petrus, ex Abbate primi Monasterij, quod è Cistercio prodiit (Firmitas nomen illi) & ex eodem Ordine ad Pontificium primus assumptus, vir Deo dignus, in vita sua optimis preditus studiis,* &c. Hactenus Altæcumbæ Abbas, de sanctissimi viri promotione.

a apud Sur. 29. Iun.

2. Porrò quæ, & qualia vtrorumque bonorum incrementa Tarantasiensis Ecclesia sub eo habuerit, non minus obiter narrat idem auctor: sed narrat tamen, quippe non tam quæ auxit bonus Pontifex, quàm quæ successor eius dissipauit, memoriæ prodens. *Hunc* (inquit, idest, Petrum, de quo proximè) *sequutus est Hydræ soboles Idrael supradictus, sed tempore sortis, non imitatione virtutis. Quod enim ille correxit in moribus, quod acquisiuit in possessionibus, quod ecclesiasticis addidit ornamentis, hic corrupit, distraxit, dilapidauit in breui.* Ita Gaufredus, dum aliud videtur agere; eo magis commendans virtutes viri, quo ex vitiis oppositis clariores, pretiosioresque altiùs sese legentium mentibus ingerunt. Atque ex his etiam electionis illius tempus coniicio. Nam cùm Petrus secundus electus sit anno millesimo centesimo octauo, vt ibidem monstrabimus, si inter ipsum, & primum, de quo loquimur, mediauit Idrael: neque vtrique sufficiens tempus defuit, alteri corrigendi mores cleri, & populi, acquirendi Ecclesiæ possessiones, atque augendi decoris ecclesiastici: alteri è contra hæc omnia distrahendi, & corrumpendi mores, cultumque; vt vtrumque claudamus intra quindennium, aut etiam infra, hoc anno Petrum electum necesse est, vt saltuo non ab eo multum distanti.

Ergo

3. Ergo duobus Cœnobiis fundatis in Lombardia, Tileto, atque Locedio, & propria Firmitatis domo, religione, quàm diuitiis locupletata, Stephani communis Patris assensu, atque mandato, electioni consensit de se factæ. Nec Monachatum in Pontificium commutauit, sed huius onus, illius rigori imposuit, quippe in victu, vestitu, & obseruantiis nihil prorsus detractum vitæ priori. Quod in Ordine obseruatum ab initio, non dubito introductum a beato viro. Audi Cæsarium de hoc
b Homil. 5. post Pentec. ita loquentem. [b] *Ad quodcumque officium, vt est prædicatio, ad quamcumque dignitatem, siue sit Episcopatus, vel Patriarchatus, vel Papatus, Ordinis nostri personæ eligantur, de Ordine eis exire non licet: non eis licet habitum deponere, sed regulariter viuere, regulariter psallere, & manducare tenentur.* Ita Cæsarius, cui concordant statuta multis in locis. Vnde etiam increbuit consuetudo, vt Episcopi ex Ordine assumpti Cistercium visitarent per annos singulos, & Capitulum generale omnes adirent, pariter instruendi, & instructuri, quod suis locis sæpiùs adnotabimus.

4. Ergo Stephanus nouæ viduæ (Ecclesiæ Firmitatis) sponsum prouidens, de consilio, & consensu Monachorum, Abbatem illis præfecit ex Claravalle, quippe non sua quærens, sed Iesu Christi, coniunctioribus meliores anteponebat: seu quos meliores esse iudicabat, eos sibi coniunctiores arbitrabatur. Venerabilis Bartholomæus electus est, Bernardi frater, ab ipso natu proximus, cæteris aliis sanctitate non impar, & spiritu consilij fortè superior. Atque hæc prima separatio fuit, indiuiduæ illuc vsque fraternitatis, sensui molesta, sed spiritui grata, vt quæ sic Firmitatem diuitem fecit, vt Claramvallem non depauperaret, redundantem aliàs viris sanctissimis, atque indies alios, & alios prolaturam.

5. Id nouo experimento confirmarunt Bosso, & Achardus, per hoc tempus suscepti, vterque sanctus, ille ætate maior, hic etsi annis inferior, non impar meritis; venerandam Antonij magni senectam (liceat ita fari) in iuuentute referens, à Dæmonibus non minus infestatus, nec pauciores visibiles victorias ex eis reportans, quàm inuisibiles. De his inferiùs plura, nunc pauca dicam, conuersioni vtriusque prælibandæ. Et quidem de Bossone hæc tantùm lego, ab auctore Exordij scripta,
c lib 3. c. 32. qui virum nouit. [c] *Non putamus silentio prætereundum virum venerabilem Bossonem, genere, & moribus insignem. Hic vnus de primogenitis filiis, quos beatus Bernardus in Christo per Euangelium generauit, satis in sua nobilissima conuersatione monstrabat, quàm regia mamilla lactatus, & quam casta disciplina rudimentis, ab initio fuerat imbutus. Hic homo patiens, & filius pacis, ita benignus, ita mansuetus omnibus apparebat, vt nunquam aliquis nostrûm eum viderit iratum, seu turbatum, sed inter aduersa, & prospera immobili fide stans, tranquillo semper animo durabat.* Hæc de prima Bossonis conuersione, conuersationeque, nam de pretiosa morte, & visibili ipsius per eam transformatione, suo tempore inferiùs subiiciemus. Interim noto nobilitatem generis, quam inter primas nequaquam dubitauerim, nunquam aliàs dicturo auctore Exordij, virum genere insignem, & regia item mamilla lactatum fore.

6. Nunc de Achardo Nouitio per idem tempus, Antonium magnum in multis referente: nisi quòd hic vel iuuenis domabat, quos ille senex. Tot enim à Dæmonibus, ac tanta perpessus est, ac tot de eis victorias reportauit, vt non immeritò illi compararetur. Audi auctorem per seipsum fide dignum, atque hæc eadem referentem ex eius ore. [d] *Confessus* d Exord. lib. 3. c. 20.
est autem nobis venerabilis senex Achardus, quod in primordio conuersionis suæ, multa Dæmonum bella, multa flagella pertulit, multaque phantasmata vidit. Porrò autem quanta, & qualia hæc bella, atque flagella, qualesque, ac quantos effectus, indices veritatis, post se reliquerint, producto exemplo, demonstrat idem auctor. [e] *Quadam verò vice apparuit ei Dia-* e ibidem.
bolus gladiatorium cum eo conflictum in modum palæstræ decertans. Cui crebros ictus, & vulnera infligebat, atque ab eo vicissim recipiebat. Ad vltimum Dæmonem subactum collisæ capite, quasi excerebrauit. Quem dum traheret per capillos, partem capitis confracti, cum carne, & ossibus euulsam manu retinuit, moxque ex ea tam intolerabilis fœtor exhalauit, vt possibilitatis humanæ modum videretur excedere. Quàm cum horrore, & execratione longiùs à manu sua, ipso excutiente, protinus horridum monstrum, quod videbatur, euanuit; vestigia tamen immunditiæ suæ altiùs impressa reliquit. Nam per vnius anni spatium, ex eadem manu tantus fœtor iugiter exhalauit, vt præ angustia cordis vix eam valeret vel ori apponere, vel naribus admouere. Ita senex Claræuallensis, qui partim vidit, partim eodem Achardo reuelante cognouit. Qualiter autem idem beatus vir prouectior factus, post plures Abbatias fundatas in diuersis prouinciis, sancto Patre Bernardo præcipiente, tandem Nouitiis præfectus in Claravalle, felicem spiritum Angelis tradiderit, suis locis inferiùs referemus.

Sed antequam ab ipso digrediamur, licet subiungere horrendum satis exemplum, hoc idem 7.
tempus concernens, quippe Achardo existente in probatione, nec sine eius interuentu factum, quod idem auctor scripsit eadem fide. [f] *Cùm adhuc No-* f ibidem.
uitius idem Achardus esset, venerabilis Abbas Bernardus quadam die intrauit ad consolandum Nouitios suos, sicut frequenter facere solebat. Terminato autem sermone, prædictum Achardum, cum aliis duobus Nouitiis traxit in partem, & præmonuit eos, in spiritu prophetico loquens. Futurum est (inquit) *vt Nouitius ille (designauit autem vnum ex nomine) ante diem crastinum furtiuè recedat. Vos itaque vigilate, & estote parati, & fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser à nobis exit, quia non erat ex nobis, spolia tamen, quæ nostra sunt, tenebitis nobis. Quo audito, mirati sunt illi, & cum silentio rei exitum præstolabantur. Profunda verò nocte duo ex illis cùm fugitiuum in lecto firmiter dormientem adspicerent, tunc & ipsi dormire cœperunt: erant enim oculi eorum grauati, illudente vtique eis spiritu erroris. Verùm tamen Achardus, quia certissimè credidit verbum à sancto Patre prolatum non posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestus fuerat, virili constantia repellebat. Nunc enim frontem, nunc tempora fricando, modo pilos capitis, & barbæ vellicando, modò faciem, & manus lotitans, nunc de loco ad locum deambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, eiicit.*

Cumque propè esset, vt ad vigilias pulsaretur, ecce 8.
duo quasi giganteæ magnitudinis Æthiopes, nigerrimis cappis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is verò qui præcedebat, gallinam assam in veru portabat. Porrò in ipso veru coluber ingens, per caput, & eandem infixus erat, & eandem gallinam hinc inde lingebat. Cum tali itaque ferculo ad lectum falsi Nouitij accedunt, & gallinam fumantem naribus, & manibus dormientis applicant. Quo statim expergefacto, Dæmones egrediuntur, & quod intus in corde ipsius inuisibiliter actitauerant, horrendo hoc, & visibili signo demonstrarunt. Cumque euigilasset miser ille, non sicut Iacob de somno

somno contemplationis sed sicut Apostata vilis de somno deceptionis, continuo surrexit, & vestimentis onustus, post Dæmones exiit. Veniensque ad ostium armarij, quod erat in claustro, machinamentis suis moliebatur infringere firmaturam, ac secum libros tollere. Porrò prædictus Achardus celerrimè socios excitat, & prophetatam Apostatæ fugam signis, & nutibus insinuat. Itaque recedentem pariter insequentes, repererunt illum pessulum ostij concutientem. Quos vbi ille malignus persensit, illico datis saltibus euolat, & præcipiti cursu per ostia pomarij ruens, murorum tandem sepis retinetur. atque reducitur. Die autem facto, cùm malorum impœnitens resipiscere nollet, quia iam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem, vt abiret in locum suum. Eodem verò die arreptus à Diabolo, dementiam incurrit, & vsque ad mortem dementia furor in eo non cessauit. Hæc in Exordio. Quibus clarè videas id quod superiùs etiam notabamus, infelices Nouitiorum nostrorum exitus, quos satis longa experientia comprobauit. Tum & Bernardi Patris prouidentiam, remediis morbos plerumque præuenientem, necnon curantem, nisi desperatos, & Dæmoni tradendos vel in hac vita. Demum Achardi perfectam obedientiam, perfectam fidem, quæ nullis communis hostis fallaciis cesserit, nullis omnino succubuerit tentationibus.

---

1. Bernardus Remenses discordes, miraculo edito, paci restituit. 2. Brunoni Coloniensi innotescit. 3. Cisterciensium labor, fructusque in reformanda Ecclesia Gallicana. 4. Henrici Senonensis, 5. & Sugerij, 6 atque totius conuentus sancti Dionysij mira mutatio. 7. Coniectatum de Episcopo Parisiensi, atque remissum. 8. Chronologia, Lucellaque primordia. 9. Dein Fontis Ioannis Ioiaci, & Bonæuallis. 10. Calixti mors ploranda quibusque bonis.

CAPVT IV.

1. SVb idem tempus, Archiepiscopo Remensi discordante cum populo, & neutro alteri cedere acquiescente, cùm multi alij pacem procurassent, solus Bernardus in Gallia visus est, qui tantum opus posset consummare, quippe potens sermone, simul & opere, dum quæ dicebat, signis confirmabat; confundebantur non parere homines, cui creaturæ etiam irrationales, cui vel Dæmones ipsi obtemperabant. Cæcus, surdus, & mutus sensibus redditus, atque à Dæmone simul liberatus, prætulit obedientiæ palmam vtrisque
a lib. 1. c. 13. partibus. [a] *Ergo dissentientibus Archiepiscopo, & populo Remensi (ait Guillelmus Abbas in eius vita) ad conciliandos eos affuit vir Dei. Cumque in palatio eiusdem ciuitatis, cum Iosleno Suissionensi Episcopo consedisset, & magna Cleri, plebisque frequentia repleta domo, de pace tractaretur: ecce coram omnibus misera mulier filium suum plenum (vt putabatur) Dæmone, ei offerens, misericordiam precabatur. Siquidem iam ea ipsa die insurgens in ipsam matrem suam, penè eam occiderat, & mutus effectus, & cæcus, & surdus, apertis oculis non videbat, & stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus verò miseræ matri, quam maximè sensus doloris illius excruciabat, misero adolescenti blandiens, & piis manibus, caput eius, & faciem demulcens, alloqui eum cœpit, & quomodo in matrem suam mittere manus præsumpserit, sciscitari. Ille verò ad se reuersus, continuò peccatum suum recognouit, & deinceps emendationem promittens, incolumis restitutus est matri suæ.* Hactenus ille.

2. Simile quid patratum à Christo Domino, mirantes populos fecit dissentire, quibusdam Deum, quibusdam verò Dæmonem auctorem credentibus tanti miraculi. Diuina virtus in Bernardo confessa omnibus, in concordiam redegit etiam inuitos. Hic primum Bruno, non exiguum Coloniæ decus, qui post octo annos Coloniensis Archiepiscopus Friderico successit, postmodum in Cistercio consummandus, Bernardo notus, exinde inter amicos habitus est, mutuis vtrinque obsequiis intercedentibus, & multis vltro, citróque litteris datis; ex quibus aliquas in tempore adducemus. Cæterùm quòd Bernardo non tantùm homines, sed bruta etiam obedirent, sine ratione plures alij euentus patefaciunt, quæ longum esset in præsenti recensere. Videatur idem auctor eodem loco, sed & nos etiam inferiùs nonnullos dabimus.

Iisdem diebus, aut certè non distantibus, cùm 3.
Prælati Ecclesiastici per Galliam modestiæ habenas aliquatenus laxarent, ac sæculari, & paululum profana conuersatione Apostolicam vitam minus redderent, Stephanus, & Hugo, Bernardusque, ac Ioannes cum cæteris selectis Cistercij Patribus, verbo & exemplo cœperunt laborare, vt Ecclesiasticæ doctrinæ constricti fibulis, ad fructuosiorem conuersandi normam reducerentur, quippe æstuantes feruore charitatis, nihil sibi intentatum patiebantur, quo posset Dei gloria promoueri. Porrò quantum labore suo profecerint, Senonensis Metropolis Episcopi, atque ipse etiam Senonensis Metropolita: quin & Sugerius sancti Dionysij Abbas, totusque eius conuentus testes existunt. De his Cardinalis Baronius hæc habet verba. [b] *Profecerant siquidem Episcopi Prouinciæ Senonensis Cisterciensium Monachorum exemplo, atque verbis, litterisque sancti Bernardi: præcipuè verò, quem diximus, Parisiensis Episcopus, atque Parisiensis Abbas sancti Dionysij Sugerius, qui Monasterium illud monastica penitus disciplina solutum, fibula regularis obseruantiæ arctè constrinxerat, quo nomine ipse sanctus Bernardus congaudens, congratulatoriam ad eum dedit epistolam. Quòd verò etiam & ipse Metropolitanus Senonensis Archiepiscopus Henricus æquè admonitus litteris sancti Bernardi, & quidem prolixioribus, ad meliorem frugem conuersus, ea quæ essent optimi Pastoris munera, diligenter explebat.* Ita Baronius.

b ann. Christ. 1127. post medium.

Sanè Henricus, qui hactenus sæculo deditus, 4.
profaniori pompa, fastuque Pontificatum diu commaculauerat, cùm iam modestiùs agere inciperet, ad Bernardum scripsit, petens, si quem libellum edidisset; siue, vt ipse loquitur, vt nouum aliquod dictatum, ad se transmitteret. Nec dubium confirmando, atque in melius augendo nouo proposito. At Pater sanctus, mutatione viri cognita ex Meldensi, Carnotensique Episcopis, viris vtique probis, sanctisque; atque ex ipsa Henrici petitione, occasione arrepta, longam satis ad eum epistolam dedit, tractatum potiùs, quo eum ad Apostolicam vitam, quam iam deliberabat, hortatur, sub hoc initio. 5.

[c] *Domino, & venerabili Henrico Senonensium Ar-* c epist. 42.

chiepi

chiepiscopo, frater Bernardus, si quid potest peccatoris oratio. Placuit præstantiæ vestræ nouum aliquid à nobis dictatum requirere. Grauamur pondere dignitatis, sed dignationis munere gratulamur. Et blanditur petentis fauor, & petitionis terret exactio. Qui enim nos sumus, vt scribamus Episcopis? Et rursus qui sumus, vt non obediamus Episcopis? Vnde dare, inde & negare compellor, quod postulor. Scribere tantæ altitudini supra me est, & rursus non obedire contra me. Vtrobique periculum; sed in ea parte maius imminere videtur, si non obediero ... Igitur ex quo regni cœlorum claues vobis traditas, Deo auctore, suscepistis, & iuxta risum d Prouerb. c.19. *fontis illius* [d] *mulieris manum mittere cœpistis ad fortia, si qua vos, aut egisse, quæ non deberetis, aut pertulisse, quæ nolletis, audiuimus, & illa agentem doluimus, & condoluimus hæc patienti ... Nuper autem nobis à vestris partibus flare cœpit aura secundior. Rumoribus siquidem recentioribus nunciata sunt de vobis solito latiora, & non ex incerto fama, sed ore veridico Venerabilis Meldensis Episcopi. Interrogatus siquidem de esse vestro, vultu alacri, & tanquam benefidens, vnde requirebatur, Puto, ait, hominem ex hoc iam consiliis se subacturum Carnotensis Episcopi. Hoc ab eo responsum tam lætum accepi, quam certus fui, consilia viri fidelissima fore. In nullo meliùs poterat nobis cordis vestri propositum commendare, in nullo spem dare certiorem vestri profectus in Domino. Securè, ni fallor, præfatis ambobus viris, & vos, & vestra credetis. Talibus vtendo consiliariis bonam vobis seruabitis & famam, & conscientiam.* Ita Bernardus. Qui in toto illo tractatu nihil aliud hortatur, nihil aliud curat, quàm Apostolicæ vitæ perfectionem altiùs infigere menti bene dispositæ; acri sanè pro more, sed dulci stilu, atque ad persuadendum satis apto.

5. Cæterùm quod de Sugerio Abbate Baronius ait, (nam de Episcopo Parisiensi infrà dicemus, quem reformatum, reformantemque, eodem Sancto agente, etiam affirmat; extat ad ipsum Bernardi epistola dulcis satis, & efficax, ex qua mutatio viri, non qualiscumque, sed vltra solitum ingens, deprehenditur. Audi fragmenta quædam, quæ id c epist.78. testantur. [e] *Exiit sermo bonus in terram nostram, in bonum sine dubio bonis cooperaturus ad quoscumque peruenerit. Enim verò audientes omnes, qui timent Deum, quanta fecit animæ tuæ, gaudent, & stupent super tanta, & tam subita mutatione dextera Excelsi. Vbique in Domino laudatur anima tua: audiunt mansueti, & lætantur. Et mirantur etiam, qui te non nouerunt; sed tantùm audiunt, qualis, de quali factus es; atque in te Deum glorificant. Auget verò gaudium, & miraculum pariter, quod salutis consilium cœlitus infusum tibi, protinus tuis* f Apocal.22. *refundere, atque ita implere satègisti, quod legitur.* [f] *Qui audit, dicat, veni ... Ego tamen fateor audire de te, & si desiderabam, non tamen sperabam. Quis nempe te crederet saltu, vt ita dicam, repentino summam occupare virtutum, sublimia meritorum attingere? Sed absit, vt pro nostra fidei, spei ve angustia immensa Dei pietas æstimetur, qui quod vult, in quo vult, operatur, accelerans opus, & alleuians onus. Quid enim? Tua certè, non & tuorum errata Sanctorum carpebat zelus: tuis, non ipsorum excessibus succensebant, solamque in personam tuam, non etiam in Abbatiam fraternum susurrium immurmurabant. Solum denique te in causam vocauerant. Tu te corrigeres, & nil residuum quod pateret calumniæ. Solumque ac totum erat, quod nos mouebat, tuus scilicet ille habitus, & apparatus, cùm procederes, quod paulo insolentior appareret. Deponeres fastum, habitumque mutares, & facile omnium quiescere poterat indignatio. Cæterùm tu, & fecisti satis causantibus, & adiecisti quod meritò collaudemus. In cœlestibus magnum suscitat gaudium vnius peccatoris conuersio. Quid totius congregationis? Quid & istius? Locus quippe ab antiquo nobilis, & regiæ dignitatis extiterat: palatij causis, Regumque exercitibus deseruire solebat. Sine cunctatione, & fraude sua Cæsari reddebantur: sed non etiam Deo, quæ Dei sunt, persoluebantur ægrè fideliter. Quod audiuimus, non quod vidimus, loquimur, Claustrum ipsum Monasterij frequenter (vt aiunt) stipatum militibus, vrgeri negotiis, iurgiis personare, patere interdum & fœminis. Quid inter hæc cæleste, quid diuinum, quid spirituale poterat cogitari? Nunc verò vacatur inibi Deo, studetur continentiæ, disciplinæ inuigilatur, lectionibus sanctis intenditur.* Et post pauca. *Felicem ego me dixerim, qui adhuc viuam, ista etsi non videre, quoniam absens sum, certè vel audire.* Ita Bernardus Pater ad Sugerium, quem ex tunc habuit sibi perfamiliarem. Quibus videas ingentem mutationem viri aliàs magni, & Ludouico Regi chari vel inter primos.

Sed nec minorem conuentus antiquissimi, no- 6.
bilissimique: nam, vt Bernardus de eo modestè satis; quippe in personas acer, congregationum semper reuerens fuit: nec singulorum vitia vnquam refundenda putauit in vniuersos. At disciplinam penitus solutam, vt loquitur Baronius, inuenisse Sugerium in ea domo, testantur plures auctores illius temporis: sed inter alios Petrus Abaylardus, iisdem diebus ibidem professus Monachum, cùm primum separatus ab Eloisa. *Erat autem* (ait Abailardus in historia suarum calamitatum) *Abbatia illa nostra (nempe sancti Dionysij Parisiensis) secularis admodum vitæ, atque turpissimæ: & cuius Abbas (Antecessor Sugerij) quanto cæteris prælatione maior, tanto vita deterior, atque infamia notior erat.* Hæc, & plura alia Petrus in eo loco, purgandæ inuidiæ, qua nimium vrgebatur, desertor, aut expulsus à Monasterio; an zelo veritatis, & iustitiæ prorsus incertum. Sed vt inualidum eius testimonium: at vix credibile, talia confinxisse de regia domo, cunctis per Galliam nota, & cui nunquam deessent, qui vendicarent. Nec minus denotant, quamuis modestiùs sonant, verba illa Bernardi congratulantis sibi de tanti illius conuentus reformatione. *Felicem ego me dixerim, qui adhuc viuam, ista, etsi non videre, saltim audire.*

Demum quod ad Episcopum Parisiensem atti- 7.
net, cùm nulla ad eum Bernardi extet epistola, non lenibus coniecturis putare licet, eumdem esse eum amico illo Sugerij, Diacono, & aulico; seu stolato milite, quem Bernardus deplorat in hac ipsa. Hæc enim eadem prorsus vitia sunt, quibus aliquando Parisiensem fœdatum, nempe antequam ad eam Ecclesiam assumeretur, & à quibus correctum infrà videbimus. Sed hæc non testimoniis nixa, sed coniecturis, cùm de eodem Episcopo egerimus, post biennium commodiùs adducemus.

Hoc eodem anno quatuor Cisterciensia Cœno- 8.
bia constructa lego, Lucellam, Fontem Ioannis, Ioiacum, & Bonamvallem. Priorum trium menses, diesque Chronologia assignat: vltimi tacet.

Anno (inquit) *M. CXXIV. octauo Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia de Lucella.*

Eodem anno, tertio Kalendas Aprilis, Abbatia Fontis Ioannis.

Eodem anno, decimonono Kalendas Septembris, Abbatia de Iejaco.

Eodem anno ... Abbatia Bonevallis Pictauiensis. Sic Chronologia.

Lucella Basiliensis in Burgundia diœcesis (quæ inter Besontij suffraganeas connumeratur) & Morimundi neptis ex Bellavalle in libris

Cameræ L X. tantùm florenorum taxam attingit. Robertus Claudius recentiorem facit, dum anno Christi M.CXXX. fundatam perhibet; sed nullo vtrinque producto testimonio, antiquiora recentibus, & domestica extraneis præferenda. Extant ad eius Abbatem ab Innocentio tertio datæ litteræ, Pontificatus ipsius anno decimo quarto. Quin & Gregorius IX. & Innocentius IV. quas suis locis forsan inseremus. Adnerto in Geneti Ecclesiarum Motimondensium, & qui ei per omnia concordat, Cistercij codice, Lucellam designari in Alemania, sumpto nimirum ex diœcesi errore, quam Basilieosem ad Rhenum (illustrem Germaniæ tractum) fortè existimant. Sed nullam illic Lucellam inueniri Germani auctores produnt; & Basiliensem in Burgundia diœcesim liber taxarum prodit, dum Besuntinensis Archiepiscopi suffraganeos recenset, Basiliensem, Lausanensem, & Bellicensem. Porrò Lucellam in Basiliensi sitam, his verbis prodit. *Basiliensis Episcopatus in Burgundia ... florenos M.* Et infra ipsum, dum Ecclesias contentas ex more numerat. *Lucella Ordinis Cisterciensis, florenos L X.* Accedit, quòd Bellavallis Lucellæ mater, Besuntinensis in Burgundia diœcesis, facilius intra eamdem Prouinciam dilatata credatur, quàm in Germania. Sed de his satis.

9. Sequuntur Fons Ioannis, & Ioiacum, vtraque domus Hugone Patre genita, ex sacro Pontigniacensi Monasterio, ad Senonensem diœcesim (in qua & vtraque sita) missa Colonia; vt iam non solùm Claramvallem, vt antea neptibus, sed & filiabus longè superaret, quippe Bernardus hoc anno, triplici tantùm, Hugo quintuplici prole coronabatur: & neptium numerum auxit Bonavallis in Pictauiensi diœcesi. Dubium Cadunij filia, an Boniradij. Meminit Fontis Ioannis Gregorius nonus, Abbati, & Priori eius non omnino vulgari causa commissa. Innocentius, Vrbanus, & Clemens, omnes quarti, litteris, quas inferiùs adducemus. Itemque libri Cameræ Apostolicæ, quamuis suppresso (saltem in nostro exemplari) florenorum, quos soluit, numero. Claudius [g] Robertus eodem anno, & mense, sed non eodem die fundatam tradit, nempe tertio decimo Kalendas Aprilis; & fundatores designat Corteneos dominos, quod fortè sumptum ex antiquis monumentis eiusdem domus. Sed supra modum illustrat Fontem Ioannis sanctus Guillelmus Abbas, inde in Caroli locum, demum ad Bituricensem Ecclesiam assumendus. Auxit Fontem Ioannis Petrus, Princeps Ludouici, Francorum Regis, filius, donationibus, quas in manu Gelduini, Abbatis fecit, & tabulis firmauit ann. 1170. & 1179. Ioiacum enasisse in magnam domum, argumento est, quòd quingentorum florenorum, in libris Cameræ, taxa designatur. Cætera ignota; nisi quòd tamen quartus illius Abbas, nomine Ioannes, in Meldensem Episcopum assumptus, inter viros sanctitate illustres Cisterciensis familiæ commemoratur. Ei, vt existimo, scribit Gregorius nonus, litteris datis apud Lateranum, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno duodecimo. Neque notiora initia Bonævallis, nisi quod longè tenuiorem designat trium supra triginta florenorum taxatus numerus. Meminit eius Petrus Venerabilis [h] in libro de miraculis: vbi & Prioris (fortè primi, nam per hæc tempora) feruens charitas, & oratio apud Deum potens commemoratur. Nos de his infrà. Abbati Bonævallis, & de Pinu, diœcesis Pictauiensis, idem, qui suprà, Gregorius nonus scribit. Datis Viterbij, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno nono.

Annum clausit vniuersæ Ecclesiæ tristis, sed tristior adhuc nostris Calixti mors: vt ipsi felix, sic infausta aliis, & bonis omnibus deploranda. Obiit autem, vt Pandulfus habet, [i] *decimo quarto Kalendas Ianuary, cùm sedisset annos quinque, menses decem, & dies ... sepeliturque in Basilica Lateranensi.* Et post pauca. *Nemo hunc vidit beati Petri basilicam absque donis intrare, nec Missam nisi assignato dono cantare. Ad honorem sancti Petri adiunxit Cortinas multas, & pallia, & candelabra de argento, campanas, & pauimenta, fundos, & casalia beato Petro donauit. Et multa per Ecclesias alias beneficia contulit.* Plura de eiusdem Calixti laudibus testimonia Baronius congerit, quæ facilè apud ipsum videantur. Nos Pontificem de nostris optimè meritum, ipsius tantùm elogio decorauimus. [k] *At beati Calixti Papæ memoria* (Cardinalis Baronij verba sunt) *summa cum benedictione in Ecclesia Catholica perseuerat, vtpote sanctissimi Pontificis. Cui Deus dederit, breuis licet temporis Pontificatu, adeò gloriosa peragere, & prædecessoribus inconcessa perficere, Ecclesiamque Imperatorum tyrannide, seruitutis iugo depressam, vindicare in perpetuam libertatem.*

g in sua Gall. Christ.

h lib. 2. c. 25.

i in Calixto.

k Baro. ann. 1124. parum ante finem.

IESV CHRISTI ANN. 1125. — CISTERCII ANN. 28.

1. Honorio in Calixti locum subrogato. 2. Lusitanus Alfonsus Taroucam visitat. 3. Egea Munij in Taroucenses pietas, epistola. 4. Tum Regina saluti restituta, Sanctorum precibus, 5. hæreditatem donat, firmatque. 6. Imperatoris Henrici mors, sequuto schismate: 7. & Amedei conuersio in Claravalle.

CAPVT I.

1. CALIXTO secundo ad Superos translato successerat Honorius item secundus, ex Cardinali Episcopo Hostiensi: primò quidem per vim, & fraudem, licet non suam: pòst ipso sponte Tiaram deponente, per Cardinalium concordem electionem: vir plane dignus succedere Calixto. Intrusus legitur vigesima die mensis Decembris, electus vigesima octaua, labente anno. quo nouus hic, Christi videlicet, millesimus centesimus vigesimus quintus, noui Pontificis in auguratione, felix, & faustus illucesceret Christiano orbi.

Cæterùm quod ad res Cistercij attinet, primæ se offerunt gestæ in Lusitania. Miraculum restituti visus Nouitio cæco Alfonsi religionem excitauit, aliàs peruigilem, & seu curiosum 2.

expo

experiendæ tantæ virtutis, seu venerandi viros, quibus inerat, seu tandem tempus feriatum belli tumultibus, Deo per otium, & quietem dedicandi; Egea Munio ipsius olim nutritio, iam tunc Achate, & paucis tantùm seruis comitatum, ad sancti Ioannis Monasterium traxit, Quadragesimam in eo peracturum. Ibi inter Monachos, tanquam
a Brit. l. 2. c.5. vnus ex eis degens (sic Lusitanus [a] scriptor memoriæ prodit) vitam communem imitatus est. In choro psallens, in Ecclesia orans, in triclinio ieiunans, in agro etiam laborans manibus propriis. Et quibus sceptrum Deus præparabat, imposuisse ligonem pro eo nequaquam veritus, stemma regium aut meruit, aut præuenit.

3. Transacta per has obseruantias Quadragesima, atque mysteriis nostræ redemptionis, Paschalibusque triumphis celebratis; Brachar Augustam, quam hodie Bragam dicunt, perrecturus, Monachis vale dixit, non sine lachrymis: Egeæ præsertim, cui quominus maiestatis inerat, eo contigerat maior familiaritas. Fertur ex tunc Aldebertum frequentasse, litteris datis, subsidiisque remissis, ad opus fabricæ, & sumptus Monachorum. Atque ecce exemplar primæ, vt credo, epistolæ, quam Brito se inuenisse testatur cum aliis pluribus.

b lib. 1. cap. 5. [b] *Spectabili viro Aldeberto, noui Monasterij Abbati, Egeas Monius, Principis Alfonsi nutricius, & terra intra Durium, & Minium tenens, seipsum, & tota sua commendat sanctis orationibus vestris.*

Totum annum cuperem Quadragesimam, vt simul cum domino meo Alfonso essem cum vobis. Sed negotia terre sue, & bella de Mauris non dant locum standi cum pace. Mitto ad vos viginti solidos ad vestrum opus: orate pro me peccatore, & pro mea consorte domina Theresa, que multum agrotat de magna febri. Mittit in vasion de aqua benedicta, sicut soletis, &, Domino volente, sana erit sine dubitatione. Nos ibimus ad Conimbram, vt videamus dominam nostram Reginam, dominam Theresiam, que nunc male est. Orate pro illa, & pro domino Principe filio eius, & pro me peccatore. Hactenus Egas, rudi, an simplici stilo, certè indulgenti naturæ, magis quàm arti: nec curante verborum structuram, dum vtcumque aperiret conceptum mentis.

4. Tarasiæ Reginæ (sic vocabantur olim in Hispania quæ Regum filiæ) infirma valetudo, primum Regem, Egamque, vt ipse nunciauerat, mox grauescente morbo, ac deficientibus remediis naturalibus, vtrumque Abbatem, Aldebertum, & Ioannem traxit Conimbram; quam medicina priùs desperauerat, orationibus salutem impetraturos. Ergo inter ipsos, & mortem indicto prælio, dum hæc ardoribus, viriumque defectu, illi lachrymis, & precibus pugnarent, exitus anceps turbabat animos omnium. Et iam Regina vltimum videbatur trahere spiritum, simul cum anima æternum exhalandum, cùm ecce lachrymæ, precesque Sanctorum, victis ardoribus, induxere temperiem corpori, atque vires defectas repararunt. Tunc Regina aliàs pia, largaque, sed beneficio recenti largior, & religiosior; nec ditioribus donans pro more sæculi, sed pauperioribus ea iniuncto charitatis; sancti Christophori exiguam aliàs dotem, donata hæreditate non parum auxit, & donationem firmauit tali diplomate, quod ex Brito fideliter transcriptum operæ pretium me facturum duxi, si hic subiungerem.

5. [c] *In Dei nomine. Ego Regina Tarasia, Toletani Im-*
c lib. 2. cap. 6. *peratoris filia, in Domino salutem. Placuit mihi pro seruitio Dei facere chartam donationis tibi Abbati Ioanni Cirita, & fratribus tuis, qui in toto corde Deo seruiunt, de vna mea hereditate, quam habeo in valle de Arauca per vbi discurrit riuulus Alarda inter illam Corredouram, & terram siccam, vbi currit illa Varcena in gyro; & vos habeatis illam cum Deo, & nemo vos molestet, neque super possessionem cum vestris hominibus faciat rouxum, nec feriat illos cum ferro... Et vos facite de illa ad vestrum velle cum pace, & si quis vos contradixerit, sedeat excommunicatus, & à corpore de sanguine Christi separatus, & de iniuria pariat vobis decem solidos. Facta charta firmitudinis era M. CLXIII.*

Ego Regina Tarasia hanc chartam iussi fieri, & manu mea roboraui.

Infans Don Alfonsus Regina Tarasia filius propria manu confirmo.

Comes Ferdinandus continens Colimbricam, propria manu confirmo.

Veremundus Petriz continens Visco confirmat.

Egas Gosendiz continens Baiam confirmat. Hactenus charta donationis, grata Reginæ Tarasiæ pietate, augente ea tunc exiguum Monasterium, quasi in memoriam salutis de cœlo datæ.

Dum hæc in Lusitania gerebantur, Henricus Imperator Traiecti moritur, cùm regnasset annos decem & nouem, imperasset quatuordecim, longo ex defectu liberorum relicto schismate, inter Lotharium, Conradumque; hunc iure sanguinis, illum electione aliorum Principum, de successione diutiùs certaturos. Rem per Bernardum tandem componendam, eoque pertinentem ad hos Annales, ex Frisingensi Episcopo Othone, alterius fratre, alterius consanguineo, non abs re erit, si paucis hic subiungam. [d] *Anno* (inquit) *ab Incarna-* d lib. 7. Chronic. c. 17. 6.
tione Domini M. CXXV. defuncto absque herede Henrico quinto, Principes Moguntia conueniunt, ibique habito de successore consilio, quatuor regni Optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopoldus Marchio Orientalis, & Carolus Comes Flandriæ ad regnum designantur. Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens valdè, ac reclamans, ad regnum tractus, sub præsentia sedis Apostolici Legati, nonagesimus tertius ab Augusto regnauit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliauit, vt planè Dei iudicio iusto, sicut in libro Regum habes, ex peccatis, ac præuaricatione Patrum, semen ipsorum affligi videretur. Vnde grauis dissensio regni, in multos annos protracta, plurimos in anima, & corpore periclitari fecit. Prædicti enim Fridericus, & Conradus iuuenes, sororij Henrici Imperatoris, dum se viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam à Summo Pontifice Honorio, qui Calixto successerat, excommunicantur. Porrò Conradus, à fratre, & quibusdam aliis Rex creatus, Pyreneum per iugū Septimi montis, qua Rhenus, & OEnus fluuij oriuntur, transcendit. Vbi à Mediolanensibus, qui tunc Cumanum bellum per decem annos, pro afflictione populi vtriusque ciuitatis miserrimè protractum, capta, ac deleta vrbe, prosperè consummarunt, honorificè suscipitur, ac ab eorum Archiepiscopo Anselmo Modoyci, sede Italici regni, in Regem vngitur. Hactenus Otho de principio illius schismatis. Quæ autem in eo sedando Bernardus fecerit, & qualiter post coronatum Lotharium Imperatorem, primò Conradum, mox etiam Mediolanenses ei reconciliauerit, ad vtrosque legatus ab Innocentio: quæ demum in vtroque itinere; nam plura contigerunt historia digna, suis temporibus ex more referemus. Nunc indicasse schisma satis fuerit, quo faciliùs dicenda percipiantur.

Eodem anno, post obitum Henrici, Amedeus iuuenis, venerabilis Amedei filius, qui olim ipsi 7.

O 2 dese

deserendæ Bonævallis causa extiterat, liberalibus iam litteris instructus, neque sacrarum ignarus, Patre per orationes, precesque eius à Deo impetrante conuersionem; fortè & ex illa Imperatoris morte, in gloriæ humanæ contemptum excitatus, relicto sæculo, nec quæsito Patre, Claramvallem aduenit, à sancto Patre Bernardo suscipiendus. At vir beatus, ingentis spei iuuenem, genere, & indole inter primos illius æui, & qui paternæ sanctitatis hæres, haud dubia spe futurus coniectabatur, non solùm gratanter admisit, sed reuerenter. quod breuiter, sed fideliter tamen, auctor vitæ paternæ ita descri-
c cap.8. bis. [c] *Interea dum Amedeus (* nempe Pater *) bonis studeret operibus, ac vigiliis, ieiuniisque corpus maceraret, continuis instaret orationibus, & inter Monachos constitutus, Monachi vigilaret in actus: accidit vt Amedeus filius eius, bonæ indolis iuuenis, litterarum scientia sufficienter imbutus, & iam ad tollendum Dominicum iugum idoneus, Patris, vt creditur, sui deuotis lacrymis tractus, in Claramuallem veniret, ibique suscipiendi se humiliter facta petitione, gratanter, ac reuerendissime, vt suam decebat nobilitatem, receptus, habitum religionis indueret.* Hactenus ille. Pergit autem de religiosa ipsius conuersatione, & electione in Abbatem Altæcumbæ, ad petitionem omnium Monachorum, per sanctissimum Patrem Bernardum facta, ac demum de promotione eius in Episcopum Ecclesiæ Lausanensis, quæ suis locis à nobis reddenda erunt.

---

1. Stephanus in Flandriam proficiscitur. 2. Interim Morimundum Arnaldus deserit, 3. à quo plures seducti, abductique, 4. primum Coloniam, Hierosolymam inde perrecturi. 5. Bernardi Patris epistolæ ad Arnaldum, 6. item ad Adam Monachum, 7. & demum ad Brunonem hoc anno data. 8. insinuatus, & perpensus earum fructus.

CAPVT II.

1. INterim venerabilis Stephanus tot filiis auctus, & dilatatione sui Ordinis fruens, per Claramvallem in Flandriam proficiscitur: ignota nobis adhuc causa itineris, quam tamen grauem fuisse non dubitamus. Fortè fame per Galliam ingrauescente, de qua plura inferiùs, sequenti capite; Carolum Flandriæ Principem adiuit, exaudiendus pro sua reuerentia, ac populis annonam impetraturus; quippe in Roberto Sigeberti continua-
a in Chronic. hoc ann. tore scriptum legimus. [a] *Anno millesimo centesimo quadragesimo quinto fames maxima grassatur in Gallia, in qua Caroli inclyti Marchionis Flandriæ liberalis enituit munificentia, qui innumerabilibus diuersis in locis pauperibus, quotidiana ministrabat victus stipendia.* Vtcumque fuerit, dum ipse in Flandria manet, Morimundus quarta eiusdem Patris filia; eoque vna ex quatuor primis, Cistercij mater, & velut Patriarchalis sedes totius Ordinis, ex proprij Abbatis discessu inopinato, deserta potius, quàm vidua, seu, quod infelicius est, viduata, viuente viro, & simul orba filiis nobilioribus, minitari ruinam visa est, in graue scãdalum totius Congregationis.

2. Discedendi occasio Arnaldo, animi leuitas, siue quod acribus ingeniis malum frequenter inest, dum nimium properant, facile deficere, atque insitum ardorem, vt non deponant, varietate leuare, si resistantur, prorsus inflexibilia, sed facilè cedentia sibi relicta. Addita, & extrinseca causa non leuis, insolentia Patroni, Patre defuncto, repetentis à Monasterio, quæ ille dederat. Fortè & aliqua subditorum inobedientia, à qua nulla familia, nulla ætas immunis omnino fuit. Bernardus Pater vtramque ferè causam indicare videtur, dum similem ex parte fugam increpans in Humberto,
b epist.141. istius meminit, & comparat vtramque. [b] *Miror* (ait) *quòd te non terruit Arnaldi Abbatis exemplum, cuius similis præsumptio, digno, sed pauendo fine, vt bene nosti, in breui est vindicata. Et quidem ille quamcumque, vt bene noui ego, habuit causam, tu nullam. Numquid enim aut Monachi tuæ erant inobedientes imperiis, aut conuersi segnes in operibus, aut vicini fortè tibi, tuis ne rebus infesti.* Hæ ergo causæ, ex propria leuitate, grauiores visæ, facile virum præcipitauere. Quæsitus tamen discessui honestus color, peregrinatio ad sepulchrum Saluatoris, exemplo Pontij, qui hoc ipso colore, non multo antè Cluniacum deseruerat. Nisi quòd Pontius Cluniacensi præsulatu etiam ante discessum se abdicauerat: Morimondensem Arnoldus, dum non dimiserat, adhuc retinebat. Et ferebantur Pontificiæ litteræ impetratæ, siue obteptæ, cohonestandæ aliàs turpi desertioni.

Plures ab eo seductos compertum est, inter 3.
quos quatuor præcipui nominantur, Adamus, Euerardus, Henricus, Conradusque; duo priores Bernardo Patri affines, posteriores ab eo commendati; vtrique nobiles, vtrique religiosi; atque Adamus vocatus ex Fusniaco, honestiori, vt credendum est, prætextu: sed reuera electus in socium viæ. Vnde & consilium cum eo communicatum ante discessum, & per eumdem Bernardo patefactum, impediri fortassis potuisset, si non alterius vera, sed parum firma; alterius simulata pœnitentia, reddidissent securum virum Dei; quippe credentem facile meliora, de his præcipuè, quos se ipso meliores arbitrabatur. Et Adamus ad tempus stabilitus, firmatusque, Arnaldi vota non parum retardauit; quippe subnixi ipsius auctoritati, sine qua fortè aut ipse non auderet, aut non facilè alios post se adduceret. Sed vicit tandem appetitus nouarum rerum, & voluntas rationem non sequens, sed præueniens, aut fortè fugiens, obtulit se vincendam crasso errori. Victus Adam mensuram impleuit nominis, dum plures post se traxit in præcipitium.

His comitatus Arnaldus (mirum dictu) post 4.
multas animas ad Christum conuersas, post dilatatum Cistercium inter Germanos, post tres, nec tenues Abbatias à se constructas, post Morimundum altiùs radicatum, cùm iam natis natorum frueretur, & neptem suscepisset ex Bellavalle; vnus è quatuor Ordinis Patriarchis, magna illius columna Bernardo dictus, sponsam, filias, & Ordinem deseruit, Hierosolymam, & nostræ redemptionis loca visitaturus. Non tamen statim consilium cunctis apertum, non salutati fratres, qui deserendi, non resignata, aut dimissa præfectura; sed Colonia Agrippina petita est, fratri inuisendo, & promouendæ tenellæ plantationi veteris Campi. Inde ad Stephanum communem Patrem omnium, inde ad Bernardum per nuncium

litteras

litteras dedit, indices animi, & propositum pandentes, à quo minimè posset reuocari.

5. Stephanus dum in Flandria adhuc maneret, rem quia seriùs resciuit, tardiùs doluit: Bernardus verò, cui primò nota fuit, has ad Arnoldum litteras remisit.

f epist. 4.

[f] *Domino Abbati Arnoldo frater Bernardus de Claravalle, spiritum compunctionis, & consilij. Primò scire te volo, Dominum Cisterciensem, necdum quando tuus nuncius ad nos venit de Flandria, quo paulo antè per nos transieras, remeasse, & ob hoc nec litteras accepisse, quas ei iussisti præsentari, & adhuc esse tanta à te præsumpta nouitatis ignarum. Felix interim, cui tam tristes rumores vel ad tempus licent ignorare. Deinde quod de tui desperanda reuocatione interdicis, ne quod quasi inconcussè apud te fixum est, frustrà tibi litteras dirigendo dissuadere conarer, in hac tibi obedire fortasse quidem pro ratione non debui: reuera autem præ dolore, fateor, non potui, cum etsi pro certo scirem, vbi te opportunè inuenissem, ipse potius venissem, quàm has misissem, effecturus fortasse per me ipsum, quod nullis litteris possum. Rides forsitan meam huiusmodi tanquam cassam fiduciam, vtpotè propria pertinacia conscius, ad quam vtique flectendam, nullam vim, nullam precem, nullam speras præualere industriam. At verò ego de illius potentia non diffidens, qui dixit,* [g] omnia sunt possibilia credenti; *fidenter vsurpans, & mihi illam sententiam,* [h] omnia possum in eo qui me confortat; *quamuis in magna parte lapidei cordis tui obstinationem, & ipse non ignorem; vtinam nunc tamen siue fructuosè, siue frustrà tuo lateri adhærerem. Quanta quæ me mouent aduersum te, frustrà nescio, an fructuosè, iacerem tibi in faciem, non solum verbis, sed & vultu, & oculis! Tuis deinde prouolutus vestigiis, tenerem pedes, amplecterer genua, totusque à collo pendens illud mihi dulcissimum caput deosculārer, quod sub vno mecum proposito, suaui iugo Christi iam pluribus annis attritum est. Flerem quoque, quantum valerem, rogarem, & obsecrarem per Dominum Iesum, quatenus parceres, primo quidem eius cruci, qua vtique redemit, quos tu, quantum in te est, perimis; collegis, quos tu dispergis. Perimis, inquam, & dispergis, siue quos tecum ducis, siue quos hic deseris; quibus vtique etsi diuersum, non dispar tamen vtique metuimus periculum. Deinde etiam parceres & nobis amicis tuis, quibus licèt immeritis, non nisi fletum, & lachrymas reliquisti. O si hoc mihi licuisset! flexissem forsitan affectione, quem ratione non possum: pectusque illud ferreum, quod nec Christi timori, in hac re dumtaxat, cedere acquiescit; fraterna fortè pietas emollisset. Sed heu, & hanc nobis copiam subtraxisti. O magna nostri Ordinis columna! patienter, quæso, audi amicum, vel absentem tua penitus discessionis impatientem, tuo medullitus, & labori, & periculo compatientem. O, inquam, magna nostri Ordinis columna, non metuis te ruente, magnam mox proculdubio ruinam sequuturam. At ego, inquies, non ruo: scio quod facio, bonam conscientiam habeo. Esto: credimus tibi de te. Sed nunquid de nobis, qui iam & grauia tuo ex discessu gementes sustinemus scandala, & grauiora pauentes expectamus pericula? An & tu quoque non ignoras ista, sed dissimulas? Qua ratione ergo multorum faciendo ruinam, te ruere non præsumis, qui in hoc videlicet positus eras; vt non quod sibi est vtile, sed magis quod aliis: nec quæ tua, sed quæ Iesu Christi sunt, quærere debeas? Quomodo, inquam, securus abis, qui gregi tibi commisso, omnium securitatem de se in perpetuum aufers? Quis occurret lupis incursantibus? quis consolabitur in tribulationibus? Quis prouidebit in tentationibus? Quis denique leoni resistet* [i] *rugienti, & quærenti quem deuoret? Patebunt sine dubio morsibus malignantium,* [k] *qui deuorant plebem Christi sicut escam panis. Heu, quid facient nouellæ plantationes Christi, quæ per manus tuas consitæ fuerant diuersis in locis, & locis horroris, & vastæ solitudinis? Quis circumfodiet? Quis impinguabit fimo? Quis sepem circumdabit? Quis succrescentes solicitus erit rescindere surculos? Aut flante profectò tentationum vento, tenerrimæ adhuc (heu) facilè eradicabuntur: aut inter frutecta certè simul exorientia, cum non erit qui purget, suffocatæ, nullum afferent fructum. Quæ cum ita sint, iudica tu quale hoc tuum bonum erit, aut si vel esse poterit bonum cum tantis malis. Quantumlibet dignos facturum te fructus pænitentiæ confidas, nonne huiuscemodi spinis necesse erit suffocari? Nonne denique, si rectè offers, & non rectè diuidis, peccas? Quid enim? Rectè ne fortè diuidere esse dices; soli animæ tuæ consulere: & filios tuos, quos orphanos relinquis, consilio paterno destituere? O miseros, & miserabiles, & eo miserabiliores, quo viuo se conspiciunt orbari Patre. Quanquam dubitare se quoque oportuerit, an vel tibi rectè consulas, in eo videlicet, quod absque consilio fratrum, & Coabbatum tuorum, absque Patris, & Magistri tui licentia, rem tam nouam præsumis. Illud etiam multos permaximè mouet, quod pueros imbecilles, & delicatos iuuenes tecum ducis. Alioquin si boni, & robusti sunt desolatæ domui fuerant necessarij. Si delicati (vt dixi) & imbecilles, duræ, ac laboriosæ peregrinationi non erunt idonei. Sed & regendis animabus eorum nequaquam te vltra credimus velle præesse, quippe cuius cognouimus esse propositum, pastoralem, abiicere sarcinam dumtaxat tuorum, & soli deinceps viuere tibi. Valde enim incongruum esset, vt alibi præsumptuosè non vocatus resumeres, quod alibi prohibitus inconsultè relinquis. Sed iam ne omnia scienti, multa superflua ingeram, in fine, & fide tibi polliceor, si opportunitatem loquendi tecum mihi dederis, daturum me operam quatenus id ipsum, quod inordinatè, & periculosè aggressus es, licitè, & ob hoc securè peragas. Vale.*

i 1. Pet. 5.

k Psalm. 52.

g Mar. 9.

h Philip. 4.

6. Hæc ad Arnoldum Bernardus in spiritu vehementi, vel ipsas Tharsis [l] naues contriturus: at non eumdem. Cæterùm ad Adam, vt ad filium sibi charissimum, acriora adhuc, & longè liberiora. [m] *Tua mihi satis comperta humilitas, & instantis periculi necessitas, præbet mihi fiduciam conueniendi te acriùs, & arguendi liberiùs. O insensate! quis te fascinauit tam citò recedere ab illo saluberrimo consilio, in quo dudum tibi pariter, & mihi Deo solo teste conuentum est? Cogita insipiens vias tuas,* [n] *& conuerte pedes tuos in testimonia Domini. Non recordaris quod primò in Molismensi Monasterio tuæ conuersionis initia dedicasti: secundò apud Fusniacum nostra te qualicumque prouidentia commendasti: tertiò in Morimundo stabilitatem tuam firmasti: quartò mecum rursus inito consilio, suggestæ tibi ab Abbate Arnoldo peregrinationi, imò vagationi, ingenuè abrenunciasti, ipsius quoque tibi consortium, si non ipse licitè potest abire, illicitum iudicasti? Quid enim? Licet ne, dices, illum recedere, qui & sibi commissis lachrymabile scandalum reliquit, nec commissoris licentiam expectauit? Sed quorsum, inquies tendunt hæc, quæ sic retractare voluisti? Vt te manifestæ leuitatis arguam, vt est, & non esse te apud te, euidenter ostendam: sicque errorem tuum iam tandem agnoscens, & erubescens, vel serò discas ab* [o] *Apostolo, non omni spiritui credere: discas à Salomone* [p] *multos quidem amicos, vnum autem habere consiliarium de mille: discas Præcursoris Domini exemplo* [q] *non solum mollibus non vestiri, sed nec in modum venti agitatæ arundinis circumferri omni vento doctrinæ: discas ex* [r] *Euangelio domum tuam supra petram fundare:*

l Psalm. 71.

m epist. 5.

n Psalm. 118.

o 1. Ioan. 4.

p Eccles. 6.

q Matth. 11.

r Matth. 7.

f Matth. 10. *discat & cum discipulis [f] serpentis non obliuisci prudentiam, cum simplicitate columbæ, & tam ex his, quam ex aliis Scripturarum testimoniis, hanc colligas summam, quantum tibi videlicet vsque modò milleformis ille seductor illusit, qui cùm in re boni initium non valuit præpedire, inuidit perseuerantiæ, hoc nimirum sua posse sufficere malitia indicans, si hanc posset auferre tibi, quam solam virtutum nouerat coronari. Obsecro te per viscera misericordiæ Christi, vt nullatenus abeat, aut vel non prius, quam ad nos loco quidem opportuno venias loqui, si quod fortè tantis malis, quæ iam nobis ex vestra discessione aut venisse sentimus, aut ventura metuimus, queat remedium inueniri. Vale.*

7. Hactenus epistola Bernardi ad Adam Monachum: nam ad cæteros alios, vt non scripserit; scripsit tamen ad Brunonem illustrem virum, cum quo amicitiam Remis antè contraxerat, rogans, & obsecrans, vt curaret reuocandos, & reuocatos ad propria etiam remitteret. Atque ecce exemplar epistolæ ad Brunonem.

Domino Brunoni Coloniensi, viro illustri, & dilecto suo, frater Bernardus Abbas, dictus de Claravalle, salutem, & si quid potest peccatoris oratio. Ex quo dudum Remis nostri inuicem vtrique gratam cœpimus notitiam, non puto vos nostra penitus fuisse paruitatis oblitum. Et ob hoc non timidè, tanquam ad extraneum, sed fidentissimè scribo ad vos quæcumque volo, vt ad notum, & familiarem nostrum. Arnoldus Abbas Morimundensis, in graue totius Ordinis nostri scandalum, suum nuper Monasterium satis inordinatè deseruit, quippe qui nec Coabbatum suorum in tam scrupuloso facto expectauit consilium, nec ipsius, cui præcipuam debebat subiectionem, Abbatis scilicet Cisterciensis licentiam, vel assensum. Sed cùm esset homo, sub potestate habens & ipse sub se milites, potestatis impatiens superioris, alienum quidem iugum à propria ceruice subiectus abiecit, suum autem superbior in subiectos retinuit. Siquidem de magna multitudine Monachorum, quos circumiens mare, & aridam inaniter congregarat, non Christo, sed sibi, paucis admodum, hisque simplicioribus, ac remissioribus relictis desolatis, meliores quosque, & perfectiores sibi socios erroris assumpsit. Inter quos tres, quorum nos maximè ablatione turbauit, ausus est etiam seducere, & secum ducere fratrem Euerardum, videlicet fratrem nostrum & Adam, quem bene nostis, nobilemque illum puerum Conradum, quem & pridem non sine scandalo tulerat de Colonia. Quos tamen, si operam dare volueritis, vestra confidimus posse reuocari industria. Nam de ipsius Arnoldi reuocatione, quia iam in pluribus eius inflexibilis animi obstinationem probauimus, in cassum laborare vos nolumus. Audiuimus autem Euerardum, & Adam, & nonnullos eiusdem consortij alios fratres, in vestris adhuc partibus demorari. Quod si verum est, oportet vos eos per vos interim, si dignamini conuenire, flectere precibus, ratione conuincere, & columbinã eorum simplicitatem prudentia instruere serpentina; ne putent obedientiam inobedienti adhærere, ne licitè sequi se posse confidant vagantẽ illicitè, nè seducantur deserere professum Ordinem, propter inordinatum hominem, cùm ipsum quoque Angelum de cælo, si aliud eis euangelizauerit, dubitare non oporteat [t] Apostolica auctoritate anathema dicere, & ab ipso doceantur Apostolo, sed ab omni fratre inquietè ambulante debere substrahere. [u] Qui vos quoque doceat non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, donec omnibus abrenuntiantem probatum sibi Christus vendicet discipulum. Vale. Ita Bernardus medicinam parabat instanti morbo, aliquibus statim, pluribus tardiùs, demum Arnoldo nunquam profuturam. Namque Henricus illico resipuit, &, reluctante licèt duce, reuersus est, teste Bernardo in quadam alia epistola. Arnoldus ipse in errore suo pertinax, non multo pòst decessit in Flandriæ partibus. Qualiter autem post ipsius mortem generale Capitulum, in reliquos anathema indixerit, & quam epistolam ad Adamum Monachum, à quo cæteri pendere videbantur, Bernardus dederit, sequenti anno, quo euenisse credimus, more nostro commodiùs differemus. Nunc famem per hoc tempus prementem Galliam, & in fame Bernardi charitatem, ac Dei immensam prouidentiam referamus.

t Galat. 3.
u 2. Thesal. 3.
x 1. Tim. 6.

---

1. In Claravalle, ex crebra largitate multiplicata annona, 2. & Bernardus pauperibus mendicans; 3. eiusdem miraculum. 4. Infirma valetudo. 5. Visiones, 6. Salusque obtenta per Virginem. 7. Theobaldi Comitis de Bernardi salute solicitudo. 8. Ratio temporis, 9. & perpensus annus vacuus à fundationibus.

CAPVT III.

1. INgrauescebat fames per totam Galliam, atque vtramque Burgundiam: neque annona ex Flandria illuc adducta, quantumuis ingens, sufficiebat alendis populis. Cùm deficientibus hominum subsidiis, horrea Claræuallis, aliàs tenuia, Bernardi charitas, & diuina potentia multiplicarunt, insigni miraculo, quod Guillelmus sancti Theodorici Abbas ita describit. [a] *Circa hoc tempus in regno Galliæ, & finitimis regionibus fames inualuit; seruorum autem suorum horreum Domini benedictio cumulauit. Siquidem vsque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat: sed & tunc quoque post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix vsque ad Pascha eam sibi posse sufficere æstimabant. Cùm autem emere vellent, sumptus non inueniebant, quòd longè carius solito venderetur. Itaque ab ipso tempore quadragesimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluxit. Quibus erogantes fideliter quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona, vsque ad messem ipsi pariter, & qui super veniebant pauperes alacriter sustentabantur.* Ita Guillelmus: vt vel hoc miraculum, inter Christi miracula insigne, multiplicatis alendæ turbæ panibus, Bernardum, atque eius filios, eo excellentiùs, quo vtiliùs commendaret.

a lib. 1. c. 10.

At cùm in longè à Claravalle positos id beneficium non extenderetur, æquè vbique pro pauperibus solicitus, in charitatem se totum diffundebat, litteris datis ad conuicinos Principes, iisque affectuosis valde, & efficacibus, de pauperum, inter quos degebant, sustentatione. Extat epistola ad Ducissam Burgundiæ scripta hoc ipso anno, qua post consensum eius flagitatum, ad quoddam matrimonium aliàs iuratum, inter subditos Ducis contrahendum: tandem panem pauperibus mendicat; instillat meritum, & præmium promittit. [b] *Ecce (inquit) nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; erogate vestrum frumentum pauperibus Christi, vt in æternum cum vsura recipiatis.* Sic ad Ducissam, nec diuersa ad alios Principes. 2.

b epist. 52.

Cæterùm qui pro corpore sollicitus, multo ma- 3.

gis spiritui prouidebat, verè misericors, eoque magis, & magis miserabilis. Impetierat veneficiis virum vxoria fraus, in bellis sexus, quo impotentior, eo appetentior vindictæ per fas, per nefas, & cuius adultera torum maculauerat, quia semel læserat, implacabili odio prosequebatur. Cruciabat hominem Dæmon implacabiliter. Sed vir Dei maleficia per orationes, ac Dæmonem præsentia corporis Christi, dicto citiùs extinxit, ac fugauit. Id quia sub famis tempus, atque adeò hoc anno contigisse, Guillelmus narrat, ipsius verbis
c lib.1.c.10. hîc duxi describendum [c] *Virum, ait, pauperem non longè à Monasterio habitantem, uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, vt miser homo consumptis carnibus, nec posset mori, nec viuere sineretur. Sæpiùs denique & vocis vsum, & sensum omnem corporis amittebat, iterumque redibat, non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter reuocatus. Adducitur tandem homo ad virum Dei in Monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. Qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam, tantum sibi in Christianum hominem vsurpasse, vocans duos è fratribus, ante sanctum Altare hominē deportari, ibique superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continente, in ipsius sacramenti virtute a læsione Christiani hominis iubet Dæmonem prohiberi. Factum, vt præcepit, & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.* Sic sanctus Pater ab vtroque gladio, fortis in fide fideles vindicabat.

4. Interim, ne misericors in alios, misericordiæ in seipso fructum non reportaret, ægrotauit ad mortem, & variis præcedentibus visionibus, quæ nunc nunciare mortem videbantur, nunc sospitantem, à beata Virgine & Sanctis visitatus Benedicto, Laurentioque, per ipsos demum sanitati redditus fuit, ingenti æquè fauore atque miraculo. Rem satis celebrem, à multis comprobatam, nec relatione acceptam, sed à se visam, idem qui
d lib.1.c.12. suprà Guillelmus memoriæ prodit. [d] *Infirmabatur aliquando* (inquit) *homo Dei, & velut riuulus quidam phlegmatis incessanter ab eius ore fluebat. Vnde exhausto corpore vsque quaque deficiens, paulo minus ad extrema deuenit. Conuenerunt itaque filij, & amici eius, velut ad exequias tanti Patris, & ego ipse inter cæteros affui, quòd me quoque eius dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum iam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit autem & Satan ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi verò ille omnia fuerat prosequutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, ille territus, aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum: cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris, & merita passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est.* Hactenus ægritudo, concursus assistentium, & prima visio, quæ portendere mortem videbatur.

5. At de secunda, quæ vitam prænuntiabat, pergit
e ibidem. auctor scribere in hunc modum. [e] *Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longè est dissimilis sequuta, siquidem velut in littore quodam positus videbatur sibi nauem, quæ se transueheret, expectare, cumque appulisset nauis ad litus, festinabat ingredi, & illa sedens impingebat in aquam. Vsque tertiò ita faciens, tandem relicto eo, nauis ibat, & non reuertebatur. Intellexit autem protinus, nec dum tempus suæ migrationis adesse.* Hac duplici visione Sanctus admonitus, metum inter, & spem filios exercebat: immotus ipse, & vt in mortem pronior, sic vitam, nec timens, nec exoptans. *Adhuc tamen* (pergit Guillelmus) *crescebat dolor, eo vtique magis molestus, quo minus iam cum spes imminentis exitus solabatur.*

Sed demum sospitatem subsequutam, imminenti iam exitu, ex beatæ Virginis, & sanctorum Benedicti, & Laurentij visitatione, contactuque, idem auctor testatur, dum ita ait. *Contigit autem, aduesperascente iam die, vt cæteris fratribus iuxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diuersorio, in quo iacebat. Cumque vehementiùs affligeretur, & supra vires dolor excresceret, aduocans alterum è duobus, iubet citiùs oratum ire. Excusantem denique & dicentem: Non sum ego talis orator, obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, & oratum ad altaria, quæ in eadem Basilica erant tria. Primum in honore beatæ Dei genitricis: duo circumposita in honore beati Laurentij Martyris, & beati Benedicti Abbatis. Eadem igitur hora affuit viro Dei prædicta Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, & beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate, & suauitate, quæ eos decebat, & tam manifesti, vt ex ipso introitu cellulæ, personas quoque discerneret singulorum. Imponentesque ei manus, & loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim illico phlegmatis riuus, & dolor omnis abscessit.* Hactenus ocularis testis, atque omni exceptione maior, Guillelmus Abbas, sanctitate & doctrina æquè insignis, adeoque dignus scriptor tanti miraculi. 6.

Extat epistola Bernardi ad Theobaldum Comitem per hoc tempus scripta, referens gratiam 7.
pro solicitudine, qua anceps anxiusque, imò ideo anxius, quia anceps, exitum morbi ipsius præstolabatur, sub hoc initio. [f] *Quòd de nostra infirmitate* f epist. 37.
vos audiui fuisse solicitum, gratum habeo. In hoc enim, dum vestram erga me agnosco dignationem, Deum quoque vos diligere non dubito. Quando enim tantillum tantus, vel nosse dignaremini, nisi propter Deum? &c. Ita Bernardus. Quibus clarè videas, eam epistolam scriptam per hoc tempus, nempe Theobaldo Sanctum suspiciente, veneranteque: sed nondum adhuc iurato in eius verba, neque intima amicitia illi coniuncto, quod post Norberti Patris gloriosum exitum, quasi Bernardo suffecto in eius locum, contigisse, suo loco dicemus.

Verùm de tempore ipsius infirmitatis, inde no- 8.
bis apparet coniectandum, quòd Guillelmus, qui eam memoriæ prodidit, vsque ad tempora Honorij secundi tantùm, hoc est, ad annum M.CXXIX. (neque vltrà potuit, morte ipse præuentus, dum eam scriberet) vitam sancti Doctoris compilauit. vnde nihil prorsus de gestis sub Innocentio. At sub Honorio hic annus, præ aliis, fuit aëris intemperie, & varietate morbis obnoxior, quod Robertus Montensis adnotauit. [g] *Mortalitas* g in Chr. n.
(inquit) *animalium maxima fuit. Hyemi successit in-* hoc ann.
temperies aëris, nunc niue, nunc pluuia, nunc gelu alternatim, satis noxia. Vt nihil mirum, caducum aliàs corpus, & summè debile, ea intemperie actum velox in præceps, si non detineretur, ruiturum.

Nullæ huius anni leguntur fundationes, quod 9.
à Cistercio incepto propagari, per quatuor primas veluti matrices totius Ordinis, adeò rarum, & sine vllo exemplo fuit, vt integra penè annorum centuria, nempe à M.CXVIII, quo Pruliacum quinta Cistercij filia lucem vidit,

vsque ad M. CCIX. Hic solus vacuus reperiatur in Chronologia. Fortè ex discessu Arnoldi turbata omnia, & paterno splendore obnubilato, edendæ prolis cura contempta fuit. Fortè fama, contagioque grassantibus, sancti illi Patres obliti, quæ propria erant, solis pauperibus seipsos deputarunt, nempe quærentes, non sua, sed Iesu Christi.

IESVS CHRISTI ANN. 1126. — CISTERCII ANN. 29.

1. Arnaldi Abbatis mors, 2. sed non omnino sine spe salutis 3. Excusante discessum causa pia, nec tunc indigna indicata viris sanctissimis. 4. Probatum obiisse ante cessionem. 5. Gualterius Claravallis Prior, illi; 6. & Gualterio Humbertus suffectus in Claravalle. 7. Ratio temporis. 8. Gualterij pro nouo grege solicitudo: 9. & Capituli in absentes sententia, nisi redirent.

CAPVT I.

1. CENTESIMVS vigesimus sextus supra millesimum reparatæ per Christum salutis annus, Cisterc[ij] vigesimus nonus, Morimundi, & totius Cistercij damna, Arnaldi morte, dum auxit, reparauit, quippe radice scandali præcisa, quidquid ex ea oriebatur, elangue fuit. Vocatus ne à beato Patre Stephano, an propria sponte diuerterit in Flandriam? in dubio est: certum relictis Coloniæ sociis vix, illuc & diuertisse, & ante reditum, iusto Dei iudicio, vitam cum morte, & professionem Hierosolymitanam cum periculosiori commutasse. Inde Bernardus de eo ad Humbertum scribens. [a] *Cuius præsumptio (ait) digno, sed pauendo fine, in breui est vindicata.* Pauendo, inquam, ac fugiendo quibusque bonis. Et deplorata multis viri mors, quippe vt putabant, extra obedientiam; eoque magis dolenda, quo Ipse Arnoldus ornatior animi dotibus, ac fructuosior Cistercio cognoscebatur: ingenio prono ad ingentia quæque tractanda, & nec difficultatibus cedenti, neque periculis. Atque vtinam flexibilior paulo foret, nec quam aduersus pericula constantiam, haberet etiam pertinaciam contra consilia.

a epist. 141.

2. Manet tamen sub iudice lis eius, solo Dei iudicio dirimenda, quippe munitum indulto Pontificio, non de facili audeas condemnare, & Hierosolymitana profectio illis temporibus, multos etiam sanctissimos Prælatos, quosdam ad tempus, alios facto diuortio, à suis Ecclesiis separabat. Vnus mihi pro mille sanctus Norbertus, si non profectus, suspectus de profectione; deserta non vna domo, aut paucis filiis, sed integra Præmonstratensi religione, adhuc tenella, vix quippe sexennij, & adhuc indigente satoris manu. Audi Bernardum ad Gaufridum Carnotensem super hoc scribentem in hæc verba. [b] *Quod à me de domino Norberto sciscitamini, si videlicet, iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies eius faciem videre, & cælesti fistula, ore videlicet ipsius, plura haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audiui.* Ita Bernardus. Quibus videas, nequaquam tunc indignum iudicari, id quo de tanto Patre præsumebatur. Idem de eodem Gaufrido Carnotensi fama vulgatum, non solum Galliam, sed Romam penetrauit. Bernardo Patre scribente ad Aimericum. [c] *Amicus vester & noster, dominus Carnotensis Episcopus, voluit vos etiam per me certum fieri, quia id quod de ipso, a quibusdam domino Papæ persuasum fuisse cognouimus, vt eum videlicet Hierosolymam permitteret proficisci, nec sui fuerit studij, nec voluntatis. Quod & si multum voluisset, tamen non poterat.* Ita Bernardus etiam de Gaufrido.

b epist. 56.

c epist. 52.

3. Sed ne solos producam non profectos, audi de Stephano sancti Ioannis Carnotensis insigni Præsule, pòst Hierosolymitano Patriarcha, quæ Guillermus Tyrius narrat totidem verbis. [d] *Hic* (scilicet Stephanus) *eiusdem ciuitatis* (Carnotensis) *ante conuersionem suam, in equestri ordine, & habitu fuerat vice Dominus: postmodum sæculo renuncians, habitum religionis in prædicto Claustro suscepit. Demum suffraganibus meritis, ad regimen Ecclesiæ eiusdem promotus est, in adolescentia liberalibus disciplinis conuenienter instructus. Qui cùm orationis gratia, & deuotionis intuitu, Hierosolymam venisset, ibique transitum expectans, moram faceret: contigit, quòd post exequias Domini Guarimundi Patriarchæ, dum Clerus, & populus de substituendo Pastore tractarent, communi omnium voto electus est.* Hactenus Tyrius. Vt nihil mirum, si præsumpserit Arnoldus sibi licere, quod vel à tantis Patribus, inter magnos, seu potiùs summos Ecclesiæ viros, nequaquam censebatur fore alienum.

d lib. 13. cap. 25.

4. Obiisse virum tertio Nonas Ianuarij, [e] Claudius Robertus scribit, haud dubium quin acceptum ex Morimundo. Verùm quod addit, cessisse præfecturæ, quam duodecim annis administrasset, vnde hauserit, prorsus ignoramus, quippe ex Bernardi epistolis ad ipsum, Adamumque, potiùs oppositum non obscurè colligo. [f] Tum, quia eumdem Arnaldum post discessum, Abbatem adhuc, & Morimundum commissum illi gregem apertè nominat. *Domino Arnaldo Abbati.* Et in corpore epistolæ. *Quomodo,* inquam, *securus abis, qui gregi tibi commisso omnem de te securitatem aufers?* Tum, quia, eo absente, patere lupis, nec fore, qui eripiat, subiungit, dicens. *Quis occurret lupis incursantibus? Quis consolabitur in tribulationibus? Quis prouidebit in tentationibus? Quis denique leoni resistet rugienti, & quærenti quem deuoret,* &c. Quæ abdicato nequaquam dici possent, quippe alio pro ipso substituendo, per quem hæc omnia, & alia præstarentur. Tum denique, quia Monachi seducti, abductique, sola se eius obedientia tuebantur, quam si cessisset, prætendere superfluum. Sed neque Bernardus ex eo indebitam tradit, sed ex opere ipso, quod ex se malum, & in quo nunquam liceret obedire, quin nec solutum obedientiæ vinculum, nisi morte Arnaldi contendit, vt mox videbimus. Verum est tamen propositum eidem resignare: quod ipse etiam Bernardus ad eum scribit. *Quippe cuius cognouimus esse propositum, pastoralem abiicere sarcinam, & soli deinceps viuere sibi.* Sed aliud est proponere, aliud exequi, & quod diutius victurus exequeretur, morte præuentus omisit, vt plura alia. Nec certior calculus annorum Roberti Claudij, vt

e in sua Gal. Christ. fol. nobis. 627.

f epist. 4.

constabit

constabit ex Humberti Prioratu, de quo mox dicam. Sed de his satis: nunc ad historiæ seriem reuertamur.

5. Stephanus audita morte Ducis, atque inter ipsum dolorem amissi filij, militibus congaudens, quibusdam vt faciliùs reducendis, cæteris vt fideliùs procurandis, iter ad Morimundum aggressus est, orphanas oues donaturus nouo Pastori. Credidetim transiisse per Claramvallem, indeque secum Priorem adportasse, virum sanctissimum, & in schola Bernardi exercitatum per decem annos. Siue autem Gualterio secum assumpto, seu Morimundi fratribus proposito, is successor Arnaldo datus est, communi omnium eligentium calculo. Tabulæ Claræuallensium id solum habent. *Primus Claravallis Prior fuit Gualterius, qui factus est secundus Abbas Morimundi.* Sic Stephanus Bernardum sibi præferens, & manum Dei cum ipso esse agnoscens, duabus è quatuor primis Ecclesiis Ordinis fermè intra annum viduatis, vtrique sponsum præfecit ex Claravalle; alteri fratrem, alteri Priorem eiusdem Sancti.

6. Ægre tulisset Bernardus iacturam viri, ni facilè nouisset reparandam. Loco Gualterij Humbertus suffectus est, vir religione, doctrináque conspicuus, quem post viginti Monachatus annos, Claramvallem adiisse superiùs diximus, tyronem sub Bernardo Patre acturum, ex veterano. At qualem se in Prioratu gesserit, idem beatus Pater memoriæ prodidit. [g] *In consiliis* (inquit) *purus vtique, & discretus. Quod ego tanto meliùs noui, quanto sæpius tetigi pectus eius. Non solus autem noui hoc, nouit & vniuersitas vestra. Quis denique multitudine, vel magnitudine tentationum percussus, non audiuit ab ore eius, & radicem tentationis, & curationis remedium? Ita enim percurrebat omnes angulos conscientiæ infirmantis, vt credere posset, qui confitebatur, eum vidisse omnia, omnibus interfuisse. Quanta autem charitatis erat? Sic se induerat viscera pietatis, vt omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur: non personarum acceptor, sed necessitatum. Erat ergo humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, feruens charitate, in commisso fidelis, in consilio circumspectus, & prudens. Compositus erat super omnes homines, quos viderim in diebus istis, vnus, & idem perseuerans omni tempore, & omni hora.* Talis Humbertus in officio Prioris, Bernardo teste, qui propiùs nouerat, & intimiùs penetrabat.

g in serm. de eius obitu.

7. Cæterùm quod ad rationem temporis attinet, quam hinc reddendam non multo antè promisimus, ex Prioratu Humberti palàm fit, omnes eos euentus, de quibus hactenus, nequaquam posse differi vltra hunc annum. Adeoque neque Arnaldum annos duodecim, sed vndecim præfuisse Morimundo, eosque non expletos, quippe à mense Martio anni M.CXV. vsque ad mensem Ianuarij anni M.CXXVI. in quo vitam cum morte commutauit. Nam Humbertum Claræualli præfuisse per annos aliquot, [h] omnes memoriæ antiquæ contestantur. Cùm autem Godefridus ei successerit, Igniacense Cœnobium fundaturo, quod anno M.CXXVII. contigisse, non solùm ex Chronologia habemus, quæ fortè dubia; sed ex tabulis etiam Claræuallis, quas dudum euulgauit Ioannes [i] Picardus: consequitur præcedenti anno, vt minimum, & Gualterium pro Arnaldo in Morimundo, & pro Gualterio Humbertum substitutum in Claravalle. Quin etsi Igniacum triennio differamus, quod tamen solus tradit [k] Claudius Robertus, tres, vel quatuor ad summum restabant anni præfecturæ Humberti, maximè cùm à morte Arnaldi cognita, vsque ad Gualterij electionem, confirmationemque, aliquod item tempus intercesserit. Sed de his satis.

h Exord. lib. 3. cap. 4. lib. sepulchro. Clar. val.

i post oper. D. Bern.

k in Catal. Monast. Cist.

At Gualterius electus in Abbatem, consolari filios, infirmos confortare, scandala tollere, reparare collapsam disciplinam, in temporalibus domui prouidere, solicitus, & prudens satagebat. Quin & Patronum loci priùs auersum, ab Arnaldi discessu auersiorem, delinire blanditiis, adstringere obsequiis, submissionibus, quàm per contentionem cum eo agere, & dum nihil ab inuito detorquebat, omnia ferè à volente consequebatur. Nec dubitandum, dum hæc domi agerentur, filiis foras dispersis congregandis, ac reducendis operam nauasse: arguentem, obsecrantem, increpantem, atque in omni patientia sustinentem. 8.

Cæterùm, cùm ne sic quidem proficeret, hæreditaria ab Arnaldo duritia cunctis imbibita, seu fortè, vt solet, pudore patrati operis, opus ipsum pudendum protrahente: ipse ad Stephanum communem Patrem omnium, Stephanus ad conuentum Abbatum, eodem anno ex more celebrandum, negotium graue, & vrgens detulere. ibi causa vtrimque ventilata, vtrimque discussa; aduersùs desertores, & contumaces excommunicationis sententia lata est, ni resipiscant, statim incurrendæ. Iniunctum etiam Bernardo Patri fuit, vt litteris curaret reuocandos, quos sibi nouerant præ aliis fore addictos. Ipse cùm sciret, si Adamum semel traheret, cæteros omnes, eumdem non minus reducem, quàm olim abeuntem secuturos, quippe quem post Arnaldum venerabantur; longam ad eum epistolam scripsit, sed dignam tamen inseri his Annalibus, siue vt seriem historiæ continentem, siue aliàs debitam ob oculos versari eunctorum, qui obedientiæ tenentur vinculo. Atque ecce exemplar, quibusdam intermissis; non quia inæqualibus: quid enim in ea minus? Sed vt cætera pretiosiora reddantur à breuitate. 9.

1. Notatus charitatis defectus, ex diuisione; 2. aliàs non excusata per obedientiam. 3. Quippe solutam morte præcipientis, 4. cui neque viuenti in discessu parendum foret: 5. saltim sine permissu superiorum. 6. Dubitatum de licentia summi Pontificis. 7. Obedientia discreta, quæ & discernens. 8 Iudicium Dei horrendum, & terribile. 9. Henrici Monachi reditus laudatus, 10. & in reliquos prolata sententia, nisi redierint.

CAPVT II.

Epistola Bernardi ad Adam Monachum, in qua monet, vt mortuo Abbate redeat, & quod non debuerit obedire.

1. *SI maneres in charitate, quam in te olim aut nouimus, aut putauimus, charitatis profectò damna sentires, quæ vtique sunt scandala pusillorum. Nec enim charitas charitatem offenderet, aut contemneret, cùm sentiret offensam. Nam se ipsam non potest negare: nec enim in se diuisa est. Nouit potiùs in se diuisa coniungere,*

coniuncta

venientia diuidere nescit. Proinde, vt dixi, si maneret in
te, non sileret, non quiesceret, non dissimularet, gemens, &
æstuans, & intra piom pectus tuum procul dubio submur-
a 1. Corint. 11. *murans illud, ª Quis scandalizatur, & ego non vror?*
Si quidem benigna est, pacem diligit, congaudet vnitati.
Sola quippe est, quæ illam generat, colligat, solidat, &
conseruat, vbicumque seruari cognoscitur in vinculo pa-
cis. Infensa ergo vobis hac tam honorabili matre vni-
tatis, & pacis, quo pacto, quæso, vestrum quodcumque
sacrificium Deo fore acceptum præsumitis, cum absque
illa, nec martyrium quidem aliquid esse putet Aposto-
lus? Aut qua ratione vobis fore infensam non esse con-
fiditis, cuius castis visceribus, cuius charis pignoribus tam
inhumanè agendo non pepercistis, nec parcitis, scindentes
vnitatem, rumpentes vinculum pacis? Ponendum est
ergo munus quodcumque offerre paratis, & prius habenti
aduersum vos non fratri, sed fratrum multitudini recon-
ciliandum. Ecce nimirum vniuersæ fraternitatis vnitas,
aduersus vestram paucitatem, quodam veluti vestri
discessus gladio sauciata queritur, quasi quæ plangens
b Cant. 1. *miserabiliter dicat, ᵇ Filij matris meæ pugnauerunt con-*
tra me. Et meritò. Qui enim non est cum illa, contra il-
lam est. Putas sine gemitu tam iustum filiæ gemitum pia
possit mater charitas audire? Ideo & ipsa nostris lacry-
c Esai. c. 1. *mis iungens suas, ait de vobis: ᶜ Filios enutriui, & exal-*
d Ephes. 2. *taui, ipsi autem spreuerunt me: charitas ipse Deus est. ᵈ*
Pax nostra Christus, qui fecit vtraque vnum. In Trini-
tate vnitas maximè commendatur. Cui ergo charitas,
pax, & vnitas irata cognoscitur: quid habet in regno
Christi, & Dei.

2. *Sed forsitan dicis: Abbas noster abduxit nos, & se-*
cum ire præcepit. Num inobedientes esse debuimus? Scis
quidem, nisi oblitus sis, quid quadam die, communicato
mecum iam conspirati scandali consilio, ac diligenter
mutua collatione discusso, inter nos conuenerit. In quo si
e Psalm. 1. *permansisses, & de te illud incongruè non diceretur: ᵉ*
Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Sed esto:
debuistis obedire filij Patri, Magistrum sequi discipuli.
Licuerit certè Abbati Monachos suos ducere, quò li-
buerit, & docere quod voluerit, sed quandiu vixit.
Nunc verò mortuo illo, quem vel audire Doctorem, vel
sequi Ducem cogimini, quo adhuc tam graue scanda-
lum emendare cunctemini? Quis iam prohibet, non
f Hierem. 8. *dico me, sed Deum nostrum, per os ᶠ Hieremiæ beni-*
gnè vos reuocantem, audire? Ait enim: Nunquid qui
cecidit, non resurget? qui auersus est, non reuertetur?
An & ille moriens interdixit, ne vel post casum tentetis
resurgere, post auersionem mutire audeatis de reuersio-
ne? Ita ne etiam defuncto necesse est vos obedire, & obe-
dire contra charitatem? obedire in vestra ipsorum salutis
periculum?

3. *Sed arbitror quòd nequaquam firmius, seu tenacius*
dices esse vinculum Abbatum ad subditos, quam con-
iugum ad seipsos: quorum quippe Deus copulam, & non
homo, inuiolabili ligauit sacramento, loquente Saluato-
g Matth. 19. *re: Quos Deus coniunxit, ᵍ homo non separet. Aposto-*
h Rom 7. *lo autem asserente: ʰ solutam esse mulierem a lege viri,*
mortuo illo: tu te Abbatis defuncti existimas lege teneri,
& hoc contra legem, quæ sanctior est, legem videlicet
charitatis.

4. *Et hæc dixi, non quòd putem vos vel viuenti in hoc*
paruisse debere, aut vel dicendam esse obedientiam sic
paruisse. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus,
& ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Aposto-
i Actor. 5. *li, clamant quippe, dicentes: ⁱ melius est obedire Deo,*
quàm hominibus. Hinc Dominus in Euangelio Phari-
k Matth. 5. *sæos increpans: ᵏ Quare & vos, inquit, transgredimini*
mandatum Dei propter traditionem vestram? Et per
m Isai. 29. *Isaiam: ᵐ Sine causa autem (ait) colunt me, manda-*
ta, & doctrinas hominum tenentes. Et item ad Proto-
plastum: ° Pro eo quòd obedisti voci vxoris tuæ, plus- o Genes. 3.
quam meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere
malum, quolibet etiam iubente, constat non esse obedien-
tiam, sed potiùs inobedientiam.

Et quidem taceo de mortuo, qui suum, & solum iam 5.
iudicem habet Deum, & verè nunc suo Domino aut
stat, aut cadit: ne fortè indignans, & meritò indignans,
dicat Deus: Tulerunt homines a me iudicium, tamen ad
correctionem viuentium, non quidem quod gessit, sed
quod iussit, discutio, vtrùm videlicet illa iussio vim ha-
bere debuerit, quatenus in scandalum multorum ei fue-
rit obsequendum. Et præmittendum, quòd si qui simpli-
citer, nihilque suspicantes mali, male licet proficiscen-
tem secuti sunt, putantes eum Episcopi Lingonensis,
& Abbatis Cisterciensis (nam vtrique debitor erat)
licentia proficisci (quod vtique nonnullos de illo comi-
tatu sic credidisse, impossibile non est) nostra hæc illos
non tangit reprehensio, dummodo vbi comperierint, sine
mora regrediantur. Igitur aduersùs illos tantùm, imò pro
illis sermo est nobis, qui scientes, & prudentes miserunt
manum in ignem, qui conscij præsumptionis secuti sunt
præsumptorem, non audientes Apostolum prohibentem,
& denunciantem, vt ° se ab omni fratre ambulante in- o 2. Thess. 3.
ordinatè subtraherent: contemnentes & ipsius Domini
vocem, dicentis: ᵖ Qui non colligit mecum, dispergit. p Matth. 12.
Vos fratres, vos, inquam, aperte, & specialiter notat
illud apud Hieremiam, quod cum dolore quidem remi-
niscor, opprobrium. ᵍ Hæc est (inquit) gens, quæ non q Hier. 7.
audiuit vocem Dei sui. Dei enim propriè vox est ista,
hostem suum proprio designantis ex officio, & tanquam
digito demonstrantis, vt simplices ab eius impio deter-
reat consectatu. Qui non est (inquit) mecum, dispergit.
Ac si dicat: in hoc te iam mecum non esse intelligas, si
sequeris dispersorem.

Possem quidem Abbatem Cisterciensem ad medium 6.
deducere, qui vtique superior illo quantum pater filio,
quantum magister discipulo, quantum denique Abbas
commisso sibi Monacho, meritò se à vobis propter ipsum
queritur fuisse contemptum. Possem & Episcopum, cu-
ius nihilominus, quia non fuit expectatus consensus, in-
excusabilis est & contemptus, cum ad ipsos, & de ipsis
Dominus dicat: ʳ Qui vos spernit, me spernit. Sed quo- r Lucæ 10.
niam his posset ambobus opponi, & anteponi, Romani
Pontificis, tanquam grauior auctoritas, cuius quippe vos
aiunt præmunitos fuisse licentia, & ipsa suo loco erit dis-
cutienda... Apostolicam (inquiunt) licentiam petiui-
mus, & impetrauimus, vtinam non licentiam quæsissetis,
sed consilium... Quam tamen summum dedisse Pontifi-
cem nequaquam crederim, nisi aut circumuentum men-
dacio, aut importunitate victum... Quando etenim ali-
ter huiuscemodi vobis licentiam indulgeret, seminandi
videlicet scandala, schismata suscitandi, amicos contri-
standi, fratrum conturbandi pacem, & confundendi vni-
tatem, propriumque insuper contemnendi Episcopum?
Et hæc qua necessitate, necesse non habeo dicere, cum rei
exitus satis indicet. Profectos nempe plangimus, profe-
ctum non cernimus.

Sed quid ad me? inquis. Ille viderit, cui mihi con- 7.
tradicere fas non erat. Non est discipulus super Magi-
strum. Docendus, non docturus eius lateri adhærebam.
Sequi debui, non præire præceptorem auditor. O istorum
temporum Paule simplex, si tamen & ille se alterum
sibi exhibuisset Antonium; vt quidquid vel leuiter de
labiis eius procederet, necesse non haberes discutere; sed
sine cunctatione ad omnia nihil hæsitans, obedires.
O Monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet senio-
rum verbulis, ne vnum quidem iota præteruolet. Non
attendis quale sit quod præcipitur. Et hæc est obedientia
sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: ˢ s 1. Thess. 5.
Omnia probate, quod bonum est, tenete. Si ita oportet,
deleamus

ᶜ Matth. 10. *deleamus iam de libro Euangelij: ᶜ Estote prudentes sicut serpentes, sufficiente quippe, quod sequitur, & simplices sicut columbæ. Nec dico in subditis mandata præpositorum esse diiudicanda, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis: sed necessariam assero, & prudentiam, qua aduertatur, si quid aduersatur, & libertatem, qua & ingenuè contemnatur. Cæterùm iste: Nihil, inquit, habeo interrogare, viderit ille, quid iusserit. Dic, quæso, si dato in manus gladio, suum te armari iussisset in iugulum, acquieuisses? Aut si se tuo voluisset impulsu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperasses? … Age ergo, vide ne fortè sub prætextu obedientiæ, in quippiam ei grauius inseruieris… quippe cuius obedientia, non meo, sed veritatis iudicio, peior inuenta est homicidio.*

8. *Si hæc non ignoras, quomodo non trepidas? Quòd si trepidas, quomodo non emendare festinas? Alioquin qualem hinc, ad illud tribunal terrificum conscientiam portas, vbi iudex teste non indiget, vbi veritas discutit intentiones, vbi inquisitio culparum pertingit ad abdita cordis, vbi denique secretissimos recessus mentium diuinus ille inuestigat intuitus, & ad subitum illum Solis iustitiæ fulgorem, animarum expauisi sinus cuncta, siue bona, siue mala euomunt, quæ celabant? Ibi frater Adam, facientes, & consentientes pari pœna punientur. Ibi fures, & socij furum similem sunt accepturi sententiam. Ibi par subibunt iudicium, & qui lactant, & qui lactantur peccatores. Perge igitur iam dicere: Quid ad me? Ille viderit. Tange picem, & dic: Non inquinabor ab ea.*

9. *Felicem ego dixerim fratris Henrici inobedientiam, cui citò resipiscenti ab errore, & reuertenti ex itinere, talem contigit non experiri obedientiam. Quem potiorem nunc, & dulciorem sua huiusmodi inobedientiæ carpit, iam iamque degustat fructum, bonam habens conscientiam, quod cæteris collegis suis fraterna corda graui scandalo concutientibus, ipse inter fratres in proposito, & ordine suo sine querela conuersetur. Cuius ego, si optio detur, pigram potiùs elegerim inobedientiam cum ipsius conscientia, quàm horum studiosam obedientiam cum scandalo. Æstimo enim, quia melius agit iste sic inobediens Abbati, sed non charitati, seruando vnitatem in vinculo pacis; quam illi, qui ita obtemperant homini vni, vt vnum præferant vnitati… Siquidem, vt cætera taceam, duo præcipua nobis in Monasteriis conuersantibus obseruanda traduntur: subiectio Abbati, & stabilitas in loco. Et ita obseruanda, vt neutrum præpediat alterum, neque alterutrum sibi præiudicet. Vt verbi gratia: sic te stabilem in loco exhibeas, vt Abbati subiici non contemnas. Sic obedias subiectus Abbati, vt stabilitatem non amittas. Porrò si detestaris in loco licèt perseuerantem, qui Abbatis fortè subdi contemnit imperiis: miraris, si reprehendimus obedientiam, quæ vobis vestrum deserendi locum, vel causa extitit, vel occasio? … Dico ergo Abbati per omnia obtemperandum, sed salua professione. Verùm tu professus secundùm regulam sancti Benedicti, vbi promisisti obedientiam, promisisti & stabilitatem. Quod si obedieris quidem, stabilis autem non fueris, dum offendis in vno, factus es omnium reus: si omnium, & ipsius obedientiæ. Vides itaque pondus tuæ obedientiæ?* Hæc, & alia Bernardus in ea epistola, vt ex se acria, mordicantiaque, sic etiam efficacia, atque salubria.

10. Subiicit autem mitiora pro suo more, & proximior fidenti, quàm desperanti, non prius excommunicationis gladium exerit, quàm de Adamo vel certus, vel certo similis, non tam in ipsum vibrare illum appareat, quàm ei tradere, ad alios deterrendos. Sic enim claudit epistolam prolixam. *Multa quidem tibi loquutus sum charissime, cùm multis opus non habeas, quippe cui sit ingenium velox ad intelligendum, quod dicitur, & voluntas agilis ad eligendum, quod vtiliter suadetur. Sed licèt specialiter quidem ad te, non tamen multa propter te scribenda putaui. Hæc itaque, quibus Deus prouidit fore necessaria. Te autem vt meum iam olim familiarissimum paucis, & cum omni fiducia moneo, ne iam diutiùs animas desiderantium te, in tuæ quidem animæ horrendum periculum, tui expectatione suspendas. En tua, eorumque (ni fallor) qui tecum sunt, & mors, & vita in manu tua est: arbitramur enim, quidquid feceris tu, aut volueris, illos esse facturos. Alioquin apertè denuncia illis, quia iuxta omnium Abbatum nostrorum non contemnendam sententiam, quæ meritò processit in vos, qui redierint, viuent: qui remanserint, morientur.* Hactenus Bernardus, per quæ Adamum, & cæteros reductos dubitare non licet. Vtrùm autem idem Adamus sit ipse, qui post annum, plus minus, Germaniam repetens, Ebracum illustre satis Monasterium, à venerabili Gualterio missus, in diœcesi Herbipolensi construxerit, suo loco coniectabimur potius, quàm asseremus. Atque hæc satis de Arnaldi discessu, morteque, & cæterorum sequuta reductione.

---

1. De Antichristo venturo tunc rumorem Bernardus disiicit; 2. comprobata Notberti prophetia: 3. & ex rumore periculum ostensum. 4. Bernardus primum ad Honorium scribit pro Alberico electo Catalaunensi, 5. dubium quo fructu. 6. Emendata in Baronio ratio temporis. 7. Secunda littera eiusdem ad eumdem; 8. itemque ad Haimericum, 9. & Petrum Cardinales. 10. Correctus titulus epistolæ decimæ nonæ; 11. & vigesima adducta ex ipso Sancto.

CAPVT III.

1. SParsus interea rumor inter fideles de Antichristi aduentu, jam imminente, creduli vulgi mentes occupabat. Et, quod mireris, auctoribus non dubiis, neque vulgaribus, sed grauissimis, sanctissimisque, & inter alios Notberto, rem quasi de cœlo acceptam asseuerante. Verùm oraculo cum Bernardo Patre collato, discussoque, temperauit sententiam. Vnde & rumor disiectus Bernardi operâ. Extat epistola eiusdem sancti viri ad Gaufridum Episcopum Carnutum de his, post

ᵃ epist. 56. quædam alia, ita scribentis. ᵃ *Verùm de Antichristo, cum inquirerem, quid sentiret* (scilicet Notbertus) *durante adhuc ea, quæ nunc est, generatione, reuelandum illum esse, certissimè se scire protestatus est. At cùm eamdem certitudinem, vnde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet: audito, quod respondit, non me illud pro certo credere debere putaui. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi priùs videat in Ecclesia persequutionem.* Ita Bernardus: quæ verba referens Cardinalis Baronius, ᵇ rem, licèt paucis, attingit pro dignitate. *Quod attinet ad Antichristum, fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichristum hoc fore sæculo reuelandum, & inter alios Norberti viri temporis huius fama celeberrimi, de quo sanctus Bernardus ad Gaufredum Carnotensem Episcopum.* Ita Baronius de sparso tunc rumore. ᵇ an. 1106.

At de oraculo, ex quo fortè initium sumpsit, insitatum illud relabi putat, cui satis consonat 2.

Notberti

c Baron. ibid. Norberti temperamentum. [c] *Quòd cum sæpe sancti viri prænouissent ingentes futuras persequutiones Ecclesiæ, putarunt rerum magnitudine ipsa afforc Antichristi tempora.* Licèt autem Baronius non expresserit, quænam ingens Ecclesiæ persequutio innotuerit per reuelationem sancto Norberto, facile est coniectari eam fuisse, quam sub Innocentio secundo passa est, à Petro Leone pertinacissimo Antipapa, inceptam circa annum salutis millesimum centesimum trigesimum, adeoque quatuor ante sancti Norberti obitum, & per decennium ferme continuatam, de qua nos plura in sequentibus dicemus. Sic & Bernardi Patris doctrinam solidam, & Norberti non falsam prophetiam; atque vtrumque diuinitus instructum ipsi etiam euentus comprobarunt.

3. Cæterùm quod ad Antichristum attinet, ne quid quod ad rem faciat, omittamus, hic planè rumor sparsus occasio fuit, vt non deessent, qui se Christos fingerent, imò & Antichristus, magnæ, quàm bonæ famæ appetentiores; nec timentes perire, dum innotescerent. Sic Tanquilinus, sic Eudo, vterque similis, ille Flandriam, hic Galliam inquietauit, dum se vterque Dei filium professus est, leui, atque ad nouitates prono populo impellente vtrumque, dum sequeretur. De Tanquilino hæc Petrus Abailardus, vt in Theologicis suspectus de doctrina, sic in historicis auctor non contemnendus. [d] *Tanquilinus quidam laicus nuper in Flandria in tantam se erexit superbiam, vt se Dei filium vocitari, atque decantari, & à seducto populo, vt dicitur, templum ædificari sibi faceret.* De Eudone ab Eugenio tertio tandem damnato Remis, suo tempore, & loco infra dicemus. Et pullulassent sine dubio plures, si non Bernardus firmiùs obstitisset, opponens se rumori, qui præualuerat. Ideo enim vel de Norberto Patre loquens, quem aliàs, vt par erat, venerabatur, nihilominus scripsit planè intrepi-
e epist. 56. dè. [e] *At cùm eamdem certitudinem, vnde haberet, sciscitanti mihi, exponere vellet, audito, quod respondit, non me illud pro certo credere debere putaui.* Sic nec iudicium reuerentia minuit, nec libertas reuerentiam eneruauit.

4. Hinc sanctum virum fama indies celebrior, & Poli, & fori principum fauoribus, fauores, populis passim exposuere, quæcunque optabant, per eum consequuturis. Et qui hactenus Gallis tantùm notus, Romanæ curiæ exnunc iam innotescens, apud Pontificem, apud Cardinales opportunus mediator assumebatur, pro Ecclesiis, pro personis intercessurus. Extat epistola ad Honorium Papam scripta super confirmatione Alberici electi Catalaunensis, per summam populi, & cleri concordiam; viri aliàs probi, probatæque doctri-
f epist. 13. næ: sed (neque de impedimento satis constat) Pontificis indigentis dispensatione. [f] *Summo Pontifici Honorio, frater quidem professione Monachus, conuersatione peccator, se ipsum quantillus est. Aiunt apud vos plus valere pauperis precem, quàm potentis vultum. De qua vestra singulari dignatione tam sancta opinio facit me dignitatis celsitudinem non vereri, quominus audeam loqui ad vos, id præsertim, quod charitas suggeris: de Ecclesia dico, domine, Catalaunensi, cuius quantum in me est, nec valeo, nec debeo dissimulare periculum. Videmus nimirum iam iamque imminere, sentimus nos, qui vicini sumus, pacem videlicet memoratæ Ecclesiæ grauiter mox esse turbandam, si electioni illius illustris viri, idest, Magistri Alberici, in quem vtique, totus tam clerus, quàm populus pari voto, & voce conuenerant, & conueniunt, vestræ pietatis assensum impetrare nequiuerint. De qua re si & nostra quæritur, aut curatur sententia: nouimus hominem sanæ fidei, & doctrinæ hactenus extitisse, in diuinis pariter, & humanis prudentem esse, & speramus in domo Dei (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem, & vtilem futurum non solum illi, sed & omni Gallicanæ Ecclesiæ. Vestra iam discretionis est iudicare, an meritò flagitetur à vobis facienda dispensatio, vnde talis potest sperari recompensatio.* Hæc Bernardi ad Honorium prima epistola.

Non impetrasse putat Ioannes Picardus, [g] tum 5.
g in not. ad Epist. 13. quia Guillelmo, vt ex multis aliis constat, non Albericus, sed Eualus successit. Tum, quia Albericus magister satis notus; quippe Anselmi Laudunensis, & Guillelmi Campellensis, simul cum Petro Abailardo quondam discipulus, pòst ipsius Abailardi Antagonista; quo agente, vt Phrisingensis [h] Oto tradit, libellum, quem de Trinitate scripserat, Suessioni coactus flammis dedit (pro quo credit Bernardum scripsisse) non solùm sub Honorio, sed neque sub Innocentio, Catalaunensis, vt ex eius actis constat, Pontifex fuit. Ego non dubito, hunc magistrum Albericum Catalauno nequaquam præsedisse, adeòque si pro eo rogauit Bernardus, non impetrasse. Cæterùm non video satis, vnde constet, pro ipso, non pro alio interpellasse. Certè Catalogus Episcoporum Catalaunensium, vt Eualum Guillelmo, sic Eualo successisse ait Gelberium, qui fortè Gelbericus, seu Albericus, amanuensium, vt contingit, errore, corrupto nomine: vt non immeritò liceat coniectari, hunc Gelbericum, seu Albericum, pro quo Bernardus. Atque hæc de secunda coniectura. Nam prima quidem nullius momenti est, eum Guillelmo, vt ipse etiam fatetur. E viuis rapto anno millesimo centesimo decimo nono, & Eualus succedere immediatè, & cùm sedisset annos non minus septem, Albericus succedere potuerit. Cuius electio sub Honorio facta, vt constat, vix potest à Guillelmo defuncto prima credi. Vt quid enim sexennio sedes vacua? Adde quòd sancto Patre agente non multo pòst, amotus legitur a Catalaunensi Ecclesia pseudo-Episcopus, ex Virdunensi per ambitum translatus, cuius bona dissipasset per prodigentiam. Et potuit in amoti locum Albericus succedere. Sed de his suo loco erit agendum.

h lib. 1. de gest. Frider. cap. 47.

Cardinalis Baronius epistolam Bernardi, de qua 6.
suprà, refert in annum millesimum centesimum vigesimum nonum, sicut & alias, quas statim adducemus. Sed immeritò, quippe hæc ex suppresso Bernardi nomine, imò ex ipso contextu prima ad Honorium scripta comprobatur, cui se tunc aut incognitum putabat, aut saltim notum non habebat vnde præsumeret. Et tamen extant ante eum annum datæ litteræ eiusdem ad eumdem, quas ipsemet Baronius priùs transcripserat, & nos latiùs reddemus suis temporibus.

Non multo pòst Ecclesia Diuionensis sancti Be- 7.
nigni, antiquitate, & religione omnibus clara, sed Bernardo adhuc clarior, chariórque, Alcidis matris exuuiis commendata, lite pendente cum Monachis Lexouij, eiusdem Sancti fauorem implorauit. Ex secundæ litteræ ad Honorium, timido adhuc, nec satis currente calamo, sed iam vt noti, exprimentes nomen auctoris: atque ecce exemplar secundæ huius epistolæ, humilis quidem, & submissæ, sed efficacis.

i epist. 14. [i] *Summo Pontifici Honorio, frater Bernardus vocatus Abbas Claræuallis, salutem, & si quid potest peccatoris oratio. Quanto ad vos timore scribam, nouit ipse, quem timemus in vobis. Sed vt audeam, domina charitas facit,*

facit, quippe quæ imperat & vobis. Pro Ecclesia Diuionensi rogatus, suscepi facere precem: sed quid potissimum precari debeam, penè dubito. Nam sicut tentare aliquid vel prece, vel pretio aduersùs iustitiam, iniquum est: sic pro iustitia multum laborare apud iustitiæ amatorem, superfluum. Verùm etsi nos quid oremus, sicut oportet, nescimus: confidimus tamen quòd vestra benignitas, præsertim in causa religiosorum, otiosa esse non poterit. Et quidem sanctitatis vestræ prudentia, solicitaque discussio quid inuentura sit, ego nescio: sed hoc dico, quod audiui, & frequenter audio, quia videlicet longo, & inconcusso tenore fertur Diuionensis Ecclesia possedisse ea, de quibus aduersùs eam causantur Lexonienses: ita vt hi, qui videntur antiquiores de vicinis, mirentur, & indignentur, nouam abominantes calumniam. Ita Bernardus inter fidum, timentemque, magis impetraturus, quominus audet.

8. Cæterùm vt timidiùs ad Pontificem, sic ad Romanæ Curiæ Cardinales Haimericum, & Petrum longè fidentiùs, quippe vtrumque Burgundum: vnde etiam Sancto vtrumque familiarem. Vtraque epistola satis breuis est, sed quæ scribentis gratiam præ se ferat apud vtrumque. Atque ecce exemplar prioris ad Haimericum.

k epist. 15. [k] *Viro illustri, domino Haimerico, Apostolicæ Sedis Cancellario, Bernardus de Claravalle, quæ retro sunt obliuisci, & ad ea, quæ antè sunt, Apostolum sequi. Non latet amicos nostros, quòd me familiari affectu diligitis, & tantæ mihi felicitatis fructum inuident, si solus habere voluero. Monachi Diuionenses ob antiquam illius Ecclesiæ religionem mihi charissimi sunt. Sentiant, si placet, quòd non sit amor ociosus, siue vester ad nos, siue noster ad illos, salua tamen in omnibus iustitia: contra quam ne amicum quidem respicere fas est.* Hæc ad Haimericum.

9. Ad Petrum verò non solùm Burgundum, sed conciuem Bernardi; fortè & consanguineum, quippe Fontanis ortum, adhuc breuios.

l epist. 16. [l] *Charissimo domino suo Petro Presbytero Cardinali, frater Bernardus Abbas Claravallis, salutem, & non in via. Ego causam non habeo, causam autem Diuionensium Monachorum, quia viri religiosi sunt, meam facio. Manutenete eam vt meã. Sic tamen meam, vt & iustitia sit, quod vtique & nos confidimus, & tota ferè patria testatur.* Ita Bernardus Principibus Ecclesiæ iã tunc clarus, & qui non posset ab eis repulsam pati.

Extant eiusdem ad eosdem litteræ pro Remensi Archiepiscopo Rainaldo, cùm Legatos ad Romanam Curiam mitteret, ipsis etiam Principibus Ecclesiæ iam tunc Bernardum in Patronum sibi optantibus. Vtramque breuem, atque vtramque commendantem auctoritatem viri sub his initiis, in obsequium lectoris libet subiungere, atque obiter aduertere confusos in epistolis Bernardi Petros duos, Cardinalem vtrumque, atque vtrumque Bernardo familiarem: sed alterum hoc anno agentem Romæ, in Galliis alterum. Porrò ad priorem datas, quam iam retulimus, & quam nunc immediatè subiiciemus: ad posteriorem alias longiores, quas in subsequens caput reseruamus. Ergo pro titulo superscripto epistolæ, nimirum (ad eumdem) cùm ad diuersum epistola præcedat, hunc alium verius censeo substituendum, nempe desumptum ex illa, quæ ad eumdem. 10.

[m] *Ad Petrum Presbyterum Cardinalem. Tempus* m epist. 19. *est, vt promissum exigam, atque probem, ne fortè frustrà de vobis semper confisus sim: ex quo vestram & notitiam merui, & amicitiam. Mihi quidem vos præstitisse confidite; quidquid opis vestræ illi Remenses Legati præsto sibi esse persenserint. Non quia me tanti putem, hæc audeo, sed quia vos promisistis: verùm ne dignè, vos videritis.* Hæc ad Petrum fidenter, & ex promisso. Ad Haimericum verò non dissimilia.

Viro illustri domino Haimerico, sanctæ Romanæ Sedis Cancellario, frater Bernardus de Claravalle, salutem, & orationem. Quia semel cœpi, loquar, & loquar ad vos, eroque importunus, sed non importunus charitatis, sed veritatis, sed iustitiæ. Nam etsi tanti non sum, vt Romæ habeam propria negotia, nulla tamen quæ Dei esse constiterit, à me duco aliena. Quapropter si vere id mihi gratiæ apud vos manet, quod multorum habet opinio, liceat illud obsecro Legatis Domini Archiepiscopi Remensis in præsenti negotio experiri. Nil quippe eos, nisi quod iustum est, perferre, vel quærere suspicamur. Sic fidens, fidusque Bernardi fauor iam tunc ab omnibus interpellabatur, omnibus proderat. Atque hæc quidem ante Innocentium, atque in eo totum Christianum orbem, sibi deuinctum: nam ex tunc, vt historia ipsa loquetur, maxima pars Ecclesiæ Besnardus fuit. 11.

---

1. Solicitatus Bernardus à Legatis Pontificis. 2. Quinam illi. 3. & summa alterius in Sanctum reuerentia, 4. notanda valdè pro schismate futuro. 5. Fames, & lues per Galliam continuata. Bernardus pauperibus in Claravalle alendis pluuiam diuidit. 6. Fœminam mortuam filiis viuam reddit. 7. Correctus Brito, 8. & secunda Bonævallis propago, simili Amedei industria mundo exorta.

CAPVT IV.

1. INterim qui Romanæ Curiæ iam tunc celebris, intra Galliam celebriòr habebatur. Vltrò quæsitus à populo, à Principibus; nec domesticis modò, sed extraneis. Agebant tunc Legatos Summi Pontificis insignes, si qui alij in orbe, viri, Petrus, Gregoriusque, ille Diaconus, hic Presbyter, Cardinalis vterque, atque vterque eligendus in Pontificem à morte Honorij, longo schismate Ecclesiam diuisuri. Hi, sed præcipuè Petrus (nam id etiam notabo) sanctitatem in viro venerantes, doctrinamque, congressum eios vltrò solicitarunt: mutuis hinc inde petitis, & oblatis visitationibus, quas tantis viris, quis vnquam denegaret? At Bernardus in votis semper habens extra Claustra non egredi, nec, nisi vrgente causa, diuagari: vt venturos officiosissimè sustinuit, sic proficisci ad eos, qua potuit, renoit; Monachatum obtendens, & cui deuinctus erat, pro filiis paruulis paternam solicitudinem. Assueta queri, colique potentiæ, vt magnum quærere; sic supra modum visum præuenire. De Bernardo ad Bernardum conquesta est, vel sic aduentum eius extortura. Sed Pater sanctus, & voti sui tenax, & dignitatem in sanctis viris venerans, quia plus à Petro solicitabatur, talem ad eum epistolam scripsit.

[a] *Domino venerabili Petro, Romanæ Ecclesiæ Diacono* a epist. 17.

Cardinali, & Legato, frater Bernardus seipsum quantum potest. Quòd ad vos non veni, vt mandastis, non mea pigritia, sed causa fuit non contemnenda. Siquidem, salua vestra, omniumque bonorum reuerentiâ, mihi propositum est, nequaquam egredi de Monasterio, nisi certis ex causis, quarum vtique nulla modo se obtulit, vt licitè possem vestræ in hoc, imò & nostra satisfacere voluntati. Verùm vos quid facitis de eo, quod iam dudum, vestrarum priorum litterarum promissione tenemus, vestro scilicet, quem adhuc sustinemus, aduentu? Ita Bernardus ad Petrum Cardinalem.

2. Cæterùm hunc eumdem esse Petrum Leonis, ex illustrissima Perleooia familia, eximiæ tunc auctoritatis virum; nec multo pòst io Anripapam Anacletum, sicut Gregorium collegam legatiæ in Innocentium secundum, verum Ecclesiæ pastorem, eligeodum, ipsa temporis ratio manifestat. Namque hos simul legatione functos in illis partibus, idque sub hoc tempus, omnes antiqui scriptores memoriæ produnt. Audi Vincentium in vita sancti Stephani fundatoris Ordinis Grandimontensis de his Legatis scribentem hoc ipso anno. [b] *Excellentissimi quoque Cardinales Gregorius, & Petrus Leonis, inter quos postmodum de Papatu schisma fuit, cùm in Galliam missi, in partibus Lemonicis legatione sua fungerentur, ad hunc virum Dei* (scilicet Stephanum) *pariter conuenerunt.* Ita Vincentius de Legatis Cardinalibus hoc ipso anno in Gallia commorantibus, adeoque his, ad quos datæ Bernardi litteræ.

b lib. 25. cap. 49.

3. Porrò autem, quanti Bernardum fecerit hic idem Petrus Leonis, constabit clariùs ex alterius ad eum scriptæ epistolæ lepido initio, & Bernardo Patre digno, quod ita habet. [c] *Cùm totum me dedero vobis, parum est, vt dignè mihi videar recompensasse, vel dimidium beneuolentiæ, quam erga nostram humilitatem habere vos aiunt. Gaudeo quidem de gratia: sed temperat, fateor, pro tanto fauore lætitiam, quòd eumdem mihi fauorem non opus, sed opinio acquisierit. Pudet nimirum granditer exulcare, cùm sentio in me venerari, vel diligi, non quidem quod sum, sed quod putor. Nec enim tunc diligor, quando sic diligor; sed nescio quid in me, pro me, quod non sum ego. Imò, vt veriùs loquar, non nescio, nam certissimè scio, quòd nihil: nihil enim proculdubio est quidquid putatur, & non est.* Ita Bernardus Pater ad hunc Petrum; cui etiam anxiè petenti scripta Sancti, catalogum remisit suorum operum, illum nimirum, quem nos ex hac epistola, & suprà adduximus; & ad hunc vsque annum euulgata continere, nullo prorsus omisso, non dubitamus.

c epist. 18.

4. Atque hæc altiùs nobis repetita, & velut ante oculos proposita: operæpretium factura visa sunt; primum quo constet, quo ætatis anno, sextum nimirum agens supra trigesimum, Bernardus venerari cœptus per totum orbem: inde, à quanto reuerentiæ cumulo: tertiò, quali incremento venerationis; quam per septem, & viginti, quos superuixit, indies creuisse, nequaquam dubitamus. Demum quo videat lector sanctum virum adfectibus humanis prorsus exemptum, atque à terra purgatum in medio terræ: qui vtroque hoc Cardinali, non multo pòst, de summa rerum potentia (Pontificatu Romano) certaturo, amantissimum, & sui reuerentissimum penitus deseruerit; & Gregorio vix noto, saltim non familiari, & à quo multo minus speraret, ita adhæserit, vt tutam plenè Ecclesiam illi tradiderit, amicitiam iustitiæ semper postponens, nec quærens sibi in amico principatum, sed cunctis Principem.

5. Hoc item anno continuata per Burgundiam, & Galliam fame, [d] *atque vtriusque sexus* (*vt verbis Roberti Montensis vtar*) *non parua pereunte multitudine.* Largitas Claræuallis adaucta est, ex annonæ augmento comprobato, crescente fide: nec timentibus frumentum defecturum, quòd Deus pro mensura sumptus multiplicabat. Sed Bernardus miraculis miracula, & beneficiis beneficia cumulans; gloriosior adhuc in operibus suis cunctis innotuit. Pauperibus ad ianuam Claræuallis sustinentibus stipem, signo crucis diuisit molestum imbrem, adeò vt à dextris, sinistrisque inundans medios siccos omnino pertransiret. Sic olim scripturus Roberto fecerat, & reducendo, si posset, ad Claramvallem. quo charitas ignita viri Dei io vtriusque tabulæ operibus probata, non aquis cedere, sed contrà, ignis naturam superare, efficaciori virtute comperiretur.

d in contin. Sigebert. hoc ann.

6. Quin & mulierem aut morbò, aut fame mortuam, Monasterio vicinam vitæ restituit, viuentis pariter alimenta præbiturus corpori, & animæ. Enixam se, atque filium recèns natum ad vbera lactantem, misera finxerat; quo doplicata pabuli indigentia, maiorem pietatem excitaret. Sed prodita inuidentia aliorum pauperum, qoos per mendacium stipe defraudabat, pro doplici portione, quam moliebatur, vel simplicem amittere coacta est, impedientibus, quasi in vindictam fraudis, accessum fœminæ, quoad vsque hactenus duplicata stips, nulla prorsus suscepta, compensaretur. Ergo seu fame, seu morbo deficiens mulier, & simul esuriendi, & viuendi terminum nacta, filiis pauperibus luctum dereliquit. Seu quod natura potentior, quo expeditior, pauperibus adfectus humanos, adeoqoe & pietatem altiùs imprimit: seu quod cadauer terræ mandaturis, vilius fortasse sustentanda constitisset, quàm inhumanda. Bernardus Pater, & mortuam miseratus, & viuis condolens, corpus inanime ad se iossit adferri. Tum oculis, manibusque, sed longè magis mente respiciens cœlum, dum orationi instat (mirum dictu) anima redux, corpus diu rigens, calori simul, vitæqoe restituit: ingenti sanè stupore omnium, qui aderant, nec minori filiorum, imò & fœminæ ipsius gratulatione. Atque hæc ex [e] Anonymo Gallo citato sæpiùs, quem peraotiquum, atque integræ fidei, iam probauimus.

e apud Silu. lib. 7. cap. 4.

7. Bernardo Brito Aldeberti Abbatis [f] gloriosum obitum referenti in hunc annum, numeri mendum irrepsisse facilè crederem, si non præfixo, historia concordaret, asserta successione Ioannis Ciritæ, qui ideo dicitur primo Monasterio, nempe sancti Christophori, præfuisse per breue tempus. Sed nihil mirum, implicatum pluribus rebus, aliquando memoria lapsum esse. Certè Aldebertus, eodem Brito teste, anno millesimo centesimo vigesimo nono superstes adhuc, atque à Regina Tarasia vocatus, etsi non venit, Bernardum Priorem Conimbricam remisit, affuturum morienti, atque habitu monastico induiturum, vt ex ipso dicemus, cùm tempus venerit. Quin & anno millesimo centesimo trigesimo primo, vtrique Abbati Ioanni, & Aldeberto facta donatio, atque ab ipso [h] Brito adducta, vtrumque etiam viuere demonstrat. Demum vel post decennium viueotem adhuc idem Brito [i] inducit in Aldebertum, ac Bernardo scribentem pro Alfonso, regio titulo (ipsius interventu) per Innocentium Papam cohonestando. Nec ego hæc omnia certa esse affirmo, de quibus singulis

f lib. 5. cap. 1.

h lib. 2. c. 7.

i lib. 3. cap. 4.

gulis agemos suis temporibus. Sed solom assero, cum his stare non posse, hominem Dei hoc anno decessisse, qui post quindennium etiam in viuis erat.

8. Hic idem annus, etsi non omnino sterilis, at vix fœcundus: vno tantùm producto Monastario Montis Pettosi, quod Ioannes Abbas Bonævallis Viennensis, Amedei indnstria, vt paulo antè Mansiade, in diœcesi Claramontensi ædificauit. De eo hæc tantùm Chronologia pro suo more. *Anno M. CXXVI. Idus Aprilis, fundata est Abbatia Montis Petrosi.* Claudius Robertus sine causa differt in annum M. CXXXVI. & fortè vnum X. per errorem irrepsit, currente calamo. Nam & hanc domum inter Bonævallis filias secundo natam, adeóque ante Stamedium compertum est: Stamedium autem surrexisse post duos annos sub beato Patre Petro, nempe anno Christi M. CXXVIII. ex Gaufredo scriptore eius vitæ infrà videbimus. Auctor vitæ Amedei rem paucis attigit, cùm Amedeum, Mansiade fundata, ad Bonamvallem reduxisset. *Sed quia manum suam ad fortia miserat (scilicet Amedeus) ociositatis inimicus post paucos annos (quatuor nimirum) in Aruernico territorio, simili modo ædificauit.* Meminit (& ni solus extaret titulus, fortè copiosiùs) eiusdem Monasterij fundationis, auctor vitæ beati Ioannis Valentini, dum quatuor ab eo fundata Monasteria memoriæ prodit. *Qualiter electus est in Abbatem Bonævallis* (ait) *& de quatuor Monasteriis, quæ fundauit.* Meminere & tabulæ Cistetciensiom Ecclesiatum; & liber taxarum Cameræ Apostolicæ, expressa vtrobique Claramontensi diœcesi, & taxa ducentorum flotenorum cum quinquaginta. Fratres, nepotesque Petri Mauricij non pauca contulisse Monti Petroso, ex epistola [k] ipsius tomo sequenti coniectabimur magis, quàm asseremus. Illustrauit Montem Petrosom Patrum ætate, eminentissimus, nec minus sanctitate florens, Hieronymus Socherius, ex Abbate Claræuallis, & Cistercij, Cardinalis creatus à Pio V. de quo in Catalogo Abbatum vtriusque domus.

k lib. 4. epist. 26.

---

1. Otonis Principis, sociorumque conuersio. 2. Eiusdem genus, 3. & parentis vtriusque sanctitas. 4. Duo de viginti filiis remunerata. 5. Primordia pueri, 6. & conuersio in Morimundo. 7. Studia sæculi. 8. Integritas parentis, 9. & socij omnes promoti ad dignitates.

CAPVT V.

1. PRæsentis anni intermissas fundationes, solo Monte Petroso in lucem edito, & iacturam præteriti, qoam ex Arnoldi discessu morteque, Morimundus præcipuè, sed & totum Cistercium perpessum vidimus; non sine ingenti locro reparaturus, hoc ipso, vt creditur, certè non distanti (si qua [a] catalogo Morimundensium Abbatum habenda fides) Austriacæ domus glotia Oto aduenit, cum sociis quindecim, ex prima totius Germaniæ nobilitate; qui omnes pariter eadem die probandi in cellam Nouitiorum suscepti sont, omnes post annum probati, & adprobati, Monachos induerunt in Morimundo, vt inde surgerent incrementa Ordinis, vnde prouenisse decrementa cognoscebantur, atqoe eadem Ecclesia reparationem in seipsa experiretut, quæ sensit ruinam. Porrò eorumdem virorum conuersionem incidisse in hunc annum, aot certè nón distantem, inde deduco, quòd Morimundi, dicente Gualtero, post annos quinque, Christi nimirum millesimo centesimo trigesimo primo, Oto in ipsius locum suffectus legitur. Nec multum erit, si post vota sacra emissa, quadriennium expectauerit, prius quàm in Abbatem promoueretur, maximè cùm & puer aduenisse, & inter professionem, & præfecturam Parisius missus, litteras sacras docendus, perhibeatut, vt suo loco videbimus. Ergo huius Principis genus, primordiaque, & conuersionis modus, quæ cæteris velut exemplaris causa fuit, in hoc capite veniunt describenda.

a In Catalog. apud Claud. Robert. in sua Gal.

2. Genus Otonis Radeuici verbis referam, eius non solùm coæui, sed familiaris, & in scribenda Friderici historia continuatoris. Grandia ea, & illustria, sed æquè vera, & eo ipso longè decentiora, quominus aliis possunt adaptari. [b] *Imperatorum* (ait) *Henrici quarti nepos, Henrici quinti sororius, Conradi frater vterinus, & Friderici augustissimi, qui nunc feliciter regnat, patruus fuit. Ex clarissimo regni Principe Leopoldo, Marchione (Austriæ) patre, & matre Agnete, filia Henrici quarti.* Hæc Radeuicus de claro Otonis genere, quæ vix alteri valeant conuenire, vix per adulationem de alio dici, quæ de ipso verè.

b de reb. gest. Frider. lib. 2. cap. 11.

3. Verùm clarissimos natales eiusdem Principis, clariores adhuc, illustrioresque, vtriusque parentis sanctitas effecit, quippe Leopoldus cognomento Pius admirandis virtutibus effulsit, vsque ad miracula. Agnes non minus sancta, quàm fœcunda (& fœcunditatem adepta supra consuetum) virtutes viri non solùm sustinebat, sed prouocabat. Et de Leopoldo multa in eius vita, quæ declamata potius, quàm relata legitur apud Surium mense Nouembri. De Agnete Franciscus Patauinus, in ea ipsa oratione ad Innocentium octauum, hæc habet verba. [c] *Vxor ei* (scilicet Lepoldo) *pari sanctitate, ac moribus, Deoque maximo ita disponente, anno millesimo centesimo sexto, oblata Agnes Imperatoris filia, pudicitia insignis; & quæ viro sponte ad bona opera properanti calcaria subderet. Et, quod præcipuum munus mulieris dicit Iurisconsultus, fœcundissima, liberos duo de viginti enixa est.* Itaque ex ipsa fœcunditate intelligi potest, verum Dei cultum, quo vir, & vxor ducebantur, ipsis viuentibus hæc beatitudinis pignora non denegasse, vt illud de eis verè dici possit: [d] Vxor mea sicut vitis abundans in lateribus domus meæ: filij mei sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ meæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Hæc Patauinus de vtriusque parẽtis sanctitate, felicitateque, etiam in hac vita.

c apud Sur. Nouem. 15. cap. 3.

d Psalm. 127.

4. Cæterùm quod ad fratres Otonis attinet, [e] Conradus Frisingensis Radeuico sobiunctus, auctor est, septem infantes adhuc decessisse, vndecim reliquos superstites durasse. Mares nimirum sex, fœminas quinque. Porrò ex fratribus [f] Radeuicus nominat Conradum, totius imperij post Lotharium, qui hoc anno imperabat, supremum Principem, & paulo antè Lotharij contentorẽ; Conradum alium (Cisterciẽsem item Monachum, in Monasterio sanctæ Crucis Austriæ, de quo inferiùs)

e in princip.

b lib. 2. c. 12.

Pataoiensem Episcopum, Leopoldum Ducem Baioariæ, Henricum Ducem Austriæ, & Fridericum, quem Conrado fauisse diximus, coronam imperij ambienti contra Lotharium. Ex sororibus quatuor tantùm nominat. *Gertrudam Ducissam Bohemiæ, Bertam Ducissam Poloniæ, Itam, seu Iutam, Marchionissam Montis Ferrati, & N. (dubium cuius) Imperatoris Hispaniæ Genitricem.*

5. Inter hos Oto quinto loco natus, Ecclesiæ Nevvemburgensi, tunc Canonicorum Regularium præfectus, dum adhuc puer, Opoldum nomine, Vicarium sibi substituit, cui redditus ex fisco Patris prouidebantur. Ita Conradus. Ast Hundius præfe-

in Catalog. Episcop. Frising. cturæ solius meminit. *Factus est,* inquit, *primus Præpositus Norimburgensis in Austria, Monasterio à sancto Leopoldo patre fundato.* Ipse interim Parisius missus est, litteris pro ætate erudiendus, in illa semper, sed tunc præcipuè celebri, atque ex toto orbe quæsita Academia. Iisse, rediisseque ad

g vbi suprà. Patrem g Conradus prodit, lubrica ætate non permissa diu vagari: & sicut litteras foris à Magistris, sic à parentibus virtutes domi hausturus. Fertur & rediens, iam tunc pius, iam tunc munificus, longè pretiosas suæ Ecclesiæ Nevvemburgensi attulisse reliquias, *quas* (inquit Conradus) *vt dicitur, prodere noluit* (*hoc est, noluit indicare, vbi reponeret*) *vt eidem perpetuò remanerent.* Adeò in tenera ætate vigebat zelus, & prouidentia experientia maiori digna.

6. Demum cùm circa hunc annum, humanioribus litteris prouectior remearet ad propria, egregiæ indolis certantis cum claro sanguine, spes omnes impleturus, vt videbatur, cùm sæculum tunc primum ingrederetur, aut si expectaret, foret ingressurus, relicto sæculo, omnique illius gloria, Morimundum diuertens Monachum induit, sub sancti Patris Gualteri disciplina. Nec potuit tanti iuuenis exemplum non omnes viæ, & studiorum asseclas, conuersionis efficere, non aliàs vnquam ipsi obsequentiores, quàm cùm se propter Deum abdicauit omni imperio. Cæterùm qualiter hæc omnia gesta sint, Morimundi ad sepulchrum eius appensa tabula, testis locuples narrat, dum ita ait. *Cùm* (Oto) *à patre suo Leopoldo, studiorum causa, Parisius missus esset, & tempore studij transacto, ad propria redire properaret, in Cœnobio Morimundi, vbi hospitandi gratia pernoctauerat, diuino igne succensus, & corde compunctus, Monachum se fecit, cum aliis quindecim, qui secum venerant, selectissimis clericis.* Hæc ex tabella ad sepulchrum eius appensa, cui Conradus concordat.

Porrò humanioribus tantùm imbutum litteris, & necdum adhuc promotum ad Philosophiam, habemus ex eiusdem vitæ epitome, antiquitate sua veneranda, ignoto licèt auctore, quæ à multis annis obseruata Morimundi, hæc inter alia verba de eo habet. *Ab ipsa pueritia religionis studia sectatus est. Qui, vt primum Latinas didicit litteras, ad Cistercienses Monachos se contulit, atque in Monasterio Morimundi Ordinem professus, regularem imbuit disciplinam.* Quin & Parisius replicata studia post professionem, sacrarum saltim litterarum inscium Morimundum intrasse, non dubiè probant. Sed de his latiùs sequenti anno dicendum. 7.

Interim notatione dignum occurrit, Leopoldum Principem, cùm filium, quem venientem præstolabatur, accepisset conuersum in Morimondo, nequando deplorasse amissum, pro more sæculi, potiùs tanquam inuento congratulatum, paternis muniisse consiliis constantiam iuuenis. Quin & in gratiam eius non multo pòst, Monasterium sanctæ Crucis in Austria celebre satis, ac magnificum condidisse, non sibi filium adpropinquaturum, sed se filio, quippe Otone manente Morimundi, iam tunc Abbate, cùm ipse Morimundum adire non posset, Morimundenses saltim ad se adduxit, quibus se dederat adfectu, & deuotione. Qualiter autem in eadem domo alium filium Cistercio, & Deo sacrauerit, suis & loco, & tempore dicemus. 8.

Nec minus item notatione dignum est, quod in vita eiusdem Otonis Conradus narrat, quindecim conuersionis ipsius socios, hoc est, omnes, votis post annum sacris ritè conceptis, tandem ad varias Ecclesiæ dignitates fuisse promotos. h *Demum* (ait) *ad scholas rediit, & euolutis annis aliquibus, cùm regrederetur ad propria, in Monasterio Morimundi pernoctans, ibidem cum quindecim egregiis Clericis, qui secum venerant, habitum induit Monachalem. Qui postmodum in Abbatem Parongartembergensem, ac in Episcopum Bauariæ electus est, omnesque socij eius in diuersas dignitates promoti sunt.* Hoc libuit adnotare, quia satis rarum, præcipuè in tanto numero. Reliqua autem quæ ad sanctum virum pertinent, suis temporibus, locisque reddemus. 9. *h in Chronic.*

IESV CHRISTI ANN. 1127. CISTERCII ANN. 30.

1. Stephani Parisiensis Episcopi 2. genus, potentia, mores. 3. Quid de eo scripserit Bernardus; 4. & quid demum scriptis suis profecerit? 5. Inde à Rege violenter infestatus, 6. Cisterciensis Capituli fauorem implorat; 7. & destinati ab Stephano Legati, 8. simul cum litteris, queis furens indignatio Regis compesceretur.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus vigesimus septimus, Cistercij trigesimus, quo Stephanus Parisiensis Ecclesiæ Præsul, vt Regi olim charus, sic tunc inuisus, penè vniuersam Galliam conturbauit. hunc Demochares Ludouici Crasi fratrem nominat; ignoto tamen auctore, vnde id hauserit, & refragantibus Gallis scriptoribus, quibus de rebus Galliæ plenior fides. Ego in Papyrio Massonio Gallicarum antiquitatum callentissimo hæc de Stephano lego in suis Annalibus. a *Stephanus Cancellarius hoc Rege fuit, ad quem extat Iuonis epistola.* *a lib. 3. in Ludouico Craso versus finem.*

stola. Idem Parisiensis postea Episcopus. Hic, & duo eius fratres, quibus superstes fuit, quantum auctoritatis in Gallia habuerint, ex libro secundo Annalium Morinensis Cœnobij ostendam, quod contra Stampensium vrbem situm est; quos Annales Tedphus, & aliqui loci illius Monachi scripsere.

2. *Defuncto VVillelmo, Anselli Dapiferi Germano, Stephanus Cancellarius frater amborum, maior regia domus effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, vt homo qui Diaconatus fungebatur officio, militia simul post Regem duceret principatum. Hic vir industrius, & sæculari præditus sapientia, tum multis Ecclesiasticorum bonorum redditibus, tum familiaritate Regis, quam sic habebat, vt ei potius à quibusdam diceretur imperare, quàm seruire; temporali felicitate supra cæteros mortales nostris temporibus efflorebat. Tradita verò nepti sua in coniugio Amalrico de Monteforti, cum honore de Rupeforti, qui puellæ de matrimonio obuenerat; tumefactus, oblitusque sui, Adelam Reginam frequentissimis molestiis sibi reddidit infestam: odiisque crescentibus, Rege turbato, depositus ab honore, pulsatur à curia. Ipse verò veluti quadam correptus insania, regnum turbare totis viribus enititur: & viri in armis strenui, Amalrici dico, fretus auxiliis, patriam hanc bellis accendit. Sed cùm suos ad affectus adducere non posset, reuersus ad semetipsum, Senescaltiam, quam iure possidere se dicebat hereditario, dimisit, & cum Rege Ludouico, Adelcide Regina interueniente, pacificatus est. Ex his quantus fuerit Stephanus, & qualis, facillimè poteris indicari.* Ita Masonius, seu potiùs dixerim, Annales Morinenses.

3. In hunc Stephanum Diaconatus fungentem officio, & nihilominus aulæ se ingerentem, atque militiæ, Bernardus Pater acriter inuectus, ad Sugerium scripserat, igneo calamo, & stilo fulminante: quod anno millesimo centesimo vigesimo quinto leuiter insinuatum, in hunc locum remisimus tractandum. Ergo Bernardus insolentia rei perculsus, & zelo feruidus, cùm minus sibi erga ignotum hominem fideret, & aliàs sciret Sugerio familiarem, ex eiusdem Sugerij reductione, occasione accepta, Stephanum conueniendum fore putauit, quod in ea epistola præstat, in hæc

b epist.78. verba. [b] *Cuius enim cor non indignatur, cuius vel clam lingua non submurmurat, Diaconum contra Euangelium Deo, & mammonæ pariter ministrantem? Sic quippe sublimatum honoribus Ecclesiasticis, vt neque Episcopis inferior videatur; sic implicatum militaribus officiis, vt præferatur & Ducibus? Rogo quid hoc est monstri, vt cùm & Clericus, & miles simul videri velit, neutrum sit? Par satis vtrobique abusio, siue quòd Diaconus mensæ regiæ deputetur ministerio; siue quòd Regis Dapifer mysteriis altaris inseruiat. Quis sanè non miretur, imò & detestetur vnius esse personæ, & armatum, armatam ducere militiam; & alba, stolaque indutum in medio Ecclesiæ pronunciare Euangelium? Tuba indicere bellum militibus, & iussa Episcopi populis intimare? Nisi fortè, quod intolerabilius est, erubescit Euangelium, de quo vas electionis admodum gloriabatur, & confunditur, videri Clericus, magisque honorabile ducit putari se militem: curiam Ecclesiæ præfert; Regis mensam altari Christi, & calici Domini, calicem Dæmoniorum... Confundit penitus Ordines, & vtroque officio delicatè satis abutitur; dum & hinc, eum delectat pompa, non militia sæcularis: & illinc quæstus, non cultus religionis.* Hæc, & alia Bernardus in ea epistola, quæ Sugerius Stephano intimaret, quippe ab amico, & præsenti, efficaciora, vel semel vacua, sæpiùs repetenda.

Cardinalis Baronius, dum hæc narrat, Bernardi monitis, atque exemplis familiæ Cisterciensis, reformationem totius Prouinciæ tribuit, vt suprà vidimus: maximè autem Parisiensis huius Stephani. Nam, vt statim minimè reductus, at statim tactus, atque igne paulatim æstuante, cùm primum ad Episcopatum assumptus est, aulam omnino, bellumque deseruit. Ob quod, & denuo Ludonico Regi infensus, eius in se inuidiam concitauerit. Ipsum Baronium loquentem audiamus. [c] *Profecerant siquidem Episcopi Prouinciæ Senonensis, Cisterciensium Monachorum exemplo, atque verbis, litterisque Bernardi, præcipuè verò, quem diximus, Parisiensis Episcopus.* Ita Baronius. Nec originem suæ reformationis abscondit Stephanus, in Cisterciensium Monachorum album scriptus, quod suprà tetigimus, & mox etiam ex litteris Capituli constabit apertiùs. 4.

c Baro. ad ann.1127.

Igitur Ludouicus, amore in odium verso, atque vtriusque impatiens, pro more Principum, Stephanum, seu repetundarum actum, quod caducæ potentiæ affine crimen; seu Regiæ domus ratiociniis adhuc implicitum, in speciem æquitatis, iustitiæque, bonis omnibus violenter spoliauerat: Rex sacerdotem, sæcularis Ecclesiasticum: contra fas, contra ius, contra consuetum. Ille primum per preces, & obsequia, dum nihil proficit, Pontificali mox auctoritate anathema indixit aduersùs Regem. Inde Senonas conscendit ad Henricum; Metropolitam suffraganeus interpellans, à quo vel nocens iure condemnandus, vel defendendus innocens; pro meritis virgam, seu clypeum experiretur. Demum cùm Rex ab incepto non desisteret, fraternitatis iure Cisterciũ adiit: inde sibi orationes ad Deum, intercessiones ad Honoriũ Papam, demum ad Ludouicum admonitiones, consiliaque (tanta iam viris inerat auctoritas) reportaturus. 5.

Agebatur tunc generale Capitulum, consuetum celebrari per annos singulos, & Pater Stephanus medius residebat inter Abbates: hinc sancti Hugo, Bernardus, Bartholomæus; Pontigniaci, Claræuallis, & Firmitatis: illinc Gualterus; Godefridus, Ioannesque, Morimundi, Fontaneti, atque Bonæuallis, & cæteri alij Patres totius Ordinis. Aderat & venerabilis Petrus Archiepiscopus, vnicus adhuc assumptus è Cistercio, sed nihilominus à Cistercio non auulsus. Hos inter viros Parisiensis Præsul stetit, atque eos ad Regem, eos ad Honorium, eos ad Deum, qui corda mouet Principum, constanter interpellat propitiatores. Et se Ecclesiasticum, se Sacerdotem, se Pontificem, sæcularibus Regis Tribunalibus, per vim non solùm sisti, sed spoliari. Eam causam non suam, sed Ecclesiæ, cuius libertas, si semel in vita maneat, faciliùs extinguatur, quàm perturbetur. Sanctos viros, quantumuis solitarios, non sibi solis natos, sed bono publico: nec licere Cistercium, recens, sed lugens lumen orbi exortum, per cohibentiam ea dissimulare, quibus Ecclesiæ decor obnubiletur. Inesse illi propria tribunalia, quæ non detrectat. Damnetur validè, dum damnatur licitè: nec in Christum (si sic loqui fas est) priusquam in eum sententia proferatur. Hæc de causa magnificè loquutus, subdidit etiam pauca de se modestè. In album Cisterciensium semel scriptum, atque ipsorum & exemplis, & verbis frugi redditum, Cisterciensium fauorem implorare, & vel si erret, corrigendum aduenisse, vel si non erret, meritò iuuandum. 6.

Dixit, & Stephanus, consilio cum suis habito, consolari virum, laudare constantiam, perseue- 7.

rantiam instanter persuadere, orationes, atque opem repromittere. Nec destituros, si quid ad Deum possent, si quid ad homines, donec ipse ab Ecclesia iudicandus, & Ecclesia debitæ immunitati restitueretur. Se in Ludouicum, quem æquè fratrem babeant, & quem supremum Monarcham venerentur, nihil omnino facturos, nisi præmonitum. Sed neque monitionem dilaturos; neque ea præmissa, si minus audirentur, quod vix timebant, defecturos Ecclesiæ, cuius se membra, quo inutiliora, eo periculis faciliùs exponenda, pro ipsius indemnitate non dobitabant. Tum viri sancti ex omnibus selecti, Pontigniacensis, & Claræuallensis Abbates, Hugo, Bernardusque, cum litteris ad Regem transmittendi, qui vt nutantem impellant, trahantque, atque humiles cedenti congratulentur; sic reluctantem ad Honorium deferant Ecclesiæ vindicem, eoque illi nunquam defuturum. Hæc Pater Stephanus Stephano intimauit: nec multo plura Hugoni, Bernardoque, quorum zelo, & iudicio, non minus hoc maturo, quàm illo feruido, res tota peragenda relinquebatur. Ad Regem verò, quæ sequitur, epistolam.

8. [d] *Eximio Regi Francorum Ludouico, Stephanus Abbas Cisterciensis, totusque conuentus Abbatum, & fratrum Cisterciensium, salutem, sospitatem, & pacem in Christo Iesu. Rex cœli, & terræ regnum vobis in terra donauit, donaturus & in cœlo, si id quod accepistis, iustè & sapienter administrare studueritis. Hoc est, quod vobis optamus, & pro vobis oramus, vt & hic fideliter, & illic feliciter regnetis. Cæterùm vos quonam consilio eisdem nostris pro vobis orationibus (quas si recolitis, olim tam humiliter requisistis) modò tam acriter repugnatis? Qua enim iam fiducia manus pro vobis leuare præsumimus ad sponsum Ecclesiæ, quam ita, & sine causa, vt putamus, ausu inconsulto contristatis? Grauem siquidem aduersum vos, apud eumdem sponsum, & dominum suum querimoniam deponit, dum quem acceperat defensorem, sustinet oppugnatorem. Attenditis iam cui ex hoc infensum vos redditis? Non vtique Episcopo Parisiensi, sed*

d inter Bern. epist. 45.

Domino paradisi; & quidem terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum. Ipse quippe est, qui ad Episcopos dicit: [e] *Qui vos spernit, me spernit. Hæc ita vobis, & pro vobis audacter quidem, sed amanter intimare curauimus: monentes, & rogantes per illam iumicem amicitiam nostram, & fraternitatem, cui vos satis dignanter sociastis, sed nunc ipsam grauiter læsistis, quatenus a tanto malo citiùs desistatis. Alioquin si non meremur exaudiri, sed contemnimur, & nos fratres, & amici vestri, & qui quotidie oramus pro vobis, & filiis vestris, & regno; ex hoc iam noueritis paruitatem nostram, in quibus valuerit non posse deesse Ecclesiæ Dei, & ministro eius, venerabili videlicet Patri, & amico nostro Episcopo Parisiensi, qui nostram aduersùs vos humilitatem interpellans, nostras pro se ad Dominum Papam iure fraternitatis litteras requisiuit. Verùm nos iustum ducentes his priùs litteris vestram excellentiam conuenire, præsertim quia idem Episcopus per manum omnium Religiosorum se ad iustitiam offert; si tamen priùs (quod quidem eadem ipsa iustitia videtur exigere) res ei suæ iniustè ablatæ restituantur, eius interim petitioni differendo supersedimus. Et siquidem, Deo inspirante, placuerit vobis nostris precibus aurem inclinare, nostro consilio, studioque pacem cum Episcopo, imò cum Deo reformare: parati sumus huius rei gratia fatigari vsque ad vos, quocumque vobis placuerit. Sin autem, nos amicum audire, & Dei Sacerdoti obedire necesse est. Valete.* Hactenus Stephanus, & Abbates ad Regem Galliæ, quibus non solùm videas auctoritatem, libertatemque virorum, sed & mireris Regis pietatem, vel in ipsa impietate relucentem, quippe cui talia potuerint scribi, non inde exasperando, sed persuadendo. Constat, si Pontifex non interuenisset, suspensione interdicti in ipsum lati, iam ira è feruescente mitigatum, voluisse Episcopo ablata restituere. Sed de his statim capite sequenti, cui Bernardi, & Hugonis legationem, atque ipsius progressum reseruamus.

e Lucæ 10.

---

1. Ludouici per Cistercij Legatos, & interdicti matrem, ira coërcita. 2. sed eo per Honorium sublato, mox effrenis. 3. Bernardi in ipsum mina, & prophetia. 4. Litteræ eiusdem, & Hugonis ad Honorium. 5. Aliæ ex persona Ganfridi Carnotensis. 6. Excusatio ad Guigonem, & Carthusianos, quos non inuisit, 7. & insinuata notanda in ea epistola. 8. Oto post professionem Parisius mittitur, philosophicis, & Theologicis imbuendus.

CAPVT II.

1. ÆGrè Bernardus, Hugoque ad Regem profecti, quem semel iam potentia, & ira percitum, præcipitemque, haud facilè sistēdum iudicabāt. Sed profecti tamē, quippe solicitis pro Ecclesiæ communi causa, iure fraternitatis laxata frena; atque ex iniuncta sibi legatione calcaria addita viros stimulabant. Tum verò, vt maius pōdus precibus darent, Senonensem Henricū, & suffraganeos omnes conuenere: rem planè arduam, aggressuque difficilem collectim, quàm diuisim efficaciùs, eoque fortè feliciùs peracturi. Ergo condictis die, locoque, omnes pariter Regem adierunt, & Capituli litteris ostensis (is sanctitati virorum delatus honor) precibus primum, & velut conhibentia, non semel apta ad sistendum furorem Principum; tum iustitia, & zelo: dein anathematis, quo erat innodatus (haud dubiè per Honorium confirmandi) terrore incusso, demum constantia, eousque profecerunt;) vt Ludouicus pœnitenti similis (vix enim vera pœnitentia credatur, quæ tam citò tam leuiter euanuit) & sæculari manu per vim ablata, restituenda pararet; atque ecclesiasticum, quod solum poscebatur, subire tribunal, ibique Episcopum conuenire polliceretur.

Cùm ecce Honorius Regis iræ conscius, & pœnitentiæ nescius, seu præcipiti furori ad tempus cedens, cùm efferbuerit, leuiùs compescendo; seu aliàs indignatus in Episcopum, per quem iam iterum Gallia turbata fuerat; dum interdictum soluit, furenti Regi non tam frenum adimere, quàm addere calcaria visus est, vel sine stimulis in præceps ruituro. Ergo qui metu interdicti dudum lati, & vt credebat, per Honorium confirmandi, ante coercitus, obedire parabat: cùm primùm se ab vtroque liberum vidit, iam neque Episcopos, nec Abbates sanctos reuerens, quasi qui omnium victor euasisset, acriùs in Parisiensem debacchabatur. quippe bonis ablatis nequaquam redditis, si quæ supererant, ministrorum prædæ patebant, vel si asportari non possint, deuastationi. 2.

Nihil

3. Nihil prorsus omisere sancti viri, quod non tentarent. Hortari Regem, increpare, sustinere, ex parte Dei, & Ecclesiæ conuenire, promissionem obiicere, repetere, de Ludouico ad Lodouicum adpellare. Quin & Bernardum addidisse seueras minas, & cælestem vindictam, ni resipisceret, affuturam in breui, [a] Paulus Æmilius, & alij prodidere. (a Pau. Æmil. in Ludouico.) *Episcopos* (inquit) *deprecantes, à genibus suis repulit* (scilicet Ludouicus) *cui impœnitentia Bernardus Abbas iram cælestem vindicem instare, denunciasse fertur.* Addit Gaguinus, non mediocris fidei auctor, eumdem Sanctum expressisse supplicij genus, & primogeniti immaturam mortem furenti Patri opportunè prænunciasse. (b lib. 6. hist. Franc.) [b] *Hac* (inquit) *tua Rex, pertinacia filij interitu mulctabitur.* Sic Pater sanctus præuidens, & prouidens, & qua licebat, obuians vtrique malo. Ast quàm verus extiterit Propheta, hæredis morte sequuta post triennium, eaque infelici satis, & miseranda, suo tempore latiùs differemus.

4. Interim excæcatus furore Princeps increpationes, minasque contempsit, fortè non reputans vindicandum à Deo crimen, quod Pontifex inultum reliquisset. Igitur sancti Hugo, Bernardusque, cùm omnia in irritum cadere conspicerent, indeque ortam Regis pertinaciam, vnde tota rei salus sperabatur, qua libertate ad Ludouicum Stephanus, eadem ipsi ad Honorium scripsere. Atque ecce exemplar epistolæ vtriusque, liberæ sanè, sed modestæ simul, & supplicis.

(c Epist. 46.) [c] *Summo Pontifici Honorio, pauperum Christi Abbates, Hugo de Pontigniaco, & Bernardus de Claravalle, quidquid potest peccatorum oratio. Lachrymabilem Episcoporum, imo totius Ecclesiæ querimoniam, nos quoque eius filij, si tamen digni, dissimulare non possumus. Quæ vidimus, loquimur. Magna siquidem nos necessitas de claustris ad publicum traxit, vbi & quod loquimur, vidimus. Tristes vidimus, tristes eloquimur, honorem Ecclesiæ, Honorij tempore non minimè læsum. Iam Regis flexerat iram humilitas, vel potiùs constantia Episcoporum, cùm ecce à summo Pontifice, summa superueniens auctoritas, heû deiecit constantiam, superbiam statuit. Scimus quidem id vobis per mendacium fuisse subreptum, quod ex vestris litteris palàm datur aduerti, vt euerti tam iustum, tam necessarium interdictum iuberetis. Sed numquid non vel tandem deprehenso mendacio, mentitam se sentiet iniquitas sibi, & non tantæ vtique maiestati? Est autem quod miramur, quánam ratione iudicatum sit de parte, abiudicatum absenti. Quod quidem non temeraria præsumptione reprehendimus, sed filiali amore paterno cordi suggerimus, quantum ex hoc & superbit impius, & incenditur pauper. Cæterùm quamdiu illum pati, quantumue huic compati debeatis, non est nostrum præscribere vobis. Vos vestra hinc potiùs viscera dulcissime Pater consulite. Valete.* Hæc Hugo, Bernardusque ad summum Pontificem.

5. Sed & Episcopi omnes suffraganei, proprias ad ipsum litteras dedere. Inter quos etiam Gaufridus Carnotensis, à sancto Patre Bernardo mutuato stilo, in hunc tenorem constat scripsisse.

(d inter Bern. epist. 47.) [d] *Tristissimæ historiæ seriem vobis, & causam replicare superfluum est, quia iam quippe paternitatis vestræ viscera, scribente religioso Parisiensi Episcopo, commota esse non ambigo. Ne tamen fratri, & Coepiscopo etiam nostrum deesset testimonium: quæ vidi ego, & audiui, necessarium duxi breuiter intimare. Excepta siquidem tam modesta prædicti Episcopi querimonia, Senonensis diœcesis vniuersi Episcopi, vnà cum venerabili Metropolitano nostro, ascitis etiam nobiscum quibusdam aliis religiosis personis, Regem super graui iniuria per nos ipsos humiliter, vt debuimus, conuenimus, vt Episcopo nihil quidem tale merito, sua, quæ tulerat, restitueret, rogauimus, neque impetrauimus. Sentiens tandem nos ad arma Ecclesiæ pro Ecclesia velle confugere, timuit, omnique se se omnia redditurum. Sed in eadem fortè hora superuenientibus litteris vestris, quibus eius terram ab interdicto absolui præcepistis, malè in malum confortatus, quod bene promiserat, minimè exequutus est. Die tamen nominata, quæ in se rursum promisit exequuturum, eius nos conspectui præsentantes,* [e] *sustinuimus pacem, & non venit, quæsiuimus bona, & ecce turbatio.* (e Hierem. 14.) *Hoc denique litteris vestris factum est, vt malè ablata peius teneantur, & reliqua passim in dies rapiantur: eo vtique securè, quo impunè illa retinentur. Soluto nempe ad vestrum imperium Episcopi iusto (vt putamus) interdicto, nostroque, quod parabamus, & quo sperabamus pacem consequi, vestro atque timore suspenso, interim facti sumus opprobrium vicinis nostris, quo vsque, vestra viderit pietatis compassio.* Hactenus ex persona Gaufridi Bernardus Pater, eadem libertate, qua veritate. Sed quem effectum litteræ sortitæ, & qualiter Legato in Gallias misso, ex vna in aliam litem Rex proruperit, sequenti anno, quo euenisse credimus, more nostro commodiùs referemus.

Interim Bernardus extra Claustrum semel factus, tot aliorum negotiis præpeditur, vt cùm Gui- 6.
gonem, Carthusiensesque sibi charissimos visere peroptasset, inuisitatos nihilominus pertransire coactus sit, eo maiori animi mœrore, quo ardentiori adfectu concupierat. Extat epistola ad eosdem Patres scripta per hoc tempus, mellita satis, & Bernardo Patre digna, qua se fraudatum desiderio cordis sui ægrè conqueritur. Atque ecce exemplar illius, quod ita habet.

[f] *Amantissimo Domino, & Reuerendissimo Patri Guigoni Priori Carthusiensi, & sanctis fratribus adhærentibus ei, frater Bernardus de Claravalle, modicum id quod est.* (f epist. 12.) *Primum quod accedens ad partes illas non adieci peruenire vsque ad vos, videre facies vestras, rememorari iniquitates, & necessitates meas: etsi vobis forsitan satisfacere possim, mihi, fateor, non possum. Irascor occupationibus meis, quibus factum est, non vt neglexerim, sed vt nequiuerim. Hoc frequenter patior, & ideo frequenter irascor: dignus vtinam cui omnis Sanctus condoleat. Alioquin dupliciter miser sum, si nec miserabilis sum. Ego verò fraternæ pietati locum in me ostendo, non meritum. Misereminì mei, non quia dignus, sed quoniam inops, & pauper sum ego. Iustitia meritum quærit, misericordia miseriam intuetur. Vera misericordia non iudicat, sed adficit, non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, vbi adfectio trahit.* [g] *Lugebat Samuel Saul miserans, non deliberans.* (g 1. Reg. 15.) *Fundebat lachrymas* [i] *Dauid filio parricidæ, etsi non profuturas, pias tamen.* (i 2. Reg. 18.) *Ita & vos misereminì mei; non quia merui, sed quia egeo. Misereminì tanquam consequuti misericordiam à Domino, vt sine timore à mundi tumultibus liberati, seruiatis ei. Felices quos abscondit in tabernaculo suo in die malorum, in vmbra alarum suarum sperantes, donec transeat iniquitas. Cæterùm ego infelix, pauper, & nudus homo, natus ad laborem, implumis auicula, penè omni tempore nidulo exulans, vento exposita, & turbini: turbatus sum,* [k] *& motus sum sicut ebrius, & omnis scientia mea deuorata est.* (k Psalm. 106.) *Misereminì proinde, & si nihil meriti, certè sic adfecti.*

Hactenus litteræ sancti Patris ad Guigonem; 7.
in quarum verbis, vt id obiter notem, (nam in hunc finem integras transcripsi) tria Lectori veniunt perpendenda: duo priora imitatione digna; tertium admiratione, & reuerentia. Primum adfectus mutuæ dilectionis inter recentes, & ferè

coætaneas familias illius æui, nulla prorsus æmulatione turbatus, nulla inuidia, nec temporis transcursu, aut emergentibus, vt solet, occasionibus, interceptus, aut fractus, sed perseuerans. Alterum Claustri feruens desiderium, à quo Bernardus nunquam, nisi dolens, & veluti coactus egrederetur. Et tertium tandem summa viri auctoritas, quem tot iam regni, tot Ecclesiæ negotia solicitabant, vt charitate, obedientiáque vrgentibus, volentem, nolentem frequenter abducerent, atque exulem è nido, vt ipse ait, etiam per longum tempus detinerent.

8. Hoc ipso anno illustris quondam Princeps, tunc humilis Nouitius in Morimundo, Oto Austriacus, cum aliis sociis quindecim, votis per solemnem professionem emissis, ad mortem vsque se Deo consecrarunt. Oto autem, humanioribus imbutus, sacratiorum litterarum adhuc expers, pro parentis Leopoldi, atque Austriacæ domus reuerentia, contra morem Parisius missus est, Philosophiam, Theologiamque docendus. Ita habetur in vitæ eius epitome. *In Monasterio* (inquit) *Morimundi Ordinem professus, Regulares induit disciplinas. Mox vero* (*id est, ab ipsa professione*) *Parisius missus, apud celebrem illam scholam toto orbe famosam, liberales artes, ipsamque totius vitæ magistram Philosophiam sectatus est, ac denique altissimæ Theologiæ addiscendis arcanis totum se tradidit.* Hæc de Otonis, ab ipsa professione, ad Parisiense studium reditu, singulari in Cistercio, & hactenus, quod sciamus, sine exemplo. At de profectu, quem fecit in studiis, audi, quod sequitur. *Quibus in rebus cùm reliquos sui æui, doctissimos etiam viris præstare videretur, eorum magisterium consequi meruit, quorum antea discipulus extiterat.* Hæc ibi. Crediderim & ex sociis eius aliquot cum ipso transiniisse, viui simul, decentiæque futuros. Vt hoc primum in ordine Collegium litteris indulgentium fratrum, sub Stephano, sub Bernardo Patre erectum, neque immeritò valeat adpellari. Sed de his aliàs. Nunc de Bernardo Patre iterum sermo, & de his, quibus, dum in Claustris esset, quia hoc tempus concernere videntur, à Deo præueniebatur, consolationibus.

---

1. Bernardo Claræualli, & filiis reddito, 2. Angeli in choro visi transcribentes psallentium preces, 3. atque item excitantes ad deuotionem. 4. Ex ore incipientis hymnum flamma erumpens, 5. Commendata ministeria chori, & cantus, 6. non per se laicorum, vt quidam dicunt, sed Clericis, laicisque communia (7. sicut & religiones Monachales) 8. psallentium magis, quàm audientium feruori apta. 9. Auctoritas Iustini grauis, & elegans. 10. Hugo Vallisius, qui pòst Felix Anacoreta, per Bernardum à matre Deo dicatus.

CAPVT III.

1. ERgo Bernardus, Claræualli, & filiis redditus, atque optata quiete, quo tardiùs, rariusque, eo impensiori adsectu fruens, nec vltrà ampliùs, si posset, deserenda, duplicem eius, inter plures alios, fructum expertus est, duplici à Deo visione confortatus, vtraque Angelica, atque vtraque monasticum stemma, chorum, & cantum eximiè commendante. In altera cœlestibus spiritibus transcribentibus psallentium in choro preces, haud dubium quin præsentandas diuino Numini: in altera ad easdem excitantibus, & satagentibus psallentium deuotioni. Vtramque ad Monachorum omnium gloriam, solatiumque, imò & cunctorum Ecclesiasticorum, ab Exordio desumptam totidem verbis hîc duxi transcribendam.

2. a *Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater*
a lib. 2. c. 3. *sanctus, ea puritate, & deuotione, qua semper solebat, Deo tantùm nota, & sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio, vigilias protelaret, aperuit oculos Pater sanctus, & ecce respiciens, vidit singulos Angelos, iuxta singulos Monachos stantes, & quod quisque eorum psallebat in schedulis, modo Notariorum, tam diligenter excipientes, & notantes, vt nec minimam syllabam, quantumcumque negligenter prolatam, omitterent. Scribebant verò diuerso modo: nam quidam eorum scribebant auro, alij argento, & nonnulli atramento, aliqui etiam aqua: quidam verò penitus nihil scribebant. Spiritus autem, qui hæc reuelabat, intelligentiam quoque diuersitatis Scripturæ cordi eius inspirabat. Qui enim auro scribebant, feruentissimum in Domini seruitio studium, & absolutam cordis intentionem, in hæc quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem feruorem, puram tamen psallentium deuotionem declarabant. Qui autem atramento, continuam quorumdam bonæ voluntatis studium in psalmodia, licet non cum multa deuotione notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos, qui somnolentia, seu pigritia pressi, vel vanis cogitationibus à se abducti, videntur quidem aliquid sonare, sed cor eorum longiùs abstractum, prorsus non concordat voci. Et, ô mira Dei clementia! sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quantumcumque modicum, erit irremuneratum. Cæterùm illi, qui nihil scribebant, lamentabilem quorumdam cordis duritiam redarguebant, qui obliti professionis suæ, & timoris Dei immemores, aut lethali somno prona se voluntate immergunt, aut certè vigilantes, clauso ore, vanis, & noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, & in conspectu Domini contra legis præceptum adparere vacui non pertimescunt. Pater itaque sanctus, qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius: quoniam omnes administratorij spiritus sunt,* b *in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, sicut proficientium congratulabatur feruori, & labori, sic paterno pietatis adfectu, deficientium miserabatur tepiditatem.* Hactenus de prima visione Exordium magnum; ex quo Aurifaber, c Pratum d spirituale, e Gundisaluus à Silua, & alij f transcripsere.

b ad Hebr. c. 1.

c Aurif. in spec. exemp. dist. 7. exemp. 17.

d Pratum spir. l. 5. c. 7.

e Sil. in vit. S. Bern. lib. 7.

f cap. 14. l. 2.

De secunda, subiungit, quæ sequuntur. *Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, & vir Domini cum cæteris fratribus aderat. Cumque hymnus, Te Deum laudamus, cantaretur, vidit sanctos Angelos multa claritate fulgentes, & mira etiam alacritate valdius deuotos, qui vtrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant, & cantantibus aderant, & quasi congratulantes adstabant, & vt diuinus ille hymnus cum deuotione percantaretur, modis omnibus satagebant. Intellexit ergo vir sanctus, hymnum illum esse diuinum, & Angelis sanctis perfamiliarem: quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum feruore deuotionis cantaretur.* Huc vsque visio secunda Bernardi Patris. 3.

Occasione autem hymni subiungit auctor de quodam 4.

g lib. 2. c. 4. quodam alio fratre spirituali. g *Cui videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flammam agni splendoris erumpebat, & sursum ascendebat.* Hæc in Exordio. Ad quem eiusdem locum duo inuenio notata à Fitериensi, quæ sibi lector facilè persuadeat. Alterum est, Angelorum excitationem, non materialem, à somno intelligendam, sed spiritualem ad mentis deuotionem, vt si qui tepidi, in feruidos euaderent, feruidi feruentiores efficerentur. Alterum, incipientem hymnum, Te Deum laudamus, de cuius ore flamma ignea erumpens, & sursum volans, à Fratre illo deuoto visa dicitur, non alium fuisse, quàm Bernardum Patrem, cui ex iniuncto munere Abbatis eumdem hymnum incipere incumbebat. Quod ab initio Cistercij vsu receptum, hodie etiam videmus obseruari. Vtramque hanc visionem posteriorem transcribunt, qui primam, & ex illis non pauci recentiores.

5. Cæterùm mihi hæc altiùs perpendenti pulsat animum pia quidem, ni fallor, sed nihilominus non leuis indignatio aduersùs contemptores chori, cantusque, quibus Angelos deceat ministrare, nedum insistere. Ego vt externa ad proximos officia (opera charitatis) summè veneror, atque ea etiam Angelorum propria iudico, sic inter Angelos non supremos Ordines, sed inferiores ad homines transmitti, ex Diuo Thoma, & aliis compertum habeo: supremis iugiter Deo adhærentibus, neque extra ipsum implicatis quouis negotio. Quin & Nazaræos Religiosos prisci æui, non in Ecclesia, non in claustris, non in choro denigratos lego, sed in plateis. Nec hoc dixerim quasi aut illos præferam, aut alterutros aliis comparauerim: absit à Religiosis viris hæc comparatio, sed vt ostendam vtrimque esse rationes, vtrimque argumenta, quæ sic ad singulorum solatium probent, vt in aliorum præiudicium nihil concludant.

6. Verùm id vnum silentio non inuoluam, quod in viro aliàs pio, æquè & docto, multorum animos video commouisse, & tamen ego incuria librariorum, amanuensiumve, non auctoris iudicio scriptum credo, in quarto tomo de religione Francisci Suarez: nimirum h *Religiones Monachorum, quia per se non sunt Sacerdotum, sed laicorum, ideo chori ministerium profiteri.* In quibus verbis, vt sensum meum prodam, duplex irrepsisse videtur error, an iniuriosus, aliorum sit iudicium. Alter in religiones Monachales, alter in chorum. In hunc, quòd ministerium laicorum per se dicatur, atque ideo competens Monachis, quia laicis. Cùm tamen ex se ad vtrasque personas sit indifferens, & fortè vniuersalius, quo perfectius. Certè per prius ad Clericos, Sacerdotesque tanquam diuino cultui mancipatos, quàm ad laicos descendere, quis dubitet? Inde enim illis, vel in singulari, diuinæ laudes iniunctæ, quæ his indebitæ. Sed an ne cunctæ Cathedrales Ecclesiæ totius orbis, ideo choro, cantuique insistunt, quia per se laicæ? Et tamen semel bona consequentia, sine causalis, vbique, & semper bona esse deberet. Atque hæc in chorum.

h lib. 1. de instit. Societ. c.2.num.6.

7. In religiones Monachales non minus noto, quòd eas per se laicorum esse doceat, quasi statim admisso sacerdotio, ab instituto aut degenerent, aut deuient, & Monachatus, laicatum, vt sic dicam, per se respiciens, sacerdotium excludat. Quid enim? Ita ne per se laicus Augustinus, per se laicus Gregorius, per se Bernardus, quos Monachos extitisse nequaquam dubites? Ita ne Græci Patres Nazianzenus, Nyssenus, aliique, quos aut antiquum Eliæ Patris exemplum, aut recentior Basilij magni regula penè omnes Monachatui incorporarunt? Enim verò hoc à modestissimo Doctore, atque omnium religionum obseruantissimo, vt ego credo, minimè prolatum, sed amanuensium, vel librariorum, vt dixi, incuria irreptum; dum non in opere ad auctoris mentem ponitur, libuit hîc apponendum significare.

8. Sic etiam, & quod ait paulo inferiùs, *Chori, & cantus ecclesiastici vsum non tam ordinari ad propriam perfectionem, & contemplationem canentium, quam ad deuotionem audientium.* Hæc enim sunt ipsissima verba indicis, quamuis in opere aliquanto moderatiora, vtcumque tamen mihi difficilia, quippe vltra modum parum deferentia grauissimis Ecclesiæ religionibus, Benedictinæ, Cisterciensi, Carthusianæ, vsum chori, & cantus profitentibus, nec pro auditoribus, quos non habent, aut non admittunt, sed pro seipsis. Quid de vigiliis dicam, cunctis ferè communibus, quæ vna, aut altera nocte tantùm exceptis, ianuis clausis, adeoque nullo auditore, præter ipsos psallentes, per vniuersam Ecclesiam decantantur? Certè flamma ex ore incipientis hymnum visa procedere, non excitandam aliorum deuotionem, sed proprij spiritus feruorem indicabat. Quin & Apostolus ad Colossenses scribens, non alios, sed semetipsos docendos, i ac monendos tradit, hortaturque, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus.

i cap. 3.

9. Audi Iustinum, seu quicumque est auctor quæstionum, quæ nomine ipsius circunferuntur, de chori, & cantus vsu, atque eius spirituali fructu, hæc disserentem. *Excitat cantus ecclesiasticus cum voluptate quadam animum adflagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium, affectiones, & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas, inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amollitur: pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit: omnium rerum, quæ in vita tristes, & luctuosæ accidunt, piis adfert medicinam. Mentes ad fructificationem diuinorum bonorum rigat. Gladium spiritus, hoc Paulus appellat in armamentario, vbi contra inuisibiles aduersarios milites veræ pietatis suis instituit armis. Verbum namque Dei est, quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, ac Dæmones fugat, atque depellit. Et in rebus omnibus, quæ piis eueniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina ecclesiastica perficitur.* Hactenus Iustinus. At de his, pro instituto nostro satis; nunc ad historiæ seriem reuertamur.

10. In historia Segouiæ nuper edita, de exordio, & progressu sanctissimæ familiæ, quam sub inuocatione sacræ Triados, fidelibus captiuis redimendis Deus prouidit, notatum lego, vnum à primis illius institutoribus Hugonem Vallesium (Theobaldi Comitis nepotem ex sorore) qui pòst Felix Vallesius dictus est, atque vnà cum B. Ioanne, dicto de Mata, insignis operis fundamenta felicia iecit: lego, inquam, hunc Sanctum hoc anno natum, & post baptismum, deferente matre, ad Claramvallem ductum, offerendum ibidem per Bernardum Omnipotenti Deo, & sancti Patris acceptorum benedictionem: quod ab authore l illius historiæ traditum, omittere non libuit: quamuis nec adhuc sciam, vnde hauserit, nec sim ignarus, in his, quæ aliàs miscet, à veritate nonnihil aberrare. Certè in tempore nulla est repugnantia, & Hugoni, aut Felici, si reuera

l lib. 1. c. 5.

Theobaldi

Theobaldi nepos fuit, nō vllus alius Bernardo parente propior, quem apud Deum ab ipsis incunabulis intercessorē quæreret: sed & Bernardo nō exigua gloria est, tantū habuisse alumnum, siue clientē, illustraturum orbem, atque illud sæculum miraculis, & meritis, sequēria repleturū gloriosa prole.

1. Varij alij euentus præsentis anni. 2. Tractatus de gratia, & libero arbitrio à Bernardo scripti occasio, 3. tempus. 4. Eiusdem ad Guillelmum Abbatem inscriptio. 5. Rogerij Trium fontium felix obitus. 6. Bernardi ad filios tunc recèns orphanos epistola, 7. & Gaufridi Fontanetensis Abbatis cessio.

CAPVT IV.

1. HVnc ipsum annum præter duas insignes fundationes, de quibus infrà, varij alij euentus illustrarunt. Bernardus Pater, cùm inter loquendum efficaciam extulisset diuinæ gratiæ, occasione cuiusdam obiectionis de gratia, & libero arbitrio tractatum edidit, adeò sane subtilem, exactumque in materia Theologiæ difficillima, nec minus olim, quàm hodie controuersa, vt neque Augustini solida, & neruosa omittat, & nostri æui argutias minutissimas, quasi ingenio præueniens, antecedat. Tres fontes, Fontanetumque orbatæ pastoribus, Rogerio in illa ad superos migrante, huic cedente Gaufrido, cùm iam adultæ, & minus indigeori eius regimine, quam se putabat Bernardi magisterio. Singula ex antiquorum monumentis, sed quam potuero breuiter describam.

2. Occasionem à Bernardo suscepti operis, de gratia cum arbitrio concilianda, idemmet Sanctus præfixit fronti tractatus. *Loquente me coràm aliquando* (ait) *& Dei in me gratiam commendante, quod scilicet ab ipsa me in bono & preueniri cognoscerem, & prouehi sentirem, & sperarem perficiendum. Quid ergo (ait vnus de circumstantibus) operaris, aut quid mercedis speras, aut premij, si totum facit Deus*, &c. Quæ vt videantur à sancto Patre scripta, instituendo libello in modum Dialogi: at non conficta, sed verè ita euenisse, duo nobis conuincunt argumenta. Alterum est dialogizandi stilus, ab ipso ferme initio operis cessans: alterum, quod Bernardus ad Guillelmum, ex occasione verè scriptum tradit in epistola statim adducenda. Vix autem alia, seu vero similior, seu scriptis Sancti conformior assignabitur. Hæc de occasione.

3. De tempore Cardinalis [a] Baronius docet hoc anno editum, aut certè ex his, quæ docet, detur colligi. Namque hunc testatur librum, de quo Bernardus, ad Petrum Cardinalem Legatum, qui eum sibi transmitti postulauerat, respondit. [b] *Librum quem quæsistis ad transcribendum, habetis.* At cùm hic annus legatiæ Petri Leonis vltimus putetur, misso in sequentem insignis gloriæ viro, Matthæo Cardinali Albanensi, de quo inferiùs: consequitur, si de hoc libro Bernardus ibidem loquitur, aut hoc, aut fortè ante hunc annum scriptum, quippe qui iam transcribendus remitteretur. Cæterùm, quod idem Cardinalis Baronius addit, constare hoc ex Arnaldi, seu Bernardi Bonæuallensis Abbatis præfatione in librum secundum vitæ sancti Doctoris, nequaquam nobis constat, vnde habeatur. Nam in ea de hoc libro nulla mentio: vt non dubitèm mendum irrepsisse, atque pro alio, hunc locum substitutum, fortè & auctorem.

a ann. Christ. 1129.

b epist. 18.

4. Tractatum ipsum, cùm semel scriptus fuit, Guillelmo Abbati sancti Theodorici remisit Sanctus, tum corrigendum (quæ erat eius homilitas, huius opinio apud omnes, & auctoritas) tum vt intimo amico, ac familiari, & qui etiam colloquio præsens fuerit, vnde orta occasio scribendi, de qua superiùs. Vtrumque breui epistola insinuauit, præfixa operi, quam nos totidem verbis hîc subiungimus.

[c] *Domino VVillermo Abbati sancti Theodorici frater Bernardus. Opusculum de gratia, & libero arbitrio, quod illa, qua scitis occasione nuper aggressus sum, eadem gratia adiuuante, peregi, vt potui. Vereor autem, ne aut grandia minus dignè loquutus inueniar, aut pertractata à pluribus superfluo retractasse. Proinde legite illum primus, & si iudicatis, solus: ne si proferatur in medium, magis fortè scriptoris publicetur temeritas, quam lectoris ædificetur charitas. Quod si palàm fieri, vtile probaueritis, tunc si quid obscurius dictum aduerteritis, quod in re obscura, seruata congrua breuitate, dici planiùs potuisset, non sit vobis pigrum, aut emendare per vos, aut mihi resignare emendandum, si fraudari non vultis promissione illa sapientiæ, quæ ait:* [d] *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Ita Bernardus humilis, sed grauis, vt qui in omnibus modestiæ terminos nouerat.

c epist. ante tract.

d Ecclesi. 24.

Inter hæc autem, vt maximè differamus illius obitum, venerabilem Rogerium primum Triumfontium Abbatem, de quo suprà, vitam cum morte, siue, vt propriùs loquor, mortalem vitam cum æterna commutasse argumento est, quòd Guido eius successor (Bernardi item filius æquè charus, postmodum Eugenio tertio summo Pontifici ob egregias animi dotes inter charissimos, de quo iterum, nec semel sermo redibit) anno sequenti Caladiam condidisse, primam Claræuallis neptem, ex Tribusfontibus, memoriæ produnt, & nos item ex ipsis infrà dicemus. Verùm quod ad Rogerij mortem attinet, adeò vitæ per omnia conformis fuit, vt Bernardus non mortem, sed discessum, non depositionem, sed translationem adpellaret, & quem viuentem filium semper agnouerat, post obitum communem Patrem veneraretur. Extat epistola eiusdem sancti Patris, ad Monachos Triumfontium, tunc recèns orphanos, quam in beati viri commendationem non pigebit ad litteram transcribere, 5.

[e] *Ad Monachos Triumfontium. Quòd nondum veni ad vos, non putetur incuria. Curamus quidem vos tanquam viscera nostra. Si mater potest filij vteri sui negligere curam, possum & ego forsan in suspicionem duci, & argui negligentia. Itaque opportunitatem expectauimus, & expectamus, vt cum venerimus, visitatio nostra non sit sine fructu. Interim de abscessu Patris vestri non turbetur cor vestrum. Deus vobis prouidebit alium, sicut speramus, pro eo, idoneum, sed neque istum perdetis. Nam etsi translatus est, non tamen ablatus: tamen qui vobis fuerat specialis, erit communis & nobis. Donec ergo venio, viriliter agite, & confortetur cor vestrum, & omnia vestra in charitate fiant.* Ita Bernardus. Vt non immeritò tanto testimonio inter insignes sanctitate viros numeretur Rogerius, in Menologio ad vigesimam tertiam diem mensis Aprilis. Quamuis in notis epistolam omittat, cui tamen vni deferendum præ cunctis aliis. 6.

e epist. 71.

Vltima

6. *Vltima sequitur Godefridi cessio*, Fontaneto fundato, adultoque, siue, vt verbis ex compendio vitæ ipsius desumptis vtar, [f] *qui fundato loco, & regulariter ordinato, ad suam Claramvallem rediit.* Porrò eius reditum, nequaquam differendum vltra hunc annum, argumento est Humbertus Claræuallis secundus Prior, Igniacum in ipso, aut sub initium sequentis fundaturus, cui Godefridus successit, Prior tertius, abdicata iam ante præfectura, seu tunc dimissa, vt Humberto substitueretur. Quis Godefrido successerit, incertum, credendum tamen suffectum pro eo Stephanum, virum celebris doctrinæ, & sanctitatis, quem post triennium scribentem ad Innocentium in causa beati Thomæ verè Martyris, sancti Victoris Parisiensis quondam Prioris, vnà cum Bernardo parente infrà videbimus.

f in lib. sep. Claravall.

---

1. Chronologia Cænobiorum præsentis anni. 2. Ebraci situs fundatio, 3. & fundatores. 4. Mausolea. 5. & donaria Gertrudis Imperatricis. 6. Pontificum Herbipolensium corda illic sepulta. 7. Binomia domus. 8. Primus eius Abbas: 9. quis ille? 10. & quot Ecclesiis Cistercium auxerit.

CAPVT V.

1. TRibus hoc anno Cistercium Ecclesiis auctum in partibus Germaniæ, Hispaniæ, & Galliæ, Chronologia affirmat, singulis singulas tribuens, in hunc tenorem.

Anno M.CXXVII. octauo Kalendas Augusti, fundata est Abbatia Ebracensis.

Eodem anno, quinto decimo Kalendas Octobris, Abbatia Carraceti in Hispania.

Eodem anno, quarto Idus Martij, Abbatia Igniaci. Hæc Chronologia. Et quidem quantum ad Ebracum, & Igniacum, quartam vtramque, illam Morimundi filiam, hanc Claræuallis, certiori fide: quantum ad Carracetum planè dubia, & nisi fallor, designatum locum, Cœnobio aliàs antiquo, potius notans, quàm admissarum Cistercij legum tempus, quod longè recentius, extitisse compertum habeo. Nobis per singulas ex more discursuris, quæcumque relatu digna, dicenda erunt.

2. Ego de Ebraci situ, & fundatione hæc à Gaspare Bruschio scripta lego. [a] *Ebracum magnificum, ac opulentissimum Cisterciensium Monachorum Cœnobium, in Ostrofrancis & Herbipolensi diœcesi, quatuor milliaribus à Helmueinfordia, in ipsa ardua sylua (vulgus Steigervvald vocat) ad eiusdem nominis fluuiolum, quem ad alterius differentiam, minorem Ebrachium nominant, situm ... id, inquam, fundatum est anno Christi M.CXXVI. sub Imperatore Lothario Saxone, & Episcopo VVirzburgensi Embricone.* Hæc Gaspar Bruschius de situ, & fundatione. Addens sacellum, quod primum in loco fuit septennio ædificatum à fundatoribus, haberi nunc ad latus dextrum maioris Basilicæ, Archangelo Michaëli dicatum, & satis elegans.

a Cent. 1 fol. 40.

At fundatores duplices agnoscit. Nobiles fratres Bernonem, & Richouinum, & Imperatorem Conradum cum Gertrude vxore, atque vtriusque filio Friderico, quippe cœptum ab illis humili fabrica, nec pingui dotatione, per hos ingens effectum, & opulentum. De prioribus hæc idem Gaspar Bruschius, [b] *Fundatum est* (inquit) *à Bernone, & Richouino militibus, ac nobilibus fratribus de Ebraun, qui anno Domini M.CXIX. cum consensu sororis Berildis, ex hoc castro suo Ebraun, latrociniorum dira olim spelunca, domum precationum facere statuerat. Horum ossa habentur in perelegant sancti Michaelis sacello, quod est ad latus dextrum maioris Basilicæ.* De posterioribus, Gertrudis, & Friderici, quæ hodieque in maiori templo visuntur mausoleo, & Gertrudis sepulchri inscriptio talis: 3.

b in Chron. monas. Germ.

[c] Hîc iacet Regina Gertrudis, vxor quondam Regis Romanorum, huius Cœnobij fundatoris, translata in hanc tumbam à venerabili Abbate Nicolao anno M.CLXIX. quinto Kalendas Maij.

c ibidem.

Friderico rudioris stili epigraphimetrica quidem: sed quæ Hispanam barbariem illius æui, aut minuere videatur, aut excusare. *Decimo quarto Kalendas Septembris, Romæ obiit.*

Hîc Dux Sueuorum Fridericus, fotor Monachorum,
Et Romanorum Regis natus, iacet, horum
Auctor fundatorum. Deus huic da regna bonorum.

Sic cenotaphium. Cæterùm vtrorumque fundatorum, atque aliorum Principum, & nobilium munificentia adeò creuit Ebracum breui tempore, vt Herbipolensem prædiuitem Ecclesiam in redditibus annuis adæquare crederetur. Vnde vulgari fabellæ locus datus, vnius tantùm cui differentiam, in quo Cœnobium ab Episcopatu superaretur.

4. Pergit Bruschius de aliis Principibus, quorum corpora in fano eiusdem domus supremi iudicis aduentum præstolantur. [d] *Et iacet* (inquit) *Domina Irene, alio nomine Maria dicta, Alexij Constantinopolitani Imperatoris soror, Philippi Sueuorum Ducis, ac Romanorum Imperatoris (Bamberge, ab Othone VVittersbachiano Comite trucidati) honestissima coniux. Nobiles item Comites de Castel, quorum liberalitate, & eleemosynis Vogelsburgum, celebre Carmelitarum in Ostrofrancis Cœnobium, ad Mœnum amnem conditum, & constructum est. In primis verò dominus Stuso Comes, & duo Friderici senior, ac iunior, &c.* Hæc de Principibus Ebraci quiescentibus, ab eodem auctore adiuncta, hîc etiam subiungenda visa sunt, ad maiorem eiusdem Cœnobij commendationem.

Verùm quàm tenere Gertrudis illud amauerit, qualiaque in eo pietatis opera, simul & munificentiæ exercuerit, ex eodem auctore accipiat lector. [e] *Gertrudis* (inquit) *Imperatrix, Conradi tertij Romanorum Regis coniux, Berengarij Comitis de Hulezbach filia, vnà cum Rege Conrado marito suo plurima obtulit, & contulit ad celebriorem Monasterij huius (scilicet Ebracensis) ædificationem, in quo frequenter ipsa habitasse, & pretiosas ibi vestes sacris ministeriis vtiles,* 5.

e vbi suprà.

utiles, propriis manibus ingeniosissimè neuisse, & adornasse dicitur, quæ hac adhuc ætate, in eiusdem loci sacrario conseruantur, & aduenantibus aliunde peregrinis ostenduntur. Hactenus Bruschius.

6. Facit & ad eiusdem Asceterij non mediocrem gloriam, quod in eius Basilica Herbipolensium Præsulum, Ducumque (nam sunt Episcopi domini simul, ac Duces Herbipolenses) corda inhumari solita, quippe exprimente tali consuetudine Pontificum erga eam Ecclesiam summum affectum. Cæterùm an ab Embricone, sub quo fundata, an ab alio post ipsum religio cœperit, in dubio est: certum omnino obseruatam à longo tempore, quod & Bruschius nullatenus omilit. [f] *Solent (*ait*) in hoc Cœnobio condi Episcoporum omnium Herbipolensium corda, corporibus post obitum exsecta, quatuor pulchris equis honorifico curru prępositis euecta, in templi choro, prope Dominici corporis adiculam, honorificè tumulanda.* Sed pleniùs Sebastianus Munsterus in Cosmographia. [g] *Embrico electus Episcopus, Ecclesiam suam optimè administrauit. Sub hoc celebre Monasterium Ebrac institutum, & constructum est: in quod cuiuslibet Herbipolensis defuncti Episcopi exsectum cor, & peculiaribus caremoniis deductum, iuxta summum altare cum honore reconditur. Cor autem preparato impositum plaustro, per quosdam Equites in Monasterium Ebrach deductum, & inductum, per Abbatem, & Monachos obuiam euntes, honorificè susceptum, post preces ad Deum effusas, iuxta summum Altare reconditur.* Ita Munsterus.

[f] ibidem.

[g] lib. 3. in Franconia.

7. Notat Bruschius Ebracense Monasterium ab aliquibus Loriceose nuncupari, ignota sibi causa secundi nominis, & fortè additum ad Euerbachij distinctionem, alterius item Cœnobij de quo infrà, facilè aliàs in Ebrachum transeuntis, similitudine vocis, atque Ordinis Cisterciensis identitate. Nisi quòd Euerbachum in Moguntina diœcesi, Ebracum in Herbipolensi situm constat. Illud Claræuallenses occuparunt, hoc Morimundenses. Denique illud surrexit post annos aliquot, Christi nimirum M. CXXXV. quo eius fundationem assignabimus: Ebracum surrexisse hoc ipso legimus, vel si Bruschium sequamur, antecedenti. Ego in litteris Honorij Papæ tertij, & aliorum Pontificum, ac Principum Ebrac; neque aliter inscriptum semper inuenio. Atque hæc satis, superque de Cœnobio. Nunc primum eius Abbatem aperiamus.

8. *Adamus (*inquit [h] Bruschius*) de Colonia Agrippina, accersitus ad Monasterij huius gubernaculum anno Domini M.CXXVII. vir probatæ virtutis, ac sapientiæ: ita enim testantur de eo, in epistolis quibusdam Diuus Bernardus, & Alberinus Abbas Cisterciensis, præfuit piè, & laudabiliter triginta & quatuor annis. Construxit in septenni spatio Ecclesiam, quam VVirtzburgensis Antistes Embrico anno Domini millesimo centesimo trigesimo quarto consecrauit. Huic aliæ decem Cisterciensis instituti Abbatiæ, eodem ferè tempore in aliis Germaniæ prouinciis erectæ, tanquam Patri, ac primario inspectori monasticæ vitæ commendatæ sunt.* Hactenus Bruschius.

[h] in Ebrac. fol. 107.

9. Quibus verbis si nobis standum est, Adamum hunc eumdem coniectabimur, ad quem Bernardus scripsit annis proximis, vt Arnaldum desereret, vel saltim eo mortuo, resipisceret, atque ad suum Morimundum reuerteretur, quippe ex Colonia Agrippina accersitus, & Bernardo laudatus, vix, aut ne vix alius inuenietur. Non tamen credam immediatè ex Colonia fundatum missum; sed ex Morimundo, quo litteris Bernardi dudum reducem, aptum præfici nouæ plantationi iudicauit Gualterius, prouidum virum, ignarumque prouinciæ, & proceribus notum, per quos posset Cœnobium promoueri. Quis autem Alberinus Abbas sit, in cuius litteris etiam commendatur, diffiniire non ausim, cùm maximè nullius Alberini litteræ ad nostras manus, notitiamve peruenerint.

10. Quicumque fuerit, laudatus ab eo Adamus, Ebracum non mediocriter promouit, quod præter opulentiam superiùs tactam, eius fortasse industriæ ex parte debitam, septem ab ipso virorum Monasteria: cum tribus aliis virginum, per vicinas prouincias ædificatis, satis aperto indicio manifestant. Eadem sigillatim Bruschius nominat, Romam in Stiria, Lankenbeymium in Voitlandia, Fontem salutis in Marchionatu Brandenburgensi, Nepomungum in Boëmis, Adersbachium in Bauaris, Bildhusium in tractu Rhenensi, & VVillershemium. Hæc virorum Cœnobia, quæ sub Adamo Ebracum in breui protulit, de quibus tabulæ Cistercij, & Morimundi, vocibus licèt aliquantulum corruptis, & nos suis locis plura dicemus. Sanctimonialium non minus recensentur. Cœli porta, infrà VVirtzburgum. Schonauium, siue Schonauia in silua Odonis, & Pimkerphaldium, prope Neostadium. Atque hæc de Ebrac pro nunc dicta sufficiant, præsertim plura in sequentibus dicturis. Nunc de Igniaco aliquid dicamus.

---

1. Igniaci primordia, progressusque, 2. & primi illius Abbatis eximia sanctitas. 3. Godefridus Humberto substitutus. 4. Insinuata Carraceti antiquitas: 5. sed probata reformatio eius, longè recentior, ex Innocentij tertij priuilegio, 6. ex Bernardi epistola, 7. perpensa, 8. itemque ex Bulla Innocentij Papæ tertij: 9. & consectata ratio antelationis.

CAPVT VI.

1. QVo tempore Ebracum Morimundus, plus minusve, Claravallis Igniacum generauit, in diœcesi Remensi, noto & celebri satis fundatore Rainaldo à Pratis, Archiepiscopo Remensi (aliis Reginaldo de Martiniaco) qui Philippum Lodouici Crassi filium Remis in Regem Francorum consecrauit: sed Abbate notissimo sanctissimoque, nempe Humberto Priore Claræuallis, quem S. Pater Bernardus sibi subtractum, mittendis filiis proposuit, velut seipsum. De hac domo Godefridus Claræuallensis in vita S. Patris hæc habet verba. [a] *Inter primas propagines, quas hæc abundantissima vitis (nimirum Claravallis) emisit, in Remorum Parochia Monasterium Igniacense plantatum feliciter radicauit.* Ita Gaufridus, genus, tempus, situm, Igniacensis Ecclesiæ paucis complectens. De fundatore in catalogo Archiepiscoporum Remensium breuiùs adhuc, nisi quòd annus differtur triennio integro. *Rainaldus Desprets (*inquit*) M. CXXX. fundauit Igniacense Cœnobium.* De primo autem Abbate auctor Exordij. [b] *Igitur venerabilis Humbertus missus postmodum ad ædificandum Igniacense Cœnobium, &*

[a] lib. 4. c. 5.

[b] lib. 3. c. 4.

eiusdem

eiusdem Cœnobij primus Abbas, à Beato Bernardo constitutus, impatienter ferebat amicam sibi paupertatis, humilitatis, & subiectionis materiam esse subtractam. Sic in Exordio, cui consonat compendium vitæ beati Humberti.

2. Ergo qui dudum Casæ Dei Cœnobium satis insigne, qui nigri Ordinis sanctas obseruantias, grauesque, quibus per viginti annos seruierat, alacer reliquisset, vt Bernardo adhæreret in Claravalle, ægrè satis ab vtroque auulsus est, neque nisi ad Sancti imperium discessurus. At quàm noo æquè munus suum expleuerit, nouæ Ecclesiæ incrementa demonstrarunt, viris insignitæ illustribus præ aliis, atque intra breue tempus auctæ duplici prole, de quibus nos in sequentibus agemus. Interim de Humberto memoria dignum, quod in compendio eius vitæ memoriæ proditum, captum penè humanum, nedum vires videtur excedere, aut nostri sæculi teporem incusare, per plures annos, quibus Igniaco præfuit, non solùm ab operibus, aut verbis, quod planè rarum, sed & à motibus quibuslibet ociosis, hoc est, non in obsequium Dei directis, atque ex ipsu, vt à fine intento, ortis, pene (quantum eognosci licuit) fuisse immuoem. Ipsios Compendij verba in medium proferam, auctore Anonymo quidem, sed perantiquo, & in quem cuncti Claræuallenses, velut in causa communi, compromisere. [c] *Deinde* (inquit) *factus primus Abbas Igniacensis Cœnobij, in eodem pluribus annis cum maxima reuerentia ita est laudabiliter conuersatus, vt vix in eo aliquis otiosum, non dico verbum, sed neque motum quempiam aduertere posset inspector, quantumlibet curiosus.* Felix profectò, & supra modum felix, si vix, aut rarò motus patiebatur, qui non ex Deo, felicior fortè, aut saltim laudabilior, si sic, quos patiebatur, reprimebat, vt vix alicui, quamuis familiari, quamuis nimium curioso cognoscerentur. Quàm putas longè erat ab operibus, in quo motus vel rari, vel occulti? Quàm longè à turpibus, qui se vix vnquam permissum ostendebat in differentibus. Atque hæc de Igniaci prima fundatione, felici satis sub vtroque Patre, nimirum sub Humberto, Bernardoque. Qualiter autem Humberto pòst cedenti, successerit Guerricus, Sanctus Sancto, sed aureola Doctoris præferendus; cum reliquis incrementis eiusdem domus, suis locis Annales declarabunt. Dedicatur Ecclesia Igniacensis anno M. CXXX. conuenientibus ex vniuersa Prouincia multis Nobilibus, atque offerentibus plures possessiones, donatiaque super altare Beatæ Mariæ Virginis, vt habet syllabus Ecclesiæ Claræuallensium.

c in lib. sepul. Clar. val.

3. Bernardus Pater, quo discedentis Humberti ingentem iacturam, non inferioris sanctitatis viro compensaret, Godefridum, Fontaneti quondam Abbatem, quique, vt diximus, abdicata præfectura, suæ se Claræualli restituerat, in Priorem elegit, sub quo tempore schismatis instantis (quod fortasse præuisum) atque diuturnæ peregrinationis eiusdem Sancti, vinea illa Domini, non secus, ac sub ipso fructificaret. Ita Catalogus [d] Priorum Claræuallensium, & liber sepulchrorum. Ex quo plura inferiùs ad hoc propositum. Præter Humbertum, Igniacum illustrarunt Abbates sancti, Guerricus, atque Petrus Monoculus, ex ea domo assumptus ad Claramvallem, atque eius tempore Nicolaus Monachus, omnes viri sanctissimi, de quibus in sequentibus dicemus. Ad Abbatem, & Conuentum Igniacensem scribit Alexander Papa IV. litteras laudum, & cōmendationis plenas: datas Agnaniæ,

d apud Henr. in fascicul. lib. 1. dist. 4. cap. 7.

pridie Idus Iulij, Pontificatus illius anno quinto.

Carracetum in regno Legionensi perantiquum Cœnobium, atque ante Hispaniam à Mauris occupatam iam satis celebre, mox eorumdem inuasione dirutū, fugatis Monachis, sed per auia montium latentibus, vtcumque in ipsis velut cōtinuatum, Sarracenis expulsis post tria sæcula, à Beremundo Rege restitutum, ac demum ab Imperatore Alfonso locupletatum, infrà videbimus: vt non sit dubium, ex Hispanis Asceteriis, quæ modò extant, vix vllum aliud antiquius repertum iri. Verùm, quia hæc extranea ab instituto, cuius non est Benedictina omnia, sed tantùm Cisterciēsia commemorare; extunc, neque ante Annales hos concernit, cùm Cisterciensi iugo collū subdidit. Porrò id contigisse post multos annos, quantūvis Chronologia præsentem signat, neque pauca, neque leuia, meo iudicio, argumenta conuincere videntur. Igitur cæteris reseruatis in proprium locum, hoc vnum in præsenti agendum erit, Carracetum non solùm non hoc anno, sed neque hoc fortè sæculo ad albos Monachos ex nigris transiisse. 4.

Et quidē anno à nato Seruatore M. CXXXVIII. hoc est, post vndecim ab eo, quem nunc transcurrimus, necdū Cistercij leges admisisse, probat mihi Innocentij secūdi bulla tunc expedita: in qua nulla Cistercij mentione habita, inter alia cōcodit summus Antistes. [e] *Ne quis post obitum Florenty (tunc Abbatis) electionem eiusdem Monastery turbare, aut successorem eligere præsumat. Sed ille tantùm in defuncti locum succedat, quem maior, saniorve conuentus pars duxerit eligendum, siue ex seipsis, siue aliunde ascitum, vt viderint expedire.* Ita Innocentius, ex quibus verbis manifestum, ni fallor, fit, Carracetum tunc expers Cistercij legum, quippe sub quibus talis priuilegij nec indiguisset omnino, neque capax esset. Namque electionum in charta charitatis præfixo modo, atque electoribos non minus designatis, neque alionum præsumptio timenda erat, cùm maximè Diœcesanos Episcopus gratam, & ratam eamdem priùs habuisset; nec ius designatorum perturbandum, tum vigens, & in viridi obseruantia, maximè designata Carraceto inter filias Cistercij, vt mox videbimus, cuius Abbati, vt totios religionis supremo capiti, deferendum præ aliis videbatur. Sed nec si eædem admissi Cistercij leges, aut confirmarentur in vno, aut derogarentur in alio, nulla omnino Cistercij mentio fieret, quippe consuetis in vtruque casu clausulis; & io altero etiam necessariò, vt derogatio validior, quo specialior, nullis pòst subiaceret dubitationibus. 5.

Atque hæc quidem probant, Cœnobium id nequaquam admisisse Cistercium post annos vndecim: sed neque post viginti illi subiectum, efficaciùs conuincit Bernardi epistola ad Sanctiam sororem Imperatoris Hispaniæ, cui, cùm pro Carraceto dedisset litteras, in causa Monasterij de Toldanos, tunc Cistercio vniti, sub Claravalle, eoque subtracti ab obedientia Carracetensium; Pater sanctus respondet in hunc modum. [f] *Quod factum est de receptione Toldanos Monastery, sciatis per me non esse factum, vtpote absentem, & ignorantem, quid fieret. Factum autem per nostros non nego: consilio tamen multorum Religiosorum, Episcopi conniuentia, & assensu; nobilis quoque dominæ, quæ locum illum in propria possessione fundauit, petitione, & voluntate, publicè, vt accepimus, & nihil in abscondito factum.* Et infrà. *Cæterùm quia Carracetenses fratres factam sibi in hoc iniuriam, vt scribitis, conqueruntur, nec audientes Salomonem, qui ait;* [g] *Noli prohibere eū, qui benè vult facere, si potes, &* 6.

f epist. 301.

g Prouerb. [illegible]

ipse benefac: nobis in tam sancto opere contradicunt. Et quoniam seruos Dei non oportet litigare, consilij nobis fuit, ad vestrum potissimum consilium causam remittere, vt vestra auctoritate, & opera omnis inepta, & iniusta (vt aiunt) calumnia conquiescat, & Ordo in domo Dei receptus ad eius gloriam, & vestram ipsius salutem, deinceps in pace permaneat. Nam & frater Nibardus, qui multum gratulatur de vobis, satis hoc de vobis confidere monuit, tum propter vestram erga nos specialem deuotionem, tum etiam propter bonam, quam audiuit à vobis, de hoc ipso, promissionem. Si autem vestris (quod non credimus) salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi acquiescere noluerint; tunc duorum iudicio Episcoporum, ad quos duo illa loca iure parœciali pertinere noscuntur, omnis inter eos controuersia terminetur. Ita Bernardus.

7. Porrò ex his verbis manifestè constat, quo tempore epistola conscripta, Carracetenses necdum sub Cistercio dealbasse cucullam; aliàs non surrecturos aduersùs filiam, quæ matris suæ exemplum imitaretur. Sed nec Toldanos, Carracetο ante subiectum sub Cistercio existenti, ex admisso eodem instituto se se eximeret, vtpotè cuius exemptionis causa sola obseruantia strictior, difficilis sub non obseruantium imperio conseruari, prætendebatur. Nec Bernardus, Claræuallensesve, Cisterciensi Cœnobio domum subditam, atque eius filiam, in propriarum filiarum album cooptassent. Rursus inter Cistercienses lis exorta, si omnes tales, nequaquam à Bernardo Patre, Episcopis, sed Abbati Cistercij, aut Capitulo generali dirimenda, [b] iuxta Ordinis præscriptum, remitteretur. Demum dum idem Sanctus illud adducit: Noli prohibere eum, qui benè vult facere, sed si potes, & ipse benefac; Carracetenses manifestè notat nondum admissæ Cisterciensis reformationis, ad quam eosdem inuitat non obscurè. Porrò hanc epistolam circa annum Christi M. CL. adeoque ab hoc post viginti, & ampliùs scriptam, inde deduco, quia post fundatum Monasterium de Spina, quod anno Christi M. CXLVII. vt maxime cœpisse, infrà videbimus. Imò, etsi me non fallit coniectura, post Nibardum ipsius fundatorem redditum Claræualli, vbi & Bernardum de Sanctiæ deuotione monuisse potuerit, & de accepta in eodem negotio promissione. *Nam & frater Nibardus* (ait) *qui multum gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit, tum propter vestram in nos specialem deuotionem, tum propter bonam, quam audiuit a vobis de hoc ipso, promissionem.* Certè hæc omnia, etsi mandata litteris Bernardus Pater potuerit accepisse; at magis sonant ab ore narrantis hausta, adeoque reducis ab ipsa fundatione. Demum tunc iam fundatum Monasterium, dum pro ipso intercedit, expressè tradit, hæc ad calcem epistolæ subiungens. *Obsecramus vos, & pro nouella vestra plantatione (illos loquor de Spina) vt eis viscera misericordiæ exhibeatis, quatenus vestro beneficio sustentati, in seruitio Dei, & suo Ordine perseuerent.* Atque hæc, meo iudicio, tam clara sunt, vt vix quidquam relinquant dubitandum.

[b] vide infra an. 1154. c. 6. statut. 72.

Verùm accedat Innocentij tertij diploma, sequenti adhuc sæculo expeditum, anno nimirum à Christo Redemptore M. CCIII. congratulantis de reformatione Carracetensium sub Cistercij obseruantiis, & noua tunc earumdem admissione. Integram Bullam suo loco dabimus, nunc clausulâ sufficiat decerpsisse. [i] *Nos igitur* (ait) *mutationem dexteræ Excelsi reputantes (scilicet quam ad instituta Cisterciensia, sub speciali Cisterciensis Ecclesiæ filiatione factam tradiderat) huiusmodi nouitatem, & vnionem in Domino commendantes, præsentium auctoritate statuimus, vt Ordo Monasticus, qui secundum beati Benedicti regulam, in eodem loco constitutus esse cognoscitur, perpetuis temporibus, secundum Cisterciensis Ordinis instituta seruetur, & incorporatio huiusmodi, vel vnio potiùs inuiolabilem in posterum obtineat firmitatem. Datum Anagniæ, decimo tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.* Hactenus Innocentius, cum multis aliis, quæ breuitatis causa nunc omittimus suo tempore longiùs adducenda. quæ sanè verba mutationem tunc recèns factam, perspicuè denotant, adeoque longè distantem ab hoc anno. 8.

[i] Romæ in registro lit. Innocent. Papæ III.

His testimoniis quid responderi possit, aut quid obiici, præter vnum Chronologiæ Auctorem, me prorsus latet: quem tamen aut veritatis suspectum, vt in aliis, contemnas facile, aut Abbatem insedendo antelationem per Capitulum factam attendisse magis, quàm tempus, quippe prælato antiquissimo Cœnobio pluribus aliis, quæ tempore antè nata Cistercio cognoscebantur. Quod Sabigniaco etiam contigisse, & superiùs notauimus, & infrà latiùs ostendemus. Nec dubito cum multis aliis factum, quæ meam hactenus notitiam subterfugère. Sed de his satis. 9.

IESV CHRISTI ANN. 1128. — CISTERCII ANN. 31.

1. Concilium apud Trecas hoc anno habitum, 2. cui Matthæus Albanensis Legatus præfuit. 3. Stephanum, Bernardumque ad Concilium vocat: 4. renitente Bernardo, sed tandem victo. 5. Pia eiusdem pro Patribus Concilij solicitudo. 6. Quot hi, & quales? 7. Discussa causa Parisiensis Præsulis, 8. itemque aliæ graues, 9. quarum decisio in Bernardum refundebatur. 10. Epistola ipsius ad Virdunensem. 11. Atque ab Henrico Senonensi pax Molismensibus ab eodem Sancto obtenta.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus vigesimus octauus, Cistercij trigesimus primus, quo Matthæus Cardinalis Albanensis ab Honorio Legatus in Gallias mittitur, Concilium apud Trecas, quòd plures Ecclesiæ necessitates, vt Baronius [a] notauit, exigebant, celebraturus. Nec dubium celebratum hoc ipso anno, quidquid idem Baronius anteponat, Ioanne Michaëlensi, eiusdem Concilij scriba, seu notario, annum, & diem signante sub his verbis. [b] *Nos ergo cum omni gratulatione, & fraterna pietate, precibusque Magistri Hugonis, in quo prædicta militia,* (scilicet

[a] anno 1127.

[b] in Prolog. ad reg. Templar.

(scilicet Templariorum) sumpsit Exordium; cum Spiritu sancto intimante, ex diuersis Vltramontana Prouinciæ mansionibus, in solemnitate sancti Hilary, anno M. CXXVIII. ab incarnato Dei filio, ab inchoatione prædicta militia nono, ad Trecas, Deo Duce, in vnum conuenientes, &c. Quæ idem auctor ibi prosequitur plura, quibus nullatenus liceat refragari. Concilium ergo Trecis celebratum tertia die mensis Ianuarij, felix intrantis anni principium fuit.

2. Porrò Matthæus ex Remensi olim Canonico Monachus Cluniacensis, inde schismate Cluniacum diuidente, à Petro venerabili, contra pseudo-Abbatem Pontium Romam missus, ad Cardinalitiæ dignitatis, simul & Episcopatus Albanensis, non fauore, aut ambitu, sed merito virtutum, culmen conscenderat, religione, & prudentia venerabilis, atque ob vtramque charus bonis omnibus, Petro præcipuè Mauricio, Bernardoque, vtroque sibi in vita familiari; sed altero in morte etiam scriptore, qui vitam viri, & acta memoriæ proderet. Extant in libro miraculorum venerabilis Petri, neque immeritò adscripta inter miracula.

3. Is, quo negotiis in Concilio pertractandis maius adhuc auctoritas pondus adiiceret, vltra Remensem, Senonensemque Archiepiscopos, & eorum suffraganeos. [c] *duos præcipuos magni nominis Abbates* (inquit Guillelmus Tirius) *Stephanum nimirum Cisterciensem, & Bernardum Claravallensem voluit interesse.* Vtrumque ergo iussit accersiri; nec (quod sciamus) difficilis Stephani Patris consensus fuit. Verùm Bernardus, qui semel proposuerat Monasterio non egredi, vt ad Petrum Leonis, Cardinalem item Legatum, ante duos annos dederat in litteris, ægrè sanè, nec sine magna difficultate auulsus est, nihil non causans, nihil non excusans: & neque infirmæ, qua detinebatur, valetudini, nec propriæ insufficientiæ parcens, neque proposito. Audi eumdem scribentem in hæc verba.

c lib. 12. de bello sacr. c. 7.

4. [d] *Ad Matthæum Legatum.* ... *Fuit quidem parere paratum cor meum, sed non æquè & corpus meum. Sanientis siquidem acuta febris exusta ardoribus, & exhausta sudoribus, non valuit sufficere spiritui prompto caro infirma. Volui ergo, sed præuolanti voluntati obstitit ea, quam dixi, occasio. quæ an iusta sit, ipsi iudicent amici nostri: qui me omni exclusa excusatione, obedientiæ retibus circumclusum, quotidie de Claustro ad ciuitates pertrahere moliuntur. Simulque attendant istam me occasionem non fallaciter adinuenisse, sed grauiter pertulisse, vt vel nunc experiantur, quia non est consilium contra consilium Dei. Quibus si ego respondissem,* [e] *Exui tunicam meam: quomodo induam illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Profectò indignarentur. Nunc autem diuino aut succenseant, aut acquiescant iudicio, quo factum est, vt etsi velim, non valeam proficisci. Sed grandis (inquiunt) fuit causa, grauisque necessitas. Quærendus ergo fuerat, qui grandibus definiendis fuisset idoneus. Si me talem putant, ego me talem non esse nequaquam puto, sed scio. Denique siue grandia sint, siue parua, ad quæ me ita perurgent, ego causam non habeo. Quæro siquidem, facilia sint, an difficilia, quæ ad perturbandum amicum silentium tantopere imponere curatis amico? Si facilia, absque me fieri possunt. Si difficilia, per me non possunt effici. Nisi fortè tanti æstimor, cui grandia, & impossibilia reseruentur: tanquam ea ego possim, quæ nemo alius facere potest. Quod si ita est, Domine Deus meus, quomodo tamen de me solo frustratum est iudicium; ponens sub modio lucernam, quæ poterat lucere super candelabrum: &, vt apertiùs loquar, tentans me facere Monachum, & volens abscondere in tabernaculo tuo in die malorum, hominem necessarium mundo, sine quo Episcopi non possunt sua pertractare negotia? Sed & hoc mei necessarij præstiterunt, vt nunc quoque videar loqui turbatus homini, cuius numquam nisi serenus, & cum omni iucunditate soleo recordari. Vos tamen, vobis dico Pater, noueritis, quia paratus* [f] *sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata vestra. Vestra autem indulgentia, erit parcere mihi, vbi parcendum decreueritis.* Sic ad Matthæum Albanensem Bernardus Pater. Sed vicit tandem auctoritas Legati, vicit instantia; fortè & Bernardum minus renitentem, ex Stephani consortio, Trecas traxit; comitantibus vtrumque duobus filiis, Stephanum, Hugone Pontigniacensi, iam tunc singulari columna Ecclesiæ Gallicæ; & Bernardum, Abbate Trium-fontium, nempe Guidone, quem Rogerio ad Superos translato, proximo anno suffectum commemorauimus.

d epist. 21.

e Cant. 5.

f Psalm. 118.

5. Interea Sanctus Ecclesiæ, & concilio magis, quàm sibi prouidens, & sperans adhuc sine ipso celebrandum; ad Comitem Theobaldum, qui tunc Trecensi ciuitati dominabatur, litteras dedit gratulabundas de nouo vrbis honore: sed & exhortatorias pro suo more, ad exhibendam reuerentiam Concilij Patribus. *In fine* (ait: nam de aliis antè scripserat) *volumus vos sanctos Episcopos, qui pro his, quæ ad Deum pertinent, in vestra ciuitate conuenerint, omni habere acceptione dignos. Sed & ipsi Legato, qui vos, vestramque ciuitatem tanti celebratione Concilij voluit honorare: per omnia, quantum in vobis est deuotus, & obediens assistatis, roborare, & confirmare quæque bona ab eo iussa, & instituta curetis. Nostrum quoque, ac vestrum pariter Episcopum, id est, Lingonensem, abundantiori, vt decet, honore suscipiatis: & de Casamento, quod tenetis, homagium, quod debetis, reuerenter ei, & humiliter offeratis. Valete.* Hactenus sanctus Pater ad Theobaldum. Vt sibi latebras, sic Ecclesiæ honorem adpetens; & reuerentiam Prælatis exhibendam, quorum se dignum consortio non iudicabat.

6. Præfixa die Trecis conuenere Archiepiscopi, & eorum suffraganei; multi etiam Abbates, & Magistri, quos omnes à Michaëlense Ioanne descriptos, ad pleniorem lectoris instructionem, & commendandam Bernardi auctoritatem, inter sydera Ecclesiæ micantis ad instar Solis, non pigebit ad litteram transcribere.

[g] *Nomina Patrum residentium in Concilio Trecensi. Primus quidem recedit Matthæus, Albanensis Episcopus, Dei gratia S. R. E. Legatus: deinde Rainaldus, Archiepiscopus Remensis: tertius Henricus Archiepiscopus Senonensis. Dehinc Coepiscopi eorum, Ranchedus Carnotensis Episcopus, Gossenus Suessionum Episcopus, Episcopus Parisiensis, Episcopus Trecensis, Præsul Aurelianensis, Episcopus Antissiodorensis, Episcopus Meldensis, Episcopus Catalaunensis, Episcopus Laudunensis, Episcopus Beluacensis, Abbas Vezelacensis, qui non multo pòst factus est Lugdunens Archiepiscopus, ac S. R. E. Legatus. Abbas Cisterciensis, Abbas Pontigniacensis, Abbas Triumfontium, Abbas sancti Dionysij de Remis, Abbas sancti Stephani de Diuione, Abbas Molismensis. Suprà nominatus Abbas, Bernardus Claraualensis non defuit, cuius sententiam præscripti libera voce collaudabant. Fuerunt autem & Magister*

g in Chronic. Cist. Mirau ad an. 1128.

Albericus Remensis, & Magister Fulgerius, ac complures alij, quos longum esset enumerare. Ita scriba Concilij, de eius Patribus, cui etiam Campanum, & Niuernensem Comites, aliosque Principes testatur astitisse.

7. Ergo tot Patrum Concilio congregato, multa prudenter, sanctéque decreta, multa composita; ex quibus pleraque periere iniuriâ temporum. Crediderim in eo decisam causam Parisiensis Episcopi; atque Honorium, Hugonis, & Bernardi, & Episcoporum Prouinciæ litteris motum, quamuis & ipsa dicendi libertate, exasperatum non nihil, vt pòst videbimus; id præcipuè intendendum commendasse, vt præcipiti Ludouici Regis potentiæ Apostolicæ auctoritatis frenum opponerent, & Prælatorum Ecclesiæ immunitatem, quanta vi possent, altiùs radicarent. Illud compertum, Præsulem eumdem, qui tot hactenus molestias sustinuerat, exinde in pace, & quiete constitutum, ac restitutum, euasisse indemnem; & nullis vlterà iniuriis subiacuisse, de quo Bernardus denuo ad Honorium scribens, congratulatur. [h] *Hinc enim (ait) grauibus contumeliis, & iniuriis Episcopi Parisiensis innocentia pulsata est (scilicet a Rege) sed non quassata, quia Dominus supposuit manum suam, cum vestram opposuit.*

h epist. 49.

8. In eodem item Concilio discussas credo Henrici Virdunensis Episcopi, & Fulberti Cameracensis Abbatis causas: illius, quòd bona Ecclesiæ sibi commissæ per luxum, prodigentiamque dilapidasset: huius, quòd Monasterium suum euerteret, nec temporalibus parcens, nec spiritualibus. Et Fulbertus amotus à præfectura, Paruino suffecto, viro probo, & qui ab omnibus prudens, & Monasterio aptior iudicabatur. Henrici causa remissa ad Archiepiscopum, pleniori probatione discernenda. Actum deinde ad instantiam Ludouici (quem siue verus religionis zelus, seu restaurandæ opinionis amissæ, hactenus per iniurias Ecclesiæ, solicitabat) de Cœnobio sancti Ioannis apud Laudunum, muliebri Monacharum luxu dudum fœdato, adeoque, aut reformando, si resipiscerent, vel penitus euellendo, si detrectarent. Sed placuit Monachos substitui pro Monialibus, quas semel per illecebras solutas, & iam infames, vix spes dabatur fore coercendas. Meminit huius mutationis ad hunc annum Robertus Sigeberti continuator: vt non immeritò liceat coniectari, à Concilio decretam, præceptamque; mox per Episcopum mandatam exequutioni. *Lauduni (ait) in Ecclesia sancti Ioannis, consilio Regis, & Principum, Monialibus, quæ malè infames erant, eiectis, & Monachis in earum locum substitutis, Drogo religione, & facundia venerabilis a Bartholomæo Episcopo primus Abbas ordinatur. Qui postmodum a Papa Innocentio Romæ Hostiensis Episcopus Cardinalis creatus est.* Ita Robertus de ea transmutatione.

9. Hæc, & similia in Concilio Trecensi acta, firmataque, licèt cunctorum suffragiis decernerentur; soli tamen Bernardo imputabantur, quippe tanta iam viri erat auctoritas, vt omnium Patrum vota, & voluntates, in eius vnius zelum compromisisse, nec quidquã se acturos, nisi per ipsum, firmiter statuisse iudicarentur. Et multum illi à Patribus delatum, duo mihi argumenta persuadent. Alterum sumptum à Templariorum regula, cui præscribendæ solus delectus est, atque inter omnes electus, vt capite sequenti latiùs dicam. Alterum ex verbis Notarij, Ioannis Michaëlensis, quæ suprà retuli: quippe cùm Patres Concilij recenseret, vltimum omnium Bernardum reseruauit, etiam post Trium-fontium Abbatem, ipsius filium; cumque cæteros tantùm nominasset, recensito Bernardo, addendum censuit. [i] *Cuius sententiam omnes libera voce collaudabant.* Quasi diceret, omnes sequebantur. Extat epistola eiusdem sancti Patris, ad Henricum scripta, cuius causa remissa ad Archiepiscopum, ex qua duo videntur posse colligi. Alterum est conquestum de Bernardo, quasi illi in Concilio detraxisset, eoque absolutionem retardasset obiecti criminis. Alterum reuera Sanctum in causa fuisse, vt res in plenius examen remitteretur. Atque ecce epistolam, hoc quidem anno scriptam, vt ex commendatione Caladiæ, quam sub finem adiungit, planè deducitur. Sed paulo pòst Concilium celebratum, ante causam decisam ab Archiepiscopo.

i apud Mireum.

10. [k] *Ad Henricum Virdunensem Episcopum. Super his, quæ à nobis vestra excellentia placuit sciscitari, aut nos fallimur, aut ille, qui ex vobis retulit, fallit. Si quid tamen fuit, suspectam quidem meam habeo, quam noui labilem memoriam, nec tamen in fratre, qui hoc loquitur, suspicor falsitatem, hoc me certissimè scire confido, & vos indubitanter credere volo, nemini me super nomine vestro reprehensionis aliquando, vel accusationis verba fecisse, vel iniunxisse. Absit hoc à nostra pusillitate temeritas, vt contra Episcopos, & absentes loqui, quæ ad nos non attinent, audeamus; præsertim quæ non probauimus. Deinde quòd nostri notitiam dignanter expetitis, grataner accipimus, abundantiùs nos, & innotescere vobis, & vos noscere cupientes. Qua iam sanè fiducia præstantia vestra supplicamus, imò vestram fidenter monemus beneuolentiam, de illo loco, quem sub tutela vestra, vestro, vt aiunt, hortatu frater reuerendus, & Coabbas noster dominus Guido de Tribus fontibus construere suscepit: illo nobis quantum nos curatis, ostendite, & quidquid ei feceritis, nobis factum reputate. Vale.* Hæc Bernardus ad Henricum Virdunensem in Concilio accusatum de prodigentia, & vix credentem potuisse non absolui, nisi per ipsum. At quàm omnia, quæ in Concilio gesta sunt, in vnum Patrem Bernardum, velut auctorem vnicum reciderent, sequenti anno, quo ipse se purgabit, pleniùs à nobis erit differendum.

k epist. 63.

11. In hoc eodem Concilio effectum video, vt plurimas, quæ pro Senonina Ecclesia, aduersùs Molismensem, & eius Monachos, Henricus Senonensis Archipræsul querelas susceperat, omnino deponeret, Bernardo intercedente (cui Molismus, ex quo Cistercium prodiit, in intimo adfectu cordis semper fuit) & iura, de quibus inter vtramque litigabatur, Molismensibus liberalis condonaret. Habemus id ex epistola eiusdem sancti ad Præsulem eumdem, quædam alia in eadem Ecclesia vendicantem, quæ non minus fidenter remitti postulat. Exemplar ipsum epistolæ sic habet.

[l] *Ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Videtis certè, quantum præsumam de vestra beneuolentia, vt nec crebra impetratio preces finiat, & toties exauditus, rursum accedere precator importunus non verear. Magna quidem præsumptio, sed non meretur indignationem, quoniam de charitate, non de temeritate descendit. Meminit (ni fallor) vestra paternitas, quod dudum Trecis querelas vniuersas, quas pro Ecclesia Senonensi aduersum Molismenses Monachos antè habueratis, pro amore Dei, & nostro penitus omisistis. Et ecce Monachi conqueruntur, quod nescio quas nouas, & (vt ipsi aiunt) indebitas*

l epist. 44.

tus

tas vobis consuetudines in prædicta Ecclesia vendicetis. Obsecro ergo & ipsas dimitti, confidens me ne hac quidem vice passurum repulsam, vt qui iam de maioribus merui non repelli, in obtinendis minoribus non confundar. Vale. Ita Bernardus Cistercio cuncto gratus, neque minus apud homines gratiosus, gratiam pro gratia Molismo rependebat. Sed de his satis. Iam maius quid in eo Concilio factum, Ordini Templariorum præscripta regula, ac Bernardo commissa, prosequamur.

---

1. Templarij ante nouennium mundo exorti. 2. Regulam à Concilio Trecensi petunt, 3. quam Bernardo à Patribus commissam, & ab eo præscriptam. 4. Ioannes Michaëlensis Notarius memoriæ prodidit. 5. Transumptum regulæ per plures iam vulgatum. 6. Emendatus Senerinus Vinius semel, & iterum. 7. Eadem regula non solùm pro Templariis, sed Theutonicis etiam communis fuit. 8. Templariorum sub ipsa progressus.

CAPVT II.

1. TEmplariorum initia tunc recentia, aut magis informia; sed magnis incrementis in breui tempore, eoque forsan repentè ruituris, occulto Dei iudicio, destinata; quia ex data illis à Bernardo Patre regula, Cisterciem illostrat, descripturi; placuit Gullelmi Tyrij verba adsumere, rerum Orientis auctoris fidelissimi, in sua de bello sacro historia, ita scribentis. [a lib. 12. c. 7.] [a] *Eodem anno* (nempe millesimo centesimo vigesimo octauo) *quidam nobiles viri de equestri Ordine Deo deuoti, religiosi, & timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ, Christi seruitio se mancipantes, more Canonicorum Regularium, in castitate, & obedientia, & sine proprio velle perpetuò viuere professi sunt. Inter quos primi, & præcipui fuere viri venerabiles Hugo de Paganis, & Gaufredus de sancto Ademaro. Quibus quoniam neque Ecclesia erat, nec certum habebant domicilium, Rex in Palatio suo, quod secus templum Domini ad Australem habet portam, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici templi domini, plateam, quam circa prædictum habent Palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus, concesserunt. Dominus autem Rex cum suis Proceribus, dominus quoque Patriarcha cum Prælatis Ecclesiarum, de propriis Dominicalibus certa eis pro victu, & amictu beneficia, quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt. Prima autem eorum professio, quodque eis à domino Patriarcha, & reliquis Episcopis, in remissionem peccatorum suorum iniunctum est, vt vias, & itinera, maximè ad salutem peregrinorum, contra latronum, & incursantium insidias, pro viribus conseruarent.* Hæc de initio Templariorum, Guillelmus Tyrius. Quos tamen intra nouem annorum spatium non excessisse nouennarium numerum, idem auctor testatur, infrà citandus; vt ante acceptam regulam steriles, sic ab ipsa fœcundi, atque breui extendendi per totum orbem.

2. Ergo hoc anno millesimo centesimo vigesimo octauo, cùm nouem iam in sæculari habitu, neq regula præfixa permansissent, ipsi ad Stephanum Hierosolymitanum, Stephanus ad Honorium Ecclesiæ Præsulem, demum Honorius ad Trecense Concilium rem detulere, Bernardo Patri à sæculis seruatam, atque in eodem Concilio peragendam. Itaque sex, è nouem Templi fratribus ad Concilium Trecense conuenere. [e apud Senior. Vinium in Conc. Trec.] [e] *Ipse enim* (ait Ioannes Michaelensis) *Magister militiæ, Hugo nomine, reuera non defuit, & quosdam de fratribus suis secum habuit. Verbi gratia, Fratrem Godefridum, fratrem Rocallum, fratrem Gaufridum Disol. Fratrem Paganum de Monte Desiderij, Archembaldum de sancto Amaro.* Hi Hierosolymitani Patriarchæ, atque Honorij secundi ostensis litteris, quid sibi hactenus vtcumque seruatum fuisset, quid deinceps in votis proposuere. Contemplationi, & quieti destinatis scatere Cœnobiis Christianum orbem. Inde doctrinæ, & sanctitatis fulgura, in obsequium Ecclesiæ quotidie non tam erui, quàm erumpere. Quin & frequenti diuersarum religionum scaturigine, contra spiritales nequitias in cœlestibus satis, superque prouisum iam videri. At cùm duplicem hostem patiatur, duplici fore militia defendendam. Spirituali, spiritualem priùs oppositam, dignitatis, imò & necessitatis seruato ordine. Iam tunc & contra hostes corporales Christiani nominis, Christianam non minus militiam designandam: maximè autem in partibus Orientis, in quibus loca sacra, adeunda nostris, velut obsessa a Paganis circundabantur. In his probatos se biennio integro, si regulam obtineant, cui adhæreant, hauddubie profuturos, Deo auspice. Romanam Sedem, quam caput agnoscebant, experiantur Magistram, & leges instituto suo accommodas, ab ea præfixas habeant, quas sequantur. Hoc se ab Honorio supplices petiisse: hoc ab Honorio remissos ad Concilium, qua poterant instantia, postulare. Nec dubium fore, vt ex pusillo grege, si regulam à Concilio præscriptam habeant, in numerosum agmen euasuros, quo res Christianæ non parum promouerentur.

3. Hæc, & similia ad Concilij Trecensis Patres Magister Hugo. At ipsi, re perpensa, collatáque, & nouæ vitæ proposito laudato, vt instituto, ex legibus auctoritas, legibus ex auctore suffragaretur, negotium ad Bernardùm detulere, felici omine. Nempe, vt qui postea tot milites ducturus, de quibus infrà, iam tunc illius nascentis legislator, & subsequentium, in illa cognosceretur. De primo Tyrium loquentem audiamus. [f lib. 12. c. 7. in inst. Oriental.] [f] *Nouem autem annis post eorum* (scilicet Templariorum) *institutionem, in habitu fuerunt sæculari iidem milites Templi, talibus vtentes vestimentis, qualia pro remedio animarum suarum populus largiebatur. Tandem anno nono Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt dominus Remensis, & dominus Senonensis Archiepiscopi, cum suffraganeis suis, Albanensis quoque Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Abbates quoque Cistercienisis, & Claraevallensis, cum aliis pluribus, instituta est regula, & habitus assignatus, albus videlicet, de mandato Honorij Papæ, & domini Stephani Hierosolymitani Patriarchæ.* Hæc VVillelmus de regula petita, obtentáque.

4. Verùm quod ad illius auctorem attinet, cui à Concilio negotium creditum fuit, habemus firmius, & antiquius testimonium Ioannis Michaëlensis, eiusdem Concilij Notarij, qui de gestis illius loquens, hæc habet verba. [g in Prolog.] [g] *Sanè autem prorsus, licèt nostri dictaminis auctoritatem permaximus numerus Religiosorum Patrum, qui in illo Concilio diuina admonitione conuenerunt,*

commendat: non debemus silenter transire, quibus videntibus, & veras sententias proferentibus, ego Ioannes Michaelensis præsentis pagina, iussu Concilij, ac venerabilis Abbatis Claravallensis, cui creditum, & debitum hoc erat, humilis scriba esse diuina gratia merui. Pergit Ioannes recensere Concilij Patres, quos nos superiùs. Exinde verò regulam transcribit, prout à sancto Doctore dictata fuerat.

5. Cæterùm eam duobus & septuaginta distinctam titulis, seu capitulis mauis, simul cum relationibus, attestationibusve Ioannis Michaëlensis, hic inserere superfluum iudicaui, cùm ex Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, & perantiquo auctographo desumptum, Aubertus Miræus Bruxellensis euulgauerit in Chronico Cisterciensi. Ex quo, ni fallor, non ex ipso auctographo, Seuerinus Vinnius inseruit tomo quarto suorum Conciliorum ad annum Christi M. CXXVII. Quod satis mirum, reclamante ipso Notario, quem producit in testem: & hunc annum expressè designante, nempe M. CXXVIII. vt suprà vidimus. Sed Seuerino Cardinalis Baronius, Baronio errandi Tyrius occasio fuit, dum anno millesimo centesimo decimo octauo, quo Ordo cœpit, superadditis nouem, quos ipse numerat, centesimus vigesimos septimus, non amplius, consurgere videtur supra millesimum, atque is terminus præfixus acceptæ regulæ. Cæterùm tempore Concilij nobis noto, ex actis eiusdem facilè erit Guillelmum intelligere, maximè concordantem Michaëlensi, cùm vterque nouennium superaddat: hoc est impletum, sed ad decennium nondum peruenientem, quod satis clarum, quippe festiuitate sancti Hilarij incidente in principium sequentis anni.

6. Crediderim in Seuerino Vinnio, amanuensium incuria, hunc temporis errorem irrepsisse; sicut etiam eorumdem ignauia, ne dicam ignorantia, effectum est, vt regulæ non ex Victoriano auctographo, vt præfertur, sed ex Auberti Miræi Chronico transcriptæ, addita sint eiusdem Miræi verba, ac velut textus regulæ, reposita. *Et sic definit regula Templariorum olim militum, de quibus consule origines nostras equestres, latinè, & Gallicè editas.* Quæ verba, vt extra textum regulæ esse constet; at ab Auberto Miræo, ex ratione dicta, contra rationem, veritatemque Vinnius transcribit; sed de his satis.

Hoc initium militiæ sacri Templi, quam etsi nostris nullatenus adnumero: at maius aliquid, Cistercioque gloriosius in ea video, quippe suis & iura, & leges dare, cõmune multis, externis etiam regulam præscribere, quo singularius, sublimiùs iudicaueris. Porrò hanc eamdem Bernardi Patris regulam, ex iniuncto Concilij Templariis datam, non multo pòst à Theutonicis receptam, Cardinalis Vitriacus adfirmat. [h] *Professionem* (inquit) *& regulam, & constitutiones fratrum militiæ Templi, tam in bello, quàm in pace prorsus obseruant. Et ita regulam, & instituta fratrum militiæ Templi susceperunt, quod opera pietatis, & Deo amabilem hospitalitatem non derelinquant.* Hactenus Vitriacus. Sed hæc à nobis latiùs suo tempore. Interim adnoto Bernardi fœcundas leges: nec eos solùm merientes, pro quibus latæ, sed in eisdem alios subegisse. 7.

h in histor. Orient. c. 66.

Porrò Templarij quàm piè, quàm strenuè professionem, & regulam seruauerint, ferè vno verbo expressit Paulus Æmilius in Ludouico iuniori, vbi hæc habet. *Nihil his aduersùs incursus Barbarorum ferocius, nihil magis inuictum. Aut victoriam, exuuiasque hostium reportabant, aut in vestigio non inulti cadebant. Positis armis, nihil illis humanius, nihil moribus suauius.* Ita Æmilius de viris. At de incrementis, post regulam acceptam, totius Ordinis, adeò historiæ redundant, vt ne perstringi à nobis summatim valeant, vel sola cunctos annos expleura. Nobis sufficiant VVillermi Tyrij verba, quæ in regulam videntur cuncta referre. *Cùm enim* (ait) *iam annis nouem in eo fuissent proposito, non nisi nouem erant. Extunc autem (id est, ab acceptis Bernardi legibus) cœpit eorum numerus augeri, & possessiones multiplicabantur,* &c. 8.

1. Magistri Templi ad Bernardum repetita petitio. 2. Sancti opusculum dicatum Templi militibus; 3. sed futuras nihilominus militias Bernardo parans. 4. Professio Magistri Templi per Lusitaniam. 5. Mons Regalis, interuentu Bernardi Templariis traditus; 6. & paterna Sancti pro ipsis solicitudo.

CAPVT III.

1. SOluto Concilio, & accepta ab ipso regula, quam Bernardus dictauerat, fortè & ea confirmata per Honorium, neque enim id historiæ prodidere: Hugo cum fratribus reuersi Hierosolymam, id vnum semper præ oculis habuerunt, vt præceptori suo grati, & deuoti, eius non solùm legibus parerent, sed & consiliis non minus obtemperarent, atque doctrina, exhortationibusque promouerentur. Hinc Hugonis Magistri cum Bernardo quantum distantia locorum patiebatur, arcta familiaritas, crebræ epistolæ, & vt ad eos aliquid dictaret, quo in Dei obsequium, & propriæ professionis ministerium accenderentur, repetita petitio, & semel atque iterum frustrata, tertiò tandem mellitum æquè, & igneum opus extorsit, sub titulo sermonis exhortatorij ad milites Templi, quem sanctus Pater exorsus in hæc verba. *Semel, & secundò, & tertiò* (ni fallor) *petiisti à me Hugo charissime, vt tibi, tuisque commilitonibus scriberem exhortationis sermonem, & aduersùs hostilem tyrannidem, quia lanceam non liceret, stilum vibrarem: asserens vobis non parum fore adiutorij, si quos armis non possum, litteris animarem. Distuli sanè aliquandiu, non quòd contemnenda videretur petitio, sed ne leuis, precepsque culparetur offensio, si quod melius melior implere sufficeret, præsumerem imperitus, & res admodum necessaria, per me minus fortè commoda, redderetur. Veriùm videns me longa satis huiuscemodi expectatione frustratum, ne iam magis nolle, quàm non posse viderer, tandem ego quidem quod potui, feci: Lector iudicet, an satisfeci. Quanquam etsi cui fortè minus placeat, aut non sufficiat, non tamen interest mea, qui tuæ pro me sapere non defui voluntati.* Ita Bernardus ad suos milites Templi.

Sed an etiam in eis Calatrauenses, Alcantarensesque, & cæteros, quos paratos sibi à Deo fortè prænosceret, simul alloqueretur, quis iudicabit? Certè quæ tradit, eius normæ sunt, vt omnibus debeantur, aut illis omnes. Nec immeritò liceat coniectari, tot militares Ordines, post ipsum licèt ad cœlos iam translatum, adhæsisse Bernardo, præ aliis Sanctis, viam sternenti religiosis militiis In 2.

hoc

hoc opusculo, quod nullus alius ante ipsum, nullus post ipsum æquè præstitisset. Audi illum prorumpentem in hæc verba. a Cap. 1. [a] *Nouum militiæ genus ortum nuper auditur in terris . . . Nouum, inquam, militiæ genus, & sæculis inexpertum, quæ gemino pariter conflictu infatigabiliter decertatur, tum aduersus carnem,& sanguinem,tum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et quidem vbi solis viribus corporis, corporeo fortiter hosti resistitur,id quidem ego non tam iudico mirum, quàm nec rarum existimo. Sed & quando animi virtute vitiis, siue Dæmonibus bellum indicitur, ne hoc quidem mirabile, etsi laudabile dixerim, cùm plenus Monachis cernatur mundus. Cæterùm cùm vterque homo, suo quisque gladio potenter accingitur, suo singulo nobiliter insignitur: quis hoc non æstimet omni admiratione dignum, quod adeò liquet esse insolitum? Impauidus profectò miles,& omni ex parte securus,qui vt corpus ferro,sic animum fidei lorica induitur: vtrisque nimirum munitus armis, nec Dæmonem timet, nec hominem. Nec verò mortem formidat, qui mori desiderat. Quid enim* b Philipp. 1. *vel viuens, vel moriens metuat,* [b] *cui viuere Christus est, & mori lucrum? Stat quidem fidenter, libenterque pro Christo: sed magis cupit dissolui, & esse cum Christo, hoc enim melius. Securi ergo procedite, milites, & intrepido animo inimicos crucis Christi propellite, certi, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Illud sanè vobiscum* c ad Rom. 8. *in omni periculo replicantes, quia siue* [c] *viuimus, siue morimur, Domini sumus. Quàm gloriosi reuertuntur victores de prælio! quàm beati moriuntur Martyres in prælio! Gaude fortis Athleta si viuis, & vincis in Domino, sed magis exulta, & gloriare, si moreris, & iungeris Domino. Vita quidem fructuosa,& victoria gloriosa, sed vtrique mors sacra iure præponitur. Nam etsi beati qui in Domino moriuntur, num multo magis, qui pro Domino moriuntur?*

3. Ita Bernardus de militiis religiosis: de quibus d Cap. 3. etiam inferiùs non minus lepidè. [d] *At verò Christi milites securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Christo, inde Christus acquiritur, qui nimirum & libenter accipit hostis mortem pro vltione, & libentiùs præbet seipsum militi pro consolatione. Miles, inquam, Christi securus interimit,interit securior, sibi præstat,cùm interit, Christo, cùm interimit . . . Sanè cùm occidit malefactorem, non homicida, sed, vt ita dixerim, malicida, & Christi vindex, & Christianorum defensor reputatur: cùm autem occiditur ipse, non periisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo,quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit, suum. In morte Pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur: in morte Christiani Regis liberalitas aperitur, cùm miles remunerandus educitur.* Hæc, & alia Bernardus in eo opere, quæ vt Templariis conuenire certum est, sic & aliis militiis adæquari, quo tempore in suæ professionis obseruantia conseruabantur. Sed de his aliàs. Nunc de solis Templariis pertractandum.

4. Legitur hodieqoe, si Britò credimus, in Lusitania à Magistris Prouincialibus professio olim fieri consueta, quam, vt non credam in vsu per totum Ordinem, at alicubi fuisse, indicio est, quantum Templarij detulerint Bernardo, quem parentem cognoscerent, quantum Cisterciensi familiæ propter ipsum, quam suæ adeò fraternitatis vinculo coniunctam, sentire, & confiteri, non dubitabant. Atque ecce exemplar iuratæ professionis fideliter transcriptum totidem verbis.

[e] *Forma iuramenti, quod debet facere Magister Templi.* e Brit. l. 8. c. 27.

Ego N. miles de Ordine Templi, & nouiter electus in Magistrum Equitum, qui sunt in Portugalia, promitto Domino meo Iesu Christo, & Vicario eius Romano Pontifici, & eius successoribus legitimè intrantibus perpetuam obedientiam, & fidem seruandam in perpetuum. Iuroque me verbis, armis, viribus, & vita defensurum mysteria fidei, Sacramenta septem, quatuordecim fidei articulos, symbolum fidei tam Apostolorum, quàm sancti Athanasij, libros tam veteris, quàm noui Testamenti, cum expositionibus sanctorum Patrum, ab Ecclesia receptis: vnitatem Deitatis, & pluralitatem personarum in diuina Trinitate, perpetuam virginitatem ante partum, & post partum Virginis Mariæ filiæ Ioachim, & Annæ, ex tribu Iuda, & ex stirpe Regis Dauid. Deinde promitto submissionem meam generali Magistro Ordinis, & obedientiam secundum statuta beati Patris nostri Bernardi. Ad bella vltramarina proficiscar, quoties opus fuerit. Contra Reges, & Principes infideles præstabo omne subsidium, absque armis, & equo nunquam ero. A tribus inimicorum (si fuerint infideles) licèt solus sim, non fugiam. Dona Ordinis non vendam, nec alienabo, nec consentiam alienari, nec vendi ab aliquo. Castitatem perpetuam seruabo. Regibus Portugaliæ fidelis ero. Ciuitates, & munitiones Ordinis non tradam suis inimicis. Religiosis personis, verbis, armis, & bonis operibus auxilium non denegabo, præcipuè Monachis Cisterciensibus, & eorum Abbatibus, tanquam fratribus, & sociis nostris. In cuius testimonium sponte mea iuro, me ista omnia seruaturum. sic Deus me adiuuet, & ista sancta Euangelia. Hactenus Iuramentum. Cuius tenorem ex Alcobaciensi MS. perantiquo fideliter transcriptum, Brito adducit. Cæterùm, quod ad fraternitatis iura attinet, inter vtramque familiam conseruatæ, habemus firmius adhuc testimonium, [f] Bernardi f epist. 261. epistolam, ad Eugenium Pontificem scriptam, quam lector meus poterit consulere.

Interim vt Templarij in Sanctum pij, reuerentesque, sic Bernardus in ipsos officiosus, & pro eis 5. solicitus, nullis non beneficiis, nullis non meritis, tenellum adhuc Ordinem promouisse, manifestis indiciis inuenitur. Certè in Hispania Templarios vix dum natos, Auem & oppidum (Monti Regali loco nomen) ad Silocæ amnis fontes, ab Alfonso Aragonio Principe, interuentu Bernardi cum redditibus annuis suscepisse, Ioannes Mariana, recèns, sed diligens, eoque non contemnendus scriptor Hispaniæ rerum, memoriæ prodidit. [g] g lib. 10. cap. 10. *Itaque* (ait) *Bernardi hortatu, præcipui Cisterciensium* (Monasteriorum) *conditoris, noua vrbs Templariis militibus, extructo in ea Cœnobio, abs Rege tradita. Alij præterea redditus attributi, quintaque spoliorum, quæ in bello Maurico capta essent, vnde sacræ militiæ sumptus tolerarent, finesque Aragonij regni ea parte tuarentur.* Sic Mariana. Nec dubium quin, quam in Hispania operam, eamdem in Gallia, Flandria, Italiaque, & cæteris Christiani orbis Prouinciis, pro eisdem militibus nauauerit verus Pater, & paterna pro filiis, nec otiosa (quod credere par est) fungens solicitudine.

Extat epistola eiusdem sancti Patris ad Hierosolymitam Patriarcham, tenerè satis ipsos com- 6. mendantis, in hunc tenorem. [h] *Super militibus* (inquit) h epist. 175. *Templi pandite, quæso, oculos vestros, & tantæ pietatis viscera, tam strenuis Ecclesiæ propugnatoribus aperite. Hoc siquidem acceptum erit Deo, & gratum hominibus, si fouetis eos, qui suas animas pro fratribus posuerunt.*

rum. Ita Bernardus pro charis sibi filiis, quorum vbique incrementa solicitabat. At qualiter confirmationem dictatæ regulæ, ex petitione Fulconis ab Innocentio, ac demum ne quid illi non deberet, Crucem rubram mantello superponendam (victoriæ signum) ab Eugenio eisdem impetrauerit, reseruamus suis locis aperiendum, ne nimium tempora, & acta anticipemus. Nunc de Templariis satis, superque dictum, præcipuè ad domestica alia properantibus.

---

1. Ludouici in Senonensem persecutio. 2. Henrici ad Abbates Stephanum, Hugonem, & Bernardum supplex petitio. 3. Eorumdem ad Honorium Papam littera: 4. quibus non exauditis, 5. totius Capituli alia successere, 6. & Bernardi parentis ad Haimericum, earum effectus: 7. & perpensa Sanctorum constantia, patientia Regis.

CAPVT IV.

1. INterea Ludouicus Rex impatiens freni, & Stephanum Parisiensem subtractum doloris, ne materia deesset sæuienti iræ, quærebat alium, in quem debaccharetur. Vt fons natiuus difficile impeditur, si hac occluseris, illac erupturus: sic potentia violentior, quo impeditior, & vires sumens ab ipsa detentione. Itaque Senonensis electus est præfixendus in scopum furenti Principi. Siue, quia is constantior pro Stephano, seu, quia potentior calumniis, ex aliquali anteactæ vitæ dissolutione, siue tandem, vt omnes suffraganeos, quod in ipsis non posset, in vno Metropolita dehonestaret. Inde, quem quondam agentem sæculariter, profanéque, familiarem, ac charum semper habuerat, reformatum per Bernardi Patris monita, ac iam exactè ministerium suum implentem, à propria sede exturbare conabatur, quæsito prætextu admissæ simoniæ, qui famam simul, dignitatemque in viro perimeret. *Accidit itaque* (vt [a] Baronij verbis vtar, non minus in Henrico, quàm in Stephano) *vt quos dyscolos, lubricos, & voluptuosos antea idem Rex dilexisset Episcopos, eosdem ad Deum conuersos, & meliori frugi redditos, ac moribus bene compositos, quasi quid nouitatis inferentes, odio haberet, ac persequeretur.*

a hoc anno

2. Tum verò Henricus inter spem, & metum positus, perinde sibi, ex ira Regis metuens, sed de propria conscientia tunc securus, iudicium non recusabat, sed verebatur: optabatque Honorium habere iudicem, qui non respiceret vultum potentioris. Ergo efficaciam Abbatis Cisterciensis venerabilis Stephani, & Coabbatum Hugonis, & Bernardi in suffraganeo expertus, eosdem ad Honorium interpellauit, & se non minus Cistercio familiarem, assaeclamque, ac maiorem aliàs (etsi indigniorem, quod satis agnoscebat) Ecclesiæ partem, non minori fauore prosequendum. Parisiensis per eos causam promotam, imò obtentam, cùm zelantes pro Ecclesiæ immunitate, calamum velut gladium exeruissent. Idem tunc patrocinium sibi præstandum, non quia merito, sed quia indigenti. Ludouicum, vt palàm cunctis erat, non in personas sæuire, sed in virtutes, religionemque, siue quod ipsi commodiùs aptaretur, in religionis, & virtutum similitudines. Sed si vel has à Prælatis Ecclesiæ ableget, quotus quisque inueniatur, qui bene viuat? Se tunc vtcumque iniustè condemnandum: siue innocentem, qui culpam non admiserit, siue nocentem, qui admissam iam iam purgauerit: nec expedire indemnem, cùm scandalosus, eùm vtcumque exemplaris, pœnæ subdi.

3. Hæc, & similia Henricus ad Abbates, quibus pauciora adhuc suffecissent, quippe quam causam Dei fore cógnoscerent, nequaquam à se alienam arbitrabantur: nec dubitabant, eam accusationem non tam in Henricum esse, quàm in Ecclesiam, quam sui regni destructionem, suæ coronæ inimicam, aut ita percitus, aut superbia cæcus, effrenis tunc Ludouicus proclamabat. Siue ergo ad hoc conuenerint Cistercij, siue Bernardo epistolam commiserint, nomine omnium scripsere ad Honorium in hunc tenorem.

[b] *Summo Pontifici Honorio, serui, & si digni iudicamur, filij, Stephanus Cisterciensis, Hugo Pontigniacensis, Bernardus de Claraualle, quod Reuerendissimo domino, quod benignissimo Patri. Degentes in Monasteriis, ad quæ nostra peccata compulerunt, non cessamus orare pro vobis, & pro commissa vobis Ecclesia Dei: congaudentes & sponsæ Domini super tam fido custode, & sponsi amico, super labore tam fructuoso. Fidenter proinde atque fideliter vestræ paternitati suggerimus, quæ in regno nostro eidem matri nostræ dolentes cernimus aduersari. Quantum quidem, nos sentimus, qui vicini sumus: Rex Ludouicus non tam Episcopos, quàm in ipsis iustitiæ persequitur zelum, pietatis cultum, habitumque religionis. Quod vestra quoque prudentia sanctitatis vel ex eo facile aduertere potest, quod qui antè in habitu, actuque sæculari honorati sunt sublimes, iudicati fideles, habiti familiares: modò inimici facti sunt, dignè suo sacerdotio conuersantes, & per omnia honorificantes ministerium suum. Hinc grauibus contumeliis, & iniuriis Episcopi Parisiensis innocentia pulsata est: sed non quassata, quia Dominus supposuit manum suam, cùm vestram opposuit. Hinc & nunc domini huius Senonensis constantiam concutere, & labefactare conatur: vt Metropolitano (quod absit) eiecto, facilè, prout voluerit, grassetur in suffraganeos. Postremò quis ambigit non aliud eum, quàm oppugnare religionem, quam nimirum apertè sui regni destructionem, suæ coronæ pronunciat inimicam? Et alter Herodes Christum non iam incunabulis habet suspectum, sed in Ecclesiis inuidet exaltatum. Nec aliud sanè credimus eum habere aduersus Archiepiscopum, nisi quòd spiritum in ipso, sicut in cæteris laborat extinguere. Denique si fallere de his, quæ attestamur, fallive putamur, vestra citiùs inueniet examinationis discussio, si tamen (quod & vehementer optamus, & suppliciter oramus) de vultu suo Pater sanctissime, iudicium prodeat, de quo profectò confidimus; quod custodiat innocentiam, & videat æquitatem. Alioquin reduci causam in Regis præsentia, atque potentia, non planè est aliud, quam tradi (heu) hominem in animam inimicorum eius.* Ita Stephanus eum filiis ad Honorium.

b epist. 49.

At summus Pontifex propensior in Ludouicum, siue pro meritis ipsius progenitorum, quæ plurima in Ecclesiam semper extiterant, seu satis putans Regem potentissimum cum Parisiensi causa cecidisse, & mandatis per omnia obtemperasse: seu tandem longa experientia comperto zelo eius, cui Henrici iudicium delegabat, non exaudita Abbatum petitione, causam remisit, fortè per Matthæum, sed in præsentia Regis decernendam. Nec suspectus Henrico Matthæi zelus, sed Ludouici potentia. 4.

potentia, & ira cognitis, ipsius interuentus suspectus fuit. Instabat tempus conuentus Prælatorum apud Cistercium: nec quia pauci, quantumuis digniores, repulsam passi, credebatur, vniuersos posse repelli, maximè in causa Dei, qualem putabant, non destitutos, vel certè repellendos. Itaque, vt olim Parisiensis Stephanus, sic tunc Henricus Cistercium deuotus adiens, vt eos, quos reformatæ vitæ duces, nihilominus haberet propugnatores, totius Capituli ad Deum orationes, litteras ad Honorium implorauit, quæ non iam primam causæ cognitionem coram Rege finiendam deprecarentur: tantum, vt si grauatum se cognosceret, quod prudenter timebat, liceret sibi Honorium interpellare. Hæc petitionis Henrici summa fuit. At sancti viri, & eius reuerentia, & multo magis iustitiæ zelo accensi, ne quam ipsis agentibus induceret, sibi in perniciem, aliis in scandalum, ipsam virtutem nociuam experiretur, has ad Honorium litteras dedere, humilitatis plenas, sed non vacuas consuetæ libertatis.

5. e, ep. 50. [e] *Ad Dominum Papam Honorium pro Henrico Senonensi Archiepiscopo. Oportebat quidem, si ita vestra visum fuisset auctoritati, vt in vestri præsentia causa domini Senonensis discuteretur, ne infensus videlicet Regi, in Regis præsentia, & potentia suis pro se aduersariis responsurus, traditus homo videretur in animam inimicorum eius. Sed quoniam, vt tenendum irrefragabiliter quidquid præcipitis, sic sperandum indubitanter bonum de omni re, quam decernitis: id solum à vestra Pater pietate deposcis omnium, qui apud nos esse videntur Religiosorum humilitas, vt si se ad vultum fortè potentis (vt assolet) senserit prægrauari, confugere sibi liceat ad viscera Patris: quod vtique hactenus oppresso nemini negatum audiuimus. Alloquin videat Ioseph vir iustus, quid etiam sibi nunc faciendum sit de puero, & matre eius, quia etiam nunc in Senonensi Prouincia Christus quæritur ad perdendum. Nam vt quod verum est, manifestius proferamus, Rex in Archiepiscopo ex eo apertè nouam persequi religionem dignoscitur, quod cum in antiqua sæculari conuersatione, & habitu, sicut promoueri omnimodè voluit, sic ab omni penitus securum infestatione dimisit.* Hactenus litteræ Capituli ad Honorium. Sed & Bernardus, eo ardebat Ecclesiæ zelo, ad Haimericum Cancellarium scripsit in hunc tenorem.

6. ep. l. 51. [f] *Viro illustri Haimerico sanctæ Romanæ Sedis Cancellario Bernardus Abbas dictus de Claraualle salutem, & si quid potest peccatoris oratio. Quo vsque durat illa sententia, Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patiuntur? Quo vsque relinquitur virga peccatorum super sortem iustorum? Quis det, vt stare incipiant iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt? Quis iam ferat tantam inter cœlum terramque discordiam, vt exultantibus Angelis super emendatione malorum, filij Adam fremant & tabescant? Quasi non sit passus IESVS pacificans in sanguine suo, quæ in terra sunt, & quæ in cœlo, aut in ipso Deus non fuerit, mundum reconcilians sibi. Laudabatur quondam Archiepiscopus in desideriis animæ suæ, & in sæculari vita & habitu benedicebatur, at nunc sub pannis infantia IESV quæritur simonia, & inter nascentes virtutes, emortuorum vel cadauera, vitiorum scrutatur curiosa malitia. Videtis & nunc stare IESVM in signum, cui contradicitur. Per ipsum vos obsecro, pro ipso supplico vobis. Habet siquidem vnde & illum reuereamini, & vnde illi misereamini. State pro ipso nunc in defensione Archiepiscopi, cui quandòque & vos astare habetis in examinatione vestri.* Hactenus sanctus Pater litteris totius Capituli ad Honorium, speciales ad Haimericum Cardinalem super eadem causa litteras addidit, quæ dubium adhuc nobis, an impetrauerint. Illud certum, Henricum absolutum, siue in præsentia Regis, siue ab Honorio: nec à Sede deiectum, vt Rex optabat, per multos annos in ea permansisse: quod aliæ epistolæ Bernardi Patris ad ipsum longo pòst scriptæ tempore declarant.

Sic regni simultates in sacerdotium, libertate, & constantia Cisterciensium tandem sopitæ, & Episcopis restituta pax, florentem tunc Gallicanam Ecclesiam, Nouis virtutum radiis illustrauit. 7.
Cæterùm mihi hæc omnia discutienti, pensantique hæret animus dubius, quid magis mirer: sanctorum illorum Patrum pro causa Dei zelanda perseuerantiam, nullis prorsus repulsis succumbentem, nullis periculis, & quod, quia rarius, etiam mirabilius, nullis fauoribus (quippe obsistentium Regi sibi charissimo, & cuius passim beneficentiam experiebantur) an Regis in eos patientiam, & charitatem, nullis item dissidiis extenuatam, aut intermissam, nullis omnino cedentem contradictionibus. In causa propria Regibus opponi, paucis innoxium, in aliena cunctis ferè excidio fuit. Ludouicus sustinuit Cistercienses vltrò sibi contrarios, atque vltrò resistentes suis conatibus: neque his imperitus, quas quicumque alius reputaret iniurias, quippe Herodi compositus, viros à se ablegauit, aut abiecit: non signum aliquod, non dicam offensionis, sed neque remissioris charitatis, aut minoris reuerentiæ erga ipsos dedisse legitur. Non adeò raræ veritates in coriis forent, si multi Principes Ludouico similes, multi qui vera dicentes sustinerent, nec minus ideo amarent, inuenirentur.

---

1. Stamedij fundatio, situsque, 2. & sanctus Petrus in Abbatem illi præfectus. 3. Mores hominis, 4. & Monasterij sub ipso mira incrementa. 5. Eleemosynæ à Patribus ad filios, 6. velut hæreditaria. 7. Ratio temporis, & historia fundationis, eiusdem domus. 8. Rapatonis Bambergensis Comitis in Ebrac Monasterio mira conuersio.

Capvt V.

1. HOc etiam anno venerabilis Ioannes Bonæuallis Viennensis Abbas, consimili Amedei Patris industria, qua Mansiade, & Petrosum montem non multo antè, fundauit Stamedium, in diœcesi Tarantasiensi, fortè non solùm vocatus, sed adiutus à sancto illius Sedis Archiepiscopo, quem diximus assumptum ex Firmitate. Fundauit autem in præruptis montium, ad fauces Alpium, loco horroris, sed non vastæ solitudinis, quippe in medio duarum Prouinciarum, vnde nomen accepit, patebat peruius vtrimque transmeantibus. Audi Gaufridum Abbatem Altæcumbæ, de situ loci disserentem in hunc modum. [a] *Dicitur verò Stamedium, quasi stans medium, quòd circa eundem locum, Prouinciæ duæ, & duo conueniunt comitatus... Ad locum arduum, locum aridum, locum arctum, & quod magis incommodum videbatur, iuxta publicam stratam penè iugiter multitudine commeantium*

a in vit. S. Petr. Tarant. cap. 3.

rium frequentatam. Hæc Gaufridus de situ noui Cœnobij. Quem vt electum à viris sanctis, minus crediderim, sic acceptatum nequaquam dubitauerim, edendæ proli, & propagando instituto, quacumque possent.

2. Cæterùm quia, quo incommodior locus erat, eo maior industria requirebatur, difficultatibus cunctis superandis, vnus ex omnibus Petrus electus est, qui se, qui fratres, qui sororem, qui parentes intra decennium ad Ordinem conuerterat, & Monachum adhuc agebat in Bonavalle. Neque enim multum fore arbitrabantur, si qui vel tyro domesticos traxisset, iam factus dux, extraneos cóciliaret, quosdam seipsis, quosdam suis bonis teneram plantationem promoturos. Igitur anno ætatis suæ vigesimo octauo, habitus decimo, in Stamediensem præficitur Abbatem, conformi suffragantium electione. Id idem auctor Gaufridus his verbis tradidit. [b] *Interea tempus adfuit, vt nouus eligeretur Abbas, cum nouo fratrum examine, in nouo Monasterio Stamedij ordinandus ... Voto omnibus, & Abbatis Ioannis arbitrio, Petrus eligitur, vt supra illam petram, illam fundaret Dominus, illam ædificaret Ecclesiam ... Sic certamen fortè fortiori datum,* [c] *vt vinceret, & sciret, quoniam omnium fortior est sapientia.* Ita Gaufridus.

b ibidem.

3. Tum verò Petrus in Stamedio positus, qualem se ad Deum, qualem se ad fratres, qualem denique ad omnes exhibuerit, pergit auctor describere in hæc verba. *Quantis humanitatem iciunus hospes exhibuit? Quantos seminudus, & algens ipse vestiuit? Inter excelsas rupium fauces, sicut cernere est, sibi fuisque Cœnobium, xenodochium aliis construebat. Sed exteriora grauamina parui pendens, secum grauius luctabatur, admirans quòd tale sibi officium Dominus, & tantum nomen permisisset imponi: nullum sese æstimans, nullum profitens, nullum gerens. Obsequiis potius, quam iniuriis mouebatur. Pedes ibat ad longius posita tuguriola fratrum, & ad remotos in Alpibus repitabat agellos. Pane arcto, & aqua breui incondito, & vix salso olere vescebatur.* Hæc de primordiis Stamedij satis exiguis, & de sancti Abbatis illius conuersatione.

4. Cæterùm quantum domus in breui creuerit, eiusdem siue cura, siue meritis, & multorum Principum, sed præcipuè Amedei Maurienæ, & Sabaudiæ Comitis largitate, idem Altæcumbæ Abbas prosequitur, sic scribens. *Dedit tamen Dominus ei* (scilicet Stamediensi Monasterio) *benedictionem, & illustratus est ædificiis, donatus pascuis, agris, vineis locus, licèt remotis, & vnde ad Monasterium non sine multo labore, vel nunc queant cibaria qualiacumque deferri.* Et post pauca de Comite Amedeo. *Prouidebat autem Dominus virum congruum huic viri, & aliis in eadem tunc fructificantibus regione illustrem Principem, & bonorum memoria dignum Marchionem Italiæ, Sabaudiæ, & Maurienæ, Comitem Amedeum. Hic deuotus admodum viro Dei, præter alia beneficia, horreum quoque, cum vineis, quod Montem Meliaracum vocant, eius Cœnobio contulit, vt infra arduos montes haberet, quo diuerteret, quando eum, in quo sibi plurimum complacebat, consilij gratia accersiret.* Hactenus Altæcumbæ Gaufridus Abbas. Nec dubium Tarantasiensem Archiepiscopum, & nominis, & instituti consortem, & sanctitatis, plura viris subsidia contulisse, quæ idem auctor ideo non recenseat, quia supponat.

5. Sic Deo, & hominibus dilectus Petrus Abbas, Cœnobij sui initia promouebat, quo veneratior cunctis, eo humilior, & quo acceptior sæculi Principibus, eo pauperibus Christi familiarior. Verùm, quia in hac virtute summè enituit, in qua feliciter erat consummandus, libet proferre verba, ex eius actibus fideliter transcripta, quæ lectoribus meis palam faciant, à quanta perfectione misericordiæ Petrus inceperit, cùm primum potuit, quæ in corde intus latebat, per opera charitatis externa manifestari. *Iam tunc* (inquiunt) *panis, & casei frusta circumferens, in sinu miserabilium personarum, dum occurrerent, abscondebat. quod in Episcopatu magis exercuit, sociis etiam suis onera pia communicans. Si prandendum foret iter agenti, vt fit aliquando, diuerticula omnino declinabat, iuxta callem publicum residens, vt mensa eius etiam tunc cum pauperibus foret, & peregrinis. Illuc quanto pauperior, tanto acceptior hospes, vel infirmior aduentabat.* Plura in sequentibus, nunc dicta sufficiant.

6. Id vnum tamen silentio non prætercam, quod non mediocriter facere videtur in charitatis ipsius commendationem. Stamedium, quem semel imbuta recèns misericordiæ in pauperes adfectum sanctissimo Abbate agente, accepisse cognoscitur, pòst eius etiam discessum, imò & obitum conseruasse fideliter largam præ aliis, etiam opulentioribus. *Nihilominus etiam* (pergunt eadem acta) *humanitatis, & compassionis erga pauperes, & peregrinos hæreditariam gratiam eiusdem Cœnobij fratribus dereliquit: vt celebris hodieque fama pronunciet, Stamedienses supra multos etiam abundantiores, magis humanos, & ampliùs liberales.* Hæc de Stamedij initiis, & progressibus sub sancto Abbate Petro, quem iam tunc sibi, Cisterciense institutum semel experta, Tarantasiensis Ecclesia præstolabatur.

7. Chronologia Monasteriorum Ordinis, atque eam in hoc sequutus Robertus [d] Claudius, hanc ipsam fundationem longè postponunt, nempe in annum millesimum centesimum trigesimum tertium. Sed decem annis à Monachatu Petri facta, quadragesimo tertio ante factum eius obitum, quod ex vita illius claré constat, non potuit non in hunc annum incidisse. Actorum Sancti verba lector accipiat, quibus ex noti auctoris grauitate, antiquitateque, ex præcedente mandato Summi Pontificis, ex vicinia loci, ac demum ex speciali tractatione, maior, & plenior fides exhibenda. [e] *Et quoniam* (inquit) *annos natus ferme viginti* (scilicet sanctus Petrus) *ad Monasterium sese contulit Bonæuallis. Vbi circiter decem annos, & tantundem in Stamedio consummauit, additis triginta tribus in Episcopatu completis, ad septuaginta tres numerus annorum vita eius assurgit. In cuius transitu annus erat millesimus centesimus septuagesimus primus.* Ergo Stamedium decimo Monachatus, & quadragesimo tertio ante viri sancti mortem fundatum anno, non potuit non incidere in præsentem, idest, M. CXXVIII. qui inter M. CXVIII. & M. CLXXI. vtrique euentui præfixos, proportionatum locum sibi vendicat. Lego Stamedij initia descripta latiùs ab [f] Alfonso Deluenio, ex Abbate Altæcumbæ, nostra ætate, Albiensi Episcopo, viro erudito, & docto, nec paucorum aliorum operum scriptore, quæ tamen ad nostras manus non peruenêre.

d in sua Gall.

e apud Sur. May 8. c.41.

f apud Cla. Robert. in sua Gal. Christ. sub titulo Episcopi Albien.

8. Florebat interim opinione sanctitatis Ebracensis Ecclesia sub Adamo: sed possessionibus, & prædijs dilatata magis, quàm viris, qui se diuino cultui manciparent, sterilis adhoc, infœcundaque præstolabatur. Cùm ecce Rapato Bambergensis Comes, Conradi Bambergensis Comitis frater, seu illi Oto, siue ipse alius præierit: spreta sæculi potentia, & claritudine, quibus pollebat

pollebat etiam inter primores, multis ſanè conuerſionis exemplum fuit, Germanis præcipuè, quibus Oto, auditus, non viſus, prælucebat remiſſiùs: Rapato, quo præſentior, efficacior, cunctorum in ſe oculos vertebat, mentes in Deum. Matildem coniugem conſentientem ſibi, ac ſimilem eligentem vitam, dimiſerit, amiſeritve, per mortem à ſe auulſam, in dubio eſt. Certum, eamdem conſilij fuiſſe conſciam. Quio & ſuæ dotis partem contuliſſe fundando ex eadem familia nouo Cœnobio, quod idem Rapato poſtea ædificauit, ab Adamo præfectus in Abbatem, vt ſuo loco latiùs oſtendemus. Nunc eius conuerſionem prælibaſſe nobis ſufficiat, ex Heilſbrun, quòd ſurrexit poſt annos quinque, monumentis vberiùs confirmandam.

1. Chronologia Eccleſiarum huius anni. 2. Bellus Bechus, & Sarnaium differenda. 3. Caladia initia. 4. Regniaci, 5. & VValkenrode. 6. Quid de Caſtellariis, vbi & Geneſeos error reprehenſus. 7. Fundatio Neoburgi, ſeu Caſtri noui.

CAPVT VI.

1. ANnum claudat Chronologia Monaſteriorum, vltimum caput ex more ſibi vendicans, in qua ſex video ſignatas fundationes.

Anno (ait) *Chriſti M. C X X V I I I. octaua Idus Iulij, fundata eſt Abbatia Caladia.*

Eodem anno, ſeptimo Idus Septembris, Abbatia Regniaci.

Eodem anno, Kalendas Nouembris, Abbatia de Belbech.

Eodem anno & die, Abbatia de Sarnai.

Eodem anno tertio decimo Kalendas February, Abbatia de VValkenrode, in Theutonia.

Eodem anno Abbatia de Caſtellariis. Hæc Chronologia. Siamedio, vt dixi, reſeruato in annum Chriſti M. C X X X I I I. Sed neque nouum Caſtrum hoc anno ſignat, de quo tamen quid inueniam apud auctores, ad calcem capitis breuiter ediſſeram.

2. Interim adnoto Belbech (Bellum Bechum, & meliùs, alij vocant) & Sarnai, quam puto eamdem cum vallibus Sarnarij, Sabigniaci filias, neqiaquam ad hunc annum pertinere: ſed ad milleſimum centeſimum quadrageſimum ſeptimum, quo tota Sabigniacenſis congregatio, & circiter triginta Monaſteria, quæ continebat. Eugenio tertio ſummo Eccleſiæ Antiſtite, Aſſiſteote Ciſtercij, & generalem ſynodum Abbatum, quæ tunc celebrabatur, condecorante, Ciſtercienſe inſtitutum amplexa eſt, ſub Claræuallis, atque Abbatum ipſius viſitatione. Eſto enim hoc anno mundo exortæ, quod mihi dubium, ac velut ſi ab eo Ciſtercio natæ, inter reliquas ſedem obtinuerint: at nobis ſolum Ciſtercium ſcribentibus, nec niſi ex tempore euentus deſignantibus, annus inſtituti admiſſi præfixus eſt, cui concernentia quæque ſubnectamus. hîc hactenus Sabigniacum totius Ordinis mater, & Carracetum, ſic in ſequentibus plura reſeruabimus. Aſt alia quatuor notata in Chronologia, ex auctorum, quos ſequar, deficientia, breuiter tangam potius, quàm ediſſeram.

3. Caladiam Guido Triumfontium Abbas, in Virdunenſi diœceſi fundandam, atque ex proprio Cœnobio tranſmiſſis Monachis, incolendam ſuſcepit, hortatu Henrici Virdunenſis Epiſcopi, quem de Bernardo conqueſtum hoc ipſo anno, eiuſdem Sancti litteris donatum, iiſque ſatis modeſtis, ſuperiùs diximus. Certè Bernardus nihil ſibi conſcius, quo Henricum offenderit, quamuis aliàs conſtantiæ ſuæ prouidens, noo vllis beneficiis, aut fauoribus, à tramite iuſtitiæ dimouendæ, qua fiducia potuiſſet quemcumque alium, eadem ipſum interpellat, pro noua domo.[a] *Qua iam ſanè fiducia* (inquit) *præſtantiæ veſtræ ſupplicamus, imò veſtram fidenter commonemus beneuolentiam, de illo loco* (*ſcilicet Caladia*) *quem ſub tutela veſtra, veſtro, vt aiunt, hortatu frater, & Coabbas noſter Dominus Guido de Tribus fontibus conſtruere ſuſcepit: in illo nobis, quantum nos curetis, oſtendite, & quidquid ei fueritis, nobis factum reputate.* Hæc ſanctus Pater, nec querelis turbatus, nec ſpe mouendus, quippe exauditus ab eodem Præſule, qui Caladiæ initia promouebat, non timuit vlmum ſubtrahi tenellæ viti, quo cauſa Eccleſiæ ex iuſtitia peragetetur. Sed de his anno proximo dicemus. Fundatores domus nobiles viri Heruæus, & VValeramus, auunculus, & nepos: quin ille etiam omnibus relictis, atque ab vxore, & filiu ſeparatus, in eodem Cœnobio habitum induit, in quo vſque ad finem vitæ perſeuerauit. Hæc ex Richardo VVaſſeburgio in hiſtoria Lothariogica, qui etiam addit primum loci Abbatem, Gunterium nomine, vſque ad C C C. Monachos aluiſſe, quod ſatis mirum in initio tenellæ domus. Extat Caladiæ Virdunenſis diœceſis non ignobilis mentio in litteris Honorij Papæ tertij, Abbati eius Hemmeurodenſique commiſſa per Pontificem cunctorum Cœnobiorum nigri Ordinis, per vniuerſam Prouinciam Treuirenſem viſitatione, ſuo tempore à nobis inſerenda. Interim ad eiuſdem domus gloriam faciat, quòd prima Claræuallis neptis, ex primogenita filia (Tribusfontibus) Bernardi Patris ſobolem adauxit. Abbati, atque conuentui de Caladia, diœceſis Virdunenſis, ſcribit etiam Nicolaus Papa quartus litteras, datas apud S. Mariam Maiorem, Idibus Martij, Pontificatus ipſius anno tertio.

Poſt Caladiam, Regniacum ſurrexit, in diœ- 4.
ceſi Antiſiodorenſi, ad Armetonem fluuium, venerabilis Pontificis Hugonis ſollicitudine. Meminit eius Sigibertinum Chronicon, à Roberto Montenſi locupletatum, dum ita ait.[b] *Suo* (*id eſt, Hugonis, quondam ſancti Germani Abbatis, tunc Antiſtitis Antiſiodorenſis*) *tempore, Ciſtercienſis Ordinis Abbatiæ, Regniacum, Rupes, & Bonus radius fundationis habuerunt initium: & per eius manus, tum in miniſtrando neceſſitatibus eorum, tum in acquirendo poſſeſſiones, non modicum incrementum.* Ita Robertus. Et de Booradio quidem à nobis ſuprà, de Rupibus in tempore agemus. Monachos illuc ex Claravalle miſſos, concordant tabulæ, & Geneſis[c] Eccleſiarum Clarevallenſium, quæ quinto loco Regniacum aſſignant. Niſi quòd tamen Viſicampus per errorem prælata legitur; ſed qui poſſit ex annis emendari. Abbati Regniaci ſcribit Gregorius nonus litteras datas Laterani, quarto Idus Martij, Pontificatus ipſius anno decimo, quas nos fortaſſis inferiùs adducemus.

Ordine ſequitur Abbatia de VValkenrode 5.
(Volkenrode alij, alij paucis mutatis appellant

VVal

a epiſt. 63.

b ann. Chriſt. 1120.

c poſt notas ad Epiſt. Bern.

VValkenreda) in Moguntina diœceſi in Thuringia, quam Adeleydam, Comitiſſam Cletembergicam, iuxta Arthonem conſtruxiſſe, ab Auberto [d] Miræo ſcriptum reperio. Meminit eius [e] Bruſchius, in VValdſaſo, inſigni filia eiuſdem Monaſterij, de qua nos ſuo loco multa ex ipſo. In libro taxarum Cameræ Apoſtolicæ VValkenrede legitur, nulla præfixa taxa in noſtro codice, & memorantur vnitæ illi Eccleſiæ Moguntinæ, [f] Alberſtadenſiſque diœceſeos, quibus reditus eius impinguantur, aliàs non tenues. Monachos ex veteri Campo tranſmiſſos, conueniunt tabulæ, & geneſis Eccleſiarum Morimundenſium. Extat & eius mentio non exigua in litteris Honorij Papæ tertij, atque item Gregorij noni, pluribus cautis Abbati eius commiſſis, ad annum Pontificatus illius quintum, huius octauum. Creuit VValkenrode, ſuſcepta prole duplici, Porta, & Sichen, ex quibus etiam nepres breui ſuſcepit. In Sichen miſit VVlchinum Monachum ſanctum, primum loci Abbatem, de quo plura dicemus, cùm tempus venerit.

d in Chron. Ciſt hoc ann.
e in Chron. Mon. Germ.
f in Magunt. epiſ.

6. Abbatiam de Caſtellariis Pictauienſis diœceſis accepit, nec ignobilem quidem, neque exiguam, ſitam ad fontes Clani, de qua in Papyrio [g] Maſſonio hæc pauca lego. *Clanus verò Vinonam decurrens, Vonnam fluuiolum accipit. Oriturque non procul à Monaſterio opulenta Ciſtercienſis Ordinis, cui Caſtellare nomen.* Meminit eius liber taxarum Cameræ ad trecentos florenos taxa producta, itemque omnes tabulæ, & geneſis Eccleſiarum Clarevallenſium. Niſi quòd tamen prius matrem agnoſcunt, quàm natam dicant. Quod in duplici exemplari, altero ex Monaſterio Claræuallis, altero à Reuerendiſſimo Ciſtercienſi, ad me tranſmiſſo, itemque in his, quæ adduxit Villalpandus, poſt plura alia luſtrata Monaſteria per totam Galliam, æquè obſeruatu, imò & correctu dignum adnotauerim, quippe Voſcanum, Voſtocanum alij dicunt, in Petragoricis, Caſtellariis attribuunt; quam tamen domum antea nec nominauerant. Crediderim ſextam filiam Claræuallis per errorem omiſſam in eius tabulis, qui inde ad alias facilè pertranſiit. Nam ad ipſius lineam pertinere conueniunt omnes, & Henricianæ ex fide digno autographo decerptæ, vt par eſt credere, hæc habent verba. [h] *Caſtellariis filia Claræuallis in Pictauia.* Demum quo plures Claræuallis filiæ, quàm cæterarum, eo facilior vnius omiſſio fuit. Meminit Abbatiæ de Caſtellariis Gregorius nonus in epiſtola decretali, ad Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta Laterani, quarto Kalendas Aprilis, Pontificatus ſui anno decimo quarto.

g in deſcrip. flum. Galliæ.
h in faſcic. diſt. 42. lib. 2.

His Monaſteriis adductis in Chronologia, Nouum Caſtrum ſubiungo, de quo in hiſtoria Epiſcoporum Argentinenſium hæc ſcripta lego. [i] *Anno milleſimo centeſimo vigeſimo octauo, Reynoldus Comes Lucemburgi Monaſterium Neoburgi condidit, in diœceſi Argentinenſi, quod vocatur Nouum Caſtrum, vbi & ſepultus eſt.* Nec diſſimilia in Munſtero, cuius hæc verba. [k] *Anno Domini M. C X X V I I I. fundatum eſt Monaſterium Neoburgenſe, Ordinis ſancti Bernardi, modico interuallo diſſitum à ſancta VValburge, à quo poſtea fuit plantatum Monaſterium Mulbrunenſe, in Ducatu VVirtembergenſi.* Bruſchius [l] prope Haganoam ſitum tradit: nec minus illi Mulbrunnum germen tribuit, illuſtre ſatis, opulentumque Cœnobium in diœceſi Spirenſi, de quo nos infrà. At Nouum Caſtrum vltra primam dotationem à Friderico ſecundo, Sueuiæ Duce locupletatum, & auctum poſt annos aliquot, eiuſdem domus [m] memoriæ teſtificantur. Monachos ex Bellavalle miſſos, prima Morimundi filia, conueniunt tabulæ & geneſis Eccleſiarum Morimundenſium. Extant litteræ Innocentij Papæ tertij, honorifici ſatis, cum honorificis item legatiis, ad Patrem Noui Caſtri Abbatem, quas ſuo loco ex more referemus. Deſignatur Nouum Caſtrum in Chronologia ad annum Chriſti M. C X X X. modica duorum annorum intercapedine. Mihi Germanos de Germanis rebus, auctores ſequi, tutiùs viſum, cùm maximè illius fidem, ex aliis, ſuſpectam habeam. 7.

i Guilliman. Apud Mira. in Chronico hoc anno.
k lib. 3. Coſmographiæ in Epiſcop. Argentinenſi.
l in Mulbr.
m apud Miræum in Chron. hiſt. hoc ann.

IESVS CHRISTI ANN. 1129. — CISTERCII ANN. 32.

1. Henricus à Virdunenſi ſede depoſitus, 2. Catalaunenſem inuadit, renitente Bernardo. 3. Querela in Sanctum per Romanam curiam ſparſa. 4. Quid Haimericus ad eum aliorum nomine. 5. Reſponſum Sancti ad obiectiones ſingulas, 6. efficax argumentum. 7. Chriſtiana, & ſancto viro digna libertas. 8. obſecratio ad amicum pro propria quiete. 9. Fructus epiſtola, 10. & Bernardi electio ad Catalaunum.

CAPVT I.

1. ACTA huius anni referet nobis Matthæus Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis, adhuc Legatum agens apud Gallias, depoſitione Henrici Virdunenſis, cuius ſuperiùs fecimus mentionem. Cauſa in comperto, quòd ſuæ Eccleſiæ bona diſſiparet: actores, adhuc dubij, nec Bernardus omnino immunis ab hac calumnia, quippe quem antea de hoc ſibi ſuſpectum, idem Epiſcopus per epiſtolam conuenerat. Vtcumque fuerit Henricus diffamatus de prodigentia, ac dilapidatione bonorum ſuæ Eccleſiæ, hoc anno milleſimo centeſimo vigeſimo nono, vt habet Cardinalis Baronius ex Dodechino, per Matthæum Cardinalem Legatum in Ordinem redactus, depoſitionis ſuæ damna mœrebat, durus ad verbera, & ſupra modum impatiens viæ priuatæ.

Vacabat adhuc Eccleſia Catalaunenſis, quippe Alberico, pro quo orauerat Bernardus, nondum promoto, ſed neque alio ſuffecto loco ipſius, incertis cauſis. Ergo Henricus obtegendæ ſuæ infamiæ, Catalaunum inuadere conatur, longè vacantis tædio laborantem, atque iam tunc, vt aliquem haberet, quemcumque etiam indignum recepturam. Et obtinuerat homo acer, & audax, atque ipſa prodigentia, qua fœdabatur, etiam in Curia Romana fultus amicis. Sed Bernardus charitate in eam Eccleſiam, atque auctoritate, qua pollebat apud Legatum, conatibus indignis ſe oppoſuit peregitque, ne depoſitus ob crimina, promotus magis ob merita, ipſa ſimultate actionum, 2.

videri

videri posset: aliàs infamis, & cui non minus iusta, quàm recens pœna, testimonium perhibebat indignitatis.

3. Hinc in Bernardum odia, & offensiones, & sopitæ aliorum diu quærere, per consortium exortæ, aut excitatæ: nec depositi tantùm murmurabant, sed defensores. Nam quis Bernardus Abbas domus pauperculæ, qui Cardinalibus, qui Romanæ Curiæ se opponeret? Iam libertatem litteris ostēsam, in actiones prorumpere, iam in Ecclesiam ipsam debacchari. Et replicatæ causæ antecedētes; ac Cameraci depositus Fulbertus, Landuni eiectæ Moniales recrudnere, quòd Monachus à mūdo segregatus, mundum regere, Episcopos, Prælatos amouere, instituere, Monasteriis, & Ecclesiis iura dare, specie recusantis, nunquam cessaret; quòd sub vili panno, imperiosam mentē gereret, cui, ne quis bonus posset refragari, Deum non tam sequeretur, quàm opponeret. Quòd eo tantū fugeret honores, vt post se traheret, si præterearur, vltrò quæsiturus. Hæc, & similia iactata primò in vulgus, mox inter Cardinales accēdebantur, & qua quisque se spretū persensisset, eo in maius attollebat, quæ dicebantur. Refricabantur verba epistolarum, & vt ab aliis multæ ex eis conscriptæ, signatæque, at in solum Bernardum referebant quæcumque acria: cui, quid præsumerent, intentatum in inferiores, quando vel in ipsos Summos Ecclesiæ Principes, tam libero se stilo diffudisset, vix adhuc notus?

4. Ergo siue Honorij Papæ iussu factum, siue, vt adparet, consilio Cardinalium, Haimericus, gentilis viro Dei, atque inde præ aliis familiarior, quem putabat excessum corripuit, omnium nomine, longam ad eum epistolam scribēs, & quæ, vt ex rescripto Bernardi palam fit, nullis criminationibus parcebat, & vix cōuiciis. Esse in Ecclesia Dei diuersos Ordines, quos intra, si se singuli contineāt, pacata omnia, si confundantur, cuncta peritura. Abbatum institutionem, destitutionēque penes Episcopos, non è contra, Episcoporū penes Abbates, & quod caput erat, Romanam Curiam iudicare natam, iudicare consuetā, non iudicari. Dedecere sectarium solitudinis tot negotiis, tot curis se ingerere. Quid Monacho cum aula? Quid cum Cōciliis? Quid cum strepitu forensium negotiorum? Inde apud Cardinales malè audire, nec deesse, qui incusarent, damnarentque; quod ne ipse omnino auderet excusare. Quid enim? Itane vnius Monachi iudicium nulla, non dicam causa, sed nec tribunal, quamuis excelsum, valeat subterfugere? Itane nihil sine ipso bene disponi? Deferat Superiorum sententiæ plusquam suæ propriæ: si quominus, abstineat à negotiis; & sit aliquid in Ecclesia, cui non assistat. Hæc, aut acriora Haimericus ad Bernardum, & suo, & Cardinalium aliorum nomine. Ad quæ vir sanctus, vt compositus ad quietem, sic constans animi, & nullis minis territus, nullis criminationibus permotus; responsum dedit dignum tanto Patre, pondere auctoritatis, & rationum, cunctas insurgentes calumnias compressurū. Atque ecce exemplar rescripti sancti Doctoris.

5. [a] *Viro illustri Haimerico, sanctæ Romanæ Sedis Can-* a epist.48.
cellario, frater Bernardus Abbas dictus Claravallis, salutem, & non in via. Etiam ne pauperi, & inopi veritas odium parit: & ne ipsa quidem miseria declinare inuidiam potest? Querar, an glorier, quòd factus sum & ipse inimicus, vera dicens? Vera dicens, an recta agens? Sed hoc viderint fratres vestri, qui contra legem maledicunt
b Isai.5. *surdo, & maledictum propheticum non verentes, [b] dicunt bonum malum, & malum bonum. Quid in me, ò boni viri, displicuit paternitati vestræ? Vtrùm ne, quòd apud Catalaunum amotus est à villicatione sibi credita, homo vsquequaque diffamatus, qui in Ecclesia Virdunensi, cui prefuerat, dissipasset bona domini sui? An quòd in vrbe Cameracensi Monastery sui manifestus destructor Fulbertus cedere compulsus est Paruino, qui omnium testimonio fidelis est seruus, & prudens? An certè quòd Landuni de prostibulo Veneris, suum Deo sanctuarium restitutum est? Propter quod horum me, non dico, lapidatis, sed laceratis, vt minus aliquid recipiam à Domino meo? Et hoc meritò, atque cum omni gloria responderem, si quid in eis meum cognoscerem. Nunc ergo ad quid iudicor ego de festis alienis? Aut si meis, cur tanquam de malis, cùm cuncta hæc iustè, & præclarè gesta fuisse, nulla imprudentia possit dubitare, nulla negare imprudentia possit.*

Eligite nunc vtrumlibet, aut negate certè, aut fatemini me horum auctorem. Si feci, laude dignum est, laudabilia peregisse, & iniquè redarguor, vnde laudari meruerant. Si non feci, vt laudem non merui, sic nec profectò vituperationem. Nouum genus detractionis, & reuera simile aliquid habent [c] operi Balaam, qui ductus, & conductus ad maledicendum populo, magis cumulabat benedictionibus. Quid iustius, quid iucundius, quàm vt quem reprehendere intendis, plus commendes, vt preconiis pro conuiciis vtaris nescius, & volens detrahere, laudes inuitus? Quasi verò nulla mea mala inueniant, & pro malis mihi bona obiiciant, vel potius adiiciant aliena. At ego nec indignis vituperationibus moueor, nec indebitas recipio laudes: nil mea refert de his, quorum auctor non extiti, laudent, si volunt, vel vituperent, si audent: de primo quidem dominum Albanensem, de secundo vero dominum Remensem, porrò de tertio eundem aquè Archiepiscopum, simul & Episcopum Laudunensem, cum Rege pariter, & multis aliis reuerendis personis, qui se vtique auctores in his, & Principes extitisse minimè diffitentur. Si benè egerunt, quid ad me? Si aliter, quid aquè ad me? An tota & sola mea culpa est, quòd affui, homo solis latebris dignus: solus mihi iudex, soli accusator, & arbiter constituus, quatenus monstret actio, quod habet professio, & nomen Monachi solitaria mihi conuersatio interpretetur? Adfui enim, negare nō possum, sed vocatus, sed tractus. Si hoc amicis meis displicuit, fateor & mihi. Vtinam & nuper non issem ad illa, vtinam non irem ad similia. 6.

Vtinam & nuper non issem, vbi vidissem aduersum Ecclesiam Apostolica (proh dolor!) auctoritate violentam armari tyrannidem, quasi non satis per se insanisset. Tum demum sensi (iuxta [d] Prophetam) adherescere linguam meam palato meo, cùm subitò pondus superiectum est nostris ceruicibus, atque irrefragabilis auctoritas litterarum. [e] Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est, quando vidi repentè ad illas litteras impleri facies innocentium ignominia, & letari amplius impios quòd malè fecerint, & exultare in his rebus pessimis. [f] Misertum est impio, vt (iuxta dictum propheticum) non disceret facere iustitiam, & qui in terra Sanctorum iniqua gessit, ipsius terra iustissimè, quo tenebatur, absoluta est interdicto. Propter huiusmodi, etsi aliud non sit, grauor interesse causis, quarum præsertim mea non interesse cognosco. Grauor, sed trahor. 7.

c Num.24.
d Ezech.3.
e Psalm.38.
f Isai 28.

At verò ab hac necessitate, per quem melius retrahi posse sperauerim, quàm per vos, vir optime: cui in hac re nec potestas deest, nec voluntas, vt comperi? Gaudeo nempe, quòd & vestra prudentia nostram in talibus occupationem displicere cognoui? Et quidem iustissimè, & amicissimè. Age ergo, si ita vultis, imò, quia sic cernitis, ac decernitis, & amico expedire, & Monacho conuenire. date, quaso, operam, quatenus vna vtriusque voluntas citiùs impleatur, quo & vobis videlicet satisfiat ad iustitiam, & mihi ad salutem animæ consulatur. Indicatur, si places, clamosis, 8.

& importunus ranis de cauernis non egredi, sed suis contentas esse paludibus. Non audiamur in conciliis, in palatiis non inueniamur, ad causas, ad negotia nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas. Sic forsitan posset vester amicus declinare præsumptionis notam. Nam noxam vnde contrahere potuerim, ignoro, cum sciam mihi consilium esse, & propositum, nunquam (si causa duntaxat nostri Ordinis non fuerit) exire de Monasterio, nisi aut Apostolicæ Sedis Legato, aut certè proprio vocante Episcopo, quibus nostra humilitati, sicut optimè nostis, contradicere omnino fas non est, nisi ex quocumque Superioris auctoritatis priuilegio. Quod vtique si vnquam per manum vestram, vt spero, mihi in manus venerit, tunc procul dubio & pax mihi, & pax erit de me. Non tamen idcirco etiam me latente, & tacente cessare puto murmur Ecclesiarũ, si non cesset Romana curia pro voluntate assistentium facere præiudicium absentibus. Valete.

9. Hæc Bernardus stilo acri, & igneo, atque eo fortè feliciùs, quo liberiùs. Sanè pondere auctoritatis, & veritatis efficacia effectum est, vt quem liberum æquè antea ferebant, liberiorem extunc venerarentur. Quid si Albericus tunc concessus est, Catalaunensi Ecclesiæ præfuturus, negatum antè manifestè constat, & nihilominus præfuisse, scriptum legimus. Quid si & ex tunc Senonẽsi pax cõcessa, cuius hactenus causa fluctuabat? Nihil vltrà addi potuit reuerentiæ, nihil venerationis, nihil obsequij, ita vt Ecclesia intra breue tẽpus turbanda prolixo schemate, penè solum Bernardum sibi assumeret, per quem vnionem, & pacem consequeretur. Sed de his latè in sequẽtibus dicemus.

Hoc eodem inter præsulatu Catalaunensi ante, vel post hunc annum, factum credo, vt vir Dei à concordi clero, & populo, in pastorem instanter postularetur; & firmasset illius Ecclesiæ pacem, si consensisset. Sed Cistercij incrementis destinatus, Cistercium sibi altè proposuerat, & Claræualli suæ firmiùs adhærens, quascumque alias sponsas recusauit, nunquam, quam semel assumpsit, dimissurus. Electum Catalauni testatur Bonæuallis Abbas in hæc verba, inuerso licet ordine electionis. [g] *Elegit eum domesticu Lingonensis Ecclesia, elegit Catalaunensis.* De modo verò, quo electus abnuebat, Guillelmus sancti Theodorici Abbas ita scribit. [h] *Summos quippe honores Ecclesiasticos, quasi dignum eum iugiter persequentes, non iactanter respuendo, sed religiose, & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quæsierit, quo ambierit, manifestè declarat. Cumque dignus esset, vt cogeretur, nescio quo iudicio Dei, & singularis reuerentia sanctitatis, iam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur.* Ita Guillelmus. Atque hac ratione Lingonensem etiam, & Ianuensem Episcopatus, Archiepiscopatus Mediolanensem atque Remensem ab ipso recusatos, suis locis Annalea demonstrabunt. 10.

[g] lib. 2. cap. 4.
[h] lib. 1. c. 24.

---

1. Tarasia ægrotans Aldebertum, & Ioannem vocat, 2. in Cisterciensi habitu, & professione moritur. 3. Eiusdem testamentum ad filium Alfonsum Principem. 4. Insinuata dubitandi rationes in præcedentibus: 5. & nihilominus commendatus eorum auctor. 6. Tarasiæ genus, dos, & pulchritudo. 7. Dubia de pudicitia fama, 8. cætera integra, 9. egregiè facta. 10. Mors, & sepultura.

CAPVT II.

1. DVm hæc in Italia, & Gallia gerebantur, in Lusitaniam Tarasiam Reginam sanctissimè degentem, vt vult [a] Brito, vltima vitæ infirmitas inuasit, qua per singulos dies ingrauescente, quo mortem sibi instare certiùs nouerat, eo intentior futuræ vitæ bonis, præuenire mortalia cogitabat; eadem ante desertum, quàm deserenda. Itaque vocatis Aldeberto, & Ioanne Abbatibus, cui supererat mundo renunciare, & vel tunc saltim Monialem profiteri (neque erant adhuc Cistercienses Moniales in Lusitania) pia deliberat, ducitura agmen cunctatum, quæ sequerentur. Aldebertus negotiis impeditus, venerabilem Bernardum pro se misit tunc Priorem, postmodum ipsi in Abbatem sufficiendum. Ioannes quo adhuc pauperior, eo expeditior, Conimbricam quàm primum properauit, putares mortem viros præstolatam, nec quidquã iuris in Reginã habuisse, nisi professam.

[a] lib. 2. cap. 8.

2. Ergo viuentem adhuc, & cui compotem sacra cuculla induunt, ac tribus votis deuotè Deo conceptis, Cisterciensi familię incorporatam, sororem diligunt, quam Dominam, quam Reginam priùs venerabantur. Illa è contra in lachrymas refusa, gratulari statui, suspicere viros, religionem amplecti, & neque vitam, neque mortem iam metuere, illam, quo diutiùs frueretur, suscepto habitu, atque eius obseruantiis indulgeret: hanc, vt secura remunerationis, vel ante ipsum congressum coronanda. Et vt optaret vitam, ex qua maius; sic mortem, ex qua celeriùs præmium spectabat, non abhorrebat. Sed quæ sanctos viros dudum sustinuerat, inexpectato filio, quem etiam accersiuerat, profecta est, vt piè creditur, in cœlis coronanda. Et maturauit aduentum Alfonsus Princeps, non matrem iam, sed cadauer Inuenturus: & loco animæ epistolam scriptam, vltima matris mandata proferentem, pro se, pro filio, pro seruis, & ancillis, pro nouis fratribus. Atque ecce exemplar epistolæ Tarasiæ, prout eam adducit Brito *loco citato.*

[b] *Dilectissimo filio suo Aldefonso, Regina Tarasia mater sua, salutem, & suam benedictionem. Finis meus propè est, fili amantissime, & iam mihi vilesçunt omnia huius mundi, præter te, quem cuperem videre: sed videbimus nos in meliori patria. Seruos, & ancillas meas tibi commendo, & fratres nouæ reformationis, sub cuius habitu, & professione discedo. Sepultura mea, precor, vt sit iuxta patrem tuum, illustrem Comitem Henricum; vt quos vita vidit conformes, mors videat inseparabiles. Sorores tuæ tibi sint curæ, & filij earum. Populum tuum cum pace guberna, & super omnia Deum cole. Ipse te benedicat, & seruet ab inimicis. Benedictionem, & gratiam meam tibi relinquo, & ad Deum, & iudicem meum vado. Vale fili charissime, in Domino.* Hactenus testamentum, siue epistola, quæ & deuotionem commendat Reginæ nobilis, & non leuem historiæ fidem facit, dubiæ aliàs, & quæ multo egeat examine. 3.

Sanè plures [c] auctores, grauesque, de Tarasia longè aliter loquuntur; quippe asserentes, post Henrici obitum secũdis nuptiis inferiori locatam viro, eoque filio exosam: [d] alij vinctam, alij exulem domo, atque extra Lusitaniam obiisse; idque etiam productis instrumentis, quæ nec pauca, nec suspectæ fidei esse videntur. Mihi in conflictu testium veritatis (sic enim instrumenta iure appello) interpellare iudices satius, quàm iudicare, & neutri parti fauere, ne alienam deprimam. Et Brito commendatus auctor à Lusitanis, ac Regij, supremique Chronologi in eo regno auctoritate fultus, 4.

[c] *apud Brandaonium plura de hoc l. 9. c. 2.*
[d] *Chron. Reg. Alfons. prim. c. 6.*

fultus, suffultusque, nec facilè videtur reiiciendus: nec puto leuiter crediturum, qui illi fidat.

5. Prodiit elogium eius satis magnificum, arescenti quidem, & paululum mordaci (vt verum fatear) sed actis, grauisque iudicij auctore conscriptum; atque in laudando eo potentiori, quo mordaciori, fidem, ingeniumque viri attollens. Id, ne qua parte reddam minus ex mente, ipsa qua loquitur, Hispana nostra lingua, præter morem lectori meo proponam. [e] *Escriuio a quellas dos primeras partes, que llama Monarchia Lusitana, dignas de toda estimacion: la Choronica de sant Bernardo, historia de las Ecclesiasticas la mas bien escrita que tiene España. En Portugues no tenemos alguna con estilo, sino las suyas: las demas son vnas relaciones desnudas, y algunas peor. No le falto a fray Bernardo si no auernacido en Roma siglos antes, que no le excediera Tito Libio en ser venerado.* Hactenus ille, quæ ideo in medium produxisse libuit, ne ipsis in Bernardi asserta dubitationibus, quæ nec leues, nec semel occurrerunt, occurrentque, imminuta fides, periculum afferret tanto auctori: sed de his satis, nunc ad Tarasiam Reginam reuertamur.

e Faria in epit. Portug.

6. Nata ea Imperatori Alfonso, ex Ximena Muñozia illustri fœmina, vxore, an concubina, incertum adhuc: haud dubium nobilem, & quam coniugem, nec Alphonsus aspernaretur. Claritati pulchritudinem adiunxit, vel proprio viro continuò placituram. Is seu Burgundiæ, seu Lotharingiæ Ducum proles, siue Hungarorum Principum propago (nam hæ Regiæ familiæ de viro certant) post multa obsequia Imperatori præstita, nec paucas illi egregiè victorias partas, illustris meritis, pretium omnium Tarasiam impetrauit, & cum ea Lusitaniam sub dotis nomine, partim subactam, partim subigendam. Extat rescriptum eiusdem Henrici Comitis, post quartum decimum, à matrimonio inito, annum, quo Tarasiam adpellat formosissimam, singulari, aut in ipso amoris, aut in illa argumento pulchritudinis, siue etiam vtriusque, quod magis probo. [f] *Ego* (inquit Comes Henricus) *vnà cum vxore mea formosissima Tarasia.*

f apud Bran. lib. 9. cap. 10.

7. Hinc pudicitiæ post decessum viri suspecta, quod Ferdinando Comiti Gallesiæ, plus etiam nimio fauere diceretur, inuidentium, detrahentiumque dentibus patuit. Sed inuoluta tenebris historia, nec compertum cui vsui eum habuerit: & sunt qui virum, sunt qui procum dicant, sunt qui Ministrum regni, & Principatus. Adeò formosis continentia semper in lubrico, adeò opinio? Nupsisse viro instrumenta multa confirmant, nec pauca negant. Hæc inter suos, in Gallecia illa confecta, indicare videntur totum legitimum; sed qui Lusitanis occultus haberetur, timore filij.

8. Cætera in fœmina Principe clarissima, & quæ nec ipsa inuidia macularet. Lusitaniam per sex & decem annos egregiè rexit; duobus ante mortem filio tradidit; seu bello victa, quod multi auctores produnt; seu sponte cedens, quod alij etiam admittunt. Nec tanto tempore muliebris impotentia audaciam hostibus, aut suis fecit timorem: nec quidquam minus Alfonso filio tradidit, quàm ab Henrico coniuge accepisset.

9. Ad portum Annibalis Episcopalem sedem ingruentibus Mauris prorsus abolitam, Insigni pietate instaurauit, dotauitque, Bracharensem, & Conimbricensem multis adauxit. Milites Templi adduxit in Lusitaniam tunc recèns ortos: adductos possessionibus donauit, atque prouexit. Pauperibus alendis deputauit redditus annuos, cuius rei instrumentum hodieque visitur. Denique gesta in bello, paceque in viro illustria, in fœmina supra fidem etiam adparent: vt mirum sit nonnullos Lusitanos minus decenter loquutos de tanta Principe.

10. Annus mortis ab aliquibus differtur vsque ad sequentem: dies prima Nouembris mensis fuit. Extat in summa Chronici Gothorum memoria obitus, ad annum trigesimũ designati, sub his verbis. *Æra M. CLXVIII. obiit Regina Tarasia mater Alfonsi, Kalendas Nouembris, anno secundo regni eius.* Corpus in Bracharensem Ecclesiam delatũ, & iuxta virum, vt iusserat, sepultum; hodie sacellum maius decenter occupat, illuc trãslatum ante centum annos, tali inscriptione sepulchro superaddita:

D. O. M.

Reginæ Tarasiæ, Alfonsi Castellæ, & Legionis Regis, Imperatoris nuncupati filiæ, Comitis Henrici vxori, Didacus à Sousa Archiepiscopus Bracharensis, Hispaniæ Primas M. P. anno à Christo nato M. D XIII.

Hæc breuiter decerpta ex Brandaonio, diligenti scriptore Lusitano, nec minus Remigio, in eo regno, Chronologo, supremoque, & qui nihil non firmat per instrumenta; supradictis addenda esse putaui. queis vitam fœminæ vel leuiter depingerem, si nostratis, vt debitam Annalibus; sin minus, vt Lectori non iniucundam.

---

1. Ægrotanti Guillermo in Claravalle reddita salus; 2. & cantica explanata, 3. ac explanatio stilo eius excepta; eadem forsan, quæ illi adscribi solet. 4. Nouum in ipso, potentiusque miraculum, 5. in quo, & hoc anno historiam terminauit. 6. Scribendi causæ, 7. & locus, tempusque: 8. ac perpensa modestia Bernardi Patris.

CAPVT III.

1. HAc tempestate, cùm Bernardus malè haberet, venerabilis Guillelmus sancti Theodorici Remensis Abbas importuna febre correptus fatigabatur, nec viuere permissus, nec citò mori. Bernardus Pater virum tenere diligens, nec occultans amorem dignè locatum; Gerardum misit, non solùm inuisere, sed secum etiam infirmum relaturum: promittens insuper, si veniat, quod optabat; ægritudinem breuem; & citò vel sanandum, vel moriturum. Sed qualiter hæc omnia gesta sint, quamque opportunè, sanctus ipse Pater, quæ piè promisit, fideliter impleuerit; eiusdem calamo describere præstabit, qui rem expertus, narrat in

a lib. 1. c. 12. hæc verba. [a] *Cùm autem & ego aliquando ægrotarem in domo nostra, & iam me nimium fatigasset, & attriuisset, in longum nimium se protendens ægritudo: audiens hoc, misit ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum, mandans me venire ad Claramvallem: spondens me ibi citò aut curandum, aut moriturum. Ego verò quasi diuinitus accepta, vel oblata facultate, seu apud eum moriendi, seu aliquandiu cum eo viuendi (quorum quid maluerim tunc, ignoro) profectus statim sum illuc, quamuis cum nimio labore, ac dolore. Vbi factum est mihi, quod promissum fuerat, & fateor, sicut volui. Reddita quippe mihi sanitas est, à magna, & periculosa infir-*
1. *mitate; sed paulatim vires corporis redierunt.* Ita Guillelmus. In cuius verbis noto, fugatæ infirmitati oppositam amissarum virium restitutionem: quas, cùm paulatim sibi rediisse testetur, argumento est, ægritudinem non temporis spatio, sed in instanti virum deseruisse. Quin & quod notat, vires paulatim redditas indicare videtur, rarum id in miraculis Bernardi; quæ regulariter duplicia esse solebant: alterum in restitutione salutis, alterum virium.

2. At non Guillelmum sine fructu priuauit hoc sæculo, sed vt diutiùs detenti in Claravalle, spiritus resumeret vires simul cum corpore. *Deus enim bone* (pergit idem auctor) *quid mihi boni contulit illa infirmitas, feria illa, vacatio illa? Ex parte id, quod volebam, nam & cooperabatur necessitati meæ, toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum, infirmitas eius, qua & ipse tunc temporis detinebatur. Infirmi ergo ambo tota die, de spirituali physica animæ conferebamus, de medicamentis virtutum, contra languores vitiorum. Itaque tunc disseruit mihi de Cantico Canticorum, quantum tempus illud infirmitatis meæ permisit, moraliter tantùm, intermissis mysteriis scripturæ illius, quia sic volebam, & sic petieram ab eo. Singulisque diebus quæcumque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat, & memoria me iuuabat. In quo cùm benignè, & sine inuidia exponeret mihi, & communicaret sententias intelligentiæ, & sensus experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo, discuntur, etsi intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi, plus tamen solito intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deesset mihi.* Ita Guillelmus. Quibus plane videas, virium antè amissarum reparationem, non tam defuisse miraculo priori, quàm commutatam in melius resplenduisse: & pro viribus corpori non redditis, vires spiritui non solùm restitutas, sed superadditas.

3. Cæterùm quod ibidem Guillelmus ait de explanatione Cantici Canticorum à se excepta, non sic intelligendum est, quasi ea sit expositio Bernardi, quam nunc habemus distinctam homiliis, & in Capitulo ad fratres declamatam. Sed alia familiarior, breuiorque, quàm ad eum Pater sanctus disseruerit. Quid si ea ipsa, quæ inter schedas Guillelmi pòst inuenta, operibus illius annumeratur. Nam inter alia scripsisse virum lego, *In Cantica Canticorum opus imperfectum.* Certè à Bernardo valetudinario, & velut recreandi animi causa, interloquutum magis, quàm dictatum, nequaquam perfici: sed nec perfectum, à Guillelmo effici potuit, quin collectione rerum, & lapsu temporis, diffluente memoria, multa intermissa, & velut in suspenso relinquerentur. Id ergo forsan exaratum ipsius calamo, atque opusculis mixtum, quæ reliquit, neque ab eisdem stilo valde diuersum; quippe redactum ad phrasim sibi natiuam, meritò potuit eius reputari, atque inter opera alia recenseri. Sed hoc coniectans, non affirmans dixerim: maximè cùm nec opus ipsum ad nos peruenerit, ex quo clariorem hauriremus fortè notitiam. Iam ad vtrumque Sanctum reuertamur.

Non prius hospitem discedere permisit hospes beneficus, quàm præcedens miraculum sequenti; pristinum nouo, & beneficium beneficio cumularet, amicabili sanè increpatione, sed ostensione virtutis prorsus illustris cui firma, infirma valetudo pariter, salus, & morbus æquè subderentur. Ipse expertus potentiam, rem paucis narrat. [b] *Cùm autem* (ait) *instante Dominica, quæ Septuagesima denominatur, vesperè Sabbati, Dominicam ipsam præcedentis, iam tantum conualuissem, & valerem, vt de lecto per me surgere, & exire, & intrare possem, vesperè Sabbati ipsam Dominicam præcedentis cœpi disponere de reditu nostro ad nostros. Quod ipse auditum, omnino prohibuit, & vsque ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditus, & conatum interdixit. Acquieui facilè, cùm quod præcipiebatur, & voluntas non abnueret, & infirmitas requirere videretur. Cùm autem vltra Dominicam illam Septuagesimæ à carnibus, quibus vsque ad diem illam ipso præcipiente, & necessitate cogente vescebar, vellem abstinere, & hoc ipsum prohibuit. Super quo cùm nec monenti acquiescerem, nec roganrem audirem, nec obedirem præcipienti, sic vesperè illa Sabbati ab inuicem discessimus. Ille tacitus ad Completorium, ego ad lectum. Et ecce infirmitatis meæ rabies rediuiua quasi resumptis omnibus viribus pristinis, cum tanta me vehementia, & ferocitate inuadens corripuit, tantaque malignitate tota nocte illa deuastando cruciauit supra vires, supra virtutem, vt de vita desperans, vix saltem vsque ad diem, vt vel semel adhuc loquerer viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxissem, summo manè accersitus ille aduenit: non tamen afferens mihi, quem solebat vultum compatientis, sed quasi arguentis. Subridens tamen: quid (inquit) hodie comedetis? Ego verò, qui iam ipso tacente, hesternam inobedientiam certissimè interpretabar causam esse illius afflictionis meæ: Quidquid, inquam, præcipietis? Quiescite ergo, ait, non moriemini modò. Et abiit. Et quid dicam? Confestim omnis dolor abiit, nisi quòd fatigatus nocturno illo dolore meo, tota ipsa die vix de lecto consurgere praualui. Quis enim, aut qualis fuit ille dolor? Non recolo similem me aliquando fuisse expertum. In crastino autem sanus factus sum, & vires recepi. Et paucis interpositis diebus, cum benedictione, & gratia bona boni hospitis mei, ad propria reuersus sum.* — 4. — b ibidem.

Hactenus de seipso, seu potiùs de Bernardo secum, Guillelmus Abbas. Qui vtinam, vt scripsit ad hunc annum, sic totam vitam Sancti continuasset. [c] *Accidit tamen ei* (Balernensis Abbatis verba sumo) *contra desiderium suum, quia sicut ipse in præfatione sua vereri se denunciauerat, præoccupatus morte non expleuit, quantum animo concepit stilo mandandum.* Morte, inquam, præuentus, non hoc anno: nam vndecim post alios superuixisse plus minusve, suo loco non obscurè coniectabimur. Sed in vltimo senilis vitæ tempore narrationẽ aggressus, vt ipse [d] ait, quippe incipiens responsum iam habere vicinæ mortis, sentiensque instare tempus resolutionis suæ, cùm ad gesta huius anni peruenisset, prosequuturus & alia, si superuiueret, mortalem vitam cum æterna cõmutauit. Hinc imperfectum opus, quod inceperat, alieno calamo reliquit cõtinuandum. Vir vltra intimam secretorũ adhuc notitiam, sanctus, & doctus, atque ob hæc omnia dignus qui cõsummaret. Scripsit autẽ vitæ sancti Patris annos octo & triginta, religionis decem & sex, Abbatiæ tredecim. Elegantiùs, an fideliùs, si sibi comparetur, — 5. — c in præf. ad lib. 1. vitæ S. Bern. — d in præfat.

tur, prorsus dubium: vtrumque certum, si aliis conferatur.

6. Quas scribendi Guillelmus causas habuit, Burchardus prodidit; alteram specialem, communem alteram; sensibiliorem, vt ita dicam, illam; hanc validiorem. Et primam quidem amicitiam ponit, familiaritatemque. *Quibus viro Dei multo tempore coniunctus erat. Vnde & tantam apud illum inuenerat gratiam, vt vix alter magis intimus inueniretur ad secreta mutuæ dilectionis communicanda, & ad spiritualium mysteriorum conferenda colloquia. Cuius familiaritatis gratia, ex eo præcipuè vsque modò prodit ad manifestationem, quia plures epistolas idem Sanctus scripsit ad illum, in quibus quid de eo sentiat, manifestè liquet legentibus illas.* Ita Burchardus de primo, vt ait, motiuo; cui secundum subiungit longè vrgentius. *Vtilitatem totius Ecclesiæ Dei, ne cùm absconditur vas plenum thesauro, ipse quoque thesaurus pariter absconderetur. Vnde non immeritò ipse conqueratur, qui exponi* c Eccl. c. 20. *desiderat, dicens:* c *Thesaurus inuisus, & sapientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisque?* Hactenus causæ. Sanè Bernardi epistolæ ad Guillelmum adeò teneræ sunt, adeò de amore cum ipso decertantes, vt cùm tot Pater sanctus ad alios scripserit, vix inter omnes similes reperias. Legat, qui volet, epistolam octuagesimam quintam, quamquam & quæuis alia idipsum præferat.

7. Tempus suscepti per Guillelmum operis superiùs tactum, nempe nouennio, aut decennio post hunc annum. De loco, nam & is etiam dicendus, ex ipso tempore facilis responsio, quippe non Remis in suo olim Cœnobio, sed Signiaci scripsit Bernardi vitam; cum abdicaris præfectura, simul & habitu (nam ordinem mutasse nequaquam dixerim) Cistercio incorporatus, priuatam vitam inquietè transigeret, & totius perfectionis normam æmularetur. Quod & Burchardus idem memoriæ prodidit, & nos ex ipso inferiùs adnotabimus. Interim animaduersione dignum iudico quòd sanctus Pater virum sibi charissimum cunctis per Galliam notum, nec minus celebrem doctrina, quàm sanctitate, eoque, si ad nostros pertransiret, ingens futurum eorum incrementum, non solùm non pellexit, verùm repulit; & vt omnino impedire non potuerit, at retardauit, & abegit à propria domo, quippe susceptum non in Claravalle, sed in Signiaco, domo, de qua inferiùs. Tanta modestia, tanta reuerētia agebat in alios Ordines, præcipuè verò in eiusdem Benedicti Patris cum ipso filios.

Extat inter alias ad eumdem Guillelmum super hoc transitu deliberantem, & fortè per hoc tempus, scripta epistola, in qua videas dissuadentem id, quod optabat. f *Iam ne quid horum, de quibus* f epist. 86. *mandasti, omnino prætermittam, venio ad te. Velle te audire scripsisti, quid te ego (tanquam qui omnia tua norim) facere velim. Sed hoc, nisi fallor, si modò dicerem, nec tu posses, nec ego consulerem. Volo enim & ipse, quod te velle de te iam olim non latet me. Cæterùm mea, atque tua æquè, vt æquum est, voluntate postposita, magis quod velle Deum de te puto, & mihi, vt tibi suadeam, tutum puto; & tibi, si persuadeam, non incommodum. Tene itaque meo consilio, quod tenes, mane in quo es, & stude prodesse, quibus præes, nec præesse refuge, dum prodesse potes. Quia væ quidem tibi, si præes, & non prodes: sed væ grauius, si quia præesse metuis, prodesse refugis.* Sic Bernardus venientem insignem virum vel repellebat, vel saltim retardabat; in Claravalle, quod vterque summè optabat, nihilominus nunquam recepturus. Sed de his, occasione loci, satis, & de transitu in tempore dicemus. nunc ad historiæ seriem, & huius anni gesta redeamus. Hæc de Guillelmo occasione scripti eius, quo nunc primum deserimur; plura de eo in tempore dicturi. 8.

1. Ebrardus Comes peregrinus, & custos pecudum; 2. à suis agnitus, nec abduci passus, 3. Monachum profitetur in Morimundo. 4. Castigati recentiores, qui de ipso. 5. Copiosa Conuersorum sanctorum seges. 6. Clarevallensis quidam ex apostata, Bernardi hortatu Sanctus, 7. & mox per vlcera ad purum vsque decoctus, 8. tandem gloriosè fine consummatur.

CAPVT IV.

1. PEr hoc idem tempus, certè non longè distans, Ebrardus ex Comite Montansi, secundùm sæculum ingentis spei iuuenis, opibus, genere, atque indole illustris, relictis omnibus primum peregrinus, mox custos pecorum, dum ignotus agebat in Morimundo, tandem à suis agnitus, & proditus, nec ad propria reuerti vnquam acquiescens, in eodem Cœnobio Monachum induit sub Abbate Gualtero, dignus discipulus tanto Magistro, à quo perdisceret, quod alios pòst doceret. Historiam viri, & causam conuersionis, ex antiquis monumentis Cœnobij Bergensis, aliàs Veteris Montis, quod a apud Henriquez in Menolog. Marc. 20. ipse pòst fundauit, accipiat lector. a *Adolfus, & Ebrardus, Comites de castro Akena dicto, cùm essent in expeditione Ducis Limburgi, contra Ducem Brabantiæ, contigit, vt in conflictu amborum Ducum, ex vtraque parte multi caderent interfecti. Vnde Ebrardus iam dictus Comes, licèt manu propria nullum interfecerit (ipse potiùs vulneratus euasit, vt ex infrà dicendis adparebit) tactus dolore maximo, cùm se in castro suo Akena cum suis militibus recepisset, compunctus de peccato perpetrato, vt Domino Deo satisfaceret, habitu mutato, omnia sua dimittens, intempesta noctis silentio clam, ne agnosceretur, in vili habitu recessit, in multa cordis compunctione beatorum Apostolorum Petri, & Pauli limina visitauit: insuper limina sancti Iacobi. Demum veniēs ad sanctum Ægidium, in reditu peruenit ad grangiam Morimundo pertinentem, in qua multo tempore pro mercede promissa, extitit porcorum pastor, vt animam suam Domino lucrifaceret, suæ generositatis omnimodo obliuiscens.* Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Sic ex domino seruus pro Christi nomine, ex Comite mercenarius vilis effectus est: nec prodigentia cogente necessitatem, sed charitate vrgente pœnitentiam, efficacius quàm filius olim prodigus Patrem misericordiarum alloquebatur. b Pater peccaui in cœlum, c Lucæ 15. & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

2. Verùm qui filium sibi charissimum nouerat, non tulit mercenarium per longum tempus. Quin probata constantia, velut tunc agnitum, stola prima indutum ad se recepit, Morimundi inter filios collocandum. Nam pergit auctor describere in hunc modum. *Interea contigit, vt duo ministeriales sui (id est, Ebrardi) ad sanctum Ægidium iter facerent, & grangiam, in qua dictus Comes porcos pascebat, præterirent. Qui quemdam secum habentes histrionem, vt de via perquireret, imperabant. Qui cùm*

in vicino nullum conspiceret, videns porcorum pastorem, propter preceptum dominorum suorum ad illum ocyùs properabat, rogans vt de via eum diligentiùs expediret. Histrio verò curiosiùs eum respiciens, & cicatricem in facie sua considerans, dominum suum Comitem Ebrardum estimabat; quia dictus Comes in conflictu pranominato talem receperat cicatricem. qui rediens ad dominos suos, ea qua viderat, solicitè enarrauit, dicens: Dominus meus Comes Ebrardus istius grangia pascit porcos, qui propter incredibilia, qua loqui videbatur, ipsum acriter arguebant. Tandem ad pastorem venientes, si ipsorum esset dominus, sicut ab histrione intellexerant, diligentiùs sermone Theutonico perquirebant. Ipse verò eos agnoscens, ne ab ipsis cognosceretur, Gallicè respondebat; & penè simili euentu, sicut Ioseph se fratribus suis in Ægypto manifestauit, ipse agnitus est ab eis. Qui cùm essent milites, equis descensis, in collum domini sui irruentes, cum multo desiderio, & amore amplexantes, flendo pra gaudio sibi osculum porrigebant; & secum grangiam, in qua porcorum pastor erat, intrauerunt, per omnia rem gestam magistro grangia exponentes. Hæc de causali militum aduentu, atque agnito per ipsos Ebrardo Comite.

3. At de monastico habitu induto, atque admirando in suscepto statu feruore, hæc quæ sequuntur. *Magister audiens rem sibi incredibilem, nocte consurgens, ad Claustrum citiùs pergens, rei seriem, sicut audierat, Abbati suo per omnia enarrauit. De quo Abbas nimium admirans, manè facto, secum Priorem, & Cellarium suum venire fecit, & omnia veraciter, qua magister grangia sibi retulerat, ab ipso Comite, & à suis militibus, qui casu aduenerant, intellexit. Tunc Abbas videns eum diuino Spiritu agitari, consilium dedit pro peccatis suis, vt in Morimundo habitum indueret Monachalem. Qui consensit pro eo quòd litteratus erat. Secum in Morimundo peruenit, & feruentissimus inibi factus Monachus, processu temporis, diuina gratia inspirante, Ordinem Cisterciensem largiter propagauit, ad laudem, & gloriam nominis Dei, eiusque sancta Genitricis Maria.* Hactenus ille. Mirabilis planè Deus in Sanctis suis; sed in se mirabilior
[c Philip. c. 2.] tunc apparuit, cùm exinaniuit [c] semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Ebrardus Christum, vt potuit, imitatus, quantum potuit seipsum exinaniuit; in similitudinem seruorum vilium factus, & habitu inuentus vt seruus, etiam vilissimus. Exinanitio in Christo, teste Paulo, exaltationis supremæ meritum fuit; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Exaltandum Ebrardum pro suo modo eadem eius exinanitio præfigurabat. Hæc de primæua viri conuersione: nam de progressu, & dilatato Cistercio in duobus Cœnobiis ipsius cura; & tandem de secundo, cui præfectus, & gloriosa eius in ipso consummatione, suis temporibus latiùs referemus.

4. Ebrardi Comitis, & conuersionis eius in Morimundo meminit idem Bruschius, [d] quamuis Gerardum pro Ebrardo nominet, & non pauca omittat historia digna. [e] Miræus, licèt paucis plura tetigit, sed non prius Ebrardum à suis cognitum, quàm Monachus, & Sacerdos in Morimundo; ac tunc statim ad patriam reuocatum, Cœnobio ex proprio castro construendo, insinuare videtur: quod multum dissonat ab antiqua relatione. Quin & non multo post Bruschium sequutus, & sui immemor; quem priùs vere Ebrardum, Gerardum nominat, dum Montem veterem ab eo fundatum perhibet; [f] quæ obiter adnotare visum est, ne lector hæreat, aut duos ex vno faciat. Illustrem Comitum Montensium genealogiam, qui iidem Bergenses, & Altenæ, lego [g] a Christophoro Butkesio, viro erudito, & Monasterij sancti Saluatoris, in Antuerpiensi vrbe Coadiutore, exactè concinnatam, & ad hæc vsque tempora perductam, vbi & Ebrardi mentio non exigua; nec dubium plures scripsisse de sancto viro, qui hactenus ad manus nostras nondum deuenére.

[d in epist. ad Archiep. Coloniens. fol. mihi 323.]
[e ad annum Christi 1133.]
[f fol. mihi 185.]
[g in Menol. apud Henrig. Martij 20.]

5. Claravallis hac ipsa tempestate clarissimis & sanctissimis sub beato Bernardo clarebat viris, nec tantùm Clericis doctis, & litteratis, sed etiam laicis. [h] *Qui, etsi humanam scientiam, per quam ad perfectionis cultum niterentur, minimè consequuti sunt, habebant tamen gratiam illuminantem, & spiritum viuificantem, qui de omnibus, qua oportebant, acquisita scientia incomparabiliter efficaciùs eos docebat.* Meminit plurium auctor Exordij magni, quos ipsa historiæ series iam exposcit, quippe conuersi nec ignobilis, nec exigua Cistercij pars, & quam nefas diutiùs præterire. Habeant & ipsi ex suis, quos imitentur: & nec antiquos qualicumque hoc honore, nec recentes illustribus exemplis; nec Annales ea gloria defraudemus. Ergo seu recèns ad superos translatos, seu superstites adhuc, viuentesque, hoc anno duxi in medium producendos; quo & seruatum hactenus silentium faciliùs redimam; & enodando imminenti Ecclesiæ schismati, in quo sine Bernardo vix quid actum, peractum nihil, expeditior narratio relinquatur.

[h Exord. lib. 4. c. 12.]

6. Agmen ducat Conuersus Claræuallis ex apostata Sanctus; atque ex penè desperata salute animæ, quippe apostata, tertiò reperita, firmus ad bonum, & purgatus per longum tempus, ac tandem iubilans Angelis adiunctus. Audi auctorem Exordij ita loquentem: [i] *Conuersus quidam, cùm de domo Claræuallis leuitate sua tertiò fuisset egressus, tertioque receptus; tandem salutaribus monitis, & sanctis precibus beati Bernardi Abbatis compunctus, cœpit apostasia sua pracipitium, in quo iam tertiò grauiter periclitatus fuerat, totis medullis cordis horrere, & quid pœnitentia, vel satisfactionis pro tam enormi reatu suo Domino offerre posset, enixiùs quærere. Et inspirante Domino cogitauit, & intellexit, ad promerendam veniam delictorum, & ad obtinendam gratiam virtutum, nihil efficacius, nihil in conspectu Domini acceptabilius sacrificio cordis contriti, & spiritus humiliati: quod solum regno cælorum vim facere praualet, & formidabilem cunctis diuina iustitia districtionem gemitibus inenarrabilibus flectere consueuit. Hac itaque pietatis arma corripiens, & seipsum contra seipsum erigens, primò quidem vniuersas Ordinis obseruantias sine dissimulatrice negligentia, quantum potuit, obseruare studuit, & insuper quotidianis precibus, & lamentis praterita sua peccata diluere solicitus fuit, salubri prorsus exemplo stantes ne laberentur, lapsos vt exigerentur, informans.*

[i lib. 4. c. 16.]

7. *Caterùm disponente Domino, qui fortioribus peccatis fortiora solet adhibere medicamina, quique ineffabili pietate sua quandoque vasa contumelia transfert in vasa honoris, & gratia; ingressa est putredo in ossibus pradicti fratris, & percussus est circa femora vulnere pessimo, & apostemate canceroso. Et crescente in dies*

angustia languoris, totus distabuit, ita vt carnibus circa locum vlceris vndique corrosis, ossa nudata patescerent, & vulnera vermibus scaturirent. Annis itaque pluribus in grabato carceratus, & diuinæ animaduersionis flagellis humiliter subditus, quot horis viuebat, totidem penè internecionibus subiacebat. Erat enim patienti animæ miserabilis dolor, & angor a facie putrescentis corporis sui, simulque seruitoribus eius angustia cordis immensa præ horrore, & fœtore, quem tabiosum vlcus continuè exhalabat. Sed laboris huius, & patientiæ erat nihilominus remuneratio penes Dominum vtrisque reposita. Satagebat autem idem frater infirmus in doloribus, & pressuris suis semper gratias agere, corde tenens, & ore confitens sese recipere longè adhuc imparia meritis. Cùm autem ad purum iam excocta fuisset in eo scoria peccati, vt secundùm Sapientis dictum,
k Prouerb 2. *k ablata rubigine de argento, egrederetur vas purissimum: tandem educta est anima illa beata de conflatorio purgationis, & velut argentum igne examinatum munda, & nitida cum cæteris misericordiæ vasis translata est ad palatium summi Regis.*

8. *Sed antequam de lacu miseriæ, & de luto fæcis educeretur, ad consolationem omnium verè pœnitentium, meruit in hac vita prælibare fructum laboris, & patientiæ suæ, & nescio quid de ineffabili illa superna dulcedine, ad quam sine fine fruendam in proximo erat admittenda, prægustare. qua gustata, tanquam musto cælesti inebriatus, protinus erupit in iubilum præconij cælestis, & serenata facie cœpit idiota, & qui nunquam cantare, aut legere didicerat, cum suauissima melodia quosdam nouos, multumque delectabiles hymnos, atque modulos cantare de canticis Sion. Facta autem hac voce, conuenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem tantis miseriis, & calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu cantando, ac tripudiando morti insultantem, & quodammodo dicentem: Vbi est mors victoria tua? Ecce ego magnus peccator, & pauperculus homuncio, qui stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo pro nomine ipsius patienter sustinui, te, larualis vmbra, mater mœroris, gaudij exterminatrix, & vitæ perditrix, non timeo, sed potiùs contemno: sentiens te absorptam, & penitus annihilatam in victoria Crucis Domini nostri Iesu Christi. Ita ergo præcentor noster modullizans, & Alleluia, quod in plateis cælestis Hierusalem frequentatur, quodammodo præoccupans, quid post mortem carnis facturus esset, in carne adhuc corruptibili positus, præsago miraculo declarauit. Sicque lætabundus, & laudans, in voce exultationis, & confessionis beatam animam illam exhalauit. De cuius felici consummatione beatus Bernardus multum exhilaratus, sermonem deuotissimum ad fratres in Capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, & admirabilem patientiam eius omnibus ponens in exemplum.* Hactenus Exordium. Periisse non pauca Bernardi opera compertum est: inter quæ & hunc sermonem ad fratres habitum, & alium similem, de quo capite sequenti, ipse eorum defectus manifestat.

---

1. Conuersus humilis, 2. dum aliorum virtutes contemplatur, quas in se non agnoscit, 3. Bernardum supplex adit, vt pro se oret. 4. Quanti Sanctus timorem illum fecerit. 5. Alterius fiducia, 6 increpata prius: 7. mox ad eius responsum. 8. collaudata, sermone habito. 9. Iudicium de vtriusque exempli imitatione.

CAPVT V.

1. INter Conuersos sanctitate florentes per hæc tempora, duos præ aliis commendauit Bernardus Pater, æquè ad Deum tendentes recto tramite, sed, quod mireris, penè contrariis semitis. Altero ex propriorum defectuum contemplatione ferme vsque ad diffidentiam laborante: fidente altero, ex conscientia peractæ vitæ, meritis Christi, & Bernardi prædicatione. Vtrumcumque nos in hoc capite adducemus, quo fidentibus, diffiden-
a lib.4.c.12. tibusque, & modum, & exempla præfigamus. a *Talium* (inquit Exordium, idest, laicorum) *quidam non littera doctus, sed spiritu, cùm esset feruens in opere Dei, charismatumque meliorum haud segnis æmulator, didicerat Spiritus sancti magisterio, non altum sapere, sed semetipsum humiliari in omnibus: sacra religionis studia, quæ in moribus contubernalium suorum duce humilitate sedulus seruabatur magna, & præ excelsa æstimare; suas verò virtutes, quibus non mediocriter pollebat, communi consideratione prorsus despicere. Sicque factum est, vt eminentia sacræ humilitatis illos præcelleret, quibus in aliis virtutibus fortassis impar non erat, dum (quod rarum valde in humano genere est) continuò quid sibi deesset, vel quibus alij florerent virtutibus, non inuidiosus, sed pius scrutator attenderet.*

2. *Contigit autem, vt taliter adfectus, quadam vice solemnibus vigiliis Fratrum interesset. Tunc verò lethali negligentia, seu somnolentia propulsata, consuetudinaria corripiens arma, quibus ad debellandum inimicum nihil efficacius esse fortassis sciebat, cœpit sibi sua peccata proponere, & negligentias quotidianas districtè discutere, se miserum, se reum, se peccatorem coram oculis summæ Maiestatis accusare: consequenter etiam fratrum suorum, sicut solebat, vitam, conuersationemque magnificare, & beatificare. Cæterùm quemdam præ omnibus, quem gratia virtutum multis aliis excellere semel notauerat, secretario cordis humiliter inducebat, ipsiusque humilitatem, charitatem, patientiam, continentiamque, & cætera spiritualis gratiæ charismata, quæ in illo seruo Dei inueniebat, religiosè vtique ad vnguem rimabatur, seque in eius comparationem nonnisi puluerem, & cinerem reputabat. Denique sanctæ humilitatis ardorem, quem in tam sublimi contemplatione conceperat, ferre non valens, summo diluculo, tempore quo regulariter loqui posset vix expectato, Reuerendissimum Patrem Bernardum, signo, vt audiretur facto, in auditorium trahit: veniam petit, circumfusa sibi mœstitia internum cordis prodens dolorem.*

Requisitus quid causæ haberet. Væ (inquit) mihi misero peccatori, omni prorsus bono vacuo, qui in hac nocte in illo tali fratre triginta virtutes, quibus omnibus pollet, numeraui, quarum ne vltimam quidem, seu minimam in me mendico reperire præualeo. Rogo ergo te Domine Pater, vt digneris intercedere pro me ad Dominum, quatenus tuis sanctis meritis, & precibus virtutum merita consequi merear, quæ peccatis meis exigentibus, hactenus habere non potui. Audiens spiritalis Magister altissimam discipuli sui humilitatem, cuius religionem optimè nouerat, licèt ipse, qui ea clarus erat, felici ignorantia se eam habere nesciret: gauisus est gaudio magno valde, desiderans, & optans cunctos sibi commissos ita semper in virtutibus proficere, vt tamen religiosa infirmitatis suæ consideratione se proficere quodammodo nescirent. Quanta verò admiratione censuerit tantæ humilitatis præconium, per hoc euidentiùs innotuit, quod in 3.

sermonibus in conuentu fratrum habitis, eiusdem Fratris aliquoties debita cum laude meminit: asserens nullam ex omnibus virtutibus, quas idem verè Monachus in simplicitate cordis sui enumerauerat, tanta fortassis excellentia fuisse, quanta piè contemplantis erat humilitas. Qui negligentiores, & infirmiores, quosque iuxta se positos, nec videbat, nec attendebat: solos illos pertinaci studio præ oculis habens, quos vita, & moribus spectabiles esse sciebat: quatenus eorum comparatione sibi metipsi vita sua in oculis suis vilesceret. Hacteous auctor ille.

4. Cæterùm quod ait, Doctorem sanctum solitum meminisse tanti exempli, confirmat sermo ipsius exhortatorius, in Capitulo ad fratres declamatus,

b serm. 1. de altitud. & bassitud. cord. vbi hæc habet.[b] *Memini me, altera quoque iam vice, dixisse, sed iterum repetere, non grauabor, quàm sublimi aliquando meditatione Monachus quidam laicus toto intendit spatio vigiliarum. Etenim summo manè apprehensum me in auditorium trahit, & prostratus pedibus, Væ mihi (inquit) quia Monachum in vigiliis vnum consideraui, in quo triginta virtutes numeraui, quarum ne vllam quidem in me inuenio. Et fortasse nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat religiosæ æmulationis humilitas.* Hactenus Sanctus, de timore viri complacens, adeóque eum imitandum cunctis proponens, sed neque displicens de sequenti securitate.

5. [d] *Conuersus quidam de Fratribus Claravallis innocentis vita, & conuersationis honesta, cùm grauiter aliquando ægrotasset, tandem ad extrema deuenit. Introiuit autem ad eum gratia visitationis beatus Bernardus, & confortans eum, ait: Confide fili, quia migraturus es de morte ad vitam, de labore temporali, ad requiem sempiternam. Ille verò cum ingenti fiducia respondit: Quid non pergam confidenter ad Dominum Saluatorem meum? Verè confido, & quantum de misericordia Domini nostri Iesu Christi præsumere audeo, certus sum, quia visurus sum citò bona Domini in terra viuentium.*

d Exord. l. 4. cap. 19.

6. *Porrò beatus Pater Bernardus, vt erat medicus sapiens, pastorque solicitus, timens nimirum homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magis temeritate, quam de conscientia puritate procederet, ait: Signa cor tuum frater, signa cor tuum. Quid est quod loquutus es? Vnde tibi subrepere potuit tanta præsumptionis audacia? Non ne tu es ille pauperculus, & miserabilis homo, qui cùm nihil, aut prope nihil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente, ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando? Nos verò causa Dei collegimus te pauperem, & inopem, & victu, & vestitu, cæterisque necessariis parem te fecimus iis, qui nobiscum sunt, sapientibus, atque nobilibus viris, & factus es quasi vnus ex illis. Quid ergo tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficis ingratitudini tuæ, gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi etiam & regnum ipsius hereditario iure vendices tibi, quod nullus vnquam Regum, aut Principum, quantum libet magnus auri, & argenti millibus potuit comparare.*

Ad hæc ille respondens, placido vultu, & tranquillo animo dixit. Bene Pater charissime, bene vtique perorasti, & vera sunt omnia quæ dixisti. Verum tamen si iubes, loquar ad te dominum, & Patrem meum, & paucis aperiam, vnde mihi pauperi, & misero suggeri potuit tanta, non præsumptionis, sed (vt ego confido) deuotionis occasio. Nam si vera est illa prædicatio vestra, quam sæpiùs nobis inculcastis, quòd scilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis diuitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur: hanc vnam sententiam tanquam verbum abbreuiatum à Domino sedula commemoratione apud me continuò ponens, illud quasi signaculum super cor meum assiduè meditando, & super brachium meum solicite operando, sine præsumptionis peccato fiducialiter possum à Domino vitam æternam sperare. Quærite, si placet, ab omnibus Magistris, & sociis, quibus me obsequi, & seruire iussistis, si fortè cuiquam illorum aliquando inobediens fui? aut si de fratribus nostris quempiam verbo, aut signo, aut quolibet alio modo quantum in me fuit, contristaui? Quòd si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibusque seruire, cunctosque per gratiam Dei diligere, quis me prohibere potest, vt de misericordia ipsius confidam? 7.

Beatus itaque Pater cùm tale responsum ab homine rusticano accepisset, gauisus est gaudio magno, & ait: 8.
Verè beatus es fili charissime, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi sapientiam hanc, sed Pater cœlestis ipse te docuit, [e] *ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perducet ad patriam. Iam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi ianua vitæ. Defuncto itaque fratre, & exequiis celebratis, venerabilis Pater de conuersatione, & consummatione eius in Capitulo sermonem luculentum sua illa facundia, & deuotione perorauit, omnesque illius exemplo ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit. Vehementer itaque adjectus fuerat in responsione illius, & magis congratulabatur ei super obedientiæ virtute, & super ipsius animæ puritate, quam si vidisset signis, & prodigiis eum coruscantem.* Hactenus in Exordio magno, de duobus conuersis eiusdem temporis, vtroque Sancto, vtroque Bernardi filio, atque vtroque proposito in exemplum, altero confortandis nimium timidis, altero præsumptuosis cohibendis.

e Psalm. 65.

Ex quibus tamen, vt id obiter notem, securius primum, humano ingenio proniori in præsumptionem, & facilius superbire parato, quàm nimium deprimi. Vnde etiam videas Bernardum secundo obuium, at non priori. Sed nec sine Dei nutu factum credo, vt admisso sermone de hoc secundo (neque enim inter opera eius inuenitur) de primo illo extat, legaturque, nec semel tantùm fratribus propositum à beato Patre constat, sed repetitum. 9.

---

1. Conuersus, instanti festo assumptionis in grangia remanens, 2. vigilias perquam deuotè sub diu celebrat. 3. Bernardi Patris de ipso testimonium. 4. Monachus sanctus in extremis agens, à sensibus abstractus. 5. sed mox redditus, quam alteri conuerso paratam gloriam viderat, reuelat. 6. Probata visio: 7. & quid de ea Bernardus Pater senserit, 8. in conuerso eminebant patientia, simul & charitas.

CAPVT VI.

1. LOngum esset eos omnes recensere, quos sola Claravallis habuit per hæc tempora. Sed duos tantùm silentio non inuoluam, dignos, qui litteris aureis scriberentur. Quorum primo viuenti Bernardus Pater, secundo cùm iam spiritum emitteret, Sanctus alius testimonium perhibuere. Vterque de vtroque mira referens, vterque confirmans, atque vterque illustratus cœlesti lumine. En prioris historiam non iniucundam, quæ simul Monachorum Claravallis, & feruorem commen-

[a] Exord. lib. 4. cap. 13.

dat, & Deo grata obsequia testificatur. [a] *Instabat (ait) aliquando sacratissima solemnitas assumptionis (si ritè memini) intemeratæ, & immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, & Fratres grangiarum Claravallis ob reuerentiam tantæ diei ad Abbatiam festinabant. Verùm in vna ex his grangiis, quæ viciniores erant, fuit conuersus quidam Religiosus, ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua perfectiora quæque sacræ religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis, & deuotionis existens, piissimam Dei Genitricem Dominam nostram syncero venerabatur adfectu. Cùm igitur Magister grangiæ ordinaret, quinam ad Abbatiam ire deberent, vel qui ob tutelam domi remanerent: inter cæteros, qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ouium commissa est. quam commissionem licèt ægerrimè ferret, quoniam sperabat, & multum desiderabat, diuinis hymnis, & canticis spiritualibus interesse, quæ in honorem Reginæ cœli à sancto illo conuentu deuotissimè persoluenda fore sciebat, nihil tamen contradicere ausus, obedientissimè imperanti paruit. Vnde accidit, vt deuotionem sanctam, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenæ occupationis, quam obedientia iniunxerat, perdere timebat, eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remunerante, velut signis scintillans, & æstuans in præcordiis eius magis, ac magis dilatata feruentior efficeretur.*

2. *Nocte itaque sacratissimæ celebritatis, dum solicitas excubias super gregem suum in pascuis quiescentem seruaret, factum est, vt sonitus signi matutinalis, quo fratres ad diuinas laudes persoluendas in Cœnobio excitabantur, quodque ob silentium procul audiri poterat, aures ipsius reuerberaret. Tunc verò concaluit cor eius in ipso, & in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis frequentiam scilicet, & feruorem, ac deuotionem, quam scilicet sincero adfectu piissimæ matri misericordiæ cælestis harmoniæ laudes in communi persoluerent, seu qualiter singuli quique apud se in secreto suo eiusdem sacræ Virginis patrocinium votis, & suspiriis implorarent. Protinus igitur exurgens, tantæque deuotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam cæli, quâ Monasterium illud erat situm, vultu, & animo intentus stabat. Dehinc consuetudinariis precibus, quæ conuersis vice matutinarum statutæ sunt, quanto potuit deuotius expletis, cùm in paupere armariolo cordis sui enixius quæreret quid precis, seu quid laudis sanctæ Theotoco Dominæ nostræ offerret, vnde prolixas, & in longum valde productas fratrum vigilias aliquomodo compensare potuisset: nihil aliud præter salutationem eiusdem piissimæ Virginis, quam vtcunque didicerat, se scire inuenit. Hanc itaque tanquam verbum consummatum, & abbreuiatum, in quo plenitudo totius deuotionis inueniri posset, adsumens, & oculos ad cælum dirigens, venias veniis, suspiria suspiriis, salutationesque salutationibus superadditis, in tam religioso negotio reliquum noctis, & diluculi partem sine tædio transegit. Diuina namque cooperante gratia, quæ tantum feruorem in corde sui pauperis accenderat, etiam illa precum identitas, quæ mater esse solet fastidij, & nouerca deuotionis, miro & contrario modo fastidium propulsabat, & deuotionem exacuebat: dum verba illa suauissima, & omni melle dulciora, simplici corde prolata, itidemque crebrius repetita, fauorem, & gratiam vniuersalis Dominæ oranti, & suspiranti celerius impetrarunt.*

3. *Denique, quòd non frustrà in gemitu suo laborauerit, nec incassum misericordiam à matre misericordiæ quæsierit, Dominus Reuerendissimo Abbati suo beato Bernardo per spiritum reuelare dignatus est. Qui diuinis hymnis expletis, sacrisque mysteriis in honore præexcelsæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ à singulis Sacerdotibus deuotissimè celebratis, cùm in conuentu fratrum ob tantæ solemnitatis prærogatiuam commendandam, sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitus, sic ait inter cætera. Et quidem fratres mei dilectissimi, dubitare fas non est, nos Domino Iesu Christo vero Regi, necnon & speciali patronæ nostræ gloriosæ Virgini matri ipsius sanctum, beneplacens, & acceptabile deuotionis nostræ sacrificium hac nocte obtulisse, ideoque fructum laboris nostri, mercedem æternam apud Dominum, & eamdem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse, certissima fide tenere debetis. Veruntamen scire vos volo, vnum ex minoribus, & simplicioribus fratribus nostris Conuersis, quem obedientia hac nocte in montibus, & syluis istis sub dio tantæ festiuitatis gaudia celebrare coegerat, tam iocundum, tam deuotum, tam festiuum Dominæ nostræ matutinorum exsoluisse seruitium, vt nullius nostrûm quantumcumque suspensa contemplatio, seu intensa deuotio ipsius deuotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed summissa sanctæ simplicitatis humilitas effecit, præferri potuerit. Quo audito, mirati sunt vniuersi, præcipuè verò non solum mirati, sed etiam gratulati sunt, & vehementer ædificati fratres laici, quos obedientia tam festiuis, quàm priuatis diebus frequenter in diuersa opera trahebat. Certissimè scientes, quia sicut septa claustri, & parietes templi Sanctum non faciunt timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quæ causa terrenæ necessitatis obedientia iniunxerit, nihil obesse poterunt puras manus in oratione leuanti, puraque conscientia Domino seruire cupienti.* Hactenus acta. Porrò sermonem Sancti, cuius verba ab auctore referuntur, vt periisse cum aliis dolendum est, sic frustulo seruato gratulandum. Nempe per quod obsequia chori, & cantus Deo eximiè placentia, atque ad feruorem charitatis excitandum non minus opportuna, probataque, nouo, & illustri testimonio comprobarentur.

Vltimo loco produco alium Conuersum (nam Anonymi omnes, quæ erat primitiua illa modestia, larga in virtutum, sed parua in personarum commendationem) adparatu festiuo, regioque, ac dulci modulantium cantu, in cœlo inuectus, quem alius Sanctus vidit morti proximus, nec nisi priùs visionem reuelaret, ipse ad consimile gaudium introducendus. Sic vnica historiæ narratione transitus duplex, vterque in conspectu Domini pretiosos, & Cistercio illustris palàm fiet. [b] *Erat* (inquit) *in quodam Monasterio longius à Claravalle remoto, Monachus quidam religiosus, ac magnæ opinionis vir, quem pro sua sanctitate omnes eiusdem Monasterij Fratres syncerè diligebant, omnesque singulariter honorabant. Hic igitur eadem die qua prædictus Frater in Claravalle defunctus est, & ipse moriens ad extrema deuenit. Cumque iam morti proximus videretur, raptus est ab humanis, ita vt omnium membrorum officio destitutus à manè vsque ad horam nonam, iaceret immobilis, tantummodo in pectore modicum spiramenti habens, quod eum à mortuo secernebat. Ita ergo de manè (sicut iam diximus) vsque ad horam nonam in ecstasi positus, tandem ad seipsum reuertitur, & virtute recepta, lingua iterum in verba laxatur.* 4.

[b] Exord. l. 4. cap. 20.

Stupentes verò qui aderant, causam ab eo repentinæ discessionis, ac reuersionis efflagitant. quibus ipse respondit. Hodie cùm à sensibus carnis in spiritu subleuatus abstraherer, inueni me subitò introductum velut in paradisum voluptatis, in gloriosum locum, atque præclarum nimis, cuius amplitudinem, pulchritudinem, atque amœnitatem humani sensus angustia æstimare non sufficit. Videbatur illic pretiosorum vasorum, aliorumque ornamentorum gloria magna, & diuersitas multa, infinita quoque deliciarum præparatio, quemodo fieri solet in aduentu cuiuspiam potentissimi Regis, aut Imperatoris. 5.

Erant

Erant etiam illic Sancti innumerabiles immensa claritate coruscantes, quorum alij iam aduenerant, alij adhuc de cunctis partibus veniebant, quasi ad grande spectaculum certatim properantes, & velut ad diem solemnem vndique confluentes. Audiebatur praeterea ibidem suauitas harmoniae caelestis, & resonabat vndique gratiarum actio, & vox laudis. Ego verò cùm in his, quae videbam, & audiebam, nimis obstupuissem, sciscitatus sum ab Angelo ductore meo, quaenam esset tantae solennitatis & laetitiae occasio? Ipse verò respondit. Haec est celebritas noua noui cuiusdam Sancti hodie de domo Claravallis assumpti, & in gaudia ista solenniter introducendi.

6\. *Hoc itaque dicto, iussit me citiùs egredi, atque ad humana reuerti. Quod cùm ego nimium detestarer, obsecrabam medullitus, vt ab illa felicitate ampliùs ad miserias corporis non remitterer. Ille verò respondit. Modis omnibus oportet te ad fratres tuos regredi, donec annunties, quae vidisti. Quo facto, protinus reuertéris, & aeternae istius laetitiae participium obtinebis. Huius rei gratia missus sum ad vos indicare ista, quae vidi, vt & ipsi benefacientes proficiatis, & perseueretis in bono, scientes vtique, quia non deerit merces operi vestro. Et cùm ista dixisset, obdormiuit in Domino. Planxit autem eum omnis congregatio Monasterij planctu magno, vtpote sanctissimum, & magnae vtilitatis virum, de cuius exemplo omnes aedificati erant, & de cuius consilio pendebant vniuersi. Illi ergo solicitè tempus, horamque notantes, cùm requisissent in Claravalle, cognouerunt fratrem illum supra dictum (Conuersum scilicet, de quo nobis sermo) eadem die, qua visio haec demonstrata est, fuisse defunctum. Cuius nimirum tanta, ac talis inuenta est conuersatio, vt fidem facile faceret tanto, ac tali miraculo.* Hactenus de pretiosa morte vtriusque Sancti.

7\. Sed illud longè mirabilius est, quod eiusdem Exordij auctor subiungit, quòd *Beatus Bernardus, cùm quidam de fratribus hanc visionem coram eo cum grandi admiratione referret, ita respondit. Et vos fratres ista miramini? Ego verò magis admiror incredulitatem, & duritiam cordis vestri, qui adhuc minimè creditis, aut minus fortè aduertitis vocem illam veridicam, quae de caelo clamatur:* [a] *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit spiritus, vt requiescant a laboribus suis.* Ita Bernardus, quominus tem admirans, eo admirandam magis nobis exhibens, quippe in miraculis supremum illud est, si ex frequentia, admiranda esse desierint.

a Apoc. 14.

De hoc Conuerso (nam id etiam notabo) [b] scriptum lego, non vnquam in Capitulo clamatum (est autem clamor delatio admissae culpae) siue iustè, siue aliquando iniustè proclamaretur, quin oraret pro eo, à quo clamabatur. Satis laudandum exemplum relinquens posteris (quod ab eius decessu, in Claravalle à cunctis pro lege obseruatum per multos annos, idem qui suprà auctor memoriae prodit.) Quin & ipso spoliato per latrunculos, cùm modo simili preces pro eis funderet, adeò coofractam hominum duritiem, vt cunctis integrè, & continuò restitutis, etiam veniam de illata iniuria deprecarentur. Sed nos auctorem loquentem audiamus. *Praedictus autem frater quadam vice pro negotiis Ecclesiae Clarevallensis in viam directus, necesse habuit per fauces cuiusdam nemoris solus transire. Contigit autem eum ibidem in manus incidere latronum, qui spoliantes eum, iumentum quoque, quo vehebatur, cum sarcinulis rapuerunt, & nihil penitus praeter solam charitatem, & mansuetudinem illi reliquerunt. Recedentibus verò latronibus, cùm iam paululum processissent, ipse ad orationem prosternitur, obsecrans Dominum, vt hanc eis impietatem remitteret. Quidam autem ex eis nutu Dei reuersus, & fratrem illum a longè subsequutus, curiosiùs obseruabat, volens scire, quid ageret. Et videns eum orationi diutiùs insistentem, celeri cursu reuertitur ad socios, percutiens pectus suum, & dicens: Vae nobis miseris, & damnatis, an moriemur omnes, quia hunc tam sanctum hominem, tam sancti Monasterij fratrem (siquidem ipso reuelante, cognouerant, quòd de Claravalle esset) tam malè tractauimus. Hic ex quo recessit à nobis, non cessat orare cum gemitu, & lachrymis: nec dubium est, quin ipse Dominum roget etiam pro suis inimicis. Quo audito, latrunculi illi contriti sunt animo, & velociter redeuntes, inuenerunt illum adhuc in oratione, flexis genibus intentum. Cui mox vniuersa, quae abstulerant, restituerunt, & venia suppliciter postulata, in pace dimiserunt. Quo viso, frater ille Saluatori Christo immensas gratias referens, gauisus est valde de conuersatione praedonum magis, quàm de receptione spoliorum.* Hactenus ibi de glorioso illo viro, cui nomen opera, & post merita praemium satis ostensum: caetera ignoto, vt plures ex hac familia. Atque haec in gratiam Conuersorum dicta pro nunc sufficiant, reliqua suis locis prosequemur. 8.

b Exord. l. 4. cap. 10.

---

1. Chronologia nascentium Caenobiorum. 2. Locus Regius erectus, 3. & Vallis lucens, 4. scaturientibus stagnorum aquis celebris. 5. Quid de Landesio. 6. VVaberleiam primum Angliae Caenobium, sunt, qui adfirmant. 7. Vrsicampi fundator, & primus Abbas. 8. Bernardi celebris de Herbeto prophetia. 9. Variae memoria eiusdem Monasterij.

CAPVT VII.

1\. VLtimum locum Chronologia pro more occupet, idest, hoc anno exortae fundationes. Ea sic habet:

Anno M. CXXIX. octauo Kalendas Maij fundata est Abbatia loci Regij.

Eodem anno, quinto Kalendas Octobris, Abbatia Vallis lucentis.

Eodem anno, tertio Kalendas Octobris, Abbatia de Landesio.

Eodem anno, quinto Kalendas Nouembris Abbatia de Kalocherio.

Eodem anno, octauo Kalendas Decembris Abbatia de Bouuerlea.

Eodem anno, quarto Idus Decembris Abbatia Vrsicampi. Sex ergo hoc anno natae recensentur, ex quibus tamen demenda Kalocherium, quippe vna ex filiabus Sabigniaci, quae adeò matrem, vt & alias sorores, praestolata, cum ipsis nobis veniat referenda.

Locus Regius, *Lo Rey* vulgo adpellatus, Cistercij lineam adauxit in dioecesi Bituricensi, ex Curia Dei Colonia illuc transmissa. De eo in libris Camerae Apostolicae, modica sexaginta florenorum taxa praefixa, & in recentibus Gallorum [a] scriptoribus. Neptem Cistercij ex Curia Dei natam genesis prodit, cui omnes tabulae vniformiter conformant. Neque inuenio quid aliud historia dignum, ab his, quos legi, auctoribus notatum de hoc Coenobio. Illustrant tamen illud sepulchra duorum Archiepiscoporum Bituricensium, Alberici, 2.

a Ioan. Chen. in Catal. Coenob. Bituricens. & Rob. Claud. in Gall. Chr.

rici, & Henrici, quos suis locis infrà memorabimus.

3. Vallem lucentem in Senonensi diœcesi Pruliacum protulit, obtemperante, vt coniectari licet, Artando Pruliacensi Abbate Bernardi monitis, ne filios in Hispaniam ablegaret, quos apud se locandi facultas erat. Ergo ad Cœnobium antiquum, sed tunc desertum, atque Abbatis, ad quem pertinebat, obtentum dono, crediderim transmissam Colonium ex Pruliaco, Cisterciense institutum propagatum. Atque hoc esse, de quo Bernardus scripserat. [b] *Cum prope te (Monasterium) habere possis, vbi colloces* (scilicet filios, quos manumittis) *iam ædificatum, & bene preparatum. Nec enim, vt reor, hinc te excusare potes, quod locus ille tuus non sit, cùm certissimè sciam, quòd facillimè, si vis, tuus esse possit. Nunquid Abbas dominus, qui illum tenet, sibi requirenti negaret? Imò si velles accipere, gratissimum haberet. Non quia bonus non est, sed quia sibi, vt scis, opus non est.* Hanc ergo domum in eadem cum Pruliaco diœcesi constructam, atque adeò ab ea non longè dissitam, Vallem lucentem coniector non immeritò. [c] Robertus Claudius fundatorem adpellat Visellium quemdam, aliàs Anselmum, dominum Trianguli, quod ad reparationem loci, fortè & dotis augmentum facile referas, siue etiam ad primam constructionem, non nisi sub illius patronatu, in eiusque dominium transituri. Plurima contulisse magnum Theobaldum campaniæ, & Briæ Comitem, in notitiis Ecclesiarum Cistercij scriptum lego.

b epist. 75.

c in Gall. Christ.

4. Celebris est in Gallia Vallis lucens, Ebullientium in eo stagnorum scatutigine, qui se in fluuium non multo pòst diffundunt, de quibus in Papyrio Masonio lego. [d] *Alius quoque riuulus à Sillerino fluente, apud Floriacum se effundit in eum ipsum amnem. Quemadmodum & alius, qui manat è stagnis Monasterij Vallis lucentis, quod est Cisterciensis Ordinis, in diœcesi Senonum, atque apud Molimontem, infraque in Vanam effunditur.* Ita Papyrius. Nec dissentit à Bernardi electione locus vliginosus, & spirituali, quam corporeæ saluti aptior. Extat epistola Gregorij Papæ noni ad Abbatem Vallis lucentis, cum honorifica satis commissione, de qua nos infrà.

d in descript. flumin. Gall. fol. mihi. 181.

5. Laudesium sequitur filia Eleemosynæ, intra Bituricensem sita diœcesim, In libris Cameræ Laudesium adpellatur. Neque exiguum Cœnobium, quod ducentorum florenorum taxam exæquat. Eiusdem meminere recentes Galli, nisi quòd tamen fundationis annum non parum differunt, nempe in centesimum quadragesimum quintum supra millesimum, quod vnde hauserint, penitus ignoro. Chronologiæ exemplaria quot ego vidi, concordi calculo præsentem annum signant. Sed & genesis Ecclesiarum Cisterciensium Laudesium primam Eleemosynæ filiam expresse tradit, eoque nobis non multum differendum. Potuit hoc anno exorta sub aliis legibus post sextum decimum Cistercio incorporari. Quocumque tempore Cistercio, aut orbi illuxerit, non parum excreuisse compertum est, quinque filiabus genitis, atque in Galliam transmissis, de quibus infrà. Itaque venerabilis Stephanus ex tribus filiabus,

e Ioa. Chenu. & Cla. Rob.

6. tribus intra hunc annum susceptis neptibus, incrementis non modò sui Ordinis, sed sui etiam Monasterij perfruebatur.

f in histor. Ang. ad ann. 1251.

Obscurior Boabetlea, eadem licèt matre genita sit (VVaucrlem, seu VVaberleium alij nominant) quam domum Cisterciensis familiæ in Anglia [f] lego in Matthæo Paris, ad cuius Abbatem [g] Alexander quartus scribit, de qua item [h] Arsphel dius hæc habet verba. *Surreya, Monasterium VVaberleie, titulo sancta Maria: fundator Guillermus Giffard Episcopus Vintoniensis.* Verum priores Angliæ fundationes, Riuallis, & Fontes non nisi post biennium surrexerunt: atque hæc receptior sententia inter auctores. Verùm est tamen, nam neque id silebo, Clementem Reinerum Benedictinum, in libello de Apostolatu Benedictinorum in Anglia, in ea esse sententia, vt putet VVaberleium primam Angliæ domum, quam Cistercienses ibidem incoluerint. Sic enim ait. *Cæterùm in Anglia primum Cœnobium Cisterciensium fuit domus VVaberleium, quam anno Domini M. CXXIX. Guillermus Guifferd Vintoniensis Episcopus ipsis construxit.* Ego antiquiores censeo præferendos, quamuis non negem hanc eamdem Chronologiam non parum confirmare Raineri mentem.

g habetur in Regist. Bras. Pontif. sui ann. 4.

h In Catal. Monast. Ang.

At Vrsicampus (Orcam vulgò adpellant) illustrior adhuc domus, non minus Claramvallem condecorauit. Fundator Simon Nouiomensis Præsul, primus Abbas VValeranus Pater fuit, vterque nobilis, vterque regiosus: sed ille regio schemate præfulgens, hic sanctitate. De vtroque Sigoberti continuator Robertus Montis. [i] *Cœnobium Vrsi campi fundatum est à nobilissimo Præsule Noniomensi domino Simone, qui Hugonis magni (Viromanduorum Comitis) filius fuit, frater autem Radulfi Comitis, & Regis Ludouici fratruelis, adducto conuentu Monachorum à Claravalle, & domino VValerano primo Abbate ordinato, qui primus ex nobilioribus personis Claramvallem sua conuersatione illustrauerat.* Ita Robertus de vtroque fundatore. Ab Authore recenti scriptum video VValeranum ante habitum Cistercij susceptum in Claravalle, extitisse Abbatem Ordinis Præmonstratensis, quod vt non asseram, ita neque impugno. 7.

i ad ann. 1129.

Creditur & Bernardus adfuisse initiis domus, cui etiam in spiritu prophetico illustrem filium, quippe nepotem Præsulis Simonis, Deo insignem feturum, & VValerano dignum successorem, multos ante annos præuidit, & promisit. Id fama celebri vulgatum per totam Galliam, Episcopus Beluacensis memoriæ prodit. [k] *Cùm beatus Bernardus* (ait) *esset aliquando in vrbe Nouiomo, in domo Simonis Episcopi, adductus est ad eum Herbeus de Baugentio, puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, & ipsius Episcopi nepos: de quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post longa tempora futurum. Siquidem videbatur sibi tanquam in Missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferret. Nec dubius de reuelatione, eumdem Herbeum renunciaturum sæculo, & futurum aliquando deuotum Christi famulum promittebat. quem postea venerabilis VValeranus primus Abbas Vrsi campi Monachum fecit, & Angelico functus officio, pacem, quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicauit Herbeio, qui etiam prædicto VValerano in regimine Vrsi campi successit.* Hactenus Vincentius. Quas autem filias Vrsi campus procreauerit, & quam mirandis signis sanctitatis vterque Abbas, VValeranus, Herbeusque floruerint, suis lucis sumus reddituri. 8.

k lib. 17 spec. hist. cap. 5.

Extat in iure Vrsi campi memoria non contemnenda, in capite *Dilecto filio*, de testibus, & attestationibus. Extant item Honorij Papæ tertij in Registro Vaticano litteræ, & Stephani Tornacensis ad Abbatem Vrsi campi duæ epistolæ, de quibus aliquid infrà erit dicendum. Porrò Cœnobij eiusdem opulentiam commendant libri 9.

Cameræ

Cametæ Apostolicæ, perducta taxa ad flotenos mille octingentos, quos vix pingues persoluunt Episcopatus. Intet Abbates Vrsi campi floruisse legitur Oddo sextus Antistes eiusdem loci, inde promotus in collegium Cardinalium, sancto Ludouico Francorum Regi charus, & expeditionis Hierosolymitanæ socius. quod nos latiùs in tempore dicemus.

IESVS CHRISTI ANN. 1130. | CISTERCII ANN. 33.

1. Mortem Honorij in Ecclesia schisma sequutum. 2. Innocentij electio prior, & potior iure: 3. Anacleti posterior, & inualida, sed opibus, potentiaque subnixa. 4. Huius profusio erumpens in sacrilegia: 5. synchronis testibus, & fidei indubitata. 6. Simulata virtus, zelusque, & æmulata actiones veri Pontificis: 7. quæ à Principibus Christianis per orbem variè accepta.

CAPVT I.

1. CENTESIMVS trigesimusque supra millesimum reparatæ salutis, Cistercij trigesimus tertius, incipit, quo Honorius Papa solutus corporis vinculis, vt piè creditur, ad cœlos euolauit, quarta decima die mensis Februarij, quippe canonicè, ritéque electus vigesima octaua Decembris anni millesimi centesimi vigesimi quarti, quod suprà vidimus: sedisse legitur annos quinque, mensem vnum, & dies decem & septem, qui pertingunt ad eam, quam designauimus. Sede vacante, vix vacua sedes fuit, aut ne vix quidem. Nondum sepulto Honorio Innocentius successit, atque vtinam non & huic æmulus datus, vniuersam Ecclesiam diuisisset. Id schisma, quia Bernardo Patre agente, tandem sedatum, altiùs repetito principio prosequemur.

2. Secesserat Honorius moriturus in Monasterium sancti Andreæ, quod [a] Pandulfus, & alij testificantur. Licèt autem præscripta lege Patrum, & longa consuetudine inualuisset, vt Romani Pontificis electio non nisi ad sanctum Marcum celebraretur: at Cardinales, qui Honorium sequebantur (quæ & sanior, & maior pars Collegij) ex præteritis cauti, ne à Romanis electio turbaretur, non acquieuerunt illuc conuenire, sicut nec sedem vacuam publicare: sed in ipso Monasterio sancti Andreæ, *Antequam publicaretur Domini Papæ decessus* (verba sunt Sugerij Abbatis in Ludouico) *personam venerabilem, Cardinalem de sancto Angelo, Diaconum Gregorium Summum eligunt Pontificem.* Hæc prima dissensionis occasio fuit.

a apud Bar. ad hunc ann.

3. Nam quidam alij, etsi pauciores numero, & qualitatibus etiam inferiores, electioni detrahere, de nullitate dicere, clandestinam, furtiuamque causari, atque indebitis factam loco, & tempore: illo, quia extra sanctum Marcum, vbi debuerat, hoc, quia ante Honorium mandatum sepulturæ. Et fauebant potentiores Romanorum, ægrè ferentes fraudari sua potentia. Tum siue propriis vniuscuiusque stimulis adinuicem accensis, vt solet, & accendentibus, seu Petro Leonis Patre Cardinalis eiusdem nominis, cuius suprà meminimus, solicitante causam, *Ad sanctum Marcum* (prosequitur Sugerius) *pro pacto alios inuitantes, conueniunt, Dominique Papæ morte comperta, ipsum eundem Petrum scilicet, Cardinalem Presbyterum, multorum Episcoporum, & Cardinalium, & Clericorum, & Romanorum nobilium consensu votiue elegerunt.* Sic duo Cardinales Legati olim in Gallia, vterque in Summum Pontificem electus, primò Romam, atque ipsos Doctores, mox vniuersum orbem distraxere. Gregorius Innocentius dictus est, Petrus Anacletus, ille virtutibus, sapientiáque excellebat: hic potentia, & opibus, & vt vterque haberet suos sequaces, at multo plures (qui hominum mos est) potentiæ, quàm iustitiæ, fortunis adhærebant, quam sanctitati. Ergo Innocentius, quamuis causa superior, inferior opibus, & numero sequacium, primum Palatio sacro, mox etiam vrbe cedere compulsus, Anacleti potentiæ locum dedit.

4. Hic dum se solum Roma potiri videt, quo iam liberior, æmulo secluso, eo in spem erectior, & insolentior, vt simul etiam orbe potiretur, pro meritis, quibus carebat, armatos milites, pro iustitia violentiam, & ius in armis censuit constituendum: diues opum, & si illæ defecissent, audax ad sacrilegia, rapinasque, quarum subsidio vtcumque reparatæ, etiam in longum tempus protraherentur. Igitur primum quos per auaritiam congesserat, per ambitum effusis thesauris propriis, mox & suorum, demum his adsumptis, sacros etiam diripere tentauit: vt qui malè adeptum pontificatum per bonas artes firmare non valebat, per quascumque firmaret, & vt antea muneribus, sic tunc criminibus plebem diuinciret, non vltra innoxium Pontificem passuram, à quo timeret, non compesci modò, verùm puniri. Itaque pseudo Papa concedente, & populo insatiabiliter grassante, eò vesañia peruenisse legitur, vt expilandas exponeret Ecclesias, atque ipsa sacra tum vasa, tum imagines, modò integra, modò in frusta concisa diripienda. Quin & (indignum milite profano, nedum Sacerdote, assertoque Pontifice) Christianis tantum facinus horrentibus, & quod horrebant omnino recusantibus, Iudæos conductos fuisse historiæ produnt, qui scelus execrandum perpetrarent.

5. Audi Bernardum Bonævallis Abbatem doctum, sanctum, & auctorem illius temporis. [b] *Congregauerat opes innumeras, tam in exactionibus curiæ, quam in legationum negotiationibus, quas ad expectatas nundinas reseruauerat. Insuper & paterni census, ampla congeries eatenus sigillata, modò distributa in populum, ad fas, & nefas, venalem plebem armauerat. quibus erogatis, donaria Regum in ornamentis Ecclesiæ ab ipsis euulsit altaribus. Et cùm calices frangere, & crucifixos aureos, membratim diuidere ipsi profani Christiani vel timerent, vel erubescerent, Iudæos aiunt esse quæsitos, qui sacra vasa, & imagines Deo dicatas audacter comminuerent.* Hactenus Bonævallis Bernardus Abbas, cui sanctus etiam Bernardus adstipulatur, post plures annos ad Romanos scripta epistola. [c] *Recordare qua causa, quo fine, per quos, & in quos vsus, non longè ante hos dies, cunctarum quæ in te sunt Ecclesiarum omnis ornatus, & census profligatus est. Quidquid in altaribus,*

b in vit. S. Bern. c. 2.

c epist. 142.

altaribus, & in altarium vasibus, quidquid in sacris imaginibus auri, & argenti, reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum, & asportatum est. Ita Bernardus de gestis per Anacletum. Quibus tamen quantumuis detestandis, sed quæstuosis ad tempus largitionibus, venalem plebem adeò sibi adstrinxit, vt abiurato Innocentio per fas, per nefas, vna omnium vox esset Anacletus, & vnus animus. *Igitur* (pergit Abbas Bonævallis) *quisque pro modo suo secundùm maius, aut minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publicè Petro vendiderunt assensum, & in omnem sanguinem manus exposuerunt, & arma, & in quotidianis congressibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur, & gladiis.* Adeò non vllum flagitium est, ad quod non cæca ambitio homines adigat.

6. Verùm, quia amat inter ipsa vitia, simul ac virtutes, perfectionis æmula, & simia sanctitatis; quippe parum præsidij in criminosis, si non etiam & probos ad se alliciat: pseudo-Papa Anacletus, ne quid omitteret, quo posset sibi tiaram confirmare, in reliquis fingebat verum Pontificem, addo & bonum. Altaria quædam abs se in vrbe sacrata, donariis auxit, per speciem pietatis. Innocentium, tanquam turbatorem pacis Ecclesiæ, sequaces, vt schismaticos damnauit, atque in vtrosque, anathema indixit, ni resipiscant, statim deponendos. Quin & ad Principes Christianos Legatos mittere, epistolas dictare, Episcopos præcipuos conuenire, atque in omnibus causam Dei prætendere, Ecclesiæ Dei inuasor non erubuit. Extant apud Cardinalem [d] Baronium plures eius epistolæ ad diuersos, nec paucæ dignæ Pontifice sanctiori. Adeò pietatem, iustitiamque eructant, vt placuissent vel scriptæ ab Innocentio. Quas mihi dudum legenti, & perlegenti, stuporem incutit humana vafricies, immanitate, fallaciáque pro monstro; sed assuetudine habenda pro natura. Qua virtus prælucere videbatur, erumpunt crimina: & larua sanctitatis assumpta, prodeunt in publicum, plerumque vel capertis illusura. Vt non immeritò aliquibus videatur, veros Sanctos, si fictis componantur, difficilius cognosci, quàm imitati.

d ad hunc an.

Hos Anacleti nuncios, litterasque diuersi in orbe effectus consequuntur. Namque Lotharius Romanorum Rex, ne responso dignatus hominem vafrum, ab initio propendit in Innocentium. Francorum Princeps Ludouicus dubius stetit, nec successori Petri defuturus, comperto vero; nec præcipitaturus sententiam in re grauissima, cùm maximè ea ea tunc penderet magna pars orbis. Rex Angliæ Henricus propensior Anacleto, adeò ab Episcopis suis firmatus est, vt nec putaret Innocentium audiendum absque piaculo. Denique Duces Siciliæ, & Aquitaniæ, Rogerius, Guillelmusque, potentia, & opibus Regibus non impares, insolentia, & audacia superiores, Anacletum per omnia sequebantur, neuter conscientia. Sed Rogerius conducendus mercede regni, quod facilius spetabat ab iniustiori: VVillelmus per effræoem licentiam, luxumque, & quo Episcopos repugnantes suis insultibus, eoque sibi iofensos, de Sede pelleret, venali gratia, & fauore apud Pontificem, quem merita non possent conseruare. Hæc de Anacleto, cui vt statim Roma, sic maior pars Italiæ, præcipuè autem Capua, & Beneuentum, nobiles, & confines vrbes concessere. Nunc Innocentium fugientem prosequamur. 7.

---

1. Innocentius, Legatis suis præmissis, in Galliam pergit. 2. Tunc Ludouicus Stampis Concilium congregat, 3. cui Bernardus interfuit à Rege ascitus, & præcedente cælesti visione. 4. Concilij in ipsius sententiam compromissio. 5. Electionis vtriusque grauis discussio: 6. & quid Sanctus de ea ad aliquos breuius. 7. Quid ad Episcopos Aquitaniæ prolixiùs scripserit. 8. Prælatus Innocentius, & celebratum Concilium Anicianum.

CAPVT II.

1. DVm hæc per Anacletum agebantur, Innocentius præmissis ante se nunciis, & Matthæo Cardinali Albanensi præfecto Galliæ, primò Pisas, mox [a] *per Genuam transiens, ad sanctum Ægidium prosperè adplicuit. Pergens autem per Viuarium, & Anicium, Aluerniæ fines intrauit, & apud Claramontem primò Concilium celebrauit.* Hæc Baronius, ex actis Innocentij. Nec dissimilia Frisingensis Præsul Oto, qui ita scribit. [b] *Non multo pòst Honorio mortuo, grauissimum schisma in Ecclesia Dei oritur Innocentio canonicè electo, sed Petro Petri Leonis filio violentia amicorum suorum, qui fortissimi in vrbe erant, fauente sibi Rogerio Siculo, intruso. Cui dum Innocentius resistere neq; valeret, vrbe cedit, transcensisque Alpibus, Gallias ingreditur. vbi in regno Gallici Regis, in ciuitate apud Claramontem Cōcilium celebrauit.* Hæc Frisingensis. Cæterùm nos de Claramontensi Concilio infrà: nunc quæ in Gallia præcesserint, audiamus.

a Baron. in Annalib. hoc ann.

b lib. 7. Chronic. cap. 18.

2. Ludouicus vtriusque electi susceptis nūciis, atque alterius præsentia etiam instante, ne vel vero Pontifici deesset, vel falsò obsequeretur, cunctis etiam Episcopis suadentibus; apud Stampas Concilium publicauit; vt vtriusque electionis discussis meritis, potiorem & præferrent, & sequerentur: nulla spe, nullo metu, nullo fauore. Sugerius sancti Victoris Abbas, qui præsens cunctis. [c] *Cùm autem* (inquit) *Petri Leonis pars, tum parentum suffragiis, tum Romanæ nobilitatis præsidio præualeret, Dominus Papa Innocentius cum suis vrbem relinquere deliberat, vt orbem terrarum obtinere præualeat. Descendens itaque nauali præsidio ad partes Galliarum, tutum, & ad probatum elegit, personæ Ecclesiæ, post Dominum, defensionis asylum, Regem nobilissimum Francorum, nunciisque suis ad Ludouicum destinatis, personæ Ecclesiæ opitulari efflagitat. Quod Rex (vt erat piissimus Ecclesiæ defensor) citò compunctus Concilium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & religiosorum virorum Stampis conuocat, & eorum consilio tam de persona, quàm de electione inuestigans (fit enim sæpe, vt Romanorum tumultuantium quibuscunque molestiis, Ecclesiæ electio minus ordinariè fieri valeat) & assensum electioni, consilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit.* Ita Sugerius de Concilio Stampis habito. Quod tamen ad instantiam congregatum Episcoporum, Bernardus Bonævallis Abbas scripsit, dū ita ait. [d] *Præmissi in Gallias fuerant nuncij, qui Gallicanæ Ecclesiæ intimarent negotij veritatē, & hortarentur Episcopos, vt in vltionem præsumptionis accingerentur, & damnata parte schismatica, subscriberēt veritati. Necdum verò ad plenum tenor operis innotuerat Episcopis, nec priusquam*

c Suger. in Ludouic.

d lib. 2. cap. 1.

quisquam commodare præsumpsit assensum, donec collecto Stampis generali conuentu in communi decernerent, quid reciperent, & quid damnarent. Hæc Bonæuallis Abbas, quibus videas, ante Stampense Concilium nihil actum; nec prius Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ, ad Claramontem vocatos conuenisse, quàm electionis vtriusque causam discussetint, atque Innocentium Anacleto præferendum, vno omnium consensu adiudicauerint. Haud aliter, qui non potuerunt Stampis, conuenêre Anicij; quod mox videbimus, & prius inter se de vero consultauerunt, & decreuerunt, quàm alterius Pontificis mandatis obtemperarent. Verùm processum ipsius discussionis, & Concilij Stampensis, cui Rex interfuit, quia ad Bernardum res tota delata est, altiùs repetito principio prosequamur.

3. Rex, & Episcopi in vnum conuenturi, & secum collaturi de grauissima, quo pleniùs, planiusque, tum & securiùs pertractarent negotium, Bernardum Patrem accersiri iubent, ipsius trutina cuncta libraturi. Ille, vt verè erat humilis corde, & parum sibi fidens vel in leuioribus, pauidus quidem, tremensque consensit: sed consensit tamen tantorum Patrum, atque ipsius Regis precibus deferens: & neque illis fortasse consensurus, si non cœlesti oraculo præmonitus, Ecclesiæ pacem, & quietem prævidisset. Audi Bernardō Bonæuallis Abbatem de his loquentem. [e] *Conuocato igitur apud Stampas Concilio, Abbas sanctus Clareuallensis Bernardus specialiter ab ipso Francorum Rege, & præcipuis quibusque Pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pauidus, & tremebundus aduenit, periculum quippe, & pondus negotij non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem: vnde sperauit pacem sine dubio prouenturam.* Hæc Bernardus de Concilij illius conuocatione, quæ, breuiùs licèt, Theobaldus Episcopus perstrinxit in vita sancti Guillelmi Pictauiensis, dum ita ait: [f] *Conueniunt Stampis omnes Pontifices, Barones, & Abbates, vocato ex nomine à Rege, & pluribus Episcopis, sancto Abbate Clareuallis.*

e lib. 2. cap. 2.

f cap. 3.

4. Quid autem in eo Concilio gestum sit, & qualiter totum negotium electionis vni Bernardo iniunctum nomine omnium, vterque auctor narratione sua prosequitur. Bernardum primò, Theobaldum mox producam. *Vbi verò* (ait Abbas Bonæuallis) *ad locum ventum est, celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fusis, cùm de eodem verbo tractaturi* (nempe electionis Innocentij, & Anacleti) *Rex, & Episcopi, cum Principibus consedissent, vnum omnium consilium fuit, vna sententia, vt negotium Dei, Dei famulo* (id est, sancto Claræuallis Abbati) *imponeretur; & ex eius ore tota causa penderet.* Sic Bernardus Theobaldus non dissimiliter. *Fuitque vnicum omnium consilium, & sententia, vt negotium Ecclesiæ Dei Abbati sancto (Bernardo) iniungeretur. Et ex ore eius tota causa pensaretur.* Hæc de prima sessione illius Concilij vterque auctor concordi narratione.

5. Tunc Pater sanctus obedientia pellente metum, & periculo vrgente solicitudinem, accinctus operi, & nec labori parcens, nec industriæ, de vtriusque electionis causa inquirere, discutere merita, modum, & ordinem curiosiùs indagare, eligentes, electosque conferre, & nihil tandem prorsus omittebat, vnde posset iudicium pensitari. Nec alienus adfectus ab Anacleto, quem amantissimum, quem obsequentissimum in Gallijs dudum fuerat expertus. Sed electio Innocentij probabilior, quia prior, quia plurium, quia meliorum: adde, quia melioris, dignioris que; & quæ cùm æmulam vinceret in omnibus, solo loco, è conuerso, vincebatur: quem tamen de solemnitate fore, non de substantia, atque facilè ex causa dispensabilem, nec defuisse eam viris prudentibus, non semel tantùm expertis violentiam populi. [g] *Ergo* (prosequitur Abbas Bonæuallis) *diligenter prosequutus electionis ordinem, electorum merita, vitam, & famam prioris electi, aperuit os suum, & Spiritus sanctus impleuit illud. Vnus ergo ore omnium loquutus, suscipiendum ab omnibus Summum Pontificem Innocentium nominauit, & ratum esse pariter omnes acclamauerunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentij omnes pariter subscripserunt.* Ita Bernardus. Nec dissentit a domestico teste, testis extraneus, Episcopus Theobaldus, dum ita ait. *Qui diligenter prosequutus electorum merita, & electi vtriusque vitam, & famam, electionisque ordinem; aperuit os suum, & Spiritus Patris sui impleuit illud. Vnus ergo omnium ore loquutus suscipiendum ab omnibus Innocentium nominauit, & ratum esse omnis pariter Ecclesia congregata, clamauit.* Hactenus vterque testis mira concordia, quo veritas in ore duorum posita, irrefragabili subsistat auctoritate.

g vbi suprà.

6. Quod autem ad vtriusque electionis merita spectat, atque Innocentij, vt legitimè electi antelationem, Bernardo auctore factam, eumdem modò breuiùs, modò diffusiùs, de eisdem differentem audiamus. Breuiùs quidem ad Ildebertum, non multo post Toronensem Archiepiscopum. [h] *Funiculus (ait) triplex difficile rumpitur, electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius est, morum adtestatio, Innocentium apud omnes commendant, & Summum confirmant Pontificem.* Et ad Magistrum Gaufridum de Lothario. [i] *Meritò autem illum recepit Ecclesia, cuius & opinio clarior, & electio sanior inuenta est: nimirum eligentium & numero vincens, & merito.* Hæc Pater sanctus breuiùs ad prædictos.

h epist. 124.

i epist. 125.

7. Ad Episcopos autem Aquitaniæ, qui rebelles, hæc fusiùs scripsisse comperitur. [k] *Stat quippe sententia Ecclesiastica, & authentica, post primam electionem non esse secundam. Celebrata proinde prima, quæ secundò sequuta est, non est secunda, sed nulla. Nam etsi quid fortè minus solenniter, minusve ordinabiliter processit in ea, quæ præcessit, vt hostes vnitatis contendunt: numquid tamen præsumi altera debuit, nisi sanè priore priùs discussa ratione, cassata iudicio? Expropter qui se super ingerere festinant, quique temerario-temere manus imponere nihilominus accelerauerunt, Apostolo prohibente:* [l] *Nemini citò manum imponas: ipsi proculdubio maius peccatum habent, ipsi auctores schismatis, ipsi grandis malitiæ huius Principes extitere.* Et paulo inferiùs. *Duo itaque sunt, de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur Papa? Quorum primò quidem, si personas compares, vt neutri sane vel derogare videar, vel adulari: dicam quod dici passim reperies, & neminem arbitror diffiteri: quia videlicet Innocentij nostri vita, vel fama, nec æmulum timet, cùm alterius nec ab amico tuta sit. Deinde, si electiones discutias, nostri quidem mox occurrit, & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore constat: reliqua duo merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem inuenies, tam Episcopos, quam Cardinales, Diaconos, siue Presbyteros, & quorum maximè interest de electione summi Pontificis,*

k epist. 126.

l 1. ad Tim. c. 5.

cis, & quanti in eligendo iuxta Patrum scita sufficiant. Quid & in consecratione? Nonne Ostiensem, ad quem specialiter spectat, habemus. Cū igitur & electus dignior, & electio sanior, & actio ordinabilior teneatur, quia isti ratione, imò qua contentione, contra ius, & fas, & vota omnium bonorum, in vita, & renitenti Ecclesia Dei praeficere alium, & illum deponere tentant? Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario totis certò viribus renitendum esse videtis reuerendissimi, & illustrissimi Patres. Hactenus Sanctus ad Aquitaniæ Episcopos de vtriusque electionis collatione.

8. Ergo his rationibus Bernardus Innocentio, cæteri omnes Bernardo consensere. Crediderim & statim factum esse, vt Episcopi, qui non potuerunt Stampis, conuenirent Anicij; atque inter eos magnum illud Ecclesiæ lumen Hugo Gratianopolitanus Episcopus, qui prioris, atque vniuersalioris Concilij sententiam sequens, magnum item Innocentij rebus momentum fuit, vt Guigo Carthusiæ Prior habet in eius vita.

1. Ludouicus primum per nuncios, mox per seipsum Innocentio occurrit, 2. necnon Henricus per Berhardum obediens, ex rebelli; 3. quorum exemplum sequuti multi Principes. 4. & Episcopi sancti per totum orbem. 5. Sicilia, Aquitaniaque in schismate permanent: 6. & qualiter Gerardus Engolismensis Guillelmi Ducis mentem obstinauerit.

CAPVT III.

1. AT Ludouicus, qui Stampis Concilio adfuit, adprobato Innocentio, susceptoque, primò per nuncios, mox etiam per se ipsum religiosus occurrit, quod multi item Episcopi fecere. Et quidem de Ludouico ita Sugerius, eiusdem non solùm temporis scriptor, sed & præmissæ internuntius legationis. [a] *Cum autem* (ait) *& susceptionis, & seruitij primitias Cluniaci primò Rex delegasset, tanto exhilar. ui suffragio cum gratia, & benedictione domino Regi, per nos referentes ad propria remiserunt. Vt autem ad sanctum Benedictum super Ligerim descendit, dominus Rex cum Regina, & cum filiis ei occurrens, & nobilem diademate sæpius coronatum verticem, tanquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit Catholicum adfectum, & deuoti seruitij effectum ei, & Ecclesiæ promittit.* Ita Sugerius de Ludouico. De eodem verò, & Episcopis Galliæ, Bernardus Abbas. [b] *In prouinciam nauigio delatus est* (Innocentius) *& Burgundiam transiens, Aurelianum peruenit. Vbi occurrentibus Episcopis, à Rege piissimo Francorum Ludouico alacriter, & honorifice susceptus est.* Sic Innocentius Bernardi Patris ductu, receptus in Gallia, postmodum etiam in orbe recipiendus.

a in Ludouic.

b lib. 2. c. 1.

2. Cæterùm vt & Galliæ consentiret confinis Anglia, atque Innocentium pariter reciperet, ipse Innocentius Carnotum, deducente Gaufrido, Bernardus ad Henricum profectus est, eo tenaciùs adhærentem Anacleto, quo legitimam eius electionem, atque ipsum verè credebat Christi Vicarium. Sed Pater sanctus, qua pollebat auctoritate, rei veritatem pandens, expendensque, atque Stampensis, Anicianique conuentuum prætendens, Patres, Ludouici, & totius Galliæ exemplum, etsi quæ alia mouere virum poterant, cùm dubium adhuc, hærentemque videret, imò, vt scribit Bernardus Bonæuallis, [c] *Cum omnimodis recalcitraret, & detrectaret: Quid times ait? Times peccatum incurrere, si obedias Innocentio? Cogita, inquit, quomodo de aliis peccatis tuis respondeas Deo: istud mihi relinque, in me sit hoc peccatum. Ad quod verbum persuasus Rex ille tam potens, extra terram suam Domino Papæ occurrit vsque Carnotum.* Ita Bernardo agente, Ludouicum Henricus sequutus est, & tota Anglia Galliam imitata, eo splendidius fulgente religione, quo flagitium propinquius imminebat; & quo tardiùs, abundantiùs eruptura. Nam & cum Rege Episcopos, & Proceres occurrisse Innocentio, dixerat idem auctor paulo superiùs. Quin ab eisdem muneribus donatum, adeò in ipsius obsequium cunctis accensis, vt non solùm Christiani, sed Iudæi Pontificem, cuius legem auersabantur, nihilominus colerent, & cultum ipsum donis vltrò oblatis, quod maximum indicium, protestarentur, Guillelmus Malmesburiensis eius temporis auctor memoriæ prodit. [d] *Illi* (inquit, id est, Innocentio) *apud Carnotum vltro manus dedit Henricus Rex, & apud Rothomagum non modò suis, sed optimatum, & etiam Iudæorum muneribus dignatus est.*

c lib. 2. cap. 1.

d apud Baro. ad hunc ann.

3. Sic factum est, vt verus successor Petri, dum vrbem fugit, orbem obtinuerit, Ecclesiaque Pastorem suum agnouerit, vnius Patris Bernardi interuentione, quippe ab his Regibus, regnisque susceptum, facilè quiuis alij suscepere. Quod vel de Lothario, tunc Germaniæ Rege, quem præ aliis Anacleto auersum diximus, & de aliis Principibus Germaniæ, Bernardus Bonæuallis Abbas scriptum reliquit. [e] *Reuersi interim de Germania* (ait) *Legati Domini Papæ, tam Episcoporum, quàm Regis assensum, & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, vt ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam, facilè enim persuasi sunt recipere eum, quem iam cæteri recepissent.* Ita Bernardus Abbas.

e lib. 2. cap. 1.

4. Germaniæ, Galliæ, & Angliæ Regibus, regnisque inclytus tunc Alphonsus Imperator, & cuncti Hispani Reges accessere. Quin, & quod longè maius videbatur (Bernardus Pater vocat iudiciū Dei prolatum per os Sanctorū) omnes Episcopi sanctitate insignes per totum orbem, & inter eos magna illa luminaria Norbertus, & Hugo, queis tertiū addo Hildegarium Tarraconensem (vt tria florentissima regna Christiani orbis, Germania, Gallia, Hispania, singula singulis gaudeant eminentioribus) incunctanter Innocentio consensere. Recensitos à Bernardo Patre plures libet subnectere, quo magni viri noscantur illius æui. [f] *Dei* (inquit) *esse iudicium senserunt, & consenserunt Gualterus Rauenas, Hildegarius Tarraconensis, Norbertus Magdeburgensis, Conradus Sales, Burgensis Archiepiscopi, Dei esse iudicium cognouerunt, & acquieuerunt Episcopi, Equipertus Monasteriensis, Hildebrandus Pistoriensis, Bernardus Papiensis, Landulfus Astensis, Hugo Gratianopolitanus, & Bernardus Parmensis. Horum gloria specialis, & præcipua sanctitas, & auctoritas etiam hostibus reuerenda, facile nobis, qui minorem & meriti, & officij tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuadet.* Ita Bernardus de Episcopis sanctioribus, quos omnes Innocentius post se traxerat, seu potiùs per Bernardum Deus illi obstrinxerat. Addit & de diuersis religionibus, quæ nos infrà commodiùs referemus.

f epist. 126.

5. Restabant adhuc Sicilia, & Aquitania, Pictauiaque, cum earum Principibus Anacleto addictis

ob propria commoda, quorum superiùs fecimus mentionem. Sed Aquitania, & Pictauia, nam vtraque parebat Guillelmo Duci, vltra insolentiam effrenem eiusdem Principis, insolentioris adhuc conditionis, Episcopo Gerardo Engolismensi, Anacleti tunc Legato, perturbabatur. Hic Innocentio Papæ priùs adhærens, legatione, quà sub Honorio functus fuerat, petita quidem, sed non obtenta, cùm spe decideret, ad Anacletum transiit, atque ab ipso impetratam per fas, per nefas, exercebat in his Prouinciis, homo inquietus, & qui diu magnus habitus inter suos, videri seipso inferior erubescebat. Bernardus Pater de eo in quadam epistola. [g] *Primus, aut inter primos scribit Papæ Innocentio, legationem postulat, non obtinet. Indignatur, resilit ab illo, transit ad alium, ipsius se esse Legatum gloriatur. Quòd si ab illo antè non poposcisset, aut postmodum non accepisset ab isto, credi poterat alium quemcumque habuisse in præuaricatione intuitum, etsi non rectum aliquem. Nunc autem excusationem non habet de ambitione sua.* Et post pauca. *Donec enim in obtinenda, pudenda, & impudenti petitione spes tibi vlla promerendi Domini Innocentij gratiam esse potuit, Sanctus ille, te scribente, & Papa fuit. Quomodo ergo nunc schismaticum criminaris? Nunquid cum eadem vana spe tua, illius simul & sanctitas euanuit, & Papatus?* Ita Bernardus de causa discessionis Gerardi ab Innocentio. Porrò Anacletus, quo ambitiosum hominem magis, ac magis sibi deuinciret, legatiæ Aquitaniæ, Pictauiæque, Galliæ, & Burgundiæ etiam legatias adiunxerat: aut ipse sibi adiunctas gloriabatur, quod idem Pater sanctus ibidem refert. *En ille (inquit) totam vt gloriatur, Franciam, atque Burgundiam, legationi eius antiquæ superaddidit. Potest & adiungere, si vult, Medos, & Persas, atque ipsos medios fines Decapoleos.*

g vbi suprà.

Ergo hic Gerardus Innocentio infensus, Anacleto obstrictus Guillelmum Ducem ex se aliàs satis pronum ad omne malum, contra Innocentium acriter armauerat. Id Theobaldus sanctitate, & doctrina conspicuus Pontifex (sic Surius virum nominat) in vita eiusdem Guillelmi ita describit. [h] *Laborabat eo tempore schismaticorum oppressione tota Burdegalensium Prouincia, & non erat in tota Aquitania, qui VVillelmo Principi posset resistere, in tantum animum eius indurauerat Deus. Persuadente siquidem Gerardo Engolismensi Episcopo, & instillante in cor eius dissensionis semina, factus erat schismaticis auctor, & defensor. Quicumque enim susceptioni Petri Leonis non subscribebat, persequutionibus exponebatur, ita vt exulare cogeretur, sibilabat enim in auribus VVillelmi Ducis crebris suggestionibus Gerardus prædictus, tanquam vulpes astutissima, & serpens antiquus, atque tortuosus.* Hactenus Theobaldus de Gerardo, quem schismatis auctorem Guillelmus habuit. Verùm quia de eodem Guillelmo acturi sumus, quem ex Saulo in Paulum, atque in vas electionis, honorisque, ex vase contumeliæ, Bernardo Patre agente, & peragente, diuina prouidentia destinauerat; non abs re erit, si altiùs repetentes, processu schismatis, & Bernardi Patris gestis intermissis ad tempus, sed non omissis, eiusdem Ducis primordia describamus: quo videat lector, cùm Sanctum intellexerit, qualem ex quali fecit, qui solus potest mutare hominum corda: & quem fructum perceperit Bernardus quinquennio, & amplius insudans incultæ glebæ, sed fortè fertiliori, quo duriori. 6.

h cap. 3.

1. Genus, & forma, atque opes Guillelmi Ducis. 2. Robur corporis, vitia, potentiaque. 3. Bernardi ex fama in eumdem ignita charitas, 4. legatio ad ipsum, & Episcopum Gerardum, 5. induratum in malo, 6. Guillelmo penè cedente consiliis Sancti, 7. nisi ab eodem Gerardo peruerteretur. 8. Vnde hæc prima legatio sine fructu, 9. sed non sine cælesti vindicta fuit. 10. Tum Pater sanctus Cistercium, & Claramvallem, Innocentius Rothomagum perrexere.

CAPVT IV.

1. [a] *NAtus illustris ex illustribus natalibus* (Theobaldi Præsulis verba mihi sumo,) *& educatus secundùm morem magnorum, qui sunt in terris, reprimebatur à concepto facinore, cùm parentum, & custodum timore, tum ætatis imbecillioris infirmitate. Et quidem VVillelmi infantia parum cognita nobis est, excepto quod ex sequentibus præsumimus, crescentem ætate, creuisse simul & malitia apud Deum, & homines. Quando enim plenitudo temporis venit, incepit adparere, quid esset in iuuene, & factus vir euacuauit, quæ erant paruuli. Denique sacrum militiæ professus, & adeptus, non sacer, cingulum, ab omnibus Baronibus terræ vnanimiter susceptus est ad Pictauiæ comitatũ, Aquitaniæque Ducatum, quorũ vterque sibi debebatur iure, & titulo hereditariæ successionis. Factus ergo miles, fretusque Comitis, & Ducis fastigio, factus est eo insolentior, quo nobilior, quo locupletior, quo fortior, quo honoratior, quo formosior, vniuersisque famosior. Denique ex parentela generosus, ex fortuna pecuniosus, ex natura virtuosus, ex fama gloriosus, ex opifice speciosus, insolentissimus omnium extitit, dyscolus, atque fastuosus. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, & insida dignitatum carni in eo, non spiritui militabant.*

a apud Sur. tom. 1. Febr. 10. cap. 1.

2. *Proceritas corporis tanta erat, quod magis videbatur gigantea, quàm humana. Vix ei in vno prandio sufficiebant cibaria, quanta aliis octo iuuenibus fortissimis erant alimenta. Nunquam se per totam illam prouinciam absentauit à prælio, quandiu in armis fuit: sed adfectu pugnæ etiam solitarius, & armigerorum destitutus auxilio, armatus multoties incedebat. Et cùm nollent dimicare, trahebat vel inuitos ad certamen. Diceres redíuiuum Belis idolum in comedendo, & bibendo, crederes ipsum Nembrot potentẽ, & robustum venatorem coram Domino in præliando. Extraneis malus, suis peior, pessimus sibi. Denique proprij germani vxorem, ad instar Herodis, cõtrahus, & fas incestu impudentissimo fertur per trienniũ, & amplius temisse violenter.* Hæc, & alia Theobaldus in illo loco. Pauciora [b] VVillelmus Malmesburiensis: sed quia potentiam, & luxum viti tangunt, nequaquam duxi silentio prætereunda. Nam primò ait tantæ fuisse potentiæ, vt in terram sanctam secum duxerit ingentem militum copiam, nempe exercitum sexaginta millium Equitum, & multo plurium peditum. Deinde verò adeò fuisse intemperantiæ, & omnium virorum sordibus inquinatum, vt etiam gloriaretur, cùm malefaceret, & exultaret in rebus pessimis; quas condiebat salibus nugarum, & facetiarum, ad risum audientium extorquendum: actis ingenij, & prompti ad hæc dicteria. Hæc pluribus VVillelmus Malmesburiensis. quibus videas, ad altissimum

b lib. 4. de VVillelmo secundo.

sanctitatis fastigium hominem destinatum, in profundissimam nihilominus vitiorum abyssum permissum cadere, gloriæ Dei, & Bernardi amplificandæ. Sed de conuersione viri infrà dicendum. Ergo Guillelmus, Gerardusque, Dux, & Sacerdos, mutuo iuuamine vtriusque auctoritatis, vtriusque gladij, vt olim in Christum Herodes, & Sacerdotes, in ipsius vicarium desæuiebant. Nec pro Anacleto constantes; qui enim poterant? Sed Innocentio rebelles, & obstinati, quoscumque illi adhærentes persequebantur.

3. Optauerat Bernardus à multo tempore conuenire Ducem, & virum magnum, elato illustrem sanguine, vtriusque portionis dotibus insignem, neque minus ornatum externis bonis, et autem miserè, & laborantem sub iugo Dæmonis libertate donare, & Deo auctori omnium restituere. Sed tantum Principem siue ad se vocare, siue vltrò adire, aut præsumptioni adscribendum verebatur, aut leuitati. Audi Theobaldum de hoc sancti Doctoris desiderio, atque eius repressione ita loquentem. c *Hic igitur* (Bernardus) *in spiritu vehementi audiens famam sæpe dicti VVillelmi Comitis, velut Aquila perspicax, vbi fuerit cadauer, statim adesse desiderans, superni flaminis instinctu præmonitus, cogitabat cum muliere* d *Euangelica drachmam perditam reperire, &* e *ouem erroneam ad pascua reuocare. Ponensque animam suam in manibus suis, deliberabat se vel ad tyrannum profecturum, vel ad se per nuncium, gratia mutuæ colloquutionis, vocaturum. Sed quid ageret? si vocaret eum dilectus Domini in dilectam Claramvallem, vt illum introduceret in cubiculum genitricis suæ, præsciebat probabiliter dyscolum Ducem non venire. Si ad eum pergeret, iam propositum suum frangeret, de quo se nouerat ad Petrum Diaconum Cardinalem sic scripsisse.* f *Salua vestra, omniumque bonorum reuerentia, mihi propositum est, nequaquam egredi de Monasterio, nisi certis ex causis. Ad tempus ergo sedit solitarius tacens, & quietus, negotium committes supernæ dispositioni. O virtutem viri! ô animi puritatem! nec adfectatis publicum, nec formidantis tyrannum pro eius salute!* Sic Theobaldus de Bernardi Patris, pro salute VVillelmi, solicitudine. At quàm nó frustrà in eo ignis exarserit, qualiterque occasione præsentis schismatis, desiderium ipsius Deus impleuerit, ex Bernardo Abbate Bonævallis, simul & ex eodem Theobaldo accipiat lector.

c apud Sur. 10. Feb. c. 2.
d Lucæ 5.
e Lucæ 15.
f epist. 17.

4. Innocentius, compertis flagitiis hominum, & siue eisdem Guillelmo, Gerardoque, atque Aquitaniæ, & Pictauiæ Ecclesiæ condolens, siue etiam prudenter sibi, & suis, à potentia, & audacia vtriusque timés, grassanti morbo adhibere tentauit medicinam. Et ne quas suo tempore procellas pateretur Ecclesia, quibus sedandis Bernardum non præficeret, eumdem Sanctum, simul cum Suessionensi Episcopo Iosleno, ad Guillelmum, Gerardumque direxit, qui dura corda aut ratione emollirent, aut efficacia frangerent, aut tandem pondere auctoritatis opprimerent, errantesque ad ouile reportarent. g *Itaque* (pergit auctor idem qui suprà) *missi sunt à latere Innocentij Papæ tunc agentis in Galliis, beatus Bernardus, atque venerabilis Ioslenus Suessionensis Episcopus, vt tam ipsum* (Gerardum Engolismensem) *quam Principem VVillelmum super his constanter conuenirent.* Sic compos voti Bernardus Comitem adiit, & nec charitati defuit, nec proposito.

g in eisd. act. c. 4.

5. Cæterùm quid in hac legatione gestum sit, nondum completa vtriusque viri malitia, adeoque neutro adhuc reducendo, ex eodem auctore; simul & ex Abbate Bonævallis, seorsim tamen, & distinctè, accipiat lector. Et quidem Gerardus, vt Angelos, ministerij dignitate, sic æmulatus voluntatis obstinatione, tam longè à resipiscentia fuit, vt ex tunc potius actiùs desæuiret. h *Quomodo enim persuaderet ei* (pergit Theobaldus) *qui iam eodem Principe persuaso, impudenter in Ecclesiam Catholicam conuitia despumabat, Innocentium vituperabat, Anacletum suum præconizabat, non obedientes ei erroneos, & acephalos affirmabat? Vnde factum est, vt animati, & armati in insaniam schismatici, ex eo die publicè persecutionem Catholicis intentarent.* Hæc de Gerardo, aspernante remedium morbi: siue, quod infelicius adhuc est, desperatiori, ab ipsa medicina.

At VVillelmus proximior saluti fuit, quippe qui se permisit consilio medici. Et quod mireris, vel in homine priuato, modestoque, nedum in Principe dyscolo, & inquieto, per septem dies Bernardum passus est, tractantem vulnera, fomentaque addibentem, etsi non ex contagio recruduissent, potuisset tunc restitui sibi, & Deo. Eumdem Episcopum loquentem audiamus. *Interea dum hæc agerentur, Abbas sanctus in quodam Monasterio Ordinis sui* (Castellariis nimirum, de quo superiùs) *constructo de nouo in Pictauia, morabatur. Qui de Domini misericordia confisus, nuncium ad Comitem direxerat intrepidus, supplicans, vt ad se necessariæ colloquutionis gratia dignaretur properare. Quem mox Comes vt audiuit, deposita quodammodo ferocitate leonina, & assumpta mansuetudine columbina, ad auditum auris obediuit. Venit filius prodigus ad Patrem, etsi nondum reuersus ad se: venit Saulus ad Ananiam, etsi adhuc cæcus, peruersusque, & cum omni gaudio susceptus est ab Anania. Mox qui in spiritu, & virtute Eliæ venerat, accensus est quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat, cupiens in spiritu vehementem conterere nauem Tharsis. Inclusitque septem diebus continuis in quodam loco secretiori Comitem de morte, & vita, de pœnis malorum, & præmiis bonorum, de vita, & exemplis beatorum, suo illo modo ignito, ardenter tepidum instruebat.* Hæc Theobaldus de Bernardo circa Guillelmum, cui, vt statim suadenti non consenserit, at septem dies in Claustro perdorasse, sustinuisse loquentem de regno Dei, non refugisse medicum, non medicinam; primum, nec leue futuræ tandem salutis indicium fuit. 6.

Et iam iam consensurus videbatur, si non Gerardus legatiæ mercede conductus ab Anacleto, durus, & peruicax teneram adhuc mentem peruertisset. 7. quod Bernardus Bonævallis Abbas expresè tradidit. i *Pictauium vsque venerunt* (ait) *vt tam ipsum Gerardum, quàm prædictum Principem conuenirent. At ille iam, eodem Principe persuaso, impudenter in Ecclesiam Catholicam, à qua se præcidebat, conuitia iaculari, & pollicitum priùs Innocentio subtrahere obedientiam, Anacletum suum electum digniorem, & quicumque non obedirent, erroneos, & acephalos prædicare.* Ita Bernardus, & pergit de Episcopis per eumdem Gerardum depositis ob obediétiam Anacleto negatam, quæ nos inferiùs. Quibus (proh dolor!) videas, lugeasque, obsequente sæculari, eoque perditissimo, resilire Pontificem: nec Sacerdotem à Principe peruersum, sed Principé seductum à Sacerdote; eo atrociùs in Ecclesiam debacchante, qui illi custos adeò præfectus fuerat. Audiát, & timeant quicumque propiùs positi elongati inueniuntur per propria crimina, quo deuinctiores, eo culpabiliores, etsi indurerint, difficiliùs reducendi. Sanè Christus latronem seditiosum, & homicidá mortalis conuertit, nec per miracula. At Saulum secundùm sectam Pharisæum (dixeris religiosum illius temporis) nó ante gloriam corporis adeptam, non nisi pręuiis miraculis cópescuit. Quid ni adplicaria

i lib. 2. cap. 7.

actioribus remediis grauiori morbo, atque intensioribus viribus adhibitis, maiori superandæ difficultati?

8. Debilem adhuc, nec plenè sibi redditum perturbare Guillelmum in promptu fuit: fortassis postmodum viriliùs surrecturum, ex nouo casu: non secus ac ex illa detentione, quantumuis breui, violentior tunc erupit in omne malum. *Quid plura* (pergit Theobaldus vbi suprà) *induratus Pharao surgit in scandala, seruo Dei phreneticus conuiciatur, & eum priuare se vertice, si extra claustra reperiret, comminatur. Vnde ferocem leonis sæuitiam expauens agniculus, immunem sua doctrina tunc eum abire permisit.* Hic primæ huius missionis Bernardi Patris ad Guillelmũ exitus; semine verbi, vt tunc infructuoso, sic non amisso, quippe post tẽpus fructificaturo.

9. Interim tamen discessit non sine gloria, vindictam Deo pro sancto retribuẽte populo duro. Maximè autem in Decanum Pictauiensem, cuius miserandum, & atrocem exitum, sceleris patrati supplicium, in sanctum virum, Bernardus Bonæuallis Abbas sic describit. [k] *Obtulerat Abbas sanctus in Ecclesia eorum sacrificium Deo, post cuius discessum Decanus eiusdem Ecclesiæ altare, in quo diuina mysteria celebrauerat, impiè quidem, sed non impunè confregit. Siquidem post breue tempus percussus a Deo, cum animam exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam vidit Dæmonibus, & se à Dæmone ingulari clamitans, cultellum a circumstantibus postulabat, quem immergeret gutturi suo, vt extracto Dæmone viueret. Sed Diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba extinxit; & pestilentem animam in infernum demersit.* Hactenus Abbas Bonæuallis, qui etiam de aliis horribilia supplicia sumpta memorat, & inter eos de Principe perfidiæ, nimirum de Gerardo Engolismensi, quæ nos inferiùs commodiùs inseremus. Qualiter autem iterata post quinquennium legatione, Bernardus Pater Guillelmum tandem conuerterit, ac Deo simul, Innocentioque lucratus hominem, etiam ad vitam sanctissimã perduxerit, dicemus in tempore.

k lib. 2. cap. 6.

Bernardum Patrem Pictauio redeuntem adiisse Pontificem, supponunt magis, quàm referunt auctores. Crediderim ineunte iam autumno, atque instante conuentu Cisterciensi, impetrasse regressum ad Claramvallem; pauculos dies facturum cum suis filiis. Sed neque liquet, quò Pontifex diuerterit, aut quà in Galliæ vrbe hyemauerit. Rothomagum abiisse, certum est: sicut conformius his, quæ subiiciemus; abeuntem, seu sanctitatis Gaufridi æstimatorem, seu rependentem suscepti hospitij gratiam, designasse Legatum, & suo loco negotij præfecisse. 10.

1. Thoma sancti Victoris Priore trucidato, 2. Parisiensis Episcopus ad Claramvallem conuolat. 3. Epistola illius ad Legatum, 4. historia mortis, 5. & Stephani anxietas. 6. Eiusdem ad Innocentium, 7. atque item ad Haimericum alia, Bernardi calamo. 8. Tum eiusdem Bernardi ad Innocentium. 9. Gaufridus Claramvallem adiens, synodum celebrandam Iotri indicit. 10. Hugonis, & Carthusiensium ad eam litteræ. 11. Sententia synodi in sacrilegos, 12. firmata ab Innocentio. 13. Commendatio Thomæ, 14. & ratio temporis, 15. vtcumque comprobata.

CAPVT V.

1. PEr idem tempus venerabili Thomæ Prioris sancti Victoris Parisiensis cædes sacrilega, seu potiùs dixerim, martyrium gloriosum, vt ipsi coronam, sic Gallicanæ Ecclesiæ turbationem, Bernardo Patri nouas curas adtulit. His dũ iniustas quasdam exactiones, à Presbyteris extorqueri solitas, relegare conatur, Stephani Parisiensis Præsulis iussu, à nepotibus cuiusdam Archidiaconi, inter eiusdem Episcopi manus crudeliter trucidatus est: atroci crimine, nec solo sanguine vindictam proclamante, sed persona, sed causa, sed ipsis testibus, quippe persona sancta, & religiosa: causa defensio iuris Ecclesiastici: testes Stephanus Parisiẽsis Præsul, cum omni sua familia, Abbas sancti Victoris, & quidam alij. Scelus patratum decima nona mensis Augusti testatur Necrologium Victorianũ, in quo ita legitur. *Anniuersarium Magistri Thomæ Prioris huius Ecclesiæ, qui pro defensione iustitiæ ab inimicis iustitiæ crudeliter interfectus, & viuens, & moriens, honestatis, & patientiæ dignam, atque laudabilem sequacibus suis vitæ formulam dereliquit, tertio decimo Kalendas Septembris.* Hæc in Necrologio. Historiam mortis inferiùs referemus: nunc ad Bernardum, à quo digressi sumus, reuertamur.

2. Claramvallem reuersus, atque amantissimè susceptus à suis, amantior ipse, mensem Augusti in quiete peragebat. Cùm ecce Stephanus Parisiensis Præsul, Parisiensem nec cœlum, nec terram sustinens, quòd tantum facinus inultum prospectassent: quin & consilij, & auxilij simul indignus, fuerusque vtrumque à Cisterciensibus mutuari, Claramvallem aduenit, vtrumque a sancto Abbate imploraturus. Adeò nulla hora vacua viro Dei, neque vllum prorsus ocium sine negotiis. Ergo comperto flagitio sacrilegorum, & crediderim reuelata gloria Martyris, (nam eo titulo, & beatum virum adpellat) primò solatus Præsulem, atque in vindictam sanguinis confirmans, mox Gaufredum Carnotensem accersiri iubet, virum prouidum, zelatoremque iustitiæ, & tunc Legati fungentem auctoritate; demum Innocentium etiam præueniendum, ne sacrilegi ad ipsum recurrentes, dum audiuntur, iustitiam retardarent. Extat in Bibliotheca Victoriana exemplar epistolæ Stephani ad Gaufridum; quod à Ioanne Picardo publicatum, quia totam ferè martyrij historiam continet, non abs re erit Lectori meo proponere.

3. [a] *Gaufrido Dei gratia venerabili Carnotensium Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato, Stephanus eadem gratia Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus, nunc autẽ miseriæ, & afflictionis præco infelix, valere in Domino. Calamitatis nouæ pondus, quam vestris auribus, imò cordi vestro illaturus sum, nescio, si verbis aliquibus dignè valeat explicari. Nuncium durum, & graue auditu, omnibus, quibus Christi Iesu, & sanctæ Matris Ecclesiæ opprobria dura, & grauia sunt, præcipuè nobis sub habitu, & signo religionis constitutis, quibus hæc tanto plus omnibus grauiora futura sunt, quanto specialius ad nostrum grauamen, imò oppressionem, & ruinam omnium spectat nostrum vnius occasus. Magistrum Thomam Priorem Cœnobij sancti Victoris, virum adprobatum, omnibusque bonis amicum, & dilectum, ac in sanctæ Ecclesiæ defensione, illum Coadiutorem, & propugnatorem deuotissimum, & strenuissimum, impiorum manibus extinctum sciatis, carne quidem mortuum, sed, vt indubitanter credimus, viuentem cum Christo. Cui enim Christus*

a apud Ioan. Picar. in not. ad epist. 158.

Christus vere causa moriendi fuit, in gloria omnino deesse non poterit, quoniam & ipse eum vltimum in nostris manibus exhalaret spiritum, libera voce se pro iustitia mori protestatus est, certissimum præteritæ, præsentisque iustitiæ suæ, qua in Ecclesia Christi contra impios pugnauerat, testimonium relinquens, quoniam in ipsa consummaretur. Hæc enim prima, hæc & vltima causa fuit laboris illius. Nam pro ipsa iustitia tunc mecum aderat.

4. *Ego enim ipsius præcipuè admonitione (sicut ei semper de his curæ esse solebat) rogatu, & assensu Regis, per eum quoque ad ipsum persuasi, ad Abbatiam Monialium, quæ est Chelis, emendandam, & ordinandam perrexeram, assumptis mecũ viris religiosis, Abbate scilicet sancti Victoris, & sancti Maglorij, & subpriore sancti Martini, aliisque compluribus Monachis, Canonicis, ac Clericis. Cumque pro viribus negotio peracto reuerterer, iuxta domini Stephani castrum quod Gorniacum dicitur, subitò ab eius hominibus, scilicet nepotibus Theobaldi Archidiaconi, insidias mihi in via præstruentibus, assultum passus sum. Cumque nos inermes, vtpote die Dominico, & pacem ferentes incederemus, subitò euaginatis gladiis irruunt super nos, & nec Deo, nec diei sacræ, nec mihi, nec his, qui mecum erant, religiosis viris, honorem dantes, inter manus nostras, & innocentem trucidauerunt, mihique mortem comminati sunt, nisi abscederent à conspectu eorum celeriter. Nos autem fiducialiùs agentes, in medios gladios nos coniecimus, & iam semiuiuum, dirèque laniatum a manibus eorum abstraximus, atque vndique circundantes eum, de sua confessione, & de eius, quam passus fuerat, inimicorum impietate dimittenda alloquuti sumus. Tunc ille libenti animo omnibus, qui in se peccauerant, dimittens, & suorum peccatorum intime remissionem petens, percepta tandem Communione corporis, & sanguinis Christi, libera voce se coram omnibus pro iustitia mori contestatus est, & sic reddidit spiritum.*

5. *Hinc ergo, licèt nostræ spei fiducia certa quantum ad eius spectat salutem, & gloriam, exultandum omnino non dubitet, pretiosamque in conspectu Domini mortem Sanctorum eius sciamus: mœror tamen, & luctus grauis, qui de amici orbatione & communi omnium nostrum confusione oboritur, nulla prorsus consolatione in nostro animo temperatur. Me enim in ipso occisum video, & multo magis me occisum, quàm ipsum: quia me in eius morte periculis expositum cerno, ipsum autem à periculis liberatum. Superest igitur, vt quia me nunc tam grauiter desolatum, & contristatum cernitis, ad me consolandum, simul & consiliandum venire non differatis. Ego enim quasi qui ipsam detestandam loci faciem sustinere non valeam, Claræuallis fugiens secessi, illic vos expectaturus, vt consilium pariter capiamus, quid nobis pro sancta Ecclesia tam intolerabili ruina faciendum sit. In omnes enim nos impetus iste casum minatur, & veniet, nisi præueniat Dominus. Mando ergo vobis, & summopere deprecor, vt omni dilatione postposita Claræuallis properetis, quia pericula mihi vndique imminent, pro quibus consilium differri non potest.* Hactenus Pariensis ad Carnutensem. Porrò ad Innocentium Pontificem, atque Haimericum Cardinalem, ne fortè dolor manum impediret, mentem turbaret, Bernardi calamo censuit scribendum. Atque ecce exemplar epistolæ ad Innocentium.

6. [b] *Piissimo Patri Innocentio Summo Pontifici, Stephanus miserandus Episcopus Ecclesiæ Parisiensis misericordiam, & iudicium. Vir religiosus Prior sancti Victoris Magister Thomas in obsequio charitatis, in itinere, quod indixerat pietas, in opere sancto, in Sanctorum comitatu, in dominico die, certè in sinu meo, & inter manus meas crudeliter ab impiis pro iustitia excerebratus est,* b epist. 159.

factus obediens vsque ad mortem. Nunc opus est prece, vbi pietatem melius in silentio lachrymæ prouocant, & singultus, qui interrumpit precem, exprimit adfectionem. Has planè compassionem veram, etsi non postulant, merentur tamen, vtpote quæ verum indicant, produntque dolorem, & simulationis fugant ambiguum. Puto proinde sufficere mihi ad incutiendam paternis visceribus calamitatem, quam patior, rem vt est, simpliciter intimasse. Tristis, flebilisque historia satis pro se agit, præsertim apud vos & suasoriis fucari non indiget. [c] *Exitus aquarum deducite oculi mei, quoniam dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: neque enim illum lugeo, sed me. Nam ille quo pacto lugeatur, qui mortis pretiosæ compendio transiuit ad vitam? Quis illum non magis laudibus, quàm fletibus prosequatur, cui viuere Christus fuit, mori est lucrum? Episcopi nomen ego gerebam, ille exercebat opus. Honore spreto, onus totis viribus supportabat. Idcirco ille reuera mortuus ad vitam, ego viuus in morte. Ille mortis vincula non incidit, sed euasit, & ecce* [d] *dolores mortis circundant me, & terrores iniquitatis conturbant me. Ego igitur, ego miser, ego miserandus in morte tua, mi frater dulcissime Thoma: blando, heu, ablactatus solatio, tanto priuatus consilio, & certè tuo patrocinio destitutus. Expediebat me magis mori pro te, quàm post te viuere.* [e] *Propter hoc defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Condolet mihi Ecclesia, sed dolet & pro se. Commune damnum, communis desolatio est: mecum omnis religio plorat, paternam pariter implorat consolationem. Si Theobaldus Noterius adierit vos, sentiat vel ipse in se, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Nepotes ipsius auctores extitere sceleris, ipse causa, verum & dictator, in quæstione est. Non attendatis ad verba eius, donec veniat, qui mittendus est, qui vobis pleniùs insinuans veritatem, cautum faciat à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Sic Pater sanctus pro Stephano scripsit ad Innocentium. Ad Haimericum breuiùs, sed familiariùs.

c Psalm. 37.

d Psalm. 17.

e Psalm. 30.

7. [f] *Domino, Haimerico charissimo, venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, & Cancellario, suus Stephanus Parisiensis, quod domino, & amico. Amicus in necessitate probatur. Quod dico, non quia de sanctitate dilectionis vestræ dubitem, sed ne contingat, vt dubitem. Continget autem procul dubio, si zelum illum vestrum modò (quod absit) dissimulare comperero. Porrò dissimulationis id mihi argumentum inexcusabile fore noueris, si Theobaldum Noterium non recipere pro meritis quacumque occasione contigerit, qui dimidium animæ meæ nepotum suorum manibus crudeli ambitione præcidit, soli cruciatui parte reliqua seruata.* Ita ex nomine Stephani, Haimerico. Cæterùm vtramque hanc epistolam duplici alia comitatus est: ad Pontificem quidem, & propriu nomine, & Abbatum Funtaneti, & Vrsi campi-Stephani, VValeranique, qui Claramvallem venerant, reducem ex Pictauia sanctum visitaturi, & quem vtrumque Innocentius habebat charum: ad Haimericum solus, & valde fidens. Exemplar epistulæ prioris, vt eam se inuenisse testatur Ioannes Picardus in duobus codicibus antiquis, sic habet. f epist. 160.

8. [g] *Amantissimo Patri, & Domino Innocentio Summo Pontifici, Bernardus Claræuallis, Stephanus Fontaneti, & VValeranus Vrsi campi indigni Abbates, minimum id quod sunt, & quod possunt in Domino. Fera pessima, quæ deuorauit Ioseph, canum nostrorum importunitatem non ferens, ad vestræ dicitur defensionis auxilium confugisse. In quantum miseram deuenit amentiam, vt vaga, & profuga, & tremens super terram, illuc potissimum fugam inierit, vbi plus timere oportuit? Sceleratissime, tu summæ æquitatis sedem putas esse spelun-* g epist. 158.

cam latronum, aut cubile leonum? Tu filij recentem adhuc cruorem ore rabido, atque ferali spumans, & masticans, fugis ad sinum matris, Patris audes adparere conspectibus? Tamen si pœnitentiam petis, neganda ei non est. Quòd si audientiam, accipias illam, si placet,
h Exod. 32. *quam vel Moysis* [h] *indulsit populo ante cornanti gem,*
i Numer. 25. *vel Phinees* [i] *fornicanti Israelita, vel Mathathias* [k]
k 1. Mac. 2. *Dæmonibus immolanti: vel certè vt vobis de vestris*
l Actor 9. *aliquem proponamus, quam à beato Petro* [l] *Ananias,*
m Matth. 25. *& sapphira meruerunt, quam denique audientiam* [m] *dedit negotiantibus in templo Saluator. An ignoramus quorundam peccata præcedere ad iudicium? Nonne vox sanguinis fratris tui clamat aduersùs te de terra? Credimus & nostri Martyris spiritum, quem nouissimè diebus istis tua crudelitas morti dedit, cum cæteris animabus interfectorum, voce valida sub altari clamare, & flagitare vindictam, eoque instantiùs, quo recentius ipsius sanguis effusus est super terram. Sed nunquid ego, inquit, occidi eum? Non vtique tu, sed tui, & propter te. An & per te, videat Deus, & iudicet. Si excusabilis tu es, cuius dentes, arma, & sagitta, cuius lingua gladius acutus, proinde nec Iudæi Christi de morte culpandi sunt, quippe & ipsi manus continere caui. Ob illicitas exactiones, quas sibi occasione Archidiaconatus in Presbyteros minimè iam, vt consueuerat, vsurpare liceret, beati vtique Thomæ obuiante zelo, atque industria, vtpote iustitiæ maioris, & defensoris: oderat illum, & mortem ei iam ipso odio homicida minitari solebat. Multi se audiuisse nunc perhibent, quibus discredendum non est. Postremò nepotes eius, vt impias manus in sanctum Domini mitterent; quid aliud aduersùs eum vnquam habuerint, ipse certè dicat, si potest. Si ergo iste qui causa, qui incentor, qui etiam (vt omnium penè suspicio est) extitit & dictator facinoris: si is, inquam, impunè ferat (quod vtique mira impudentia de vestra Apostolica auctoritate præsumit) quanta putamus impietas ista in Ecclesia perturiet punienda? Vnum è duobus fore necesse est, aut nullos ex nobilibus, siue potentibus secundum hoc sæculum admitti deinceps ad honores Ecclesiasticos, aut passim ad omne illicitum permitti liberè Clericos sacris abuti officiis, ne fortè si quispiam zelo Dei accensus prohibere tentauerit, ferro illico militari reus iustitiæ trucidetur. Atque ita quid spirituali gladio, quid censura Ecclesiastica, quid Christianæ legi, & disciplinæ, quid reuerentiæ sacerdotali, quid denique diuino timori relinquitur, si metu potentiæ sæcularis, nullus mutire iam audeat contra insolentiam Clericorum? Quid enim insolentius, quidve indignius in Ecclesia esse potest, quam vt sibi quisque ecclesiasticas vendicet dignitates feritate armorum, non morum probitate? Quam ob rem domine Pater, aliquid, vt videtis, prorsus decernendum in hominem, quod Ecclesiæ prosit, vt salus facta hoc tempore per vos, transfundatur in posteros, & cognoscat generatio altera, non solùm quod fuit præsumptum, sed & qualiter vltum. Alioquin si serpat venenum, nec sequatur pariter & antidotum, multos (quod absit) habeat perimere.* Ita Bernardus & filij ad Innocentium. Sed Haimericum pauciotibus præuenit.

9.
n epist. 62. [n] *Ad Haimericum Cancellarium. Frequentem & amicabilem recordationem, qua dominum Episcopum Parisiensem commendare soletis, ego postmodum ipsi frequenter testatus sum. En a vobis exigitur non verbo, aut lingua, sed opere, & veritate probare, nec me fuisse fallacem, nec vos mendaces. Sic vestra interest, non solùm propter Episcopum, sed & propter alios amicos vestros, qui vobis pro certo grauiter, si quomodo præter spem procedere causam contingeret, turbarentur.* His litteris per nuncios destinatis, Gaufredus, vt suscepit ad se scriptas, Claramvallem quantocyùs aduolauit. Collatoque cum Bernardo Patre negotio, & Stephano in consilium accersito, quo vel sic dolor eius mitigaretur, probatum est, vt Apostolica, qua fungebatur, auctoritate, congregaret concilium Iotri per quatuor prouinciarum Episcopos celebrandum, Senonensis nimirum, Remensis, Rothomogensis, & Turonensis, per quos negotium tractaretur pro dignitate. Dies concilij certus ignoratur: extat tamen sancti Hugonis Gratianopolitani, simul & Cathusiensium, ad Patres in eodem concilio scripta epistola, quam pro maiori notitia totius facti, non pigebit ad litteram transcribere.

[o] *Dominis, & Patribus in Christo reuerendissimis,* 10.
Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris religiosis personis, in o Picard. in
præsentem locum, defendendæ iustitiæ gratia, congregatis, not. ad epist.
Hugo Gratianopolitanæ Ecclesiæ vocatus Episcopus, & 158. D. Bern.
filij eius Carthusiensium pauperum, seruus inutilis Guigo, & qui cum eo sunt fratres, agenda cognoscere, & cognita viriliter adimplere, per Christum Dominum nostrum. Quòd homines sumus ad naturam, quòd iusti, ad meritum, quòd Episcopi, vel Presbyteri, vel Archidiaconi, vel aliquid huiusmodi, ad Ecclesiasticum pertinet officium. In primo existimus, in secundo saluamur, in tertio prouidendi aliis, quæ vtiliora sunt, potestatem accepimus. Duo ergo priora ad nos, tertium refertur ad proximos.
Quod si manifestum fuerit, iuxta illud ficulnea [p] *Euan-* p Matth. 21.
gelica exemplar, quæ tandiu expectata fructum non ad- & Luc. 13.
tulit, officium nos inutiliter habere susceptum, nulla instacur in eo relinquamur, remanebit occasio. Quid ergo si non solùm inutiles Ecclesiæ, sed etiam perniciosi, vel verbis, vel exemplis extiterimus? Nonne non solùm deiici, sed etiam digni sumus puniri? Etsi igitur beati Thomæ, & cæterorum, qui recenter, lotis in sanguine Agni stolis suis, ad cœlestia demigrauerunt, in conspectu Domini mors pretiosa, mundana vltione non egeat: tamen si Ecclesia Dei (sine qua nec publicæ res saluæ sunt, nec priuatæ) vtilitate careat disciplinæ: rogamus supplices, & obsecramus, quatenus armatura Dei protecti, & rectitudinis zelo succensi, & sanctorum Moysi, Phinees, Mathathiæ, beatorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli aduersùs Simonem, Ananiam, & Barieu piè desæuientium, maximèque ipsius Domini venditores de templo cædendo proturbantis, exemplis animati, in sacrilegos homicidas, Ecclesiastici rigoris intrepidè gladium producatis, eosque, si fieri potest, omnibus sacrorum officiis priuetis, & beneficiis: quatenus omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra quispiam faciat simile. Ipsi enim magis quàm homicida, in quorum cruentas delicias, vota complenda, & odia satianda, Sanctorum sunt corpora laniata. Qui nisi tanta nequitia non solùm fructu caruerint, sed & pœnam senserint, omnibus apud nos iustitiæ defensoribus similia sunt metuenda. Valete. Orate pro nobis, & sacris eleuatis dextris super partem mundi, in qua siti sumus, benedictionem, & obsecrationem profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus sanctorum operum vestrorum gestorum, & gerendorum. Valete tertiò cum Reuerendis Principibus Blesensi, & Nibernensi. Ita Gratianopolitanus Hugo, & Carthusiani, ignito zelo, & stilo sanè peracri. Quod autem dicunt, *Beati Thomæ, & aliorum, qui recenter lotis in sanguine agni stolis ad cœlestia demigrarunt;* adludit ad subdecanum Aurelianensem, Archembaldum nomine, per idem tempus occisum simili causa, & in eodem concilio iudicanda, super quam etiam Bernardus ad Innocentium non dissimilem
epistolam [q] scripsit. q epist. 161.

Sententiā in sacrilegos datam à Concilio omi- 11.
sere antiqui: seueram tamen, etsi inæqualem crimini, insinuare videtur Petrus Mauricius, qui eiusdem confirmationem, grauamenque, scripta ad Innocentium epistola efflagitat, in qua hæc inter

alia

t lib. 3. epist. 57. alia verbis ignitis. t *Hac de causa nuper in partibus nostris Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & multorum Religiosorum, & sapientum personæ congregatæ sunt, & Concilio habito, in huiusmodi sacrilegos, seueritatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, Apostolica auctoritas, quod ab eis benè actum est: suppleat, siquid minus seuerè decretum est, vt & impij debita vltione puniantur, & ab eorum imitatione cæteri deterreantur.* Hæc Petrus venerabilis ad Inoocentiū. qui tanti viri, & Bernardi Patris litteris notus, magis autem delicti atrocitate, & iustitiæ, quo pollebat, ardenti zelo, sententiā eam non solùm ratā habuit, sed aggrauauit. Extant eiosdē ad Patres Concilij litteræ, quas Ioannes itē Picardus publicauit.

12. f *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Rainaldo, Remensi, Hugoni Rothomagensi, Hugoni Turonensi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis Episcopis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Grauiora delicta amarioribus grauis pœnitentiæ fletibus purganda sunt, & quod aduersus sacros Ordines committitur, expedit vt celeriter dignis animaduersionibus expietur. Quis enim locus tutus, & cui personæ sit præstanda securitas, si Ecclesia Dei violetur, Clerici cœlestibus obsequiis mancipati, iniuriis, vel captionibus, vel cruciatu corporis à perditis hominibus affligantur: aut, quod detestabilius est, morte, & sacri sanguinis effusione mulctentur? Aduersus ergo tam Deo odibile, & tam piaculare flagitium, quod in dilectos filios nostros, bonæ memoriæ Thomam Priorem sancti Victoris, & Archembaldum subdecanum Aurelianensem commissum est, tepiditate seposita, assumpto rigore Iustitiæ, exurgant canones, armentur iura, & si res expostulat, nouum scelus, noua Synodi librata sententia conteratur. Quod ergo a vestra dilectione super hoc, apud Ioterum nuper indicatum est, Apostolica auctoritate statuimus esse firmatum. Sed quia nimis remissa videtur esse vestra sententia, addendo censemus, vt in quibuscunque locis præfati sanguinarij præsentes fuerint, diuina ibi non celebrentur officia, & si quis sacrilegos illos Clericidas, ac cœlestis collegij perturbatores, & effusores Dominici sanguinis in sæculo remanentes manutenere, & confouere tentauerit, anathematis sententia percellatur. Ad hoc addentes statuimus, vt, quia de nefaria parentum nequitia, & horrendo furore, clerici nec adipisci, nec retinere Ecclesiasticum debent emolumentum: ipsi enim non pretio, non violentia, non terrore, non consanguineorum truculenta nequitia, sed solis interuenientibus meritis oportet acquirere, & acquisitum seruare: tam Theobaldus Notarius, quàm alij, qui honores sub hac pessima forma acquisierint, vel retinuerint, salua nimirum Sedis Apostolicæ reuerentia, Ecclesiasticis priuentur beneficiis. Et quia superabundat iniquitas, summopere prospiciendum est, vt Clerici de cætero nihil humanum metuant, & vt grata tranquillitate, famulatibus valeant vacare diuinis, Apostolica eis suffragia propensiùs impertimur.* Hactenus Innocentius ad Concilium.

f in not. ad epist. 151.

13. Cardinalis Baronius dum hanc histotiam libat potius, quàm refert, Magistrum Thomam compooit Cantuariensi, in tantum defert Bernardi testimonio, quo solo vtitur. t *Sic igitur* (ait) *hoc sæculo* t ad ann. 1135. *duo occubuere Thomæ pro Ecclesiæ iuribus defendendis, Pariensis alter, doctrina insignis, Prior sancti Victoris, Ecclesiæ Pariensis nobile, & pertatile membrum: alter in Anglia Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, de quo suo loco dicendum pluribus.* Ita Baronius. Nos viri sancti martyrium, historiamque eo libentiùs prosequuti sumus, quo & illi venerationis, & cultus, & hinc processus, vnica ferè Bernardus causa fuit. Vnde versus in libro Victoriano,

Est lux æterna Thomæ collata Priori,
Qui meruit martyr iuris amore mori.
Nouus Bernardus Dux Claraeuallis idipsum,
Qui causam scribit, martyriique modum.

Cæterùm quod ad rationem temporis attinet, 14.
ex dictis potest facile desumi, qoippe sacrilegium vt maximè patratum ante mensem Aprilem anni millesimi centesimi trigesimi secundi, quo sanctus Hugo Gratianopolitanus viuere desiit, litteræ eius conuiocunt, quas adduximus: porrò nec tribus eiusdem anni mensibus ex Necrologio constat, posteriorem eis mensem designantibus, nempe Augustum. Deoique nec incidere potuisse in annum millesimum centesimum trigesimum primum, ea ratione videtur persuaderi, quòd celebrando eodem ipso anno generali Concilio Remis, mense Octobri, perpetratum flagitium mense Augusti, nequaquam alia Synodo indiguisset, vt puniretur. Sed nec sententia lata contra sacrilegos poterit specialem Innocentij confirmationem, si præcessisset, in Concilio confirmanda: aliter, in eodem proferenda.

Alio argumento vtitur Ioannes Picardus, & 15.
quidem, si firmo fundamento niteretur, efficaciori. Quòd Innocentius Parisiis Pascha celebrans anno M. CXXXI. cùm sancti Victoris Monasterium ingrederetur, iusserit eleuari corpus prædicti Martyris, quòd euidenter occisum mense Augusto, reuocat ad Augustum antecedentem, in quo nunc degimus. Cæterùm cùm manifestum sit, Innocentium eo ipso, quo tradit anno, Quadragesimam exigisse Leodij, quod suo loco videbimus: difficile creditu, imò & factu est, potuisse Pascha Parisiis celebrare. Quare quod u Sugerius scribit de eo u in Ludou.
Paschate, simulque eleuationem beati corporis, in sequentem annum trigesimum secundum, quo adhuc Pontifex in Galliis morabatur, crediderim conuenientiùs referendom. Vtcumque fuerit, vt minus certum est, ex superiùs adductis instrumentis, Thomam intra hoc biennium occubuisse, nempe ante sanctum Pontificem Hugonem. Atque hinc corrigendus venit Baronius, qui rem totam postponit, quinqoennio integro. Non deficientibus quidem coniecturis, neque his leuibus: sed si subsistunt instrumenta, quæ proferuntur, corrigendis omnino veluti per palmarias, vt aiont, demonstrationes.

1. Balduini Pisani initia, progressusque: 2. qui hoc anno creatur Cardinalis. 3. Probatum contra quosdam non fuisse Gallum. 4. Eius in Bernardum parentem obseruantia. 5. Quid de Martino de Cibo, Cardinali simul creato. 6. Balduinus alius Reatino Cœnobio recèns præfectus. 7. Henrici Burgundiæ Ducis fratris sancta mors. 8. Bernardi electio in Episcopum Genuensem.

CAPVT VI.

1. QVos in vnum, eundemque confundunt Cardinales Baronius, a aliique, Balduni duo, vterque Italùs, vterque ex Claravalle, atque vterqoe ex Bernardi dilectis filiis, alter Reatini Cœnobij primus Abbas, Cardinalis alter, hoc anno nobis veniunt referendi, quippe in qoo vterque creditur

a ad annum 1137.

creditur promotus; alter, Bernardo Patre prouidente nouæ proli nutritium: alter, quærente Pontifice Innocentio suis curis solatium, atque vtroque assumente vtrumque virum in partem sibi iniunctæ solicitudinis. Et quidem de secundo certius est, promotum ad hunc annum, quippe Innocentium sub illius finem, mense Decembri, Cardinales creasse, & primum omnium Balduinum Claræuallensem, Authores conueniunt, quibus tabulæ omnes, & instrumenta antiqua, atque ipsæ etiam epistolæ Bernardi fidem faciunt. Hic natione Thuscus, patria Pisanus (errant, qui gloriam hanc Galliæ attribuunt, vt statim ostendam) genere nobilis, & cunctis naturæ, & fortunæ dotibus præditus, relictis omnibus, Christum sequebatur, Bernardo duce. Constat id ex Exordio magno, cuius hæc verba. [a] *Inter cœlestis gratiæ pinguedine pullulantes propagines, quas vinea Domini Sabaot, Ecclesia scilicet Claræuallis emisit, vt transplantarentur super aquas multas, idest, super diuersarum regionum populos Pontificali honore sublimarentur, natalis soli specialis gloria, mirabiliter Balduinus enituit, qui doctrinam Reuerendissimi Patris Bernardi sequutus, spreuit vniuersa mundi pompas, & voluptates: ipsique mundo moriens, in Claraualle viuere cœpit, & veras voluntariæ paupertatis diuitias, fallacibus auri diuitiarum irritamentis se prætulisse gloriabatur.* Hæc de prima illius conuersione. De profectu autem eius spirituali sub sancti Patris Bernardi disciplina, pergit auctor describere in hunc modum. *Cumque perfectissimorum Monachorum imitator factus esset, didicissetque ab irriguo inferiori, in quo peccata planguntur, ad irriguum superius, in quo ad cœlestis patriæ felicitatem gemitibus inenarrabilibus suspiratur, ascendere: dignus qui iam non soli sibi viueret, sed etiam multis aliis verbo, & exemplo prodesset in salutem*, &c. Hæc in Exordio magno de Balduino.

a lib. 3. c. 24.

2. Hunc ergo virum siue aliunde notum, siue Bernardum Patrem comitantem tunc primum in negotiis expertum ab Innocentio, Cardinalem Presbyterum creauit incerto titulo. Ciacconius creationem omnium nouem, atque adeò etiam Balduini in Concilio Claromontano factam scribit.[b] *Anno* (inquit) *M. CXXX. Innocentius II. in Concilio generali apud Claramontem Aruernorum in Galliis celebrato, creauit nouem Cardinales: primus Frater Balduinus ... Gallus Ordinis Cisterciensis, discipulus sancti Bernardi, cuius meminit idem Sanctus epistola centesima trigesima octaua, primus ex ea congregatione Presbyter Cardinalis tituli S. ... Postea verò Archiepiscopus Pisanus.* Ita Ciacconius. Qui eum patria Pisanum ignorasset, facile e Thusco, Gallum hominem fecit, fortè ex Cœnobio sumens coniecturam, sed minus certam, quippe iam tunc visebantur in Claraualle, non tantum religiosi Galli, Burgundive, sed ex omni etiam gente, atque natione, Angli, Germani, Hispani, Italique, vt ex sequentibus clariùs adparebit. Epistola centesima trigesima octaua per mendum irrepsit, & loco illius duplex substituenda, altera centesima quadragesima quarta, quam statim referam: altera ducentesima quadragesima quarta, quam omisit, & ex qua qua nonnulla nos in loco aptiori, ..

b in Innoc.

3. Cæterùm Balduinum Pisanum patria, non Gallum extitisse, compertum est: tum ex verbis Exordij supra citatis, tum ex aliis Arnoldi Carnotensis, Balduino coæui, ex quo forsan transcripsit author Exordij, quibus, cùm filios Bernardi recenseret, ipso viuente præsidentes Ecclesiis per totum orbem, hoc speciale agnoscit in Balduino, quòd aliis in diuersa loca translatis, & veluti in alieno foro lucentibus, ipse solus natali sibi vrbi præfectus est, quæ accepisset, cum lucro redditurus. *In Thuscia* (inquit[c]) *Pisis, natalis soli gloria, & magnum Ecclesiæ lumen effulsit.* Hinc ergo corrigendus Ciacconius venit, atque eum sequutus Ferdinandus Vghellus in suis notis: obiterque eruendum Concilij tempus, aliàs nobis ignotum, sed in mensem Decembris præsentis anni, quo Cardinalium creatio facta conuincitur, vt omnes alij authores adseuerant.

c in vit. S. Bern. lib. 2. cap. 8.

Vtcumque fuerit, eumdem Balduinum primum ex Claraualle, quin & ex toto Cisterciensi Ordine, ad Cardinalitiam dignitatem assumptum, compertum habemus: virum Bernardo Patri perfamiliarem, & vel post assumptionem, obsequentissimum, & quo adhuc Cardinali, & Archiepiscopo, quasi Monacho socio, vt consueuerit. Audi eumdem ad suos Claræuallenses in hæc verba scribentem de tanto viro, dudum Cardinali, sed tunc recèns electo in Archiepiscopum. [d] *Certè* (ait) *cum lachrymis, & singultibus ista dictaui, teste charissimo fratre nostro Balduino, qui stylo ea excepit. quem Ecclesia vocauit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem. Orate & pro ipso, tanquam vnico solatio meo, & in quo spiritus meus plurimum requiescit.* Ita Bernardus Pater de Balduino. 4.

d epist. 544.

Eadem oratione promotum constat sanctæ memoriæ Martioum, dictum de Cibo, Cardinalem Presbyterum tituli sancti Stephani in Cælio monte, quem multi Cistercienscm [e] fuisse adfirmant. [f] Moti, ni fallor, quòd Bernardus Pater ad Eugenium Pontificem scribens, dum sancti viri venerandam memoriam recolit, nostrum, idest, eiusdem nobiscum instituti, virum nominat. [g] *Dignum* (inquit) *nunc ad memoriam venire factum dulcis memoriæ Martini nostri, nosti: sed an memineris, ignoro.* Certè Clareuallensem non fuisse indicio est, quòd Bernardus Bonæuallis Abbas, dum Cardinales, Episcoposque, ex Claraualle sub Bernardo Patre assumptos, memorat, Martinum tacet, sed neque Alanus Claræuallensis Monachus, qui quinque libros vitæ sancti Patris, si qua parte deficiunt, corrigendos à se promittit in præfatione, quicquam de hoc Martino addendum censuit, si desideraretur, additurus. Fortè alterius Cœnobij Monachus fuit, quod ea verba videntur denotare. Quamuis negare nullatenus audebo, pronomen *nostrum*, non multo minus aptè ad amicitiam, quàm ad vitæ institutum posse referri. Nec video à Ioanne Abbate Cisterciensi, aut ab alio antiquiore insignitum Cistercij nota. In re dubia nil audeo diffinire. Certè qualiscumque sanctissimus vir fuit, & de quo plura tradit Bernardus Pater, quæ nos commodiùs referemus suis temporibus. 5.

e Fitteri. in not. ad c. 24. lib. 3. Menol. Sep. 21.
f Ferdin. Vghel. in addit. ad Ciac.
g lib. 4. de consider.

Pauciora constant de alio Balduino, quamuis nec de ipso licet dubitare: quippe ad quem tunc recenter ad Italiam transmissum extat Bernardi epistola, dolentis, se destitutum solatio: [h] *Ad Balduinum Abbatem Reatini Monasterij.* Et infrà: *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam, hærentem lateri meo, placentem cordi meo. Diligam & absentem, ne solatium meum ex te, non te videar dilexisse. Eras pernecessarius mihi: atque hinc vel maxime claret, quàm syncerè te diligam. Hodie nempe non te caruissem, si quæsiissem in te, quæ mea sunt. Nunc autem vides, quòd spretis vtilitatibus meis, tuis compendiis non inuidi, ponens te vtique ibi, vnde aliquando transponaris, super omnia bona Domini tui*, &c. Ita Bernardus ad Abbatem Reatini, recèns à se auulsum, vt domui tunc reuellæ 6.

h 201.

tenellæ præficeretur. Igitur sub hoc tempus Reatino Cœnobio nostris adaucto (dubium an antiquitus sub alia regula) Balduinus præfectus, nec multò pòst ibidem consummatus, (nam decem tantùm annos superuixit) tempora multa expleuit breui periodo. De eo Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum, qui Martyrologio Romano non sunt adscripti, ex monumentis Ecclesiæ Reatinæ, atque ex ipso Ferdinandus Vghellus, in additis ad Ciacconium, hæc habent verba. [h] *Balduinus S. Pastoris, in diœcesi Reatina, Cisterciensis Ordinis, primus Abbas, ex Clareuallensi Monacho, à S. Bernardo directus, Bernardi decimi Marsorum Comitis filius, & Rainardi Cassinensis Abbatis, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, frater germanus fuit, qui sanctis operibus, & miraculis clarus, obiit anno M. C X L. & in Cathedrali Reatina humatus est, ibique summa cum veneratione, die secunda Augusti colitur.* Hæc tantùm illi. Ex quibus palàm videas, hunc Balduinum distinctum à Cardinali, quippe ad eam dignitatem non assumptum, & aliàs consummatum anno XL. cùm constet alium perdurasse vsque ad Eugenium, qui anno M. C X L V. promotus fuit, vt suis locis apertè demonstrabimus. Monasterij S. Pastoris Reatini meminêre Alexander, & Nicolaus, vterque Papa I V. atque item Monasterij S. Angeli, Ciuitatensis diœcesis, Ordinis S. Patris Benedicti, quod illi & reformandum tunc committitur ad ritus Cistercienses, & reformatum, possidendum paterno iure. In libris Cameræ sex supra triginta florenorum taxa notatur: cæterùm in genesibus nonnulli. Quin & in Chronologia prætermissum, aut retardatum, in aliis post Vrsi campum signatum video, vnde & hîc inserendum ferre putaui. Ab eo diuersum esse Monasterium S. Matthæi Reatini (de quo inferiùs,) quæ de ipso dicemus, demonstrabunt.

h *sub Ian. 2.*

7. Hoc eodem anno, vt paululum ad Cistercium diuertamus, venerabilis Henricus, Ottonis Burgundiæ Ducis filius, Hugonis frater, cuius superiùs fecimus mentionem, post annos aliquot sanctissimè peractos in rigore obseruantiæ vitæ communis, integra adhuc ætate, plenus virtutibus, inter manus Cisterciensium Monachorum, atque singultus plorantium, an inuidentium, feliciter obdormiuit in Domino, septimo Idus Martij, si Andreæ Chesnensi fides, in sua Ducum Burgundiæ Genealogia. Sanctissimi auunculi Hugonis vera effigies: sed in humilitate, & despectione sui, fortè profundior. Certè vt in vita fuerint æquales, Henricus vel post mortē humilior fuit, & vel defunctus studuit ignorari. Nulla sepulchri eius memoria Cistercij manet, titulus nullus. In eo fortè designatus Deo notius, coniunctiorque, velut alter Moyses, quòd non cognouit homo sepulchrum eius. Henriquez virum inseruit Menologio eadem ipsa die, qua obiisse legitur. Extat rescriptum Hugonis Burgundiæ Ducis ad Monachos sancti Benigni Diuionensis, charissimi sibi fratris mortem dolentis, atque animi tenerum adfectum non vulgaribus verbis manifestantis. [i] *Ego Hugo Dux Burgundiæ fratris mei, Henrici morte turbatus, & illius dulci solatio destitutus, ad animæ ipsius salutem appetendam sapienter tandem consilio animatus, vtriusque mei hominis curam adposui. Igitur Deo, sanctoque Benigno Diuionēsis Ecclesiæ Patrono,* &c. Hactenus Hugo frater de Henrico. Nos ad alios euentus transeamus.

i *apud Henriquez. Martij 9.*

Vacabat tunc Ecclesia Ianuensis, Sigefrido Episcopo, anno præcedenti M. C X X I X. vt piè creditur, ad Superos translato, & Bernardus communi, publicoque eligentium plausu, in Pontificem postulatus est, haud dubiè ab Innocentio concedendus, si non omnimodis ipse repugnaret, cui semper fixum manere in Claravalle. Electionem auctoris vitæ ipsius inter alias enumerant, & Genuæ primum in Italia petitum tradunt. [k] *Intra Italiam* (ait Arnaldus Carnotensis) *ciuitas Ianuensis, & Mediolanum Metropolis Ligurum hunc optauere Pastorem.* Et de Mediolanensi electione infrà dicemus. De Ianuensi non posse vltrà differri [l] compertum est, electo hoc anno Siro, qui per triginta, & eis amplius annos, adeoque vltra vitam viri Dei, Pontificatus sui tempus protraxit. Nisi tamen Ecclesia Ianuensi in Metropolitanam promota per Innocentium, quod intra paucos annos, nec sine interuentu Bernardi factum inferiùs tradam, cessit Sirus eidem sufficiendo: sed recusante, pastoralem curam, vt contigit de facto, continuaturus. Sed de his fusiùs in tempore dicemus. Scio non nullos [m] auctores anteponere, & sanctum Patrem anno M. C X V I I I. electum tradere, cui recusanti Oto suffectus sit, regio sanguine satus, quod Genuenses historici adseruerant. Sed vereor ne diuinent magis, quàm referant. Certè eo anno Bernardus ignotus adhuc, maximè extra Burgundiam, vix Genuensibus potuit innotuisse. Faciliùs forsan electum pronunciassent ab anno M. C X I X. quo Oto obiit, vsque ad M. C X X I I I. quo post longam triennij vacationem ei suffectus legitur Sigefridus, sed nec tunc satis notus in Italia. Vnde facile mihi persuaden, post mortem Sigefridi, quæ incidit in annum M. C X X I X. sanctum Patrem electum circa hunc annum. Cæterùm euenit, quod Guillelmus Abbas tradit. [n] *cùm dignus esset Bernardus, vt cogeretur, nescio quo iudicio Dei, & singularis reuerentia sanctitatis iam olim apud omnes obtinuit, vt non aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur.* Itaque Sancto recusante onus, nec consentiente electioni de se factæ, in locum eius Siro substitutus, qui post triennium, eodem Sancto agente, & Innocentio Pontifice donante, erecta sede in Metropolitanam, primus Archiepiscopus Genuæ creatus est, non sine ingenti gratulatione totius vrbis. 8.

k *lib. 2. vita cap. 4.*

l *Iust. annal. l. 2. circa hunc ann.*

m *idem ibidem ad ann. M. C XVIII.*

n *lib. 1. vita cap. 14.*

1. *Chronologia Monasteriorum præsentis anni: 2. ex quibus tria Sabigniaco nata, domo. 3. Quid de Ranesio, aut Runa, 4. & de Begar. 5. Bugeriæ initia, situs, 6. & fundatores. 7. De Theoloco, & sancto Marcello pauca, 8. sed de Reuna Marcola, & Keth adhuc pauciora: 9. & de Amelengesborne remissiuè.*

CAPVT VII.

1. QVod attinet ad Monasteriorū fundationem, Chronologia duodecim recenset hoc anno nata. Quorum etsi parua, aliquorum etiam nulla, notitia subest, nihilominus seriem transcribemus.

Anno Domini M. C X X X. Nonas Iulij, fundata est Abbatia de Furnesio.

Eodem anno, octauo Kalendas Augusti, Abbatia de Fulcardimonte.

Eodem

Eodem anno, sexto Idus Septembris, Abbatia de Begar.

Eodem anno, Kalendas Martij, Abbatia sancti Andreæ de Gufer.

Eodem anno, decimo secundo Kalendas Aprilis, Abbatia de Burgeria Eduensis.

Eodem anno, & die, Abbatia Theoloci.

Eodem anno, decimo septimo Kalendas Aprilis, Abbatia de Nouo castro.

Eodem anno ... Abbatia sancti Marcelli.

Eodem anno ... Abbatia de Reuna.

Eodem anno, Abbatia de Mareola.

Eodem anno, Kalendas Octobris, Abbatia de Keth.

Sic Chronologia, nominibus solis contenta pro suo more.

2. Ex his Ecclesiis, quatuor demendas censeo. Nouum castrum, quia de ea superiùs actum. Furnesium verò, Fulcardi montem, & sanctum Andream de Gufer, quia constat omnes filias Sabigniaci, neque ante matrem Cistercio dedisse colla. Igitur his reseruatis in proprium locum, reliquas, quà licuerit, transcurramus.

3. Abbatiam de Rauesio, siue de Rune, aut Runensem in Austria sitam, atque ab Ebraco Monasterio ortam, tradit genesis Ecclesiarum Morimundensium, cuius Abbas Angelus Concilio Constantiensi Ambasiator pro Arnesto Duce assistit. Meminit [a] eius Innocentius quartus, commissa Abbatibus sanctæ crucis, & de Rune Salzburgensis, & Patauienses diœceseos, Cisterciensis vtrique Ordinis, Cathedralis Ecclesiæ Patauiensis, atque ipsius Episcopi, tam in capite, quàm in membris visitatione. Datum Lugduni, Nonis Martij, Pontificatus ipsius anno secundo. Extant item eiusdem Innocentij, ad eosdem Abbates aliæ duæ epistolæ, in quibus ad instantiam Ducis Austriaci super translatione, & collocatione corporis beati Colomani Martyris, quædam eis iniunguntur peragenda. Datis Lugduni, octauo Idus Martij, Pontificatus item ipsius anno secundo. Porrò has tres Innocentij Papæ epistolas ex registro Vaticano transcriptas, sub numeris CCC. LVIII. CCC. LIX. & CCC. LX. cum aliis multis, non sine magno labore obtentas, apud me habeo. Extat & aliud Runæ Monasterium apud Græcium, Stiriæ Metropolim, à Friderico primo Imperatore, cognomento Barbarossa fundatum, de quo nos infrà.

a tom. 1. in Regist. Inn. 4.

4. Begar incerta nobis adhuc domus, nisi fortè Begardum sit legendum, diœcesis Trecorensis in Normannia, de qua in libris Cameræ Apostolicæ, signata taxa, pro annuorum prouentuum medietate, ad septingentos florenos pertingente. Notat Robertus Claudius in sua Gallia à nonnullis Bregarium nuncupari, esseque domum in Britanniæ comitatu. Verum est tamen, nam id etiam notabo, in genesi Cisterciensium Ecclesiarum apud Henriquez [b] non Begardum, nec Bregarium, sed Begar legi, quæ alias adpellatur putrida sylua, sita in Britannia. Vt non immeritò liceat coniectari, eamdem domum adpellatam variis nominibus. Certè Begar in Cistercij linea [c] ponitur, atque Eleemosynæ filia connumeratur. Fundator domus Stephanus III. Comes de Pentheure, & de Auougour. Primus Abbas sanctitate celebris fuit, B. nimirum Ioannes, à Bernardo parente illuc transmissus, si credimus Alberto, cognomento *le Grand*, qui eius vitam cum aliis euulgauit. Certè Begardo nato ex Eleemosyna, quæ ad Cistercium pertinet, Bernardum transmisisse Abbatem ex Claraualle, qui fundamenta nouæ domus iaceret, contra antiquorum mores esse videtur. Sed potuit Stephanus fundator id optare: neque erat, qui dedignari posset inter proprios habere Bernardi filios. Hic ille Ioannes post fundatam domum in Maclouiensem Pontificem assumendus, inde cum magna opinione sanctitatis, & miraculis, in dies crebrescentibus, inter Sanctos relatus, & dictus *de la Grille* à ferreis cancellis, quibus sepulchrum eius septum visitur. In Begardo visuntur sepulchra Britanniæ Ducum, aliorumque. Eiusdem loci Abbas, Vincentius nomine, à Francisco II. Britanniæ Duce, ad Ludouicum XI. Galliæ Regem, pro grauibus negotiis Legatus mittitur, anno M. CCCC. LXVIII.

b in fascic.

c apud Henr. ibidem.

Bugeria sequitur domus in Burgundia, & diœcesi Eduensi, vndecim à Stephano Patri nata filia, fatiscentibus membris, nondum sterili, sed magis in dies prolificaturo. Verùm namque Benedicti parentis imitatorem vsque ad duodecim construenda Cœnobia præstolabantur, aut certè plura. Primus loci illius Abbas Gualo, dignus qui Stephani iudicio designaretur. Idem Cœnobium Trium fontium olim dictum, atque ad Oscaram fluuium situm lego, iuxta tria stagna. Sed de his simul, & loci fundatoribus Robertum Claudium in medium placet producere, qui rem proximiùs potuit indagare. 5.

[d] *Bugeria* (inquit) *Cœnobium Cisterciensis Ordinis, diœcesis Eduensis, olim Triumfontium adpellatum, iuxta tria stagna, ad Oscaram fluuium, anno M. CXXX. die decima tertia Martij fundatum est, ab illustrissimis Burgundiæ Ducibus, vt nonnulli putant. Sed alij probabilius, nobiles dominos de Somberone auctores illius existimant. Et inter eos Bernerus, in Bulla Lucij Papæ, ad Constantinum illius loci Abbatem commemoratur... Bugeriæ verò priuilegia confirmantur Romæ a Nicolao quarto, apud sanctam Mariam maiorem, quarto Idus Aprilis, indictione tertia, M. CCXC. Pontificatus ipsius anno tertio.* Hactenus Claudius de initiis Bugeriæ, qui etiam post Gualonem recenset alios, qui eidem Cœnobio præfuerunt. Eius per errorem, vt solet, de Busia dicti, cum Episcopo Eduensi, super bonis cuiusdam Archipresbyteri, celebris lis sub Innocentio tertio fuit, quæ habetur in capite, *Cùm dilectus*, de successiunibus ab intestato. Qualiter autem post annum secundum, & quadragesimum, nempe M. CLXXII. Ecclesia dedicata per sanctum Petrum, nunc Stamedij Abbatem, de quo suprà, tunc Tarantasiensem Archiepiscopum, tribus ab eo miraculis patratis, consecrationem habuerit celebriorem, ex Gaufredo Altæcumbæ Abbate, qui ea scripsit, suo tempore ex more referemus. 6.

d in sua Gall.

Sequitur quarta in ordine Abbatia Theoloci in Burgundia, Lingonensis diœcesis, quam VValterus Pater ædificauit, ex proprio Morimundi Cœnobio missa Colonia. Nomen loco *Tullai* lingua vulgari, Latini auctores variè corruperunt. Nam quidam Theodelocum vocant, alij Tulleium, quod Claudius Robertus notauit in sua Gallia. In libris Cameræ Apostolicæ Theolocus. Nec crediderim Ecclesiam opulentam, quæ ferè infima triginta & octo florenorum taxa notatur. Quintum sancti Marcelli Monasterium, in Caturcensi diœcesi Cadunium protulit, vt habet genesis Ecclesiarum Pontigniacensium. De eo taxæ Cameræ Apostolicæ, quæ quinquaginta florenos non excedunt. Atque item Claudius Robertus in sua Gallia. Qui tamen præter diœcesim, & nomen, nihil vltra de eo communicauit. 7.

Reuna

8. Reuna deinceps, Moreola, & Keth, de quibus vix in promptu quid proferamus. In genesi Cisterciensium Ecclesiarum Reunam in diœcesi Lincopensi fundatam lego, Monachis ex Noua valle illuc transmissis. Sed Noua vallis hoc anno nondum edita, nequaquam potuit filiam procreare. Mareolam de linea Claræuallis, incerta tamen matre, adducit genesis Keth, neque nomen alibi inuenio, & fortè amanuënsium errore ita vitiatum, vt non de facili valeat emendari. Certè hæc propria Cœnobiorum nomina sunt, & vrbium, & facilè ignorantur, & faciliùs ex ipsa ignorantia corrumpuntur. Maximè cùm nulla ratio reddi possit, quare his potius, quàm illi syllabis constent.

9. His duodecim Abbatiis ex Chronologia, tertiam decimā Aubertus [c] Miræus addidit, & quidē celebrē Amelongesborne in Saxonia. Sed ea in Chronologia recensetur post annos quinque, & dum annus non constat ex instrumentis, ordinē Chronologiæ præstare censeo, & vel ex serie perpetua præferendum. Ergo anno Christi M. CXXXV. de huius Cœnobij instrumentis agendum erit. [c hoc anno.]

Iesv Christi Ann. 1131. — Cistercii Ann. 34.

1. Bernardus Oriens Ecclesia Annales implet. 2. Innocentius cum eo Leodium venit, vbi à Lothario honorificè susceptus, 3. non leue ab illo periculum incurrit: 4. sed Bernardi constantia sedata omnia: 5. & Lotharius in Regem coronatus. 6. Bernardus Pater Attrebatum venit, cereum è cælo allatum visitaturus: 7. Qualis ille, quibus, & à qua datus. 8. Guerrici conuersio, & aliorum recensenda sequenti capite.

Capvt I.

1. Vt sol stellas, sic Bernardus Oriens reliquos Sanctos obscurare visus est, ab ipsis etiam conuersionis suæ initiis. Nunc cœlum scandens, & humeris sustentans solem Christiani orbis, Innocentium nimirum Christi Vicarium, solus ferè replet historiam suorum temporum: nec Cisterciensem modò, sed Ecclesiasticam. Non quòd Stephani, quantumuis iam fatiscente ætate prægrauaretur, non quòd Hugonis, Ioannis, vtriusque Petri, atque vtriusque Amedei gesta deficerent: non denique aliorum, quoscumque alios Annales illustratura, sed quòd absorpta a maiori claritate, lucem comprimerent potius, quàm non haberent. Quid si & actiones? Haud aliter Baptista Christo deferens, quandiu vixit, abstinuit à miraculis. Sed & Apostoli, degente in terra Domino, vix pauca: absumpto ad cœlos ingentia perpetrarūt, & plura numero. Ante, & post Bernardum radiantē, splenduerunt alij: ipso splendente, lumen contraxere. Hinc est quòd anno proximo nihil aliud: hinc quòd hoc ipso millesimo centesimo trigesimo primo, Cistercij trigesimo quarto, præter Bernardum, vix quidquā scribemus.

2. Igitur hyeme iam decrudescente, Innocentius Leodium proficiscitur, occursurus ibidem Lothario Regi, & Quadragesimam cum eo celebraturus. Et potuisset ad Regem amicum pergens, quemque ab initio obsequentem expertus fuerat, dimisisse Bernardum in Claravalle, vt desperatis rebus remedium vnicum, sic facilibus minus necessarium. Sed vel ne solis obiicere procellis, tranquillo mari arcere videretur, vel, quod fortasse maioris prudentiæ fuit, in ipsa serenitate præueniens fluctus (quæ Principum procellosa natura esse consueuit) dum nihil tutum censet sine Bernardo, comitem vix ante omnia sibi asciscit. Tum Leodium profectus, perueniensque, susceptus à Lothario, vt à Catholico Rege Vicarium Christi, & communem Patrem decebat, à pio filio. Nihil Rex omisisse visus est, quod posset facere ad obsequium Summi Pontificis. Nam & pedester, frenum manu tenens, equitantem præcessit, & descendenti se baculum exhibuit, grauem non minus annis, quàm laboribus parentem subleuans, humili reuerentia, atque officiosa. Audi Sugerium de his ita scribentem. [a] *Visitando itaque Gallicanam, sicut Rex exigebat, Ecclesiam* (Innocentius scilicet) *ad partes se transfert Lotharingorum. Cui cùm Imperator Lotharius, ciuitate Leodij, cum magno Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Theutonici regni optimatum collegio celeberrimo occurrisset, in platea ante Episcopalem Ecclesiam humillimè seipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tanquam dominum deducebat. Descendentem verò tota statione eum subbrachiando, deportans, celsitudinem paternitatis eius notis, & ignotis clarificauit.* Ita Sugerius de pia humilitate, atque humili pietate Lotharij circa Innocentium. [a in Ludouico]

3. Verùm in ea, qui mos Principū est, in propriam vtilitatem cuncta cōuertere, & vel ex ipsa pietate quæstum, ex religione, potentiam intentare: ne gratis Innocentio famularetur, inuestituras, vsurpatas olim Ecclesiæ, sed à Calixto secundo, vt suprà vidimus, vendicatas constanter, inter obsequia repetere ausus est, ratus Pontificē tunc adhuc Roma exulem, imò & profugum, eoque eius ope indigētem aduersùs æmulum, nihil sibi petenti negaturum, cui vel tacenti solùm, & acceptanti, omnia indulgenda forent ab Anacleto. Hic maior Innocentij conflictus fuit, si concessisset, Ecclesiam penè prodentis, quippe ementis Tiaram de Petri iuribus, imò de vero Christi patrimonio, eoque iam indigni Pontificatu. Sed destituendi à Lothario, si resiliret, atque ipsa illius Regis desertione, Ecclesiam diu diuisam, quassatamque, ampliùs, atque hostiliùs diuisuri. Tunc primum sensit Bernardum nequaquam casu, nec humano consilio illuc venisse, neque rebus pacatis adductum, vt frueretur: sed motibus sedandis, qui iam emergerent, ni reprimantur, violentiùs grassaturis.

4. Cæterùm qualiter hæc omnia gesta sint, qualiterque imminentem tempestatem Bernardi Patris constantia compescuerit, quo maior dictis fides, & pondus insit, Bernardi alterius Bonæuallis Abbatis verbis præstabit prosequi. [b] *Igitur* (ait) *soluto Concilio, Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit, & honorificè quidem susceptus est: sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importunè ipse Rex institit, tempus habere se reputans opportunum,* [b lib. 2. cap. 1.]

Episcoporum sibi restitui inuestituras, quas ab eius predecessore, Imperatore Henrico, per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Ecclesia vendicauerat. Ad quod verbum expauere, & expalluere Romani, grauius se se apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quàm declinauerint Romæ. Neque consilium suppetebat, donec murum se opposuit Abbas sanctus (Bernardus scilicet.) Audacter enim resistero Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit. Hactenos Bonæuallis Bernardus Abbas. Quibus videas, vt Baronij verbis vtar, *redargui mendacissimum Petrum Diaconum Casinensem, dum in gratiam eiusdem Lothary, cui postea adhæsit, aduersus tam apertissimam veritatem de inuestituris, adfirmat eas ab Innocentio Papa in eo conuentu Leodiensi Lothario fuisse concessas.* Potuisset dicere concedendas, ni Bernardus pro muro se opposuisset. Cæterùm ipso Lotbarium iocrepante, eo solùm non negatas ab Innocentio, qui depetitas etiam ante repulsam, cedente Rege.

5. Quem tameo Pootifex à Bernardo iam coërcitum, ne irremuneratum à se dimitteret, quanto vidit Ecclesiæ submissiorem, eo digniorem censens cunctis honoribus, solenniter in Regem coronauit Dominica prima Quadragesimæ, idque in primario templo sancti Lamberti, quod ab Ægidio Aureæ vallis Monacho proditum, Aubertus Miræus collegit in hæc verba. [d] *Cæterùm Innocentius secundus in Quadragesima Missam solemniter celebrauit Leody, in templo primario sancti Lamberti, ibidemque Lotharium Regem Alemaniæ, eiusque coniugem Reginam coronauit. Aderat tunc Innocentio sanctus Bernardus cum aliis Antistitibus pluribus.* Hactenus Ægidius, quæ eadem copiosiori narratione Magnum Chronicon Belgicum recenset. [e] *Innocentius* (ait) *cum curribus, & rhedis* (in Leodio ciuitate) *ab Ecclesia sancti Martini in publico monte, quasi Romæ via triumphali, vsque ad Capitulum sancti Lamberti* (templum maius) *ascendit: Missam celebrat, Regem Lotharium, & Reginam coronat, coniugatos Presbyteros excommunicat. Vbi æstimatum fuit, triginta & duos Abbates adfuisse, & Abbates septuaginta tres, inter quos fuisse dignoscitur Abbas Bernardus Claræuallensis.* Hæc de coronatione Lotharij in Regem per Innocentium, condicto interim inter vtrumque tempore, quo Romam, vtriusque Imperij sedem, pergerent, mutuis officiis inuicem iuuandi. Innocentius per Lotharium, Anacleto expulso, pacifice introducendus in sedem Petri: Lotharius coronandus per Innocentium, atque in Imperatorem sublimandus. Sed hæc anno sequenti, quo gesta sunt, nam neque sine Bernardo, referemus.

[d] in histor. Episc. Leod.

[e] Chro. Ioan. Pistor. anno Christi 1135.

6. Dum Innocentius Leodij commoratur, Bernardus Pater Attrebatum adiit, miraculosum, atque recens è cœlo delapsum cereum, Deipara afferente, visitaturus. Id quod ex monomentis perantiquis Bedastini Cœnobij refert Ferreolus Locrius in hæc verba. [f] *Sanctus Bernardus cum aliorum, tum sacri cerei recens è superis per Virginem allati videndi, & venerandi causa; venit Atrebatum. Quo quidem viso, & suis laudibus ornato, tanta mellifluus Doctor spiritus dulcedine repletus est, vt ad perpetuam memoriam in vetere Cœnobij Bedastini cœmeterio, è regione Curiæ Comitus, vt vocant, crucem erigi curauerit, quippe illic recte locus, in quo stans Bernardus compos fuit votorum, lectum nimirum sacrum pignus reconditorium suum tunc obtinebat, viro cui à Picis nomen.* Ita Ferreolus ex monumentis Vedastinis. Qui etiam addit, eamdem crucem à Bernardo Patre erectam, per tercentos & eis amplius annos perdurasse immotam; quippe vsque ad millesimom quadringentesimum quadragesimum septimum. *Quo tempore* (inquit) *quia in ruinam desinebat, Vedastinæ Asceris instaurare visum est, & augustiore, cuius hodie aliquid cernitur, donare forma.*

[f] in Chronic. Belgic. ad an. Christi 1130.

Historiam huius cerei miraculosam, ex materia, ex effectibus, ex dante; nec minus stupendam ex accipientibus, quippe duobus histrionibus, quo altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei altiùs humanæ mentis captum supernolaret, eam, inquam, historiam admirandam cuncti scriptores Belgici recensent. Nos, quæ ex eisdem collegit idem Locrius, ne Lector hæreat, paucis referemus. *Anno* (inquit) *M C V. Atrebati in Cathedrali templo, cereus ille per orbem Belgicum memoratissimus, duobus histrionibus, seu citharœdis* (ioculatores Ipetins vocat) *Iterio Paulinati, & Normano Brabantino, ab ipsa Deipara cœlitus affertur, ardenti igni extinguendo promptissimum, & singulare remedium. Ex quo quidem cereo nihil hactenus imminuto, quin licèt sæpe ardeat, mirificè aucto, multi alij cerei conflati fuerunt: velut Brugensis, Falco Bergensis, Bononiensis, Nigelanus, & alij.* Ita Ferreolus. Verum est tamen ex Epitaphio Lamberti tunc Episcopi non obscurè deduci, Deiparam, dum cœleste pignus adtulit, non histrionibus solis adparuisse, atque cereum donasse, sed & Lamberto Pontifici sanctissimo. Verba inscriptionis, quo maiorem fidem habeant, in gratiam mei lectoris hîc transcribam. *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, decimo sexto Kalendas Iuny, obiit beatæ memoriæ Lambertus huius Atrebatensis sedis Cardinalis Episcopus. Per hunc restituta est dignitas huius Episcopatus, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat commendata. Huic Episcopo, & duobus ioculatoribus Iterio, & Normano beata Maria in hac Ecclesia adparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.* Hactenus inscripsio. Atque hæc obiter dè cereo illo sufficiant, occasione religiosæ peregrinationis à Bernardo ad eum susceptæ, quæ non parum adauxisse censenda est reliquorum fidelium in eum venerationem. 7.

Crediderim hoc eodem anno factum, vt Guerricus, magnum futurum incrementum totius Ordinis, qui dudum ex Magistro scholæ Tornacensis, in Canonicum maioris Ecclesiæ, sanctitatis, & doctrinæ flagrantia, promotus fuerat, relictis omnibus, Bernardum sequeretur, per ipsum erudiendus in Claravalle. Quin & insignem illam conuersionem vsque ad triginta iuuenum litteratorum, diuitum, nobilium, inter quòs etiam Gaufredus de Parona, & Robertus de Brugis, vterque magnus, quam Leodiensem capturam auctores adpellant, vltra hunc annum nequaquam differendam, argumento est, quod Robertus de Brugis, ex eis vnus, nuo multo pòst Dunensi Cœnobio præfectus legitur, saltim nulla interiecta, quam sciamus, alia Bernardi in Leodium profectione. Eam conuersionem, quia & numero copiosior, & qualitate clarior, & denique vel ipsa conuersorum lubricitate, penè iam resilientium à proposito, pretiosior extitit, crescente, vt solet, ex periculo æstimatione. Godefridi Claræuallensis verbis primum, qui non multo pòst Bernardo Patri adhæsit, atque ab eius, & conuersorum ipsorũ ore cuncta perdidicit, mox rem totam diffusiùs declarabo. [g] *Inter cæteros, quos de vana conuersatione huius sæculi, per ministerium ser-* 8.

[g] lib. 4. cap. 3.

mi

ui fui (Bernardi *) Christus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando nobiles, multi sapientes, & litterati viri ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem. Quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postmodum in Claravalle Prioris officio functus est, & defunctus in eo.* Ita Godefridus de conuersorum qualitatibus, & numero. Verùm historiam eorumdem conuersionis, quia singularis, & variis etiam illustris circunstantiis, sequenti capite seorsim referemus.

---

1. *Multorum ex Bernardi fama conuersio: 2. inter quos primus Gaufridus de Perona, 3. deinde alij. 4. Bernardi Patris epistola ad eosdem. 5. Ratio temporis apertè declarata. 6. Conuersorum dispersio, atque reductio. 7. Gaufridus retrocedens à proposito, oratione Bernardi confirmatus. 8. Probati omnes, & dictum de aliquibus.*

CAPVT II.

1. CVm crebris per diuersas Prouincias fundationibus Claravallis non parum exhauriretur, quod annis præcedentibus ex parte ostensum, in sequentibus pleniùs demonstrabimus; Bernardus Pater reparandis missorum sedibus, necnon de nouo instituendis, qui mitterentur, congregare discipulos instabat, & quosdam prædicatione, quosdam miraculis, quosdam etiam exemplis conuertebat, vnde aliis in aliorum locum succedentibus, renouatione defectum compensaret. Verùm cùm agens in partibus Leodij plus communibus totius Ecclesiæ commodis, quàm suæ domus priuatis inseruiret: neque vacaret scholas frequentare, conuocare auditores, instantem mortem ante oculos proponere, minitari iudicium, atque hinc cœlestem gloriam, illinc gehennam, vtramque sine fine repræsentare (quos hamos in capturam prætendebat, quoties dabatur tempus, & occasio) quos minus verbis exteriùs solicitabat, meritis obtinebat, Deo nimirum inspirante conuersionem his, quos sciebat Bernardo profuturos. Sic vterque alterius agebat causam, dum Bernardus, quæ Dei erant, curabat, quæ Bernardi, Deus.

2. Igitur primus Gaufridus de Perona, genere clarus, opibus diues, ætate pollens, dignitate, quam vel iuuenis habebat, Thesaurarius Ecclesiæ sancti Quintini, & cui tam bona fortunæ, quàm naturæ, velut certatim arridere videbantur, velut à graui somno excitatus Bernardi fama, caduca ea omnia, & fugitiua, nisi spernantur; spreta, ingentis gloriæ pretium fore, nec momentaneum, & leue præsentis vitæ præferendum æternæ: si succedat, experti vel timoris; secus, nec spe fallaci sublenandæ. Id vnum bonum, quod inamissibile; cætera, ipsa suæ lubricitatis solicitudine, inter mala conuenientiùs numerari. Hanc solam veram, & certam philosophiam, quæ nunquam falli possit, nunquam fallere. Has solas veras, certasque diuitias, quæ nunquam decidant. Bernardi exemplum cunctis pro doctrina, & tunc oblatum sibi velut de cœlo, sub cuius magisterio pleniùs disceret, cuius auspiciis securiùs militaret. Hæc, & similia frequentiùs apud seipsum, neque rarò cum aliis conferebat, & iam socios habebat conuersionis, quosdam simili modo de cœlo tactos, quosdam ab ipso suasos, persuasosque, vt suæ saluti adtentiùs prouiderent.

3. Itaque singuli primum apud se, bini deinde, & terni, mox omnes simul, cùm diutiùs super conuersione deliberassent, & cuncti pariter inuicem iuuarent, inuicem iuuarentur; vnica Claravallis, & Bernardi ducatus electa sunt, in qua, & sub quo se Deo manciparent, si recipientur, ibidem permansuri: sin minus, parituri consiliis Sancti, cuius responsa, vt oracula susciperent, & quasi Dei præcepta exequerentur. Ergo ne frustra eis illuxisset salutis dies, aut fraudarentur cœlesti vocatione, ni responderent, velociùs transitura, virum Dei ante omnia consulendum, atque eius opem implorandam fore censuerunt. Tum misso nuncio, propositum aperiunt, consilium pandunt, & se per omnia paratos obedire, volentes duci, vnanimi consensu profitentur. Vel in hoc illi tanquam Deo deferentes, quod non se ad eum peruenire posse putabant, nisi per ipsum. Dubium vtrùm ex his Guerricus fuerit, quem hoc anno conuersum coniectabamur: de Roberto Brugensi certum, probatumque, quippe de quo in sepulchris Claræuallis scriptum legimus, *Quod cum illustri viro Gaufrido de Perona Thesaurario Ecclesiæ sancti Quintini, in hac Claravalle habitum suscepit.* idem & de Alano Insulensi probat catalogus Priorum Claræuallis. Quicumque fuerint, ad Bernardum transmissi nuncij accepere responsum, qualem decebat Sanctum, & qualem ipsi, qui consuluerunt, desiderabant. Atque ecce exemplar epistolæ Bernardi, quæ inter opera, & epistolas eius extat, in hunc tenorem.

4. [a] *Dilectis filiis Gaufrido, & sociis eius, Bernardus Abbas dictus Claravallis, spiritum consilij, & fortitudinis.* a epist.109. *Sermo, qui insonuit, ædificat multos, imò vniuersalem lætificat ciuitatem Dei, ita vt lætentur cœli, & exultet terra, & omnis lingua glorificet Deum de vestra conuersione. Terra mota est, quia cœli distillauerunt à facie Dei Sinai, pluentes istis diebus plus solito abundantiùs pluuiam voluntariam, quam segregauit Deus hæreditati suæ. Non adparebit vltrà vacua in nobis crux Christi, quemadmodum in multis filiis diffidentiæ, qui tardantes conuerti ad Dominum de die in diem, improuisa morte subtracti, in puncto descendunt ad inferos. Omnino refloruit, & nunc quasi de nouo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ipse colligit vos, qui diligit vos, tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui. Si ergo* [b] *gaudent Angeli super vno peccatore pœnitentiam* b Lucæ 15. *agente, quid in tam multis, & in illis peccatoribus, qui quantò illustriores videbantur in sæculo scientia, genere, iuuentute, tantò pluribus erant perditionis exemplum? Legeram:* [c] *non multos nobiles, non multos sapientes, non* c 1.Cor.1. *multos potentes elegit Deus: at nunc præter regulam, mira Dei potentia, talium conuertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi stultitia iudicatur, non acquiescitur carni, & sanguini, parentum, & charorum renunciatur adfectibus, fauores, & honores, & dignitates reputantur* [d] *vt stercora, vt Christus lucri-* d Philip.3. *fiat. Laudarem vos, si vobis hæc accidisse ex vobis cognoscerem. Cæterùm digitus Dei est iste, & mutatio plane dextera Excelsi.* [e] *Datum optimum est, & donum per-* e Iacob.1.

fectum nec dubium quin descendens à Patre luminum. Idcirco in ipsum omne praconium iure referimus, qui facit mirabilia solus, qui fecit ne otiosa in vobis iam esset ea, qua apud se est copiosa redemptio. Quid igitur opus est facto dilectissimi, nisi vt satagatur, quomodo laudabile propositum, dignum consequatur effectum? Studete proinde perseuerantia, qua sola virtutum coronatur. Non inueniatur apud vos est, & non, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, apud quem nimirum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vos quoque fratres in eandem imaginem transformamini à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, curantes omni vigilantia, & ipsi non inueniri leues, instabiles, fluctuantes. Scriptum est enim: [f] *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Et rursum.* [g] *Va ingredienti terram duabus vijs. Et ego charissimi quantum congratulor vobis, tantum gratulor & mihi, qui vt accepi, dignus habitus sum minister eligi consilij huius, & consilium do, & auxilium spondeo. Si videor necessarius, aut certè si dignus iudicor, non recuso laborem, non deero pro viribus. Deuotus suppono humeros, etsi iam fessos, sarcina huic, si mihi cœlitus imponatur. Lætus & obuiis (vt dicitur) manibus excipio ciues Sanctorum, & domesticos Dei. Quam libens, iuxta mandatum propheticum,* [h] *occurro cum panibus fugientibus a facie gladij, aquam offero sitientibus. Reliqua posui in ore nostri, imò & vestri Gaufridi. Quidquid vobis vice nostra dixerit ille, nostrum non dubitetis esse consilium.* Hactenus ad Gaufridum, & socios Bernardus Pater.

[h Esai. 21.]

5. Verùm quod Sanctus sub eiusdem finem ait, suppositurum se humeros, licèt fessos oblatæ sarcinæ, nonnullos video non parum commouere, vt putent, conuersionem hanc Gaufridi, sociorumque tempore posteriorem per plures annos, quippe incidentem in Bernardi senectutem, qua grauis annis, morbis, & laboribus fessos humeros aptius pronunciaret, quàm cum ætate firma, constantique, quippe quadragenarius, primos labores pro Ecclesia sustinebat. Vnde etiam censent Gaufridi conuersionem post annos quindecim, aut plures contigisse, Sancto nimirum prædicante crucem Leodij, sub Conrado, & Eugenio, hoc Pontifice, illo Imperatore; de qua prædicatione nos plura infrà. Atque hoc nobis probabile adpareret, si non obstaret simultanea cum Gaufridi conuersione Roberti Bruxellensis memorata conuersio, quam non potuisse contingere illo anno compertum est, quippe Robertus ante annos octo, Christi nimirum M. CXXXVIII. Dunensi Monasterio præfectus, in quo omnes conueniunt, atque eo directus à sancto Patre, agmen ducens Coloniæ illuc transmissæ, nequaquam potuit non antea Nouitius esse, non professionem emisisse, ac Monachum egisse per tempus aliquod. Nec multum erit, si conuersio eius præcesserit septennio, adeòque inciderit in præsentem annum Christi, nimirum M. CXXXI. maximè cùm omnino compertum sit, conuersos, sancto Leodij permanente, nec aliud tempus facilè assignatur, in quo Bernardus eas partes peragrauerit. Quod de humeris fessis obiicitur, non vrget, præcipuè in homine, defectu virium, fragili, grauitate morborum penè inutili, & de quo Medici longe antè indicassent, vix posse conseruari citra miraculum. Atque hæc breuiter de ratione temporis dicta: nunc conuersionis historiam prosequamur.

6. Sancti Patris epistola suscepta, alacres omnes, firmatique in proposito, profectionem quam citius maturabant, cùm ecce subitò communis hostis fraude, suborta tempestas turbauit tranquillum, atque recentes conuersorum animos, tenera adhuc virtute in bono fragiles, vsquequaque deiecit, quemcumque alium, statui religioso, quamcumque religionem, Cisterciensi, demum Cistercij quodcumque Monasterium Claræualli anteponens: conuenientibus propinquis, & amicis, vt eos ab incepto deterrerent. Et præualuisset sine dubio fratres, si non Bernardus ex aduerso positus, retro iam adspicientes reuocasset. Sed præstat hæc Clarevallensis Godefridi verbis, qui rem ab ipsis hausit, propalare. [i] *In quibus* (inquit, id est, Gaufrido, & sociis) *euidenter satis Euangelicum illud impletum est: Multi dicent vobis.* [k] *Ecce hic est Christus, & ecce illic. Pluribus enim persuasionibus actum est cum eis, vt aliam magis eligere professionem, & loca alia debuissent. Donec occurrit Dei famulus* (Bernardus) *iam propè dispersis, & in verbis gratia, qua procedebant de ore eius, pristina omnis hæsitatio facta de medio, & omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est confirmata voluntas. Quod quidem non sine subita, & penitus insperata quorumdam ex ipsis mutatione factum est animorum.* Sic Godefridus de prima tempestate per Bernardum sedata; perniciosiori, quo vniuersaliori.

[i lib. 4. cap. 3.]

[k Matth. 24.]

7. At cùm in omnes minus præualeret inimicus communis humani generis, nequid omnino intentatum relinqueret, seorsim singulos censuit inuadendos. Vnde & Gaufridum per internam suggestionem ad eas angustias redegit non multo pòst, vt ni idem Sanctus citiùs subuenisset, cæteris breui offendiculum pararet, sibi perniciem. Audi eumdem auctorem ita scribentem. [l] *Denique cùm iam Dei hominem sequeretur prædictus ille Gaufridus, grauissima cœpit tentatione pulsari. Intuitus autem illum vnus è fratribus, Quid est* (inquit) *quòd facies tua exterminata, & tristitia quodam nubilo grauiter obuoluta videtur? Cui Gaufridus: Scio* (inquit) *scio quòd numquam ampliùs lætus ero. Quod verbum cùm ad Dei famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille basilicam prope viam, per quam gradiebantur, in eam diuertit, & ingressus orabat. Cæteris autem de foris præstolantibus, Gaufridus ille grauatus tædio, super lapidem obdormiuit. Demum cùm ambo pariter surrexissent, ille de oratione, iste de somno, adparuit idem Gaufridus tantum iucundior, & hilarior cæteris, quantum tristior prius. Cumque ei prædictus frater verbum mæstitiæ, quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret: etsi tunc* (inquit) *dixi, numquam ampliùs lætus ero, sed nunc dico, numquam ampliùs tristis ero.* Hæc de Gaufrido, & eius conuersione, quæ quo pluribus extitit salubris, eo nocentior foret, si retrocederet, sed consummata gloriosior Bernardo fuit. Qualiter autem eiusdem Gaufridi pater, filio orante Bernardum, Bernardo Deum, tandem in Claravalle conuersus sit, iuxta eiusdem Bernardi prophetiam, atque ibidem feliciter consummatus, dicemus in tempore.

[l ibidem.]

Interim de Roberto Brugensi, ex [m] Meiero, [n] Sanderoque notatum velim, ipsum non solùm patria, sed & genere de Brugis ortum, agnominatumque, accito stemmate. Ex quo Henriquez [o] non ineptè colligit nobilissimum virum secundùm sæculum, quippe ex illa familia perillustri, ex qua multi præstantes bello, & pace, atque aureo insigniti vellere claruerunt. Reliqua eius, Gaufridique, & Guerrici suis temporibus, locisque reddemus.

[m in Annal.]

[n in Agiolog. Fland.]

[o in Menol.]

1. Innocentius Leodio rediens primum Cluniacum, 2. mox Claramvallem visitat. 3. Hospitium illic Pontifici exhibitum. 4. Turbati Monachi Dæmonis industria, 5. sed per Bernardum statim pacata omnia. 6. Remense Concilium indictum mense Octobri. 7. Ratio temporis probata auctoritate; 8. & remissa ex conuentu Leodiensi, in synodum Remensem sancti Godeardi canonizatione. 9. Sanctus Dauid conuersus in Claravalle defectu corporalium virium pellitur. 10. Sed mox Bernardo per oraculum admonito, perseuerans, & pulsans reuocatur.

CAPVT III.

1. IGitur Innocentius, Lothariusque inuicē discedentes, concordes inuicem; hic Germaniam, ille Gallias remearunt, Romæ post annum opportunè conuēturi. Leodio rediens Summus Ecclesiæ Præsul, noua, & vetera de thesauris Ecclesiæ prolata paterno, nec inæquali fauore prosequens, primò Cluniacum per seipsum visitauit, mox Claramvallem. Et Cluniaci dedicata noua Ecclesia fauorem auxit, quem Chronicon eiusdem Cœnobij ita describit. [a] *Tempore beati Petri venerabilis Cluniacensis Abbatis, anno videlicet M. CXXX. dedicatio magna basilica Cluniacensis, à Domino Papa Innocentio secūdo facta est.* Hæc in Chronico. Sed breuiùs adhuc idem beatus Petrus, dum Innocētij moram in Galliis narrat. [b] *Vbi primum* (ait) *ab eodem Papa Innocentio, Cluniacensi noua, & maiore dedicata Ecclesia, &c.* Hæc de Cluniaci per Innocentium visitatione.

a in vit. I. Pet. Mau.

b lib. 2. de mirac. c. 16.

2. Cæterùm de visitatione Claræuallis magnum Chronicon Belgicum hæc breuiter. *Leodio rediens Summus Pōtifex, Claramvallem diuertit.* Eandē fusiùs Bernardus Bonæuallis describit magis, quàm scribit in hæc verba. [c] *Rediens autem Leodio, Claravallē Dominus Papa per seipsum voluit visitare. Vbi à pauperibus Christi, non purpura, & bysso ornatis, nec cum deauratis Euangeliis occurrentibus* (adludit ad ea, quæ Cluniaci gesta fuerant) *sed pannosis agminibus scopulosam baiulantibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa iubilatione, sed suppressa modulatione adfectuosissimè susceptus est. Flebāt Episcopi, flebat ipse Summus Pontifex: mirabantur congregationis illius grauitatē, quod in tam solenni gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur: sed complosis palpebris, ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in Ecclesia illa vidit Romanus, quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitauit adfectum, nihil in oratorio, nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio: nec damnosa poterat esse fratribus eiusmodi præda, cùm minui non possit asportata religio.* Hæc de prima Innocentij susceptione. Sed pergit auctor etiam de hospitio. *Gaudebant omnes in Domino, & solemnitas non cibis, sed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus pro simila, pro carenosapa, pro rhombus, olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si forte piscis inuentus est, Domino Papæ adpositus est; & aspectu, non vsu in commune profecit.* Hactenus Bernardus Bonævallis.

c lib. 2. cap. 1.

3. In quibus tamen, vt id obiter notem, duo mihi admiranda esse videntur: alterum est Bernardi reuerentia in sacram sui Cœnobij congregationem, cuius vitæ, obseruantiæque rigorem, nec ipse Ecclesiæ Præsul minueret: alterum Innocentij pia humilitas nihil aliud in Cœnobio quærentis, nisi Cœnobium. Potuisset Sanctus suscepturus hospitem talem, imò totam Curiam Romanam habiturus hospitio, præuenire delicias, & vt à carnibus abstinendum cunctis foret in Monasterio, at quadragesimalia condi fercula, quibus Christi Vicarius, quibus Cardinales, & alij reficerentur: nec defuissent, qui offerrent vltroneas dapes, officiosi in Bernardum, & in Pontificem. Potuissent Innocentius in hac penuria permittere se curandum suis ministris, quin & Monachis etiam prouidere, ipsa delicatiorum desuetudine, vel viles cibos pro deliciis habituris. Sed neuter censuit metas transgrediendas, ille suetæ, & promissæ paupertatis, hic hospitij. Turpe est sæculum in Monasterio quærere, turpius exhibere, & parsimoniam hospiti negare, si propria domus, aut contemnentis est, aut inuidentis. Illud, si tolerantiæ imparem sentias; hoc, si æqualem. Bernardus Pater nihil minus de aliis iudicans, & nihil magis aut sibi, aut suis arrogans, Claramvallem sine fuco exhibuit Summo Pontifici, gratius ratus hospitium, quo simplicius; pretiosius, quo rarius, & fortè quo austerius, fructuosius.

Interim Dæmon turbandæ tantæ lætitiæ, & inquietandæ, vtrorumque deuotioni, Monachum arripit, circunstantes, pro lata blasphemia, terret. Sed quod Apostolo spiritus Satanæ, ne magnitudine reuelationum extolleretur, hoc arreptitius Claræualli, & Bernardo fuit, in Summi Præsulis, & cunctorum Cardinalium veneratione. Salua virorum Dei fama, & existimatione, sedata omnia, qui aderant extraneis, prorsus ignaris, & solis illis consciis (mirum dictu) quibus quasi in cautelam adhibebatur. Audi Bernardum scribentem in hunc modum. [d] *Inuidit Diabolus, & seruorum Dei gloriam, quos tanti hospitis nobilitabat præsentia, ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent, & deuotè, præsentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu, & aspectu illorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pauore turbauit. Nam & vnus præ cæteris occupatus* (à Dæmone) *blasphema quadam verba loquutus est: Dicite* (inquiens) *ego sum Christus, & alij plures territi, & tremebundi ad beati Patris vestigia confugerunt.* 4.

d lib. 2. cap. 1.

At ille conuersus ad cæteros: Orate, inquit, ac deinceps sub silentio eos, qui turbati videbantur, eduxit, atque compescuit. Vt nequissimus ille, qui conuentum pietatis transferre conabatur in theatrum, & scholam innocentia in derisum, non vt putabat, existimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet, & conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, vt personas illas, quæ propè adstabant, omnino lateret, quod acciderat: & malignus hostis velociter increpatus, non modò scandalum eis, quod parabat, inferre nequiuerit, sed neque ad illorum notitiam rem perferre. Factumque vt ex eo, vt ampliori se custodia fratres munirent. Hæc auctor ille de turbatore Dæmone, tunc verè, & propriè illuso, non illudente, & fraudes, quas in seruos Dei machinabatur, in seipsum atrociùs experturo. Nam hinc *factū est* (pergit idē auctor) *vt & merito, & numero, & possessionibus cresceret Claravallis, & multiplicatis conuentibus, ferè per omnem latitudinē dilataretur religio. Ipse etiam Abbas sanctus ex tunc amplius solito miraculis clareret, & signis.* Hactenus ille. Qualiter autem ex hac ipsa Claræuallis visitatione per Innocentiū, ortum habuerit decimarum exemptio concessa Ordini, sequenti anno, quo indultam credimus, referemus. 5.

Per idem tempus Innocentius sedando schismati, & vero designando Vicario Christi, Concilium generale Remis indixerat, decimo quarto Kalendas 6.

[c apud Baro.] das Nouembris celebrandum; quem diem c notat Dodechinus ad Marianum, consentientibus reliquis scriptoribus. Vnde obiter videas errare nimium, qui hoc Concilium Leodiensi coouentui anteponunt, moti, ni fallor, Bonæuallis Abbatis [f lib. 2. cap. 1.] verbis, quæ id indicare videntur non obscurè. f *Igitur* (inquit) *soluto Concilio* (scilicet Remensi) *Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit.* quem rerum ordinem, etsi non adfirmat, sequitur tamen Baronius hoc ipso anno. Cæterùm Bonæuallis Abbatem per metaplasmum iouertisse euentus notauit aprè Christophorus Brouberus, g tum ex Sugerio h Abbate sancti Dionysij, tum ex ordine mensium, rerumque, quæ aliter constare nequaquam possunt. Cùm enim vtrumque congressum hic annus clauserit, in quo omnes conueniunt, Leodiensi in Quadragesima, adeòque mense Martio, plus minusve, Remensi verò celebrato mense Octobri, consequitur illum, hoc fuisse priorem. [g in not. ad vit. S. Godeardi.] [h in Ludouic.]

7. Porrò Innocentium peregisse Leodij Quadragesimam, vltra Ægidij Aureæuallis auctoritatem adducam suprà, confirmat eius temporis scriptor Arnoldus, in vita sancti Godebardi, dum ita ait. *Nam in Leodiensem ciuitatem curia indicta est, vbi Innocentius Papa cum Romana Ecclesia, & magna parte Galliæ, cum Lothario Rege, & ferè vniuersis Episcopis Theutonicis conuenerunt, vt de violentia Romanæ Ecclesiæ, per Petrum Leonis perpetrata, qui tunc temporis papatum sibi violenter vsurpauerat, pertractarent: & qualiter illud idolum in templo Domini positum destruerent, & labefactarent. Factum igitur est, vt ad Dominicam Lætare Hierusalem, ad prædictam ciuitatem multi Catholici viri tam cum Apostolico, quam cum Rege conuenirent, & de communi statu Ecclesiæ pertractarent.* Hactenus Arnaldus.

8. Sed multo adhuc clariùs paulo inferiùs, dum canonizationem Godebardi, per Episcopum, & Clerum Hildeshemensem petitam à Pontifice Leodij, dilatam in Concilium Remense refert, ita scribês. *Inter quos Præses noster Bernardus cum maioribus nostræ Ecclesiæ assistens, videns opportunitatem vltrò sibi oblatam, ipsum Apostolicum cum omni Curia Romana aggreditur, vitaque Pastoris nostri coram ipsis recitata, vt per eum in Ecclesia Dei canonizaretur, deuotissime preces fundebat. Sed cùm consuetudo sit Romanæ Ecclesiæ, in generali Concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem ciuitatem, in festo sancti Lucæ inditum fuerat, accepto consilio, petitionem Ecclesiæ nostræ vsque in prædictum locum distulit, ibique diffinitionem certissime promisit.* Hæc ex Arnoldo adducta satis declarant & ordinem, & tempus vtriusque synodi. Vnde obiter colligas, errare etiam Baronium, & Picardum, dum referunt in hunc eumdem annum Pascha celebratum Parisiis ab Innocentio, sequenti conuenientius referendum, quo adhuc Pontifex io Galliis morabatur, quippe Dominica quarta Quadragesimæ inchoata Leodij synodo, nec peragendæ quantumuis breui sessioni, nec itineri tempus superesset, quantumuis propero. Sed iam feriem historiæ prosequamur.

9. Inter hæc Florentinus adolescês, statura procerus, decorus forma, cui Dauid nomê, relictis, quibus incumbebat, studiis literarû, Claramvallem conuersionis gratia aduenit. Atque admissus gratanter ad probationem, meritis commendatis, ea pulchritudine, quippe, vt olim Papa prophanus cecinit,

Gratior est, pulchro veniens de corpore virtus.

Verùm cùm procederet anno, spiritui ad rigorem Ordinis prompto, vires ac valetudo prorsus deficerent, ne vel nihil omittens, in seipsum, qui impar oneri, vel aliquid relaxans de disciplina peccaret in alios, laxioris vitæ exemplo perturbâdos, intra annum probationis expulsus est, dolentibus his ipsis, qui expellebant. Sed ipso iuuene acerbiùs lachrymante, atque appellante Bernardum communem Patrem, per quem se cuncta sperabat impetraturum. Nam cur quem Deus traxisset, homines pellerent? Cur ab ipso vocarû, reuocarent? An quia imbecille corpus sibi concessum, nô possit spiritus cœlos penetrare? An virtus alligata viribus corporis, in quorû magis infirmitate perfici, reuelatum Apostolo, atque ipsa experientia comprobatum? Sed esto non mereatur aliis inseri, qui non potest cum aliis laborare, speraret se diuina misericordia corporis robur, quæcumque aspera constanter toleraturum; vel si virtus labore, succumbat oneri. Quid gloriosius præmatura morte, quàm vigiliæ, ieiunia, continuus cantus, & reliquæ obseruantiæ Cistercij anticipauerint? Tum sine sic in consortium sanctorum hominum peccator ipse veniat admittendus, saltim à foribus domus non arceatur, veneraturus limina, qui non posset penetralia, nec nisi mortuus ab eisdem auellendus.

Ergo quod vnum restabat feruori iuuenis, qui se non de conuentu, sed velut de paradiso eiectum arbitrabatur, prensare ianuas, osculari limina, adhærere mutis, lachrymis magis, quàm clamoribus pulsans, perseuerabat. Cùm ecce ad Bernardû sine exteriùs agentem cum Innocentio, siue tunc Claramvallem adeuntem, atque admirantem viri perseuerantiam, vox de supernis facta iubet admittere, iam tunc insignem, flagranti desiderio: sed postmodum virtutibus, miraculis, ac charismatum donis insigniorem vniuersum Cistercium illustraturum. Tum sanctus Pater præ foribus adstantem, nec præ gaudio credentem placidus reuocat, & bono animo de cætero esse monet, nihil non peracturum, ex his quæ hactenus superare viderentur ipsius vires, induat Monachum, & solemnia vota emittat, redditurus quæ posset, & ex tunc quæ non posset accepturus. Hoc initium Monachatus sancti Dauidis, quem ea Florentia concessum Claræualli, ex Claraualle accipiendum Hemmenrade, insignis sanctitate domus, de qua inferiùs, atque tota Germania præstolabantur. Atque hæc ex actis eiusdem sancti viri, quæ ab auctore synchrono descripta, vulgauit Assignies, ex quibus plura in sequentibus dicemus. [i lib. 1. cap. 7.] 10.

1. Philippi coronati iam Regis infelix mors, 2. iuxta sancti Bernardi prophetiam. 3. Concilium Remis celebratum ab Innocentio, cui Bernardus interfuit, 4. & Ludouicus pro fratre in eo inunctus. 5. Anacletus, sequacesque damnati. 6. Sermones Bernardo adscripti in hoc Concilio, 7. sed probatum indignos tanto auctore. 8. Soluta synodus, & ratio temporis iterum ostensa contra Baronium, 9 Relatum de electione Bernardi Catalaunensi. 10. Gualteri mors, 11. & Otonis subrogatio.

CAPVT IV.

1. IN Gallia interim, dum Concilij tempus instat, vetus illa Bernardi comminatio in Ludouicum Crassum impleta est, plectente eo morte primogeniti, iuxta prophetiam Sancti, duritiam cordis,

cordis, Episcopos expulsos à suis genibus, & Cisterciensium per Bernardum, Hugonemque totius generalis Capituli nomine, contemptas preces, quod annó millesimo centesimn vigesimo septimo memorauimus. Tristem eiusdem Principis interitum, simul & sancti Patris vaticinium, Paulus Æmilius recenset in hunc modum.[a] *Francus Rex . . . in sua ditionis Patres omni antè tempore prius, tunc primum eorum facultates inuadebat: Episcoposque deprecantes à genibus suis repulerat. Cui impotentia Bernardus Abbas iram cœlestem vindicem instare, denunciasse fertur. Extant epistola sancti viri in hunc Regem libere, grauesque. Constat Philippum eius filium, quem paulo antè coronatum, Regem salutandum curauerat, dum in suburbano Lutetia equitaret, occursu fumine suis panefacto equo, effusum, ac tam graui ruina stratum, vt paucis post horis spirauerit.* Hæc Æmilius.

a lib. 5. in Ludouic. Crass in fine.

2\. Eadem Robertus Gaguinus, sed expressiora adhuc, dum ita ait.[b] *Inter hac munciatur Ludouico filium eius Philippum, dum extra muros Parisij equo veheretur, interiisse. Nam inter crura lasciuientis equi, cum domestica sus incurrisset, equus ferociter cespitans, iuuenenem humi deturbat: quo lapsu, nocte, qua insequuta est, decessit. Cuius mors sicut mœrori Ludouico fuit; ita eum admonuit rerum futurarum solicitum esse. Tunc enim in mentem venit Diui Bernardi Claraualensis vaticinium. Nam cùm Ludouicum cleri bona aliquando vsurpantem Bernardus argueret, nec propterea abstineret: Hac* (inquit) *tua Rex pertinacia filij interitu multabitur.* Hactenus Robertus Gaguinus ex antiquissimis Francorum Annalibus. Quibus videas præteriti flagitij, post quatuor licèt annos, præsentem pœnam, & parcentem futuræ (sic credere dignum est) diuinam manum, nullis Regis officiis in Ecclesiam, nullis in Christi Vicarium potuisse flecti, quo minus verbum Bernardi adimpleret, quod prophetauerat.

b hist. Franc. lib. 6. in fine Ludou. Crass.

3\. Interim Innocentius perlustrans Franciam, condictæ synodi diem præstolabatur. Comitante Bernardo, an sine ipso? minus expressum. Certè pro tempore Concilium agebatur, pondus cunctarum rerum penes ipsum fuit. In ea synodo Ludouicus pulcher, illustris Regis Ludouici Crassi filius secundo genitus, à Pontifice inunctus, & coronatus, Philippi fratris desiderium paulisper minuit, non sine magna vtriusque curiæ Principum, Romanæ & Gallicanæ, atque Patrum Concilij adclamatione. Vtrumque habeo ex Abbate Bonæuallis, cuius verba præstabit hîc transcribere.[c] *Perlustrata igitur Francia* (Innocentius Papa) *Remis conuocauit Concilium, in quo multis ad honorem Dei dispositis, Regem Ludouicum, viuente patre, pro Philippo fratre coronauit in Regem. In omnibus his Dominus Papa Abbatem sanctum* (Bernardum scilicet) *à se separari non patiebatur, sed cum Cardinalibus in rebus publicis adsidebat. Sed & priuatim quotquot habebant negotia, virum Dei secretè consulebat. Ipse verò audita referebat ad Curiam, & oppressis patrocinia exhibebat.* Ita Bernardus Abbas Bonæuallis.

c lib. 2. c. 1.

4\. Cæterùm quod ad coronationem Ludouici adtinet, quam non sine interuentu Bernardi factam credendum est, consolando parenti de morte Philippi filij, Sugerius & consilij coadiutor, & cunctis præsens, in vita Ludouici Crassi ita describit. *Qui ergo intimi eius, & familiares eramus, formidantes ob ingem debilitati corporis molestiam, eius subitum defectum: consuluimus eum, quatenus filium Ludouicum pulcherrimum puerum, regio diademate coronatum, sacri liquoris vnctione Regem secum ad refellendum amulorum tumultum, constitueret. Qui consiliis nostris acquiescens, Remos cum coniuge, & filio, & regni proceribus deuenit: vbi in pleno, & celeberrimo, quod Dominus Papa Innocentius conuocauerat, Concilio, sacri olei vnctione, & corona regni deportatione, in Regem sublimatum, felicem prouidit regno suo successorem. Vnde multis, quasi quodam præsagio, videbatur, eius debere amplificare potentiam, qui tot, & tantorum, & tam diuersorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Francorum, Theutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, & Hispanorum, suscepit benedictionem copiosam.* Ita Sugerius.

Porrò autem in eodem etiam Concilio, qui præcipuus illius congregandi finis fuit, damnatum Anacletum, sequacesque, atque Innocentium declaratum verum Pontificem, Hugo Præmonstratensis, in vita sancti Norberti, qui & ipse Concilio interfuit, memoriæ prodidit.[d] *Conuocatoque,* (inquit) *Remis Concilio, conuenerunt vndique Episcopi, de diuersis nationibus: aduenit & Pater Norbertus. Ibique illum Petrum intrusum excommunicauerunt, & electione Innocentij adprobata, eundem Petrum Leonis leoni rugienti, nisi resipisceret, tradiderunt.* Hæc de gestis in eo Concilio, cuius præfixam diem à[e] Dodequino, contestatur[f] Robertus Abbas Montis, qui Ludouicum filium Ludouici consecratum ab Innocentio Papa tradit, octauo Kalendas Nouembris præsentis anni. 5.

d apud Sur. die 6. Iun. cap. 47.
e apud Bar. hoc ann.
f in Chr. hoc ann.

Superest loqui de sermonibus Bernardi, qui inter opera eius circumferuntur, quasi habiti ab ipso in hoc Concilio, alter ad Clerum, alter ad Episcopos. Baronius, quidquid de auctore eorum sit, in hoc Remensi Concilio habitos credit: quod ex initio prioris clarè constat conceptum ex mandato Summi Pontificis, qui eidem Concilio præsens esset, sic enim incipit. *Graue est, quod mihi iniungitur, videlicet, vt doceam Doctores, instruam Patres, præsertim cùm scriptum sit:*[g] *Interroga Patres tuos,*[h] *& annunciabunt tibi. Sed præcipit mihi Moyses iste, cuius manus graues sunt, cui obediendum est, non solùm à me, sed etiam ab omnibus. Et ecce plus quàm Moyses hic. Moysi commissa fuit vna plebs Israelitica: isti autem vniuersa Ecclesia,* &c. Sic orationem exorsus quicumque dixit. Nec dubium si in eo Concilio habita est, haud temere adscribi Bernardo Patri. Cæterùm ego si dicturus sum, quod sentio, in neutra Bernardi dulcedinem agnosco, &, si ita fari licet, neque modestiam. Pene irreuerenter inuehuntur in Episcopos, & vt plus fellis, quàm salis præ se ferunt, sic minus vtiles audientibus adparent. 6.

g Exod. 17.
h Deut. 32.

Quando autem Bernardus reuerentissimus Pontificiæ dignitatis, Episcopos, quos semper Patres coluit, fratres suos ambitiosè nominaret? *Et vobis dico fratres mei Episcopi.* Quando Pastores Ecclesiæ Diabolos diceret, sine vllo additamento, aut moderamine? *Fratres, sic facit Iesus hodie, eligens sibi multos Diabolos Episcopos.* Et vt carperet aliquorum vitia, quod aliàs solet, cùm multos Sanctus videret in Concilio, quod mox ostendam, quando acriter in omnes inueheretur? *Vbi (proh dolor!) inueniemus Episcopos, qui post acceptam dignitatem, in humilitate se contineant?* Et iterum. *Omnes amici, omnes necessarij, omnes domestici, & nulli pacifici. Qua sua sunt quarunt omnes: ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo.* Quando, inquam, generales has propositiones proferret sanctus Pater, audientibus, residentibusque inter Pontifices, sanctissimis Hugone, atque Norberto? Imò cum aliis, quos ipse Sanctos adpellat, Gualterio, Hildegario, Conrado, Equiperto, Hildebrando, cæterisque, quos tanto adfuisse Concilio credendum est, nec dubium, ipso etiam Bernardo teste, præfulsisse opinione sanctitatis? 7.

ctitatis? Mitto quod schismate tunc diuidente Ecclesiam, atque existente præcipua Concilij causa, ne vllum quidem verbum de illo faciat, quin potiùs pacem, exceptis Prælatorum vitiis, tranquillam prædicet. *Pacem* (inquit) *vbique habet exteriorem* (Ecclesia,) *sed interiorem in paucis habet, quia vbique, aut ferè vbique iudicio rationis non consentit voluntas*, &c. Anne Bernardus externam pacem in Ecclesia diceret, vero Vicario Christi fugiente gladium, atque Antipapa, quem Antichristum nominat, in Catholicos omnes, imò in ipsas Ecclesias debacchante? Crediderim orationes Bernardi in eo Concilio, cum aliis eius opusculis, amissas: atque has, quæ circunferuntur sub eius nomine, ab inferioris eloquentiæ auctore conditas, habitasque in Concilio minus graui. Quod ipsa etiam censura iam notauit, sub qua prodeunt in libris recentioribus.

8. [i] *Soluto Concilio* (prosequitur Sugerius) *cum Pater* (Ludouicus Rex) *viuentis filij gaudio, defuncti dolorem alleuians, Parisium rediret, Dominus Papa Antisiodori delegit morari.* Ita Sugerius. Ex quo obiter videas, non bene Cardinalem Baronium, & quosdam alios, expeditionem Leodiensem, quam posteriorem Concilio fuisse putant, hoc nihilominus anno factam referre: cui etiam aggregant Claræuallis visitationem, & quidquid in reditu Innocentio Papæ contigit: sed planè immeritò. Siquidem commoranti Antisiodori, vt duos tantùm menses concedamus, nullum itineri tempus relinquemus, nullum reditui, atque id in ipso hyemalis brumæ rigore, quod vix credibile. Adde, quòd Pontifex, vt latiùs iam ostendimus, Quadragesimam Leodij celebrauit. Quare si post Concilium illuc perrexit, hoc anno, & mense Octobri celebratum, necesse foret, vt & quæ Leodij primum, & mox in reditu ab ipso gesta sunt, in annum trigesimum secundum referrentur. Ergo celebrato Remis Concilio, mense Octobri, residuos Nouembrem, Decembremque Innocentius peregit Antisiodori. De Bernardo non omnino certum est, & probabilius successisse in Claramuallem, sibi, & suis victurum, quandiu posset, & quos adduxerat, Nouitiis instituendis.

i vbi suprà.

9. Magnum Chronicon Belgicum hoc anno Bernardum Catalauni electum docet, quo recusante, Gaufredum fuisse suffectum, Abbatem sancti Medardi Suessionensis. *Bernardus* (ait) *in Episcopum Catalaunensem electus recusauit, & per ipsum Gaufredus Abbas sancti Medardi Suessionensis fit Episcopus Catalaunensis.* Hæc ille. Certè in catalogo Episcoporum Catalaunensium, Geruerio, siue Alberico successit Gaufredus, & potuit ante, aut post illum Bernardus eligi. Quid si hæc instás electio, occasio fuit petédi, & impetrandi indultum, ne cogeretur? Quod existente in Gallia Summo Pontifice, fortè & in Claravalle, longè faciliùs potuit obtineri.

10. Hoc ipso anno venerabilis Gualterus, Morimundi pro Arnaldo suffectus Abbas, ex Priore Claræuallis, vt suprà vidimus, post expletum quinquennium in præfectura, si catalogo [k] fides, cùm res suæ domus eximiè promouisset, atque eius lineam non parum propagasset, vt piè creditur, in Domino obdormiuit, præmium laborum ab ipso recepturus. Ab [l] aliquibus honoratur titulo Sancti, quod etiam indicat locus sepulturæ, quippe eleuatus sub arcu ad portam claustri, in quo & duo alij Abbates iacent, si Iepio fides, qui à Monachis religiosè item coluntur, sed de his infrà. Pater Stephanus viduatæ filiæ condolens, ne tanti Patria iacturam experiretur, Otonem illi Austriacum substituit, quam sub initium præfecturæ Gualteri Monachum factum, Parisium ante quadrienuium transmissum diximus, sacratioribus litteris imbuendum. De hac electione in eius vita dicitur. *In Monasterio Morimundi Abbas ordinatus est: in quo & multa laudatissima conuersationis suæ documenta reliquit.* Hæc in epitome vitæ Sancti viri, quam diximus perantiquam haberi in Morimundo. Quibus etiam concordat Radeuicus, dum [m] *Sanè* (inquit) *viuendi modum iuxta Cisterciensis Ordinis religionem instituerat. Ibique in Monasterio Morimundensi primo Abbas, eo vsque probatus, & electus inuentus est, vt meritò sibi diceretur:* [n] *Amice, ascende superiùs.* Verùm cùm multa memoratu digna in Morimundo fecerit, antiquorum, & temporis incuria, iniuriaque, nobis negata, & sola manet memoria Cœnobiorum, quæ nec pauca, nec vulgaria erexit, de quibus suo loco erit dicendum.

k Abbatum, apud Robert. in sua Gall.

l Iepes cent. 7. ann. 1155. cap. 5.

m lib. 2. de gest. Frid. cap. 11.

n Lucæ 14.

Id tamen vnum in veterum scriptis, admiratione dignum adnotaui, quod hoc tempus concernere videtur. Cùm ante quadriennium Parisius missus Latinas tantum litteras agnosceret, nec Philosophiam, Theologiamve gustasset: nihilominus eo temporis spatio, etsi ad pelagus vtriusque scientiæ compares velut momento, in tantum in vtraque profecisse, vt factus pòst Episcopus Frisingiæ (quod in tempore dicam) [o] *inter omnes Episcopos Alemaniæ* (Radeuici de eo verbo transcribo) *vel primus, vel inter primos haberetur. Adeò, vt præter sacræ paginæ cognitionem, cuius secretis, & sententiarum abditis præpollebat, Philosophicorum, & Aristotelicorum librorum subtilitatem, in Topicis, Analyticis, atque Elenchis ferè primus nostris finibus adportauerit.* Hactenus Radeuicus de Otone. Rarum, si quadriennio cuncta exhausit, rarius, si post ipsum, quippe in tot, tam distantiumque Ecclesiarum, quales iam Morimundo parebant, visitatione, & erectione aliarum, quæ fundabantur, in propriæ domus immediatiori adhuc regimine, atque vtriusque œconomiæ influxu, penè continuo, inter perennia exercitia chori, & cantus, nec non & operis manuum quotidiani, quibus dux ipse, præ aliis occupabatur, in subtilitatibus his non retrocedere, rarum, & insolitum, vlteriùs progredi, pro miraculo esse solet. At in historia, tum totius orbis, tum Friderici Augusti, quas emulgauit, & quibus frequenter vtemur in his Annalibus, quantum cæteris aliis præeminuerit, Deo dante, in tempore dicemus. 11.

o lib. 1. c. 15.

1. Chronologia Ecclesiarum huius anni, 2. ex quibus tres reseruata in proprium tempus. 3. Miratorij fundatores, situsque: 4. & sancti Andreæ de Sexto, 5. celebri Ianuensium Monasterio. 6. Quid de Tinterna? 7. & de Volkolderode.

CAPVT V.

1. CElebres huius anni fundationes, ingens Cistercio incrementum contulere; quibusdam Prouinciis de nouo suscipientibus, aliis susceptum dudum institutum in plura Monasteria propagantibus.

tibus. Priores Anglia, Hispania, Belgium, posteriores ferè reliquæ nationes. Chronologia in hunc modum illas recenset.

Anno Domini M. CXXXI. septimo Idus Maij, fundata est Abbatia de Tinterna.

Eodem anno, decimo quinto Kalendas Iulij, Abbatia Cariloci.

Eodem anno, Nonas Iulij, Abbatia Bonimontis.

Eodem anno, & mense Abbatia de Bugeria Andegauensis.

Eodem anno, de primo Kalendas Augusti, Abbatia de Stanleis, siue Stanleia.

Eodem anno, Kalendas Septembris, Abbatia de Volcoderot, in Theutonia.

Eodem anno, Nonas Septembris, Abbatia de Miratorio.

Eodem anno, tertio Nonas Martij, Abbatia Longi pontis.

Eodem anno, & die, Abbatia de Riuallе.

Eodem anno, sexto Idus Martij, Abbatia de Aureavalle.

Eodem anno, Abbatia sancti Andreæ de Ianua.

Eodem anno ... Abbatia de Alneto.

Eodem anno, Abbatia de Morerola in Hispania. Hactenus Chronicon.

2. Ex his duæ ad præsens omittendæ, Bugeria Andegauensis, Alnetumque, quia vtraque ex filiabus Sabigniaci, crediderim, & Stanleiam, quia ex neptibus. Quamuis cur matri Carratiæ anteponatur, de qua inferiùs, non de facili audeam iudicare. Reliquas etsi immutato contra morem parumper ordine, quo faciliùs cohæreant, transcurremus.

3. Stephanus Pater vndecim Monasteriis à se constructis duodecimum adiecit Miratorium, in Lugdunensi diœcesi, Viênensium Comitum opus perillustre, si Paradino credimus, in libro de antiquo statu Burgundiæ, vbi hæc habet. *Huius familia* (nimirum Vienuensis) *insignia opera sunt Miratorium, in agro Cuisellensi, saltu densissimo, atque auia solitudine.* Hæc ille de Cœnobij fundatoribus. Locus à magna Carthusia non longè dissitus, *le Miroir* vulgò: Papyrio Masonio, Miras cognominatur. De eo in libro de fluminibus Galliæ hæc, quæ sequuntur. [a] *Breras* (ait) *inde* (& loquitur de fluuio vicino loco) *per Rixeum vicum fluit, & quinta, aut sexta leuca prope Miras Cistercienſe Cænobium: atque a Sequana excipitur leuca vna, ab eodem Monasterio, in vico Villa noua, qui non longè abest à Bario super Sequanam.* Hæc Papyrius Masonius de situ loci. In libris Cameræ quatuor & sexaginta florenorum taxa notatur. Primus Cœnobij Miratorij Abbas, Petri Mauritij consanguineus creditur, quem ipse ad Nicolaum Monachum scribens, [b] mirandum, & admirabilem adpellat. Dubium quo sensu. *De consanguineo meo*, ait, *Abbate Miratorij, mirando, & admirabili, quid dicam, non inuenio: inuenirem verò fortasse, nisi breuitatis studium finire me epistolam vrgeret.* Cætera ignota, nisi quod tamen Tyronimio sancti Hugonis, quem postea Bonavallis Monachum priùs, mox Abbatem habuit, illustre, & felix, nec semel nobis erit commemorandum. Sed nos ad Stephanum Patrem reuertamur.

a fol. mihi 156.

b lib. 6. epist. 47.

4. Constat hoc eodem anno Sanctum senem in ipsa penè sui consummatione resumentem vires, tertiam decimam filiam procreasse: nec prope se, in Burgundiam, siue in Galliam, sed in Italiam longè transmittendam: reformando antiquo, an tunc primum extruendo nouo Cœnobio? incertum adhuc, & primum illud indicare videtur adtitulatio, quippe non Virgini, ex lege, & consuetudine, sed Apostolo Andreæ sacratam domum ad Ianuenses, sanctum Andream de Sexto agnominarunt. Eius, ni fallor, Alexander Papa meminit, *in cap. si de terra*, de priuilegiis. Nam alterius in diœcesi Sagiensi, eidem sancto Apostolo dicatæ, vix credam, cùm illa non sancti Andreæ absolutè, & quasi principaliter, sed beatæ Mariæ de sancto Andrea nominetur: vt habent libri Cameræ Apostolicæ. In quibus illud centum supra viginti, Ianuense taxatur centum florenis.

Dotem adauxit Innocentius Papa quartus, suppresso Monasterio Sanctimonialium, vulgo *de la Verçola*, atque vnito Ecclesiæ Sextianæ. Ad quam etiam, cùm Ianuæ ægrotaret idem Pontifex, asportari se fecit, sua non solùm præsentia illustrans domum, sed recepta ex voto, atque firmata in breui valetudine. Sed celebrem, ex his, & aliis locum celebriorem effecit conuersus quidam, Lamberto viro nomen, meritis, & miraculis gloriosus, de quo inter alia, ardentem intrasse clibanum, neque læsum ab igne, historiæ produnt, quod nos inferiùs fusiùs referemus. Hæc tertia decima Cistercij filia fuit, quam vrgens annis, & senio penè confectus procreauit Stephanus. Veri Patriarchæ numeros, atque ad veterum instar explens, aut superans. Nam ecce plus quàm Iacob hic, si licet dicere, plusquam Benedictus, quippe duodecim ille filiis, hic Cœnobiis, vterque contentus, neuter Stephanum numero adæquauit. 5.

Tinterna sequitur, Cistercium itèm concernens, quippe inter neptes, suscepta ex Eleemosyna, quod tabulæ omnes geneseos adseuerant, domum in Anglia, & prouincia VValliæ sitam conueniunt omnes: sed in diœcesi variant, qui de ipsa: nam Tabulæ Hecphotdensem notant, Nicolaus Arspheldius Landaffensem. Addit hic vltimus etiam fundatorem, & terræ dominum, hunc Merionithi Comitem, illum VValterum Ricardi Comitis filium, Gilberti fratrem, paucis pro suo more cuncta complectens. [c] *Tinterna* (ait) *in Meronithia Comitatu. Fundator VValterus filius Ricardi Comitis de Ogi, frater Gilberti Comitis Penbrochiæ, Libras 256. solidos 11. denarios 6.* Hæc ille in diœcesi Landaffensi, vt dixi, intra VValliam. Dicitur autem hæc domus Tinterna maior, ad differentiam minoris in Hibernia, aliàs de Voto, quam Monachis ex maiori ascitis, Guillelmus Marescallus fundauit post annos aliquot. De vtraque Iacobus VVareus paucis, vt solet. [d] *Tinterna, aliàs de Voto in Comitatu Vuesfordiæ Guillelmus Marescallus senior Dembrochiæ Comes, cùm efferatam tempestatem euasisset, ex Voto hoc Cœnobium construxit, & Monachis impleuit ex Cœnobio Tinternensi in VVallia.* Hæc VVareus de vtraque Tinterna breuiter. Nobis fundationis prioris annus dubius, sed mutuatus pro more ex Chronologia, quandiu non suppetit vnde corrigatur. 6.

c in catal. Monast. Ang.

d in catal. Mon. Hiber. fol. 77.

His, priusquam veniam ad lineam Claræ-vallis, Volcoldero adiungam, in Maguntina diœcesi, de linea Morimundi, Monachis quippe ex Campo illuc transmissis. de ea Aubertus Miræus, neque enim antiquiorem alium vidi, hæc habet verba. [e] *Anno M. CXXXI. Helimburgis Comitissa Aglichen, in diœcesi Moguntina ædificauit Abbatiam Volkolderensem, partim a loci colono, partim à labore deducto nomine.* Ita Miræus. Extant inter epistolas Honorij Papæ tertij, ad Abbatem Volcolderodensem duæ epistolæ, non vulgaribus 7.

e in Chron. hoc ann.

bus causis illi commissis, tanquam cui possent vel maiora etiam mandari. Atque hæc breuiter de his quatuor Ecclesiis, quæ Cistercium concernunt, & Morimundum. Nunc Claræuallis filias, neptemque, capitibus distinctis prosequamur.

---

1. Claræuallis soboles, & initia Cariloci: 2. in quo Bernardus mulierem claudam primum, 3. mox puerum incessanter flentem saluti reddidit. 4. Boni montis primordia, 5. & Longi pontis. 6. Vbi & conuersus acriter punitus. 7 Quid Stephanus Tornacensis de Longo ponte.

Caput VI.

1. Bernardus interim seipso in dies maior, in dies celebrior, vndequaque quæsitus, nec minus vsquequaque ipse diffusus, vrgente charitate, propagines emittebat per totum orbem. Nam vltra Carum locum, & Longum pontem in Besuntinensi, Suessionensique diœcesibus, Bonum montem fundauit in Sabaudia, Riuallem in Anglia, Auream vallem in Belgio, & tandem in Hispania Moterolam. Harum omnium notitiam plus minusve, prout acceperimus, communicabimus. Carum locum in pago Bisuntinensi, miracula Bernardi illustriorem efficiunt, quàm fundatores: quamuis locum in pretio Reginaldo Burgundiæ Comiti, à quo & non paucis adauctum possessionibus, testatur Imperator Henricus, diplomate ad Gobandum eius Abbatem, in quo hæc habet. [a] *Quem locum (ait) felicis memoriæ Reginaldus Comes Burgundiæ, auus meus dilexit plurimum, & necessariis possessionibus ampliauit.* Sic priuilegium Henrici Imperatoris, cui tam ipse, quàm Oto Comes Palatinus Burgundiæ subscripsere.

[a] apud Cla. Rob in catal. Monast. Gall.

2. Sed non minus dilectum à sancto Patre, argumento sunt miracula, quæ in eo patrata legimus. Namque Bernardus quas filias diligebat, miraculis præ aliis illustrabat. Et Caroloco tum matrona Clauda, tum puer incessanter lugens, saluti redditi, pium Patris adfectum commendarunt. Illud Guillelmus sancti Theodorici, hoc Gaufredus Claræuallis prodidere, & quidem de matrona ita Gaufridus. [b] *Venerat Pater sanctus ad Monasterium in diœcesi Bosuntina, cui nomen est Carusflocus, & erant cum eo ex Abbatibus sui Ordinis multi, vbi matrona quædam de finibus illis, ex multo iam tempore clauda in carro allata, & oblata est ei. Orans verò breuiter, & signans eam in nomine Domini, erexit, & sanauit, vt eadem hora incolumis remearet ad propria.* Sic Gaufridus de matrona saluti reddita.

[b] lib. 4. c. 4.

3. At de puero Guillelmus hæc, quæ sequuntur. [c] *In eo quoque Monasterio, cui Carusflocus nomen est, puerum quemdam, qui incessanter flebat, & eiulabat, vir sanctus osculo sanauit. Cùm enim per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi Medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsim alloquens Pater sanctus admonebat, vt suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subito vultu serenato, petiit à beato Patre sibi osculum dari. Acceptoque osculo pacis ex ore Sancti, in omni protinus pace quieuit, & lachrymarum fonte siccato, lætus, & incolumis est regressus ad propria.* Hæc de miraculis à Bernardo factis in Caroloco, quem non dubito diuersum esse ab eo, de quo Paradinus, *lib. de antiquo statu rerum Burgundiæ, ante trecentos ferè annos constructo* per Ratbertum Episcopum, sitoque in finibus Agri Lugdunensis, vt ex tempore, & loco satis liquet. Noster in libris Cameræ Apostolicæ septem & septuaginta florenis taxatur supra ducentos. Memoratur in litteris Clementis Papæ quarti, datis Viterbij pridie Idus Septembris, Pontificatus ipsius anno tertio. Primus illius Abbas Guido creditur, vir religione, scientiaque præcipuus, neque inferior constantia, pro quo Bernardus Innocentio Papæ scripsit, cùm à vicinis per iniuriam infestaretur: quod suo loco videbimus.

[c] lib. 1. c. 11.

At Bonum montem in Gebenensi locarum diœcesi, vt non miraculis, saltim quæ sciamus, litteris Pater sanctus commendauit: ad Arducionem Gebenensem scribens, in hæc verba. [d] *Sint pietati vestra commendati pauperes fratres nostri, qui circa vos sunt, Alpenses illi de Bonomonte... In his experiemur quanta vobis de nobis cura sit.* Extat inter decretales Innocentij quarti, ad Abbatem Bonimõtis Cisterciensis Ordinis, Gebenensis diœcesis scripta epistola, super manutentione Cononis, siue Simonis, quondam Præmonstratensis Archimandritæ, qui dudũ præfecturæ renunciauerat. Eamdem domum hoc anno natam tradit genesis Ecclesiarũ Claræuallensium. Meminit item eius liber taxarum, præscripta taxa viginti florenorum supra ducentos. 4.

[d] epist. 25. in fine.

Sequuntur Longi pontus, quam longum pontem fortè propriùs dixeris, & Riuallis, gemellæ domus, eodem die, vt eodem partu editæ, dissitæ licèt locis, linguisque, hæc in Anglia, in Gallia illa erumpens. De vtraque Robertus Abbas Montis [e] *Claræuallis duo Cœnobia eadem die protulit, Longi pontum, & Riuallem.* Nec discordat Chronologia Monasteriorum, Nonas Martij designans vtrique domui. Et Longum pontem in Suessionensi diœcesi, Viromanduorum. Comites fundasse, indicant hodieque eorum sepulchra, quamuis non firma omnino coniectura. Primus Abbas à beato Patre datus Gerardus fuit, ætate iuuenis, sed religione, & doctrina venerabilis, qui præfecturæ renuncians post annos aliquot, Claramvallem reuersus, quo sancto Patre Bernardo frueretur, vnus ex his senioribus sanctissimis, è quibus auctor Exordij hausit, quæcumque narrat, Bernardi operum studiosus inquisitor, & æmulator, quod idem auctor testatur in hæc verba. [f] *Hæc autem significauit nobis dominus Gerardus, quondam Abbas Longipontis, qui vnus ex antiquis senioribus Claræuallis, dicta, & facta sancti Patris studiosè rimari satagebat.* Seguinus, Henriquezque inter Sanctos numerant, ille in Catalogo, [g] hic in [h] Menologio. Sed supra modum eam domum illustrauit sanctus Ioannes, dictus de Monte mirabili, vt in sæculo, genere, atque opibus, in religione, meritis, in vita, & morte miraculis gloriosus, cuius res gestas in tempore dicemus. Illustrat etiam nobilis eius filia, Maria nomine, primùm nupta, mox vidua, semper Sancta, & Longoponti eximiæ semper addicta, & in eo tumulata sub tali titulo. 5.

[e] in Chron.

[f] lib. 2. c. 11.

[g] sanct. Ord. Cist. titul. de S. Bernardo.

[h] April. 26.

Hic

Hic iacet nobilis Maria, Domina de Fara, quæ, cùm sanctissimè viueret, fuit in eleemosynis larga, bonis operibus, orationibus deuota, filia quondam deuotissimi Domini fratris Ioannis de Monte mirabili, mater Domini Ingeluani de Couzy.

Anima eius requiescat in pace.

In eodem Cœnobio Monachum induit insignis ille pietate, doctrináque Petrus Cantor Parisiensis, de quo in sequentibus non pauca memorabimus. Memoratur Longuspoos Suessionensis in litteris Innocentij Papæ tertij. Datis Laterani, sexto Idus Decembris, Pontificatus ipsius anno decimo sexto.

6. Interim sicut ad imitationem plura, sic ad cautelam aliqua, puris præcipuè è fontibus haurienda. Ergo quod cuidam conuerso Longipontis accidisse testatur, qui præsens fuit, quia sine tempore reperi notatum in additis ad Exordium magnum, quæ ex Cisterciensi codice transcripta, atque ad Ignatium Fitetiensem olim adducta, apud me ha-
i lib. 8. c. 17. beo, hîc conuenienter censui referendum. [i] *In Monasterio Longipontis conuersus quidam denarium vnum, & vnam buccellam absque licentia, peculiaris vitio retinebat. Igitur die Paschæ, cùm sacram oblationem recepisset, visum est ei, quod prunam ardentem præcordiis eius aliquis iniecisset, qui mox de Oratorio exiēs, & suum diuersorium adiens, quantocius id quod acceperat, nausea perurgente reiecit in cineres, antequam vas aliquod ad excipiendum adprehendere posset. Tunc accersito Abbate loci confessus est peccatum, quod commiserat, & periculum præsens, quod ex eo incurrerat. In crastinum autem Abbas cuncta, quæ acciderant, in Capitulo ad fratrum audientiam retulit, & pro irreuerentia sacræ Eucharistiæ communem pœnitentiam omnibus, qui adfuimus, iniunxit. Porrò conuersus idem, crescente ægritudine, lecto decubuit, & diutissimè postea languens, vtrùm deinceps conualuerit, incompertum est nobis.* Hactenus auctor ille de hoc conuerso aggrauante peccatum, supra peccatum.

Extat & Stephani Tornacensis epistola ad VVillelmum Archiepiscopum Remensem, Monachi Longipontis incusatoria, quòd de alieno largus, & nulla propria impensa liberalis, adeoque qui non tam esse vellet, quàm adparere. Atque ea quidem in Droconem Monachum acris, mordaxque (sic enim ille, vt adparet, nominabatur) sed plena reuerentiæ in institutum, atque in ipsum Cœnobium, quæ ita habet. [k] *Vnus è fratribus de Longoponte (neque enim fœcundum illud Collegium inde arguo, quasi sub nomine pietatis pugno) impiè nos impugnat, & tanquam loco me trahere credens ad iudicium, prouerbij vulgaris ignarus, securum me reddit, quia visurus sum Patrem. Dubium me facit nomen hominis, & opus eius: Droconem, nescio, eum rectiùs dixerim, an Draconem, tanta sese proditum charitate prædicat, vt non sufficiat ei sua pauperibus erogare, nisi & adiiciat aliena. De nostro contendis eleemosynam facere: fructum cuius sibi nobisve concessurum, dum non concedimus, non credemus. Credo Pater, quia Cistercienses de numero sunt eorum, qui violenti diripiunt cælum: sed violenter eis terram rapere liceat, nondum legi.* Ita Stephanus Tornacensis Episcopus: quæ cùm aliunde exactius non habeantur, placuit occasione Cœnobij hîc memorare. In libris Cameræ, quingentorum quinquaginta florenorum adimplet taxa. Extat eiusdem mentio non ignobilis, in decretalibus Innocentij Papæ tertij, atque item Honorij, quæ suis locis venient inserendæ.

7. (margin, beside "Extat & Stephani Tornacensis")
k epist. 74. (margin)

1. Rieuallis initia, & fundatores. 2. VValterus, an Stephani discipulus? 3. Monachatus eiusdem, sanctitasque. 4. Cœnobij etymon, 5. præfixum tempus ex carmine Nicolai Rieuallensis, 6. & locus ipse ex aliis commendatus, 7. itemque ex Sanctis, 8. proleque suscepta, & testimonio Guillelmi Neubricensis.

CAPVT VII.

1. RIeualli Guillelmus præpositus est, quem suprà diximus, dictante Bernardo Patre, excepisse epistolam, sine vllo prorsus imbre, in medio imbris; vir verè sanctus, & dignus qui Cisterciense institutum primus in Angliam, suam patriam, introduceret: namque natione Anglum extitisse, testatur Nicolaus Rieuallensis Epigrammate ad ipsum, in quo ij versus:

Anglia te genuit, vallis clarissima mores
Sacros instituit: sua nos doctrina beauit.

Fundator fertur VValterus de Spec, fautor Trustinus, vterque nobilis, vterque religiosus, atque hic Ebracensis Archiepiscopus. Vtrumque virum, dum Rieuallem memorat, Guillelmus Neubri-
a lib. 1. rer. Ang. cap. 14. gensis memoriæ prodit. [a] *Sanè paulo antè à nobili viro VValtero Spec initiati, & a felicis memoriæ Abbate Bernardo directi Monachi Clareuallenses, in Eboracensem prouinciam venerant, & in loco, qui nunc dicitur Rieuallis, tunc autem erat locus horroris, & vastæ solitudinis, mansionem acceperant, præfato viro tradente, & venerabili Trustino Episcopalem cum adfectu paterno fauorem præbente.* Hæc Neubrigensis.

b in Chron. Cist. ad ann. 1132. [b] Aubertus Miræus scriptores Angliæ referens, eumdem VValterum Stephani Patris discipulum adfirmat, motus, vt credo, Nicolai Arspheldij verbis, qui inter cuiusdam Stephani discipulos, hunc ipsum virum nominat, dum ait. [c] *Stephanus*
c sæculo duodec. cap. 43. *vero, cuius priori sæculo meminimus, Eboracensis Cœnobij præfectus, habuit inter alios discipulos illustrem illum genere, & pietate virum Gualterum Specum, Anglum, quo solicitante Diuus Bernardus Monachos quosdam suos Clareuallenses huc transmisit, qui inmani, & vasta solitudine, Cœnobium sibi ad annum M. CXXXII. Gualteri sumptibus, & Trustino etiam negotium suo fauore, & ope promouente, in loco, qui nunc Rieuallis dicitur, posuerunt.* Ita Arspheldius. Cui maius adhuc, certè longè expressius testimonium fauet Petri Blesensis, si tamen Clementi Rainero habenda fides, qui ex eius historia MS. excerpsisse se prodit
d in Apostol. Benedictin. in Ang. hæc, quæ sequuntur. [d] *VValterus Spec, vir nobilis, ac discipulus olim Stephani Ardingi, qui domino Roberto reformationis Cisterciensis extitit suasor, & impulsor, condidit Monasterium Ordinis Cisterciensis (scilicet Rieuallis) quem Ordinem, cuius vix famam audierat*

caeterus

caternus Anglia, fauente sibi glorioso Henrico Rege, in has partes adduxit, suscipiens Monachos, de nobilissimo Monasterio Claræuallis, &c. Hæc ille: quibus, si verè Petri Blesensis sunt, nihil expressius, aut clarius dici potuit. Sed vereor, ne Rainerus deceptus nomine, ex duobus Stephanis, vnicum conflauerit, ac maiori notitiæ suæ historiæ reliquas circunstantias superaddiderit. Certè Stephanus Pater, quandiu in Anglia, non egerat Magistrum, sed discipulum, neque in Eboracensi Monasterio, sed in Shirburnensi militauerat. Nec si reuera VValterus Specus sub eius disciplina meruisset, Cistercij Monachos in Angliam relaturus, facile sibi adeundum persuaderet Bernardum, ipso omisso.

3. Vtcumque fuerit, eumdem VValterum in Rieualle Monachum factum, atque ibidem miraculis illustrem, adfirmat [e] Seguinus, indubitatæ fidei auctorem referens, sanctum Ailredum eiusdem sæculi, & eiusdem Cœnobij Monachum, & mox Abbatem, quem perhibet scripsisse vitam beati viri. Certè inter opera Ailredi Doctoris sancti, quorum catalogum suo loco dabimus, Ioannes Pitseus meminit libelli, *De virtute Gualteri Spec*, quem scriptum designat sub hoc initio. *Anno millesimo centesimo trigesimo octauo*, &c. Sed hoc opusculum ab aliis prætermittitur, quin ab ipso Seguino, quod mirabilius. Cæterùm de Gualtero ipso hæc habet. *Hic sancta monastica regula in eodem Cœnobio consecratus, atque rebus diuinis semper intentus, multis prebuit exemplum imitanda virtutis. Magnis etiam claruisse miraculis, narrat diuus Pater Ailredus, Rieuallis Abbas in libro, quem de vita eius conscripsit.*

e lib 3. c. 114. tit de S. VVa. Ang.

4. Nominis Rieuallis etymologiam, à Rio fluuio vallem præterlabente, Clemens Reinerus adducit, sub his verbis. [f] *Suscipiens* (scilicet VValterus de Spee) *Fratres de nobilissimo Monasterio Claræuallis, per manus sancti, ac Deo dilecti Bernardi, qui venientes in Angliam, anno ab Incarnatione Domini M. C X X X I I I. nacti locum in valle profundissima, super ripam Ry fluminis, vnde ipsum Monasterium Rieuallis nomen accepit*, &c. Ita Clemens Rainerus, ex historia Petri Blesensis nondum vulgata. Verùm quod ait, fundatam Rieuallem anno M. C X X X I I I. per errorem existimo irrepsisse, pro M. C X X X I I. quem annum multi assignant fundationi, quippe transmissis Monachis hoc anno, fortè Cœnobium consurgere non potuit, vsque in sequentem.

f in Apostol. Benedictin. in Ang. fol. mihi 161.

5. Dilatum porrò haud obscurè insinuat Nicolaus Rieuallensis, in carmine de translatione corporis beati Thomæ Cantuariensis, quam factam anno M. C C X X. vt suo loco videbimus, designat annis octo, & octuaginta, posteriorem Rieuallis fundatione. Sic enim ait:

Octuaginta scias annos, octoque fuisse,
Si recte recolas tempus, Rieuallis ab ortu
Hac quarto Nonas Martij primordia sumpsit.

Sic Nicolaus, sequentis sæculi auctor. Constat autem, si ab anno M. C C X X. octo, quos numerat, & octuaginta detrahamus, relinqui annum M. C X X X I I. in quo Rieuallis Cœnobium initium sumpserit: integro anno elapso, si diem detrahas, post Monachos egressos de Claravalle, nempe à quinta Martij, anni M. C X X X I. vsque ad quartam eiusdem, anni sequentis.

Metalli fodinis abundasse, indicio est priuilegium Gregorij Papæ noni, quo Monachos exemptos fore declarat ab eruendorum metallorum decimatione. [g] *Auctoritate* (inquit) *præsentium declaramus, præfatas possessiones, cum metalli fodinis, quas minerias, aut turbarias vulgo adpellant, si propriis Abbatis, & conuentus sumptibus excolantur, non esse ab eis exinde decimas exigendas. Datum Laterani, vndecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus ipsius anno tertio decimo.* Extant ad Abbatem, & conuentum Rieuallis plures epistolæ Honorij tertij, aliorumque Pontificum, de quibus aliquas in tempore adducemus. 6.

g ex tom. 6. regist. Greg. noni. ann. 3.

Rieuallem tres sancti eius Abbates, Guillermus, Ealredus, & Siluanus summè commendant, de quibus suo tempore dicemus. Sed & quartum addendum inde conijector, quod idem Nicolaus Rieuallensis, qui res Cœnobij propiùs nouerat, dum Panegyricum sancto Siluano psallit, non tres, sed quatuor Sanctos expresè nominat, quorum vnus aliquantulum excederet, tres reliquos insigniret laurea subæqualis. Sic enim ait, 7.

Bis duo sunt fratres, meriti vix imparis. Vnus
Tres antecellit: reliquos sua laurea vestit.

Hæc ille, vt puto, Ailredum aliis præferens, vtpote iam adscriptũ Sanctorũ numero. Sed quis fuerit quartus, ignotum nobis, & quisquis fuerit, ingentis meriti est, si Siluano, & Guillelmo comparãdus.

Præter hos viros sanctitate, & meritis claros, Rieuallem non parum duæ in Anglia, in Scotia quatuor filiæ nobilitarunt, de quibus suo loco erit dicendum. Interim audi Guillelmum Neubricensem, hæc inter alia scribentem de Rieualle. [h] *Benedixitque eis Dominus benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, vellerumque, vt non solum in omnipotentis Dei seruitio copiosam multitudinem aggregarent, sed etiam largioribus eleemosynis in pauperes dispergendis sufficerent. Quod autem Domino Christo tanquam apes argumentosæ seruirent, ex fructibus eorum cognoscitur, numerosis scilicet sanctorum Collegiis, quæ ex se tanquam quædam rationabilium apum examina emiserunt, & non solum per Anglicanas Prouincias, verùm etiam in barbaras nationes sparserunt.* Hactenus Guillelmus. 8.

h lib. 1. c. 14.

1. Morerola antiquæ domus initia. 2. Froilani patria, mores, & mirabilia. 3. Atilani primordia, & Monasterium ab vtroque Sancto constructum. 4. Vtriusque in Pontificem electio. 5. Ingens Froilani nomen. 6. Atilani discessus à propria sede: 7. & reditus ad eamdem miraculosus. 8. Vtriusque mors, 9. sepulchrum, & veneratio.

CAPVT VIII.

1. QVatuor prædictis filiabus Claræuallis Morerolam adiungo, quam olim in Hispania celebrem domum, sed tempore collapsam vtrisque bonis, Imperator Alfonsus hoc item anno Bernardo Patri obtulit. Huius Cœnobij primordia, progressusque, quia ex insignioribus regni Legionensis, altius repetito principio prosequemur. Ad ripas Ezlæ, in Zamorẽsi territorio insigne olim Monasteriũ fuit, Iacobo sacrũ, cuius & primus Abbas, & fundator magnus Froilanus, celebri sanctitatis fama Hispaniæ illuxerat. Norma vitæ ad Benedicti Patris regulam biscentum Monachos, [a] vt ferunt, consecrabat, queis Prior Atilanus præficiebatur, Froilano aut prorsus compar, aut subæqualis.

a Lobera in vit. S. Froil.

2. Huic Loca (olim, hodie Lugo) patria, Gallecię oppidum, notum vel ex Conciliis, genus illustre, mater sancta, Froila, cuius hodieque in Cathedrali Ecclesia sepulchrum visitur, merita ad miracula vsque protendebantur. Monasticem ab adolescentia professus est, certantibus duobus Monasteriis, sanctorum Claudij, & Facundi, de tanto filio. Quodcumque fuerit, prope re desertum, seu desiderio sectandæ solitudinis, seu arctioris adhuc vitæ destinatione. Deserta loca quæsiuit ad Ezlam fluuium: non tamen diutiùs in eis permansurus, segregatus ad opus Euangelij, cui Deus virum facundum destinauerat. [b] Ferunt, cùm super hoc deliberaret, ori eius aduolasse columbam geminam, quin & prunas ardentes pressisse labiis, purificandæ, si quæ fortè inerat, sordi, vel munditiei probandæ, tanto miraculo, prædicaturi, dum regnum illud peragrat, atque vtitur asello, librorum baiulo. Dæmon per lupum violenter dilaniat animal: sed sanctus vir foris etiam imperans, pro dilaniato, dilaniatore vsus est, quo minus homines resistere valerent, cui vel bruta ferocia obtemperabant.

b Lobera in vit. S. Froilani.

3. Hæc, & similia diffusa per Hispaniam, vsque ad Hiberos etiam penetrarunt. Et Atilanum Turiasonæ natum, genere nobilem, professione Monachum, ætate iuuenem, sed moribus iam canum, doctrinæ, & sanctitatis flagrantia inde traxerunt, atque Froilano dulciter sociarunt. Mutuo iuuamine vterque profectum sensit, & vix discipulu Magister fructuosior, quam è conuerso. Igitur primum binas tantùm cellulas, mox affluente copia discipulorum, illo in Abbatem præfecto, hoc in Priorem, Monasterium ædificauere. Valde Tabara priori loco nomen: sed non capientem præ angustia multitudinem, in alium commodiorem permutarunt: *Moreruela* vernacula lingua incolæ vocant, quo etiam Cœnobium gaudet vsque in hanc diem.

4. Sede vacante in duplici Ecclesia, Legionensi nimirum, & Zamorensi, eadem die, atque eadem etiam hora, vtrumque virum in Episcopum electum, traditio est, electiones adprobante signo cœlesti, nempe columba volante inter vtrumque, dum in vtraque Ecclesia celebrarentur. Eodem signo auspicatas consecrationes, nam vterque renitens, nihilominus consentire compulsus est, seu bis contigerit, seu semel ad diuersa relatum, sunt [c] qui adfirmant.

c Idem, qui suprà.

Et Froilanus iam antea Hispaniæ clarus, ex illo
5. tempore clarior, & notior fuit. Extat rescriptum Beremundi Regis, datum Legione vigesima septima die mensis Nouembris, æra M. XXVIII. hoc est, anno Christi nongentesimo nonagesimo, cuius subscriptiones ab Athanasio Lobera regio Chronographo, fideliter transcriptas liber transcribere, quo sancti viri non solùm sæculum constet, sed claritudo. [d] *Beremundus serenissimus Princeps votum, & holocaustum meum, quod sponte ego Deo meo pro remittendis peccatis meis, & absoluendis delictis, hoc testamentum offero, & in Concilio manu propria dignum signaui solito more, & Dei amore.*

d in vit. S. Froil. c. 25.

Sub Christi nomine, Armentarius Dumensis sedis Episcopus confirmat.

Sub ope Domini, & eius auxilio, Pelagius Lucensis sedis Episcopus confirmat.

Cum almifica Dei potentia, Petrus Iriensis, & Apostolicè Episcopus dictus, & composuit pro memoria fratrum suorum, & propria manu confirmat.

Clarus, & magnus Froilanus Legionensis Episcopus confirmat.

Dextera Dei adscitus Gimenius Astoricensis sedis Episcopus confirmat. Hactenus subscriptiones: quibus primò videas, corrigendos esse [e] Tarafam, & eum [f] sequutum Baronium cum aliis pluribus, qui sanctos Præsules claruisse putant, circa annum Christi DCCCXX. quo tempore nec lucem adhuc viderant, quippe Froilanus natus existimatur anno Domini nongentesimo trigesimo tertio. Atilanus iunior adhuc ætate fuit. Videas secundò reuerentiam in Froilanum, atque eius apud omnes venerationem; quem vel viuentem, præsentemque, & solum inter tot, ac tantos Hispaniæ Præsules, magnum, & clarum instrumenta publica vocãt, fortè sine exemplo, aut cum rarissimo.

Sed Atilanum, præter eximiam sanctitatem, 6.
doctrinamque, celebrem fecit in remissionem peccatorum suscepta peregrinatio: proiecto in fluuium anulo, qui solus, cùm ad eius manus rediret, & remissionis signum, & reditus crederetur esse mandatum. Retiuent properantem Marinei Siculi verba, quæ non vulgarem historiam continentia, visum nobis ad literam transcribere. [g] *Qui* (id est, Atilanus) *memor exactæ vitæ, criminumque suorum, quæ antea commiserat, peregrè proficisci statuit. Episcopatus itaque rediens pauperibus mandat communes fieri: quod multis rationibus suos hortatur, quoniam necessitate coactus se per aliquod tempus recessurum dicebat. Quòd si secus mandatum fecissent, Deus iratus maledictione condemnaret. Hoc audientes, qui vitam eius nouerant, clamabant, dicentes: Te sequemur, quocumque vadis, ô mortalium omnium clementissime. Quare nos in tanta calamitate relinquis? Per Deum vnicum, quidquid rogas, nos facturos testamur. Ille autem verbis illorum fidem adhibens, cum eos benè dixisset, statim discessit. Cumque venisset ad pontem propè Templum sancti Laurentij, anulum, quem digito gestabat, de ponte proiecit in fluuium, sic dicens: Quando anulum hunc reuisero, tunc ab omnipotenti Deo delictorum meorum veniam concessam existimabo.* Hæc Atilani profectio de propria sede, priscis temporibus haud inusitata. Verùm quàm grata, & accepta Deo fuerit, & quàm ad peregrinantis votum successerit, pergit auctor describere in hunc modum.

g lib. 5. de reb. Hisp. tit. de S. Atilano.

Inde autem discedens cum vno comite, quem plu- 7.
rimum diligebat, adeò festinauit, vt eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque se pannis induit quàm vilissimis, adeò vt à nemine cognosci posset, & duos annos de eleemosynis vixit. Quem tandem vox in somnis audita, diuinitus admonuit: Atilane iam iam tuum ad Pontificatum perge, tuæ enim exauditæ sunt preces. Ipseque præcepto audito, se itineri accinxit. Venit itaque nocte ad eremum, quæ sancti Vincentij de Cornu vocabatur, & conuicina sancto sepulchro, vbi quædam muliercula, cum marito suo illum in parua domo receperunt, eique cœnam non lautam quidem dederunt. Manè autem maritus, & vxor pro piscibus ad Episcopi domum vadunt, vt antea consueuerant, & Atilanum rogant, vt interim domum custodiat. quibus dantur pisces: immemores vnius (scilicet hospitis) quem domi reliquerant, reuersi pro eo, dederunt eis piscem maioris ponderis. Quos pisces Atilanum rogant, vt prepararet, donec ipsa pro aqua, & maritus pro igne vadũt: quibus Atilanus respondit obsequenter. Cumque maiorem piscem accepisset, dum eius viscera volueret, anulum, quem a ponte deiecerat, inuenit. Tunc repẽtè promus,

V &

& genibus flexis, Deo gratias egit: & continuò ſponte campanæ ſonitum dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta eſt. Quapropter per omnes domos, & hoſpitia, atque hoſpitales perquirunt, nihilque comperiebant. Cùm eſſent itaque omnes ſoliciti, tandem vix quidam procurator rei familiaris Epiſcopi, meminit de viro quodam, quem muliercula ſibi dixerat hoſpitatum apud ſe, neſcius cuius dignitatis eſſet. Omnes illuc conuenerunt, Sacerdotes, & tota ciuitas. Atilanus autem in veſte non pretioſa, neque noua, ſed vili, atque detrita, inuentus eſt, Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes, & Deo gratias agentes, cum gaudio magno reduxerunt in ciuitatem, qui poſtea vixit annos circiter octo, ſanctis ſemper operibus incumbens. Hæc Marineus de ſancto Pontifice Atilano, atque ex eo etiam [h] Surius *tomo ſeptimo*. [i] Sunt qui addant adtritas, & viles veſtes iuuenti Pontificis, in pontificalia ornamenta tranſiiſſe, nouo miraculo. Sed de his ſatis. Nos ad hiſtoriæ ſeriem reuertamur.

h 5. Octob. i Lob. vbi ſupra.

8. Vtrumque Epiſcopum, vt eadem electio, eadem ferè vitæ periodus, felici tandem fine, conſummauit. Atilano tertio, Froilano quarto Nonas Octobris è viuis rapto, & vt multi opinantur, eodem anno, Chriſti nimirum milleſimo ſexto, cùm Froilanus ſeptuageſimum tertium expleuiſſet, Atilanus quinquageſimum ſecundum, quæ vt non omnino certa, ſic probabilioribus nixa coniecturis, qui conſequentiùs loquuntur auctores tradunt.

Vtrumque à morte, non ſecus ac in vita, clarum miraculis proprium Morerolenſe Cœnobium, quin & tota obſeruantia Hiſpaniæ celebrat: atque item vnumquemque propria Eccleſia. Atilanum ex anulo notiorem Martyrologium Romanum etiam recenſet, addens adſcriptum ab Vrbano ſecundo Sanctorum numero, cui pariter Marineus adſtipulatur.

Sanctorum corpora (vt & hoc etiam dicamus) 9.
poſt varias tranſlationes, non minus celebres populorum frequentia, quam mirabilium diuiſione concordi illuſtrant ſedes antiquas, & Morerola communis vtrique domus, medias Froilani exuuias veneratur; mediæ aliæ Legionenſi Eccleſiæ datæ, quæ argentea theca aræ ſummæ impoſitæ, iconi Virginis, aut exhibent ſe ſolium, aut pauimentum. Traditio eſt, dum aſportarentur ſacra oſſa, renouatum miraculum cœleſtis mannæ, à cuius viſu admirarentur omnes, à cuius guſtu multi ſanarentur. Zamoram Atilanus integer ornat, peſtilenti contagio per ipſum non ſemel liberam, iuncto ſepulchro Ildeſonſi Toletani, qui & ibidem quieſcit, & cui vt hoſpitij cedit nomen Baſilicæ, cætera æquales. Reſerare cancellos nemini licet, abſente, aut inſcio Abbate Morerolæ, penes quem vna è tribus theſauri clauibus. Sed nec in publicum prodiiſſe viſus eſt, & prodiit quidem hoc ipſo noſtro ſæculo, niſi delatus à filiis ſui Cœnobij.

---

1. Morerola poſt Sanctorum diſceſſum diruta. 2. Sed ab Imperatore dote adaucta, 3. priuilegio expedito ante ſeptennium. 4. Monachi hoc anno miſſi ex Claravalle, 5. quibus ab Imperatore item conſultum. 6. Eiuſdem priuilegium, 7. & ex ipſo deducta corollaria. 8. Loci, & conuentus modeſtia, 9. deſcriptio, laudes.

CAPVT IX.

1. NOs Patres habuit inſigne Cœnobium: quod tamen vt per ipſos initia, progreſſuſque ſic ab eorum diſceſſu, atque deceſſu paulatim decrementa expertum fuerat. Paganorum, an temporum iniuria ſemel dirutum, eoque a Monachis deſertum, videtur colligi, ex quadam donatione Imperatoris poſt duodecim annos facta, quam mox ſubiungam. Monachos tamen ſub Abbate perſeuerasſe in tuguriis, vt credo, loco proximis, antiqua alia inſtrumenta manifeſtant.

2. Ioannes Mariana antiquitatum Hiſpanicarum collector diligens, nec contemnendus auctor, quantumuis recens, inter encomia Alfonſi Imperatoris, id ſumme laudat, quòd Beroardo gentili ſuo addictus (quippe Imperator ex Patre, etiam Burgundus) plurima Monaſteria ædificauerit, aut ab olim conſtructa illi tradiderit Ciſtercienſe inſtitutum ſuſceptura. Eiuſdem verba in medium proferamus. [a] *Bernardo Claraeuallenſi, quem perſpecta vitæ probitas cœleſtium numero inſeruit, magnique pro religione labores, gentili ſuo in primis deditus erat (ſcilicet Imperator) eoque auctore plurima Ciſtercienſi familiæ Monaſteria extruenda curauit: ac fermè quæ hoc tempore toto illo Hiſpaniæ tractu magnificentiſſima, locupletiſſimaque extant.* Sic Mariana de Alphonſo Imperatore. Ergo ex his, quæ Bernardo Patri dedit Morerola, non tantùm vnum, ſed primum fuit. Atque ea, vt creditur, intentione auctum ante ſeptennium, priuilegio expedito quod ita habet.

a lib. 10. c. 12.

3. [b] *In nomine Domini, Amen. Quanto diuitiis, & poſſeſſionibus abundantius quiſque ſe videt adfluere, tanto de his, quæ poſſidet, Deo, & veris eius cultoribus pro ſalute animæ ſuæ, & peccatorum ſuorum remiſſione, largiùs debet impendere, iuxta illud Apoſtoli:* [c] *Facite bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Eapropter ego Ildefonſus Hiſpaniæ Imperator, vna cum vxore mea Domna Richa, & cum filiis meis Sanctio, & Ferdinando, pro amore Dei, & pro animabus parentum meorum, facio chartam donationis, & textum firmitatis Deo, & Monaſterio ſancti Iacobi de Morerola, & vobis Abbati Domino Gundiſaluo, & omnibus eiuſdem Monaſterij ſucceſſoribus, de medietate de Morerola de Suſo, quam tenebant homines de caſtro Toraſe. Dono, & concedo vobis eamdem medietatem, vt habeatis eam cum alia medietate, quæ veſtra erat, cum omnibus ſuis terminis, & pertinentiis, & cum omnibus ſuis directoriis ſicut habebant homines de caſtro Toraſe, in die qua feci deſtruere muros eiuſdem loci. & hoc meum factum ſemper ſit firmum. Si verò aliquis homo, ex meo, vel alieno genere, hoc meum factum rumpere tentauerit, ſit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda proditore Domini in inferno damnatus: & pectet regiæ parti mille marapetinos. Facta charta in Zamora, era M. CLXI. Nonis Auguſti, imperante Imperatore Toleti, Legione, Gallecia, Caſtella, Nauarra, Zaragocia, Baezia, & Almeria. Comes Barquinona, & Sanctius Rex Nauarræ, vaſalli Imperatoris. Ego Ildefonſus Imperator hanc chartam, quam fieri iuſſi, propria manu roboro, & confirmo.* Hactenus donatio, cui plures ſubiiciuntur confirmationes.

b in tabular. Morera. c Galat. 6.

Septennio elapſo, & Gun[…]aluo Abbate con- 4.
ſentiente, nam forte nouum iugum detrectauerat, atque ideo reformatio dilata vſque ad hoc tempus,

pus, Imperator Monachos accersiuit ex Claravalle, institutum, & mores Cistercij introducturos. Et venisse creduntur Sanctius, Petrusque, fortè cum aliis, per quos cæteri institutum docerentur. Ex tunc domos antiqua reparata, & Iacobæa omissa vocatione, Mariana successit pro more Ordinis: quod etsi alicubi fortè dispensatum, sed non ibi. Morerolenses primum sub Cistercio Abbatem putant beatum Petrum, quem diximus transmissum ex Claravalle. Cæterùm cùm post duodecim adhuc annos, priuatam in eodem Cœnobio vitam ducere, priuilegium conuincit, quod iam subiungo. Crediderim, Gundisaluo adhuc viuente, suffectum neminem, sed ipsum conseruatum in præfectura, eamdem simul cum vita prorogasse per duodennium. Mox vita sancto Petrum successisse, virum sanctissimum, nec semel nobis inferiùs referendum.

5. Imperator, quia dum profligandis Mauris operam nauat, minori ocio vacabat, ad hæc domestica, & ne Monachi exteriùs occupati, à Dei laudibus, & suæ vocationis muniis distraherentur; insigniti tunc per totam Hispaniam proceri, nominatissimo Pontio de Cabrera, Monasterium donauit ædificandum, ædificatum, tradendum Religiosis, specialiter Sanctio, & Petro Monachis, quibus iam tunc præ aliis deferebatur. Atque ecce exemplar priuilegij, quod etsi post duodecim annos concessum sit, quia hæc eadem initia etiam concernit, per anticipationem subiiciemus.

6. *Cùm præsentis sæculi vita nimis breuis sit, & transitoria, debet vnusquisque quantum boni poterit agere, vt cum electis Dei valeat in æternum post mortem regnare. Huius rei gratia, ego Ildefonsus Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea Berengaria, grato animo, & voluntate spontanea, pro Dei amore, & gratia eius seruitij, quod Pontius de Cabrera multoties mihi fecit, dono eidem Pontio, iure hereditario, quamdam meam villam diu desertam, Morerolam de Frades, quatenus pro meorum, & suorum peccatorum remissione, & animarum nostrarum salute, eamdem villam Sanctio, & Petro eius Monachis, & omnibus aliis eorum sociis, qui sub Ordine sancti Benedicti, & eius regula cum eis esse, & permanere voluerint, donet; donatam, ædificare iubeat, ædificatam, & illibatam cum omnibus suis possessionibus, ad honorem Dei, & Monachorum, qui ibi fuerint, manuteneat. Illam, inquam, meam villam dictam Morerolam de Frades dono Pontio de Cabrera, & per eum Sanctio, & Petro socio eius Monachis, cum omnibus suis terminis antiquitus ei datis, & cum omnibus aliis rebus, quæ infra eius terminos continentur, vineis, montibus, aquis, aciniis, pascuis, exitibus, & regressibus. Dono, inquam, prædictam villam, vt prænominatis fratribus Sanctio, & Petro, & omnibus eorum sociis Monachis præsentibus, & futuris, quatenus eam iure hereditario liberè, & quietè in perpetuum possideant, & habeant. Si quis autem de meo genere, vel alieno, &c. Facta charta Zamoræ, tertio Nonas Septembris, tempore quo Guido Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Concilium Vallisoleti celebrauit, & ad colloquium Regis Portugalis cum Imperatore venit æra M. CLXXXI.* Hactenus donatio per Pontium de Cabrera Monachis facta, quo celeriùs restauratio consummaretur.

7. In qua videas primum illius Principis zelum pro nouo Ordine, cui temporalia ita prouidebat, vt nihilominus antea præcaueret, ab eorumdem imminente solicitudine, & quos ministros aliis præferebat, à se abstractos huic curæ deputabat. Videas secundò sanctos illos Patres in antiquis

tuguriis perdurasse per multum tempus, quippe post duodecim annos restante fabrica, quæ non facilè foret expedienda. Videas tertiò beatum Petrum Monachum, primum Abbatem electum ex Cisterciensibus, non tamen primum Cisterciensem in Morerola, quippe ante ipsum Gundisaluus fuit, quamuis fortasse senio, & morbis grauem, seu fortè minus doctum Cistercij mores, Imperator Alfonsus non attenderet; adeoque neque donatio virum nominet, sed eos solùm, quos Bernardus direxit, ex Claravalle. Namque Sanctium, vt genere Hispanum, quod nomen prodit, at professione Clarevallensem fuisse, nequaquam dubium, aliter nunquam Petro præferendum. Et Bernardo in fundandis Cœnobiis solenne fuit Monachos, quos ex omni natione recipiebat, semel instructos suis prouinciis restituere; gnaros locorum, morum, linguæque, atque eo aptiores ad negotia fundationum. Hæc breuiter in honorem insignis domus natæ hoc anno familiæ Cisterciensi. Quos autem viros, post hanc aggregationem, sanctitate, & doctrina insignes dederit, suis locis, & temporibus dicemus.

Id vnum nunc silentio non inuoluam, renouatæ familiæ celebrem famam, in tantum breui Hispaniam repleuisse, vt quomodo eam sibi omnes optarent, ac Monachos è Morerola raptos, in Pastores, & Præsules eligerent, solius Romani Pontificis obuiarit auctoritas, qua præmuniti, vix permittebantur, ne ad subeundas dignitates compellerentur. Extat diploma Alexandri Papæ tertij, eam immunitatem donantis, sub hoc initio. d *Quanto studiosius diuinæ contemplationi vacatis Domino famulando, tanto quieti vestræ libentiùs prouidemus, &c. Datum Laterani, quinto decimo Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno tertio.* Memorent alij, quos habuere Prælatos, quos Archiepiscopos, quos Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Morerolæ, quod obtinuit non habere, pro gloria sit, tot forsan habituræ, si pateretur, vt vix sufficeret electorum supplendo numero. 8.

d in eodem tabular.

9. Est Morerola non longè ab Ezla fluuio, in humili planicie, vligiosa, atque ex vicini Montis impedimento minus peruia ventis, eoque ad salutem minus apta, vt Sancti illi quæsiisse viderentur, virtutem acquirendam ex instituto, sed in infirmitate perficiendam, cui Monasterium obnoxium, vsque ad tempora. Templum augustum, cui sacellum maius inest sustentatum columnis decoris satis, & sacellis minoribus distinctum, peruia per gyrum naui, retro altare. Cætera antiquiorem modestiam redolent, quamuis pro tempore non parum sumptuosa. Nouissimè surrexit habitatio (*dormitorium* vocamus) paulo excelsior, quo superemineus montis altitudini, expeditiori aura ventilaretur. Vtrimque habet Zamoram, & Benauentum, distantia ferè æquali, quatuor ab hoc leucarum, sex ab illa. Eius in litteris Innocentij Papæ tertij, atque item Honorij frequens mentio, pluribus, grauissimisque Abbati ipsius mandatis legationibus, quæ suo tempore, non secus atque variæ, eæque vtriusque sexus susceptæ soboles, cum aliis multis venirent recensendæ. Taxatur octuaginta florenis in libris Cameræ. Metalli fodinis abondasse constat, ex instrumentis, priuilegio ab Alfonso Rege obtento, æs cyprium (vulgo *cobre*) fabricandi, eruendum ex propriis possessionibus. Sed multo magis sanctitate conspicuis viris, fonte velut perenni, nullis iniuriis temporum, nullis commendarum procellis intermittendo.

1. Aurea vallis Benedictinorum prius Cœnobium. 2. Inde Canonicorum Regularium, 3. mox Cisterciensium. 4. Etymon nominis, 5. & domus deformatio, 6. qua hoc anno Bernardo ab Alberone, à Bernardo Guidoni concessa, & Tribus fontibus. 7. Ingressus Cisterciensium in Auream vallem, 8. & Castellionis fundatio per eosdem.

CAPVT X.

1. QVinque Claræuallis filiabus, de quibus suprà, insignis neptis accessit, Aurea vallis, quam domum à Comitibus Chiuiensibus, siue Chiniacensibus in Arduenæ siluæ finibus ante sexagiota annos fundatam in Treuerensi diœcesi, Benedictini primiom Monachi, mox Regulares Canonici incoluerant; demum Alberti Chiuiensis Comitis, atque Alberonis Virdunensis Episcopi interuentu, Bernardo traditam, ipse Guidoni Trium fontium Abbati adoptandam in filiam commendauit. Verùm hæc omnia, quæ ex Bertelio Epternacensi, Aubertus Miræus collegit in suo Chronico, ipsius verbis scribere præstabit. *Anno* (inquit) *Christi M. L X X. Monachi quidam professione Benedictini, ex Calabria prædicandi Euangelij gratia in Lotharingiam transierunt. Cumque varia loca peragrassent, hunc demum philosophiæ Christianæ exercendæ locum aptissimum, vtpote ab hominum congressu remotum, & nemoribus, fontibusque amœnum delegerunt, donante, & adprobante Arnulpho Comite Chiuiensi, siue Chiniacensi. Censum auxit postea Matildis Godefridi gibbosi Lotharingiæ Ducis vidua.*

2. *Arnulpho Comite anno M. C X. defuncto, & Metis sepulto, successit Oto filius, qui reuocatis in Calabriam Monachis, imperfecta Monasterij ædificia, cum omni censu annuo duobus sæcularibus Sacerdotibus adtribuit, Treuerensi Archiepiscopo consentiente. Itaque multis annis in Aurea valle Canonici, sub vnius Præpositi regimine resederunt, & templum suum ad Henrico Virdunensium Antistite, in honorem beatæ Virginis, & sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, consecrandũ curarunt.*

3. *Oto Comes anno M. C X X X. obiit, Chiniaci in templo sanctæ Vualburgis sepultus. Post cuius obitum, cum liberius, quàm par erat, Canonici viuerent, Albero Virdunensium Episcopus, Chiniacensium Comitum familia natus, beato Bernardo Clareuallensi Abbati locum obtulit.* Hæc Aubertus Miræus, ex Bertelio. Quibus planè videas, quioque filiabus Sancto hoc anno natis, nihilominus de sexta solicitari: iam tunc experiri incipientem in fundationibus id, quod Cæsarius de eo scriptum reliquit. [d] *Cum tanta importunitate, ac deuotione Præsules Ecclesiarum, & Principes requirerent ab eo conuentus fratrum, ad nouas Abbatias construendas, vt non sufficeret tot recipere, quot illum oportebat emittere.* Ita Cæsarius. Atque hæc etiam fortè occasio fuit, Aureæ vallis donatæ Tribus fontibus. Sed de hoc statim.

d homil. 5. in Domin. 3 post Pentec.

4. Addit Henriquez, post lustratam Auream vallem, atque euolutas illius antiquas tabulas, id Monasterium à Matilde vidua, non solùm annuo censu, neque exiguo, sed nomine etiam aureo donatum, insignibusque, nempe ex anulo amissò per incuriam, sed paulo pòst restituto per miraculum, quem eum fœmina Princeps conspexisset. [e] *Hoc est*, inquit, *quod quærebam aurum, felix vallis, quæ tale reproduxit. Quapropter a modo, & in sempiternum Aurea, velim, vallis vocetur.* Sic Aurea vallis ab aureo anulo dicta, fidem facientibus antiquæ traditioni, domus insignibus, quæ hodie etiam præ se ferunt anulum aureum.

e in fascicul. distinct. 40. c.1. lib.2.

5. [f] Primus Canonicorum Præfectus Fulbertus fuit, vir honestus, & grauis, & sub quo vallis illa verè aurea, aurea virtutum poma fructificauit. Sed eo per mortem ad Superos translato, succedente Herberto, primum incuria, segnitiesque indigẽti, mox indigentia diuagãdi occasio fuit. Nec vaga corpora præualuerunt cõtinere reclusos animos, vt inopia in quærendi libertatem, sic libertate, in luxum erupturos. Doluit Albertus vicem sui Cœnobij, atque Alberoni Episcopo renunciat. Ille Canonicos nunc increpans, nunc obsecrans, aut Monasterio cedere, aut Cisterciense admittere institutum, tunc summè florens, tandem à viris obtinet, idque ad Concilium Remense profectus Bernardo pandit, ac Monasteriũ suo, & Alberti nomine, & liberalis offert, & extunc petit Cistercio incorporari.

6. Cæterùm qualiter Bernardus Pater, acceptata Alberonis donatione, Abbatem, etsi non ex propria domo, cum Monachis direxerit, & Aureæ valli aureos palmites prouiderit, ex antiquis eiusdem Cœnobij tabulis, mutuatis verbis, prosequitur Henriquez. *Quoniam verò Bernardum priuatis intendere negotiis vniuersalis Ecclesiæ solicitudo non sinebat (fortè & ex causa à nobis superiùs tacta) venerabili Guidoni, primogenitæ filiæ suæ Trium fontium Abbati, hanc prouinciã delegauit, & anno Domini M. CXXXI. Romanæ Ecclesiæ præsidente Innocentio huius nominis secundo, regnante Lothario Romanorum Imperatore, Diuo Bernardo Claræuallis Abbate, ad Alberonis, & Alberti instantiam disponente, à Trium fontium Monasterio, cum septeno fratrum numero dominus Constantinus vitæ merito, & sapientiæ doctrina prælucens, primoque apud Claramvallem professus, tum præfati Trium fontium Cœnobij camer, ad Auream vallem mittitur, atque loci eiusdem Abbas primus creatur.* Hactenus ex memoriis antiquis illius domus.

7. Quæ etiam addunt, eumdem Constantinum integro corpore sancti Menæ Martyris, atque ex vndecim millibus virginibus, duodecim caluariis donatum ab Alberone: tum ipso Præsule comitante Monachos, ad Auream vsque vallem fuisse deductos. Vbi adsistentibus Comitibus Alberto, atque Agnete, donationem firmatam, adauctamque, pluribus additis & donatiis, & possessionibus. Sic Aurea vallis, etsi Bernardo tradita, non tamen Claræuallis filia, sed Trium fontium: fortè, quia neptem chariorem sibi putauit, maximè natam ex filia primogenita. Extat in eodem Cœnobio calix deauratus eiusdem Sancti donum, amoris pignus, quod memoriale æternum conseruant filij, gentilitiis Bernardi insignibus zelatum ob reuerentiam. Taxatur in libris Cameræ Apostolicæ tribus tantùm florenis supra triginta: at hodie opulentam satis domum compertum est, & quæ ab initio continuata temporum serie, vtraque bona eximiè conseruauerit. De corpore sancti Martyris Menæ, atque sanctarum Virginum caluariis, casu, an industria antiquorum occultatis, sed nostra ætate inuentis sub Reuerendo & verè sancto Patre Bernardo Montgaillardo Aureæ vallis Abbate, plura Arnoldus de Raisse in suo auctario, quem lector poterit facilè consulere.

Nouemb. 11.

His

8. His Abbatiis recensitis in Chronologia, Castellionem adiungo, quam hoc anno non minus fundatam lego, in Virdunensi diœcesi, agente eodem Episcopo Alberone, atque eodem Guidone Abbate, ex Tribus fontibus Coloniam transmittente. de ea g Mitæus, & Robertus Claodius, h ex Vbasburgio vterque, atque penè vterque verbis eisdem. i *Castellio Cisterciensis Ordinis, diœcesis Virdunensis, fundatur anno M. CXXXI. ab Alberone Episcopo, teste Vbasburgio, libro quinto antiquitatum Belgicarum.* Monachos illuc missos ex Tribus fontibus adfirmat genesis Ecclesiarum Claræuallensiũ; nisi quòd ea, quam euulgauit Ioannes k Picardus, suspectum facere videtur præsentem annum, Castellione vltima inter plures Trium fontium filias conoumerata. Sed fortè illi incerti anni fundatio (neque enim eum designat) ordinem inuertendi occasio fuit. Quocumque tempore ortam, dicendum est, Aureæ valli coniunctam in summo gradu, quippe sororem ex vtroque parente, si fas sic loqui: hoc est, ex matre simul, & fundatore. Liber taxarum Cameræ Apostolicæ Castellionem omittit, vnde neque in libris genesеоa taxam præfixam habet, vt plures aliæ. Io Chronologia differtur hæc fundatio, ad annum M. CLIII. Ad Balduinum, eius Abbatem, extat epistola sancti Bernardi, ordine CCCXXXVIII. ex qua facile, quàm fuerit parentis sancti charus, quamque ipsi commendatus, licet colligere. Abbati, & Conuentui Monasterij de Castellione, Cisterciensis Ordinis, Virdunensis diœcesis, scribit Nicolaus Papa quartus, Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, Idibus Martiis, Pontificatus ipsius anno tertio.

g in Chron.
h in suo Gal. Christ.
i lib. 5. antiq. Belgic.
k post. not. ad epist. D. Bern.

IESV CHRISTI ANN. 1132. — CISTERCII ANN. 35.

1. Cisterciensium à decimis exemptio, primum restricta 2. (concessionis motiuum) 3. mox ad Stephani Patris instantiam, 4. latè extensa. 5. Innocentij secundi priuilegium. 6. Collocatæ reliquiæ Martyris Thomæ. 7. Potentis viri prophetata conuersio simul, & mors. 8. Atque Innocentius in Italiam redux, Bernardo Comite.

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus millesimus centesimus trigesimus secundus, Cistercij trigesimus quintus, nostris, quo fauorabilior, periculosior; adeò nullus in hac vita immunis ab ea sorte. Exemptione decimarum in iure celebri, etiam si accepta potius, quàm impetrata, multorum sibi inuidiam consciuere, Cluniacensium præcipuè, vel quia fratrum, quæ hominum plerumque conditio est, vel quia præ aliis grauatorum tali indulto. Id, quia nunc primum nostris concessum fuit, nascentis anni initium auspicabitur. Ordiar autem Cardinalis Baronij verbis, quo implicatam alias viam, & penè inuiam tanti auctoris ducatus patefaciat. a *Innocentius (ait) cùm Cluniacensium diuitias adspexisset, atque Clareuallensium esset extremam intuitus paupertatem, secundum illud Apostoli.* b *Abundantia vestra inopiam aliorum suppleat, statuit, ne Cistercienses Monachi, vt hactenus factum esset, decimas persoluerent Cluniacensibus. Sicque illarum pensitatione eos reddidit absolutos.* Ita Baronius de prima hac exemptione, non absoluta, vt adparet, sed limitata, & restricta ad Cluniacenses.

a ad ann. 1131.
b 2. ad Cor. 8.

2. Itaque Innocentius perpendens animos vtrorumque, nam vtrosque visitauerat, summas illinc diuitias, hinc paupertatem, & geminos ex Benedicto Patre fratres, eisdem Sancti legibus vtentes, tanta inter distantia separati: hos continuo labori mancipatos, illos quieti, hos præter spatia terrarum nihil habentes, atque ea excolenda manibus propriis, illos redditibus annuis abundantes, nullo prorsus labore percipiendis, horum laboris incertos semper fructus, cœli, & aëris obnoxios inclementiis: illorum prouentus fixos, & immutabiles, vicissitudinis rerum penè expertes. Hæc, inquam, ipsa, quæ oculis lustrauerat, pro pastorali cura reuoluens mente, proprij muneris esse iudicauit, si horum indigentiæ, & paupertati, ex illorum diuitiis subueniret. Porrò inter plura media, quæ occurrebant, illud inprimis aptum visum est, si Cistercienses Monachos absolueret, à decimarum soluendarum obligatione, quas plurimas ex terris suæ ditionis Cluniacenses ab eis exigebant. Subsidium id Cisterciensibus perutile, nec Cluniacensibus onerosum. Æquum deinde, & iustitiæ satis consonum, si is fauor Cistercio concederetur, quòd se ab initio decimarum iure, cunctis aliàs Ecclesiasticis permisso, ob solum Christi amorem abdicasset, quin & cæteris bonis renunciasset, de quibus nihil foret redditurum. Nam cur soli inter omnes Ecclesiasticos, decimas à nemine exigerent, omnibus redderent? Cur qui se ob Christum tot bonis spoliassent, non aliquam à Christi Vicario recipere deberent compensationem? Cur qui prouentus ociosos, & immunes habere possent, ex eo solùm pensionarios haberent, quia laboriosos? & vt cæteris decimas persoluerent, quia extraneis: at Cluniacenses maiores natu fratres, vel ipso iure primogenituræ constrictos, alendis egenis fratribus. An ne pauperes diuitibus sudarent, & vel vilia alimenta sibi minuerent, vt inde illis supperent lautiora? Hæc, & similia Innocentio Papæ primum, mox Cardinalibus, Cistercio indulgendam gratiam persuasere.

Cæterùm Stephanus communis Cistercij Pater, quo erat aduersùs omnes euentus sagaci animo, dum Cluniacensium in suos, si soli grauarentur, odium præuidet, senio quamuis confectus, morbisque, Innocentium adire deliberauit. Et primò, quo res altiùs dissimulata feliciùs cederet, Abbatibus exemptionem à synodis, nisi pro causa fidei, conuersis subiectionem maiorem impetrat, à nullo etiam Episcopo eludendam: mox indultum de non soluendis decimis, quantumuis sibi, & suis fauorabile, aut reuocandum, si iam concessum esset, aut omnino extendendum supplex exposcit. Nam cur soli in Ecclesia grauarentur, quibus se noscerent per omnia deuinctiores? Cur Cluniacenses decimas amitterent, quas omnes alij forent percepturi? An quia fratres, quia eiusdem Patris filij, deterioris conditionis 3.

agnoscerentur? Subsidium id minus decens, quia inæquale, & Cluniacensium opinioni noxium, sibi vix vtile. Nam quota pars terrarum, quas colebant, in eorum parochiis posset existere? Et si ad cæteras omnes compararetur, quàm fore nulla? Quid si ea nota Cluniacenses dehonestati, quos pensionarios fouebant, & amabant, liberos, & exemptos persequerentur? Et esse adhuc recentes simultates, occasione diuersarum obseruantiarum, quæ facilè ex leuiori causa recrudescerent.

4 Ergo Innocentius permotus his rationibus, sed nolens beneficium semel à se vel oblatum, aut collatum, irritum facere, & exemptionem generalem fore decreuit, quippe in omnes concessam Cistercienfibus, & Cluniaci priuilegio suo firmandam, quo Cluniacenses leuiùs tolerarent, quod in eorum domo per ipsum factum, ad eorum instantiam indultum omnes sentirent. Quin & ei decimarum exemptioni hospitalitatis obtentum consultè addidit, quo acceptabiliorem concessionem redderet communis causa, quippe vt cunctis comprehensis in exemptione, sic ab exemptis quoties se se occasio offerat, non minus omnibus hospitio suscipiendis. Atque ecce exemplar priuilegij satis antiqui, prout ex Archiuij duorum Cœnobiorum, Populetensis nimirum, & Oliuani, duplicato exemplari ad nos transmisso, litteris ob vetustatem corrosis, elici potuit.

5 [c] *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei. Dilecto filio Stephano Cisterciensium Abbati, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Habitantes in domo Dei in synceritate charitatis, vnanimes conseruant vnitatem spiritus in vinculo pacis. Pura namque mentis religio indissolubili diuini amoris glutino confirmata, vultum clementissimi creatoris, vt terrena cœlestibus coniungantur, & ima Superis socientur, mundis orationibus incessanter profusis, inclinat. Quia igitur fratres Cisterciensis Monasterij à cura sæculari liberos, & diuinis seruitiis mancipatos, piè viuere, ac religiosè cognouimus: iccirco in Domino dilecte fili Stephane Abbas, tuis iustis petitionibus duximus annuendum. Statuimus enim, vt quæcumque bona, aut possessiones ad eumdem locum in præsentiarum iustè, & canonicè pertinere noscuntur, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis (auxiliante Domino) ei conferri contigerit: firma tibi, & tuis successoribus & illibata permaneant. Et quoniam vbi Spiritus Domini, ibi libertas; vt liberiùs diuinis famulatibus valeatis insistere, & purgata mentis acie, contemplationi vacare, prohibemus, ne aliquis Episcopus, vel Archiepiscopus te, vel successores tuos, seu aliquem Abbatem Cisterciensis Ordinis, nisi pro fide ad Concilium, vel Synodum venire compellat. Porrò conuersos vestros, qui Monachi non sunt, post factam in vestris Cœnobiis professionem, nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, vel Abbatum sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. Verùm quoniam, sicut beato Gregorio Augustinum Anglorum Episcopum instruente didicimus, in communi vita viuentibus, iam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia, nobis quid erit dicendum? Cùm omne, quod superest, in causis piis, ac religiosis erogandum est, Domino Magistro omnium dicente: [d] Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia vobis munda sunt. Sancimus, vt de laboribus, quos vos, & totius vestræ congregationis fratres propriis manibus, seu sumptibus colitis, & de animalibus vestris, à vobis decimas expetere, vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo hominum liceat vestrum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus molestiis fatigare, sed omnia integra conseruentur vestris, & aliorum pauperum Christi vsibus profutura. Si qua ergo in posterum Ecclesiastica, sæcularisue persona, hanc nostræ constitutionis regulam sciens, temerè contra eam venire tentauerit, secundo, tertiòve commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque periculum patiatur, & a sacratissimo corpore, & sanguine Domini Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Conseruantibus verò eidem loco, quæ sua sunt, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æterna pacis inueniant. Amen.*

c in not. ad Exord. lib. 1. cap. 31.

d Lucæ 11.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Ioannes .....

Ego Romanus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergij, & Bacchi.

Datis Cluniaci, per manum Haimerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi, & Cancellarij, quarto Idus Februarij, indictione decima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo tricesimo secundo, Pontificatus verò Domini Innocentij secundo. Hactenus priuilegium Summi Pontificis, quo clarè videas, Innocentium, priusquam è Gallia discederet, rediisse Cluniacum hoc anno, cùm eius Ecclesiam præcedenti dedicauisset. Nec fuit tunc, qui indulto se opponeret, siue ignorato, seu quo non crederent nostros fore vsuros. At quàm grauis ex eo tempestas orta, cùm primum Innocentius Gallia excessit; quasque epistolas Petrus venerabilis ad eumdem, ad Haimericum Cardinalem, ad Capitulum item Cistercij scripserit, doloris indices, nec fellis omnino vacuas, quia postulat longiorem narrationem, in aliud caput consultò reseruamus.

An Pontifex hoc anno, an præcedenti Pascha Domini Parisiis celebrauerit, in dubio est, nec multum refert ad nostrum institutum. Illud memoriæ proditum inuenio, quod in hunc annum tradendum remiseramus, ingredientem Monasterium sancti Victoris, cùm videret in claustro sepulchrum recentis Martyris (Thomæ videlicet) nulla ab aliis sepulchris differentia, nullo honore, præcepisse ad Basilicam transferri, atque ibidem honorificè locari. Quod statim executũ per Canonicos, qua die cõtigit, quotannis recensetur. Vnde septimo Idus Martij, in Necrologio illius Ecclesiæ legitur. [e] *Commemoratio Domini Thomæ, Prioris huius Ecclesiæ, quando corpus eius præcepto Domini Papæ Innocentij de Claustro translatum, & in Ecclesia sepultum est.* Porrò huuc honorem, vltra viri merita, delatum fuisse Bernardi testimonio, prodidisse videntur antiqui, qui epitaphio illustrarunt eius sepulchrum, quippe his inter alios ornatũ versibus, 6

e apud Ioan. Picar. in not. ad epist. Bernard. 158.

[f] *Hunc piè deplorat Stephanus tunc Parisiensis.*
Hunc scriptis decorat Bernardus Clareuallensis.
Summi Pontificis iussu locum hunc capit iste.
Cœtibus Angelicis nos Thomæ iungito, Christe.

f Picard. vbi suprà.

Atque hæc breuiter notanda esse putaui, quo nihil deesset historiæ beati viri, haud aliter celebrius illustrati, quàm constanti Bernardi adprobatione.

At Pater sanctus, ad breue licèt tempus permissus filiis, tyrones, quos adduxerat ex Belgio, plurésque ad eum confluentes ex toto orbe (nam vsque ad centum Nouitios exercuisse, idque non semel, antiquæ memoriæ prodũt) verbis pariter, & exem- 7

plis

plis confirmabat. Ex quibus cùm Godefridus de Perona [g] *primo tempore tyrocinij sui* (Gaufridi Claræuallensis verba transcribo) *pro patre suo, viro nobili, & potenti, quem in seculo reliquerat, filiali pietate solicitus, Patrem sanctum pro eius conuersione rogare Dominum adfectuosius exoraret, vir Dei (prophetia spiritu illustratus) ne timeas, (inquit) ego illum probatum Monachum manibus meis in hac Claraualle sepeliam.* Mirum dictu, nil tale cogitantem, & vix valentem sustinere pondus tanti laboris, diuina nihilominus vocatio non multo pòst ad Claramvallem traxit: tracto perseuerantiam, & vires dedit. Qualiter autem perfectus Monachus factus, post paucos annos tandem Bernardi manibus sepultus, idque non sine ingenti admiratione, vtramque vaticinij partem impleuerit, suo loco dicemus.

g lib. 4. vit. cap. 3.

8. Nunc Innocentium discedentem à Gallia prosequamur, quod Abbas Bonæuallis ita describit. [h] *Longas in Galliis facere moras Dominus Papa non potuit, sed sicut cum Lothario Rege condixerat, Romam ei occurrit.* Igitur occursurus Lothario Regi, Bernardo Patre pro more secum adsumpto, Longobardiam intrauit, & primò Hostiam, mox Placentiam venit, vbi Longobardorum, & Rauenatum congregatis Episcopis, tertium dicitur Concilium celebrasse. Demum in Roncaliis (id oppido nomen, non lunge ab vrbe Placentia super Padum) adueniente Lothario, de vtriusque negotiis tractauere, & condixere in sequentem annum diem, quo Romæ vterque opportunè conuenirent: Pontifex inducendus in Sedem Petri, Lotharios in Imperatorem coronandus. Salutato Lothario, post colloquia, Innocentius Bernardum Ianuam mittit, ipse Pisas progreditur, pacem, si posset, inter vtramque vrbem reformaturus, quæ diu turbida, præter continuas cædes, stragesque, non parum officiebat rebus Pontificis. Sed quid in his per vtrumque gestum sit, non multo pòst commodiùs referemus, si tamen priùs decimarum causam velut pendentem, & quo vsque processerit, pandamus.

h lib. 2. c. 2.

1. Cluniacenses de ablatis decimis queruli, 2. manutentionis rescriptum impetrarunt. 3. Innocentius subreptionis litteras notat. 4. Petri epistola, ex nouitate rerum, 5. ex similis indulti desuetudine, 6. ex multitudine recentium Monasteriorum, 7. reuocationem orans, 8. aut saltim suspensionem, vsque ad Pascha, 9. idque interposita Haimerici intercessione.

CAPVT II.

1. INterim adueniente tempore messis, nec Cisterciensibus decimas soluentibus pro indulta sibi recenti concessione, Cluniacenses, dum se frustratos vident redditibus, quos annuus percipiebant, multa, & varia opposuere contra indultum. Priuilegia fauorem continere, sed non iniuriam, se inauditus spoliari non posse bonis, quæ per ducentos annos possedissent. Rem aut iustitia peragendam, aut æquitate: si iustitia debuisse priùs audiri, si æquitate, expectandum saltim consensum, quia veri domini, contra quem nihil æquum, imò nec licitum. Id genus priuilegia sæpe concedi, exequi nunquam, & similia Cluniacum habere, nec quidem pauca, queis tamen hactenus nonquam vsum sit, nunquam vsurum, decimas non aliter reddens, quàm percipiens. Remitti aliquas aliquibus potuisse, non omnes omnibus, & se indulsisse non paucas ex charitate, quas tamen nequaquam passuros per vim auferri.

2. Hæc, & similia, dum pro se constanter allegant, & decimas, quibus modis possunt, extorqnent, manu teneri impetrarunt ab Innocentio. Conscio, an ignaro? Quis audeat adfirmare? Ipse per fraudem extortas litteras dixit. Quod tamen casu euenisse potius credam, quàm consilio: aut si consilio, non Petri Cluniacensis, cuius non minor veritas, quàm sanctitas, atque vtrique æqualis mira simplicitas, vt prudentiæ plena, sic fraudis vacua, & sagax forte aliquando, nunquam astuta. Vtcumque fuerit, dum hi manutentione, illi nouo nituntur priuilegio, creuerunt vbique lites, discordiæque, maximè autem in Prouincia Lugdunensi, inter nouum Cœnobium Miraturium, & Gigniacum antiquum, & opulentum, atque inter Cluniacenses satis insigne. Illo decimas neruosè retinente, interpositis etiam viris Principibus, qui Gigniacensem Abbatem auctoritate mollirent, precibus flecterent, hoc nullis prorsus acquiescente consiliis, nulli potentiæ, & quod durius aliquanto videbatur, à nullis etiam molestiis abstinente.

3. Innocentius nouitatis certior factus, quo semel indulta exemptio firma consisteret, in Abbatem Cluniaci, quantumuis sibi dilectum, & familiarem, atque sedi Romanæ obsequentissimum, comminatus sententiam, nisi compescat, in Gigniacensem interdictum etiam promulgat, ni statim pareat, vlteriùs progressutus. Tum verò Petrus, vt charitate in omnes, ita paterno zelo in suos feruidus, & Cluniacum antiquam Ecclesiæ filiam fauoribus, & gratiis semper adsuetam, repentè tunc quasi despectam dolens, quòd si à Pontifice infenso paterentur, ægrè ferendum, ab amantissimo & sibi, & suis Patre, ob quem Monachum proprium deseruissent (nam Anacletus Monachus Cluniacensis fuerat) omnem etiam patientiam superabat, cùm litteras ipsius accepisset, præter metum comminatorias, talem ad eum epistolam scripsit, querulam sanè, & acrem, sed perhumilem, neque dolore in viro modestissimo exprimere valente verba minus modesta.

[a] *Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papa Innocentio, frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & obedientiam. Magna materies multa me loqui cogeret, sed auribus maiestatis vestræ importunus, aut nimius esse formido. Ea propter dilecta, & diligenda paternitati vestra humiliter suggero, litteras nuper à vobis mihi directas, me filium vestrum, & totum semper vobis subditum, & deuotum conuentum, quoniam insolita, & damnosa preferebant, grauiter vulnerasse. Insolita, inquam, & damnosa preferebant, quia decimas, quas vsque ad hac tempora per ducentos, & eo amplius annos vestra Cluniacensis Ecclesia indifferenter ab omnibus suscepit, & indifferenter omnibus reddidit, auferebant. Insolita, inquam, & damnosa preferebant: quia quod verè nunquam de quolibet paruo Cluniacensis Ecclesia membro factum audiuimus, in magno Monasterio Gigniaco, post quadraginta dies diuina officia, propter repetitas Parochia sua decimas, interdicebant.* 4.

a lib. 1. epist. 32.

Et cùm a sanctis prædecessoribus vestris, multis priuilegiis confirmatum sit, vt fratres Cluniacenses non solum omnium Parochiarum suarum decimas absque alicuius contradictione susciperent, sed etiam quas propriis 5.

excolebant sumptibus, retinerent: noluerunt tamen vel hac potestate scientes scriptum esse: [b] *Væ illi, per quem scandalum venit.* (b Matth. 23.) *Vnde humiliter, ac modestè decimas tam rusticorum, quàm mancipiorum suorum, non solùm Monachis, Canonicis, sed etiā quibuslibet Clericis, Presbyteris, militibus, raptoribusque persoluunt. Cumque ipsi vniuersis debitas, atque indebitas decimas, vel qualibet alia pacificè reddant, cur nō & ab aliis quietè suscipiant?*

6. *Dedi ipse Cisterciensibus fratribus, teste Domino Clareuallensi Abbate, quibusdam in locis decimas, sed tanta iam est, per Dei gratiam ipsorum, & aliorum Religiosorum vbique terrarum in circuitu nostro numerositas, vt si omnibus decimas indulserimus, iam decimam ferè numeri nostri partem perdamus. Nam si breuitas pateretur, ostenderemus, quàm plura Monasteria nostra ita a diuersis religionibus circumsipta, vt ad duas, vel vnam leucam, vnum vetus quinque, vel septem Monasteriis sepiatur. Quæ in Parochiis nostris, & cum adsensu, & sine adsensu nostro contra ius canonicum constructa, maiorem partem iam Parochiarum nostrarum obtinent. Quibus omnibus si decimæ concedantur, oportebit, vt nostri, aut, sicut dixi, numerum suorum minuant, aut fortè in quibusdam locis, loco pariter, & domibus cedant.*

7. *Rogat igitur venerabilis Pater, fidelis, & semper subiecta maiestati Apostolicæ congregatio vestra, vt ab amore paterno, noui filij, veteres non expellant: quoniam etsi noui diligendi, non tamen propter nouos, nisi promeruerint, sunt veteres abiiciendi. Recordamini, quantum ab antiquis in populo Dei primogenitis deferretur, vt nisi Esau primogenita vendidisset, nunquam ei, licèt sanctior Iacob, in primogenitorum dignitate, non dico, præferretur, sed neque etiam conferretur. Si ergo primogeniti sumus, dignum est, vt quod non vendidimus, pro iunioribus non perdamus. Si aliter res processerit, quod salua Patris gratia dico, aut sua mecum Ecclesia retinebit, aut sine me his vsque iustè possessis carebit. Nostis ipse cor meum, cuius vtinam, vel hac, vel qualibet occasione, non subitum, sed antiquum compleatur desiderium.*

Vnde iteratis precibus, precatur vniuersitas filiorum vestrorum, rogo & ipse & qualiscumque, tamen vester, vt si aliud ad præsens non placet, sententiam saltim interdicti vsque ad Pascha Domini differatis, quatenus infra hoc spatium sapientes fratres ad vos mittere, & per eos tam de his, quam de aliis agere possim vobiscum. 8.
Hæc Petrus Cluniacensis ad Innocentium, submissa quidem, nec multa, sed efficacia.

Cæterùm vt absentis filij litteræ præsenti etiam fauore iuuarentur, & quod modestia in illis omittebat, per communem amicum intimaret, scripsit pariter ad Haimericum Cancellarium, expeditiori calamo, & stylo parumper liberiori. Atque ecce exemplar epistolæ venerabilis Petri ad Haimericum, quam pro materia patum prolixiorem, sequenti capite duxi transcribendam. 9.

---

1. Longioris epistolæ excusatio. 2. Exaggeratio mandatorum Summi Pontificis. 3. commendatio Cluniaci. 4. Tum causa nouitas ex re, & modo perpensa. 5. Cistercienses Cluniacensibus ditiores. 6. Sed neque ab eis erogandam sibi iniuriam, 7. in quos non semel munifici extitissent, 8. maximè in præsenti tunc Ecclesiæ statu. 9. (excusata subreptio.) 10. atque à sibi obstrictissimo Pontifice: 11. apud quem fauorem eius tamen implorat.

CAPVT III.

1. (a lib. 1. epist. 34.) [a] *VEnerabili fratri, & dilectissimo amico, domino Haimerico, Apostolicæ sublimitatis Cardini, & Cancellario, frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem. Cùm naufragium imminet, nusquam tutius, quam ad portum, cum pericula formidantur, nunquam salubrius, quàm ad amicum recurritur, ea propter quoniam ventis è regione propellentibus, nauis nostra naufragium perpeti reformidat, vos potissimum elegit, cui & pericula nota faceret, & per quem contraria vniuersa valeat euitare. Quòd si multa materies multiplicare me verba coegerit, rogo vos, patienter ferte, quia nemo potest breuiter dicere, quod verborum multitudo vix valet explicare. Possunt quidem quandoque multa breuiter dici, sed vbi breuitas sententiarum pondera non extenuat, non vbi intellectui multa necessario intelligenda defraudat. Inualuit, & Segniacæ modernorum, quæ mox superfluum vocat, quidquid cum eius desidia non concordat. Non sic apud antiquos, quorum si sapientia vestra recordari voluerit, etia longissima nostra nouissima reputabit.*

2. *Accepi litteras a maiestate Patris, humiliati mea transmissas: quæ si, vt mihi soli missa sunt, me solum læderent, facilis vnius hominis læsionis consolatio subueniret. At nunc in communem Monasterij nostri interitum littera militant, quæ tanto amariores videntur, quanto præter solitum adparuisse probantur. Nam quæ olim mel, & lac a paternis vberibus filiis profundebant; meo nunc tempore, quod humili corde, sed non sine intimo dolore dico, myrrham, absinthiumque propinant. Quòd si propter peccata mea, quod non discredo, tempestas hæc contra Christi nauiculam, quam ipso committente, perita manus illius regis insurrexit, vt voce Prophetæ vtar:* [b] *Tollite me, & mittite in mare, dum tantum cesset mare à naufragantibus.* (b Ionæ 1.)

Quid enim? nonne illa est, de qua nunc agitur, Cluniacensis Ecclesia, illius, cui Deo auctore præsides, dicta, & credita, præ totius mundi subditis Ecclesiis, singularis filia? Nonne illa est, quæ etsi qualibet alia gradu Ecclesiastico celsior, nulla tamen inuenta est in Patres gratia prior? Nonne illa est, quam summi Ecclesiæ Dei pastores, sancti eius prædecessores, a primo, vt dicitur, fundationis lapide, velut in gremio suo fouerunt, dilexerunt, prouexerunt, auxerunt? Nonne illa est, quam fouendam, diligendam, augendam, prouehendam ab illis officio suscepit, verbis promisit, in generali Capitulo confirmauit? Sed nunc nouo ordine, de luce tenebræ ortæ sunt, dies in noctem mutatus, serena cœli facies in horrendam tempestatem conuersa. Et ne fortè suspicemini, me hæc velle verbis exaggerare, noueritis me amico in veritate loquentem, non solum ad exaggerandum nihil dicere, sed ipsum aggerem perturbatarum cogitationum vix posse explicare. 3.

Noui ipse cor meum, noui & sacri Conuentus, plusquam dicere possim, mæstificatum animum: quoniam ea isto tempore audierunt, quæ nunquam ante audita, nullo pacto sperare potuerunt. Quando enim solo arbitrio sine iudicio, qualibet non dico Cluniacensis, non dico Ecclesia, sed saltim vilis muliercula à suo iure ab Apostolica iustitia spoliata est? Quando res aliena aliis, absque illorum, cuius est, adsensu, vel voluntate concessa est? Quando de aliorum bonis violenter extortis, grata Deo oblatio facta est? Hoc præcipiunt nobis, littera Apostolica, vt à Monachis, vel Canonicis regularibus, decimas non accipiamus, cùm nos Monachis, Clericis, Canonicis regularibus, & si dici posset, sæcularibus, Monialibus, militibus, raptoribus etiam persoluamus. Nec de illis decimis loquor, quas de agricultura sua rustici, seu agricolæ reddunt, 4.

reddunt, sed de illis, quas fratres nostri propriis manibus, vel sumptibus excolunt. Inde habent Cluniacenses plura, & vetera, vnde Cistercienses singularia, & noua se dicunt habere priuilegia. Sed scientes sententiam Domini:
e Matth. 18. *e Væ illi, per quem scandalum venit, nolunt vti potestate concessa: ne existentes origo, & causa scandalorum, digni iudicentur, vt suspendatur mola asinaria in collo eorum, & demergantur in profundum maris.*

5. *Sed aiunt quidam de alieno munifici: Hi pauperes sunt, illi diuites. Debent ergo diuites pauperioribus sub-*
d Eccles. 5. *uenire. Et rectè: sed attendant, quod ait Salomon: d vbi multæ diuitiæ, multi & qui comedunt eas. Et quia quandoque ditior est pauper in tugurio, quàm Rex in solio, quia ille si satur est, iam nullius eget: iste multis millibus, dum prouidere non sufficit, mendicat. Nouit mundus, in quos vsus Cluniacus redditus agrorum, in quos pecunias, in quos decimas, in quos, quæ habet, expendat. Requirat prius, & conferat diligenter curiosus indagator Cluniacenses, & Cistercienses redditus cum expensis, & demum de diuitiis, vel paupertate sententiam ferat.*

6. *Sed esto, pauperes illi, diuites isti. agatur iudicio. e*
e Deuter. 19. *Non accipies, inquit lex æterna, personam pauperis, nec*
f Exod. 23. *honores vultum potentis. Item in Exodo: f Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Si misericordia impendenda est pauperi, numquid irroganda est iniuria à paupere? Si danda est ei eleemosyna, numquid exercenda est ab eo rapina? Monstruosum prædæ genus, si laborem diuitibus sancti pauperes extorquere, quod pessimi diuites pauperibus solebant auferre. Nec blandiantur sibi illi*
g Psalm. 14. *fratres nostri, si hæc propriis manibus non faciunt: g quia non ascendit in montem Domini, nec stat in loco sancto eius tantùm innocens manibus, sed mundo corde. Vnde qui verbis de corde prodeuntibus aliorum manus exagitat, alienum se ab eorum opere nulla dissimulatione excusat.*

7. *Contuli ego, dum ex charitate rogauerunt, quasdam eis decimas: sed aliud est, quod sponte Deo offertur, aliud, quod violenter aufertur. Fuisset vtcumque tolerabile certis hoc, & paucis locis concedere: sed tanta est per gratiam Dei multiplicatio nouæ segetis, vt si, velut illi exigunt, nouis veteres coguntur cedere, antiquos labores oporteat deperire. Dilexi ego, & semper diligere volo fratres illos, sicut mihi nostra, & ipsorum congregatio attestatur: sed attendendum eis est, si serui Dei sunt, ne eorum occasione, vel, quod peius est, studio, charitas, virtutum omnium perfectio, & finis, lædatur. Nam vt quod verum sentio, dicam, tale inde scandalum preparatur, quod nostro quidem tempore incipere, sed nostra numquam ætate valeat terminari. Non vnde obedientia subtrahatur, sed vnde, quod maius est, charitas perimatur. perimatur, dico, non lædatur, quia verè non tantùm apud nostros, sed apud vniuersos, in quos decretum hoc prolatum est, non solùm læditur, sed etiam extinguitur.*

8. *Nouit prudentia vestra Ecclesiam Dei vnguento, non cauterio indigere, baculo sustentandam, non impulsu præcipitandam esse: maximè hoc tempore, quando viribus exhaustis, magna pars ipsius membris trementibus nutat, & latè iam patente scandalorum campo, dies instare vi-*
h Matth. 24. *dentur, de quibus Dominus in Euangelio: h Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Iam de sententia super Gigniacenses absque vocatione, absque audientia prolata, quid dicam, non inuenio. Nam excepta tempestate, quæ per dominum Pontium excitata est, nunc primum in Monachos Cluniacenses excommunicationis, vel interdicti sententia ab Apostolica sede promulgata est.*

9. *Sed & illud, quod in eadem Domini nostri epistola continebatur, quasdam sibi litteras fraudulenter extortas; non paruum mihi, & his, qui audierunt, stuporem ingessit. Quis enim fraudē hanc fecerit, quis extorserit, quis tanti criminis auctor fuerit, cùm diu inter nos quæreremus, inuenire non potuimus. Hoc tantùm recolo, me à sancto Ambrosio cursorem Domino Papæ, & vobis misisse, atque per eum scriptum huiusmodi Capitulum, sicut ex eadem, quam misi, membrana postea collegi, in hæc verba transmisisse, vt Monachis de Miratorio, qui decimas auferunt fratribus nostris Gigniacensibus, & à potentibus faciunt eos deprecari, scribatur, vt decimas reddant. Cuius hîc rogo, fraus esse potuit? Si cursoris, mirum est, quod tantillus homulus tantos orbis iudices fallere potuit. Si Capituli, nec hoc minus mirum. Nam cùm fraus dicatur, quando studio fallendi, falsitas prætenditur, veritas occultatur: quomodo fraudulenter litteræ extortæ sunt, quæ nihil veritatis, studio fallendi occultauerunt, nihil falsitatis prætulerunt? Quòd si quilibet hoc Patris nostri auribus insusurrauit, tunc ei dignum erat credere, quando eo præsente, qui scripsit, falsi eum aliquid conscripsisse, potuerat comprobare. Antè autem de indiscussis sententiam ferre, quid est aliud, quàm solo arbitrio absentem damnare.*

Non se putabant nostri tale apud suum dominum meritum reposuisse, pro cuius obedientia, & seruitio dicuntur se, suaque penè omnia expendisse. Sed ne iactare propria videar, ista interim conscientiæ ipsius dimitto, pro vniuersis, quæ numerare possem, deprecans, vt Ecclesia sibi à Deo commissa, etsi non augmenta, saltem nulla, quæ non meruit, sentiat detrimenta. Memor sit propriis se manibus illam Ecclesiam consecrasse, quod eius prædecessores non nullos valde certum est præoptasse. Quam si diminuerit, videbitur destruxisse, quod visus fuerat construxisse. Insultabunt, quod iam ex parte cœperunt, nobis inimici eius: quorum multitudo vbique, etsi non apertè contradicit, tamen apertè odit, nec cessabunt dicere, quod solent dicendo frequentare. Ecce Cluniacensis habere Papam vestrum, quem vobis, spreto Monacho vestro, elegistis. Talem spem, talis dignè sequitur merces. Sed quid, charissime, magni, quam semper in vobis habui, amoris fiducia me diffusius fortè, quàm debui, loqui compulit, rogo, ne miremini, quoniam & magnum Ecclesiæ nostræ super hac re murmur, & lingua, quæ deerat mediatoris nuncij, me tanta imprimere chartis coegit verba. 10.

Nunc igitur ea spe, qua vobis post Dominum Papam vniuersa Ecclesia Dei, specialiter Cluniacensis, 11.
innititur, laborate, obsecro, vt in melius sententia commutetur: quia mirum sapientibus videri non debet, si homini tantis totius mundi curis in diuersa distracto, quilibet sua quærens subripere potuit; sed valde mirum videbitur, si postquam perniciosum cognouerit, tantus pastor ouibus non prouiderit. Quòd si præsens aliud non placet, sicut eum litteris propriis rogaui, illius noui interdicti asperitatem vsque ad proximum Pascha differat, quia vsque ad tempus illud mittere ad eum, etiam antequam ista audirem, nuncios idoneos proposueram. Sed tempus prefixum tam breue est, vt nisi citò cum indulgentia nuntius remittatur, Gigniacense Monasterium, in ipsa Domini natiuitate, quod vix sine lachrymis dico, diuinis officiis careat, & corda fratrum nostrorum numquam delendus fauæ amaritudinis dolor interat. Has familiares litteras illi tantùm post vos, rogo, videant, qui negotium nostrum non impedire, sed pro viribus studeant adiuuare. Hactenus venerabilis Petrus ad Haimericum, in spiritu vehementi pro suis zelans, & naues Tharsis fortè contriturus, ni premeretur reuerentia Summi Pontificis.

1. Con

1. Constantia Petri in decimarum defensione. 2. Eius ad Cisterij Capitulum epistola. 3. ostensa charitas, 4. quæ tunc turbata paucorum occasione, 5. Ordines cunctos in nostros concitauerit. 6. Fugiendum scandalum, 7. neque minus iniustitiam, 8. & supra modum defectum charitatis. 9. Conclusio epistolæ, & consilium eiusdem Sancti.

CAPVT IV.

1. HIs litteris venerabilis Abbas, pro suis zelans, & nunc rhetoricis, qua pollebat arte, coloribus, nunc inductis rationibus, & quam pro se stare non dubitabat, iustitiæ titulis, gratiæ etiam motiua superaddebat. Obsequia à suis in Romanam sedem exhibita, maximè in Innocentium, quam proprio Monacho haud dubie antetulissent: Haimerici fauorem, potentiamque, & sui desiderium, si non audiatur, Cluniacum deserturi. Quin & tempus quærebat dilationis, nihil prorsus præteriens, nihil omittens, quo posset obuiam ire concessæ gratiæ. Cæterùm quæ constantia viri erat, & Columbini cordis mira simplicitas, ne Cisterciensibus detrahere videretur, ipsis ignaris: aut aliud eis, aliud de eis loqui, cùm iam tempus generalis Capituli instaret, tales ad Stephanum, tales ad Bernardum, Hugonemque, & reliquos Cistercienses Abbates litteras dedit: acriores sanè, & quæ viros sanctos, quamlibet humiles, & patientes, exasperarunt, vt mox videbimus. Sed si alicubi excedendum aliquid erat, simplicius fortè cùm ad ipsos loquebatur, quàm cùm de ipsis, quippe illic commonitio locum habebat, hîc detractio. Epistolam inseruit ipse Petrus in codice suarum, quæ est huiusmodi.

2. [a] *Charissimis, & venerabilibus fratribus nostris, Domino Abbati Cisterciensi, Claravallensi, Pontigniacensi, & aliis in Christi nomine congregatis, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & veram in Domino dilectionem. Quo adfectu, dilectissimi, inter omnes religionis professores, vniuersitatem vestram semper dilexerim, quo honore veneratus sim, quibus, quod non improperans dico, beneficiis quosdam vestrum pro posse, & tempore prosequutus sim, nouit testis, & conscius meus in Excelso, nouit & integra vbique terrarum posita nostræ Ecclesiæ congregatio, nouerunt, etsi non omnes, tamen multi vestrorum, quos aut per me ipsum agnoscere, aut quorum notitiam, aliis mediantibus, quolibet modo accipere preualui. Causa huius meæ erga vos dilectionis, non retributio percepti, vel spes percipiendi alicuius temporalis commodi fuit: sed ille totius negotij origo, & materies extitit, quem, quia in se non poteram, in vobis talibus officiis excolebam... Venerabar in vobis nouæ institutionis feruorem, laboris instantiam, victus parsimoniam, vestitus vilitatem, & alia innumera monastici instituti sonantia humilitatem.*

a lib. 1. epist. 36.

3. *Amplectebar totius animi brachiis sanctorum exercitia operum, & bonum nominis vestri odorem inhians hauriebam: nec aliquem sinistra de vobis interpretantem pacatus audire valebam. Non eram contentus ista solus de vobis sentire, sed vester prædicator effectus, nostris, & alienis conuersationis vestræ præconia prædicabam, & priuatim, ac publicè multis laudibus, quæ vestra sunt, efferens, etiam auersos ad vestrum amorem multorum animos conuertebam. Et quia per gratiam Dei cum inuidia tabescente iter non habui, dederat ipse efficaciam sermonibus meis, & fratrum nostrorum corda ille, qui facit vtraque vnum, ita vnitate spiritus sui vobis vnierat, vt sicut fide, sic & charitate, iam non duæ, sed vna congregatio credi posset. Instabam ego augendo, & confirmando amori, vt salus, quæ sine charitate seruari non potest illæsa maneret, & signum discipulatus Christi in nostris adpareret, quo suos discipulos ab alienis distinguendos docuit, dicens: [b] In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Gaudebat, vt credo, de concordia nostra ordo cœlestis, & Euangelistæ pacis, pacis spiritus, hominibus bonæ voluntatis collætabantur.* b Ioan. 13.

Sed non tulit inuidus hostis aliorum se diutiùs felicitate torqueri, & inimicus homo, semini diuino, nocturnus superseminauit zizania. Iecit inter nos pomum discordiæ, vt recedente vna, & sola charitate, vniuersa virtutum genera minore labore valeat effugare, & præciso bonorum omnium capite, membra simul omnia cogantur interire. Sic planè, sic fecit, quando ne à vestris decimæ Cluniacensibus fratribus, vel aliis redderentur, & hoc priuilegio Apostolico firmaretur, nescio quibus, quia scio non omnibus, persuasit. Quis enim credat hoc vobis omnibus persuasum? Quis, inquam, credat, semel mundo mortuos, ei iterum viuere velle? Quis credat sanctum Collegium vestrum luxus, & sæculi diuitias pro Christo spreuisse, & nunc pro egestate, sordibus, & miseriis litigare? Sed non debemus, aiunt quidam ex vestris, laborum nostrorum decimas alieni accipere. Parco longissimis, & ex diuinis auctoritatibus congestis responsionibus: quæ epistolari breuitate facile comprehendi non possunt. Hoc tantùm infero, antiquis modernos, Patribus filios, iustitia Ordines subdi, & quod Ecclesiam constat, salua fide, & charitate hactenus tenuisse, periculosum, si mutetur, existere. Patrum temporibus decimas non tantùm laici, sed Ecclesiæ Ecclesiis, Monasteria Monasteriis, & de rusticorum operibus, & de propriis laboribus persoluunt. Si igitur horum metas exceditis, quid nisi maledicis detrahendi occasionem datis? 4.

Sed de lucro res agitur. Quid certè, quod lucrum putatur, vbi & fama læditur, & charitas periclitatur? Nam, vt quod verum est, fratribus, & amicis fatear, hoc vno verbo velut vno iaculo, amicorum pariter, & æmulorum pectora terebastis, & Episcopos, Clericos, Abbates, Monachos, ipsos etiam, ad quos peruenire potuit, laicos aduersus vos vnanimiter concitastis. Nec potuit Satanas nequitia sua vtilius inuenire consilium, quàm vt eos, quos mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, nota cupiditatis inureret, & alios læsionis suæ dolore stimulatos, ab eorum amore reuocaret. 5.

Sed angit nos, inquiunt aliqui vestrorum, paupertas. Et vbi est, quod Dominus ait: [c] Væ illi, per quem scandalum venit? Et iterum: Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vbi est, quod ait Apostolus: [d] Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem? Nonne & hæc vox vestra esse deberet: Non manducabo ex decimis his in æternum, ne fratrem meum scandalizem? Et Apostolus quidem, ni idolothyta manducasse putaretur, hæc dicebat: At vos, quid dicitis, quos, vt saluo fraterno amore loquar, illicita comedere non fert dubietatis opinio, sed iudicij certitudo? 6.

c Matth. 18.

d Colos. 8.

Sed fortè dicitis, hanc scandalorum sententiam nostros magis arguere, qui quod eis superfluit, nolunt pauperioribus erogare. Concedo, quod ditiorum copia aliorum debet inopiam subleuare; sed quis nostrûm, vel vestrûm ditior, an pauperior sit, nec tempus est quærendi, 7.

nec

nec facultas differendi. Hoc tantùm interrogo. Si dirior, non vult pauperiori propria tribuere, pauperior debet ditiori sua auferre? Quis magis videtur iniustus, diues parcus, an pauper violentus? Quis maiori dignus est supplicio, retentor propriorum, an raptor alienorum?

8. *Sed hæc ego, dilectissimi, non amaro animo dico, sed sicut fratres meos charissimos moneo. Nec tantum ad hæc scribenda me coëgerunt lucra decimarum, quam damna animarum. Quæ enim vobis, vel nostris vltra spes in laboribus, quæ in ieiuniis, quæ in vigiliis, quæ in castitate, quæ in eleemosynis, quæ in aliis sacrorum operum exercitiis, remota, vt supra dixi, charitate esse poterit? Quid memorem Apostolica verba, quæ semper mente tenetis?*
e 1. Cor. 13. *Quid replicem, quæ assidue ruminatis? Nostis quid e Apostolus de linguis hominum, & Angelorum, de facultatibus erogatis in pauperes: quid de tradendo corpore, ita vt ardeat, quid ipse Dominus de munere ad al-*
f Math. 5. *tare f oblato, dicat. Hæc ideo breuissime tango, vt cùm ista, quæ digniora sunt, absque charitate nihil esse probantur: reliqua omnia, quæ inferiora sunt, nihil penitus sine illa valere monstretur.*

Et ne diu longioribus epistolis aures sanctitatis vestræ detineam, legatione functus gregis mei, oro, pariter & confido, oro vt supplex, confido vt amicus, vt in causa ista, quæ nunc agitur, decimarum, vobis pariter, & nobis consulatis, vobis ne infamiam, nobis ne violentiam inferatis, & ne nobis, simul ac vobis charitatem, Christianarum animarum vnicum remedium auferatis. Nihil sacer conuentus vester poterit consultius inuenire, quam si charitatem, qua Deus est, inter nos non permittitis interire. Hæc ad Capitulum generale Petrus Mauricius, vt Innocentium à concessa semel gratia, sic Cistercienses ab illius acceptatione, & vsu volens retrahere. Verùm quàm non ex voto illi successerit, sequenti capite commodiùs ostendemus. 9.

---

1. Inconcussum decimarum indultum apud Pontificem, 2. & Cistercienses turbati lecta epistola. 3. Obuiatum rationibus, & stylus incusatus, velut peccans in eo, quod reprehendit. 4. Hinc veteres simultates recrudescentes: 5. quas idem Petrus secunda alia epistola compescere curauit, 6. sed vix potuit.

CAPVT V.

1. DVbium est, an inducias interdicti, quas vsque ad Christi natale Petrus petiuit, ab Innocentio Pontifice impetrauerit: certum nostris decimarum exemptionem inconcussam mansisse, nouis indies indultis confirmandam. Certè cùm Cisterciensibus Ecclesiis vltra consuetum per orbem multiplicatis, ac tot per eas acquisitis possessionibus, quæ nimium possent grauare Parochiales, maximè si exemptio continuaretur, cùm, inquam, limitari indiguit hac occasione, post octuaginta annos, plus minusve, nempe in Concilio generali Lateranensi, sub Innocentio tertio celebrato, nequaquam tamen de acquisitis hactenus terris, decimas soluere iussi reperiuntur, sed tantùm de acquirendis ex illa die: idque non sine multis limitationibus, de quibus suo loco erit dicendum.

2. At Cistercienses, epistola suscepta, lectaque, atque eius clausulis inuicem collatis, quamuis humiles essent, quamuis Sancti, quæ est mortalis vitæ conditio, turbati animis, singula, dum legebant, auersabantur, dum perlegebant, etiam exaggerabant. Nam cùm soli Cluniacenses, inter omnes, nouo Cisterciensium indulto sese opponerent, quos potiùs solos in illo comprehensos, ipsi fecissent cæteris æquales? Cur soli fratres fratres impugnarent, atque aliis patienter sustinentibus, ipsi soli impatientiam instillarent? Soli præirent? Cur Cistercienses, cunctis aliàs acceptos, dum prædicant inuisos, etiam facerent? Et nouo, ac exquisito consilij genere, quæ vellent fieri, vel vt facta fingant, velut exemplo efficaciùs successura? Se vt plurimum incultas hactenus terras, eoque nulli proficuas accepisse, quas subactas aratro sua industria sine alicuius iniuria immunes habeant, ipsis cessantibus, nulli profuturas. An oculus aliorum nequam esset, quia ipsi boni? An alij pauperes sine vllo decremento, quod incrementum per ipsos non perciperent? Quid si eis a labore cessantibus, nullæ aliorum locorum subsistant decimæ? Quid si solutæ, solutos ita depauperent, vt ab ipsis indigeant sustentari.

3. Iam si decimæ ex proprio labore non solutæ pro ingentibus diuitiis computentur, quam sibi in earum exemptionem culpam imponi, queis nec potentibus, & fortè recusantibus, à Summo fuerint Pontifice indultæ? Ipsum totius Ecclesiæ supremum caput pro tempore, pro loco, pro circunstantiis influxum suum in membra temperare: membris tantum incumbere, obedire, & nec influxui reniti, nec abuti. Quæ in hoc auaritia? Quod scandalum? aut quis defectus mutuæ dilectionis? Quin si aliquatenus charitas turbanda, ea epistola inter omnes turbatum iri, dum non solùm Episcopos, Abbates, Clericos, Monachos, in Cistercienses armat, sed & ipsum etiam Cistercium inter se diuidit, quosdam pro priuilegio inducens, & quosdam contra, quasi diuisos arguens in hoc ipso. Atque eo odiosius reddens priuilegium, quod vel ab ipsis percepturis fructum, reprobaretur.

Hinc simultates antiquæ recruduere, zelanti-
bus vtrisque pro suo Ordine, &, vt in his desidiis 4.
plerumque solet, Sanctorum zelo, qui semper syncerus est, mixta aliquorum paucorum æmulatione. Certè nostros decimarum exemtione, multorum in se odia prouocasse probauit euentus: atque ex epistola Ricardi Cantuariensis, ex Cistercio vocati, vt multi putant, suo loco latiùs demonstrabimus. Cæterùm Petrus, ne ex illis videretur, qui magis contentioni indulgent, quàm charitati, comperta Cisterciensium, quos summè venerabatur, ex suis litteris orta turbatione, sequenti anno conueniendos sibi putauit, noua epistola, satisfactoria quidem, amicaque, quam, ne hanc partem historiæ iterum diuidam, per anticipationem subiungam, quæ sic habet.

a Charissimis, & venerabilibus fratribus in Christi
nomine apud Cistercium congregatis, Frater Petrus hu- 5.
milis Cluniacensium Abbas, salutem ob quam conuenerunt æternam. Relatum mihi est a pluribus, quod litteræ, quas præterito anno charitati vestræ mea humilitas destinauit, quosdam vestrorum læserint, & à stabilitate, non iam nouitiæ, sed antiquæ dilectionis, eorum animos paulum commouerint. Quæ postquam didici, ferre non valui, vt tanta tandiu inter nos habita charitatis dulcedo, quibuslibet occasionibus, vel in modico amaresceat. Vnde iterato præsentem epistolam mitto, vt si ita est, vt audiui, læsioni. a lib. 1. epist. 37.

læsioni quam prima intulit, sequens medeatur, & glutino sancti Spiritus diuersa coniungente, quantalibet nostrarum scissura mentium vniatur. Viderint primæ illius epistolæ lectores, quo eam spiritu legerint, quo sensum eius interpretati sint. Noui ego me, quod tamen sine fastu aliquo dictum accipite, non superbiæ, sed humilitatis, non discordiæ, sed pacis in dictando spiritum habuisse, & teste eo, quem fallere non possum, charitati, quam in cordibus nostrorum, decimarum illarum occasione, periclitari videbam, eo modo prouidere voluisse. Et quia: [b] *Væ peccatori, terram ingredienti duabus viis, dicitur, nolui* b Ecclesi. 2.
c Psalm. 11. *iuxta* [c] *Prophetam in corde, & corde loqui, nec coram amicis, inter quos omnia nuda esse debent, duplicitatis velamine cor velare: vt dum nodum sine tegmine sapientia vestra videret, communi congregatorum consilio, ad dissoluendum efficacius laboraret. Hæc tota fuit causa scribendi, quæ si tunc ignota, aliquos scandalizare potuit, nunc saltim me manifestante retecta, opto, & precor, vt fratribus charissimis ad plenum satisfacere possit. Quiesco enim, & quiescam in vobis, delector, & delectabor in vobis, etiam læsus, non discedam a vobis. Quod tamen tantopere cupio seruare vobis, seruate nihilominus & nostris, & vobis.* Hæc beatus Petrus ad Capitulum congregatum sequenti anno. Verùm quod ait, se etiam læsum, à Cisterciensibus nequaquam discessurum, manifestè denotat inefficaciam earum litterarum, quas hoc anno ad Pontificem scripserat. Abbas si decimarum exemptionem reuocari obtinuisset, aut derogari, ipsi potius ab eo læsi essent, quàm è conuerso.

His sancti viri litteris susceptis, humiliores, atque adhuc amantiores, parentem Stephanum, & Coabbates eius reddidisse credendum est, vt qui nil magis optabant, quàm fratribus, quos synceré diligebant, vero mutuæ charitatis vniri glutino, Petro præcipuè, quem fautorem, quem Patrem semper habuerant, & quem beneficum quotidie experiebantur. Verum est tamen, quod dissidij occasiones inter collegia, facilius non spargas, quàm cohibeas, zelo in aliquibus, pro diuersitate subiectorum, declinante in inuidiam, inuidia etiam in odium prorumpente, quibus eo difficilior medicina, quo morbus occultior, nempe per obtentum boni communis, & zeli spiritualis, palliato damno, quin & crescere aliquando iusso, quasi honesto. Sanè Gigniaco semel conceptus dolor, quantumlibet tunc pressus, altiùs hæsit, quo detentior, violentiùs proruptorus, etiam vsque ad iniurias, & violentias, vt pòst videbimus. Nunc ad Bernardum Patrem redeamus, Genuam missum, dum Innocentius Pisas adpropinquaret. 6.

---

1. Ianuensium in Bernardum mirus adfectus, promptaque obedientia. 2. sancti Patris epistola ad eosdem: 3. in quorum etiam Pontificem electus. 4. recusanit modestè, 5. Clarevallensium pro Bernardo solicitudo 6. Ianuenses Sanctum reconueniunt, voto ad ipsum concepto, hoc nostro sæculo: 7. atque eius fidem, & opem experiuntur.

CAPVT VI.

1. LOnga dissidia turbabant vtramque gentem, Ianuenses nimirum, Pisanosque, & dum vel leuium ab vtrisque offensionum vindicta quæritur, maiores obortæ, primò in querelas, & iurgia, mox in odia, demum in publica bella transiere. Et iam res agebatur, ferro, & igne, ac velut si publicos hostes persequerentur, neutri à cædibus abstinebant, neutri a rapinis. Quin & se inuicem redigebant in seruitutem, carceribus indigne mancipantes, quoscumque ceperant. Et Ianuenses prosperiori tunc fortuna, ac maiori potentia, eoque tardiores ad pacem sperabantur. Cum ecce missus Bernardus ab Innocentio feroces animos in momento compescuit, in instanti sedauit, quæcumque iubeat, promptè exequuturos. Nulla ibi cunctatio, nulla mora: venit, vidit, vicit, & solo aspectu debellauit, quæcumque voluit. Delatum Innocentio Papæ est, atque Pisanis pactis interuenturis. Quominus pax ibidem firmaretur, Ianuensibus Bernardo obtemperantibus, & submittentibus, seipsos eius arbitrio, alterius tantùm partis absentia fuit. Hinc factum est, vt qui Legatus pro negotio pacis venerat, vix de pace tractaret, impetrata pene ante, quam proposita. Sed breue tempus, quo illic moram fecit, prædicationi verbi potiùs dedit, eo feruentiùs animarum salutem euangelizans, quo auidius a cunctis audiebatur, quo fructuosiùs.

2. Iam qua veneratione susceptus sit, quo in honore, cultum præ se ferente, vel viuus habitus, non aliunde conuenientius hauriamus, quam ab eiusdem Sancti post annum licet, ad eos scripta epistola gratulatoria quidem, & confirmatoria in incepto [illegible] h[illegible].

d epist. 129. [d] *Ianuensibus suis Consulibus, cum Consiliariis, & ciuibus vniuersis, Bernardus Abbas dictus de Claravalle, pacem, & salutem, & vitam æternam. Quod aduentus noster ad vos anno præterito non fuerit otiosus, Ecclesia paulo post in sua necessitate probauit, à qua & missi fueramus. Honorificè nos & suscepistis, & tenuistis, exiguum, quod apud vos fuimus, [illegible] quidem dignè vobis, sed supra nostræ humilitatis modum. Profectò vt non immemores, sic non ingrati sumus. Vicem rependat, qui potest, & qui in causa fuit, Deus. Nos enim vnde illum recompensemus venerationis cultum, sed obsequium, sed adfectum plenum amoris, & gratiæ. Non quod nostro delectemur fauore, sed vestræ deuotioni collætamur. O mihi dies illos festiuos, sed paucos. In æternum non obliuiscar tui, plebs deuota, honorabilis gens, ciuitas illustris. Vespere, & mane, & meridie (more vtique Prophetæ) narrabam, & enunciabam, & erat tanta audiendi auiditas, quanta & audientium charitas. Portabamus verbum pacis, cumque inuenissemus filios pacis, requieuit super eos pax nostra. Exieram sanè seminare semen, non meum, sed Dei, & cadens in terram bonam semen bonum fructum fecit centuplum, & tempestiuum. Mira celeritas, quia magna necessitas. Nec tarditatem passus sum, neque difficultatem. Vna penè die & serens, & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis. Hæc quippe messis, quam messui, exulibus, & captiuis, compeditis, & incarceratis, euadendi, atque repatriandi lætam reportauimus spem, metum hostibus, confusionem schismaticis, gloriam Ecclesiæ, orbi lætitiam. Et nunc quid restat, charissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus... Seruate proinde vos pacem fratribus vestris Pisanis, fidem Domino Papæ, fidelitatem Regi, vobis honorem.* Hactenus Bernardus Pater ad Ianuenses.

Qui quasi minus adfectum expressissent in sanctum virum, à quo nunquam, si possent, diuellerentur, 3.

rentur, quem sola fama in Pastorem sibi asciuerant, propiùs agnitum ardentiùs optauere, suæ Ecclesiæ, ni renuat, præficiendum. Cedente, aut promouendo Syro, quem loco eius suffectum superiùs diximus, in dubio est. Et fortè sede in Archiepiscopalem sublimanda, quod Bernardi interuentu ab Innocentio factum infrà notabimus, cedere dignitati paratus fuit, quo genua potiretur tanto parente.

4. Vtcumqoe factum, votum denuo irritum fecit constantia Sancti, nullis vnquam flectenda dignitatibus, nullis honoribus, & prouida filiorum suorum solicitudo, quã à Summo Pontifice impetrauerant (fortè cùm hospitem habuerunt in Claravalle) ne vnquam Pater a filiis diuelli posset, etiam si ab aliis Ecclesiis eligeretur. Bernardum hæc disserentem audiamus. [d] *Omnibus his vocationibus postpositis, non solicitares animam eius honor oblatus, nec motus est pes eius, vt inclinauit se ad gloriam, nec magis eum delectabat tiara, & annulus, quam rastrum, & sarculus. Petentibus se, nec annuens aliquando, nec insolenter, aut improbè renuens, dicebat, se non esse suum, sed aliorum seruitio deputatum.*

lib. 2. c. 4.

5. *Quare, cùm ferretur ad fratres, respondebant. Nos omnibus, quæ possidebamus, venditis, inuentam pretiosam margaritam comparauimus: ad patrimonia distracta redire non possumus. Quod si & pretium, & adpretiatum nobis perierit, & substantia, & margarita priuati fuerimus, expectationi nostræ malè prouisum est, si oleo nostro effuso, clausis ianuis sicut fatui mendicemus. Prouiderant etiam sibi ex consilio sanctissimi fratres, & Domini Papæ auctoritate muniti erant, ne quis gaudium suum tollere posset ab eis, & aliorum consolatio eis fieret tribulatio, aut eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet.* Hactenus Abbas Bernardus de Bernardo, & cauta prouidentia Clareuallensium.

6. At Ianuenses (nam & id obiter dicam) ea verba Patris sancti, in æternum non obliuiscar tui, plebs fidelis, adeò sibi firma esse consueuerunt, imò & experti sunt, vt etiam post quingentos ferè annos, Christi nimirum millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vix septem elapsis ab eo, quo hæc scribimus, cùm excellẽtissimum Principem Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, quem hostem patiebantur nimis infensum, ditionis suæ oppida vastare, & sibi iam imminere, vix quinto ab vrbe lapide, conspicerent; omni humano auxilio desperato, fidem sanctissimi Patris interpellauerint, concepto voto post alia in hunc tenorem. *Post hæc inter Diuos reipublicæ nostræ tutelares, Diuum Bernardum, qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non obliuiscendum, suis litteris spopondit, adscribere, & commemorare promittimus, & vouemus diem eius festum celebrare, & a populis nostris, & a Clero, accedente illustrissimi Archiepiscopi, & reuerendissimorum Episcoporum consensu, celebrari curare. In hac Ecclesia maiori, vel in alia arbitrio nostro, capellam eidem dicatam construere. Eadem die Diui Bernardi quotannis in perpetuum solemnem processionem fieri, & sacrum solenne ad eius altare, nobis piè assistentibus, celebrari facere.*

Et demum manu Ducis, interdicti sacri solennia singulis annis in perpetuũ, & pro hoc anno, duodecim puellis, vt vocant, dotes, scilicet libras centum vnicuique earum persoluere. In cuius rei testimonium has ab infrascripto nostro Secretario publicè lectas recipi, & subscribi, & signo nostro muniri iubemus. Datas in Ecclesia Cathedrali, die Dominica vigesima quinta Aprilis, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti.

Hæc Ianuenses, instante ruina suæ reipublicæ. 7.
At quàm ex voto id votum eis successerit, non multo pòst euentus demonstrauit. Nam Pater sanctus, dilato solùm auxilio, quoadusque ipsius esse comprobaretur, in ipsa solennitatis suæ vigilia, Hispana classe auxiliari propitius adfuit, hostiles copias ocyùs fugaturus. Nec quisquam in populosa vrbe fuit, qui non Bernardi cognosceret tutelam, præsentem Sanctum, cui beneficium acceptum, reddendum foret. Hæc obiter epistolæ occasione, suis temporibus latiùs commemoranda. Quin & addiderim huius beneficij memoriam recentem adhuc, non tantùm Genuæ, sed vbique etiam terrarum Ianuensibus festiuam, atque deuotam. Certè in Hispania in Curia Regis Catholici, ob negotia frequentes, anniuersariam Sancti festiuitatem deuoti celebrant, simul & liberales, in ipso Cœnobij sui templo, per annos singulos. Cuius nos etiam oculares testes fuimus, dum pro alma Salmanticensi Academia, ad potentissimum Hispaniarum Regem, Legatum ageremus anno præterito. Sed de his satis.

---

1. Cardinalis Martini legatia, 2. Institutio Ecclesiæ sancti Lupi apud Trecas, per Cistercienses, 3. quibus item eiusdem, & Ecclesiæ sancti Martini mandata cura. 4. Hugonis in Episcopum promotio, 5. cui succedit Guicardus, 6. zelus viri pro Ecclesiæ susceptæ iuribus, 7. sed constans non proteruus. 8. Ianuensium, Pisanorumque per Innocentium Papam erectæ Metropoles. 9. Senioris Petri Tarantasiensis mors. 10. Consultatio Brunonis recèns electi, 11. & Bernardi responsio.

Capvt VII.

1. HOc eodem anno Martinus Cardinalis, quem simul cum Balduino in Synodo Claramontana creatum diximus, ab Innocentio Papa in Daniam mittitur, confirmaturus Prouinciam vero Pontifici, & res Ecclesiæ in ea reformaturus. Quod quos, quàm fideliter, quàm purè, præter, aut contra mores illius temporis executus, Apostolicæ legationis numeros expleuerit, sequenti anno, quo ex legatione rediit, ex parente Bernardo referemus.

2. Nec longè pòst, vt multum differamus, ad instantiam Aronis Trecensis Præsidis, & Theobaldi Comitis, venerabilis Hugo Abbas Pontigniaci, & Andreas de Baldimonte, Monachus, vt coniector, Claræuallis, Abbate sancto detento per Pontificem, Ecclesiam sancti Lupi Trecensis instituerunt sancti Augustini, in ea statuentes leges, & instituta, & subiecerunt Abbati sancti Martini, quoadusque adeò personis, & rebus cresceret, vt proprium posset, deberetque habere pastorẽ. Extat de his rescriptum Innocentij confirmatorium, in quo hæc inter alia commemorantur. [a] *Quod à dilectis filiis nostris Hugone Pontigniacensi Abbate, & Andrea de Baldimonte religiosis, atque prudentibus, pia solicitudine, & Deo placente, ac rationabili dispositione, de institutione vestra Ecclesiæ factũ est, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina cõmunimus.*

a in Miscel. Nicolai, Camerarij fol. mihi 305.

Addit verò Pontifex clausulam singularem, & pro diuersi Ordinis Cœnobiis inusitatam. 3.
Quòd si vtraque Ecclesia (sancti Martini nimirum, & S. Lupi, quas deinceps fraterna charitatis vnione coniunctas statuit) aliquando peccatis exigẽtibus, adeò fuerit dissoluta,

vt alicui eorum per alteram in reformanda religione nequeat subueniri: tunc ad Clarevallensem, & Pontigniacensem Abbates, qui pro tempore fuerint, recurratur, vt per alterum eorum, vel etiam per vtrumque, quod in eodem Ecclesia perperam gestum est, ad debitum statum, & ordinem reducatur. Hactenus Pontifex de visitatione. Sed quod miteris, etiam de Prælato. *Quod etiam* (subdit) *de Abbatis electione erit nihilominus obseruandum, si fortè (quod absit) in eisdem Ecclesiis, ad tantum regimen nemo idoneus inueniri possit.* Hæc Innocentius, nouo quod hactenus legerim exemplo: vt Monachi quasi iure ordinario designentur, Canonicis regularibus præfuturi. Dixi autem de Andrea de Baldimontio, coniectari me assumptum ex Claravalle, Bernardi Patris absentiam suppleturum, vt reformatio respondeat formationi (sicut in Pontigniaco) nec aliunde hæc petatur, aliunde illa.

4 Eodem anno, si bene refert Baronius acta Innocentij (nam sunt, qui rem ad quartum vsque differant) Antisiodorensi sede vacante per mortem venerabilis Hugonis sancti Germani, Cisterciensi familiæ valdè addicti, cuius superiùs fecimus mentionem; is, de quo hactenus, Hugo Pontigniacensis, inter primores sanctitate, & doctrina totius Galliæ, in defuncti locum substituitur, primus ex Cistercio adsumptus ad Episcopium, quartus ad infulas. Nam Petrus in Archiepiscopum promotus, Balduinus, & Martinus in Cardinales. De hujus sancti viri promotione, & diuina visione antecedente, licèt post quatuor, vt dixi, annos relata, Chronicon Antisiodorẽse hæc habet verba. *Anno M. CXXXVI. defunctus est sanctæ memoriæ dominus Hugo. Huic in episcopatu successit alter Hugo Pontigniaci primus Abbas, vir in sacra religione feruens, & strenuus. Et licèt iuxta propositum Ordinis sui mira esset patientia, in Ecclesia tamen hostes districtus erat executor iustitiæ. Hic nocte in ea, qua in crastinũ electus est in Antisiodorensem Episcopum, vidit in somnis, quòd mater sua sibi esset nuptiali fœdere copulanda. qui cùm in Senonensi Ecclesia, propter suspensionem Henrici Metropolitani, locum consecrationis non haberet, apud Ferrariam Monasterium a Domino Gaufredo Carnotensi Episcopo consecratus est.* Hæc ex Chronico Ecclesiæ Antisiodori: cui satis consonat, quod attinet ad tempus, fundatio Rupium, tertij Cisterciensis Cœnobium, quod refertur constructum ab Hugone, nostri Pontigniacensis antecessore, anno millesimo centesimo trigesimo sexto, vt suo loco dicemus, vt satis adhuc dubia ratio temporis, & satius sit in dubio relinquere. quam tamen, cur adscripserim huic anno, ex statim dicẽdis apparebit.

5. Beato Hugone promoto Antisiodorum, Pontigniacensis Ecclesia sponso vidua Stephani parentis curam solicitauit. Ergo deserto gregi pastorem prouidẽs, pro Hugone Guicardum substituit, Sanctum pro Sancto, nec Pontigniaci tandem consummandum: quippe ascensurum ad sedem Lugdunensem post annos aliquot, fatali illius domus priuilegio, toto illo sæculo Pontifices daturæ in maioribus Ecclesiis totius Galliæ, quod ipsa historiæ series demonstrabit. Index Claudianus Guidonem quendam ponit inter vtrumque, qui post Hugonem Guicardum antecesserit; cuius epistolam extare apud Sugerium *n.* 135. etiam affirmat. Ego G. littera, pro more illius æui subscripta loco nominis, Guidonem, pro Guicardo substitutum à transcribentibus facili errore credo, indeque auctum Pontigniacensium Abbatum numerũ, cùm aliàs in Catalogo eorundẽ, quin in Martyrologio, & in sepulchris, neque Guido nominatur, neque Guicardus tertius, sed secundus, & sic alij post ipsũ successiuè tertius, quartus, & quintus recenseãtur.

6. Vix Hugo ad Altisiodorensem Ecclesiam promotus fuerat, cùm Ato Trecensium Episcopus in Monasterio Charitatis, quod ad Congregationem Cluniacensem, & diœcesim Altisiodorensem pertinebat, ipso planè inconsulto, ad petitionem Petri venerabilis, Ordines celebrat, substomachatus zelum dignitatis susceptæ præ se tulit. Extat epistola Petri venerabilis ad eumdem Atonem super his scribentis in hunc tenorem. [b] *Mandastis quid de Ordinibus apud Charitatem factis, nouo homini noua verba loquenti respondere deberetis.* Et infrà. *Durandum est idcirco, & nouitatis leuitas constanter ferenda: quia qui adhuc recenti spiritu feruens, putat omnia sibi licere, cum exhausto pectore nihil poterit, discet nunc loquax quandoque silere. Proferentur suo tempore, noua loquenti, de thesauro Romano gaza priuilegia noua & vetera: quibus vt Monachi Cluniacenses, a quo maluerint Catholico Episcopo sacros Ordines suscipiant, Apostolica auctoritate decernitur, & omnis contradicens, nisi admonitus resipuerit, anathematis vinculo innodatur. Misissem sanctitati vestræ exemplaria eorum, sed quia ille, de quo agitur, nostrum se amicum huc vsque aut exhibuit, aut dixit, non est lædendus amor: qui si est, apparebit: si non est, non latebit. Ea propter proposui ei scribere, & de his alterum experiri. Qui si amator est, amici gratia querelam deponet: si non, non vobiscum, sed nobiscum de his aget. Non est iustum, vt de re, quam nec vobis, nec pro vobis, sed nobis, & pro nobis fecistis, aliquid molestiæ sine nobis sentiatis. Ero ipse scutum vestrum, quo protectus aut iacula immissa ab hoste non sentietis, aut nisi me transfixo, sentire non poteritis.* Hactenus Petrus. Nec nostrũ est de verbis sancti viri iudicium ferre, nisi quòd tamen mitiora fortè decuissent.

b lib. 2. epist. 33.

7. Illud compertum, zelantem pro suo munere, & nihil aliud intendentem, quàm Dei gloriam, cuicumque honesto titulo cessisse, pacatumque, siue priuilegiorum firmitati, quæ, vt verũ fatear, in casu minus clara, seu personarum grauitati detulerit, vt qui obseruare iura certa vellet, non litigare. Nam subdit Petrus. *Sed ecce dum hæc paro, velut futuræ litis diremptor, nuntius interuenit, & rem de qua agebam, pacis transactione, iudiciis exemptam retulit. Dixit, Trecensi cum Antisiodorẽsi Episcopo de pace conuenisse, & post collatam de re iam dicta quæstionem, omnium sopita simultate, pacificè ab inuicem recessisse. Quæ vtrùm sic se habeant, rescribite.* Porrò Atonis rescriptum ita habet. [c] *Mandastis, vt vobis rescriberẽ de Abbate Pontigniacensi, vel Episcopo Antisiodorensi, quid de Ordinibus apud Charitatem factis, sentirem: vel si sermonem rigidum alicuius consilij malleo domuissem. Dixistis, vos scutum meum esse, quo protectus, aut iacula immissa ab hoste non sentirem, aut sine vobis transfixo, sentire non possem. Volo gratias reddere, sed munus gratiã transcendit, & ideo lingua à gratiarum actione quiescit: veruntamen homo ille, sicut vos audistis, ante bellum arma deposuit, & qui se sibi leonem reddiderat, ad nos se agnum mansuetissimum destinauit, & ante tempestatem, nauem submergens, quidquid erat querela, in pace dimisit.* Hæc in præsenti notanda esse putaui, ne quid omitterem. quin & vt zelus Hugonis, constantiaque, sed nihilominus animi ingenuitas nequaquam in proteruiam inclinans cognosceretur.

c epist. 35.

8. Interim Innocẽtius, firmata pace Ianuensiũ cum Pisanis, quã ad ipsius, & Bernardi Patris arbitriũ, ex cõdicto fideles cõposuerunt, atque vtrosque expertus obsequentissimos, vtrosque etiã priuilegiis remunerauit, creata in Metropolim vtriusque vrbis Ecclesia, atque assignatis vtrique suffraganeis, quod ex eiusdẽ Põtificis actis Cardinalis Baronius refert in hũc modũ. [d] *Attendens ergo beatus Pontifex*

d ad hunc an.

filialem

filialem deuotionem, & plurima opportuna obsequia quæ in multis Ecclesiæ necessitatibus prædictæ Ecclesiæ (scilicet Ianuensis & Pisana) Romanis Pontificibus exhibuerant, eas honorare dignum duxit, & speciali prærogatiua exaltare de consuetudine Apostolicæ sedis. Igitur Præsulatum Ecclesiæ Pisanæ concessit super Sardiniæ insulam, subiiciens ei & Populoniæ Episcopum, & tres alios Episcopos insulæ Corsicæ. Genuensem verò Episcopum à subiectione Mediolanensis Episcopi emancipauit, & specialem de nouo Metropolitanum constituit, cui Bobiensem Episcopum, & Pontigniacensem Abbatem, quem creauit Episcopum (scilicet Antisiodorensem) obedire præcepit. In eadem quoque Corsica insula tres Episcopos eidem nihilominus concessit. Hactenus acta. Ex quibus planè videas Hugonis Pontigniacensis Pontificatum nequaquam differendum vltra hunc annum.

9. Ad eumdem etiam pertinere credo, aut certè non ab eo multum distare, pretiosam mortem sanctissimi Pontificis Petri Archiepiscopi Tarantasiensis, quem post correctos mores Cleri, & populi, post adauctas suæ Ecclesiæ possessiones, post sacra ornamenta, & vasa multiplicata, demum post implera omnia munia veri pastoris, diuina largitas in cœlis coronatum, in terris etiam per mira- e in vit. S. Pet. c. 4. cula illustrauit. [e] *Virum vtique* (vt Gaufridus Abbas loquitur) *verè Deo dignum, in vita sua optimis prædiorum studiis, & post mortem, vt aiunt, pluribus fideliter accedentibus ad sepulchrum ipsius ægrotantibus, confe-* f in Catal. SS. Ord. *rentem sanitatem.* [f] Seguinus in vita etiam clarum miraculis, æquè ac virtutibus virum sanctum prædicat. Henriquez Menologio suo inseruit ad vigesimam nonam diem mensis Iunij. Hæc de sanctissimi viri felici obitu. Cui dissimilem valdè successorem contigisse produnt historiæ, dilapidantem, quæ ipse congregauerat, & quæ fornauerat, corrumpentem, atque fœdantem. Cui tamen qualiter Petrus alter Cisterciensis, qui nunc nimirum Stamediensis Abbas, successor datus, eadem omnia in melius reformauerit, ingenti illius, & vniuersalis Ecclesiæ bono, dicemus in tempore.

10. Cæterùm quod ad res huius anni attinet, non tacendum in historia Cistercij propria, id quod vel in generali totius Ecclesiæ censuit Cardinalis Baronius memoria dignum: Friderico Archiepiscopo Coloniensi per mortem rapto, non sine ingenti mœrore nostræ familiæ, cui se in primis addictum, multis collatis beneficiis, semper ostenderat, Brunonem successorem designatum, consuluisse Bernardum, an acceptaret, non aliter promotioni consensurum. Extat rescriptum Bernardi Patris ad ipsum sub hoc initio. [g] *Quæris à me consilium, vir* g epist. 8. *illustris Bruno, an volentibus te promouere ad Episcopatum, acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitã vocat, quis audeat dissuadere? forte non vocat, quis adpropinquare consulat? Vtrùm verò vocatio Dei sit, an non, quis scire possit, excepto spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui fortè reuelauerit ipse? Magis quoque dubium reddit consilium illa in litteris tuis humilis, sed terribilis confessio, qua vitam tuam tam grauiter, &, vt credo, non nisi veraciter accusas.* Hæc, & alia Bernardus in ea epistola, lectu quidem dignissima, & tanti Patris zelo, & veritate.

Consuluit tamen, quia ipse dubius erat, consu- 11. lere Norbertum, ingentis gloriæ virum, quem præsentem de statu suo meliùs instruere, & cui doctiori, sanctiorique multo magis fidendum, quàm sibi ipsi. *Habetis* (inquit) *dominum Norbertum, quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tanto vir ille in diuinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto & Deo propior esse cognoscitur.* Ita Sanctus in fine illius epistolæ. Cæterùm in sequenti, quam ad eumdem consecratum iam (haud dubium quin ex consilio Norberti) scripsit, liberiùs adhuc, constantiusque virum impellit, per spem, per metum in officio plenè cõfirmans. [h] *Si cuncti* h epist. 9. (inquit) *qui vocantur ad ministerium, constat eligi ad regnum profectò securus est Coloniensis Archiepiscopus. Quòd si etiam, & Saulem in regno, & Iudam in sacerdotio legitur elegisse, non alius, quàm ipse Deus, & non potest solui Scriptura, quæ hoc asserit, timeat necesse est, Coloniensis Archiepiscopus. Si verò, quod verum est, & illa sententia hodie quoque viget,* [i] *quia non multos no-* i 1. Cor. 1. *biles, non multos potentes, non multos sapientes elegit Deus: nunc quidem triplicem etiam habet timendi causam Coloniensis Archiepiscopus.* Hac constantia Bernardus Ecclesiæ Principes, hac veritate in bono confirmabat. Hic idem ipse Bruno Coloniensis, ad quem iam dudum de Adam Monacho scripserat, ab Arnaldo seducto, cùm vterque è Morimundo egressi, diuagarentur.

---

1. Chronologia, & distinctio Monasteriorum. 2. Vallcellarum initia: 3. nominis etymon dubium, & situs loci. 4. Eius apud auctores probatos mentio frequens. Primus Abbas Radulfus, qui Sanctus fuit, 6. Primordia Fontiũ; 7. & litteræ Bernardi ad primos incolas: 8 itemque ad Trustinũ Eboracensem.

CAPVT VIII.

1. CLaudat annum ex more Chronologia Ecclesiarum augentium Cistercij numerum, quæ ita habet.

Anno M. CXXXII. quinto Kalendas Maij, fundata est Abbatia Carreriæ.

Eodem anno, sexto Kalendas Iunij, Abbatia de sancto Benedicto.

Eodem anno, decimo secundo Kalendas Augusti, Abbatia de Relech.

Eodem anno, septimo Kalendas Augusti, Abbatia de Vallcellis.

Eodem anno, tertio Kalendas Augusti, Abbatia sancti Ioannis de Tarouca in Portogallia.

Eodem anno, decimo quinto Kalendas Nouembris, Abbatia Sancti loci.

Eodem anno, quinto Idus Nouembris, Abbatia Portensis in Thementia.

Eodem anno, quarto Idus Nouembris, Abbatia de Fontanis in Turonia, aliàs de Fontanis albis.

Eodem anno, tertio Kalendas Decembris, Abbatia de Roseriis, aliàs de Foseriis.

Eodem anno, octauo Idus Decembris, Abbatia de Maceriis.

Eodem anno, sexto Kalendas Ianuarij, Abbatia de Fontibus Angliæ.

Eodem anno, Kalendas Ianuarij, Abbatia de Villari.

Eodem anno, pridie Nonas Ianuarij, Abbatia de Vallibus. Hæc Chronologia. Ex his Carreria (*Carretiam* alij dicunt) & de Fontanis albis, Sabigniaci filias, in proprium locum veniunt reseruandæ. Omittenda Tarouca, quia iam dicta: siue sub nigro habitu inceperit, siue ab initio Cisterciẽsis, vt Brito [a] pla- a lib. 5. c. 25. cet: Relech, & Sancti loci penè ignotæ, nisi quòd illa de Reliquiis aliàs dicta, atque item Gerbétum in diœcesi Leonensi, Bergardi filia: hæc matre dubia, altera Claræuallis lineam auget; Cistercij al-

tera. Claudius Robertus, sanctum locum olim, nunc septem fontes, in diœcesi Eduensi in Borbonio constructum tradit ab VVicardo, & VVillelmo de Borbon, quod etiam constat ex Bulla Adriani IV. data anno M. C L V I. Sed an eadem domus cum illa, quæ notatur in Chronologia, aliorum linquo iudicio discernendum. Reliquas breuiter ex more transcurremus. Primò autem Vallcellas, Fontesque, vtramque Claræuallis filiam, illam in Belgio, hanc in Anglia, insignes domos.

2. Et quidem Vallcellensis Abbatiæ Initia, vt Miræus ait, [b] non aliunde certius hausetimus, quàm ex appendice à Vallcellensibus addita ad Sigeberti manuscriptum Chronicon, quod olim Abrahamij Ortelij fuit, nunc in Bibliotheca Societatis IESV Antuerpianæ seruatur. Eius hæc sunt verba. *Anno millesimo centesimo trigesimo primo, inceptum est Monasterium sanctæ Mariæ Vallcellensis Ecclesiæ. Anno millesimo centesimo trigesimo secundo venit conuentus Monachorum cum Abbate suo, nomine Radulfo, de Claravalle ad hunc locum, qui vocatur Vallcellæ, die prima Kalendas Augusti, qua die celebratur festiuitas sancti Petri ad Vincula. Hic Radulfus primus Abbas huius Cœnobij de Anglia oriundus, vita, moribus, & feruore religionis omnibus exemplo fuit. Hos adduxit beata memoria sanctus Bernardus primus Abbas Claræuallensis Cœnobij.* Hactenus Aubertus Miræus ex appendice.

b in Chron.

3. Addit [c] Henriquez in eodem Monasterio quingentos Monachos sub instituto Cisterciensi degentes simul inuentos: vnde & Vallis cellarum nomen habuit, à multitudine, sed non prolato auctore, vnde id hauserit, vacillat fides, & nomen à principio loco impositum, ægrè ad augmentum futurum referri valet: nisi ad prophetiæ donum confugiamus, quod de facili nunquam admittendum. Cœnobium in Cameracensi diœcesi, secundo à Cameraco lapide situm, vbi hodieque illustre perseuerat. Memoratur in libris Cameræ Apostolicæ, taxatum florenis C X X V.

c in not. ad Menol. litt. O. Ianuar. 1.

4. Vallcellensis Cœnobij mentio non obscura in Bernardi [d] epistolis, [e] Ioanne Sarisuetiensi, Thoma [f] Cantipatrano, & aliis pluribus: nec obscurior in litteris Apostolicis Innocentij, Honoriique Pontificum, vtriusque tertij, variis tum legationibus, tum causis eius Abbatibus pro tempore commissis, & variis item indultis priuilegiis, de quibus infrà. Sed clarior multo in libro æternæ vitæ, præter Monachos, Conuersosque non paucos, Abbatibus, continuata serie per plures annos, in numerum Sanctorum adscribendis, vt suis locis videbimus.

d Bern. epist. 186.
e Cantip. l. 1. c. 10. n. 5. & l. 2. c. 26. n. 2.
f not. ad eius epist. in Biblioth. Colon. tom. 12.

5. Horum primus Radulphus, natione Anglus, patriâ de Meistona, honestis, & diuitibus parentibus in sæculo natus, & sacris litteris non mediocriter imbutus, Sacerdos ante conuersionem Ecclesiam rexerat. Sunt, qui & Abbatē sancti Ebrulfi faciant, quibus Robertus de Monte auctor existit. Inde, orta occasione, cùm in Apuliá migrasset, per Claramvallem in patriam suam rediens, terrena omissa, ad feliciorem, & æternam iter conuertit, sub sancto Patre Bernardo militaturus. Virtutum eius idem acclamator, & fideiussor fideiussionis nō leue indicium dedit, cùm tertio à professione mense præfecit virum in Abbatem nouellæ domui, quippe Prælatum multis prouectioribus, sed pluribus in cœlis præferendum. Hæc nos breuiter ex Arnaldo de Raise, [g] auctore Belga, ille ex memoriis antiquis Vallcellensium. quamuis non ignoremus Thomam Demsterum, Radulphum inter Scotos connumerare. Atque hæc initia Ecclesiæ fœcundæ satis, hic primus lapis cœlestis illius domus, de qua multa in sequentibus dicenda.

g in Auctario ad Molanum.

6. At Fontium in Anglia Monasterium, exemplo Monachorum Rieuallensium, & adiutorio Venerabilis Trustini Archiepiscopi Eboracensis, sumpsit exordium: primitias frugum eius consecrante sancto Roberto, insigni luminari totius Angliæ. Rem, qualiter gesta sit, ex Guillelmo Neubrigensi Anglo scriptore, Eboracensique, intra quam parochiam Fontes consistunt, nec multo pòst scribente, tum ex Bernardo, & aliis, referamus. [h] *Inter cætera* (inquit) *bona opera, quæ operatus est sanctæ recordationis Trustinus Eboracensis Archiepiscopus, pio eius studio, & religiosæ industriæ potissimum attribuenda est fundatio, atque prouectio celeberrimi Monasterij Fontanensis, cuius memorandi operis, talis fuisse occasio perhibetur. Quidam Eboracenses Monachi numero duodecim, vel tredecim feruentes spiritu, & scrupulosam habentes conscientiam, dum acutiùs inspicerent, quod iuxta traditiones vel Cluniacenses, vel alias consimiles, religiosam quidem vitam ducerent, sed beati Benedicti regulam, quam profitebantur, minus ad litteram obseruarent; aliquid melius, fortiusque arbitri (nam Cisterciensis Ordinis, qui nuper esse cœperat, fama iam celebris erat) suum Monasterium reliquerunt. quorum studium, zelumque venerabilis Trustinus amplexus, egressos paternè suscepit, materna pietatis sinu fouit, & in suis penetralibus pro tempore occultatos, donec eis, prout animo conceperat, prouideret, tandem in loco pascua collocauit, & vocatur locus ille, Fontes: vbi extunc, & deinceps tanquam de fontibus Saluatoris, tam multi hauserunt aquas salientes in vitam æternam.* Hæc Neubrigensis.

h lib. 1. c. 14.

7. Locum in Comitatu Riemundiæ situm, testatur Arspheldius, [i] *Incultam, & horrendam solitudinem, quæ à Ripponensi oppido, tribus ferè milliaribus secernitur.* Monachos autem non acephalos exiisse, sed cum suo Priore, Ricardo nomine, testatur auctor, [k] vitæ sancti Roberti, quem mox adducam. quem eumdem Ricardum virum sanctum in Abbatem præfectum nouæ familiæ, missis duntaxat è Claravalle paucis, qui institutum docerent, & mores Ordinis, Bernardi Patris epistola confirmat, quam ad recèns conuersos, & sibi subditos congratulandos, confirmandosque scripsit in hunc tenorem.

i in Catal. Monast. Angliæ.
k in hist. Ang. sæculo 12. fol. mihi 400.

8. [l] *Ad Ricardum Fontanensem Abbatem, & socios eius. Quanta audiuimus, & cognouimus, ea & fratres nostri, vterque Gaufridus annuntiauerunt nobis: quemadmodum nouiter recaluistis igne Dei, conualuistis de infirmitate, refloruistis in nouitate sancta. Digitus Dei est iste, subtiliter operans, suauiter renouans, salubriter mutans, non quidem de malis bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi, vt transeam, & videam visionem hanc magnam? Nec enim minus mira, minusue iucunda ista promotio est, quàm illa mutatio: nisi quòd multo faciliùs reperias multos sæculares conuerti ad bonum, quàm vnum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rarissima auis in terris est, qui de gradu, quem forè in religione semel adtigerit, vel parum ascendat. Vestrum proinde, dilectissimi tam insigne, quàm salubre factum non solum nos, qui serui vestræ sanctitatis esse percupimus, sed & vniuersam meritò lætificat ciuitatem Dei, quippe quo rarius, eo & charius. Erat autem & necessarium ad cautelam proximam defectui mediocritatem transcendere, & declinare teporem, qui de eo vomitum prouocat, sed & sic oportebat propter conscientiam. Professis siquidem sanctam regulam, an citra eius puritatem sistere gradum, tutum sit, ipsi sensistis. Dolēs doleo, quod vrgente diei malitia, & nuncio festinante, plenum affectū exili cogor designare stylo, & breui chartula latā*

l epist. 96.

compre

comprehendere charitatem. Si quid deest, frater Gaufridus supplebit. Hæc Bernardus stabiliendo, & firmando nouo Cœnobio. Gaufridum hunc de Amaio fuisse suspicor, quem pluribus fundandis Monasteriis, à sancto Patre missum infrà dicemus. Missi & cum eo, Henricus, Richardusque, Anglus vterque, sed vterque educatus à Bernardo, atque hic vltimos præcentor Claræuallis: quos in Fontium Abbates promouendos, Henricum etiam in sedem Eboracensem, insignes viros doctrina, & pietate natale solum sibi vendicabat. Inter Monachos Eboraco discedentes sub Priore Richardo, Geruasius item fuisse memoratur: vir pietate doctrináque præcellens, quem primum Pareoludensem Abbatem sanctus Ailredus creauit. Sed de his
Pitseus de script. Britan. singulis dicemus suis temporibus. Abbati Fontium scribit Alexander Papa III. decretalem epistolam, quæ habetur in cap. *Significauit* 2. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. Nunc quæ ad Trustinum auctorem noui Cœnobij, sanctus Doctor scripsit, audiamus.

9. *m epist. 95.* [m] *Ad Archiepiscopum Eboracensem. Splendor operis, & opinionis odor benè (vt comperi) in gloria vestra conuenerunt. Opinionem opus probat nec falsam fuisse, nec vacuam, cùm quod ante sparserat vbique volans fama, vbique res ipsa faciat manifestum. Quomodo nunc maximè claruit zelus iustitiæ, eminuit, & inualuit sacerdotalis vigor, in defensione videlicet pauperum, & pauperum, quibus non erat adiutor. Olim quidem opera misericordiæ, & eleemosynas vestras enarrabat omnis Ecclesia Sanctorum. Sed hoc vobis commune cum pluribus, quippe quod à cunctis substantiam huius mundi habentibus exigitur. Veriùm hoc opus Episcopale, hoc paternæ pietatis tam egregium specimen, hic verè diuinus feruor, quo pro tuendis suis pauperibus, ille proculdubio zelum vestrum accendit, & accinxit,* [n] *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos* n Psal. 103. *ignem vrentem: hoc totum, inquam, speciale accessit, vestræ dignitatis decus, insigne officij, ornamentum coronæ. Aliud est reficere ventrem esurientis, & aliud sanctam zelare paupertatem. Ibi enim seruitur naturæ, hic gratiæ. Visitabis,* [o] *inquit, speciem tuam, &* o Iob 5. *non peccabis. Ergo qui alienam carnem fouet, facit, ne peccet: qui autem alienam sanctitatem honorat, fructificabit sibi. Ideo, ait:* [p] *Desudet eleemosyna in* p Matth. 10. *manu tua, donec inuenias iustum, cui des. Quo fructu? Quoniam qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Soluamus proinde naturæ debitum, ne peccemus, simus gratiæ coadiutores, vt & participes fieri mereamur. Sanè vtrumque ita in vobis admiramur, vt vtrumque vobis datum desuper fateamur; quatenus diuinis laudibus æternaliter misceatur, quidquid ex vobis temporaliter necessitatibus nostris impenditur, merito reuerende, & omni amoris syncritate colende, atque amplectende Pater.* Ita Bernardus, & fautori suorum gratiam, & suis etiam constantiam instillabat.

---

1. Abbas sanctæ Mariæ Eboracensis sanctissimorum Monachorum discessum dolens, 2. ad Bernardum scribit, velut consultans. 3. Rescriptum Sancti: 4. atque eius ad Henricum Regem epistola. 5. Sacrati Fontes aduentu sancti Roberti, 6. ex Sacerdote sæculari, Benedictinus Monachus. 7. Plures causæ commissæ Fontium Abbatibus.

CAPVT IX.

1. INterim Abbas sanctæ Mariæ Eboracensis (namque hoc nomen Monasterio, de quo exierant) cùm se orbatum doleret talibus filiis, nulli industriæ parcebat, nulli labori, quo eos posset ad propria reuocare. Iniustè sibi obedientiam auferri, semel promissam; nec locum deseri sine sacrilegio, in quo stabiles fore confirmassent, concepto voto. Nefas quærentibus bona sua Domino reddere, incipere a voti transgressione, & quod genus dementiæ videbatur, ni præuaricarentur, præuaricari: noua antiquis præferre, notis ignota: atque ædificium non aliunde auspicari, quàm à ruina. Propriam domum nequaquam deserendam, si reformatam, nihil aliud quæsituris, si deformem, per ipsos reformandam. His, & similibus, quia per vim non poterat, per astutiam retrahere conabatur. Et retraxit nonnullos simpliciores, dum his vtrinque scrupulis impliciti; nec vetera, quia minus conformia regulæ, nec noua, quia antiqois contraria tuta putabant. Placuit tamen, vt Bernardo semel dediti, solius Bernardi consilio dimouerentur, quem super hoc consultum Abbas iret, neutris ab eius sententia discessuris.

2. Igitur Abbas Bernardo Patri scribit, rationes promit, suam in eo dubio sententiam pandit, & qui communis consultantium morbus est, verùm non tam inquirit, quod sequatur, quàm quod extorqueat; sibi responsum, si posset, aptaturus, non se responso. Tum Pater sanctus, & calumniam à se repellens, & nihilominus veritati semper insistens, nec suos deserens, à se ad magnum Gregorium causam transtulit, oraculo ab ipso petito, atque inserto epistolæ, quam Abbati rescripsit in hunc tenorem.

3. *a epist. 94.* [a] *Ad Abbatem cuiusdam Monasterij Eboracensis, vnde exierat Prior cum aliquantis Monachis. Consilium expetitis à me litteris transmarinis, quod vtinam ab alio quæsissetis. Coarctor siquidem è duobus. Si enim non respondeo, taciturnitas contemptum quodammodo sonare videbitur. Respondere autem sine periculo me posse non video, cùm quidquid respondero, necesse sit aut scandalum cuipiam generare, aut reddere securum quempiam, plusquam oportet, aut certè in quo non oportet. Quod à vobis recesserunt fratres vestri, nec nostro, nec nostrorum factum est, me sciente, consilio, vel hortatu. Credimus autem ex Deo fuisse, quòd nec tantis potuit dissolui conatibus. Credimus & hoc ipsum sentire eosdem fratres, qui nostrum tantopere de seipsis consilium flagitant, credo remordente eos conscientia, quod retro abierint. Alioquin beati sunt (secundùm* [b] *Apostolum) si se non iudicant in eo,* b Rom. 14. *quod probant. Cæterùm quid faciam vt interrogatus, nec silendo, nec respondendo, molestus sim cuiquam? Ita fortassis expediat, si misero eos, qui me interrogant, ad doctiorem, cuius reuerentior, sanctiorque auctoritas sit. Sanctus Papa Gregorius, in libro Pastorali: Quisquis bonum maius subire, inquit, proposuit, bonum minus, quod potuit, sibi illicitum fecit. Ad quod probandum subiicit testimonium de Euangelio, dicens:* [c] *Nemo mittens manum suam ad aratrum,* c Lucæ 9. *& respiciens retro, aptus est regno cælorum. Et infert: Qui igitur fortiori studio intenderat, retro respicere conuincitur, si relictis bonis amplioribus, ad minima retorquetur. Item, ipse, homilia tertia su-*

per Ezechielem: Sunt nonnulli, qui bona quidem, quæ nouerunt, operantur, atque hæc operantes meliora deliberant, sed retractantes meliora, quæ deliberauerant, immutant. Et quidam bona agunt, quæ ceperant, sed à melioribus, quæ deliberauerant, succumbunt. Hi nimirum ante humana iudicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. En speculum. In hoc non vultum natiuitatis, sed factum reuersionis suæ considerent: hi se discutiant, hi se diiudicent, cogitationibus suis accusantibus, siue defendentibus, & quidem apud spiritualem, qui omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur. Quid nam verò maius, aut minus, superius, an inferius, arctius, siue remissius sit, quod videlicet reliquerunt, an ad quod redierunt, ego quidem haud temerè definierim, ipsi viderint. Et hoc illis Gregorius. Tibi vero Pater reuerende, tanta certitudine, quem nuda veritate ego dixerim omnino non expedire spiritum velle extinguere? d Prou. 3. *[d] Noli, inquit, prohibere eum, qui potest bene facere, sed si potes & ipse benefac. Gloriari autem magis oportet in profectibus filiorum, quoniam filius* e Prou. 10. *[e] sapiens gloria est patris. De cætero, nemo mihi molestus sit, quod iustitiam Dei non abscondi in corde meo, nisi quod minus fortè ob vitandum scandalum, quam debui, dixi.* Sic ad Abbatem.

4. Cæterùm ne qui causa vincebatur, violentia vinceret, scripsit etiam ad Henricum Angliæ Regem, Monachos, si fortè egerent, manutenturum. Atque ecce exemplar epistolæ ad Henricum, lata per Monachos missos à Claravalle.

f epist. 92. *[f] Henrico illustri Anglorum Regi, Bernardus Abbas dictus de Claravalle, cælorum Regi de terreno regno seruire fideliter, & humiliter obedire. In terra vestra tenetur præda Domini mei, atque vestri, & illa præda, pro qua maluit mori, quam carere illa. Ego eam sequi disposui, & mittere de nostra militia, qui in manu valida, si vobis non displicet, requirant, recuperent, & reducant. Et nunc huius rei gratia præmisi hos, quos præsentes cernitis exploratores, qui esse rei indagent sagaciter, renuncientque fideliter. Assistite eis tanquam nunciis Domini vestri, & in ipsis feudum vestrum deseruite. Ipse verò ad honorem suum, ad salutem vestram, ad patriæ sospitatem, & pacem, lætum vos, & inclytum perducat in bonum, ac placidum finem.* Hæc ad Henricum. Queis velut Dei oraculo firmati Monachi Fontium, Cœnobium suum in pace habitauerunt, nemine extunc audente suscitare dilectam, g Cant. 5. [g] ne dum turbare, quoad ipsa velit.

5. Porrò autem hæc nascentis Cœnobij fausta initia sanctum Robertum consecrasse suo aduentu, habemus ex auctore vitæ ipsius, quam h mense Iunij c. 1. [h] Surius inter alias publicauit. *Per idem tempus* (inquit) *nempe anno M. CXXXII. Richardus Prior Monastery Eboracensis, id est, sancta Maria, cum duodecim sociis locum quemdam, quem Fontes vocant, à Trustino Archiepiscopo accepit, & in Abbatem electus Monasterium construxit, in quo Cisterciensium habitu suscepto, vitam illorum, & mores æmulabatur. Nemo illic panem ociosus comedebat, nec quieti indulgebat quisquam, nisi priùs labore fatigatus. Famelici accedebant ad mensam, fessi ad lectum, nunquam ad satietatem refecti. Nihilominus absque tristitia, & murmure, cum omni alacritate benedicebant Dominum.* [i] *Ad hanc ergo sanctam sodalitatem vir* i cap. 2. *Domini Robertus, cum prius a sua Abbate copiam petiisset, sese adiunxit: eratque in labore strenuus, in lectione, & meditatione assiduus, in oratione deuotus, in consilio prouidus, in sermone facundus.* Hæc auctor ille de aduentu Roberti ad Monasterium Fontium, cùm fundabatur: nec enim vltrà dilatum ex eo constat, quod post quinquennium electus in Abbatem, anno M. CXXXVII. adsumptus dicitur.

Cæterùm de eius primordiis satis pauca: imbutum litteris, & primò Sacerdotem, mox nigrum Monachum, demum ad Cistercienses fecisse transitum, idem auctor scribit in hæc verba. 6.
[k] *Venerabilis Abbas Robertus ex Prouincia Ebo-* k cap. 1.
racensi ortus, in ipsa pueritia puerorum leuitates, & ludos deuitans, atque in litterarum studiis proficiens, cuiusdam Ecclesiæ Rector postea factus est. Sed ea Ecclesia, & animarum cura tandem se se abdicans, in Monasterio Vbitibiensi (Ordinis nigri, vulgo de Vbitibi) habitum monasticum petiit, & accepit. Hactenus acta de initiis sancti Roberti, priusquam ad Fontium Cœnobium pertransiret: de progressibus plura suis temporibus. Richardum sub quo habitum suscepit, inter viros sanctitate illustres Cistercij memorant Philippus Seguinus, Henriquezque: ille libro tertio illustrium, capite octauo supra vigesimum; hic ad quintam decimam diem mensis Maij.

Celebris in rescriptis Apostolicis Monasterij 7.
Fontium in Anglia commemoratio, grauissimis Abbatibus illius, causis commissis, inter quas locum obtinent non infimum exactæ inquisitiones vitæ, & virtutum, miraculorumque beatæ memoriæ Hugonis Lincolmensis, & VVillelmi Eboracensis, quondam Pontificum; illius ab Honorio Papa tertio, huius à Gregorio nono, iuxta probanda, adscribendorum Sanctorum numero. Sed de his plura in sequentibus dicemus.

---

1. Ecclesia sancti Benedicti subobscura notitia. 2. Maior Portensis. 3. Miraculum in quodam illius Monacho, 4. & leuia alia eamdem concernentia. 5. Abbatia de Roseriis, 6. & de Maceriis. 7. Quid de Villari, 8 & Vallibus. 9. Hedera Sanctimonialium Cœnobium non ignobilia. Demum de aliis dictum remissiuè.

CAPVT X.

1. HActenus de filiabus Claræuallis hoc anno natis, reliquas domos ordine transcurram. Et quidem sacram sancto Benedicto in diœcesi Metensi sitam lego; quæ tamen in libris taxarum non inuenitur, nec in Roberto Claudio, sed in genesibus, vbi Monachi ex Crista illuc transmissi Motimundum auxere hac noua prole. Crediderim ab olim fundatam domum sub nigro habitu, eoque sacram beato Benedicto, nunc primum Cistercienses leges amplexam, retenta, quam priùs habuerat, vocatione. In Notitiis Abbatiarum Lotharingiæ, nuper in lucem datis, fundatores agnoscit nobilem virum, Dominum Aynardum, filium Hugonis Comitis de Richismanil, qui terram ad construendum Cœnobium liberaliter contulit: facto ea de re publico Instrumento, anno M. CXXXVIII. Porrò Abbatiæ, etsi non longè ab vrbe Metensi sit, tamen ad Virdunensem Ecclesiam spectare commemoratur. Sunt & alia Cœnobia Cistercien

ſtercienſia in Germania, & Italia ſanctiſſimo Benedicto dicata, quæ ſuis locis venient recenſenda.

2. Portenſem Abbatiam Pliſnenſes Comites Bruno, & VVilla coniuges fundarunt, Monachis ab VValkenrode aſcitis, queis Albertus præfectus, vir religioſus vtraque bona mirè cumulauit. Hunc quindecies pro negotiis nouæ familiæ prolixo ſatis, & periculoſo itinere, Romam ex Theutonia veniſſe, (fabulæ, quàm hiſtoriæ proximius,) auctorea produnt. Paulus Langius in Citizenſi Chronico hæc inter alia de Cœnobio, & Cœnobiarcha. *Anno Domini M. C. XXXII. fundatum eſt Monaſterium Portenſe Ordinis Ciſtercienſis, prope Salam, non longè à Mauburgo, inſigne, & opulentiſſimum, per Brunonem Comitem terra Pliſnenſis, & vxorem eius VVillam, cuius primus Abbas nomine Albertus, vir eximius. Hic quindecies Romam ob negotia Monaſterij ſui nouelli petiit, & multa impetrauit. Cœnobium iſtud primò iuxta Smollem fuit locatum, ſed propter incommoditatem loci tranſlatum, & ſtatutum, vbi nunc cernitur.* Hæc Paulus Langius. Henriquez inter promotores huius Cœnobij Othonem nominat, Epiſcopum Neubergenſem, producto ad id inſtrumento ſatis antiquo, quod ex Germanica hiſtoria mutuauit. Quin & Albertum Menologio Sanctorum inſerit, ad trigeſimam diem menſis Decembris.

3. Initia domus recèns conuerſus miles dicitur conſecraſſe nouo miraculo, quod ſub hæc tempora, ſed incerto anno patratum, hîc ex Cæſario duxi tranſcribendum.

a lib.11.c.18.

[a] *Erat* (ait) *quidam miles in Saxonia, Rudolphus nomine, ſed tyrannus actione, hic cùm die quadam veſtibus nouis, atque ſcarlatis indutus in via equitaret, ruſticum cum curru obuium habuit, cuius cum veſtimenta ex rotarum impulſu luto aſpergerentur, ipſe, vtpote miles ſuperbus, commotus valde, extracto gladio, homini pedem amputauit: qui poſtea, Deo miſerante, de peccatis ſuis dolens, in domo Ordinis noſtri, quæ Porta vocatur, factus eſt Monachus. Non multo pòſt, in grauem infirmitatem incidens, cùm quotidie à ſe mala commiſſa deplangeret, & maximè abſciſſionem iam dicti pedis, infirmario ſe conſolanti, reſpondit: Non potero conſolari, niſi videro ſigna Iob in corpore meo. Et ecce poſt dies paucos cicatricem, inſtar fili coccinei, contemplatus eſt, circa talum ſuum in eodem pede, & in eodem loco, vbi ruſtico pedem truncauerat, quæ paulatim cœpit computreſcere, ita vt vermes de eo ſcaturirent. Tunc repletus gaudio ait: Modò de venia ſpero, quia video ſigna Iob in corpore meo. Sicque in multa cordis contritione, atque gratiarum actione, inualeſcente morbo, ſpiritum dedit. Hæc mihi relata ſunt ab Abbate Linonia, qui filius eſt domus ſupradictæ.* Hactenus ex Cæſario, & loco, & tempore ſcriptore ſatis vicino.

4. Ex eadem domo, nam nec leuibus parcam, quoties ſe offerent, cum Monachi in Lubenſe mitterentur, mores Ciſtercij ibidem plantaturi, [b] *deliciatorum malorum genus* (inquit Ioannes Piſtorius, in ſua Polonicæ hiſtoriæ collectione) *aſportauerunt, quæ etiam nunc de Porta, ſiue da Porta vocantur, per vniuerſam Poloniam propagata.* Meminit Portenſis Cœnobij Gregorius nonus, aliique Summi totius Eccleſiæ Præſules.

b tom.2. l.7. fol.mihi 518.

5. Roſeriarum deinde Monaſterium, in diœceſi Biſuntinenſi, nongentorum florenorum taxatum numero, quamuis alij nonaginta tantùm legant. Loci fundator Galterus Salinienſis, vt Claudius Robertus habet in ſua Gallia. Numeratur inter filias Bellævallis, adeóque & Morimundi adauget lineam. Habuit hoc ſæculo Abbatem Balduinum, cognomento Moreſux, quem Romæ ante duodecim annos obiiſſe, Chriſti nimirum, M. DC. XXII. non ſine ingenti iactura totius Ordinis, idem Robertus Claudius adſeuerat. *Quippe à quo* (ait) *Ciſtercienſem hiſtoriam ſperabamus, quam adfectam, & penè iam effectam vidimus.* Abbati de Roſeriis Biſuntinenſis ſcribit Innocentius Papa quartus. Datis Lugduni, Nonis Nouembris, Pontificatus eius anno quinto.

6. Sequitur domus ſanctæ Mariæ de Maceriis, in diœceſi Cabilonenſi, hoc anno ſurgens, non vno fundatore, quod tunc frequens, ſed collectis multorum donationibus. Extat in Martyrologio eiuſdem domus, die ſecunda Ianuarij talis inſcriptio. *Anniuerſarium fundatorem huius domus, videlicet Fulconis de Rom, & vxoris eius, Fulconis Domini de Grege, Gerardi de Rom, & matris ſuæ, Ioſfridi Albi, & vxoris eius, Ioſfridi Domini de Chaneſo, & VValteri ſine terra Domini de Giberio.* Monachos ex Firmitatis Cœnobio miſſos conſtat, à ſanctiſſimo Abbate Bartholomæo, ſancti Bernardi Germano, de quo ſuprà: deuiat tamen à vero Robertus Claudius, qui primam Firmitatis filiam nominat, ne fortè intelligatur de natis intra Burgundiam. Alias Tiletum, & Locedium in Italia Maceriarum ortum præceſſerunt. Primus Abbas Paganus, inſignis vir, de quo hæc in memoriis eius Cœnobij. *Paganus Abbas primus, vt non nihil res conueniat nomini, Græci namque fontem πηγὴν vocant. Hic itaque cæterorum Abbatum veluti fons fuit.* Maceriarum in Bullis frequens mentio, Innocentij tertij præcipuè, atque Gregorij noni, commiſſis cauſis, quas infrà referemus. In libris Cameræ trecentis florenis taxatur, ſupra viginti.

7. Villerium, ſeu Villarium, vt alij dicunt, in diœceſi Metenſi, non longè ab vrbe produxit Morimundus, ordinante Otone fundationem. In libris Cameræ inuenio prætermiſſam, (rarum in Monaſteriis illarum partium) memoratur tamen in Bullis Gregorij noni, atque Innocentij quarti, non ſine Abbatum ipſius commendatione. [c] Ab aliquibus poſtponitur biennio: ſed ſtatum ſequi Chronologiam, quando inſtrumentis contrarium, non comprobatur. Primus Antiſtes loci Henricus fuit, vir in ſæculo nobilis, atque vnus ex ſociis S. Othonis, qui poſtquam domum rexiſſet aliquot annis, ad Trecenſem Eccleſiam aſſumptus eſt, vt ſuo loco nos etiam referemus. Memoratur & alius Henricus, ſeptimus loci Abbas, poſtea Tridentinus Epiſcopus, & ſacræ aulæ Imperialis Archicancellarius. Sed de his ſuis locis.

c Claud. Robert. in ſuo Caſal.

8. Vltima omnium Valles, Criſtæ filia, itidem Morimundum propagauit in diœceſi Tullenſi (Valles de Orneſio taxarum libri nominant) vulgo *Vaudeorne*, à fluuio Orneſio locum alluente, non longè ab vrbe Ligny. Fundator domus, Godefridus, Baro de Iainuilla. Nec quicquam aliud, quod de hac Eccleſia dicam, habeo.

9. Hoc eodem anno, Hederæ Monaſterium, vulgo *Hieire*, ſanctimonialium Ciſtercienſium fundatum lego, in diœceſi Pariſienſi, ab illuſtri, claráque matrona Euſtachia, Ioannis Stamparum, & Corbolij Comitis coniuge, Ludouici Craſſi Francorum Regis ſorore, promouente fundationem Stephano Pariſienſi Epiſcopo, cuius ſuperiùs fecimus mentionem. Hæc ex [d] Breulio, qui latiùs rem ediſſerit. Recenſet item Bruſchius hoc anno nata Hailſbrun, & Lankenheimium, duo illuſtria Germaniæ Monaſteria. Sed ea in ſequenti tradenda ex Chronologia (nec multum intereſt) ibidem commemorabimus.

d lib.4. antiquit. Pariſ.

IESV CHRISTI ANN. 1133. CISTERCII ANN. 36.

1. Innocentius, Lothariusque adpropinquant Romam. 2. Bernardus Regis Angliæ fauorem innocat. 3. Anacletus de pace requisitus. 4. Dubium Baronij de Bernardi in Romam aduentu, 5. ex epistola planum: atque ex duabus Sancti legationibus. 6. Pontificis, & Imperatoris inauguratio. 7. Ianuensium, Pisanorumque auxilia delusa ab Anacleto. 8. Lotharij reditus, atque Innocentius Roma iterum cedens.

CAPVT I.

1. IAM adeundi Romam tempus aduenerat, ab Innocentio, Lotharioque condictum, sed Pontifex peregrinatione longa absumptus, quamuis collectis subsidiis per totam Galliam, Romanis minus idoneus adueniebat, doctis captare quæstum ex obedientia, & vt gratis parerent Innocentio, at non sine stipendiis militaturis. Et neque res absque armis agi poterat, Anacleto tenente præsidia vrbis, nec satis valida Lotharij Regis manus, vix duûm millium exercitu collecto, quod Beneuentani Chronici auctor Fulco diserte tradit. [a] *Innocentius Papa* (ait) *simul cum Lothario Imperatore Romam peruenerunt. Audiuimus revera duo tantùm millia militum secum duxisse.* Quod & Bernardus Pater satis indicat, non multo post coronationem eius, ad eumdem Lotharium scribens, dum ita ait. [b] *Ipsius* (scilicet, Dei) *profectio nuper opus, & virtus fuit, quòd iter satis laboriosum, & periculosum pro pace regni, & Ecclesiæ liberatione susceptum, in tanta prosperitate peregistis. Roma siquidem Imperialis culminis plenitudinem gloriosissimè assequutus, idque quod maius fuit, in manu non magna, vt animi, fideique magnitudo clariùs emineret.*] Hæc ad Lotharium Bernardus de suis copiis.

a ann. 1133.

b epist. 139.

2. Ergo hoc anno millesimo centesimo trigesimo tertio, Cistercij trigesimo sexto, cùm ante vrbis ingressum starent omnes, nec Innocentio suppeterent subsidia, queis tantum posset negotium pertractari: vt nullis non periculis, nullis non necessitatibus vnus Bernardus per omnia subueniret, talem ad Regem Angliæ, quem ipse ad Innocentij partes traxerat, ab ipso vrbis ingressu scripsit epistolam, breuem quidem, sed viuidam, sed acrem, atque eo efficaciorem, quo breuiorem. [c] *Henrico illustrissimo Anglorum Regi, Bernardus Abbas dictus de Claraualle, honorem, sospitatem, & pacem. Velle vos instruere, de his præsertim, quæ spectant ad honestatem, aut insipientiæ est, aut vos penitus ignorantis. Ea propter rem simpliciter insinuare sufficit, & hoc paucis: quoniam facile omnia tenenti, multa superfluè ingeruntur. In ingressu vrbis sumus, salus est in ianuis, nobiscum iustitia est, sed Romanis militibus cibus iste non sapit. Itaque iustitia placamus Deum, militia terremus hostes, solis necessariis necessaria non habemus. Quid opus sit facto, vt opus vestrum compleatur, quod de Domini Papa Innocentij magnifica, & honorifica illa susceptione fecistis, vos melius nostis.* Hactenus Bernardus Pater ad Henricum. Nec dubitandum Regem Christianissimum, potentissimumque non minus piè respondisse, quam liberaliter.

c epist. 138.

3. Ante eumdem vrbis ingressum, vt Beneuentanum Chronicon habet, Innocentius Papa, Lothariusque *miserunt ad Anacletum, vt consilio religiosorum virorum communicato adesset, & Spiritu sancto mediante, tanti erroris, & homicidiorum magnitudini finem poneret.* Verùm qui fuerint hi viri religiosi, quorum consilio concordia tractanda erat, nequaquam produnt Annales illius temporis. Crediderim Bernardum, Norbertumque, hunc cum Lothario Rege illuc appulsum, quod acta vitæ eius latè commemorant, illum cum Innocentio, quem vix à se separari patiebatur, nisi legatum ad Reges, siue ad vrbes.

Cardinalis Baronius anno sequenti supponere videtur, Bernardum Patrem non adiisse hoc anno Romam cum Innocentio, imò neque in Italiam transmeasse, in quam triplicem tantùm aduentum eius agnoscit, duplicem eo anno, nempe M. C X X X I V. tertium post duos. Atque en eius verba. *Porrò ter contigit eumdem sanctum Bernardum venire in Italiam, ad Innocentium Papam primò hoc anno, cùm Pisas ad Concilium venit, secundò paulo pòst eodem anno, vt testatur eius vitæ auctor in his verbis, cùm secundò per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret, &c. Tertiùs verò fuit aduentus, quando Lotharius Imperator se contulit in Italiam cum exercitu, & finis est impositus schismati, obitu Petri Leonis.* Ita Baronius. 4.

Cæterùm quidquid sit de illis aduentibus, de quibus nos agemus suis temporibus, hoc etiam anno venisse cum Innocentio, nuper adducta epistola testatur, locuples testis. *In ingressu* (inquit) *vrbis sumus.* Quin & legatio per ipsum ad Ianuenses, de qua superiùs, manifestat id ipsum, atque item altera ad Conradum Sueuiæ Ducem, quam mox adducam. Adde, quod ex Exordio Cisterciensi compertum est, per tres annos exulasse Sanctum a suis filiis, dum in Italia pro schismate sedando commoraretur, quos tamen nisi ab anno M. C X X X I I. vsque ad M. C X X X V. pensauerimus, vix, aut ne vix valeamus designare, quippe à M. C X X X V. quo constat eum in Galliis demoratum, vsque ad M. C X X X V I I. quo iterum è Romana Curia reuersus legitur, non tres, sed duo tantùm designabimus. Exordij magni verba accipiat lector. [d] *Venerabilis Abbas Bernardus. cùm aliquando per annos tres moratus fuisset in vrbe Romana, & partibus Italicis, pro sedando schismate Petri Leonis*, &c. Atque hæc vna illi causa fuit, tam longo tempore filios deserendi. Ergo Bernardus assistens Innocentio hoc ipso anno, quod non potest in dubium reuocari, ad Anacletum missus credendus est, simul cum sancto Archiepiscopo Norberto, ipsum, si possent, Ecclesiæ reddituri. 5.

d lib. 1. c. 12.

Cæterùm induratum aduersùs Deum, inflexibilem inuenere Sanctorum verba, neque vllis conuenientiis emolliendum, nullis rationibus. Quin, & [e] *vitauit obstinatissimè* (inquit Bernardus Bonæuallis Abbas) *Imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus est: neque de statu suo consilium cuiuslibet personæ admisit.* Tunc desperatæ pacis conatus irriti iustitiæ zelum acrius stimulauerunt. Igitur qui conuenerat exercitus, fortis magis in fide, quam in potentia, & plus causæ confidens, 6.

e lib. 2. c. 2.

quàm

quàm propriis viribus, impetu facto vrbem ingrediuntur, & primò quidem Innocentium verum Pontificem, in Lateranensi Palatio collocant: inde in eadem Lateranensi Basilica (nam sanctum Petrum Anacletus occupabat) Innocentius Lotharium vngit Imperatorem. De his Oto Frisingensis Episcopus, eius temporis auctor (& qui hoc anno Abbatem iam agebat in Morimundo) hæc
f lib.7.c.10. habet verba. [f] *Rex autem plus mente, quàm milite confisus, ad vrbem vsque progreditur, ibique qualibus potuit, cùm paucis strenuè peractus in Ecclesia sancti Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, à Summo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris, & Augusti adeptus est nomen, nempe Ecclesiam beati Petri, vbi mos erat coronari Imperatoribus, Petrus Leonis eo tempore occupauerat.* Ita Otho Frisingensis in suo Chronico.

7. Sed inter hæc Iannenses cum Pisanis, ne vel in hoc deessent Bernardi monitis, amica manu negotium pertractantes, ad ostia Tybetina adpellunt nauali agmine. Ita Fulco in Chronico Beneuentano, cuius hæc verba. *Tunc Pisani, & Iannenses in auxilium Papæ Innocentij, cum nauali exercitu Romam venientes, ciuitatem veterem, turrem puluream, & totam marmoratam eidem Pontifici subiugarunt.* Hæc ille. Cæterùm Anacletus, vt viribus tunc inferior sic locis tutior, & bellum neque omittens, neque expectans, Iannensibus simul, & Pisanis, quin & Lothario etiam illudebat, quippe [g] *interdicens suis congressus publicos* (inquit Bernardus Abbas Bonæ- g lib. 2.c.5.
vallis) *nec sibi securitatis suæ faciebat periculum, nec occasionem conflictus hostibus dabat. Sed tantùm liberum eorum discursum machinis superioribus, atque obstaculis variis impediebat.* Hactenus ille.

Vtrùm Lothario Roma discedente, neque 8.
enim diutius potuit demorari, Anacletus securior contra fideles audentior grassabatur, vt Innocentio vitandarum cædium causa, iterum Roma exire necesse fuerit, Pisis euentum rei præstolaturus. Hæc idem Bonævallis Abbas his narrat verbis. *Relicto igitur Romæ Innocentio, aliàs Imperator digreditur, Petrus verò* (scilicet Leonis) *post eius discessum, crebros mouens per vrbem discursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas reuertitur.* Hæc ille. Quæ, licèt breuiter, narrare necesse fuit, ne mutilam historiam relinqueremus.

---

1. Pisanorum constantia pro Innocentio. 2. Bernardi (ad Germaniam Legati) ad eos epistola: 3. efficax prædicatio, 4. & Mascelini admirabilis conuersio: 5. atque item Ducissæ Lotharingiæ, 6. cui in somnis præuisus, & mox agnitus. 7. Eiusdem fœminæ epistola ad Sanctum. 8. Sancti rescriptum. 9. Impetrata Tungerloensis Ecclesia Præmonstratensibus. 10. & Conradus Lothario reconciliatus.

CAPVT II.

1. INnocentius Pisis commoratus, Bernardum Patrem ad Germaniam legat, Conrado Duci post longum tandem schisma, de quo superiùs (quippe octo annorum) cum nouo Imperatore reconciliando, æquis vtrinque pactis conditionibus, queis orbitas Lotharij locum dabat. Interim verò Rogerius Siciliæ quondam Dux, tunc pseudo Rex creatus ab Anacleto, comperta sancti Patris profectione, atque ex ea occasione nactus, vt rebatur, Pisanorum constantiæ demolliendæ, Legatis eos & litteris aggreditur, multa pollicitus, si Innocentium deserant, si ad Anacletum transeant, plura si in fide persistant, comminatus: vtraque acriter, & impensè pro more Principum. Nullis cessere precibus Pisani, nullis terroribus, docti perseuerantiam à sancto Patre, atque Innocentio ex animo adhærentes. Quod Bernardo in itinere nunciatum, æterna laude dignum censuit, fecitque, tali ad eos epistola conscripta.

2. [a] *Pisanis nostris, Consulibus, cum Consiliariis, & ciui-*
a epist. 130. *bus vniuersis, Bernardus Abbas, dictus de Claravalle, pacem, & salutem, & vitam æternam. Benefaciat vobis Deus, & meminerit fidelis seruitij, & piæ compassionis, & consolationis, & honoris, quæ sponsæ filij eius in tempore malo, & in diebus afflictionis suæ exhibuistis, & exhibetis. Et quidem hoc iam impletur ex parte, & orationis huius nonnullus capitur fructus. Digna quidem retributio celeri iam compensatur effectu. Iam pro meritis tecum actitat Deus, populus, quem elegit in hereditatem sibi, omnino populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Assumitur Pisa in locum Romæ, & de cunctis vrbibus terræ ad Apostolicæ sedis culmen eligitur. Nec fortuito, siue humano contigit istud consilio, sed cælesti prouidentia, & Dei benigno fauore fit, qui diligentes se diligit, qui dixit Christo suo Innocentio: Pisam inhabita, & ego benedicens benedicam ei. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore tyranni Siculi malitia Pisana constantia non cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumuenitur dolis. O Pisani, Pisani, magnificauit Dominus facere vobiscum, facti sumus lætantes. Quæ ciuitas non inuidet? Serua depositum vrbs fidelis, agnosce gratiam, stude prærogatiuæ non inueniri ingrata. Honora tuum, & vniuersitatis Patrem, honora mundi Principes, qui in te sunt, & iudices terræ, quorum te præsentia reddit illustrem, gloriosam, famosam. Alioquin si ignoras te, ô pulchra inter ciuitates, egredieris post greges sodalium tuorum pascere hædos tuos. Sapientibus sat dictum est. Commendo vobis Marchionem Engelbertum, qui Domino Papæ, & amicis eius missus est in adiutorium: inuenies fortis, & strenuus, &, si non fallor, fidelis. Habetote eum nostris precibus magis commendatum, quia & ego ei vos amplius commendare curaui, monuique, vt vestris potissimum consiliis innitatur.* Hactenus Bernardus Pater in ea epistola, egregio, vt Cardinalis Baronius ait, monumento gloriosæ vrbis.

Verùm quæ ab eodem Bernardo in eodem iti- 3.
nere gesta perhibentur, ex illius temporis auctoribus, paucis pro more, quia hunc annum concernunt, prosequamur. Et primò quidem conuertisse multos, ipsius militaturos auspiciis in Claravalle, ex quibus vacuæ fundatorum sedes resarcirentur, testis est Abbas sancti Theodorici, qui inter capturas (sic ipse eas adpellat) à beato viro factas, celebrem Moguntinam recenset, dum ita ait. [b] b lib.1.c.13.
Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, non cessat laxare retia in capturam, & aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum eorum, nunquam sacra illius congregationis minuitur plenitudo. Hoc vsque nunc egerunt, & quotidie agunt mirifica eius captura, Catalaunensis, Parisiensis, Moguntina, Leodiensis, &c. Ita Guillelmus, nam prosequitur alias, de quibus infrà.

Sed in hac Moguntina captura hominum, 4.
Mascelini præ aliis conuersionem fecere celebrem

resisten

resistentia eius, & Bernardi prophetia, quippe nolenti prædixit conuertendum, & reluctantem demum ad Deum traxit. Rem ex Clarevallensi Godefrido, eiusdem Sancti socio post paucos annos, totidem verbis lectori meo proponam: quibus etiam & Bernardi Patris in Germaniam aduentus,

c lib. 4. c. 3. & eiusdem occasio declaratur. [c] *Ingressus*, inquit, *aliquando seruus Christi* (Bernardus scilicet) *Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum, pacem reformaturus, inter Regem Lotharium, & prædecessoris eius, Imperatoris Henrici nepotes, Conradum scilicet, qui Lothario postea successit in regnum, & Fridericum Patrem huius Friderici, qui post Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem Metropolitanus Moguntinorum Albertus, honorabilem quemdam Clericum, nomine Mascelinum viro Dei obuiam misit. Hic igitur Mascelinus cum à domino suo se missum esse diceret ad seruiendum ei, paulisper intuitus illum vir sanctus: Alius, inquit, dominus ad sibi seruiendum te misit. Expauit Theutonicus, & miratus quid dicere vellet, firmus asserebat à domino suo Moguntino sese Archiepiscopo destinatum. E contra seruus Christi, falleris, ait, maior Dominus est, qui misit te Christus. Tunc demum intelligens homo, quorsum vellet vibrare sermonem: Putas, inquit, quòd Monachus fieri velim? Absit à me, non cogitaui, neque ascendit super cor meum. Nihilominus tamen renuente illo, Dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitauerat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conuersus ad Dominum, sæculo vale fecit, & cum aliis pluribus litteratis, honoratissime personis, quas collegit eo tempore seruus Christi, ipse quoque, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum.* Ita Godefridus.

5. Crediderim in hoc etiam itinere Ducissam Lotharingiæ ab eo conuersam, insignem fœminam, nec minus in statu peccatricis singularem, quàm pœnitentis. Hanc conuersionem describit Guillel-

d lib. 1. c. 3. mus Abbas in hæc verba. [d] *Ducissa Lotharingiæ fœmina nobilis, sed non tam nobiliter victitans, cùm vidisset aliquando in somnis hominem Dei serpentes septem horribiles, de ventre suo manibus propriis extrahentem, postmodum ad religiose viuendum eius admonitione conuersa, vsque hodie se esse, de qua septem dæmonia eiecerit, gloriatur.* Ita Guillelmus de fœmina illustri, secunda sub Patre Bernardo Magdalena peccatrice, & conuersa, atque à viperis septem liberata, ad denotandam conuersionis plenitudinem: quo Bernardus non solùm magisterio, sed miraculis, Christi vestigiis inhærens, comprobaretur. Dæmonem surdum, cæcumque, & mutum facientem hominem paulo antè eiecerat: nunc septem Dæmones ab vna peccatrice. Vix celebrius miraculum de Christo, vix illustrior conuersio commemoratur.

6. [e] Sunt, qui Bernardum spiritu, quàm corpore

e Brit. lib. 3. cap. 10. visum Ducissæ prius, mox corporalis præsentiæ copia facta, ex præostensa effigie agnitum dicant. Atque eam oculatam experientiam, vt comprobantem visionem antecedentem, addidisse efficaciam Bernardi verbis. Extant epistolæ inter alias sancti Patris ad hanc matronam: sed in quibus familiaritas relucear, & memoria acceptorum beneficiorum, conuersionis vestigium vix appareat. At quas Bernardus Brito ex Gallicis membranis MS. (sic ipse ait) in Lusitanum transtulit, quia conuersionem concernunt tantæ Principis, ad sensum magis, quàm pro verbis latinas redditas, his Annalibus dignas iudicauimus.

7. *Seruo Dei, atque ipsius internuncio Bernardo, peccatrix, afflictaque, atque ideo afflicta, quia peccatrix, Ducissa Lotharingiæ, orationes non tam offert, quàm efflagitat. Antè acta à me vita tristis memoria, & peragenda in futurum cura solicita, teneram adhuc mentem sic perturbans, vt valde mihi timendum sit de me, cui neque vlla mediocritas sufficiat, neque ab extremo ad extremum transitus pateat, vobis præcipuè absente, Pater charissime, quem rectorem, quem ducem sortita fueram. Atque vtinam sapientia vestra monita, vt efficacia, sic firma perseuerent: quod vt de me confidere non audeo, sic vestris precibus fidens, de Deo spero. Quando enim obliuisci poteris charitas vestra, corpus per vos à serpentibus immundis, animam à peccatis, vtrumque sanum, aut saltem in principio salutis positum? Sed sexus fragilis, in me adhuc fragilior, ni subueniatis, facile succumbet. Mementote ergo opus per vos inceptum, vt Dei adpareat, fore consummandum.* Hactenus in spiritu compunctionis Ducissa nobilis, ad quam Bernardus in spiritu consilij.

[f] *Illustri Ducissæ Lotharingiæ, Bernardus Claræ-* 8.
vallis vocatus Abbas, vt sciat reprobare malum, & f apud Brit.
eligere bonum. Initium salutis cognitio morbi est, & vbi sup.
victoria ante oculos proposita aut exerit, aut auget præliantium vires. Media tenere mundanum consilium sapit, & parum in Dei obsequio præstat quisquis non summum. Extrema vobis coniunxisse dabit, qui fecit vtraque vnum, quique Alpha, & Omega dici voluit, cæteris elementis reiectis, quia intermediis. Memoriam vestri in orationibus meis vos experiemini, quin & vestras pro me supplex exposco. Vtinam dirigantur gressus vestri ad custodiendas iustificationes Domini, quod qui cœpit in vobis, ipse perficiat pro beneplacito suæ voluntatis. Hic ferè sensus epistolæ Bernardi, multiplici linguarum metamorphosi, sancti Doctoris phrasim minus sapientis, quod non negauerim. Consulat lector eiusdem argumenti, ad Hermergardem ab eodem Sancto missas, quas nos etiam inferiùs adducemus: nec difficulter iudicabit inter vtrasque. Cæterùm quod ad Lotharingiæ Ducissam attinet, constat ex tempore eamdem fuisse Alcidem, Imperatoris Lotharij sororem, Simonis coniugem, quæ illi Matthæum genuit, in Lotharingiæ ducatu successurum. Qualiter autem eadem Ducissa in sanctitate, & iustitia perseuerans, vivo Dei in delitiis habita fuerit, quem & ergastulo corporis solutum, cœlos conscendentem videre meruit, eoque magis in bono confirmari, filia Patrem, discipula Magistrum per labores ad gloriam sequutura, ex eodem auctore infrà videbimus.

Cùm idem Sanctus Romæ, vt dicebamus, Nor- 9.
bertum Patrem denuò conuenisset, nobis eidem charitatis coniunctus vinculis, noua amoris indicia superaddidit. Hinc factum est, vt in eodem hoc itinere, cùm Cameracum parumper diuertisset, recèns natos Vallcellenses visitaturus, nobilissimam, locupletemque Abbatiam Tungerlensem à Burchardo Cameracensium Antistite impetrandam curauerit, & liberam tradendam Præmonstratensibus: quod ad ipsius præcipuè instantiam factum, testis idoneus (instrumentum donationis) confirmat, quem Aubertus Miræus producit sub hoc tenore. [g] *In nomine sanctæ Trinitatis, & indiui-* g in Chron.
duæ vnitatis. Notum sit tam præsentibus, quàm futuris Præmonstr.
in perpetuum, quod ego Burchardus, Cameracensium & in Notis
Episcopus, petitionem religiosorum virorum VValmanni, Eccl. Belg.
videlicet Antuerpiensium Abbatis, & Bernardi Clareuallensis, ad probandam æstimans supplicantium, vt Ecclesiam de Tungerlo libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonstratensis Ordinis, sub regula beati Augustini degentes, liberè, & quietè Deo famulari valeant, quam petitionem bonam iudicans, idcoque benignè

exaudiens, prædictam Ecclesiam beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ab omni exactione, debitisque obsoniis, ad sustentandos Canonicos, in ea Deo, sanctæque eius genitrici seruientes liberam facio. Deinde vt Canonicum, & iustum est, libens constituo, vt in statuendo Abbate sanior pars conuentus liberam potestatem obtineat; electus verò Cameracensi Episcopo præsentetur, vt ab eo sine vlla contradictione, vel cuius libet personæ aliqua exactione consecratus, in Parochia sua ius synodale liberè obtineat, &c. Hactenus ex Burchardi donatione, quæ his sigillis in fine munita visitur.

Sigillum mei ipsius Burchardi Episcopi.
Sigillum Ioannis Archidiaconi.
Sigillum Theodorici Archidiaconi.
Sigillum Rodulfi Archidiaconi.
Sigillum Paruini Abbatis sancti Sepulchri.
Sigillum VValteri Abbatis sancti Auberti.
Sigillum Hugonis Decani.
Sigillum Eustachij Scholastici.
Sigillum VValmanni Antuerpiensis.
Sigillum Bernardi Clarevallensis. Acta sunt hæc Cameraci, anno Dominico Incarnationis M.CXXXIII. Regnante Conrado Imperatore Augusto. His sigillis firmata donatione, Tungerloensis Ecclesia interuentu Bernardi cessit Præmonstratensibus, cui si cuiusdem epistolam addideris, cuius suprà meminimus, haut dubiè videas sanctissimum Norbertum, dum sui Ordinis fundamenta iaceret, vix vllum lapidem mouisse sine Bernardo. Saltim Bernardum reuerentem beati viri ipsius familiam, vt propriam promouisse, charitate feruentem, atque eo liberum ab omni æmulatione. Hæc in itinere.

Iam quod ad legationis fructum attinet, impetrasse Bernardum compertum est, & Lothario, ac 10.
Conrado reconciliatis, pacem imperio firmasse per longum tempus. De his in historia Polonica hæc lego.[h] *In Germania, & Italia Conradus Sueuus, cum fratre Friderico contra Lotharium Regem arma sumpserant, donec victi ab eo, Bernardi Clarevallensis Abbatis, doctrina, pietate, & sanctimonia vitæ clari opera, ipsi reconciliati sunt.* Sic factum est, vt in causa planè consimili, nil minus regnum Bernardo Patri deberet, quàm sacerdotium, & vt qui Ecclesiæ Pontificem firmauerat, orbi non minus firmaret Imperatorem.

h ex collect. Ioann. Pist. Nidam. ann. 1126.

---

1. Primi Apostoli ex Cistercio hoc anno prodeunt. 2. Benno, seu Bruno præfectus Mekelemburgi, 3. VVandaliæ Apostolus, 4. atque asciti socij Apostolatus. 5. Cisterciensium Canonicorum initium. 6. Ratio temporis discussa, sed minus certa. 7. Ebrardus olim Comes in Germaniam missus, 8. Veterem montem fundat. 9. Vbi reliquiæ innumera miraculo patenti comprobata. 10. Hugonis Burgundiæ Ducis mors, sepultura.

CAPVT III.

1. HActenus sanctos Christi confessores proferebat Cistercium, Doctores, & pastores, siue operarios, qui plantatam dudum Ecclesiam velut excolerent, fouerent triticum solidæ doctrinæ, nec desinerent à zizania superari. Ex hoc Apostolos, qui de nouo eam plantarent, atque idolorum cultura eradicata, per prouincias extenderent, per regna, & habitantibus in tenebris infidelitatis, solem iustitiæ Christum oriri facerent, continuo velut tramite produxit, Euangelium per orbem prædicaturos, vt non minus illius insigne foret, *Noua acquirere*, quàm *Parta* antè *tueri*: atque æquè de Cistercio certaret vtrumque stemma, neutro vincente, ne aliud vinceretur. Scio & Bernardum ab Alexandro tertio appellari Apostolum, sed latiori vocabulo, vt qui schismaticos multos, multos hæreticos ad fidem, vnitatemque reduxerit, quibus Christus aliàs ante illuxisset, qui Deum hominem prouinciis propalarent, hoc primum anno exorti, quantum ex historiis licet coniectari, hoc item primum nobis dicendi erunt.

2. Florebant iam Monasteria Germaniæ viris illustribus, inter quos Benno (Bennonem alij vocant, Brunonem alij) moribus æquè pollens, sapientiaque, facile multis aliis præcellebat. hunc VVandalis, infideli adhuc genti, & cultrici idolorum in sede Mekelemburgensi (Magnopolim dixere recentiores) tertium Episcopum, duris populi cordibus emolliendis, conuertendisque ad fidem, datum inuenio: quod Albertus Krantzius, eiusdem gentis scriptor memoriæ prodidit.[a] *Mekelemburgensi Ecclesiæ* (ait) *per idem tempus, defuncto Euerhardo, præficitur Benno, vir Deo, ac Pontificatu dignus. Sed non erat, quod ad honorem, & dignitatem se subleuatum arbitraretur: verùm ad laborem, & omnem patientiam vocabatur. Nam Princeps in ea gente Niclotus, cum filiis adhuc seruiebant idolis, non multi ex populo Christum adorabant, & quotidie instabat bonus Pontifex, vt multiplicarentur, qui salui fierent.* Hactenus Krantzius de Bennonis promotione, Apostolatuque, ex ipsa narratione notioris, quàm ex vocabulo.

a lib. 6. Metropol. c. 39.

3. At ne vocabulum quidem illi inuidit, cùm iterum de eo sermo recurreret, VVandalorum retractant conuersionem. Nam[b] *Bennonis* (inqoit) *interea primi Zvverinensis, sed Magnopolensis tertij Episcopi, cùm & ille Apostolus fuerit præcipuus VVandalorum, memoriam sine culpa in rebus VVandalicis præterire non possumus.* Porrò autem quantum ab eo duritia gentis, & ingruentium bellorum occasionibus, in ipso sui Apostolatus munere, elaboratum sit, & quantum, adiuuante Deo, profecerit, pergit ibidem dicere in hæc verba. *Hic est ille* (inquit scilicet Benno) *qui in gente duro ceruicis multas contumelias accepit, & verbera expertus, non destitit ab opere pietatis.* Et paulo inferiùs. *Incredibile est memoratu, quantos pro Christo pertulerit labores, quæ subierit vitæ pericula, quoties ludibrio habitus, ad sacrificia attractus est, a barbaris? Ille tamen per Christum confortatus culturas Dæmonum eliminauit, lucos succidit, bonum certamen certauit, fidem non solùm seruauit, sed mirificè in populo barbaro ampliauit, & bono cursu consummato, indubitanter ad coronam, & supernæ vocationis brauium peruenit.* Hactenus Crantzius de Bennonis Apostolatu, quem ex familia Cisterciensi adsumptum alibi prodit.

b l. 6. VVandaliæ c. 36.

Quin & ex eadem, in Ecclesiam Magnopolensem, seu Mekelemburgensem (quæ postea Zvverinum translata est, vt suo loco dicemus) Monachos adduxisse, qui pro Canonicis eidem deseruirent, traditione acceptum, alibi narrat: indeque probat, Brunvvardum Bennonis successorem, ex Cistercio vocatum, quia ex collegio Ecclesiæ Zvverinensis.[c] *Succedit* (inquit) *Bennoni* 4

c lib. 7. Metrop. c. 22.

Brunvvar

Brunvvardus, ex fratribus eius, vir præcipuus, qui Ecclesiam moribus, & rebus plurimum ornauit. Cum enim esset Berno siue Bruno, vtrumque enim legitur, Ordinis Cisterciensis, creditum est illum vixisse cum aliquantis sui Ordinis fratribus. Ergo Benno & Cisterciensis Monachus fuit, & Cistercienses in Ecclesiam suam induxit, diuino cultui non solùm mancipatos, sed & prædicationis Coadiutores, per quos Euangelium in eo vastissimo tractu propagaretur.

5. Hac occasione familiæ Cisterciensi Mekelemborgensis Ecclesia semel tradita, Canonicorum Regularium Cisterciensium, qui postmodum in aliis floruerunt, exemplar fuit, quippe eo tempore reformandis Cathedralibus, Regulares vbicunque fieri poterat, in locum sæcularium substituebantur. Neque Augustiniani tantùm instituti, quibus à sancto Doctore præscripta regula, sed Benedictini, [d] quorum in multis prouinciis ingens copia, etiam Lateranensem Ecclesiam temporibus retroactis occupauerant. Itaque ad Cisterciensem normam reformandas, quas adducam in tempore, Mekelemburgensis anteiuit Ecclesia, Monachis à Bennone ascitis inductisque: quos an Monastici, Canonicive tituli insignirent, an vtrique promiscue, vt factum alibi, vix, aut ne vix audeá diffinire. Certè Brunvvardus Bennonis successor, vt Cisterciensis, sic & Decanus Zvverinensis Ecclesiæ dicitur, ex Magnopoli, aut Mekelemburgo illuc translatæ: quod tamen nomen, vt Monachis aptetur, at magis fauet regularibus Canonicis.

[d] Iepès Cent. 2. ann. 597. cap. 2. Idem Cent. 1. ann. 529. cap. 2.

6. Verùm, quod ad rationem temporis attinet, atque assumptionem Bennonis, seu Brunonis in hunc annum relatam, ex eodem auctore [e] sic deduco. Quia Bruuvvaldus, qui Bennoni successit in ea sede, obiisse dicitur anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo, cùm quatuor supra quadraginta annis præfuisset, adeóque electus millesimo centesimo octuagesimo tertio, quo Bruno obiit. A quo numero, si quinquaginta annos demamus, quibus dicitur [f] Bruno præsedisse, incidemus in annum millesimum centesimum trigesimum tertiú, quem nunc transeuntimus, atque hoc modo tempus computauit [g] Arnoldus VVionius, eumdem, vt adparet, sequutus annorum calculum. Verum est tamen, quod Kranzius varius est, & ex quo vix quid certi colligi possit. Nam alibi [h] Bennonem viuentem refert anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, quod nequit stare cum morte successoris, & annis, quibus dicitur præfuisse, quippe ab anno M. CXCV. vsque ad M. CCXXVII. duo & triginta tantùm numerantur. Crederem irrepsisse mendum secundo loco, & pro M. CLXXXIII. addita vna X. & duabus II. M. CLXXXXIIII. fuisse scriptum, quæ est incuria, aut oscitantia amanuensium: si non & alibi [i] scriptum adspexissem, Euerhardum, cui Benno suffectus est, anno Christi M. CXLIX. fuisse promotum. Certè in Alberto confusa nimis tempora, & de quibus diuinare tantùm detur, vix coniectari. Reliqua, quæ concernunt hunc sanctum Præsulem, & mutationem sedis sub ipso factam, suis temporibus, locisque reddemus.

[e] lib. 7. Metrop. c. 20.
[f] ab eodem ibidem.
[h] l. 6. VVandalia c. 36.
[i] lib. 6. Metrop. c. 27.

7. Hoc ipso anno venerabilis Euerardus, ex Comite Moutensi, dudum Monachus factus in Morimundo, cuius superiùs fecimus mentionem, ab Otone Austriaco Abbate in Germaniam mittitur Ordinem per suam obeditionem propagaturus, quod ipse etiam ardenter exoptauerat. Porrò autem à fratre suo Adolpho & gratanter susceptum, & castro Aldembergensi, hoc est, Veteris montis (*als* enim Germanicè vetus, *ein berg*, mons) donatum cum multis possessionibus, pro nouo ædificando Monasterio, Veteris montis credunt antiquæ tabulæ. *Petita* (inquiunt) *Abbatis sui* (Otonis) *licentia, & obtenta* (Ebrardus) *fratrem suum Comitem Adolphum, aliosque propinquos perrexit visitare. Frater verò suus Comes Adolphus, inter cætera loca sua, audito fratris consilio salutari, quia maximè eum diligebat, castrum Aldemberg, cum multis possessionibus sibi ad petitionem suam tradidit, ad Cœnobium nostri Ordinis construendum.* Hactenus ex monumentis Veteris montis. At Cratepolius [k] paulo aliter rem narrat, quippe castrum Ebrardo nequaquam datum, sed loco illius montem satis amœnum, antiquumque (à quo Veteris montis acceptum nomen) quo nouum Monasterium eius industria, & labore construeretur. [l] Bruschius, dum Veteris montis mentionem facit, Gerardum pro Ebrardo, & annum millesimum centesimum vigesimum sextum, pro millesimo centesimo trigesimo tertio, per errorem substituit. sed qui facile possit emendari.

[k] in lib. de Episc. Germ.
[l] in Epitome Episcopat. Germaniæ.

Fundata domo, & Monachis ascitis è Morimundo, Ebrardum inter eos remansisse, antiqua viri acta memoriæ produnt: [m] promoturum initia tenellæ Ecclesiæ & cuncta ei necessaria dispositurum. Crediderim neque antea recessisse, quàm adulta iam prima fundatione, molitetur secundam, Montem sancti Georgij, quam a Giezone, Guisellaque Comitibus in Turingia impetrauit, cui Monasterio ipse primus Cœnobiarcha præfectus est, vt suo loco dicemus. At Vetus mons radicatus per ipsum in disciplina, hodieque, multis aliis deficientibus, perseuerat immotus, quod Aubertus Miræus testificatur. [n] *Fundauit* (inquit, scilicet Ebrardus) *Veteris montis Cœnobium non longè ab Vbiis, ob philadelphiam Veteri campo semper inuictissimum, & quod opinione monastica disciplina optimè conseruata, multis aliis paulatim deficientibus, vsque hodie præfulget.* ita Miræus. 8.

[m] apud Henriq. in Menol. Mart. 20.
[n] in suo Chr.

Veteris montis celebris memoria apud Cæsarium, [o] tum ex reliquiis duodecim millium Virginum, quarum ad mille corpora (iudicium liberum lectori meo reseruo) in eodem Cœnobio esse dicuntur, tum ex miraculo illic a Deo patrato, cùm multa ex eis aliunde asportarentur. Rem non longè distantem ab his temporibus, incerto tamen anno, ab eo notatam, non immeritò hic duxi transcribendam. [p] *Tempore quodam, cum plurima illic,* (idest, in Veteri monte) *allata fuissent corpora* (ex Vrsulæ sociabus vndecim millibus) *Monachi lauerunt illa, cumque eadem posuissent super sedes Capituli, pannis mundis substractis, & siccarentur, fœtor intolerabilis, quasi ex eis exhalans, omnium nares infecit, timens dominus Gosuinus Abbas fœtorem eumdem ex aliquo Diaboli ludibrio fuisse creatum, vt per eum deuotionem fratrum erga reliquias Martyrum extingueret, assumptis secum Sacerdotibus, vestes sacras induit, cum quibus circa ostium Capituli stans, sic ait: Adiuro te immunde spiritus per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem, vt si aliquid tui operis est in hoc fœtore, manifestetur, & annihiletur, desque honorem Deo, & Sanctis his. Mira res, vix verba compleuerat, & ecce os grande equinum, cunctis videntibus, de medio reliquiarum exiliens, extra Capitulum, quasi turbine impulsum, proiectum est, cum quo & omnis fœtor extractus est, aduenitque odor suauissimus. Tunc omnes Deo gratias egerunt, qui & Diabolum in suo opere confudit, & Sanctos suos glorificauit.* Hactenus ex Cæsario de his reliquiis, occasione fundationis Veteris 9.

[o] lib. 8. dialog. cap. 88.
[p] lib. eod. cap. 89.

Veteris Montis. De Vrsulæ, sociarúmque eius inuentis corporibus, extat historia à Rogerio Cisterciēsi, & item alia à Richardo Præmõstratensi scripta, de quibus, & de ipsa inuentione Baronius latè pro instituto, in notis ad Martyrologium Octobris 21.

10. Hic idem annus funestus Cistercio fuit, Inclyti Hugonis Burgundiæ Ducis morte, cognomento Pacifici; quem patronum, quem patrem, quem amicum vnicè diligebant, nec minus fundatorem venerabantur. Nam Oddonem parentem citò sublatum, quippe intra quadriennium, quantumuis familiarem, vix agnouerant. Dicitur reliquisse filios decem, inter quos Oddo, secundus huius nominis, charitatis in nostros, & largitatis, non minus, quam paternæ ditionis hæres. Vnde simul cum patre, auoque, velut Cistercij fundator memoratur, insigni illa inscriptione, quam è regione sanctissimorum Patrum, Roberti, Alberici, Stephani, & Bernardi positam in Capella assumptionis Cistercij, suprà retulimus. [q] Sepulchrum in antiqua illa Ecclesia nobis ignotum: in noua iacet cum vtroque parente, filioque, in eadem Capella Mariæ Virginis, sub arcu lapideo, cui talis est inscriptio superposita. [q] ann. 1102. cap. 1. n. 1.

Hîc iacent tres illustres Burgundiæ Duces, Oddo fundator huius Monasterij, qui obiit anno M. CII. Hugo filius eius, qui obiit anno M. CXXXIII. & Oddo filius dicti Hugonis, qui obiit anno M. CLXIV.

Ita inscriptio: ex qua (vt puto) corrigendi veniunt Auctores, [r] qui Hugoni nouem alios annos vitæ tribuunt. [r] Miræus in Chron. Belg. & aly.

1. Marimundi sub Ottone Abbate mira fœcunditas. 2. Chronologia adducta, perpensaque, 3. Fundata ab eo Bethania, 4. & Clarus fons: 5. itemque in Austria Cœnobium sancta Crucis, 6. ex quo alia per Austriam dimanarunt. Concordati Sesfridus, & Patauinus. 7. Conradi in sancta Cruce Monachatus.

CAPVT IV.

1. INterea Otto nihil omissurus, quo res sui Monasterij promoueret, obiretque enacuandæ multitudini, quæ sub eius auspiciis militabat: vt per Ebrardum in Germania Veterem Montem, sic in Burgundia, si Roberto [a] Claudio credimus (nam sunt, qui tertiam alibi designent) duas alias Ecclesias, quartam in Austria erigendas sollicitabat, hàs per seipsum, totidem per filios, Hailsbrun, Lankenheimium, Charitatem, & VValdsassum, de quibus sigillatim dicendum erit. Proferam priùs Chronologiam Monasteriorum, nam etsi contra morem, quia res sic poscit, nequaquam censeo vlteriùs differendam. [a] in sua Gall.

2. *Anno* (inquit) *Christi M. CXXXIII. undecimo Kalendas May, fundata est Abbatia sancti Sulpicij, & Quiniaci.*

Eodem anno, & die, Abbatia de Hailsbrun.

Eodem anno, tertio Kalendas May, Abbatia de Bethania.

Eodem anno, Nonas Iunij, Abbatia Clarifontis.

Eodem anno, quinto Idus Iuly, Abbatia de Basinderech.

Eodem anno, Kalendas Augusti, Abbatia de Lankenheimio.

Eodem anno, tertio Idus Septembris, Abbatia sanctæ Crucis in Austria.

Eodem anno, octauo Kalendas Septembris, Abbatia de Bergis.

Eodem anno, quinto Kalendas Nouembris, Abbatia de Geroldonia.

Eodem anno, tertio Idus Nouembris, Abbatia de Cumbamara.

Eodem anno, septimo Idus Decembris, Abbatia de Charitate Bisuntinensi.

Eodem anno, Nonas Ianuarij, Abbatia Mellifontis.

Eodem anno, quarto decimo Kalendas Marty, Abbatia Stamedij.

Eodem anno, septimo Idus Martij, Abbatia de Nouo Claustro.

Eodem anno, decimo secundo Kalendas Aprilis, Abbatia de Arduello.

Eodem anno .... Abbatia de VValdsasen. Sexdecim ergo hoc anno recensentur: ex quibus si Stamedium demas, quia dudum natam, Cumbamaram, quia filiam Sabigniaci, & tandem Mellifontem, quia differendam: ex tredecim residuis, octo constanter Ottonem illustrabunt, quatuor nimirum filiæ, & quatuor nepres, nascentes cunctæ, & adultæ sub eius vmbra: reliquis quinque inter cæteros Cistercij Patres, nec Bernardum excludo, diuidendis.

Monasterium Bergense dictum hactenus, hoc est, Montense, Germanico vocabulo, veteris cognomento omisso, præ breuitate, quod suprà in Veteri Campo factum, non semel vidimus. Sed præter Aldemberg, siue de Bergis, in Coloniensi diœcesi, Bethania in Bisuntinensi erecta est, nomen sortita ex Castello Mariæ, & Marthæ, quod Christi hospitium in Monachorum animis, ac si qui è sæculo ad Deum conuerterentur, etiam fœtentium designaret resurrectionem. Huc Otto Coloniam misit ex Morimundo, atque Abbatem præfecit haud dubiè talem, cui tuto custodia noui gregis, & teneræ plantationis cultura committeretur. Fundatores ignoti nobis adhuc, sicut & Clari fontis, sed quis petenti Ottoni quidquam negaret? Surrexit fortè ex plurium donationibus, quod satis vsu receptum illius æui. Bethaniæ meminit [b] Gaufridus Altæcumbæ, in vita sancti Petri Tarantasiensis, itemque genesis Ecclesiarum Morimundensium, quæ hoc anno fundatam etiam testatur. Eius Abbati Innocentius III. scribit Romæ, 12. Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno septimo. 3.

[b] apud Sur. c. 25. May 8.

Secundæ filiæ Otto tertiam adiecit, quam Clarum fontem voluit appellari, siue à fonte perspicuo, ibi manante, siue abstrusiori significatione, à fonte gratiæ inde altiùs erupturo. Dubium, an domus in Burgundia sita, ac in eadem Bisuntina diœcesi, an in Darensi Cathedrali Hiberniæ sede. Libet taxarum vtrobique agnoscit Cœnobium Cisterciensis familiæ, 4.

à Claro fonte vtrumque nuncupatum. Geneseos tabulæ variant inter se, & nunc vnam huic anno, & Morimundo attribuendam designant, nunc verò aliam; vt nobis non omnino in promptu sit, vera illarum recenseatur in Chronologia? Quæcumque fuerit, sub Ottonis auspiciis creuit, vndequaque quæsiti, quærentisque, quos minus per se posset, quia longè dissitos, per discipulos saltim instructuri. Sanè si Clarum fontem Hiberniæ hoc anno condidit, pro miraculo est, quòd biennio à suscepta præfectura, ad quatuor ferè totius orbis plagas colonias miserit, atque intra breue paucorum mensium spatium Germaniam, Austriam, Burgundiam, Hiberniamque, quadruplici prole suscepta, penetrauerit. Nam & in Austriam emisisse filios hoc ipso anno, sanctæ Crucis confirmat Monasterium, eius precibus à Leopoldo patre constructum, de quo iam dicam. Abbati Clarifontis Bisuntinensis scribit Vrbanus IV. apud vrbem veterem, 5. Kalendas Augusti, Pontificatus ipsius anno 3.

5. Itaque quarta hoc [a]anno Ottonis filia sancta Crux fuit, quod Monasterium ad ipsius petitionem recèns conuersi, ædificari cœptum à pio Patre, sexennio consummatum, perfectumque, tunc primum Monachos suscepit ex Morimundo. de eo in actis Ottonis hæc verba lego. [c] *Monachum* (inquiunt) *se fecit in Morimundo* (scilicet Otto) *ob cuius petitionem pius Pater eius domum sanctæ Crucis in Austria deuotè instituit.* Sic factum est, vt sanctus ille Princeps, qui se libenter propter Deum filio orbauerat, eiusdem prole ante mortem frueretur, quippe ab hoc anno M. CXXXIII. vsque ad M. CXXXV. siue, vt alij malunt, XXXVI. in quo mortalem hanc vitam deseruit, æterna gloria in cœlis coronandus. Situm, & opulentiam Monasterij Franciscus Patauinus descripsit, dum de Leopoldo peroraret ad Innocentium. [d] *Alterum* (inquit) *Monasterium sancti Bernardi ædificauit, sub titulo salutiferæ crucis, in valle nemorosa, duodecimo à Vienna lapide, in quo quamplurimi Monachi, & ministri abundè aluntur.* Hæc ille.

d apud Sur. c. 5. Nou. 15.

6. Sed latiùs adhuc, & plura Ioannes Seifridus Zvvethelensis, seu Claræuallis Austriæ, ad Marthiam Augustum Imperatorem. [e] *Excitatus* (ait) *sanctus Leopoldus, fama sanctitatis, & doctrinæ Diui Bernardi, filiique sui Ottonis hortatu persuasus, annis abhinc ferè quingentis, quarto à Vienna lapide, in nemore Viennensi, ascitis è Morimundo fratribus, Monasterium beatæ Virgini sacrum sub titulo victoriosissimæ Crucis construxit, annuisque redditibus locupletauit. A quo deinde pleraque in Austria eiusdem Ordinis Monasteria, quorum olim circiter vndecim fuerunt, tanquam filij à matre sua processerunt.* Ita Seifridus. In quo tamen occurrit obseruandum, ne à Patauino videatur discordare, auctorem Italum ad millia passuum lapides, Germanum ad tria millia computare: illum nimirum milliaria, pro more patrio, hunc numerantem, quas leucas appellamus. quo fit, vt ille duodecimum lapidem assignet, quem hic quartum.

e in epist. præfixa suis operibus.

7. Ioannes Seifridus antiqua monumenta, quin & VVigulеum Hundium auctorem sequens inter illustres sanctæ Crucis Monachos, Conradum commemorat eiusdem sancti Marchionis Leopoldi filium, Ottonis fratrem, cuius superiùs fecimus mentionem. [f] *Eodem modo*, inquit (ad Matthiam Imperatorem scribens) *alter eiusdem diui Leopoldi filius Conradus, fratrem imitatus, idem monasticæ vitæ genus in præfato Monasterio sanctæ Crucis excoluit, in quo deinceps, vt non solùm vetera eiusdem Monasterij monumenta testantur, sed etiam scriptis prodidit VVigulеus Hundius, qui res Ecclesiæ Salisburgensis stylo est prosequutus, summam Cœnobij præfecturam administrauit antequam ad Cathedram Patauiensem, atque ab illa ad Salisburgensem eueheretur.* Hæc ille, non tamen exprimens an post mortem Patris, an ipso adhuc viuente Monachum egerit. Illud perspicuum, non longè ab his initiis, quippe qui anno M. CLXVIII. expletis in Salisburgensi Ecclesia quatuor annis, in Patauiensi pluribus præsentem vitam cum patria commutauerat. Crediderim sanctam Crucem creuisse sub Conrado, non secus ac Morimundus sub Ottone: atque ab ipso prolificum Cœnobium filias per totam Austriam, quin per Hungariam, & Bohemiam multiplicasse, de quibus infrà. Abbati sanctæ Crucis Patauiensis Gregorius IX. scribit, itemque plures alij summi Pontifices, qui nobis infrà veniant referendi. At de Cœnobiis, quæ Morimundus sub Ottone hoc anno protulit, hæc satis. Nunc quas, ex antè natis, neptes susceperit, eodem item agente, recenseamus.

f in epist. præfix. lib. 1. arboris anniciana.

1. Rapato ex Comite Ebracensis Monachus. 2. ad Comitem Conradum fratrem missus, auctore Ottone Bambergensi Præsule, 3. Fontem salutis fundat. 4. Eiusdem fundationis descriptio metrica. 5. Loci, & nominis ratio; 6. cui idem Rapato venerandæ sanctitatis Abbas præfectus. 7. Priuilegium Conuersorum eiusdem domus.

CAPVT V.

1. PRima domus Heilsbrun, seu Fons salutis (*Brun* enim fons Germanis, *Heil* salus) in Eistetēsi diœcesi, quam ex Ebraco protulit Adamus, Præfecto ei in Abbatem Rapatone, ex Comite Abembergensi dudum Monacho, cuius superiùs fecimus mentionem. Hic cùm sæculum, & sæculi gloriam spreuisset, ante quinquennium Monasterium fundare ex propriis bonis, & coniugis Matildis deliberauerat, nec credebatur promouendo tam sancto operi defuturus Conradus, ipsius frater, qui Abembergensem ditionem obtinuerat, & cui non sine laude dominabatur. Præerant tunc Ecclesiæ Bambergensi beatus Otto, Pomeranorum olim Apostolus, Monasteriis fundandis in primis deditus, quippe qui vitam viam, mundum exilium, cœlum æternam patriam, & Monasteria diuersoria esse dicebat, exulibus, viatoribusque adeò necessaria, vt nunquam tot, quin plura desiderentur. Vnde & quindecim ab eo structa, aut aucta, memoriæ prodit, [a] qui eius vitam scripsit, auctor synchronus, [b] quem Petrus Canisius de omni antiquitate benemeritus ante triginta annos euulgauit.

a lib. 1. c. 11. & 12.
b tom. 2. lect. antiq.

2. Itaque Adamus incrementis intentus suæ familiæ, ac Ebardi exemplo non parum motus, qui Montem veterē ab Adolpho fratre acceperat, quo oblatam vrgeret occasioné, si præteriret, facilè elabendam: Rapatonem ad Conradū fratrem mittit,

funda

fundationis negotium promoturum. Affuit vtrique venerabilis Episcopus, neque solùm Pontificali auctoritate, sed & regali, qua pollebat, munificentia, contulit prædia, atque emit possessiones, de quibus fratrum conuentus sustentaretur. Inde in eadem eiusdem Sancti vita fundator dicitur, atque inter quindecim, quæ struxit, Cœnobia, Heilsbrun duodecimo loco numeratur, sub his verbis. *In Episcopatu Eist[e]tensi duodecimum. Ibi est congregatio de Ordine Cisterciensi Hailsbrun dicta, sub patrocinio sanctæ Dei Genitricis. Ipsa autem (nam sic puto corrigendum) finibus a venerabili Ottone multa pecunia comparatis, & magnis sumptibus, in Abbatiam promota est.* Ergo signato in Eistetensi diœcesi loco, & Conrado cum Sophia vxore Comitibus, & Episcopo Ottone collargientibus, ac promouentibus legata Rapatonis, Marildisque, Monasterium surrexit, de quo à Gaspare Bruschio hæc scripta lego.

c in Catal. Monast. German. cent. 1. c *Fons salutis, vulgò Heilsbrun, Cisterciensis Ordinis instituti, magnificentissimum, opulentissimumque Cœnobium ad Schvvambachium amnem, medio ferè itinere inter Norimbergam, vrbem Imperialem, & Onoldisbachium, ciuitatem Comitum olim OEtingensium, nunc vero Brandenburgensium Marchionum situm, fundatum est anno Christi M. CXXXII. ab Ottone Comite Anduensi, octauo Episcopo Bambergensi, & à Rapatone, ac Conrado Comitibus de Abemberg, horumque vxoribus Mechthilde, & Sophia: imperante Lothario Saxone, quo tempore plurima in Germania Monasteria à diuersis regibus, Principibus, ac Episcopis structa, & erecta sunt.*

De hac fundatione extant in eius Cœnobij magnifico templo hodie adhuc tales versiculi.

Hæc domus Ottonem colit, & Comitem Rapatonem.
Præsul fundauit, Comes hanc opibus cumulauit.
Qui Comes Abemberg. fuit Præsul quoque Bamberg.
His iungas Comitem dominum Conradum iuniorem.
Mechthildim socia, coniugatur que Sophia.
Post M. C. Christi trigima duos locus iste
Annos fundatur Heilsbrun, qui ritè vocatur
Virginis, atque piæ matris sub honore Mariæ,
Ac sancti Iacobi qui maior vel Zebedæi.
Da veniam cunctis, hic requiem tibi defunctis.

Hactenus carmina de domus fundatoribus, antiquitatem vel ex ipsa barbarie præ se ferentia.

5. Verùm de situ loci, & immutati nominis ratione, pergit Bruschius scribere in hunc modum. *Fuit eo ipso in loco (antequam Cœnobium ædificaret) pagus Hagelsbrunnum, quasi fons grandinis dictus, id nomen postea à fundatoribus, ob insignem eius loci vberrimorum fontium salubritatem in melius immutatum est.* Hæc ratio nominis, ex natura loci sumpta, nec respuentis arcaniorem expositionem. Verùm quod dicitur locum surrexisse ad annum Christi M. CXXXII. parum lectorem meum mouere debet, quippe vnius anni distantia nimis exigua: & ædificium surgens ante annum, potuit non statim cœpisse inhabitari, mirum, imò, si potuit in subsequenti.

Fundatæ domui Rapato præfectus, vt vtraque ei initia deberentur. Vnde in catalogo Abbatum Heilsbrunensium. d *Rapato* (inquit) *Comes de Abemberg, Conradi fundatoris frater, primus fuisse legitur, constructi a se suisque Cœnobij Abbas, & gubernator.* Hæc in catalogo. Porrò virum sanctitate æquè in Ordine, ac in sæculo genere, & potentia clarum habitum, vetus traditio est, iuxta quam Menologio inserendum Henriquez censuit, ad trigesimam primam diem mensis Iulij. Virum à cunctis eximiè veneratum, eiusdem domus incrementa produnt, quæ sub ipso suscepit satis ingentia. Tum Principum, etiam supra fundatores, illustrium, Mausolea, auitos tumulos eo solum deferentium, vt sancto viro vel in morte communicarent. *Sunt* (pergit Bruschius) *in hoc amplissimo, & vrbis instar elegantissimè, & munitissime constructo Monasterio Burgabriorum, Norembergensium, ac Marchionum Brandemburgensium magnifica Mausolea, cum appendentibus trophæis militaribus, vexillis, armis, aliisque momonentis.* 6.

d apud Brusch. in Fonte salutis.

Demum non est silentio prætereundum, id quod Conuersis eiusdem sanctæ domus concessum lego, toties damnatos ad mortem suspendio tollere, quoties sibi opportunum visum fuisset. Dubium an ipsis sociandos, quandiu viuerent, longis vigiliis, ieiuniis, ac laboribus, quæcumque peccauissent, luituros. De his idem, qui supra Bruschius hæc habet verba. *Habuit hoc Cœnobium antiquitus fratres etiam conuersos laicos, quos à barbis, quas gerebant, tota vicinia bartlingos vocabat. Hi quosuis suspendio tollendi (quos aliquid mali commisisse sciebant) ius, ac potestatem plenam habuerunt. quem morem ex VVestphalia ad melius tuendas monasticas facultates Cœnobio intulisse dicuntur.* Hactenus Bruschius, & nos cum eo de Cœnobio Heilsbruoensi, prima huius anni, sed absolutè Morimundi ex Ebraco neptæ secundo genita. 7.

---

1. Lankenheimium Ottonis etiam fundatio, 2. magnificum Cœnobium, 3. primordia domus carmine cantata. 4. Dedicatio Ecclesiæ, & Ottonis præcipui coadiutores. 5. Deprehensus carminis error, & emendatus. 6. Quis Adam primus Abbam Lankenheimy. 7. Augmenta domus, variique euentus per remissionem.

Caput VI.

1. Lankenheimium sequitur, Heilsbrunensi copulata Ecclesiæ duplici fœdere, quippe vtraque promota à sancto Ottone, hæc etiam in ipsius fundo erecta, atque vtraque Ebracensis Ecclesiæ filia. Auctor vitæ eiusdem sancti Præsulis Fonti salutis Lankenheimium anteponit, & quartam fundationem assignat ab ipso factam. a *Deinde* (ait) *in Bambergensi Episcopo tertia, & quarta ædificatio duorum Cœnobiorum fuit, quorum vnum Michelfels dictum, in honorem sancti Ioannis Euangelistæ (Cluniacensis Ordinis;) alterum Lancheim, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ de Ordine Cisterciensi.* Sic acta Sancti, quæ tamen puto ad ordinem locorum, situsque magis, quàm temporis fore referenda. Nam antiquæ vtriusque Ecclesiæ tabulæ vtramque æquè recensent anno præterito, Chronologia vtramque æquè hoc anno. Sed Heilsbrun mense Maio mundo obortam, Lankeiheimium Augusto, atque adeò bimestri posteriorem. De Lankeiheimio Bruschius hæc habes verba.

a lib. 1. c. 11.

b *Lankenheimium, vel Langkheimium Cisterciensis instituti Cœnobium in Sudetis montibus terræ Nariscorum vicinis, non procul a Meno, tribus à Culmbachio milliaribus versus Babembergam situm, omnium quæ vidi, non solùm magnificentissimum, sed & munificentissimum. Nam omnibus ibi prætereuntibus viatoribus, tam equitibus, quam peditibus, gratuitum patet, idemque longè humanissimum hospitium, Babembergensis diœceseos, & visitationis Ebracensis. Id, inquam, fundatum est anno Domini M. CXXXII. sub Lothario Saxone, Romanorum Imperatore, Innocentio secundo Pontifice maximo, & Ottone octauo Babembergensi Episcopo decimo, & inclyto Bauarorum Duce. Imò etiam munificentissimè donatum ab Ottone Comite de Orlemund Principe Marania, eiusque vxore domina Beatrice, & vtriusque filio domino Ottone, &c.* Hæc Bruschius.

2. b in Lankei.

3. Extant adhuc in Ecclesia Lankenheimiensi non impolita carmina, quibus antiqui (si tamen antiqua sunt) hæc omnia posteris scripta reliquere. Quin & fundum, quem occupat Cœnobium Bambergensis Ottonis, & Ecclesiam post viginti duos annos ab eius successore Ebrardo dicatam tradunt, cum aliis, quæ a Bruschio sunt omissa. Atque ecce carmina.

Prodiit vndecimum post Christi tempora sæclum.
Inque suo cursu trigesimus, atque secundus
Annus erat, media ætatis cum tempora florent.
In quibus Augustus celebratur Cæsar, honestus
Imperij Rector, felixque, & ad æthera notus.
Quando est inceptum nostrum Lankeimium istud:
Religione domus, veteri pietate, fideque
Moribus, atque bonis, hinc, vsque Olympica notum
Imperia. At fundum dedit inclytus, & pius Otto,
Qui Comes Andaensis erat, clarissimus heros,
Octauus Babembergensis Episcopus vrbis,
Et Pomeranorum venerandus Apostolus ora.
Sed viginti annis extructa est, atque duobus
Tota domus, sacrata Eberardo a Præsule tandem.
Idque & sub primo Friderico Cæsare factum,
Et sub Pontifice innocua, qui de pietate
Nomen habebat, eratque omni virtute decorus.
Nomina fundatorum antiquis edita chartis
Ista recensentur: Dux illustrissimus Otto,
Merania Princeps, hinc vsque ad sydera notus.
Cum consorte Beatrice illustrique, piaque
In primis Domina, pietatis fulmine motus
Huic etiam accessit percharus filius Otto,
Martyrium quondam Nisdena passus in arce,
Et crudeliter interfectus ab hoste cruento.
Præterea Comes ipse Truhendingensis, auito
Nomine Conradus dictus, cum coniuge chara
Nobili, & eximia illustri pietate Sophia
Cum nataque Agnete pia. Deus arbiter orbis
Æternam det eis per Christi vulnera vitam.

Hactenus carmina de Lankenheimij initio, & fundatoribus.

5. Verùm quòd aiunt, Ecclesiam eiusdem domus post duo & vigioti annos à Præsule Eberardo dicatam fuisse, idque sub Friderico Imperatore, & Romano Pontifice, *Innocua qui de pietate nomen habebat*, stare noo potest, siquidem anno Christi M. CLII. aut, si mauis, M. CLIII. qui fuit vigesimus secundus à fundatione, neqoaquam Innocentius, Piusve, quæ nomina ibidem videntur innui, sed Eugenius Ecclesiæ præsidebat: vt noo immeritò *ingenua*, pro *innocua* corrigendum videatur, dicendumque, *Ingenua qui de pietate nomen habebat*. designato Eugenio, quasi ingenuo, cui sequens Hemistichion apprimè conuenit, *Eratque omni virtute decorus*. Quod verò de Ottone Martyrium in arce Nisdena passo subinfertur in carmine, anno M. CCL. quo contigisse constat, commodiùs dicam.

Primum Abbatem Adamus Adamum misit, virum egregiæ virtutis, prudentiæque, eximiè pium, & optimum Abbatem. Certè his titulis in tumulo describitur, qui hodiéque in eadem Ecclesia cernitur, tali inscriptione. 6.

Abbas Cœnobij primus, atque optimus huius
Hic cubat, eximia vix pietatis Adam.

Bruschius, etsi sub dubio, eumdem reputat, quem Ebracensi Cœnobio ante sexennium à Gualtero Morimundi Abbate præfectum diximus. Immeritò tamen, quippe descensus à matribus ad filias nunquam permissus, præcipuè in prima earum fundatione. Quin idem auctor sibi ipsi contrarius, aut sui immemor, dixerat antea de Ebracensi Adamo loquens, præfuisse laudabiliter Ebraco per annos quatuor & triginta. hoc est, vsque ad annum Christi Seruatoris M. CLXI. in quo & ibidem sepultum virum tradit. *In ipso loco, vbi hodie adhuc cernuntur posita ossa eius loci Abbatum.* Alius ergo Adamus Lankenheimiensis, quem virum sanctum, atque ipsa venerandum antiquitate Henriquez Menologio pro more inserit, ad vigesimam septimam diem mensis Aprilis.

Reliquos benefactores eiusdem domus (nam & hos prætetite nefas duxi) eadem carmina continuata serie recensent, post Agnetem Conradi vxorem, his, quæ sequuntur. 7.

Tandem accesserunt Martinus filius huius
Agnetis, patris & Martini filius acer,
Pacis amans: digno hinc Fridericus nomine dictus.
Sed quoque multa dedit Conradi frater honestus
Otto Dei studiosus, amauisque, superstite fratre.
Eius erat coniux pulcherrima Margaris, absque
Qua natis natabus, & hoc secessit ab orbe.
Arulemundensem, sed & huc numerabis Ottonem,
Ipsius & Cattam, & percharum filium Ottonem
Quorum sunt nostra tumulata hac corpora in æde.

Hactenus carmina. Qualiter autem hæc omnia Mausolea demolita per barbaros, sicut & ipsa domus, circa annum Christi M. DXXV. ab insignis pietatis viro Ioanne Fabro, eius loci Abbate, nihilominus fuerint restituta, continuator Annalium, si quis fuerit, suo loco cómodiùs declarabit.

---

1. Charitas Bellævallis filia subobscura. 2. VValdsasi fundamina notiora. 3. Gervvici, Theobaldique societas, 4. inflicti vulneris occasione soluta. 5. Vtriusque conuersio proportionata. 6. Gervvicus Ratisbonam primùm adductas, 7. inde ad eremum pergens, 8. agnitus à Theobaldo, & loco donatus, 9. VValdsasum ædificat, ac nominat ex loco, & intentione.

Caput VII.

1. Charitas dein sequuntur, & VValdsasum, illa in Burgundia sita (siue Lingonensem, seu Bisuntinam diœcesim occupet: nam vtrobique Cisterciense Cœnobium sub hoc nomine)

hæc

hæc in Nariscis. Et de prima vix quidquam ausim dicere, nisi quòd Bella valle procreata, quod tabulæ testantur, numerum auxit neptium Morimundi. [a] Claudius Robertus vtramque domum memorat; sed dum Bisuntinensem fundatam tradit, anno M. CXCVI. Lingonensem, cuius fundationis tempus reticet, & Bellævallis filiam, de qua modò, & hoc anno subortam innuit non obscurè. Genesis Ecclesiarum Morimundensium, apud Henriquez, [b] Bisuntinensem designat hoc anno natam, nec nobis facile litem hanc dirimere, ex solis vtriusque Ecclesiæ monumentis, si fortè extent, aptè dirimendam. In MS. quibusdam haud recentibus, ex Bibliotheca Abbatis Constantini ab Vrbe dudum ad nos missis, inuenio memorari S. Gerardum huius domus Priorem, clarum miraculis, sed quem non video ab alio memorari.

a in Catalog. Monast. Cist.

b in Fascic.

2. Notiora multo VValdsasi initia, fundationis occasio, situs, nomen, & si quæ alia in ipsa notatu digna, quæ tamen à Gaspare Bruschio aptè descripta, nôn aliis, quàm ipsius verbis censul referenda. [c] *Eremitarum in Naristis Cœnobium Cisterciensis instituti amplissimum, ad Vbundrebum amnem situm, vulgo VValdsasem, ab Eremitis, qui illic in densissimis nemoribus plantanda Christiana religionis ergò consederant, sic dictum: cœpit anno Christi M. CXXXIII. in ipsis Kalendis Octobris.*

c in VVald.

3. *Vera originis historia veteribus monumentis comprehensa hæc est. Erat in VVesphalia illa parte, quæ Coloniensi Archiepiscopo subest, ad Iuram torrentem, non procul à Dispergio oppido, castrum VVolmonstein: in eo auitam habebant sedem, nobiles viri, quos tota circumiacens prouincia ab hoc ipso castro adpellabat dominos de VVolmundstein. Horum vnus, Geruvicus nomine, strenuus, & generosus iuuenis, dum (vt multis innotescat) circumquaque ad aulas maximè celebrium Principum obequitat, & virtute excellentium hominum amicitias, & fauorem experit, multorumque cùm vrbes, tum mores videre desiderat, accidit, vt in Bauariam quoque descendens, Principem ibi tunc temporis famosissimum Theobaldum Marchionem Vohemburgensem, & Nariscorum terræ dominum in castro Bauarico Vohemburg ad Danubium, medio ferè itinere inter Ingolstadium, & Ratisbonam hodie sito, habitantem, ipsum quoque iuuenem strenuum, & totum equestribus studiis deditum, eius se notitiæ, & amicitiæ insinuans, conueniret. Hunc cùm Marchio vidisset suis moribus pulchrè conuenire, flagraretque ipse quoque, etsi vxoratus iam, & prole auctus, variarum cùm rerum, tum regionum videndarum desiderio non minori, quàm Geruvicus, datis vtrinque symbolis fidei dextris, amicitiæ indissolubilis, ac sempiternæ inter se se iuuenes Thescum fœdus ineunt, ac paciscuntur, moxque concordibus vnà animis ad omnium Principum aulas (in quibus equestres ludos, seu torneamenta nobilitatis Germanicæ exercendæ ergò institui, aut exhiberi sciebant) se se conferunt, virtutisque ibi, ac fortitudinis suæ specimina edunt.*

4. *Accidit verò aliquando, vt in promiscua, & subita quadam multorum, simul aduersis hastis coeuntium cataphractorum concursatione, vbi singuli in singulos casu oblatos totis viribus irruunt, Geruvicus etiam fortè fortior in Thesca suum Principem Theobaldum incideret, hastaque ita illum feriret, vt effracta galea gutturi amicissimi socij lethale penè vulnus infligeret, quod cùm animaduertisset Geruvicus, grauissimè perturbatus, imposterum omnibus eiusmodi ludis, ac certaminibus æternum valedicere, omnibusque mundi pompis, ac voluptatibus perpetuum apud se exilium indicere decreuit. Marchio vulneratus ad sua iam etiam animum adiicere, & vt fit, quando in ærumnis constituti sumus, ad relictam domi vxorem, relictos liberos, relictamque sui principatus vniuersam gubernationem, quasi potentis Dei certa voce admonitus, cogitare cœpit. Adeò verum est propheticum illud ex* [d] *Esaia notum, vexationem, hoc est, ærumnas, & calamitates dare intellectum, id est, præbere occasionem redeundi per ostium pœnitentiæ in viam, vnde digressus sis.*

d cap. 28.

Cùm itaque, amica discessione facta, vterque ad sua rediisset, Geruvicus rebus domi dispositis, mundo valedicere volens, Monasterium Sigebergense, non procul à Colonia situm, ingressus, Benedictinum illic institutum sub Abbate profiteri cœpit. Marchio verò quandoquidem propter vxorem, liberos, ac auitas prouincias secularibus rebus, ac negotiis abstinere in vniuersum, aut religioni totum se dedere nequaquam posset, vt eam tamen augeret, pietatisque studia proueheret, ac vsitatos Dei cultus latius propagaret, officium suum esse ratus, Cœnobium nouum de propriis bonis, ac annuis prouentibus in ipsa ditione sua ad amnem Regum construxit, atque fundauit, quod accolarum vulgus Reichembachium vocat, aliquot milliaribus supra Ratisbonam, hodie adhuc ædificiis, & religione conspicuum. 5.

Labentibus aliquot annis, accidit, vt Geruvico propter singularis vrbanitatis, ac mansuetudinis laudem, aduenientium hospitum cura in Cœnobio Sigebergensi commendaretur, ad quem cùm venisset aliquando dominus Chuno, electus Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopus, dum è Parisiensi gymnasio ad sedem suam Episcopalem capessendam, iter faceret, videns ipse insignem Geruvici virtutem, facilitatem morum, modestiam, ac virtutum cæterarum omnium Reginam, ac illustratricem pietatem, ingenium item prudens, ac boni consilij ferax, tantum precibus effecit cùm apud loci Abbatem, tum verò apud ipsum etiam Geruvicum, vt eum permissum sibi Abbatis fauore, ac venia Ratisbonam vnà secum abduceret Episcopus, vt quem omnium suarum fortunarum socium, & actionum inspectorem, perpetuumque Consiliarium habiturum se se sperabat. Etsi verò Geruvicus Chunonem, Episcopum Ratisbonam non grauatim sequeretur, tamen cùm animum ad religionis studium adiecisset totum, persuaderi, vt Ratisbonæ maneret in aula, nec à Chunone Episcopo, nec ab alio quoquam potuit. 6.

Institit autem domino Chunoni petitionibus, & precibus tandiu, donec ille daret etiam litteris, copiam ei faceret ingrediendæ eremi, & quærendi loci in diœcesi Ratisbonensi pro Monachorum congregatione idonei. Quod cùm studiosè faceret Geruvicus, incidit casu in hanc Nariscorum veterem Prouinciam, & in syluam densissimam, solisque tunc venatoribus peruiam, eius nimirum loci, quem hodie adhuc accolæ Kollegrum adpellant. Ibi dum succisis aliquot arboribus, nondum salutato fundi domino, domunculam, & Oratorium pro se, ac additis sibi sociis construere molitur, prodit interim venatum ex vrbe sua Egrana Marchio Theobaldus, qui videns partem syluæ succisam esse, & domunculam in ipsis ferarum latebris erigi, furiosius accurrit, iratus, quis ibi construere, aut se insalutato erigere ædificiorum quidquam ausit, à laborantibus, ac trepidantibus fratribus auidè percontatur. 7.

Ibi Geruvicus potente animo ad Principem sibi adhuc ignotum progreditur, nomenque, & originem suam professus, mox quo consilio, aut cuius iussu in eum locum secesserit, accurata narratione habita, & Episcopi Ratisbonensis litteris redditis copiosè edocet, quem cùm Princeps audiret Geruvicum illum esse, nobilem virum de VVolmusthein veteri necessitudine sibi 8.

coniunctum, gaudio plenus equo desiliit, ac Gervvicum amanter complexus, vulneris ab eo olim sibi inflicti cicatricem ostendit, bonoque animo esse iubet, & consilium eius, de construenda domo Dei, adprobans, statim renouanda veteris amicitiæ studio, ad Cœnobij exædificationem tantum syluæ liberaliter donat, quantum Gervvicus posset integri diei spatio circumire.

9. *Idcirco socij Gervvici illico se se hilares futuro operi accingunt, syluas extirpant, saxa vndequaque conuehunt, ligna aptari curant, dumque syluæ vicina loca omnia studiosè inspiciunt, amœnissimum, ac maximè pisculentum fluuiolum VVundrebum inueniunt, ad cuius ripam vnanimi consensu, inchoata ædificiola transferunt, ac totum Cœnobium construunt, & quia eremi, ac solitudinis studiosi illic consedissent, ab hoc ipso quasi fatali suo consensu, nomen nouo Monasterio imposuerunt, vt Germanica lingua* VValdsassen, *quasi eremum & nemora amantium, aut (quod germanusinum melius exprimis) ad nemora sedentium locus diceretur.* Huc vsque Bruschius, aperto satis stylo, & qui nequaquam eguerit immutari. Bruschio concordat Muollerus in Cosmographia, nisi quod addit VValdsasum constructum à Theobaldo, [c] *precibus etiam Loicardis pientissimæ matris suæ.* Haud dubie quin promouentis, atque vltrò etiam prouocantis adfectum filij. At quæ post ædificatum Cœnobium sequuta sint, cum reliquis, quæ huius anni fundationes concernunt, sequenti capite pleniùs differemus. c lib. 3. tit. Delgra …iole.

1. Bernardi, Ottonisque exhaustis Cœnobiis, Volcolderenses Monachi asciscuntur. 2. Oraculum de dicatione domus, ad VVigardum. 3. Notatus Monasteriorum defectus in Chronologia. 4. VValdsasum Imperiale Cœnobium, 5. Sepulchra eius, 6. & quatuor primi Abbates. 7. Gervvici, VVigardique comperta sanctitas. 8. Beati Sulpitij, & Quiniaci primordia, 9. & Ardurelli. 10. Notatum de Mellifonte.

CAPVT VIII.

1. CONstructa domo, & paucis assumptis sociis, regula sancti Patris Benedicti ante oculos primum, quippe quam Gervvicus in Sigebergensi Cœnobio professus fuerat, mox obseruantia Cistercij oblata est, cui se per omnia deberet conformare. Et senescente iam Stephano Patre, Bernardus, atque Otto se se offerunt, quos Gervvicus personaliter adiret, quorum discipulos, in Magistro sibi, & suis, debita cum reuerentia reportaret. Verùm vtriusque domo recèns exhausta, cùm Claravallis quinque anno externo, Morimundus hoc, quatuor protulissent, Bolcolderodensem abire cōpulsus est, inde VValdsaso conuentum reportaturus. Ergo litteris ab Ottone Patre acceptis, vt quā non poterat filiam adoptare, neptem saltim haberet nouam Ecclesiam, Henricus quidam in Abbatem præfectus est, & socij ex Monachis aliis designati, per quos VValdsasenses Eremitæ mores Cistercij, & regularem obseruantiam edocerentur. [a] Bruschius Bernardum Patrem solum exprimit. Verùm dum alios requisitos tradit a sancto viro, Ottonem non obscurè subintelligit, à quo petitio ad filios pertransierit. *Erat* (inquit) *ea tempestate adhuc in viuis diuus Bernardus Cisterciensis instituti, primus auctor, qui tunc præpotenti Burgundionum terra Monasterio Claravallis Abbas imperabat: hunc Gervvicus properè accedens, Monachos petiit ad suum nouum Cœnobium instruendum, excolendumque, quos cùm nec diuus Bernardus, nec alij Abbates in tota illa peregrinatione rogati dare potuissent, ad Volkenrodensem Abbatiam impigrè contēdit, vbi cum tres suæ professionis Monachos consequutus esset, mox VValdsasum redit, ac inchoatas habitationes feliciter absoluit, accedentibus vndequaque piorum hominum donationibus, atque eleemosynis liberalissimis.* Hæc de Monachis adductis ad VValdsasū.

a vbi suprà.

2. In Priorem VVigardus electus est: dubium ex recèns appulsis, an ex antiquis. Certum virum virtutibus conspicuum, & variis de cœlo illustratum reuelationibus. Inter quas domum sacrandam beatæ Virgini, Ioannique Euangelistæ, certis ex causis, diuino oraculo meruit admoneri. quod idem auctor narrat in hæc verba. *Elegit autem VVigardum quemdam in Cœnobitarum collectorum Priorem, qui cœlesti oraculo per quietem oblato admonitus Diuæ Virgini Matri, ac beato Ioanni Euangelistæ locum hunc sacrandum ac dedicandum censuit, tanquam centesimam ouem, quòd locus iste cētesimus esset in tota christianitate, Cisterciensi recèns inchoato Ordini nuncupatus. Dumque VValdsasense Cœnobium ita feliciter surgit.* Hæc auctor ille ex antiquis Cœnobij monumētis.

Verùm quod ait, VValdsasum domum centesimam, quæ Cistercientibus legibus paruerit, difficultate non caret, cùm iuxta recensitas in Chronologia, non centesima, sed octuagesima quarta tantum sit, demptis quas constat demendas, quia nondum natas, quod de Sabigniaco, filiabusque, & paucis quibusdam aliis iam ostendimus: vt necessariò dicendum nobis sit, aut Chronologiam valde diminutam, multorum nobis Cœnobiorum inuidisse notitiam, aut responsum VVigardo Priori de cœlo datum, non solum oraculum fuisse, sed prophetiam, quippe si nondum admissas hoc anno, admittendas tamen post ipsum, & præferendas, vt Chronologia recènset, supputemus, VValdsasum centesima euadet, vt legenti constabit, si rectè numeret. Neutrum nobis omnino firmum est, sed vtrumque probabile, & illud primum fortè probabilius. Nisi recurramus ad Cœnobia Sanctimonialium, quæ extra Chronologiam, & sexdecim hoc anno constructa esse dicamus, quorum minor notitia apud auctores. Sed de his proposuisse satis sit, & mallem alios audire, quàm iudicare. 3.

Est VValdsasum Monasterium Cæsareum, & Imperiale, quod idem, qui suprà auctor his verbis notat. [b] *Accedit ad nouum hoc Nariscorum terræ ornamentum alia insuper felicitas, neutiquam hic prætermittenda, aut silentio prætereunda. hæc illa erat. Habebat Princeps Theobaldus ex prima vxore sua domina Adelhaide Poloniæ Ducissa, filiam Adelheidim i[…] gni formæ, ac singulari virtute, prudentiáque præstantem puellam, quam cum potenti[…] mus Imperator Fri[…]ricus Barbarossa matrimonij legibus sibi coniungi petiisset, nuptiæ anno Christi M. CLXXIX. regio ap[…] in vrbe Egrana cum adiacente ditione omni, recensque constructa, ac nuper adeo quatuor præclaris pagis a Marchione Theobaldo donata Abbatia. Peractis nuptiis prodiit Imperator cum magno Principum, […] piscoporum comitatu in nouam Abbatiam, quam […] præsente à Chunone secundo Episcopo Ratisbonensi co[…]crari fecit. Ab eo tempore ad hæc nostra vsque, Cœnobium prædictum semper Imperatoriæ ditionis fuit.* 4.

b in VVald.

Cæterùm quæ sepulchra in eo cernantur, ne quid 5.

quid prorsus omittam, quod ad rem faciat, ex eodem auctore accipiat lector. *Sunt in eius templo principaliori praclara Mausfola Prouincialium Comitum de Liechtemberg, Gebardi videlicet, ac Friderici cuiusdam, qui patre etiam Friderico, & matre Elisabetha Comitissa de Ortemberg natus Abbas Landheymensis, ac Ebracensis Cœnobiorum, tandem Aistetensis Ecclesia Episcopus factus, ex hac mortali vita, anno M. CCCXLVI. ad salutis aterna patriam emigrauit. Est & in sinistra Chori parte tumulus Friderici, ac Gebhardi Comitum de Sulzbach, & prope adiculam corporis Dominici egregium monumentum Ioannis Episcopi Ebronensis in VValdsasensi Cœnobio olim professi, qui mortuus esse legitur anno M. CD. V. secunda Kalendarum May. Sunt in eodem templo sepultura etiam nobilium regulorum de VVirzburg, Sparrenbecht, Schirming, Nothaphtorum: item de Veisenstein, & quorundam aliorum cum in Nariscorum, tum pretoriana terra habitantium.*

6. In Abbatibus notatu dignum est, tres priores, Henricum, de quo suprà, Vlricum, & Adeodatum (nam sic dicti) fere annalem præfecturam exercuisse, quippe ante annum M. CXXXVIII. de medio factos, siue cedentes, siue decedentes, quod minus constat. Vnde & factum est, vt parum, aut nihil sub eis Cœnobium creuerit. At sub Gerbaco, qui quarto loco electus, illustria priuilegia, & possessiones, tum a Conrado Sueuo Imperatore, tum ab aliis Principibus accepit, quæ idem Gaspar Bruschius [e] latè commemorat. Qualiter autem sub hoc eodem Abbate Zedlicense Cœnobium in Boëmia, Monachis ex VValdsaso missis fundatum sit, suo loco conuenientiùs referemus.

[e] *in VValdsaso.*

7. Demum illustrant VValdsasi initia conspicui sanctitate viri, quos memorauimus, Gervvicus, VVigardusque, vterque, vt aiunt, [f] consummatus felici obitu. Sed cuius nec dies, nec annus nobis constet, sicut nec reliqua acta vtriusque Sancti: quod multis aliis nostratum contigisse, dolendum satis. Nec ausim dicere, vnde ortum habuerit, ex modestia antiquorum, an ex incuria? Fortè ex ipsa Sanctorum multitudine, quia cunctis magnis, pauci præeminuere, atque his si notari, pro more hominum. Alios Sanctos loquuntur propriæ historiæ: Cistercienses exteræ, quippe aliis fortasse superiores, suis æquales, illi tantùm loquuntur, quibus præcellunt. Inde hi Annales longè difficillimi, quia magna ex parte ex alienis eruendi. Vtrumque virum Menologium Cistercij memorat, Gervvicum quinta, VVigardum vigesima secunda die mẽsis Octobris. Hæc quarta Morimundo neptis hoc anno nata: cui si tres alias superaddas, & filias totidem, haud dubiè videas Ottonis patris manum, à qua, post Deum, incrementa tot acceperit. Nunc quoniam fundationes semel tradimus, quæ paucæ restant, paucis subiiciamus.

[f] *Bruschi. ubi supra. & in tabula VValds.*

8. Ex quinque reliquis recensitis in Chronologia, tres, quia ignotæ, necessariò prætereundæ. Geroldonia, Bassin VVerech, & Nouum Claustrum. Nisi quòd tamen Geroldoniæ in Anglia domus de linea Cistercij, atque Boauetleæ filia, in exemplaribus quibusdam memoratur Bassin VVerech, siue Basserineth (vtroque enim modo scribi solet, in VVallia eiusdem Regni prouincia, filia Bildeuasij, adeoque Claræuallis lineam adaugens. De Nouo Claustro nil penitus inuenio. Sancti Sulpitij, Quinciacique domum in Belicensi & Lingonensi diœcesi Pontigniacum genuit sub Guicardo quantum licuit Hugonem imitante, cura peruigili, & studiosa fœcunditate. De ea in libris Cameræ Apostolicæ ad centum quinquaginta florenos producta taxa, itemque in genesi Ecclesiarum Pontigniacensium. Initia domus nuper scripta [g] lego, ab Alfonso Delbene, ex Abbate Altæcumbæ Episcopo Albiensi viro docto, & cuius opera alia recensentur, quæ tamen ad manus nostras (neque enim lucem hactenus videre) non peruenere. Illustrem reddidit Ecclesiam S. Sulpitij Vitalis Conuersus, meritis, & miraculis gloriosus: de quo in sequentibus multa, si Deus dederit. Cæterùm, quæ de Monasterio sancti Sulpitij, itemque de Altacumba Brito tradit Apocrypha, omnino inde coniector, quòd sanctum Sulpitium Claræuallis facit filiam, Altam Cumbam Alpium: atque huius generis quædam alia miscet, quæ à vero abhorrent, si qua fides antiquis instrumentis. Quinciacum ad annum anteponunt memoriæ eiusdem domus in MS. antiquo, quod ita habet. *Anno M. CXXXII. in die S. Georgij inceptum fuit Monasterium de Quinciaco, in Lingonensi diœcesi.* In medio presbyterij sepulchrum visitur sub plano lapide, duobus tantùm pedibus insignito, quod B. Galterius ex eiusdem domus Abbate Episcopus Antisiodorensis 62. esse putatur. Quod si verum est, ex ipso corrigenda venit, augendaque series Episcoporum Antisiodorensium, quæ virum tacet. Sed de his anno M. CCXLIV. quo successit Bernardo de Soliaco, latiùs à nobis, Deo dante, agendum erit. Dedicatur Ecclesia Quinciaci anno M. CXXXIX. & memoratur à Petro, Abbate Cellensi, *lib.* 2. *epist.* 13. quæ est ad Priorem Molismensem. In eadem spectare licet sepulchra dominorum de Tanlay ex Regia familia de Courtenay, ex qua dicitur fuisse dominus Ioannes de Courtenay, eiusdem loci Abbas, de quo infrà.

[g] *in Gall. Robert.*

Ardurellum accessit vtrique domui, Pontigniaci lineam adauctura, quippe neptis ei nata ex Cadurino in diœcesi Castrensi, quæ in districtu vrbis sita dicitur in libris Cameræ, Claudius Robertus in Castrensi hodie, sed olim in Albiensi locatam tradit. Initia domus, fundationemque, & primum Abbatem, ex veteri, vt affirmat MS. idem auctor vulgauit in sua Gallia. *Ardurellum (ait) Cisterciense diœcesis Castrensis, olim Albiensis, cuius fundationem confirmauit Innocentius secundus Papa, M. CXXXVIII. Pontificatus anno nono. Cuius primus Abbas Fulco: fundatur verò à Cæcilia Comitissa Bituricensi ante ostium Ecclesia sepulta hoc epitaphio:* 9.

Omnis qui nescit, discat, quoniam requiescit
In hoc sarcophago, vera Cæcilia virgo.
Ista Monasterium fecit, reliquiasque domorum,
Culta, vel inculta dans fratribus hæc bona multa.
Ergo præsentes orent, pariterque sequentes.
Hic pro defuncta, quibus hæc sunt præstita cuncta.

Hæc de præsentis anni fundationibos, quas & industria Ottonis perpendenda, & ipsa historiæ series deposcebat. Quatenus clariùs legentibus paterent incrementa Cistercij, profectusque cùm Pater Stephanus viribus deficiens, & iam proximus morti, præfecturam deposuit, antequam vitam, quod sequens caput pleniùs commemorabit.

10. Interim quod ad Mellifontem attinet, noto, recensitam hoc anno in Chronologia, insigni errore, quippe cuius Christianus primus Abbas, à sancto Malachia relictus in Claravalle anno Christi M. CXXXIX. cùm Româ rediens, in Hiberniam repatriabat. Pòst probatus, & Monachus effectus, à sancto Patre Bernardo remissus est, ad annum Christi M. CXLI. vt suis locis ex ipso demonstrabimus.

---

1. Oratio Stephani ad Abbates in Capitulo. 2. Cunctorum tristitia. 3. VVidonis pro Stephano electio, 4. & visio Sancti de ipsius indignitate. 5. Silentium eius, precesque pro filiis. 6. Depositio VVidonis, 7. & Raynardi subrogatio. 8. Cur non Bernardi? 9. Raynardi apta descriptio. 10. Visio mirabilis de ipso, & Monachus Cistercij, sub eius cura.

CAPVT IX.

1. HÆc incrementa Cistercij sub hoc tempus, penè iam dilatati per totum orbem: cùm Pater Stephanus senio, & morbis grauis, præfecturam, quàm vitam ante deserere, maturo demum consilio deliberauit, posteritati suæ superuicturus, & fruiturus in pace memoria sui. Igitur congregatis ex more Cistercij cunctis Abbatibus, & iis quæ disponenda erant, dispositis, discedentes iam filios, & nihil tale opinantes benedicturus, his, aut similibus verbis aggressus est. Si valens, vitensque deposuissem hoc onus, sub quo nunc gemo, pusillanimis, aut iners meritò dicerer. Nunc multo senio, & morbis confectus viribus, & ceriete comperiior, quàm deponere, modestus potiùs censebor, seo non præsumptor. Debiles, quandiu potui, supposui humeros, & nec labori, nec curæ vnquam peperci, quo saocta hæc plantatio radicaretur. Atque ecce incrementum, dante Deo, Monasterium quod vnicum accepi, in centum plus minusve multiplicaui. Ex his tredecim ipse per me construxi, per vos reliqua. Eorom omnium exemptionem ab Episcopis, in his, quæ possent turbare pacem vestram, à decimis in his, quæ quietem, tandem obtinui, non, vt alicui debitum negarem, sed vt supremo iutium omnium Domino in libertate spiritus seruirem. Leges quas vobis aptas iudicaui, quin & expertus sum, curaui exemplo, quàm scriptis stabilire. Multos per eas ante me in cœlum præmisi: plures in via relinquo prouectos viros, quibus possit hæc cura demandari. Mihi non tam affectus, quàm vires desunt, & caligantibus oculis, vt cernitis, eo ad interiora mea propentiùs vocor, quo externis deseror. Liceat quiescere impotenti labore, & permittat mihi soli prouidere, cùm nequeo aliis.

2. Hæc dicta singultus omnium sequutus est, atque inter lachrymas voces parum expressæ, nec consentientium voluntati beati viri, nec audentium ei qoidquam denegare, quippe suetæ obedientiam à multo tempore, nefas putabaor illi contra ire, cui hactenus ad nutum obtemperassent. Addiderat orationi pondus senilis vox, quæ & crebris suspiriis interrupta, quo lentiùs exibat, altiùs imprimebatur. In eas angustias res deducta est, vt neque alium agnituri Patrem viderentur, neque hunc possent. Sed sermonibus Sancti contradicere nequaquam ausis, quicumque successurus visus est, ipso viuente plenius instituendus. a Lib. 1. c. 37. Auctor Exordij magni paucis hæc retigit. a *Cùm autem (ait) beatus Pater Stephanus officium sibi commissum, secundum veram humilitatis Domini nostri Iesu Christi regulam strenuè administrasset, longo confectus senio ita vt caligarent oculi eius, & videre non posset, curam pastoralem deposuit, soli Deo, & sibi per sancta contemplationis gustum vacare desiderans.* Hæc in Exordio.

3. Ergo soluto generali Abbatum conuentu, soli Electores Cistercij remansere, Stepbano daturi successorem, si consentiat, ab ipso nominandum, sin minus, dirigendi omnes eios consilio. Verùm cùm Sanctus omnino se subtraheret, illorum magis, quàm suo iudicio deferens, solenni prece ad Deum primò concepta, mox inter se collatis omnium meritis, tandem VVidonem quendam elegère, virum doctrina, eloquioque præstantem, ingenio promptum, & negotiis gerendis aptum: nec degenerem moribus, quantum humano iudicio percipi valuit. Sed ó altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eios! In ipso feruore diei nouæ familiæ, inter radios sapientiæ tantorum Patrum, in medio lumine cæcutire permissi sunt, hominem sibi imponentes prorsus indignum. Audi Exordium pergens in hunc modum. *Successit itaque ei quidam indignus, nomine VVido, qui donis exterius, ad instar sepulchri dealbati non mediocriter pollens, interiùs erat putredine vitiorum sordens.* Hunc Cistercio custodem permisit Deus, hunc Bernardo parentem, hunc Amedeo, vtrique, Petro, Ioanni, & reliquis viris sanctis pastorem dedit, hunc Stephano in officio successorem. qoo magis omnibus liquidò constaret, nullum omnino incrementum, rebus humanis, nullamve permanentiam, nisi ab ipso.

4. Atqui filiis ad tempus derelictis instructionem parabat, non ruinam, nec vitia occulta permisit diu latere, nec ficta exteriùs virtute decipi cunctos. In ipso immeritæ dignitatis ingressu, Stephanom per visum, reliquos intra mensem, per publicam infamiam commonefecit, vt exturbato VVidone, alium sufficerent, nec membra munda putridi capitis influxu macularentur. *Cùm in ipso promotionis suæ primordio* (pergit prædictus auctor eodem loco) *fratrum de more professionem reciperet idem Dei famulus Stephanus vidit in spiritu immundum spiritum ad illum venientem, atque in eius os ingredientem.* Hoc primum indignitatis hominis signum Stephano parenti reuelatum, vt carnis oculis exteriùs caliganti, sic spiritu interiùs perspicacissimo.

5. Doluit vicem Cistercij Pater sanctus, atque oues lupo commissas velut Pastori, & si licuisset, fortè reuelasset, à quo spiritu nonus Abbas possideretur. Sed vitia occulta proximi vulgare prorsus iniustum, parentis etiam impium, & sacrilegum. Quid si Satanas, quo Ordinem turbaret, apparenti illo ingressu ei illusisset? Quid si verè, sed sine culpa patientis

patientis ingressus esset? Quid si cum culpa, sed statim egressurus, crimine diluendo per pœnitentiam? Ergo quod potuit, confugit ad orationem, & nouum Ordinem, quem primò Robertus Pater, mox Albericus, ipseque plantauerant, quem Bernardus rigabat, colebatque fluentibus signorum, atque doctrinæ, cui tantum Deus incrementum breui contulerat, adfectuosissimis precibus commendat, Nouum Abbatem aut corrigat, aut prodat, correctum profuturum gregi commisso, proditum deponendum consilio fratrum, & vt non possit, saltim non nociturum. Tum ad beatam Virginem conuersus, vnicam protectricem totius Ordinis, & quam matrem, quam dominam elegerant, quin & ante electionem experti fuerant, in ipsa cum patente Roberto desponsatione, aduocatam, mediatricemque constituit placando filio.

6. Præualuit nouus Iacob aduersùs Deum flens, rogansque, nec multo pòst obtinuit, quod exoptabat. *Vix mensis præterierat vnus* (pergit auctor Exordij) *& ecce reuelante Domino, denudata est impietas ipsius* (scilicet VVidonis) *& eradicata est mox de Paradiso plantatio spuria, quam Pater cœlestis non plantauerat.* Hæc ibi. Qualiter autem turpitudo denudata, compertaque, depositionis sententiæ subiacuerit, memoriæ prodere exubuerunt antiqui Patres, culpam simul, & pœnam inuoluentes, ne memoria maneret turpitudinis, quæ sola posset Cistercienses Abbates decolorare. Vnde neque hũc inter alios recensent tabulæ. Fuit tamen velut næuum in facie pulchra, per viginti, & eis amplios Abbates continuata in Cistercio Sanctorum serie. Quid de VVidone factum, prorsus ignorum, nec crediderim silentio inuoluendum, si resipuisset. Perditum hominem in reprobum sensum datum putandum est, quo cæteri cautiores efficerentur.

7. Deposito per sententiam pseudo Abbati vir sanctissimus sufficitur Rainardus: non ex præfecto, quod sciamus, alterius domus, sed ex Monacho Ecclesiæ Claræuallis, discipulo Bernardi, quem sanctus Pater eximiè prosequabatur. Eius post Stephanum Patrem electionem, VVidone suppresso, Chronicon metricum describit duobus versibus.

Inde Rainardus virtutum pondus honestum
Semper habens in se, curam cœpit gregis huius.

Bernardi filiationem in Claravalle habemus ex Gaufrido Claræuallensi, in vita sancti Patris, dum ita ait. [b] *Dominus Abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Claravalle adsumptum Pater sanctus* (scilicet Bernardus) *& amplectebatur vt filium, & venerabatur vt patrem.* Sic absente Bernardo, Bernardi filius concorditer in Cistercij Pastorem electus est, paternorum radiorum repercussione, vt luna orbem, Cistercium illustraturus.

b lib. 4. c. 3.

8. Sed cur Bernardum ipsum non elegerint, coniectari potius licet, quàm asserere. Crediderim Godefridum Priorem electioni præsentem ipsius loco, dum Sancto obsequitur, filiis prouidisse, atque eiusdem propositum firmasse, qui nunquam volens euellendus esset à Claravalle. Propter quod etiam eo suggerente, litteras Pontificias obtinuerant, ne sanctus Pater ad aliam transire Ecclesiam compelleretur. Ergo non ausi virum inuitum trahere, ex eius filiis elegerunt sibi pastorem, per quem doctrina Magistri altiùs impressa, vndequaque erumpens propagaretur.

9. Porrò Rainardus qualis, ac quantus fuerit, plura à nobis tradenda demonstrabunt. Interim breuem descriptionem viri subiiciam, ab [c] Anonymo auctore eius discipulo, luculenter, sed verè delineatam in hunc tenorem. *Eo tempore Cisterciensibus præerat Abbas Rainardus nomine, vir, in quantum ego intelligere potui, & multis aliis claruit, dulcibus mellis fauis comparandus, siquidem elegantia personæ, generis nobilitate, humilitatis decore, feruore religionis, cunctis, quibus præerat, Abbatibus præminebat. Porrò diuini amoris, & sanctæ religionis zelo, ita flagrabat, vt ignis superaret ardorem. Sed exterius tanta dulcedine pollebat, vt mellis vinceret suauitatem. Ab hoc ego, qui hæc scribo, huius sanctæ religionis habitum, quamuis indignus suscepi.*

c lib. 2. vit. S. Steph. Abb. Obremi.

Atque hæ Rainardi laudes coram hominibus, immensæ quidem, si Bernardum memores, si Petrum iam Abbatem Stamedij, si plures alios, quibus præfuit, quandiu vixit. Verùm quanti apud Deum meriti fuerit, sancto Christiano, cuius suprà meminimus, in visu ostensum, auctor Exordij magni memoriæ prodit. Id quia incerto anno descriptum est, quo maiorem Rainardi notitiam accipiat lector, hic non incongruè annectendum fore censuimus. [d] *Rainardus vir venerandus quondam Abbas Cistercij, audiens famam beati Christiani Monachi, virum tam sanctum videre, & alloqui cupiebat. Scripsit itaque domino Abbati Elecmosyna, sub cuius cura idem dominus Christianus erat, quatenus ipsum sibi cum reuerentia transmitteret. qui accito vno de fratribus, quem ad hoc idoneum esse sciebat, eundem Dei famulum ipsi commendauit, vt sicut sibi præceptum fuerat, ad dominum Cisterciensem duceret. Dum verò quadam die iter agerent, & secundùm æstimationem temporis regularem horam sextam simul dixissent, retraxit se Monachus, qui cum viro Dei ibat in partem, vt horam de Domina nostra secretò singuli per se psallerent, quia nondum data erat licentia horas de beata Virgine cantandi publicè. Vir autem Domini, dum solus præcederet, subitò in excessu mentis raptus est, & stillantibus lachrymas oculis, facie quoque ad cœlum erecta, in diuersa nutabat, ita vt equo, quo vehebatur, vix hereret. quod Monachus alter cernens, licèt multum timeret, ne fortè de equo laberetur, tamen dans honorem Deo, non præsumpsit propiùs accedere, sed patienter expectabat, quem res exitum habitura foret. Cumque post modicum senior ad se reuersus fuisset, socius itineris eius reuerenter accessit, cœpitque humiliter petere, quatenus si aliquid ad honorem Dei, & ad edificationem proximi vidisset, sibi pandere dignaretur. Tunc Domini famulus hilari vultu respondit: Frater mihi dilecte, quánam parte sita est domus Cistercij? Et cùm nunquam Cistercium vidisset, nec per viam, qua illuc itur, ambulasset, indirectum protensa manu ad illam plagam cœli, vbi ipsum Cœnobium situm est, dixit: Nonne est ex hac parte? Cumque Monachus admirans diceret, etiam sancte Pater, ille in iubilum cordis ex ore erumpens: O beati* (inquit) *fratres, qui Cistercij habitans! O quàm beatus est sacer ille Conuentus, qui Domino tam syncerè, quàm deuotè diu, noctuque deseruire contendit! Et conuersus ad Monachum, modò, ait, cùm, sicut vidisti, in excessum mentis venissem, raptus sum in spiritu Cistercium, & vidi conuentum Monachorum in choro in Ordine suo stantem, multa claritate perfusum, laudes Deo deuotissimè persoluentem. Supra eundem verò vidi alium Conuentum sanctorum Angelorum eodem Ordine stantium, qui etiam multo maioris luminis claritate radiantes, fratrum deuotioni congratulari videbantur. Porrò in superiori illo choro* (scilicet Angelorum) *vidi dominum Abbatem, quasi in stallo suo stantem, qui & ipse competenti gloria circumdatus, magna lucis radios emittebat. Cumque frater ille quæreret, vtrùm non vidisset dominum Abbatem pari cum sanctis Angelis gloria claritatis refulgentem?* 10.

d lib. 1. c. 40.

tem? Respondit senior: Scire debes, quia in hac mortali, & corruptibili vita, quantumcumque quis proficiat, non poterit pari cum sanctis Angelis gloria claritatis vestiri. Audiens hæc frater ille, multum ædificatus est, & indubitanter agnouit, dominum Abbatem Cisterciensem magni apud Dominum meriti esse. Hactenus Exordium.

11. Quibus verbis non Rainardi tantùm, sed & omnium Cisterciensis Cœnobij fratrum meritum videas, quibus Angeli sancti quasi alternis sociati, ad laudes Deo canendas coniungebantur. Sed Rainardi excellentiam supra humanam, quem velut Patrem Angeli susciperent, & luto adhuc corporis hærentem, cœlestes spiritus aut prætidem haberent, aut in sede Præsidis stantem venerarentur. Illud etiam in gloriam eius cedit, quòd non absolutè Angelis inferior in claritate, à sene sancto qui vidit, renunciatur, sed quandiu in mortali hac vita, & corruptibili, quasi post ipsam, quosdam præcessurus. quod vt asserere, vt certum minus audeam, suspicari quis prohibet? Non solùm ceciderunt Angeli infimi, & lapsorum ruinæ, sedesque dicuntur reparandæ per sanctos homines. Hunc successorem Stephanus promeruit, neque solum habere, sed illo frui, quippe, vt optabat, superuixit suæ memoriæ, & Cistercij decorem, cui insudauerat, videre obtinuit clarum in hærede, eoque non obscurandum post eius obitum. Hic quam gloriosus sequenti anno contigerit, ipso quo euenit, tempore dicemus.

IESV CHRISTI. ANN. 1134. | CISTERCII ANN. 37.

1. Mediolanenses Bernardo Patri occurrunt, 2. Pontifici, & Imperatori per eum reconciliandi. 3. sancti Doctoris epistola ad Clerum, 4. atque item alia ad ciues Mediolanenses: 5. tertia ad Nouitios, qui ibidem eius aduentum præstolabantur 6. Cardinalis Martini à legatia reditus, laudesque. 7. Petri Bernardi, qui post Eugenius tertius, initia, & conuersio, 8. & quæ dignitas, quam Pisis exercebat. 9. & an alia potitus quandiu in sæculo?

CAPVT I.

1. HActenus actum de statu totius Ordinis, prætermisso Bernardo per plura capita: nunc iam, quia ad Bernardum redeundum est, de statu Ecclesiæ latiùs disserendum. Nec enim is sine Bernardo constitit, nec de Bernardo quidquam loqui possumus, quandiu eumdem in medium non proferamus. Condixerat Innocentius Concilium Pisis hoc anno Christi M. CXXXIV. celebrandum: cui etiam adfuturus erat, magna tunc pars Ecclesiæ Bernardus Pater, ex eiusdem Pontificis præcepto. Cùm ecce properantem illuc adire interceperunt Legati ex Mediolano, secum, si possent, Sanctum reducturi, per quem Pontifici reconciliarentur, per quem Lothario. Hoc vltimo per electionem succedente in Henrici Imperatoris defuncti locum, Conradum nihilominus Sueuiæ Ducem eiusdem Henrici sororium, iure sanguinis regnum adfectasse, superiùs dictum. Quin à Mediolanensibus susceptum Modicè sede regni Italiæ, ab Anselmo Archiepiscopo inunctum, ac Regem Romanorum acclamatum, ex eiusdem Conradi fratre Otone Frisingensi etiam tradidimus. Ergo in hac fide constantes, seu pertinaces, dum Conrado adhærent, Lotharium respuunt, propter Conradum Innocentium etiam auersabantur, quippe Innocentius hæreditaria ab Honorio protectione, dein multis, neque exiguis obstrictus meritis, partes Lotharij, causamque promouerat.

2. Cæterùm iam Lothario coronato, & Conrado per Bernardum illi composito, cùm nullo tenerentur iuramento præstitæ fidei, & aliàs vellent Ecclesiæ reuniri, gratiam Pontificis, Imperatorisque, Anacleto abiurato, per eumdem Bernardum auspicabantur. Hæc publica legationis occasio fuit: sed præter hanc specialis alia pluribus, qui sanctitatis Bernardi, & discipulorum eius fama perculsi, conuersique, & iam tunc sæculi delitias spernentes, sancti Patris aduentum si non præuenerant, saltem præuenti à Deo præstolabantur, ipsius se magis tertio tradituri. Ex his, ni fallor, Legati delecti sunt, quasi ex ipso conuersionis suæ Præposito, sanctum Patrem efficaciùs persuasuri. Et diuertisset statim ad eos Pater dulcissimus, nisi Pisani Concilij tempus instaret, cui salua Pontificis obedientia abesse nequaquam posset. Respondit tamen inducias breues petens, se ipsum post Concilium exhibiturus. Et quoniam Mediolanensis Cleri præcipuè opera, eadem ciuitas, absterso primo errore, ad vnitatem Ecclesiæ reuocabatur, hanc primò ad Clerum epistolam scripsit.

[a] *Ad Clerum Mediolanensem. Benedicti vos à* 3.
Domino, quorum studio, & industria ciuitas vestra libe- a epist. 132.
rata est ab errore, & relicto schismate, ad Catholicam rediit vnitatem. Exiit sermo iste inter Catholicos: Audiuit, & lætata est Sion, & est vobis gloria coram Deo, & omni populo. Quam lætis amplexibus Mater Ecclesia colligit tot, & tantorum multitudinem filiorum, quos se amisisse dolebat? Quam læto, & sereno vultu Deus Pater recipit hoc sacrificium de manibus vestris? Quod autem & paci terræ intenditis, facitis, quod filij pacis. Et ego fratres Particeps, & socius gaudij vestri fieri cupiens, iuxta petitionem vestram ad vos cum dilectis fratribus nostris nunciis vestris veniebam, de quibus mihi scripsistis, pleniùs secundùm rationem in beneplacito Dei satisfacturus. Sed quia tempus breue est quo ad Concilium festinamus, non grauet vos vsque ad reditum nostrum sustinere. Hæc Bernardus ad Clerum. Ad ciues verò nec plura, nec dissimilia.

[b] *Ad vniuersos ciues Mediolanensium. Vt ex scri-* 4.
ptis vestris percipio, nonnullus mihi locus gratiæ apud b epist. 133.
vos est. Et quoniam meum non inuenio meritum, diuinitus, credo, datum. Non recuso fauorem ingentis insignisque populi. Amplector oblatam gratiam, & obuiis manibus gloriæ ciuitatis deuotionem deuotus excipio: præsertim hoc tempore, quo abiecto errore schismaticorum, ad sinum matris Ecclesiæ cum gaudio totius orbis reuersa est. Arbitror tamen non solum mihi gloriandum, quòd mittor ad pacem quærendam, & a famosissima vrbe, cùm sim pauper, ignobilisque persona, tanti boni mediator, atque minister assumor: sed vobis quoque per talem nihilominus honor est flecti ad pacem, & concordiam vicinorum

timorum vestrorum, quos nec multarum ciuitatum hostilis impetus (vt bene notum est mundo) cedere aliquando compulit. Itaque festinans ad Concilium, spero me rediturum per vos, & probaturum de gratia, quam promittitis. Qui autem gratiam dedit, faciat ne in me vacua sit. Ita Bernardus ad Clerum, & ad ciues, firmans per litteras obedientiæ, & pacis propositum, idem mox per seipsum confirmaturus.

5. Cæterùm ad Nouitios, sic enim vocat, quos filios iam parturiebat adfectu cordis, siue ex nouo adhuc feruore, quo incaluerant, siue vt eos quasi iam ad probationem admissos consolaretur, in spiritu consilij, & fortitudinis per eosdem Legatos hæc, quæ sequuntur.

c epist. 134. [c] *Ad Nouitios apud Mediolanum conuersos. Benedictus Deus, qui fecit vobis vilescere mundi gloriam, largitorem suam. O quam vani filij hominum, quam mendaces filij hominum in stateris; qui (secundum illud Euangelij [d].) gloriam abinuicem quærunt, & gloriam, quæ a solo Deo est, nolunt: planè in hoc ipsi decipientes de vanitate in idipsum. Vos autem non sic. Ab hoc vos opprobrio liberauit nunc diuina misericordia, vt essetis Christi bonus odor Deo in omni loco, ipsi ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus ad exemplum. Si quidem [e] gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente: quanto magis super tot, & talibus viris, & de tali vrbe conuersis? Et ego fratres tanta lætitia prouocatus, sed & vocatus à vobis, per charissimos fratres Ottonem, & Ambrosium, quos ad hoc ipsum direxistis, decreueram cum ipsis simul venire ad vos. Cæterùm meliùs existimans, non in articulo temporis, neque in transitu vos videre, distuli vsque ad reditum nostrum. Properamus quippe ad Concilium, per vos, Deo auxiliante, reuersuri, consilium, & auxilium, quod secundùm rationem poterimus, vestro sancto proposito præbituri.* Hactenus Pater sanctus ad nouos, nec dum notos sibi discipulos, anticipato Nouitiorum nomine, quo anticipata illorum obedientia, atque in manus Bernardi resignatio, pari quodammodo responso compensaretur. Non tamen eius vocabuli occasione (quod [f] Baronium decepit) putandum est, ante aduentum Bernardi ad Mediolanum Cisterciensem familiam ibi plantatam, aut Monasterium aliquod constructum, cui se illi Nouitij mancipauissent. Aliàs neque consilium, nec auxilium ab eo peterent, exequendo proposito concepto. Quin & primum Cœnobium Claravallis, ex eiusdem Sancti aduentu resultasse, ipsa series historiæ demonstrabit.

d Ioann. 5.
e Lucæ 15.
f ad hunc ann.

6. Interim Sancto Pisas iam tenente, contigit reditus venerabilis Martini Cardinalis Presbyteri, quem ex Cistercio adsumptum, ex aliorum sententia suprà retulimus. Is legatione, qua in Dania functus fuerat, exactè perfunctus, cùm ad eum, à quo missus, reuerteretur, non leuem sanctitatis suæ specimen prætulit, quod à sancto Patre Bernardo memoriæ proditum, ipsius verbis (nam quæ non inferiora?) libet prosequi. Scripta ea ad Eugenium Summum Pontificem, cùm iam ad superos euolasset ipse Martinus. [g] *Dignum nunc ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Nosti hoc, sed an memineris, ignoro. Is Cardinalis Presbyter functus aliquando legatione in Dania, tam pauper remeauit, vt penè expensis, & equis deficientibus, vix perueniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donauit ei equum, quo Pisas vsque, vbi tunc eramus, peruectus est. Postridie, credo, sequutus Episcopus (erat enim illi causa cum aduersario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cùmque per singulos solicitaretur, ventum est ad Martinum: fiducia erat maior in illo, quòd non posset immemor esse recentis beneficij. Tum Martinus: Decepisti me (inquit) nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est, & hora eadem resignauit illi. Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro? Transiisse per terram argenti, & argentum nesciisse? Donum insuper quod poterat esse suspectum, alico reiecisse.* Et post pauca. *O si talium daretur virorum copia ... Quis det viuere, vt videre contingat? O si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis*, &c. Hæc ad Eugenium Bernardus de Martino, quem vt non ausim Cisterciensem certò asserere, sic neque inficiari. Nostrum adpellat Sanctus, dum ad Eugenium Cisterciensem pariter loquitur, neque est, vnde constare nobis possit, aut alterius, aut nullius fuisse instituti. Henriquez inter viros illustres Cistercij memorat ad vigesimam primam diem mensis Septembris.

g de consolat. l. 4.

7. Et quia de Eugenio mentio facta est, hinc obiter coniectari libet tempus conuersionis eius, quam in hunc annum, aut certè non ante ipsum, adeoque nec multo pòst incidisse, indicare videntur illa, *Nosti hoc, sed an memineris, ignoro*, quasi præsentem tunc Pisis Eugenium nequaquam potuerit latere Martini factum. Certè Petrus Bernardus (namque hoc illi nomen ante electionem) ex Canonico, & Vicedomino Ecclesiæ Pisanæ conuersus est: vt coniectamur, in his adhuc manentem adstitisse Martino, postmodum à Bernardo mittendum, seu fortè secum ducendum ad Claramvallem. Genus homini obscurius, quàm illustre, nec progressus in litteris clariores, quippe quem sublimatum in Pontificem, scientia infusa illustratum, in defectu acquisitæ, cuncti perhibent, quod nos etiam inferiùs adnotabimus. Sola virtus gloriosum virum fecerat, & qua pollebat, prudentia in rebus gerendis. Non me latet Ferdinandum Vgellum [h] ex Raphaele Ronciono in sua Historia Pisana [i] latè probare Eugenium ex nobili, & antiqua Paganellorum prosapia ortum habuisse, natum in Monte magno, qui, eo tempore, eiusdem familiæ dominium agnoscebat. Porrò Paganellorum prosapiam ex Fesulanis ruinis, ad maximas & ingentes diuitias, tum apud Pisanos, tum apud Florentinos excreuisse. Quinimò addit, nobilem Placentinam familiam dictam de Bernardis, ab strenuo milite Ioanne Oberti Eugenij Papæ fratris filio, originem ducere: probatque instrumento antiquo Placentino confecto ad annum M. CLXII. Demum coniectatur eamdem familiam dictam de Bernardis in sancti Patris memoriam religiosam. *Non secus ac* (ait) *ipse etiam Eugenius, ante Pontificatum, prior Bernardus, ob eiusdem Sancti deuotionem, dictus est*. Hæc ille pluribus. quæ ego cùm in antiquis non inueniam, nec affirmare ausim, nec reprobare.

h Io addit. ad Ciacon.
i lib. 5.

Porrò quod attinet ad eam dignitatem (nostro sæculo ignotam) quam in Ecclesia Pisana præhabuerat, habemus ex Bernardo Bonæuallis, de eodem, dum Romam mitteretur, ita dicentes. [k] *Mittitur igitur Bernardus Pisanæ olim Ecclesiæ Vicedominus, & religiosi cum eo fratres.* Sed & ipse sanctus Bernardus ad Cardinales Romanæ curiæ scribens, hæc de Eugenio tunc recèns electo. [l] *Numquid idcirco Pisam deseruit, vt reciperet Romam? Numquid in vna Ecclesia non sustinuit vicedominatum, vt dominatum in omni Ecclesia requirat?* MS. antiquum apud Dunenses, quod refert [m] Henriquez, non vicedominum vocat, sed suffraganeum. *Bernardus* 8.

k lib. 2. c. 7.
l epist. 236.
m Iulij 8.

(ait)

(ait) *olim Ecclesiæ Pisanæ suffraganeus, Monachus factus in Claravalle.* Fortè vices gerebat Archiepiscopi, eoque dicebatur dominari vice ipsius: quamuis reuera sectaretur vocem Apostoli: [a] *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis.* Constat semel admissum ad Ordinem, Bernardo Patri inter paucos perfamiliarem, & cui vel recèns etiam tunc professo ardua quæque negotia tutò committeret.

a 1. Petr. 5.

9\. Ego in iure Vicedominum lego dici OEconomum, & administratorem rerum Episcopi, *cap. saluator. 1. quæst. 3. Nomine verò Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Ecclesiarum rerum administratorem, verbi gratia, Præpositum, OEconomum, Vicedominum.* Vbi Glossa. *De Vicedomino planum est, quia ille est, qui præest rebus Episcopi, sicut œconomus, qui præest rebus Canonicorum, sæpe tamen vnum ponitur pro alio.* Distinctiùs aliquid, maiusque *in cap. volumus 89. distinctione. Volumus, vt frater noster Paschasius* (scilicet Episcopus) *vicedominum sibi ordinet, & maiorem domus quatenus possit, & hospitibus superuenientibus, & causis quæ eueniunt idoneus, & paratus existere.* Sed maius adhuc expressiusque *in cap. Diaconum. eadem distinctione.* vbi Pontifex excusans Anatolium, cui non possent impingi alia negotia: hanc reddit causam in textu ipso expressam. *Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio Episcopium commisimus disponendum.* Ergo ex hoc munere, seu dignitate manis, vocatus Petrus, Monachum sub Bernardo indui in Claravalle. Ciaconius aliam etiam dignitatem ante habitum susceptum illi attribuit, nimirum Abbatiam sancti Zenonis: quam tamen virum nunquam obtinuisse contendit acriter Ferdinandus Vgellus *in additionibus*: vterque, vt puto, ex minori notitia rerum, quippe sancti Zenonis Abbatia eadem est, quæ Sanctorum Vincentij, & Anastasij, ex reliquiis pretiosis inuicti Martyris, sociorumque, quæ ibidem continentur, ita appellata. Ergo præfuit Abbatiæ sancti Zenonis, non ante assumptum habitum, sed Monachus, ab Innocentio Papa illi præfectus, cùm à Bernardo ad aliam mitteretur. Sed de his infrà latè: nunc ad Concilium Pisas reuertamur.

---

1. Bernardi in Concilio Pisano veneratio. 2. Acta in eo interuentu sancti Patris. 3. Qui & Mediolanum Legatus ab Innocentio. 4. ingenti plausu populi susceptus, quæcumque voluit, facilè impetrauit. 6. Nec minus solicitus pro eis, aut minus efficax, 7. in Pontificem poscitur. 8. Perpensum quomodo, & Sigonius emendatus. 9. Petiti saltem filij, oblatique, 10. & designatus locus nouo Cænobio. 11. Anselmi, & Archinterum in illud munificentia.

CAPVT II.

1\. BErnardum illi adfuisse compertum est: verùm cum quanta omnium reuerentia, cum quanta gloria, non aliunde melius hauserimus, quàm ex Bernardo Abbate [a] Bonævallis, qui cũctis præsens aut fuit, aut esse potuit. *Innocentius* (ait) *rursus Pisas reuertitur, ibique congregatis totius Occidentis Episcopis aliisque religiosis viris, magna gloria Synodus celebratur. Adfuit per omnia & consiliis, & iudiciis, & diffinitionibus omnibus sanctus Bernardus Abbas, impendebaturque ei reuerentia ab omnibus, & excubabant ante eius limina Sacerdotes: non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum, & aliis egredientibus alij intrabant. Ita vt videretur vir humilis, & nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis.* Hoc iam tertium Concilium habitum est, (nec Trecense includo) in quo Bernardo per omnia deferretur: vnum ad declarandum Innocentium Summum Pontificem, duo sub ipso. Pergit Bonævallis Abbas eiusdem Pisani Concilij acta describere. *Summaque* (ait) *in excommunicatione Petri, & irregressibili fautorum eius deiectione constitit, & vsque hodie hac sententia perseuerat.* Hæc ille.

a lib. 2. c. 2.

2\. In eo etiam inter Sanctos relatus est, qui ante annum migrauerat, beatus Hugo Gratianopolitanus, Bernardo Patri, dum vixit, eximiè cultus, sed & eiusdem cultor, vt suprà vidimus. Extant litteræ canonizationis illius apud [b] Surium, ex quibus tempus Concilij elici potest, quippe datæ vigesima secunda mẽsis Aprilis, antequam idem Concilium dissolueretur. Relatum insuper de Abbatia Fuldensi, in qua paulo antè Conradus promotus fuerat; Bernardi Patris, dum esset in Germania, auctoritate, de qua apud Bruschium hæc pauca scripta lego. [c] *Conradus Præpositus maior Ecclesiæ Fuldensis, consilio, & auctoritate diui Bernardi Abbatis Claraevallensis, Abbas designatur, anno salutis Christianæ M. CXXXIV.* Demum Drogo eximiæ virtutis, doctrinæque, qui Abbas sancti Ioannis Laudunensis, post eiectas Moniales, eiusdem Sancti interuentu præfectus fuerat, ab Innocentio Papa renunciatur Cardinalis Episcopus Hostiensis: dignus profectò tanta dignitate, & in quo virtus cum doctrina certaret, & neutra victa, vel vtraque vincente videretur. Extat in Bibliotheca veterum Patrum eiusdem sermo de sacramento Dominicæ passionis. Quin & plura scripsisse, quæ non extant, testis est Posseuinus *in Apparatu.* Cum eo quatuor alij electi sunt, de quibus [d] Panuinus, & Ciaconius. In quo non leue mendum irrepsit, inuerso per errorem annorum numero.

b April. 2.

c in Chronol. Mon. Germ.

d littera D.

Soluto Concilio, Episcopi ad propria, Bernardus Mediolanum profectus, legatione de latere accepta, in qua associati duo Cardinales ex illustrioribus totius Romanæ curiæ, Episcopi nimirum Guido, Matthæusque, Albanensis hic, ille Pisanus. Vtrique additus ad Bernardi Patris instantiam, Gaufridus Carnotensium Episcopus, Apostolicæ sedis in Gallia tunc Legatus, Doctori sancto summè familiaris. Cæterùm quali, ac quanta acclamatione, quo populorum concursu, qua reuerentia, quo cultu susceptus sit, quàm etiam promptos animos inuenerit, nullo dissidio in immensa multitudine, quia vtrumque rarum, & prodigio simile fuit, Bernardi Abbatis verbis, quo certior fides dictis, libet prosequi. 3.

[e] *Transcenso itaque Apennino, vbi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus adpropinquare, longè à ciuitate milliaribus septem omnis ei populus obuiat, nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de ciuitate migrarent, proprios lares deserunt, & distinctis agminibus, incredibili reuerentia virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur adspectu, felices se iudicant, qui possunt frui auditu. Deosculantur pedes eius vniuersi, & licèt hoc ille molestè acciperet, nulla poterat pronos, & deuotos ratione* 4.

e lib. 2. cap. 2.

compescere

compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis eius, & ad morborum remedia, de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta indicantes, quæ illi tetigissent, & se sanctificari tactu eorum, vel vsu. Procedentes itaque, & subsequentes latabundos acclamationibus applaudebant Abbati, & diu intra agminum spissamenta detentum, tandem solemni reddiderunt hospitio. Hactenus Mediolani susceptus Bernardus Pater, si cuncta colligas, fortè sine exemplo.

5. Sed quàm potenter causam pertractauerit, quàm obsequentes proceres, quàm non discorde vulgus, contra vtrorumque morem expertus fuerit, pergit auctor describere in hunc modum. *Et cùm tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam vir Dei, quàm Cardinales aduenerant, oblita fortitudinis suæ ciuitas, omni ferocitate deposita, ita se Abbati substrauit, vt obedientia eorum non incongruè ille posset aptari Poeta versiculus,*

Iussa sequi tam velle mihi, quàm posse necesse est.

Hæc generatim Abbas Bonævallis. Specialiùs autem idem ipse Sanctus, abiuratum Conradum, cum Anacleto, neque Innocentium tantùm in Pontificem, sed Lotharium in Regem, Dominumque, concordi omnium assensu fuisse susceptos, ad Imperatricem vxorem Lotharij dedit in litteris. Quin & quod in pugnaci ciuitate, & viribus potente maius est, iuratam eidem Lothario satisfactionem, pro arbitrio iniungendam ab Innocentio. Ipsum Bernardum loquentem audiamus. [f] *Non ante sanè Mediolanenses in gratiam Domini Papæ, & vnitatem Ecclesiæ recepti sunt, quousque palàm, Conrado refutato, & abnegato, dominum, nostrum Lotharium in suum Regem, & dominum receperunt; & Romanorum Imperatorem Augustum, vna cum toto orbe, confessi sunt: & de iniuria transacta, iuxta consilium, & mandatum Domini Papæ dignè vobis se satisfacturos esse, tacto sacro Euangelio, spoponderunt.* Pergit Sanctus exhortari ad clementiam Imperatricem, atque obliuionem iniuriarum præteritarum. Hactenus gesta in causa legatiæ: mira vel in Bernardo, cui nihil magnum, in aliis fidem etiam excessura. Cæterùm quæ occasione illius euenerunt, pluribus erunt nobis repetenda.

f epist. 137.

6. Et primò quidem pro Mediolanensibus statuta non pauca, quæ grata, & rata haberet Innocentius. In his confirmatio Anselmi, dudum depositi Episcopalis, in Archiepiscopalem sedem translatio, collatio Pallij, & liberatio non paucorum ciuium dudum captorum in bello per Placentinos. quæ omnia postmodum eisdem vacillantibus, Sanctus, si non obiecit, commemorauit, quo acceptorum beneficiorum memoria, quasi vinculis fidei constringerentur. Atque in Bernardi verba ad eos post annum scripta super his ipsis. [h] *Bene vobiscum (ait) facit Deus: benè vobiscum facit Romana Ecclesia; facit ille, quod Pater; facit illa, quod Mater. Et reuera, quid vltra debuit facere, & non fecit? Si postulastis mitti vobis de curia honorabiles personas, factum est ad honorem Dei, & vestrum. Si postulastis confirmari, quod vnanimitas vestra de venerabilis Patris vestri electione firmauerat, factum est. Si voluistis licuisse vobus, quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri Canones indicant, translationem, Episcopi scilicet in Archiepiscopum, concessum est. Si rogastis, erui ciues vestros de vinculis Placentinorum, quod vtique ego prætermittere nec volo, nec valeo, & hoc factum est. En ad complementum pallium præstò est, plenitudo honoris.* Ita Sanctus de gestis pro Mediolano. Cæterum de gestis Mediolani, plura occurrunt.

h epist. 131.

7. Illud in primis memoriâ dignum est, Bernardum hactenus ignotum Mediolanensibus, certè non visum, postulatum nihilominus ab eis Archiepiscopum, idque tam constanti, ne dicam pertinaci omnium acclamatione, vt nisi ad tempus latibulum quæsisset, vix populi ardorem temperasset. Audi Anonymum Exordij magni auctorem, ex ore venerabilis Ramaldi, qui præsês fuit (pòst Fusniaci Abbatis, de quo superiùs, tunc sancti Patris socij) hæc referentem. [i] *Domino Ramaldo* (cuius suprà mentionem fecimus) *indicante cognouimus, quòd famulus Dei Bernardus, cùm esset aliquando Mediolani, quæ est vrbs præclarissima totius Insubriæ caput, pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exultatione vniuersorum illius vrbis susceptus est, vt tota ciuitas ferè per vnam leucam rueret in occursum eius: multi verò per quatuor, aut quinque milliaria processerunt. Ita denique sibi in ipso complacuerunt, vt cùm antea illum non vidissent ingressum in vrbem, mox in Archiepiscopum vnanimi consensu raperent potius, quàm eligerent. Quod cùm ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi in fugam latenter euasisset.* Hactenus ibi. Quo loco illud perpendendum est, viuente, valenteque adhuc Anselmo, deposito tunc quidem, sed quem amabant, & quem, vt schismatis socium, siue auctorem, sic tunc habebant pœnitentiæ Ducem, vniuscuiusque, & debitæ obedientiæ persuasorem. Denique quem, cùm primum ceciderunt ab spe Bernardi, restituendum petierunt, & impetrarunt: nihilominus siue Anselmi oblitos, quod minus credo, siue ipso agente, & suadente, quod magis probo, ignotum Monachum patriâ, & linguâ alienum, omnibus ciuibus suis anteposuisse. Idque adeò tenaci vocatione, vt solæ tenebræ Sanctum tutarentur: quod etsi alibi pluries electus sit, nullibi tamen contigisse produnt auctores.

i lib. 2. c. 26.

8. Hic obiter deprehendere licet Caroli [k] Sigonij, Pannini, & aliorum errorem crassum, qui dicunt Bernardum electū Mediolani anno M.CCXXIII. quo recusante, Anselmus sit suffectus, quippe primam Anselmi creationem cum restitutione confundunt: necdum accelerant, quidquam superaddunt. Quin si qua possent, detraherēt hac via Bernardi gloriæ. Parum erat eumdem elegisse, si non proprio pastori sibi charissimo, & quod solet adfectum conciliare, erroris etiam conscio, socioque, anteferendum seriò iudicassent, si nō irrestitutum paterentur, quem suæ ipsi iam tunc restitutionis egregium promotorem experiebantur, si non & ipse depositus Anselmus sui oblitus, Bernardum postulasset sibi præferri. At vicit omnes modestia constans viri, nec magis acceptauit, gloriosiùs sibi oblatum Pontificatum, sed magis fugit. Verùm quod paulo inferiùs Sigonius addit, Riualdum Innocentio Papæ gratum deposito Anselmo successisse, cuius interuentu Mediolanenses & Bernardum asciuerint, & Innocentium, Lothariumque receperint, difficultatem habet, cùm Bernardus Mediolanum hoc anno veniens, non à Riualdo, sed ab Anselmo Archiepiscopo susceptus sit, quod omnes antiqui [l] scriptores testificantur. Sed neque domum Claræuallensibus struendam Riualdus, sed Anselmus promouit, vt iam dicemus, in quo instrumenta ipsius antiqua etiam concordant.

k Sig. de Reg. Ital. lib. 12. hoc ann.

9. At Mediolanenses eodem Anselmo Duce, cùm Bernardum non possent obtinere, filios saltem ipsius ad se transmitti humiles & deuoti postularunt, queis Cœnobium magnificum construerent, loco ab eodem Sancto designando. Erat

præ manibus seges copiosa, vt ante aduentum Sancti iam conuersis, sed multo pluribus per ipsum vocatis, & respondentibus sine vlla cunctatione. Extat rescriptum eiusdem sancti Patris ad Petrum tunc Episcopum Papiensem, quo gloriam plurimarum conuersionum hoc tempore expertarum ad se delatam, in solum Deum ostendit referendam. m *Si semen bonum* (ait) *iactum in terram bonam fructum attulisse videtur, ipsius est gloria, qui dedit semen serenti, fœcunditatem terræ, & semini incrementum. Quid hîc nos capimus? Ego sanè gloriam Christi alteri non dabo, multo verò scrupulosiùs vsurpabo mibi. Profectò* n *lex Domini conuertit animas, non ego: testimonium Domini fidele sapientiam præstat paruulis, non ego, laudatur de bona littera tornatura manus, sed non calamus. Fateor, vt multum tribuam mihi,* o *Lingua mea calamus scribæ*, &c. Hæc Bernardus ad Petrum Papiensem de ingenti conuersorum multitudine.

m epist. 135.
n Psalm. 18.
o Psalm. 44.

10. Ergo vtrorumque deuotioni satisfacturus, & pro acceptis redditurus filios pacis, ipse aliàs pronus dilatandæ suæ familiæ, annuit piæ, & deuotæ petitioni, ac loco longè ab vrbe designato, natiuis aquis irriguo, amœnoque, fabricam ei consensit superponi, Monachis asciscendis ex Claravalle. Cui ædificio non parum contulisse VVidonem Capitaneum de Porta orientali, tradit Carolus Sigonius, vbi suprà. Eumdem locum designatum cœlesti lumine, inter tenebras noctis illustrante terminos domus, reperi in quodam MS. Roberti Ruscæ nuper ex vrbe ad me transmisso, beneficentia Reuerendi admodum Patris Domini Hilarionis Reneati, Abbatis sanctæ Crucis in Hierusalem, quem hoc nostrum Collegium Salmantinum olim alumnum, nos auditorem meruimus, & amicum. Cœnobio Claræuallis nomen inditum est, in memoriam alterius Claræuallis: quasi ipsâ voce recreandis Mediolanensibus, quandiu non dabatur frui sancto Abbate. Hoc initium primi Monasterij in Liguria habitati per Cistercienses, hoc quidem anno ædificari cœpti, sequenti inhabitari. Id quod lapidibus Claustri sculpta inscriptio hodie etiam testatur; nisi quod tamen constructionem spiritualem, hoc est, ex viuis lapidibus notauit, non materialem. Atque en eius verba. *Anno gratiæ M. CXXXV. vndecimo Kalendas Februarij constructum est Monasterium à beato Bernardo Abbate Claræuallis M. CCXXI. consecrata est Ecclesia à Domino Henrico Setala Mediolanensi Archiepiscopo, Nonas Maij, in honorem sanctæ Mariæ Claræuallis.* Expectasse Nouitios ad hoc tempus, an Claramvallem à Bernardo missos, docendos primùm ibidem, mox docturos, atque tunc demum reuocandos ad suam patriam, in dubio est, quamuis hoc vltimum probabilius videatur. Sicut & Sanctum, priusquam Italia cederet filios ascitos collocasse in propria sede. Namque nec rediisse ante initium anni sequentis, & Mediolanum iterum adiisse dicam inferiùs.

Mediolanensem Anselmum tunc depositum, mox Bernardi interuentu restitutum, excepisse hospitio eumdem Sanctum, catalogus Archiepiscoporum Mediolanensium memoriæ prodit. Itemque præcipuum auctorem noui Cœnobij, prædium tamen donante Anselmo Archinto, ex Archintorum familia perillustri. Sanè id Cœnobium Archintis summè obstrictum in confesso est. Quin & post annos nonaginta plus minusve, Manfredum Archintum eiusdem prosapiæ virum plures ei contulisse possessiones, ipsius sepulchri inscriptio manifestat, quæ ita habet, 11.

M. CCXXVIII. Kalendas Maij, Manfredus Archintus, Patritius Mediolanensis, erogatis illustri Cœnobio latifundiis, monumentum sibi, & posteritati.

Sed de his satis.

---

1. Miracula Bernardi ad Mediolanum. 2. Obsessa mulier à Dæmonio septennio libera. 3. Populi veneratio, plaususque; 4. & virtus longè potentior in Dæmoniacos. 5. Puer brachium aridum habens saluti redditus, 6. & alij ab aliis morbis, 7. vel sola panis, aut aquæ benedictione, 8. & quod mireris, etiam ab ignaro. 9. Sanctus Pater ostensus inter Apostolos.

CAPVT III.

1. IAm de miraculis, quæ Bernardus Pater fecit in hoc itinere, aliqua breuiter perstringere aggrediamur: de quibus, & de fide Mediolanensium, ac pia cum ipsis Sancti decertatione, hæc Abbas Bonæuallis in eius vita. a *Inaudita est nostris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio, cùm signorum gloriam Abbas* (Bernardus scilicet) *credulitati eorum, illi verò sanctitati Abbatis adscriberent: & hoc de eo indubitanter sentirent, vt quidquid à Domino peteret, impetraret.* Cæterùm quodnam primum signum fuerit, quamque Bernardus edere hæsitauerit, indignum se, per quem fierent miracula, aduersùs experientiam, firmè pronuncians, pergit auctor describere in hæc verba.

a lib. 2. c. 2.

2. *Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem immundus vexauerat spiritus, & postulant supplices, vt in nomine Domini imperet fugam Dæmoni; & mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides non minimam verecundiam viro Dei ingerebat, & humilitate Magistra inconsueta experiri non præsumebat. Sed instante petitione populi erubescebat, si charitati postulantium obstinatus resisteret: & videbatur ei; quod offenderet Deum, & omnipotentiam eius diffidentia obnubilare videretur, si à fide populi, fides propria dissentiret. Æstimabat igitur secum: & licet signa non fidelibus, sed infidelibus fieri oportere assereret, ausus suos Spiritui sancto committit, & orationi incumbens, cœlitus illapsa virtute, Satanam in spiritu fortitudinis increpat, & fugat, mulieremque reddit incolumem, & quietam.* Hæc de primo signo Mediolani patrato per sanctum Patrem.

Quod tamen, quantos populi plausus sequutus sit, quanta cunctorum deuotio, & acclamatio, nõ alterius, quàm eiusdem auctoris verbis, quia dignioribus fide, libet prosequi. *Auditum est hoc verbum, & percrebuit fama, & repentè totam perculit vrbem. Per Ecclesias, per Prætoria, per compita conueniũt vndique: de viro Dei sermo vbique habetur. Dicitur publicè nihil ei* 3.

impossibile esse, quod à Domino postules: & ad preces eius apertas Dei aures dicunt, & credunt, & prædicant, & affirmant. Nec possunt adspectu eius, vel auditu vllo modo satiari. Irruunt alij in præsentiam eius, alij donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis, & artibus, tota ciuitas in hoc spectaculum suspensa manet: concurrunt, postulant benedicti, & tetigisse eum singulis salutare videtur. Hactenus ille. Qui etiam pergit de puella paruula, de matrona grandæua per plures annos, demum de puero à Dæmone obsessis, & tunc per Sanctum ab eo liberatis, ingenti totius vrbis admiratione.

4. Porrò autem cur in Dæmonibos pellendis frequentior esset, causam idoneam assignat paulo inferiùs. [b] *Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, sed in Dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat, quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat, & maiorum operatio virtutum minores obscurabat effectus.* Cæterùm diuina prouidentia effectum esse, vt tunc temporis multiplicarentur obsessi per Mediolanum, & liberiori licentia cócessa Dæmoni Sancti virtutem illustrius manifestaret, idem auctor expressit alio in loco. [c] *Diuino* (inquit) *iudicio ea tempestate in Mediolano (iuxta illud Esaiæ verbum* [d]*) pilosi clamabant alter ad alterum, & occurrebant onocentauris Dæmonia, & effrenatis excursibus plurimos infestabant.* Sic liberior debacchatio Dæmonum per Bernardum compressa, illis temporibus, Sancti virtutem, potentiamqoe excellentiùs, & gloriosiùs prædicabat. Haud aliter Ildefonso olim Eluidius, Augustino Pelagius, alij hæretici aliis Sanctis illustrandis permissi sunt: nisi quòd illis homines oppositi, Bernardo Dæmones, cùm neque hæretici forent defuturi, de quibus infrà.

b lib.2.c.3.
c cap.2.
d cap.34.

5. Cæterùm quòd in dono sanctitatis æquè præcelleret, atque æquè virtus eius expeteretur, quamuis tenera in eo minus auderet, vt animabus minus necessariò, sequentia manifestè declarabunt. [e] *Per idem tempus* (ait idem Bernardus) *hospitium Albanensis Episcopi (quem Dominus Papa in eadē legatione sibi collegam dederat) gratia tractandorum negotiorum intrauerat, & de his, quæ iniuncta fuerant, conferebāt, cùm repente irruit super eos adolescens, cuius arida manus erat, & retorta ad brachium, & aduolutus pedibus eius suppliciter postulat sanitatem. Ille aliàs occupatus, benedixit quidem, & abire præcepit, & ne amplius sibi molestiam faceret, verbis solito seuerioribus interdixit. Recedebat ille non consequutus quod quæsierat. Cùm venerabilis Episcopus sub omni celeritate eum regredi iubet, & manum arreptum tradit Abbati: Huic, inquit, qui minimè beneficium consequutus, sibi, vt discederet, obediuit, tu ne claudas viscera misericordiæ, quin potiùs tu obedi, & virtute obedientiæ, me iubente, adstrictus, fac quod postulat, largire quod petit, & confidens in eius virtute, per quem expetit sanitatem, postula, & impetrabis, vt & nos de Dei munere, & ille de optata glorietur salute. Ad præceptum Episcopi Abbas, apprehensa pueri manu inuocauit Dominum, & exaudiuit eum, & signo crucis edito, nerui, qui obriguerant, extensi sunt, & caro, quam assidens congelauerat morbus, redeunte sospitate ingenita, mobilis facta est, & flexibilis, & dicto citiùs languidum diu membrum conualuit. Obstupuit Episcopus, tam repentina virtutis admirans effectum, & amplioris etiam extunc veneratione virum Dei coluit, & miraculorum ipsius ipse testis extitit, & relator.* Hactenus acta. Sic sanitatem extorquere dabatur vel ab inuito: certè à renuente, vt videretur certare gloria, Bernardusque, nec tam fugere hunc posse, quàm illam sequi.

e lib.2.c.3.

6. Primum miraculum plura, & maiora sequuta sunt: vt experientia fidem confirmante, sic fide virtutem. Etiam non singulos sanitatis effectus admirabantur, sed velut genera. Vix vllum infirmitatis, aut morbi genus inuentum est, quod non virtuti Bernardi subiaceret. [f] *Febricitantibus* (ex vita eiusdem Sancti verba sumo) *manus imponens, & aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit, aridas manus, & membra paralytici dissoluta tangens, incolumitati restituit. Cæci etiam sub multorum testimonio in eadem ciuitate, vt viderent, imposito signo crucis, à Patre luminum potenter obtinuit.* Hæc ille.

f lib.2.c.3.

7. Quin & cùm ingens populi concursus, atqoe infirmorum numerus singulis manus imponi non paterentur, ad benedictionis remedium transitum est: aqua etiam, ac pane benedictis, de quibus singuli postea sanarentur. *Iam verò* (ait) *præ frequentia populi, qui a manè vsque ad vesperum foribus assidebat, oppressionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspiciendum præbebat, & eleuata manu benedicebat eis. Panes quoque, & aquam deuehebant secum, quibus benedictioni eius suppositis, pro beneficiis ea sacramentalibus reseruabant.* Hactenus ibi.

8. Nec tacendum, quòd ab ignaro adhuc, nec ad id attendente virtus exibat, quæ inanimatis quibusque rebus impressa, salutem mox credentium operabatur. Celebre satis in hac materia fuit, quod idem Cardinalis Matthæus Albanensis Episcopus, cùm sanctum virum ad cœnandum inuitasset, discum, in quo comederat, seruari, & ægrotanti sibi post tempus offerri iussit, suæ salutis instrumētum experturus, maiori adhuc ipsius admiratione. Id quia ex tantæ personæ circunstantia, singularem præ se fert auctoritatem, pro coronide gestorum ad Mediolanum, verbis eiusdem auctoris prosequemur. [g] *Compulit* (ait) *eum,* (id est, Bernardum) *vt ibidem ea nocte cœnaret. Cuius rei assensum cum magna difficultate obtinuit, ea duntaxat ratione suasum, quod intolerabilis vndique populus expectaret, nec sine periculo egredi posse videretur. Inter cœnandum verò parapsidem, in qua Abbas comederat, Episcopus ministro familiari seruandam tradidit, & præcepit, vt seorsim reconditam, cum omni diligentia custodiret. Elapsis exinde aliquot diebus, Episcopus idem febrium vehementi ardore corripitur, & recordatus hominis Dei, familiarem iubet accersiri ministrum. Discum* (inquit) *Abbatis, quem nuper tibi tradidi seruandum, huc afferre ne cuncteris. Cumque ille obtulisset allatum, infunde, inquit, aquam in eo, & panis exiguas buccellas conscinde. Quod cùm factum esset, confidens in Domino, & Abbatis precibus se commendans, comedit, & bibit, & absque vlla dilatione conualuit.* Hactenus de Matthæo Cardinali, viro sanctissimo, & sanitate per Bernardi discum illi concessa. Ad hunc Matthæum scripsit sanctus Pater sermonem de villico iniquitatis, qui inter opera eius circumfertur, præfixa epistola, qua simul cultellum mittat, radēdo aperi, si quid in eo inconcinnū iudicauerit. Quamuis Bellarminus in eo sermone sentiat, *aut sanctū Patrem solitam suam eloquentiam neglexisse, aut alium Bernardū esse eius auctorem.*

g ibid.c.3.
lib. de script. Eccles.

9. At qualiter miraculis illostrem, per visum etiam gloriosum reuelaoerit Deus Abbatem sanctum, ex venerabili Ramaldo, tunc eius socio, pòst Fusniacensi Abbate, de quo suprà, pro coronide euentuum Mediolanensium, non pigebit ad litteram transcribere. [h] *Cùm ibidem sederet, scilicet Mediolani, sanctus Bernardus, in quadam amplissima domo, tanta erat circa eum hominum multitudo, vt nullus ingredi posset. Interea quidam de ciuibus illius vrbis, vestitu, & vultu honorabilis, cùm Dei hominē adire cuperet, & mat-*

h lib.2. c.36.

quam aditum reperiret, mediis se turbis ingessit, manibus atque pedibus repens, & super colla sedentium gradiens, quoadusque ad ipsum, quem desiderabat, perueniret. Cumque apprehendisset pedes eius, cœpit eos mira deuotione deosculari. Quod videns supradictus Ramaldus, qui propiùs adsistebat, accessit, vt amoueret eum: sciens vtique, quia vir sanctus huiusmodi venerationibus, & obsequiis nimium grauabatur. Ille vero conuersus ad eum dixit: Dimitte me, obsecro, dimitte me videre, & tangere hominem proximum Deo, & verè Apostolicum virum. Dico enim tibi, & in fide Christiana testificor, quia vidi illum inter Apostolos Christi. Quod audiens Monachus ille, miratus est, & cupiens pleniùs nosse, volebat ab eo quærere modum visionis huius, sed præ pudore propter circumstantes non præsumpsit. Veruntamen magnam extitisse reuelationem certissimè credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga famulum Dei. Hactenus ex Ramaldo, qui præsens fuit, auctor Exordij. Quo videas, nihil ferè omissum esse, quòd posset merita Sancti manifestare. Atque hæc ex multis, pro signorum magnitudine breuiùs, pro more nostro longiùs dicta sufficiant, de his quæ contigerunt Mediolani. Nunc reuertentem Pisas ad Pontificem paucis etiam selectis prosequamur.

---

1. Bernardi reditus per Ticinum, Papiamque. 2. Mulier obsessa à recidiuo Dæmone, 3. liberata per Sanctum semel, & iterum. 4. Cistercienses reuerendi etiam sicariis, in quoscumque alios Patres desæuientibus. 5. Godefridi Prioris ingens auctoritas. 6. & Bernardi pro filiis, dum adhuc absens, non solùm mira, sed miraculosa solicitudo. 7. Eius epistola ad suos Claræuallenses.

CAPVT IV.

1. Ergo peractis, ad quæ Legatus fuerat, & Mediolanensibus Ecclesiæ reconciliatis, primò Ticinum (Papiam incolæ hodie, Latini etiam Papiam adpellarunt) mox Cremonam aduenit, per hos anfractus Pisas reuersurus, quippe petitus, vocatusque ab omnibus, & felicem se reputabat quæcumque ciuitas tanto hospite, vel ad noctem illustrabatur. At sanctus Pater siue hospitio gratus, siue quo Christum exactiùs imitaretur, (a Actor. 10.) [a] *pertransibat benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Quod Papiæ, & Cremonæ diuisim multi, cõiũctim rustica mulier experta est, vtrobique recidiuo oppressa Dæmone: sed vtrobique per Sanctũ liberata.

2. Hæc à marito Mediolanum primum, mox sancto Patre Ticinum inde profecto, illuc etiam adducta, virum Dei contumeliis prouocabat: garrulo Dæmone irritante, si posset, sanctũ, quo modestia, aut patientia illius perturbaretur. (b lib. 2. c. 4.) [b] *Non*, inquit, *me de vaticula mea hic porrulos edens, & brassicas deuorans pelles.* Sed vir Dei astum eius intelligens, irrisorem irrisit, nec sibi, sed soli Deo gloriam adpetẽs, iussit deferri fœminam ad Ecclesiã sancti Syri, pellendo Dæmoni reliquiis illustris Martyris. (c ibidem) [c] *Voluit quippe* (vt actorum eius verbis vtar) *curationis illius gloriam dare Sancto, & primitias operum suorum* (scilicet in ea vrbe) *virtuti illius adscribi.* Cæterùm Martyr hospiti suo deferens, & Bernardi mortalis adhuc virtutem immortalis iam ipse pleniùs noscens, intactum opus remisit ad seruum Dei, & Dæmonem iactantiùs gloriantem, quòd non victus à Syro, non expulsus, multo minus per Bernardum posset expelli. *Non me, dicebat, Syrulus eiecit: non eiiciet Bernardus.* Quasi Sanctorum virtutem, gratiamque per hæc diminutiua diminueret. Tum Pater sanctus, *Neque te Syrus* (inquit) *eiiciet, neque Bernardus, sed Dominus Iesus Christus.* Et conuersus ad orationem, quæ illi vnicum medium ad hæc omnia, primò in muliere petulantiam Dæmonis, mox ab eadẽ Dæmonem compressit, eiecitque, ingenti totius vrbis admiratione. Verùm quid post hæc inscrutabili Dei iudicio gestũ sit, commodiùs referemus verbis mutuatis ex actis eiusdem Sancti, quæ sic habent.

3. (d ibidem.) [d] *Lætabantur omnes, qui ordinem rei gestæ audierunt: sed repentè gaudium reuertitur in mœrorem. Quia vbi domus suæ mulier attigit limina, rursus eam intrat Diabolus, & molestior solito miserã discerpsit atrociùs. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmoniaca molestissimum, relinquere impium videbatur. Surgit igitur, & assumpta secum muliere, rursum Papiam reuertitur. Vbi cùm virum Dei non inuenisset, vsque Cremonam prosequitur abeuntem, indicat, quod factum sit, & vt gratiam inueniat, lachrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia: sed præcipit, vt Ecclesiam ciuitatis illius ingrediatur, & orans expectet, donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse vno tantùm prosequente Ecclesiam ingreditur, ac tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino, quod petebat: & impetrata mulieris sanitate, iubet eam securam reuerti ad propria. Sed cùm illa reditum ad se Diaboli, sicut iam experta fuerat, formidaret, collo eius alligari chartam, hæc verba continentem, præcepit. In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi Dæmon, ne hanc amodò mulierem præsumas contingere. quod mandatum sic expauit Diabolus, vt mulieri regressa ad propria nunquam deinceps adpropinquare præsumpserit.* Hactenus ibi. Quod ideo permissum Dæmoni puto, quo insigni miraculo fruerentur vtraque ciuitas, nec quæ esset signorum differẽtia, nullius victoriæ modus, qui nõ in Bernardo Patre reperiretur. Qualiter autẽ reuersus ad Pontificem loca Italiæ penè omnia peragrauerit, eisdem signis vbique gloriosis, eisdem donis, sequenti anno, quo trãsalpinasse creditur, Deo donante commodiùs prosequemur.

Interim etiam notatione dignum occurrit, quòd cùm Patres à Concilio redeuntes, præcipuè Galli, in sicariorum manus incidissent, militibus Conradi Ducis Sueuiæ, quibus præda illuc vsque pro stipendio, doctis facinora, quæ hauserant celerius, quàm didicissent, nullus Cisterciensium Abbatum captus est, nulli illata molestia, detentus nullus. Tanta virorum reuerentia inerat, non solùm bonis, probisque, sed perditissimis. Catalogũ, ærumnasque captorum Petrus Mauricius non pauca & ipse passus, scripsit ad Innocentium satis longam epistolam, ex qua hæc pauca lectori meo subiũgo. 4.

[e] *Aderat in comitatu nostro non ignobilis, neque vltima pars Ecclesiæ Dei, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, legio Monachorum, non paruus numerus Archidiaconorum, nobilium, Clericorum, & religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum! tantas, tamque necessarias Ecclesiæ Dei personas videre distrahi, dissipari, vulnerari, atque gladiis insequentibus vbi vbi per diuersa fugari. Episcoporum, & Abbatum plurimi ad proxima castra videntur abducti, & quidem eorum post verbera, & vulnera, barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos dominus Remensis, cui neque ætas, neque dignitas adesse potuerunt,* (e lib. 1. Epistolarum. epist. 27.)

post

post multas iniurias, & vulnera, turri conclusus tenetur: dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis, quasi de solis loquar? Cùm Bituricensis, & Senonensis suis penè omnibus amissis, vix ad pontem Tremulum, tremuli, & anheli peruenerint, & ibi cum Ebreduuensi, cum Trecensi ictu hastæ de equo deiecto, & inde grauiter infirmato, cum Lemouicensi, Atrebatensi, Bellicensi, Redonensi, atque aliis Episcopis. Abbatibus etiam Lemouicensi, Vizelliacensi, sancti Michaelis de Clusa, sancti Germani Parisiensis, Corbeiensi, Nouiomensi, Burgulensi, sancti Sulpicij, sancti Remigij, Crassensi, sancti Ioannis de Prato, de Monasterio Hender, Melundensi, Salmuriensi, & aliis quamplurimis secundo carcere inclusi teneantur? Hæc venerabilis Petrus ad Innocentium. Quibus videat lector quanta gratia Cistercium tunc polleret, cui sicarij parcerent, ipsos etiam contemnentes Ecclesiæ Principes. Nisi fortè tutiores paupertas reddidit, ab his qui argento flagrantiùs inhiabant.

5. Dum hæc in Italia & circa gererentur, in Claravalle Gaufridus Bernardi Prior obseruantiæ monasticæ insistere, tyrones à Bernardo Patre diligenter instruere, veteranos in bono confirmare, propria obliuisci, prouidere communibus, Monasteriis fundatis iura dicere, fundandis Monachos, & Abbates designare, denique Bernardum Patrem per omnia reddere, seipso etiam valentior nunquam cessabat, vt non immeritò de eo legamus (f in lib. sepul. Claraeuall.) scriptum. [f] *Per plures annos, præsertim tempore schismatis, quod in Romana Ecclesia tunc vehementer exarsit, dum beatus Bernardus semetipsum Ecclesiæ sanctæ periculis in diuersis Prouinciis opponeret, ipse vices eius tam strenuè, quam fideliter gerens, non modò negotiis, & vtilitatibus proprij Monasterij prouidebat, sed quoties opus erat, aliis Cœnobiis vacantibus prouideret Abbates, & tanquam alter Bernardus non solum in Claravalle, sed etiam in toto Ordine haberetur.* Hæc de Gaufrido supplente Bernardi vices.

6. At non Bernardus ex eo minus solicitus, corpore absens, spiritu filios visitabat, ea nimirum gratia à Deo obtenta, neque id semel. Quod ex eiusdem Sancti confessione in Capitulo facta, cùm primùm rediit, auctor Exordij magni memoriæ prodidit, dulcissimum Patrem inducens, ita loquentem. (g lib. 2. c. 11.) [g] *Et ego quidem filioli, quamuis per hoc triennium visus fuerim longè remotus à vobis, non tamen putetis me semper absentem fuisse. Sciatis enim, quòd interim tribus vicibus reuersus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, & semper consolatus abscessi, & exhilaratus, videns vnanimitatem, atque constantiam vestram in Ordinis vestri proposito.* Hæc idem Sanctus cùm ad filios reuersus esset.

7. Sed neque ignota tunc ipsis visitatione satisfactus, litteris etiam eos consolabatur: ex quibus extant duæ ipsius epistolæ, altera cùm in Apuliam mitteretur, de qua inferiùs; altera intra hoc, vt credo, triennium scripta, quæ ita habet.

[h] *Ad suos Clarevallenses. Ex vobis perpendite, quid patiar ego.* (h epist. 143.) *Si vobis molesta est absentia mea, nemo dubitet mihi esse molestiorem. Non enim paris iactura, nec eiusdem grauaminis est, me vno carere vos, neque vestra vniuersitate destitui. Tot me necesse est affici curis, quot vos estis, & ad singulos quosque vestrûm dolere absentiam, timere pericula. Duplex contritio ista non me deseret, quousque meis visceribus ego reddar. quod quidem & vos sentire pro me non ambigo, sed ego vnus sum. Vobis ergo vna, mihi multiplex tristandi ratio incumbit, vtpotè pro omnibus vobis. Nec solùm cruciat quod absque vobis, vel ad tempus viuere cogor, sine quibus & regnare miseram mihi puto seruitutem, sed etiam quòd versari compellor in his, quæ amicam quietem omnino perturbant, & meo proposito minus fortasse conueniunt. Hæc scientes, moræ meæ quæ meæ non est voluntatis, sed Ecclesiasticæ necessitatis, non oportet vos indignari, sed compati. Spero autem quòd non erit longa: vos orate, vt non sit infructuosa. Detrimenta, quæ interim fortè contingent, emolumenta reputentur, quoniam Deus in causa est, qui cùm sit benignus & omnia possit, facilè damna resarciet, non solùm integrè, sed etiam cumulatè. Propterea bono animo simus, Deum habentes nobiscum, in quo & vobis præsentes sumus, quantislibet terrarum spatiis diuisi à vobis videamur. Quicunque in vobis seipsum bene officiosum exhibet, humilem, timoratum, studiosum lectionis, orationibus vigilem, fraternæ charitatis solicitum, non me putet absentem sibi. Nam quomodo ei præsens spiritu non sum, cum quo est mihi cor vnum, & anima vna? Si quis autem susurro (quod absit) extitit inter vos, aut bilinguis, aut murmurans, aut contumax, aut impatiens disciplinæ, aut inquietus, & vagus, & qui panem ociosus comedere non erubescat, huic etiamsi corpore præsens essem, longè esset ab eo anima mea, eo quòd ipse longè fecerit à se Deum, morum, non locorum distantia. Interim fratres dum venio, seruite Domino in timore, vt sine timore quandoque de manu inimicorum vestrorum liberati seruiatis illi. Seruite in spe, quoniam fidelis est in promissis. Seruite ex merito, quia multis in meritis est. Nam etsi cætera taceam, hoc solo certè non immeritò vitam sibi vendicat nostram, quòd pro ea præbuit suam.* [i] *Nemo* (i 2. Cor. c. 5.) *igitur sibi viuat, sed ei, qui pro se mortuus est. Cui enim iustius viuam, quam ei, qui si non moreretur, ego non viuerem? Cui commodius, quam promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate, quàm flammas perpetuas minitanti? Sed seruio voluntariè, quia charitas libertatem donat. Huc prouoco viscera mea. Seruite in charitate illa, quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, premium non requirit, & tamen plus omnibus vrget. Nullus terror sic solicitat, nulla premia sic inuitant, nulla iustitia sic exigit. Ipsa vos mihi inseparabiliter iungat, ipsa me vobis iugiter repræsentet, horis maximè, quibus oratis, charissimi, & desideratissimi fratres.* Ita Bernardus absens quidem corpore, sed spiritu præsens multipliciter, filios consolabatur, & confirmabat.

---

1. Stephani parentis pretiosa mors. 2. Explicatus Exordij magni locus, 3. & dubia quædam relata ex recentioribus. 4. Traditio cinguli à Virgine donati beato viro. 5. Descriptio eius, & virtutes, quibus eminuit, 6. ac baculus, insigne paupertatis. 7. Dies, & annus obitus gloriosi, 8. ab obitu sancti Norberti non longè desiti: 9. sepultura, 10. & memoria sanctitatis. 11. Officium pro defunctis ab hoc tempore, & antea nostris in vsu.

CAPVT V.

1. HOc eodem anno communis Pater Stephanus, cùm successorem se dignum obtinuisset, & eo per aliquot menses fruitus esset, vigesima octaua die mensis Martij, circunstantibus filiis, qui conuenerant, charissimum Patrem suum visitaturi, humilis spiritu in morte, sicut in vita, nec minus

timoratus, aut circumspectus, viam vniuersæ carnis ingressus est, feliciter in gloria coronandus, de cuius obitu hæc habet Exordium magnum. [a] *Instante tempore, quo emeritorum laborum senex in gaudium Domini sui introducendus, & de vltimo paupertatis loco, quem secundum consilium Saluatoris in hoc mundo elegerat, ad summi Patrisfamilias conuiuium ascensurus decumberet, conuenerunt fratres quidã etiam ex Abbatibus Ordinis sui, (quorum numerus eo tempore vsque ad viginti excreuisse traditur) vt amicum fidelem, & Patrem humillimum repatriantem deuotissimis obsequiis, & precibus prosequerẽtur. Cùm vero iam in agonia constitutus morti approximaret, cœperunt fratres inter se loquentes tanti meriti hominem beatificare, dicentes eum securè posse pergere ad Deum, qui tantum fructum in Ecclesia Dei temporibus suis fecisset. Quo audito, & recollecto, prout potuit, spiritu, quasi increpantis voce dixit: Quid est, quod loquimini? In veritate dico vobis, quia sic trepidus, & sollicitus ad Deum vado, quasi qui nunquam aliquid boni fecerim. Nã si aliquid boni in me fuit, vel si fructus aliquis per paruitatem meã prouenire potuit, cooperante gratia Dei, timeo, & valde contremisco, ne fortè minus dignè, minusve humiliter gratiam apud me detinuerim. Hoc ergo perfectæ humilitatis scuto, quæ in ore sonabat, & in corde vigebat, munitus, hominem exuit: & omnia nequissimi aduersarij tela, quamuis ignea, quamuis sulphurea, potenter reuellens, aereas tempestates securus pertransiuit, & ad portas paradisi coronatus ascendit.* Hactenus auctor Exordij de eius obitu.

a lib. 1. c. 37.

2. Cæterùm quod ait, Cœnobia sui Ordinis eo tempore excreuisse vsque ad viginti, nequaquam posse de omnibus intelligi perspicuum est, cùm eum numerum longè superarent. Sed de Ecclesiis, quæ constituunt Cistercij lineam, quatenus condistinctum ab aliis quatuor, quas ad viginti creuisse circa hunc annum, ex ipsa Annalium serie satis liquet, nimirum tredecim per eumdem Sanctum fundatis, atque ab eadem Cistercij domo genitis: septem per filias, tribus per Bonamvallem Viennensem, Mansiade, Montepetroso, & Stamedio, per Eleemosynam totidem, Begar nimirum, Landesio, atque Tinterna: & tandem Valle lucente per Pruliacum. Ergo ex his vicenarius numerus constans, auctoris Exordij mentem planè aperit, eamdemque veritati concordem probat. Aliàs si omnes Ecclesias Cistercij numeres, VValdiasum fundatam anno proximo centesimam extitisse superiùs vidimus. Malmesburiensis eiusdem æui scriptor, sed terræ, & maris spatio non parum dissitus, quippe in Anglia scribens, plures recenset, & sexdecim à beato viro perfectas tradit, inceptas septem. [b] *Cuius* (ait) *quantum sit meritum, testantur Abbatiæ XVI. iam per eum perfectæ, septem cœptæ.* Sed præferendus in hoc auctor Exordij, cui, vt domestico, notitia rerum maior, & quam hausisse potuit ex ipsis fontibus illud compertum, potuisse plura construere, si non in pauperes plurima effudisset. Nam, vt idem Guillelmus testimonium perhibuit, adhuc viuens, *Beatum se reputat terræ illius indigena, quisquis per manus eius pecunias suas transmittit ad Deum. Plura quidem accipit: sed paucis in suos, fratrumque vsus expensis, cætera in egenos, Monasteriorumque ædificationem confestim dispergit. Est enim Stephani marsupium omnium egentium publicum ærarium.* Ita Malmesburiensis de sancto Patre, cùm adhuc superesset, eòque parciùs de ipso loquendum foret. Redeo ad mortem, seu veriùs ad eius ortum.

b in gest. Reg. Angl. l. 4. & lib. 2. an. 13.

3. Bernardus [c] Brito, & nunquam ab eo deuians Henriquez *in Menologio MS.* nescio quibus hærentes, in vigilia Dominicæ Incarnationis, cui [d] præcipue mysterio addictus fuerat, peractis Missarum solemniis, compertoque per reuelationem diuinam propinquo obitu, virum Dei febri ardenti correptum tradunt: atque in ipsa migrationis eius nocte, Angelorum suaue canentium auditas voces, & crucem lucidam in aere conspectam, quinque stellis constantem, & mirum in modum conspicuo conclusas circulo, quæ vt satis conformia meritis Sancti, sic minus firma, & certa, inde coniector, quòd diem mortis obliqua fide tradunt, eumque haustum ex eisdem MS. Nec satis constans veritas censetur, quæ semel fallit.

c lib. 1. c. 13.

d April. 27.

Traditione, quam scriptis acceptum est, eumdem Sanctum insistentem labori manuum, cùm decidente in terram scapulari præpediretur, visitatum a Virgine, atque ab eadem donatum cœlesti cingulo, quo præcinctus ligaret cadentem vestem. Indeque in nostros morem emanasse secundi cinguli, (*Soprecintas* Hispani nominamus) præter vsum aliarum religionum. Reliquæ scapulis hinc inde cadentem vestem solutam portant: nos soli cingimus. Atque ad hanc, vt credo, traditionem attendit sacra Hispaniarum obseruantia, dum eisdem cingulis albis vsa est, colorem præferens Virgini sacratum, quo Virginis id donum protestaretur. Sed hæc dubia, neque omnino certæ fidei, vt nefas amittere, sic foret temerarium affirmare. 4.

Erat Stephanus moribus vir grauis, disciplina austerus, seuerus vultu: & vt Moysem non semel exhiberet, zelo tamen Eliæ propinquior, quàm mansuetudini. Malmesburiensi paulo aliter describitur. [e] *Sermone comis, facie iucundus, animo semper in Domino lætus.* Cisterciensis instituti parentem multi acclamant: & si res perpendatur, non immeritò, quippe Robertus Monachos collegit, hic Monasteria: ille militibus sub Duce iura dedit, hic ducibus sub vno Imperatore: ille personas Cistercio, & cœlo intulit, hic agmina: denique ille Cœnobium construxit, hic Ordinem condidit. Charitate, paupertateque, inter alias virtutes, summè enituit, sibi in meritum, suis in præsidium, si conseruassent, quippe charitas vniebat inter se viros, paupertas ab extraneis tutabatur. Et charitatem mutuo consortio fouerat, paupertatem continuo labore manuum, & parsimonia vitæ subleuauerat. Felix hucusque Cistercium permansisset, si nunquam locuples, si nullis possessionibus dicatũ, soli mores inuidiæ subiacerent, & cupidini alienæ patuissent solæ virtutes. Intactæ illæ nostris, quandiu pauperes: at postquam in diuitias ventum est, virtus simul cum auro, prædæ fuit. Permansit tamen illibata obseruantia à beato Stephano plantata per duo sæcula: nec prius mitigati visa est, quàm lunga Christiani orbis perturbatione, aliæ etiam recentiores familiæ mitigarentur. 5.

e Guillel. 2. ann. 13.

Paupertatis, humilitatisque viri sanctissimi, egregium olim monumentum visebatur Cistercij, baculus pastoralis, Abbatialis dignitatis insigne, quo in processionibus solennibus vtebatur: ligneus, & rudis, & à communibus, quibus senes vtuntur, vix differret. Eum in Sacrario eiusdem Monasterij, ob tanti viri reuerentiam, religione Patrum antiquorum seruatum, per multos annos permansisse, Exordij magni testimonium conuincit, quod ita habet. [f] *Quantæ verò humilitatis fuerit hic* (scilicet Stephanus) *verè pastor, non mercenarius, quamque odio habuerit omnem fastum superbiæ: ferula pastoralis eius, cum qua in festiuis processionibus incedere solebat, satis indicat: quæ vsque hodie in Cisterciensi Sacrario,* 6.

f lib. 1. c. 33.

Sacrario, ob reuerentiam tanti Patris conseruata, & in magna veneratione habita, non multum a communibus sustentatoriis, quibus senes, & debiles inniti ferè solent, distare videtur. Hactenus ibi. Illud etiam in gloriam viri cedit, quod reformandarum religionum exemplar quàm multis fuit. Vix aliqua post ipsum reformata, quæ non ex ipso, quod nos etiam superiùs adnotauimus.

7. Diem obitus, contesti testimonio, produnt tabulæ antiquæ Cistercienses. *Quinto* (inquiunt) *Kalendas Aprilis obiit Dominus Stephanus tertius Cistercij Abbas.* Quòd verò Martyrologio Romano adscriptus sit, quintodecimo Kalẽdas Maij, hoc est, decima septima die mensis Aprilis, Fiteriensis inde ortum existimat, quòd ea die sit relatus Sanctorum numero. Annum coniectamus potius, quàm asserimus, non tamen leui, vt putamus, coniectura. nempe viuentem anno M. CXXXII. quod ex priuilegio Innocentij, suprà à nobis adducto, planè constat, sequenti anno renunciasse credimus, idque in Capitulo generali, conhibentia filiorum, qui non auderent Patri contradicere. Cùm autem ex Exordio magno habeamus, renunciatioui non diu superuixisse, consequitur migrasse hoc ipso anno, sex post cessionem mensibus, cùm quinque iam Rainardum expertus esset, omnes boni pastoris implentem numeros.

8. Nec tacendum quòd hoc eodem anno, & ferè intra bimistre etiam obierit sanctissimus Norbertus, Præmonstratensis Ordinis Pater, auctorque, quo duo insignes fundatores (sic Stephanum adpello) duorum Ordinum, Canonicorum hunc, illum Monachorum, vterque Sanctus, atque vterque militantem Ecclesiam ornans eodem tempore, triumphantem etiam simul illustrarent, obitibus coniunctis, & gloriosis. Porrò autem quantum decoris Ecclesiæ Dei accreuerit, ex vtraque familia, audi ex Roberto Montis, auctore graui, nec multo post hæc tempora scribente. [g] *His temporibus* (ait) *Ordo Canonicus Præmonstratensis, & Monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliuæ in conspectu Domini, pietatis lumen, & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ in religionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes ferè Christiani orbis terminos bonæ opinionis odore paulatim diffuso, nouas Abbatias, vbi antea Dei cultus non fuerat, construebant … Eratque circa hæc tempora pulchra, & decora facies Ecclesiæ,* &c. Nam pergit auctor plura adhuc scribere. Nec dissimilia Iacobus [h] de Vitriaco, & quotquot scripserunt illis temporibus. Ergo quos meritis, & filiis æquales fecerat, Stephanum, Norbertumque hoc anno raptos, admisit Deus ad præmia ferè æquales.

g ad ann. Christ. 1131.

h in histor. Occident.

9. Accepit Sanctus sepulturam iuxta Alberici prædecessoria sui sacras reliquias, quod auctor magni Exordij memoriæ dedit. [i] *Sacra* (inquit) *corporis eius* (idest, Stephani) *exuuiæ iuxta prædecessoris ipsius reliquias venerabiliter conditæ sunt: vt quibus in hac vita vnus fuerat spiritus, & vna fides, sic etiam in æterna beatitudine non dispar esset gloria.* Visitur hodie venerandum sarcophagum sacris Sanctorum ossibus illustre, ad ingressum Ecclesiæ versùs claustrum Capituli, in quo talis inscriptio continetur. *Sancti, & venerabiles Patres Abbates, Monasterij, & Ordinis Cisterciensis fundatores, & amplificatores, hìc simul reconditi sunt, videlicet D. Albericus, D. Stephanus, D. Rainardus, D. Gozuinus, D. Fastradus,* &c. *quorum felices animæ omnipotenti Deo viuentes nostri semper memores existant. Amen.* Hæc de sepulchro sancti Patris Stephani, tot Sanctorum reliquiis illustrato.

i lib. 1. c. 17.

Celebratur memoria Sancti viri anniuersaria, & festiua solemnitate ad decimam septimam diem mensis Aprilis, qua creditur adscriptus Sanctorum numero. De eo Martyrologium Romanum hæc habet verba. *Cistercij in Gallia sancti Stephani Abbatis, qui primus eremum Cisterciensem incoluit, & sanctum Bernardum cum sociis ad se venientem lætus excepit.* Eadem habet Martyrologium Monasticum, & alia, quæ ex Romano transcripsere. Verùm quòd primum incoluisse ait eam eremum, non positiuè, sed negatiuè intelligendum est, quia nullus alius eo prior incoluit. Atque hæc de Stephano, & eius felici transitu. 10.

Id vnum tamen silentio non prætercam, quod hactenus non licuit adnotare (certè non alia occasio commodior fuit.) Ab eius tempore (nisi fortè ante ipsum etiam cœperit) officium pro defunctis nostris in vsu sine interpolatione, non secus ac officium B. Virginis, ad nostra tempora vsque permeasse, quippe, qui, viuente adhuc sancto Patre (vt suprà notabamus) scribebat, Guillelmus Malmesburiensis, cùm vitam Monachorum sub ipso latè describat, nihil fermè omittens, hæc inter alia exercitia consueta memorat. [k] *Ab Idibus Septembris vsque ad Pascha, nullius festiuitatis intuitu, præter dies Dominicos, nisi semel in die ieiunium soluunt. Nunquam claustrum, nisi causa operandi, egrediuntur: nec ibi, neque vsquam, nisi Abbati, aut Priori inuicem colloquentes. Horas canonicas indefessè continuant, nulla appendentia extrinsecus adiicientes (in Choro) præter vigilias pro defunctis.* Hactenus ille. Quibus claré videas, non solùm hoc officium à nostris solui sub Stephano patente, sed, quod mireris, ab omnibus in Choro, cùm adhuc Horæ B. Mariæ Virginis, non nisi à singulis, idque extra Chorum, quod suprà [l] notabamus, recitarentur. Sed de hoc plura infrà dicenda erunt.

k Guillel. 2. ann. 13.

l Ann. 1503. cap. 2. n. 5. & 1133. cap. 9. n. 10.

---

1. Rainardi de obitu communis omnium Patris solicitudo. 2. Consultatum de legum collectione, 3. probatumque, & leges ipsa collecta, 4. decem priores ex charta charitatis, 5. reliqua ex editis post ipsam per annos quindecim. 6. Paucitas legum obiter perpensa, vix hactenus latarum, nisi per culpas.

Capvt VI.

1. AT Rainardus parente tanto orbatus, & destitutus consilio viri sanctissimi, quo sine nihil tutum arbitraretur, maximè tunc Bernardo Patre absente, sibi præ aliis per omnia consulendo, quo Stephani vestigiis firmiùs hærens, inceptam viam securiùs progrederetur, statuta, dum vixit, per ipsum lata (nam quædam addita chartæ charitatis, iuxta occurrentiam diuersarum occasionum) in Capitulo generali colligere, & si quæ visa, pauca superaddere, solicitus, & prouidus tractabat. Nam cur diuisa, & quasi dissociata circumferrentur? Cur quibuscumque legibus inspectis, an aliæ superessent dubitabatur? Cur non in vnum volumen redactæ, collectæque, simul possent adinuicem conferri? Ex diuisis faciliùs quasdam amitti, quasdam non legi, maximè multiplicatis Cœ-

nobiis, atque iam nunc dispersis per totum orbem: si colligantur, nullam perituram, quandiu nō omnes. Quod si aliquæ aliquibus obuiarent, atque aliæ essent ex aliis intelligendæ? Ergo hoc sancto Patri visum est, & sibi, & subditis suis æquè conueniens.

2. Consultum super eo Bernardum Patrem haud temere affirmem, quamuis non legam. Quin & hac occasione, vt credo, factum, vt cùm per se assistere non posset, per litteras nihilominus suas, non adstiterit solum, sed præuenerit: atque ad Abbates congregatos Suessione collaturos fortasse super hoc ipso, quæ Cistercij in Capitulo deciderent; hanc ex Italia epistolam scripserit.

epist.91. [i] *Ad Abbates Suessione Congregatos. Irascor occupationibus meis, quibus impedior interesse conuentui vestro, corpore tamen dumtaxat. Nam spiritum nec spatia terrarum, nec turba curarum absentare queunt, quippe orantem pro vobis, congratulantem vobis, atque in vobis quiescentem. Non me, inquam, Sanctorum potest carere conuentus, nec loci, corporisve distantia priuat prorsus à consilio iustorum, & congregatione. Illo præsertim consilio, in quo non hominum traditiones obstinatius defensantur, superstitiosius obseruantur, sed diligenter, humiliterque inquiritur, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Illuc toto desiderio ferox, deuotione immoror, condelector amore, inhæreo consensu, æmulatione persisto. Ne ergo in vacuum vos (quod absit) conuenisse subsannent, qui dicunt vobis, Euge, euge, contendite, obsecro, bonas facere vias vestras, & studia vestra, quæ profectò nimis bona esse non possunt. Esto quòd possis nimium fortassis esse iustus, possis & nimium sapiens: sed planè bonus vltra modum esse non potes. Et quidem lego:* k Eccles.c.7. l Rom.12. [k] *Noli esse nimium iustus. lego,* [l] *Noli plus sapere, quam oportet sapere. Nunquid autem aut ne sis nimium bonus, aut non plus bonus, quam oportet? Nemo esse bonus, plusquam oportet, potest. Bonus erat iam Paulus, & tamen nequaquam contentus: libenter se ad ea, quæ ante se sunt, extendebat, posteriora obliuiscens, & seipso semper melior effici studens. Solus Deus melior seipso esse idcirco non vult, quia non valet. Recedant à me, & à vobis, qui dicunt: Nolumus esse meliores, quam Patres nostri, tepidorum, & dissolutorum se filios protestantes.* m 3.Reg.19. *Quorum memoria in maledictione est,* [m] *quia manducauerunt vuas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt. aut si Sanctis, & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certe sanctitatem, quorum indulgentias, dispensationesque pro lege defendunt. Quanquam sanctus Helias;* [n] *Non sum, inquit, melior, quam patres mei, & non dixit se patribus nolle esse meliorem. Vidit* [o] *Iacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes:* n 3.Reg.19. o Genes.28. *Nunquid stantem quempiam, siue sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ quidquam in eodem statu permanet. Non habemus hic manentem ciuitatem, nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas, necesse est, aut descendas. Si attendas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Recedant etiam a me, & vobis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Qui dicunt cultum iustitiæ malum: quodnam bonum iam reputaturi sunt? Vnum verbum olim locutus est Dominus, & Pharisæi scandalizati sunt. At nouos nunc Pharisæos non verbum, sed silentium scandalizat. In hoc vno certe aduertitis, quòd occasionem quærunt aduersum vos. Sed sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Intendite saluti paruulorum, non murmuri maleuolorum. Non valde illorum vobis curandum est scandalum, qui non sanantur, nisi vos infirmemini. Sed neque vt vestris ipsis omnia omnibus placeant, quæ statuitis, expectandum. Alioquin aut nullum, aut rarum bonum constituitis. Satius verò ipsorum profectibus, quam voluntatibus prouideris. Fideliusque inuitos trahitis ad Deum, quam desideriis cordis eorum relinquitis. Commendo me sanctis orationibus vestris.* Hactenus Bernardus. Quæ vt ab eo scripta omnino certum, ita hac occasione an alia, dubium, & coniectari licet, non affirmare.

Vtcumque fuerit, congregatis viris apud Cistercium, noua, & vetera proferre in vnum placuit, legibus partim confirmatis, & partim editis. 3. Atque hæc prima illa collectio fuit, quam sancti Rainardi adpellarunt antiqui Patres. Eam, quia post chartam charitatis, ex qua nonnulla primitiui Cistercij acta, moresque, & solidam virtutem manifestat, neque alibi vulgata, quod ego viderim, æmulandam, aut saltim admirandam nostris temporibus, non pigebit ad litteram transcribere.

INCIPIT PROLOGVS SVPER INSTITVTA generalis Capituli apud Cistercium.

IN charta Charitatis inter cætera continetur, quòd singulis annis semel conueniant omnes Abbates Cœnobiorum, quæ Dei gratia in diuersis sint ordinata Prouinciis, ad Cisterciensem Ecclesiam, & quòd ibi de obseruatione sanctæ regulæ, & Ordine totius vitæ suæ, ac indissolubili inter se pace custodienda diligentissimè tractent, vt tenor viuendi sæpiùs replicatus, ac diuinarum Scripturarum auctoritate corroboratus, non facile repère, sed per diuturna plurimorum annorum spatia possit vigere. Hac ergo ratione in loco prædicto congregati hæc capita instituerunt, & per vniuersas congregationum nostrarum fraternitates tenenda decreuerunt.

Quo in loco constituenda sunt Cœnobia. CAP. I.

In ciuitatibus, castellis, villis, nulla nostra construenda sunt Cœnobia, sed in locis à conuersatione hominum semotis.

De Vnitate conuersationis in diuinis, & humanis. CAP. II.

Vt autem inter Abbatias vnitas indissolubilis perpetuò perseueret, stabilitum est: primò quidem, vt ab omnibus regula beati Benedicti vno modo intelligatur, vno modo teneatur. Dehinc, vt libri iidem, quantum dumtaxat pertinet ad diuinum Officium, idem victus, idem vestitus, iidem denique mores per omnia inueniantur.

Quos libros non licet habere diuersos. CAP. III.

Missale, Epistolare, Textus, Collectaneum, Graduale, Antiphonarium, Regula,

Hymnarium, Psalterium, Lectionarium, Kalendarium, vbique vniformiter habeantur.

De Vestitu. Cap. IV.

Vestitus simplex sit, & vilis, absque pelliciis, camisiis, staminiis, qualem denique regula describit.

Vnde Monachis debeat prouenire victus. Cap. V.

Monachis nostri Ordinis debet prouenire victus de labore manuum, de cultu terrarum, de nutrimento pecorum: vnde & licet nobis possidere ad proprios vsus, aquas, syluas, vineas, prata, terras à sæcularium hominum habitatione semotas, & animalia, præter illa, quæ magis solent prouocare curiositatem, & ostentare in se vanitatem, aliquasque afferre vtilitates, sicut sunt cerui, grues, & cætera huiusmodi. Ad hæc exercenda, nutrienda, & conseruanda, seu propè, seu longè, non tamen vltra dictam, grangias possumus habere, per conuersos custodiendas.

Quòd non debeat Monachus extra Claustra habitare. Cap. VI.

Monacho, cui ex regula claustrum propria debet esse habitatio, licet quidem ad grangias quoties mittitur ire, sed nequaquam diutiùs habitare.

Quòd in Ordine nostro habitatio fœminarum interdicta sit, & ingressus etiam portæ Monasterij eis negatus. Cap. VII.

Remota omni occasione, siue nutrimentorum augendorum, vel conseruandorum, siue rerum Monasterij quarumlibet, vt quandoque necesse est, lauandarum, siue denique cuiuscumque necessitatis, fœminarum cohabitatio, nobis, & conuersis nostris omnino interdicta est, ideo nec intra curtes grangiarum hospitari, nec Monasterij portam ingredi permittuntur.

De Conuersis. Cap. VIII.

Per Conuersos agenda sunt exercitia apud grangias, & per mercenarios, quos vtique conuersos Episcoporum licentia, tanquam necessarios, & coadiutores nostros sub cura nostra, sicut & Monachos suscipimus, fratres, & participes nostrorum tam spiritualium, quàm temporalium bonorum, æquè vt Monachos habemus.

Quòd redditus non habeamus. Cap. IX.

Ecclesias, altaria, sepulturas, decimas alieni laboris, vel nutrimenti, villas, villanos, terrarum census, furnorum, & molendinorum redditus, & cætera his similia monasticæ puritati aduersaria, nostri & nominis, & Ordinis excludit institutio.

Quid liceat, vel non liceat nobis habere de auro, & argento, gemmis, & serico. Cap. X.

Altarium linteamina, ministrorum indumenta sine serico sint, præter stolam, & manipulum. Casula verò non nisi vnicolor habeatur. Omnia Monasterij ornamenta, vasa, vtensilia sine auro, & argento, & gemmis, præter calicem, & fistulam, quæ quidem duo sola argentea, & deaurata, sed aurea nequaquam habere permittimus.

Huc vsque capita de institutione primorum Monachorum Cistercienſium, quæ de charta charitatis ferè omnia sunt sumpta.

Vt nemo recipiat aliquem ad aliam Ecclesiam ire volentem. Cap. XI.

Siquis Clericus, Monachus, aut laicus ad aliquam Ecclesiarum nostrarum causa remanendi venire voluerit, non ei dissuadeat aliqua alia Ecclesia, nec eum retineat, etiam si remanere voluerit, quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alij non feceris.* Qui postquam ad locum illum, in quo conuersari disposuit, venerit, ibique voluntate mutata remanere noluit, liber discedat. Sed si in cella Nouitiorum conuersatus fuerit, & inde proprio vitio vel expulsus, vel per se exierit, ab aliqua nostræ fraternitatis Ecclesia, sine commendatiis litteris non recipiatur: quia discordiæ inter Ecclesias fomes de tali causa oriri poterit. Quod idem de Monacho peregrino, & in aliquo nostro loco suscepto, & quo quo modo egresso, decernimus. 5.

Quomodo nouella Ecclesia Abbate, & Monachis, & cæteris necessariis ordinetur. Cap. XII.

Duodecim Monachi, cum Abbate, tredecim ad Cœnobia noua transmittantur, nec tamen

tamen illuc destinentur, donec locus libris, domibus, & necessariis aptatur: libris duntaxar Missali, Regula, libro vsuum, psalterio, hymnario, collectaneo, antiphonario, graduali. Domibus quoque, Oratoriis, refectorio, dormitorio, cella hospitum, & portarij: necessariis etiam temporibus, vt & viuere, & regulam ibidem valeant obseruare.

[a] Hinc discrepantia Chronologiæ cum historicis: his ædificij incepti tempus signantibus: illa conuentus, Coloniæque transmissæ. Nonnunquam tamen Chronologia præit, Monachis in longinquum destinatis, quærendo loco, & Ecclesiæ ædificandæ.

De firmaculis librorum. CAP. XIII.

Interdicimus ne Ecclesiarum nostrarum libris aurea, vel argentea, siue deargentata, vel deaurata habeantur retinacula, quæ vsu *firmacula* vocantur, & ne aliquis codex pallio tegatur.

De pane quotidiano. CAP. XIV.

Sicut in Ecclesiasticis aliisque obseruationibus cauemus, ne inueniamur discordes, sic etiam & in victu quotidiano diuersitas est cauenda, ne fratres carnis, vel spiritus fragilitate, victi grossiorem panem abhorrere, & lautiorem incipiant desiderare. Ideo stabilimus, ne in Cœnobiis nostris fiat panis candidus, nec etiam in præcipuis festiuitatibus, sed grossus, idest, cribro factus. Vbi autem frumentum defuerit, cum sacco liceat fieri. quæ lex infirmis non tenebitur, sed & hospitibus, quibus visum fuerit, album panem apponimus, & minutis imminutione sua, sicut in eorum sententia descriptum est: cuius panis albi, videlicet, qui minutis apponitur, sicut & quotidiani pasta, in statera posita, nequaquam plus ponderare debet, sed æqua lance appendi.

De cucullis, & subtalaribus. CAP. XV.

In Ecclesiis nostris non sint cucullæ [b] de foris flocatæ, & subtalares diurni non sint caprini, vel carduani, sed baccini.

[b] In vestibus floci dicuntur lanæ particulæ eminentiores, quæ fila tegunt. An hæ cucullæ de foris flocatæ, hoc est, confectæ ex tela, quæ vel fila floris spissis tegerat, vel rarioribus curiosius ostentaret?

De Monacho, vel Conuerso fugitiuo. CAP. XVI.

Siquis Monachus, vel Conuersus vitio suo de Ecclesia aliqua exierit, & ad aliam venerit, suadeatur ei, vt reuertatur. Quòd si Abbas, vel Prior illius loci intellexerit illum ad locum suum nolle redire, non eum sinat ampliùs vna nocte illic manere; habitumque ei religionis iubeat auferri, nisi priusquam ad nostrum Ordinem venerit, Monachum fuisse constiterit. Conuerso verò de rebus Monasterij nihil dimittatur, præter indumentum simplex, & vile.

Quòd Monachus peregrinus, aut infra breue tempus recipiatur, aut recedat. CAP. XVII.

Monachus peregrinus, si ad aliquod Cœnobium ad habitandum venerit, nec ibi propter vicinitatem Ecclesiæ suæ, aut notitiam recipi poterit, non diutiùs teneatur in domo hospitum, ob hoc, vt inter hanc moram aut aliquo ingenio, aut aliquarum Ecclesiasticarum, seu sæcularium personarum petitione, quæ sine dubio violenta constat esse, ab Abbate suo extorqueatur.

Vt pictantiæ non administrentur in refectorio apud Cistercium, tempore generalis Capituli. CAP. XVIII.

Nos Abbates illo tempore decem, sicuti solemus, Cistercium post annum venientes, rogabamus dominum Abbatem Stephanum, & fratres, ne nobis in refectorio [c] solitæ pictantiæ post duo pulmentaria regularia præsentarentur: quia & in refectorio in distributione harum rerum videbatur esse quædam inquietudo fratrum, & in mora illa diminutio dormitionis fratrum. Tuncque Abbate illo, & fratribus consentientibus, stabiliuimus, ne ista nobis illo tempore amplius fierent.

[c] Pictantia ferculum Abbati propinandum, vltra duo pulmentaria regularia, idque pro reuerentia dignitatis. Fortè à pictauio albo, siue tabula in qua nomina selectorum Ducum scribebantur. Hæc Abbatibus per regulam permissa, inter fratres pro arbitrio diuidenda. Hinc quodcumque pulmentum superadditum appellatur pictantia, de qua plura habentur in libro vsuum. Nec tantùm inter nostros, audi statuta Canonicorum Præmonstratensium. *Cæterùm vbi solent haberi redditus designati, vel aliqua specialiter legata, pro pictantiis conuentibus faciendis, statuimus, vt de cætero per vnum, vel per duos fratres fide dignos recipiantur*, &c.

De

De sculpturis, & picturis, & Cruce lignea. CAP. XIX.

Sculpturæ, vel picturæ in Ecclesiis nostris, seu in officinis aliquibus Monasterij, ne fiant, interdicimus: quia dum talibus intenditur vtilitas bonæ meditationis, vel disciplina religiosæ grauitatis sæpe negligitur. Cruces tamen pictas, quæ sunt ligneæ, habemus.

Vt extra portam, domus non habeatur. CAP. XX.

Non est congruum, vt extra portam Monasterij domus aliqua ad habitandum construatur, nisi animalium, quia periculum animarum inde potest nasci.

Quòd omnia Monasteria in honore beatæ Mariæ dedicentur. CAP. XXI.

Quia antecessores nostri, & Patres de Ecclesia Molismensi, quæ in honore beatæ Mariæ est, ad Cisterciensem locum, vnde & nos exorti sumus, primitus venerunt, idcirco decernimus, vt omnes Ecclesiæ nostræ, ac successorum nostrorum in memoria eiusdem cœli, & terræ Reginæ, sanctæ Mariæ fundentur, ac dedicentur.

Quòd animalia vitium leuitatis ministrantia non nutriantur. CAP. XXII.

Certum est, nos, qui Monachalem militiam arripuimus, debere in Cœnobiis honestæ grauitati, ac regularibus disciplinis, non leuitatibus, aut iocis vacare. Et ob hoc horum fomenta vitiorum à sanctis locis elongari oportet, scilicet ceruos, & vrsos, ac grues, cæteraque talium leuitatum irritamenta.

De Clericis, vel laicis Cœnobia construentibus, & quòd nullus sine probatione efficiatur Monachus. CAP. XXIII.

Si Clerici, vel laici locum aliquem ad honorem Dei construxerint, illumque locum alicui Cœnobio totum nostrorum, quatenus ad Abbatiam proficiat, concedere voluerint, Abbasque illius Cœnobij, à quo consultum flagitant, locum habilem prospexerit, suscipiat illum, si voluerit. Ipsi verò Clerici, vel laici, si sanctæ regulæ iugo se subdere voluerint, aut in illo loco Abbatiam faciendam præstolentur, aut cellam Nouitiorum intrent in Cœnobio prænotati Abbatis, vt regulariter probentur. Quòd si ad aliquam aliam Ecclesiarum nostrarum elegerint se cedere, vel aliquid aliud proprio arbitrio facere, licenter agant. Illud tamen nobis omnibus magnopere est cauendum, ne isti, aut alij aliqui sine regulari probatione aliquo modo nostro collegio socientur, exceptis Monachis, quos beatus suscipit Benedictus.

Quòd inter Monasterium nemo carne vescatur, aut sagimine. CAP. XXIV.

Infra Monasterium nullus sagimine, & carne vescatur, nisi omnino infirmi, & artifices conducti, similiter & intra curtes grangiarum, nisi propter easdem causas, & etiam propter mercenarios.

Quibus diebus vescimur tantùm quadragesimali cibo. CAP. XXV.

In toto Aduentu, excepta prima Dominica, secunda, & tertia feria ante caput ieiunij, vigilia Pentecostes, ieiuniis quatuor temporum in Septembri, in vigiliis sanctorum Ioannis Baptistæ, Petri, & Pauli, Laurentij, assumptionis Mariæ, Matthæi Apostoli, Simonis & Iudæ, omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, quadragesimali tantùm vescimur cibo.

Ne Monachi dent, vel accipiant medietariam, vel creissementum. CAP. XXVI.

Nullam cum sæcularibus societatem in pecoribus nutriendis, seu terris excolendis habere permittimus; videlicet dando, vel accipiendo medietariam, vel creissementum.

Quos suscipiamus ad Communionem, Confessionem, & sepulturam. CAP. XXVII.

Ad confessionem, ad sacram communionem, & sepulturam neminem extraneum præter hospites, & mercenarios nostros, intra Monasterium videlicet morientes, recipimus, sed nec ad Missarum oblationem, nisi in purificatione beatæ Mariæ. Ad sepulturam autem duos tantummodo, quos voluerimus de amicis, de familiaribus nostris cum vxoribus suis.

Quid

Quid fiat de his, qui reddunt se alicui Ecclesiæ nostræ ad Monachatum, & antequam in Capitulum venerint, morte præuenti fuerint.

CAP. XXVIII.

Si quis mundum respuens, Monachatum desiderauerit, & veniens ad aliquem de Abbatibus nostris desiderium ei intimauerit, ac se etiam ei, vel alicui Monacho illius Ecclesiæ reddiderit, hic talis, si ante petitionem suam in Capitulo regulariter factam obierit, non pro Nouitio habeatur, sed pro familiari.

Quòd nullus nostri Ordinis Abbas Monacham benedicat. CAP. XXIX.

Prohibitum est, ne quis Abbatum nostrorum Monacham benedicere, infantulum baptizare, vel etiam in Baptismo tenere præsumat, nisi fortè in articulo mortis, vel Presbyter defuerit.

Quomodo fiant Abbatiæ. CAP. XXX.

Siquis Abbas crescente numero fratrum Abbatiam ædificare voluerit, primò locum Abbatiæ aptum perquirat: deinde cum duobus Abbatibus sibi vicinioribus (si tamen suus Abbas longo terrarum interuallo ab eo remotus fuerit) ostendat, & quod consilium super hoc sibi dederint, faciat. Qui si eorum audito consilio Abbatiam fecerit, aut necessaria, quibus indigent fratres, quos miserit, ipse eis prouideat, aut talem hominem quærat, qui hoc implere diligenter sufficiat, ne eum diu in obsequio debuerint vacare, necessitate compulsi eum dedecore compellantur mendicare.

Quomodo causæ in generali Capitulo exortæ definiantur. CAP. XXXI.

Si quælibet causa sponte confessa, vel clamore exorta in generali Capitulo Cistercij nascatur, communi assensu omnium Abbatum, si possit concorditer fieri, definiatur. Si autem pro capacitate sensus vniuscuiusque, quod sæpe accidit, inter se dissenserint, Pater Cisterciensis Monasterij, quatuor de Abbatibus ad hoc idoneis, hanc definire præcipiat, & quod illi vtilius iudicauerint, omnis sanctæ multitudinis conuentus sine retractatione teneat.

De Priuilegiis. CAP. XXXII.

Constituimus, ne quis contra instituta Ordinis nostri priuilegium facere præsumat, sed quod disposuerunt antecessores nostri sancti viri, & adhuc disponunt sano consilio moderni, ratum, & stabile permaneat. Quòd si quis contra statuta Capituli accipere aliquid, vel emere, vel ædificare præsumpserit, remota omni dispensatione ædificia cadant, expensæ, & opera pereant.

De vicinitate Abbatiarum. CAP. XXXIII.

Si cui locus ad Abbatiam construendam oblatus fuerit, non præsumat accipere, nisi priùs eum distare à cæteris Abbatiis nostri Ordinis decem leucis Burgundiæ pro certo cognouerit. Si tamen ibi congregatio fuerit per assensum Cisterciensis Abbatum Capituli, illum poterit accipere. Grangiæ autem diuersarum Abbatiarum distent inter se ad minus duabus leucis.

Quòd filia semel per annum visitet matrem Ecclesiam CAP. XXXIV.

Statuit causa humilitatis Cisterciensis conuentus solerti prouidentia, quatenus semel in anno saltem Ecclesiam matrem per Abbatem suum, si sanus fuerit, visitet filia.

Quæ pœna iniungatur negligentibus instituta. CAP. XXXV.

Si quis Abbatum Capituli nostri generalis neglexerit instituta, publicè clametur, & ad emendationem moneatur: quòd si ipso anno non correxerit, & in sequenti Capitulo notum fuerit, leuiori culpæ subiaceat, vbi & quandiu decreuerit Cisterciense Capitulum.

De Abbate [d] nouiter creato cum sua Abbatia. CAP. XXXVI.

Si qua Abbatia in arcto fuerit, vt eo anno Abbas illius ad Capitulum Cisterciense venire non possit, atque hoc sic esse perpenditur, in sequenti anno pro tali causa non clametur.

[d] In titulo, vt apparet, irrepsit error, sed qui sine exemplari non corrigendus.

Quot

Quot Monachos habeat Ecclesia, cùm Abbatiam aliam cœperit construere.
CAP. XXXVII.

Nullus de Abbatibus nostris locum ad Abbatiam fundandam accipiat, nisi priùs sexaginta Monachos professos habeat, & hoc licentia generalis Capituli.

De Episcopo, vel Archiepiscopo. CAP. XXXVIII.

Nullus propter iussionem Archiepiscopi, vel Episcopi, generale Capitulum dimittere præsumat, sed si sanus est, cæteris occasionibus postpositis, venire contendat, non quòd debitam obedientiam Prælatis nostris denegemus, sed quòd in Ordine nostro tenere statuimus, obseruare debemus. Et ideo sicut aliàs scripsimus, cùm quis Abbatum Abbatiam construere voluerit, primò hoc capitulum, & cætera Archiepiscopo, vel Episcopo diligenter sunt ostendenda.

De puluinaribus. CAP. XXXIX.

Puluinaria ex nulla parte excedant pedem, & dimidium.

De electione Abbatum, vel Monachorum in Episcopum. CAP. XL.

Abbas, vel Monachus nostri Ordinis si in Episcopum eligatur, nunquam consentiat sine assensu Abbatis sui, & Cisterciensis Capituli, nisi fortè à Domino Papa cogatur.

Quòd Monachi, vel Conuersi in alia Abbatia nihil quærant. CAP. XLI.

Monachi, & Conuersi nostri Ordinis à propriis Abbatibus ad aliquod negotium directi, in alia Abbatia nostri Ordinis, sine mandato Abbatis sui nihil quærant, præter victum, & calceamentorum reparationem, & equorum ferrationem; nisi eis aliquid infortunium in via contigerit.

Quo ordine benedicatur Monachus peregrinus. CAP. XLII.

Monachus peregrinus in aliquo nostri Ordinis Monasterio receptus, eo ordine, quo Nouitius benedicatur, nisi priùs benedictus non fuerit.

Cui liceat ferre punctam culcitram. CAP. XLIII.

Nullus ferat secum in via [c] punctam culcitram, nisi is, cui in Capitulo Cisterciensi concessum fuerit.

[c] Puluinum interpretor equestri sella impositum, cui equitans insideat, quo molliùs sedeat.

Quot sociis Abbas veniens ad Capitulum contentus esse debeat. CAP. XLIV.

Abbas veniens Cistercium ad generale Capitulum intra Abbatiam Monachum non adducat, nec plusquam duos equos, sed contentus sit vno Conuerso, vel vno seruitore.

Vbi Monachi, vel Conuersi minui debeant. CAP. XLV.

Monachus, vel Conuersus non debet minui, nisi ad Abbatias nostri Ordinis; neque ad grangias, nisi grauis necessitas incubuerit.

De communicaturis. CAP. XLVI.

Illis diebus, quibus Monachi communicaturi sunt, possunt ad priuatas Missas ministri communicare; licet etiam Abbati, Monachos, Nouitios, Conuersos, prout expedire iudicauerit, diuidere per altaria ad communicandum.

Quòd nullus Abbas in generali Capitulo loquatur, nisi stando. CAP. XLVII.

Nulli Abbatum, præter Cisterciensem, liceat clamare, vel in audientia loqui omnium, nisi stando, aliis omnibus sedendo auscultantibus. Si quis autem aliorum vel contradicere, vel aliud dicere voluerit, illo sedente, surgat.

Quòd nullus præsumat terram alterius, vel vsuaria in ea quærere.
CAP. XLVIII.

Si quis Abbas terram habuerit, vel vsuaria, vel inde aliquam habuerit conuentionem, nullus Abbatum quærat eam, vel in ea vsuaria sine assensu illius Abbatis.

Quomodo satisfaciat Abbas non occurrens ad gloriam primi Psalmi. CAP. XLIX.

Abbas, si ad gloriam primi Psalmi non occurrerit, satisfaciat ad gradum vt Monachus, excepto quòd sine licentia alicuius post satisfactionem recedat ad sedem suam, nisi alius Abbas in choro fuerit.

Quomodo exire debeant à generali Capitulo Monachi Cistercienses.

CAP. L.

In prima die Capituli [f] post absolutionem defunctorum dicatur, *Adiutorium nostrum*, & exeant omnes Monachi præter Priores, qui loco Abbatum affuerint, idem fiat aliis diebus post expositionem Regulæ.

[f] Loquitur de Psalmo *De profundis*, cum orationibus, quibus pretiosa clauditur, quæ semel in anno, nec vbilibet; nunc singulis diebus, atque à singulis dici consueuere.

Quot Psalmi, vel quælibet aliæ orationes præter assuetas in Conuentu non dicantur, pro quauis necessitate. CAP. LI.

Prohibitum est, ne in Conuentu Psalmi, vel aliæ quælibet orationes pro quauis necessitate dicantur; nisi fortè pro Missa de Conuentu, alia Missa pro imminente angustia, vel ad Missam de Conuentu collecta.

Quando adolescentiores fratres mixtum sumere debeant. CAP. LII.

Adolescentiores fratres quibus diebus ieiuniorum mixtum sumere conceditur, semper ante tertiam illud sumant, in æstate similiter ante prandium ea hora, qua Abbas præuiderit.

De nundinis. CAP. LIII.

Periculosum quidem est, minusque honestum Religiosis, frequentare nundinas nominatas, sed quia paupertas nostra hoc exigit, vt de rebus nostris vendamus, vel necessaria emamus, quibus talis incumbat necessitas, poterunt ire ad mercatum, vel nundinas, non tamen vltra tres dietas, vel ad plus vltra quatuor; nec plures de Monachis, vel Conuersis, quàm duo de vna Abbatia; nec mare Anglicum censemus transeundum propter nundinas. Si qui tamen vicini maris portui fuerint pro necessariis domus suæ emendis, vel commutandis, transire poterunt, non tamen ad nundinas, neque à portu, cui applicuerint, plusquam duas dietas. Quicumque ergo Monachus, vel Conuersus nostri Ordinis ad nundinas nominatus venerit, quandiu in nundinis fuerit, de nulla domo religiosa victum sibi, vel equis suis accipiat, sed de suo magis viuat, & ea mensura, qua decet virum sui Ordinis: non enim debet pro se pisces emere, aut delicias quærere, sed neque vinum bibere, nisi bene adaquatum, & duobus pulmentis sit contentus. Ad opus sæcularium nec emant, nec vendant aliquid.

De Tabernis. CAP. LIV.

Neque per Monachum, neque per Conuersum, neque per aliquem hominem licet nobis vinum nostrum vendere ad tabernam, siue, vt vulgò dicitur, *ad brocam*, siue, vt lingua Theutonica dicitur, *ad zappam*, in domibus nostris, siue alienis, nec alicubi omnino.

De Abbatibus, dum generale Capitulum tenetur, foras sedentibus.

CAP. LV.

Quicumque Abbas foris Capitulum, dum generale Capitulum tenetur, sederit, ea die à vino abstineatur.

De mensura auenæ. CAP. LVI.

Monachis, siue aliquibus aliis nostri Ordinis, ab Abbatias nostras, siue ad earum loca venientibus, ad opus equorum ipsorum, mensura auenæ in Cisterciensi Capitulo constituta sufficiat.

De hospitibus ad generale Capitulum venientibus. CAP. LVII.

Eo die, quo Abbates Cistercij ad annuum conueniunt Capitulum, reliquisque diebus, quibus ibidem commorantur, certum sit, statutum esse, in generali eorumdem Abbatum Capitulo, nullum superuenientem suscipi debere hospitem. Quòd si etiam talis aliquis superuenerit, cui id negari omnino non possit, equos, vel equum eius nullo modo recipiendum. Id enim solerter cauendum iudicauere, ne fortè rei, pro qua de tam longinquis conueniunt Prouinciis, sed vt suo intendant ordini, vllum incurrant impedimentum; quod per huiusmodi susceptiones fieri posse arbitrantur.

De mensura pulmentorum. CAP. LVIII.

Eadem mensura sicut panis, & vini sit per omnes Abbatias, quà pulmenta æqualiter diuidantur, & tam in grangiis, quàm in Abbatiis.

Cui

Cui liceat ferre calicem, & cætera ad cantandam Missam necessaria.
CAP. LIX.

Abbates nostri Ordinis quolibet ierint, calicem, & cætera ad cantandam Missam non ferant, nisi cui fortè in annuo Abbatum Capitulo concessum fuerit.

Si liceat alicui nouos libros dictare. CAP. LX.

Nulli liceat Abbati, nec Monacho, nec Nouitio libros facere, nisi fortè cuique in generali Abbatum Capitulo concessum fuerit.

De armentis, siue pecudibus. CAP. LXI.

Nullus Abbas Ordinis nostri siue pecudes, siue armenta sinat ad pascua longiùs euagari per diem, quin in nocte reuertantur intra proprios fines, & terras proprias. Hac tamen lege non tenebuntur, qui in Alpibus, vel iuxta Alpes habitant in gregibus duntaxat ouium. Propter porcos autem liceat domum habere longè ab Abbatia, siue à grangia duabus leucis, seu etiam tribus, si ita necesse fuerit, & circa domum illam, quantum opus fuerit, longè euagentur, ita tamen, vt in nocte illa illuc reuertantur. Custodibus verò ouium, vel porcorum victus quotidianus aliunde non proueniat, nisi de sua propria Abbatia, vel grangia; sed & si qui etiam in aliis partibus pro penuria, & ariditate locorum fortè hanc legem tenere non poterunt, ea ipsi non tenebuntur, sed poterit in eis Capitulum dispensare, vt viuere possint, si tamen hoc testimonio vicinorum Abbatum manifestè ostendere poterunt.

De Placitis. CAP. LXII.

Non debent Abbates, vel Monachi, aut Conuersi nostri Ordinis interesse placitis, non suis, aut aliorum de Ordine nostro. Quòd si aliis de causis quemquam eorum adesse contigerit, non sit tamen ibi iudex, aut proloquutor, nec ad consilium partium, vel ad iudicium eat.

De Episcopis Ordinis nostri. CAP. LXIII.

Episcopi assumpti de Ordine nostro consuetudines nostras tenebunt, in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in obseruantia ieiuniorum, in officio horarum regularium, excepto quòd mantellum de vili panno, & pelle ouina, & pileum similem, aut simplicem de lana habere poterunt, qui voluerint, cum quibus tamen rebus claustra nostra non intrabunt, nec conuentibus nostris intererunt, propter dissimilitudinem. Solatia poterunt cuique dari de domibus nostris, vsque ad duos Monachos, & tres Conuersos, si tot necessarij fuerint, ita tamen vt nemini illorum sæcularia negotia, vel curæ imponantur. Propter Episcopos Ordinis nostri, si in infirmitorio iacent, poterunt infirmarij sui, si opus fuerit, remanere ab horis Canonicis, similiter & socij eorum, qui assidui sunt cum eis. Cæterorum autem nullus pro quolibet Episcopo aliquam Canonicam horam dimittat, & nullus Monachorum eius comedat cum eo, sed in refectorio, nisi infirmus fuerit.

De Pitantiis. CAP. LXIV.

Abbas, qui in infirmitorio iacuerit, in Conuentum pitantiam non mittat, præter Abbatem loci. Nullusque Abbatum, qui in refectorio comederit, faciat pitantiam, nisi ille qui sedet [g] ad nolam, nisi fortè iuxta se sedenti.

g Tabula ad Abbatis locum poni consueta, ad cuius ictum fratres comederent, seruitores fragmenta colligerent, & alia ad Abbatis nutum exequerentur. Nunc manu, seu cultello pulsamus mensam: atque eo ictu signamus, nola reiecta.

Quibus speciebus non vtimur. CAP. LXV.

In Conuentu generaliter nec pipere, nec cymino, nec huiusmodi speciebus vtamur, sed communibus herbis, quales terra nostra producit.

De grauioribus culpis. CAP. LXVI.

Quicumque Monachorum, vel Conuersorum nostri Ordinis in furtis, in conspirationibus, vel incendiis manifestè deprehensi fuerint, grauiori culpæ subdantur. Quòd si qui talium pro eo exierint, aut proiecti fuerint, nullatenus nisi sub eadem sententia recipiantur. Ipsa etiam in quemcumque secundùm modum culpæ extendatur, vel aggrauetur. Hoc autem attendendum est, vt & hora prandij sit tardior, & mensura cibi sit minor, quàm illius, qui in leuiori culpa ponitur. Verumtamen Abbas attendat & corporum valetudines, & culparum modos: & cùm susceptus fuerit in Capitulo, non eadem die

ponatur in ordine suo. Vasa, quibus vtitur, aut frangantur, aut pauperibus erogentur. Ad fores Oratorij prostratus iaceat in terra, non habens Caputium in capite. *Quoties Missa, vel officium defunctorum sine interuallo sequitur horam Canonicam, non prosternatur, donec Conuentus exeat de Ecclesia: non tamen omnes coguntur exire propter eum; qui verò exeunt, per ante eum exeant.* Et item cùm in Capitulo receptus fuerit, dum completur opus Dei, prosternat se in terra.

De leuioribus culpis. CAP. LXVII.

Fratres, qui in leuiori culpa sunt, extra refectorium comedant in loco, quo Abbati visum fuerit; qui post refectionem seruitorum, neque ad [h] biberes eant cum aliis, neque illi, qui pro versu tertio perdito in pœnitentia sunt, sed post alios eant bibere in refectorio.

[h] Biberes vocat metentium fratrum potum, quem ad ardorem æstus temperandum, & vires à labore resumendas, propinari soliti, non nisi certa hora, omnibus simul, & benedictione à Priore priùs accepta, permittebatur; de quo multa in vsibus.

Quo ordine fugitiuus recipi debeat. CAP. LXVIII.

Fugitiuus quando recipitur, vbique erit vltimus omnium; postea verò si Clericus est, poterit Abbas licentiam cantandi, & legendi ei dare, & in choro vltimum ponere, in Ordine Clericorum, vel etiam Sacerdotum, si Sacerdos fuerit. Si autem humiliato ei locum altiorem aliquando indulgere voluerit, computet tempus, quo foris moratus est, & tantùm semper amittat de ipso Ordine, nunquam recepturus.

De vocatione Abbatum ad electionem noui Abbatis. CAP. LXIX.

Defuncto Abbate Pater Abbas vocatur, & si qui sunt Abbates, quos illa domus genuerit, viciniores quique, ad diem, quem ipse Pater Abbas præscripserit, pariter conuocentur, & [i] ad arbitrium Patris Abbatis præsentes Abbates domus illius, simul & Monachi Abbatem eligant: in domo autem Cisterciensi, quia mater est omnium nostrûm, præsentes Abbates, qui de Cistercio exierunt, & Monachi Cistercienses, simul eligant.

[i] Electiones per vota consultiua ad solius Patris Abbatis arbitrium celebrabantur, præterquam in Cistercio, vbi suffragia eligendum decidebant, quia caput Ordinis.

De cura Grangiarum. CAP. LXX.

Prohibemus, ne quis Abbas grangias suas, vel aliquam earum alicui Monacho committat, nisi Cellerario, qui secundùm regulæ auctoritates, ad voluntatem Abbatis curam gerat de omnibus, & ei prout necesse fuerit, solatia [k] administrentur, à quibus in his, quæ agenda fuerint, adiuuetur.

[k] Solatia appellat Conuersos, siue Monachos in adiutorium datos, quos nos per particulam *sub*, significamus, cùm dicimus subcellerarius, subsacrista, &c. de quibus in libro vsuum, sub eodem solatiorum vocabulo permulta. Vide in his legibus *cap. 63.* Et in constitutionibus Patrum Præmonstratensium, *De vestiario, & solatio eius.* Et item, *De Portario, & solatio eius.* *dist. 2. cap. 16. & 12.*

Quid Abbas Cisterciensis in generali Capitulo post discessionem Monachorum inquirere debeat. CAP. LXXI.

Si qua Abbatia in anno à Patre suo Abbate domus, vnde exiuit, non fuerit visitata, vel per se, vel per alium in communi Capitulo Cisterciensi Abbas eius hoc notificet, interrogante id communiter eo, qui præsidet in Capitulo. Quæratur etiam, si quis desit Abbatum, & auditis excusationibus eorum, qui fortè pro infirmitate venire non potuerunt, de cætero nemo celauerit, si quem eorum, qui eo anno venire debuerant, abesse cognouerit, nec sine graui animaduersione id prætereatur.

Qualiter tractari debeat, si qua fortè controuersia inter Abbates orta fuerit. CAP. LXXII.

Si fortè aliqua controuersia inter aliquos Abbates nostri Ordinis orta fuerit, conuocent vicinos Abbates Ordinis nostri; & eorum consilio paces ineant. Si verò nec sic sedare poterunt, referuetur causa eorum ad annuum Capitulum, & ibi ad arbitrium, & ad nutum Cisterciensis Capituli tractetur, neque inde ad aliam audientiam appellare liceat.

De Domibus, quæ in villis sunt. CAP. LXXIII.

In domibus, quæ in villis sunt, aut castellis, vel ciuitatibus, non habitent Monachi, vel Conuersi.

De

De Monachis, vel Conuersis ad grangiam venientibus. CAP. LXXIV.

Monachi cùm ad proprias grangias venerint, sicut fratres grangiarum, ita vescantur, nec loquantur cum fratribus, nisi cum Magistro, & hospitali.

De falsis vocibus. CAP. LXXV.

Viros decet virili voce cantare, & non more fœmineo, tinnulis, vel, vt vulgò dicitur, *falsis vocibus*, veluti histrionicam imitari lasciuiam; & ideo constituimus mediocritatem seruari in cantu, vt & grauitatem redoleat, & deuotio conseruetur.

Si liceat alicui Romam ire. CAP. LXXVI.

Nemo nostri Ordinis Romam eat, nisi cum Episcopo sui Ordinis.

De Abbatibus, qui Abbatias suas relinquunt. CAP. LXXVII.

Abbates, qui Abbatias suas relinquunt, in Ordinem conuersionis suæ redeant.

Quòd Monachi, vel Conuersi ad generale Capitulum venientes, verberentur. CAP. LXXVIII.

Ab hora nona diei præcedentis Exaltationem sanctæ Crucis, vsque ad horam nonam diei, quo Abbates à generali Capitulo discedunt, qui Monachus hospes, vel Conuersus inuentus fuerit in Monasterio, vel grangiis Cisterciensibus ducatur in generale Capitulum, & ibi coram omnibus Abbatibus verberetur. Excusationem verò aliquam eis prætendere, quin verberentur, nec Abbas Cisterciensis potest.

Quòd infirmarius loqui potest cum solatio suo. CAP. LXXIX.

Qui Magister erit de infirmitorio, loqui poterit cum solatio suo, si tamen ita viderit Abbas oportere, & hoc ipsum loco, & modo, quo ipse prouiderit. Conuersum verò pro solatio liceat infirmarij haberi in infirmitorio.

De Pueris litteras discentibus. CAP. LXXX.

Nullus puerorum doceatur litteras intra Monasterium, vel in locis Monasterij, nisi sit Monachus, vel receptus in probatione Nouitius, quibus tempore lectionis dicere licet. Et notandum, quia nullum, nisi post quindecim ætatis suæ annos, in probatione nobis ponere licet.

De pœna Abbatis contemnentis Patrem Abbatem. CAP. LXXXI.

Abbas filius, qui Abbatem suum eum corripientem de Ordine suo contempserit, damnatus in Cisterciensi Capitulo, leui culpæ subiacebit, aut in propria Abbatia, aut in loco, quem Abbas Cisterciensis ei constituerit.

De litteris, & vitreis. CAP. LXXXII.

Litteræ vnius coloris fiant, & non depictæ. Vitreæ albæ fiant, & sine crucibus, & picturis.

De generibus vestimentorum. CAP. LXXXIII.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Monasterium ista non decent. Ponamus delicatas vestes: & nullus deinceps [l] isembruno, vvalembruno, saia, vel huiusmodi, aut etiam subtilioribus pannis vtatur, neque nouis, neque veteribus.

[l] De isembruno, & pannis pretiosioribus superiùs actum, ad annum Christi M. C.

Pro quibus liceat nobis scribere Domino Papæ. CAP. LXXXIV.

Nullus scribat Domino Papæ, nisi propriis causis, & Coabbatum suorum, vel Episcoporum, & Archiepiscoporum, Regum, & Principum suorum.

De VVandagiis. CAP. LXXXV.

Directi in itinere, si voluerint, [m] vvandagias ad euitandum lutum, siue ad expellendum frigus, habere licet eis.

[m] VVandagiarum non ausim diffinire significatum, quippe nullibi potui reperire. Coniector tamen operimentum crurium à genibus ad calceos vsque decidens, atque ipsos operiens, quod nos *polainas* dicimus, itinerantibus valdè accommodatum, arcendo luto, & pluuiæ, nec non & frigori.

Quòd Monachus non oret prostratus. CAP. LXXXVI.

Non est nostræ consuetudinis Monachum, vel Conuersum prostratum toto corpore iacere in oratione, sed super genua, vel stando.

De Scriptoriis. Cap. LXXXVII.

In omnibus [a] scriptoriis, vbicumque ex consuetudine Monachi scribunt, silentium teneatur, sicut in claustro.

[a] Scriptoria, loca in quibus libri in commonem Monachorum vsum scribebantur, quippe typis nondum adhuc inuentis, imò nec inueniendis post multos annos, amanuenses scriptores designabantur, Bibliothecis locorum instruendis in vsum omnium.

6. Hactenus leges collectæ per Rainardum verius, quam editæ, quippe ab Stephano satis diuerso tempore, nihil omnino censuit superaddendum. His Cistercium creuisse expertus fuerat, nec dubitabat eisdem conseruandum. In quibus tamen, vt paucitatem miror (nam quod hodie Collegium non plures habet?) sic efficaciam veneror, fortè ex vnita virtute prouenientem. Hæc pauca sanctos viros dirigebant, ligabantque; faciles duci, atque vltrò obsequuturos. Renuentibus alia, & alia multiplicantur, quibus plerumque distrahimur facilius, quàm coercemur: nec curamus seruare (nam quî possumus?) quæ vix vacat scire. Sermonem (inquit Christus) meum seruabit. Ioann. 14. Quid ni, si vnum? At vbi in plures proponitur diuisus, audi quod sequitur. Sermones (inquit) meos non seruat. Verùm & illud satis aptè quadrat; eo frequenter charitatis minus, quo plus legum, & diligenti sermonem vnum proponi, si quis diligit me, sermonem meum, &c. negligentibus nec plures satis esse. Sed hæc aliàs. Nunc ad historiæ seriem reuertamur.

1. Guillelmus Abbas sancti Theodorici, præfectura abdicata, Cistercium intrat. 2. Vbi, & quo spiritu. 3. Corpore, vt coniectari datur, ad mortem virgo. 4. De statu conscientiæ suæ semper solicitus, 5 charitate feruidus, 6. multorum operum scriptor, 7. & quænam extent: 8. vltimum opus sancti Bernardi vita, 9. quæ imperfecta. 10. Mors viri, sanctitas, & locus sepulturæ.

Capvt VII.

1. Hoc ipso anno, cùm Signiacense Monasterium surgeret, primordia eius non parum illustrauit venerabilis, & Deo dignus Guillelmus sancti Theodorici Remensis Abbas, de quo superius: qui cedens tandem propriæ deuotioni, aduersùs monita Bernardi firmato animo, habitu simul, præfecturáque dimissis, Signiaci Cisterciense institutum amplexus est, non Claræuallis, quod falsò tradit [a] Trithemius, vt multa alia. Porrò autem Signiaci conuersum, habemus ex Burchardo Balernensi, eius contemporaneo, & familiari, in subscriptione vitæ sancti Bernardi, hoc est, partis illius, quam ipse scripserat, vbi sic habet. *Præscriptum opus, quod de vita sanctissimi viri Bernardi Claræuallis Abbatis conscriptum est, a venerabili Guillelmo pridem sancti Theodorici Abbate, sed tunc iam Monacho Signiacensis Cœnoby, ad quod desiderio solitudinis, & quietis se se contulerat, vsque ad tempus schismatis aduersus Innocentium Papam a Petro Leonis conflati, digestum esse cognoscitur.*

[a] in Catalog. Script. Eccles.

2. Igitur tandem obsequij vinculis ruptis, seu consenso impetrato, quod magis credo, cùm Monasterium in eadem diœcesi surgere, & sanctos viros viuere conspiceret, iuxta sibi ostensum exemplar in Claravalle, desideratam diu viuendi normam, Humberto Patre amicissimo sibi interueniente, miro deuotionis feruore suscipiens, seipsum Deo secundo consecrauit, nihil sibi reseruans, nihil vsurpans, sed totum se, atque ex toto corde tradens. Quod ipse etiam in libello meditationum, quasi cum Deo rationem positurus, his verbis prodidit. *Et tibi Domine*, ait, *vendidi, quæcumque habui, & pretium meum tu es. Tu scis, quia nihil mihi retinui, vel si effugit me aliquid, & latet me adhuc in abscondito aliquo conscientiæ meæ, exquiras illud, & fideliter offeram tibi.* Hactenus ipse. Porrò autem de secunda resignatione loqui facta Signiaci, prætorquam quod ex toto contextu constat, satis indicant verba, quæ sequuntur. *Pauperibus nihil dedi, quia nihil habui.* quippe paupertatem in prima olim professus, cùm omnia sua Monasterij prioris essent, nihil habere potuit, quod erogaret.

3. Insignem fecere virum doctrina, & probitas, atqoe vtraque Bernardo summè conionxir, quod in superioribus etiam adnotauimus. Vtriusque autem non leuia monumenta extant, ex quibus pauca ad memoriam tanti viri in gratiam lectoris colligere non grauabor. Primò aotem quod ad probitatem morum spectat, non in religione solùm, quod satis esset, sed in sæculo etiam conseruatam, argumento est, quòd incorruptam pudicitiæ palmam, perduxisse ad senectam, adeoque ad sepulturam, seu veriùs ad gloriam, ipse etiam videtur indicare, neque id quidem iactans, velut ad homines, sed dum in secretis suis meditationibus Deum alloqueretur, hoc est, scrutantem renes, cordaque, & quem nihil lateat eorum, qui sunt in homine. Ipsum Guillelmum meditantem audiamus. *Signaculum* (ait) *vultus tui fide, & voluntate semper tenui, sed opere abieci, quia sequendo concupiscentias meas, & vanitates cordis, adolescentiam meam perdidi, & penè viam carnis ingressus sum.* Pene, inquam, quasi iam iam casurum, diuina prouidentia sustentauerit, impulsum, eoque euersum, vt caderet, sed ne caderet, à Domino susceptum.

4. Deinde quàm non negligens conscientiæ suæ fuerit, etiam cùm negligentior apparebat, colligi datur ex verbis, quæ sequuntur. *Semper autem spiritus meus te dilexit, etiam cum caro neglexit. Cùm ab his fugerem, ad te confugi, & tu de sæculi voragine me abstraxisti. Fœdus tecum pepigi, iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, & tu misericordia tua sinum mihi aperiens, in eum me collegisti, in quo cùm suauiter quiescerem, diem hominis vidi, & concupiui. Et emisisti, & volentem, & nolentem, sed me à te non dimisisti. Si obliuiscebar aliquando Dei mei, si extendebam manum meam, quò non debebã, statim interiùs omnia ossa animæ meæ baculo disciplinæ tuæ configebam, secreti conscientiæ meæ tortores.* Hactenus ipse de sua solicitudine.

5. Porrò autem ardentem charitatem, quantauis humilitate celatam, eructant verba, quæ pauidum eum demonstrant in hoc ipso. *Sentio* (inquit) *& confiteor habere me amorem amoris tui, in tantum vt omnino, nisi in ipso, vel propter ipsum, nihil amare velim, nec me ipsum: cuius faciem, vt plenè mererer inspicere, in cuius lumine, vt plenè mererer ambulare, & frui deliciis*

delitiis eius, non curarem penitus, quoque modo pro ipso vel in mortem, vel in vitam darem meipsum. Hac conscientia mea coràm vocata, & discussa in lumine veritatis tuæ, intrepide mihi de amore amoris tui videtur respondere. De te autem, vtrùm te semper ames, & satis ames, respondere trepidat in iudicio tuo. Hæc de virtutibus sanctissimi viri, quantum ex scriptis eius licet colligere.

Doctrinam autem haud obscuriùs manifestant multa, & varia opuscula, quæ edidit ante, & post abdicatam præfecturam. De his Trithemius Spanheimensis hæc habet verba. [b] *Guillelmus Abbas sancti Theoderici, & postea, vt dicitur, Monachus Claravallensis, sub diuino Patre Bernardo, Ordinis Cisterciensis, in diuinis Scripturis vir studiosus, & eruditus, vita quoque, & sanctitate conuersationis insignis, & ob id eidem singulariter dilectus, edidit non spernenda lectionis opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt. Incepit scribere, sed morte præuentus non perfecit vitam sancti Bernardi Abbatis. Librum vnum, speculum fidei. Librum vnum, sententiarum fidei. Librum vnum, de contemplando Deo. Librum vnum, de sacramento altaris. Librum vnum, contra Petrum Abailardi. Librum vnum, in epistolam Pauli ad Romanos. Librum vnum, Ænigma fidei. Librum vnum, ad Theophilum, de natura animæ. Librum vnum, de natura, & dignitate amoris. Librum vnum, meditationes pro Nouitiis. Librum vnum, in Cantica Canticorum. Imperfectum, librum vnum, & quædam alia. Sunt, qui dicant, hunc Guillelmum, cùm adhuc Abbas esset sancti Theoderici, vulgatam ad Carthusienses illam scripsisse epistolam, cuius initium est: Fratribus de Monte Dei, Orientale lumen, quæ beato Bernardo à multis adscribitur. Claruit sub Conrado Imperatore tertio, anno Domini M. C X L. & ante Bernardum, cùm vnum de vita ipsius librum complesset, moritur, cui Arnaldus Abbas Bonævallis alios quatuor adiecit libros.* Ita Trithemius, nonquam à seipso diuersus in his, quæ narrat. Certe sicut ab errore exorsus est, Claræuallensem Monachum proouocians, sic in errore etiam finem posuit, reliquos quatuor Bernardi vitæ libros Arnaldo tribuens, cùm vnus tantùm ab eo conscriptus sit, tres reliqui à Gaufrido Claravallensi. Trithemium plures alij sequuti sunt, Conradus Gesnerus, Renatus Chopinus, Arnoldus VVimius, Sixtus Senensis, Antonius Possevinus, &, quod mireris, nec Philippus Seguinus immunis ab his erroribus.

[b] in catal. script. Eccles.

7. Ex opusculis, quæ scripsisse traditur, tria tantùm extare hoc æuo video (nam de sermone ad fratres de Monte Dei satis iam dictum) vitam sancti Bernardi, meditationes, & libellum de amore. Duo priora Signiaci absque dubio elucubrata, alterum Remis, cùm adhuc Abbas esset. Bernardi vita cum operibus eius passim cusa, atque item apud Surium, & alibi. Meditationes, & librum de amore continet Bibliotheca veterum Patrum, Coloniæ Agrippinæ edita sub signo Gryphi, anno M. D C. X V I I I. Hunc vltimum scripsisse adbuc Abbatem, compertum est, quòd sæpe in eo queratur coactum se, dum de alienis curat, propria obliuisci, nec sibi satis prodesse, dum aliis consulit. Meditationes Signiaci scripsit, & iam subinde in eis latè disceptans, (quod auctor præfationis adnotauit) *An bona ratione, & syncera intentione hoc propositum mutandi Ordinis, & deponenda cura pastoralis concepisset?* Quin & videas post medium ita loquentem. *Sicut enim olim delectabat me præesse, sic voluntatis est nunc subesse.*

Ad vltimum post varia opuscula, vitam sancti Bernardi scribere aggressus est, ipso viuente: cuius *scribendi occasio* (inquit Burchardus Abbas Balernensis, & nos ex ipso suprà *specialis fideli viro fuit amicitia, & familiaritas, quibus viro Dei multo tempore coniunctus erat. Vnde & tantam apud illum inuenerat gratiam, vt vix alter magis intimus inueniretur, ad secreta mutuæ dilectionis communicanda, & ad spiritualium ministeriorum conferenda colloquia. Cuius familiaritatis gratia, ex eo præcipuè vsque modò prodit ad manifestationem, quia plures epistolas idem Sanctus scripsit ad illum, in quibus quid de eo sentiat, manifeste liquet legentibus illas.* Ita Buchardus. Qui etiam subdit generaliorem quidem, sed efficaciorem aliam causam eiusdem operis. *Fuit tamen (ait) eidem Guillelmo spirituali valentior, generalis causa scribendi, videlicet vtilitas totius Ecclesiæ Dei, nedum absconditur vas plenum thesauro, & ipse quoque thesaurus pariter absconderetur.* 8.

Cæterùm cùm iam senex opus inciperet, atque morti propinquus, vt ipse ait. [c] *Ego verò iam deliber vrgentibus infirmitatibus corporis mortis huius, & meis omnibus incipientibus habere responsum mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ.* Cùm, inquam, se videret morti iam proximum, timuit ne non posset inceptum consummare: sed nihilominus incepisse libuit. *Ne serò*, inquit, *me pœniteat, tandiu distulisse, quod prinsquam perfectum velim omnimodis peregisse.* Et egit quidem, quod potuit, sed non peregit, morte nimirum præuentus, cùm vitam Sancti ad Anacleti schisma perduceret. 9.

[c] in præfat. vit. S. Bern.

Annus mortis Guillelmi incertus nobis, quippe ab antiquis penitus omissus. Et tamen coniectari licet ex his, quæ scripsit, non improbabiliter dixisse Trithemium, vixisse virum circa annum Domini M. C X L. quippe scripsit post sancti Gerardi mortem, qui obiit anno M. C X X X V I I I. vt suo loco videbimus. [d] *Misit* (inquit) *ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum.* Agit etiam de translatione Claræuallis per anticipationem, & aliis, quæ id tempus testificantur. Ex quibus corrigendus est Iepes *in Annalibus*, qui putat obiisse anno M. C X X I X. motus, quòd ad eum tantùm perduxit historiam sancti Bernardi. Sed leuis ea nimis coniectura, cùm potuerit morte præueniri, antequam perueniret ad tempus, in quo scribebat, imò & in quo scribere incepit, in ipsa rerum hactenus gestarum prosequutione. De epistolis Bernardi ad Guillelmum, librisque ad ipsum scriptis, superiùs dictum, & quæ non parum historiam eius illustrat, de frequentata per ipsum Claravalle. Sepulchrum viri, miraculis coruscum, hodie etiam Signiaci videri [e] Firminus ait, suppresso licèt auctore, vnde id hauserit. Ioannes Abbas catalogo Sanctorum, Henriquez Menologio inseruit ad duodecimam diem mensis Ianuarij. Cæterùm quod in Fasciculo ait, superuixisse Bernardo, atque affuisse felici eius obitui, falsitatis conuincitur, vt quædam alia, quæ ibidem miscet [f] ex Brito, auctore politiori, quàm fideli. Hæc de Guillelmo collegisse libuit, occasione abdicatæ præfecturæ, & Cisterciensis instituti suscepti, quæ non dubito facta circa hunc annum, quippe illustrantia primordia Signiacensia, de quibus iam dicendum in Chronologia. 10.

[d] lib. 1. c. 12.

[e] in not. ad Exord. mag. l. 2. c. 20.

[f] lib. 5. c. 20.

1. Chronologia Ecclesiarum, & quæ demenda. 2. Signiaci initia. 3. atque Pontis Oltramij, & Vallis claræ. 4. Quid de Cæsarea, 5. & primo illius Abbate. 6. Cornati, & Belli prati ortus, ex Morimundo. 7. Locorum Dei, & Crescentis breuis notitia, de Villers dubia. 8. Transitum ad Hemmenrode, Claustrumve, 9. & dictum aliquid de Achardo, & Gezelino. 10. Cum Achardo Dauid illuc directus. 11. Mutatæ sedes, ac declarata ratio vtriusque nominis.

CAPVT VIII.

1. ANno M. CXXXIV. (ait Chronologia) *decimo tertio Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia de Signiaco.*

Eodem anno, decimo primo Kalendas Iunij, Abbatia de Ponte Oltramy.

Eodem anno, decimo Kalendas Iunij, Abbatia Vallis Claræ.

Eodem anno, & die, Abbatia de Cæsarea.

Eodem anno, sexto Idus Octobris, Abbatia de Coronato.

Eodem anno, tertio Idus Nouembris, Abbatia de loco Dei Rutinensis.

Eodem anno, tertio Kalendas Decembris, Abbatia Loci crescentis.

Eodem anno, quarto Idus Ianuarij, Abbatia de Caldea.

Eodem anno, & die, Abbatia de Mannia, aliter de Mamma.

Eodem anno, tertio Kalendas Martij, Abbatia de Bello prato.

Eodem anno... Abbatia de Villers Morimundensis. Hæc Chronologia. Ex quibus Caldea, & Mammæ reseruandæ, quia ad Sabigniacum, Furnesiæ filiæ spectant. De nouem reliquis breuiter dicemus.

2. Signiacum intra propriam Remensem diœcesim Abbas Igniaci sanctus Humbertus struxit, quod in summa eius vitæ scriptum legimus. *Idem etiam* (idest, Humbertus ait) *Monasterium Signiaci, missis ab Igniaco Monachis ordinauit.* Nec dubium quin & ipse in causa fuerit, vt nascentis tunc domus primordia fausta Guillelmus sancti Theodorici Abbas consecraret, quippe cui dudum notus ex Claravalle, neque ignoranti sanctitatem viri, & quantum a Bernardo Parente veneraretur. Quin & Arnulphus, quondam S. Nicasij, & Gerardus Floriacensis Abbas, ibidem Monachi, inter Sanctos Cistercij commemorantur. [a] Signiaci, vulgò *Signy*, in iure mentio, *in cap. cùm olim, de rescriptis.* Itemque in litteris Honorij Papæ tertij, & in libro taxarum, ad septingentos, & quinquaginta florenos taxa producta. Quin & ad octingentos producenda, *propter vnionem Monastery Monialium de Consolatione Remensis diœcesis, per Dominum Papam Martinum quintum eidem factam.* Hactenus taxæ.

[a] *Ioan. Abb. in cat. Sanct.*

3. Pons Oltramij, siue, vt [b] Claudius Robertus loquitur, Ortronis, fundata est in Andegauensi diœcesi, in qua in libris Cameræ taxatur centum florenis. Idem [c] Robertus fundationis annum anticipat, refertque in Christi M. C X X X. fortè occasione superiùs adnotata. Monachi ex Oratorio illuc transmissi, hac noua prole auxere Cistercij lineam. Fundatores creduntur domini de Monte Hicam in Andegauia. Amplificatores, Carolus, Andegauensium Comes, atque item alius Carolus Vallesius, Philippi filius, aliique Principes inferioris notæ, &c. Vallem Claram in Laudunensi diœcesi Claravallis produxit, Bernardo Patre absente, etiam fœcunda, quippe sub Godefrido, quem alterum Bernardum omnes habebant, omnes venerabantur, vel qui non nouerant. Fundator domus Comes de Roussy, vt ait Robertus. Claudius. Cætera ignota, & deest in libris Cameræ. Eius Abbas Radulphus recensetur an. M. C L X I V. in diplomate dato Abbatiæ de Recluso. Plura habes in Notitiis Ecclesiarum Cistercij nuper editis.

[b] *in sua Gall.*
[c] *cap. 7. stat.*

Cæsarea domus in Moguntina diœcesi, & Ducatu Neuburgensi, quam Henricus Loikardisque Comites fundarunt. De ea VVigulæus Hundius hæc habet verba. [d] *Cæsarea*, vulgo *Kaishaim*, aliàs *Kaisersbaim, in Ducatu Neuburgensi, & Comitatu Graisspacensi, magnificum, & opulentum Monasterium, anno M. C X X X I I I. fundatum ab Henrico Comite de Lechsgmund, & Graipsipach, & eius coniuge Domina Loikarda, quæ ibi cum marito in eodem tumulo sepulta est, & à filiis Henrico secundo, & VVolgerado*, &c. Hactenus Hundius. Nec dissimilia Martinus Crusius, quibusdam additis. [e] *Cæsarea* (inquit) *Cisterciensis regulæ Monasterium Augustanæ diœcesis magnificum, ac pulcherrimum conditum est, anno M. C X X X I I I. alij malunt M. C X X X I V. situm in syluis Sueuicis, vbi Lycus Danubio miscetur, & vbi vetus castrum est penitus euersum Comitum priscorum de Lechsgmund. Quasi dicas os Lyci, vel Licostoma. Fundatores eius fuerunt Henricus Comes, & coniux eius domina Loikardis, vel Lugardi Comitissa de Abensperg, ambo ibi in eodem tumulo sepulti anno M. C X L I I I. Martij die vndecima.* Hæc ille. Adnotat verò eumdem locum esse, in quo Auentinus à se repertum lapidem tradit inscriptione antiqua, sed quæ non facit ad nostrum institutum. Similia, aut eadem Gaspar Bruschius, [f] addens epitaphium Henrici fundatoris, dispari carmine, sed omnino recentius, vt ex eius stylo licet colligere. Idem seriem Abbatum Cisterciensium adducit, quam nos cum aliis infrà in appendice. 4.

[d] *in Metrop. Salzburg.*
[e] *Sueuor. Annal lib. 9. part. 2.*
[f] *in Chronic. Monast. German.*

Monachos ex Lucella vocatos tradunt, eoque Cæsaream Morimundi auxisse lineam, nam Lucella eius neptis, ex Bellavalle. Primus Abbas Vdalricus vir sanctus fuit: & quem eo titulo ab aliis veneratum, productis etiam monumentis Cæsariensibus, Henriquez Menologio suo inseruit, ad decimam nonam diem mensis Februarij. Hæc de Cæsarea. 5.

Morimundus sub venerabili Ottone, nec quatuor adhuc exhausta fundationibus intra annum productis, vt suprà vidimus, quominus immediatè subsequenti, quintam, & sextam ederet, valuit detineri. Hinc Coronatum, quam ex matris nomine alij Morimundum appellant Mediolanensem. Quo factum est, vt non solùm in Italiam, quo nunquam hactenus, sed, vt ibidem Claramvallem præueniret, quippe hac in sequentem annum dilata, Morimundus statim incepisse legitur. Celebre fuit Coronatum Mediolanense, seu Morimundum manis, sacrilega Papiensium inuasione sub Friderico, nudatis, verberatis, eiectisque Monachis: quam anno M. C C X X X V I I. quo euenisse constat, perstringemus. Extat in libris Cameræ Apostoli- 6.

cæ, sub titulo sanctæ Mariæ de Morimundo: vbi & mille florenorum taxa notari video. Est & aliud Cœnobium Cisterciense, sub titulo S. Mariæ Coronatæ, diœcesis Lucanensis, ad cuius Abbatem scribit Gregorius Papa IX. de quo nos infrà. Coronato Bellum pratum subiungam inuerso ordine, quia æquè ex Morimundo productam video. Memoratur *in cap. cùm accessissent, de Constitutionibus*, fundator Simon Lotharingiæ Dux, vt habet Claudius Robertus in sua Gallia. *Bellum pratum Cisterciensis Ordinis, Tullensis diœcesis, fundatur anno M. CXXXIV. tertio Kalendas Maij (corrige Martij) à Simone Lotharingiæ Duce, postea ibi sepulto, anno M. CXLI.* Crediderim, ad instantiam Ducissæ fundatam domum, à Bernardo conuersæ: datam autem Ottoni duplici causa, & quia Simoni sanguine coniunctior, & quia præsens. nam Bernardus in Italia adhuc agebat cum Innocentio. [g] Miræus alium tribuit fundatorem, Folmarum scilicet Comitem Metensem, docetque domum prope Lunævillam, quæ caput est Vosagiæ: verùm Simonem sepultum in eo templo, quod nos etiam inferiùs adnotabimus. Lotharingiæ Ducum præter Simonis multa alia visuntur Mausolea in eodem Cœnobio, quæ in Notitiis Ecclesiarum Lotharingiæ, nuper in lucem datis, videre licet. Belli Prati Tullensis meminere Alexander, & Nicolaus, vterque quartus, litteris datis, ab altero Laterani, Nonis Maij, Pontificatus ipsius anno 2. ab altero Romæ apud S. Mariam maiorem 4. Idus Decemb. Pontif. eius anno 2.

g in notitia Ecclesi. Belgij, in Loth.

7. Redeo ad Ordinem; & locum Dei recenseo, diœcesis Rutinensis, in qua etiam inuenitur in libris Cameræ, ad ducentorum quadraginta florenorum taxam pertingens. Monachos ex Dalone alij ascitos, Pontigniaci filia, alij immediatè adductos ex Pontigniaco tradunt, genesi adeò varia, dubiaque (si exemplaria conferas) vt neutra alteri videatur præferenda. Certior loci Crescentis, qui ex Lucella Morimundi lineam auxit, sub Ottone in immensum propagandi. Memoratur à Gregorio Papa nono, Abbati, & Priori eius causa commissa sub tali titulo. [h] *Abbati, & Priori loci Crescentis Bisuntinensis diœcesis, Ordinis Cisterciensis.* [i] Henriquez pro Crescente Lucentem nominat, amanuensium incuria, sed quæ facile ex aliis circunstantiis deprehendatur. Vltima sequitur Abbatia de Villers Morimundensis, sed quam vix ausim discernere à Villari, ante biennium orta, de qua superiùs. [k] Claudius Robertus quatuor Monasteria recenset eiusdem nominis, sed duo fœminarum, virorum duo. Etsi Villarium Leodiensis diœcesis per illustrem Ecclesiam secludamus, quam constat pertinere ad Claramvallem, atque à Bernardo constructam post annos tredecim: sola Villars Metensis relinquetur, quæ possit ad vtrumque annum referri. Atque hæc satis de Monasteriis recensitis in Chronologia.

h habetur in Regist. Vaticano.
i in fascic. tomo 2.
k in sua Gall.

8. Addendum tamen, si Cæsario [l] credimus, hoc ipso anno fundatum Hemmenrodense (Bruschius [m] *Himelrot* vocat) alio nomine Claustrum beatæ Virginis, in diœcesi Treuirensi, felix Colonia Monachorum Claræuallensium, tot sanctis viris clara, fœcundaque, vt si vnum Bernardum de medio tollas, in reliquis & filiam matri conferas, & non nimium inuenias inferiorem, quippe Christianos, Dauides, Meineros, Mengosos, Sifridos, & plures habuit. Singularium obituum per miracula, & signa gloriosorum, ingentem numerum, & Conuersorum sanctorum frequentia agmina, totum Ordinem, vel sola, illustratura. Nec tantùm Sanctis felix, sed scriptore: nam conseruauit venerandam memoriam illorum Patrum idem Cæsarius, Heisterbaco genitus, quæ domus Claustri filia, eoque gnara maternæ sanctitatis. Felix ergo inter reliquia Germaniæ Cœnobia Claustrense fuit, cui nec defuerint, qui scribenda facerent, nec qui facta scriberent, cùm plura hodie tenebrosa obliuio teneat, non quia defecta Sanctis, sed scriptoribus. Porrò de anno fundationis Claustri ita Cæsarius. [n] *Anno Domini M. CXV. fundata est domus Claræuallis, cuius primus Abbas erat sanctus Bernardus. Claustrensis verò anno M. CXXXIV.*

l lib. 1. dial. c. 1.
m in Epit. in Archiep. Treuir.
n l. 1. dialog c. 1.

9. Fundauit autem Bernardus Pater Claustrum, siue Hemmenrode per Achardum discipulum ipsius, virum sanctissimum, cuius superiùs fecimus mentionem: per quem etiam sanctum Ascelinum, tunc temporis in magna sanctitate degentem in illis partibus, affectuosè, & deuotè visitauit, teste Molano *in natalitiis Sanctorum Belgij*, vbi hæc habet verba. [o] *Beatus itaque Bernardus, audita virtute conuersationis Sancti* (scilicet Gezelini,) *salutauit eum per Achardum Monachum suum, qui multorum Cœnobiorum initiator fuit, & eò missus erat, vt Cœnobium constitueret, quòd Claustrum dicitur*, &c. Plura [p] in Exordio Cisterciensi, & de pœnitentia Gezelini planè miranda. In genesi Ecclesiarum Claræuallensium ante nata Hemmenrode biennio legitur, nempe anno salutis M.CXXXII. Verùm Cæsarius quo specialiùs scripsit, eo videtur exactiùs indagasse: nec detracturus matri auctoritatē, quam probabiliter videret posse cōferri.

o 7. Idus Aug.
p l. 3. c. 10.

10. Cum Achardo transmissi Pandulfus Abbas, Elias Prior, Pontius, Ioannes, Oliuerius, Gualterus, Dorsinus, Salomon, & inter omnes ætate quidem iunior, sed meritis excellens Dauid Monachus, quem suprà memoraui, per quinque, & quadraginta annos Hemmenrodem, quin & totam Germaniam illustraturus. Hic ille Florentinus adolescens, quem ob teneritudinem expulsum à Claravalle, sed hærentem ianuis, pulsantemque, Bernardus Pater admonitus per visum, rursus admisit, impetrans vires, & pro ipso fideiubens. Nec leue charitatis indicium erga nascentem domum, quòd sanctus Pater talem, ac tantum virum, cuius eximiam futuram sanctitatem, oraculo cœlesti didicisset, consenserit arcere à Claravalle, non vnquam ampliùs eidem restituendum. Atque hoc ex actis eiusdem sancti viri, quæ Latinè olim à coæuo auctore scripta, nuper Ioannes de Assignus Cambetouensis Gallica reddidit, & cum aliis euulgauit.

11. Ex eisdem habemus, eamdem domum in VViterbac primam (id loco nomen,) sed cùm ibi biennio consedisset, plus minusve, circa annum Christi M. CXXXVI. transiisse in nemus frondibus opacum, montibus cinctum, quod iam ab olim Sanctorum habitatio (Algoro Sacerdote prophetante) præuisum fuerit, à cuius prisco nomine Hemmenrode: sed postmodum Bernardo visitante, ac montes vndequaque claudentes circunspiciente, Claustrum ab ipso fuerit nominata, familiari extunc illi vocabulo, & quorum neutro alterum frequentiùs apud auctores. Noui ædificij fundamenta non statim iacta, sed post aliud biennium, siue ex inopia, siue ex prouidentia, siue ex vtraque causa, nam ex qua dubium, eadem item acta testificantur. Hæc pro nunc satis, nam in sequentibus, de illustri Monasterio plura, neque vulgaria dicenda erunt.

IESV CHRISTI ANN. 1135. | CISTERCII ANN. 38.

1. Innocentij ad Lotharium legatio, 2. ad quem Bernardus pro Ecclesia causa scribit: 3. itemque ad ciues Mediolanenses, 4 quos denuo visitat. 5. Miracula patrata per Italiam. 6. Monasterium Columbæ cœptum, & cur sic dictum? 7. Agrestium hominum in Bernardum cultus, & reuerentia, 8. ac demum reditus eius ad Claramvallem.

CAPVT I.

1. INFESTABAT Rogerius Dux Siciliæ totam Italiam, æque Principibus, Ecclesiæque infensos, ac Ianuensibus per munera tentatis, Capua, atque Beneuentum per vim oppressa, Auersa diruta & Mediolanenses in fide vacillabant. Ergo Innocentius & sibi, & cunctis prouidens, hoc anno M. CXXXV. Cistercij XXXVIII. Legatos mittit ad Lotharium Imperatorem, veniat, Ecclesiam, regnumque defendat, armis Italiam muniat, fidelibus constantiam, dubiis fidem, rebellibus terrorem simul infundat, & malè capta recipiat ab inuasore. Hæc ferè prima in negotiis Ecclesiæ grauis sub Innocentio legatio fuit, quæ non Bernardo Patri demandaretur: siue, quia bellum ciere contra Christianos, quantumcumque rebelles, auersabatur, siue, quia desiderio suorum captus, & iam triennio absens, reditum maturabat ad Claramvallem, seu tandem, quia vtilior Aquitaniæ, & conuersioni Guillelmi deputatus, tanto negotio à Deo reseruabatur. Scripsit tamen ad Imperatorem, penè classicum canens, certè inuitans ad Ecclesiæ, & imperij defensionem. Quin & eumdem sinistra relatione deceptum, atque ex eadem retardantem Innocentium, à cuiusdam Ecclesiæ, quæ iniustè patiebatur, defensione, qua libertate spiritus pollebat, audentiùs arguit, & consulit desistere ab incepto. Atque ecce exemplar epistolæ Bernardi, non minus humilis, quàm liberæ, atque ideo ex vtroque efficacioris.

2. a *Lothario, Dei gratia Romano Imperatori Augusto, Bernardus Abbas de Claravalle, si quid potest peccatoris oratio. Benedictus Deus, qui vos elegit, & erexit cornu salutis nobis ad laudem, & gloriam nominis sui, & reparandum imperij decus, ad subueniendum Ecclesiæ suæ in tempore malo, postremò ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Ipsius est enim opus, quòd corona gloriæ vestræ ita in dies amplicatur, & sublimatur, mirabiliter crescens, ac proficiens in omni decore, & magnificentia, apud Deum, & homines. Ipsius profectò nuper opus, & virtus fuit, quod iter satis laboriosum, & meticulosum pro pace regni, & Ecclesiæ liberatione susceptum, in tanta prosperitate peregistis. Roma siquidem Imperialis culminis plenitudinem gloriosissimè assequutus, idque quod maius fuit, in manu non magna, vt animi, fideique magnitudo clariùs emineret. Quòd si ante tantillum exercitum terra tremuit, & quieuit, quantus putamus horror hostium corda inuadere habeat, cùm coeperit Rex procedere in magnitudine brachij sui? Animabit insuper honestas causæ, imò duplex prouocabit necessitas. Non est meum hortari ad pugnam, est tamen (securus dico) Aduocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem, & Cæsaris propriam vendicare coronam, ab vsurpatore Siculo. Vt enim constat Iudaicam sobolem sedem Petri in Christi occupasse iniuriam, sic procul dubio omnis, qui in Sicilia Regem se facit, contradicit Cæsari. Si autem vtrumque incumbit Cæsari, restituere scilicet Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo; cur apud Tullium res Dei minuitur, cùm Cæsar nihil ibi lucretur? Verendum est ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum. Hoc est, quod dico. Ecclesia sancti Gangulphi grauiter, & iniustè (vt dicitur) in illa ciuitate opprimitur, & aiunt vestra prudentia, nescio qua fraude surreptum, vt Domino Papa per iustitiam subuenire paranti, vestra interuentu precis obuiaretis. Obsecro, & consulo consultius agi, noxiam reuocari precem, dari locum iustitiæ, antequam Ecclesia illa funditus destruatur. Pauper sum ego, fidelis tamen vester, & si videar importunus, fortassis inde est. Dominam Imperatricem in Christi charitate oppidò salutamus.* Hæc ad Lotharium. Nam ad Ianuenses, muneribus tentatos à Rogerio, quam supra dedimus, epistolam scripserat.

Ad vacillantes autem Mediolanenses, ac occasiones quærentes defectionis (fortè Lotharium austeriorem experti fuerant) eam, cuius fragmentum anno præterito, pro notitia gestorum ad Mediolanum. Cætera hic commodiùs, quippe quo anno scripta, transcribemus. Ergo cùm plura Romanæ Ecclesiæ beneficia in populum Mediolanensem connumerasset, quòd Legati tam graues ad eum missi, restitutus Anselmus, Archiepiscopalis sedes confirmata, quòd denique liberati ciues à Placentinis, & pallium iam mittendum præparabatur: igneo zelo, & sermone hta prosequitur. b *In quo postremo quæcumque rationabilis petitio filiæ, non dico repulsam, sed neque moram passa est apud piam matrem? Nunc verò audi me, inclyta plebs, gens honorabilis, ciuitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuæ. Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Fidele consilium, & omni acceptione dignum. Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: Debitam ei reuerentiam exhibebo, & nihil amplius. Esto. Fac, quod dicis: quia si exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit,* c *Dei ordinationi resistit. Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit. Potest à finibus terræ quascumque sublimes personas Ecclesiasticas euocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit. Porrò in promptu est, ei omnem vlcisci inobedientiam, si quis fortè reluctari conatus fuerit. Denique probasti & tu. Quid enim contulit tibi vetus tua rebellio, & recalcitratio malè suasa à pseudo prophetis tuis? Quem fructum habuisti in his, in quibus nunc erubescis? Agnosce potius in qua potestate, gloria, & honore suffraganeorum tuorum tandiu prima extitisti. Quis pro te valuit obuiare Apostolicæ auctoritatis iustissimæ seueritati, cùm prouocata tuis excessibus, decreuit te tuis illis antiquis, ac præclaris ornamentis nudare, mutilare membris?* 3.

a epist. 139.
b epist. 131.
c Rom. 13.

membris? Et hodie confusa, & truncata iaceres, si non benignius, quam potentius tecum actum fuisset. Quis eam prohibere valebit etiam à grauioribus, si rursum (quod absit) adieceris prouocare? Vide, ne patiaris recidiuum: quia pro certo (ni fallor) non tam facile denuo poteris inueniri remedium. Si quis itaque dixerit tibi, Partim oportet obedire, partim non oportet: cùm tu in te experta sis plenitudinem Apostolicæ potestatis, auctoritatis integritatem: non ne huiusmodi aut seductus est, aut seducere vult? Sed fac, quod dico: nam ego te non seduco. Conuertere magis ad humilitatem, ad mansuetudinem. Siquidem & humilibus dat Deus gratiam, & mansueti hæreditabunt terram. Esto cauta Domina, & matris tuæ recuperatam seruare gratiam. Et sic ei placere studeas de reliquo, quatenus placeas ei non solùm seruare tibi, quæ reddidit, sed etiam adiicere, quæ nondum dedit. Ita Bernardus ad Mediolanenses, pro Ecclesia Romana planè magnificè, de gestis veraciter, pro ipsis salubriter.

4. Portò hac epistola confirmatos, compertum est, fortè & secunda eiusdem sancti Patris visitatione. Nam Mediolanum secundò visitasse, & secundò illustrasse nouis miraculis, habemus ex Abbate Bonævallis, cuius verba non pigeat

[d] lib.2.cap 4. hic transcribere. [d] *Cùm secundo per Mediolanum eodem anno (idest, intra annum, nam sic intelligo) Pater sanctus transiret, oblata est ei dæmoniaca mulier. Hanc possidebat Dæmonium, quod modo Italica, modò Ibera (idest, Hispana) lingua loquebatur. Et tam propriè modò hac, modò illa sonabat, vt diceres hic, qui loquitur, Ligur est, hic Hispanus. Hæc etiam genu passione, & poplitis tremore perturbabatur. Quæ cùm ad virum Dei adducta fuisset, saltu concito, scamnum in quo sedebat, inopinata celeritate transiliit. Reducta, & interrogata, quid sibi vellet & saltus, & fuga? Et vnde ægrotanti, & vetulæ tanta velocitas? Respondit, hanc sibi agilitatem ex præsentia Diaboli esse, vt currentes equos comprehendere, & eorum dorso sine vllo adminiculo insiliret... Compassus Abbas mulieri, iam sæpe in talibus expertus Dei clementiam, imperat Diabolo, vt recedat. Et ille quidem tremebundus ad imperium serui Dei euanuit, mulier vero non solùm à vexatione, sed etiam à neruorum contractione in momento conualuit.* Hæc de iterato Bernardi Patris aduentu, & miraculis repetitis ad Mediolanum: quæ an in reditu, an antea gesta fuerint, in dubio est.

5. Constat Sanctum, dum in Italia moraretur, vrbes, loca, prouincias peragrasse, miracula vbique multiplicantem, & vt nulli parcentem labori, sic a nullo abstinentem beneficio tam corporali, quàm spirituali, quod idem auctor paucis, sed dixit tamen.

[e] vbi suprà. [e] *Hæc, & alia multa intra Alpes constitutus operatus est vir Dei, & diuersa loca perlustrans, benefaciebat his, qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maxime oppressos à Diabolo diligentiori studio purgans, quæ malignus fœdauerat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat.* Hæc in Liguria.

6. Vrebat interim dulcissimum parentem filiorum amor, & per triennium dilata tristis absentia, nec minus filij, viuente Patre, orphani, desiderio illius prægrauabantur. Et iam indulgente vtrisque Summo Pontifice, relicta Italia, repatriabat in Claramvallem. Cùm Fiorenzolam præteriens, detinetur occursu populi, & Cleri Placentini. Hi Ardutionem Episcopum sequuti, videre Sanctum, audire, alloqui, & Placentiam adducere, si possent, venerabundi, & deuoti solicitabant. At cùm hæc omnia parum duratura, nec auidos satiare posse viderent, filios saltim ad se transmitti petunt, qui Sanctum redolerent, construendo Cœnobio in proprijs finibus, & locum offerentes, & dotationem. Annuit Sanctus, & quæsito loco, Carretum placuit, sic olim dictus fundus, tribus milliaribus distans à Fiorenzola, à Placentia quindecim. Hic statim emptus de bonis eiusdem vrbis, Clero, & Episcopo non minus conferentibus, & iam funiculi in eo tendebantur, quibus surrecturum ædificium dirigeretur: cùm ecce opifices prætereuolans columba, ex fragminibus lignorum incisorum, quæ iam præparabant ad opus fabricæ, locum alium signare visa est, intra eumdem fundum, nec longè dissitum, nidulum sibi ex eis sibi conficiens. Ergo sentientibus, assentientibusque cunctis diuino numini, mutatus locus [f], & qua parte Columba [f] in vit. S. Franch. c.6. nidificauerat, surrexit Basilica, inde vt omen, sic nomen auspicatura, vtrumque felix. Hæc ex Petro Maria Campensi, & [g] Roberto Rusca, [g] in notitia Mon. Italiæ. vtroque auctore Italo, eoque de rebus Italiæ fide digniori. Qualiter autem post biennium perfecta domo, & colonia transmissa ex Claravalle, res ipsa auspiciis satis concordauerit, & Monasterium in plura dilatandum inhabitari inceperit, suo loco ex more referemus. Nunc discedentem Italiâ beatum virum Arnaldi Abbatis verbis prosequamur.

[h] *Iam Alpes transcenderant, & descendebant* 7.
in occursum eius de summis rupibus pastores, & armentarij, & agreste hominum genus, & clamabant à longè benedictionem petentes, & repetabant per fauces montium regredientes ad causas suas, colloquentes adinuicem, & gaudentes, quòd Sanctum Domini vidissent, & manu eius super se extensa optatæ benedictionis gratiam accepissent.* [h] lib 2. c.5. Hæc ad litteram ex actis sancti Patris. quibus videas in agresti gente syncerum cultum, miraculis eo fortè minus egentem, quo simpliciorem. Ingenia vrbana plerumque vafra, & subdola, quæ docta fallere, vbique timent falli, adeóque persuadenda solis miraculis. Sed iam Bernardum ad suos peruenientem, qualiterque ab ipsis susceptus sit, Arnaldi eiusdem verbis referamus.

Tandem (ait) Chrysopolim veniens, vsque 8.
Lingonas solenniter deducitur, circa quos fines fratres eius Clareuallenses occurrunt, prouoluti genibus, surgunt ad oscula, & vicissim ei colloquentes, Claramvallem eum deducunt alacriter. Adsunt fratres congregati in vnum, & mira deuotione dilectum fratrem suscipiunt. Agitur sine tumultu cum omni grauitate, lætitia. Facies quidem prior hilaritatem dissimulare non poterat, sed castigatus actionum, & loquutionum modus, metas proprias non transgrediebatur, & cohibebant se actiones ipsæ, ne quid agerent, in quo dissolutionis nota religionis maturitatem offenderet. Hæc ibi, verbis dignis suo authore, nec indignis materia, quam præ se ferunt.

1. Bernardi oratio ad filios in Capitulo, 2. in summa pace, obseruantiáque inuentos. 3. Designati mittendi ad Mediolanum. 4. Et Pisani Lothario commendati. 5. Alueronis aduentus in Claramvallem, 6. qui missum ad Innocentium nuncium ibidem sustinet. 7. Fragmenta epistolæ Sancti ad Innocentium. 8. Amicitia cum Hildeberto Turonum Præsule, 9. ad quem pro vero Pontifice scribit. 10. Obseruatio Cardinalis Baronij in nouatores. 11. & rescriptum Archiepiscopi ad Bernardum.

CAPVT II.

1. HActenus Patrem fillis restituimus, nunc eum eisdem agentem proferamus. Primò autem Claramvallem suam ingressus, & precibus ex more fusis in Oratorio, ad Capitulum fertur perrexisse, audiendus ab omnibus, atque omnes pariter ipse alloquuturus. Verùm quo ordine cuncta gesta sint, & quæ, & qualia ibidem disseruerit, Exordij magni verbis accipiat lector. [a] *Venerabilis* (ait) *Pater Bernardus, cum aliquando per annos tres moratus fuisset in vrbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis (in quo videlicet opere eumdem famulum suum Christus Dominus magnificè honestauit) tandem reuersus ad Claramvallem, statim post factam orationem, Capitulum fratrum introiuit. Et quia fatigatus ex itinere diu non poterat loqui, breuem quidem sermonem sed consolatione plenum protulit, ita dicens: Benedictus Deus, qui vos dilectissimos fratres meos mihi reddidit, & me qualemcumque Patrem vestrum vobis. Et ego quidem filioli, quamuis per hoc triennium visus fuerim longè remotus à vobis, non tamen putetis me semper absentem fuisse. Sciatis enim, quòd interim tribus vicibus reuersus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, semper consolatus abscessi, & exhilaratus, videns vnanimitatem, atque constantiam vestram in Ordinis vestri proposito.* Hactenus de hac prima actione auctor Exordij.

a lib. 2. c. 11.

2. Cæterùm quàm pacata omnia inuenerit, quam integram obseruantiam disciplinæ, mutuamque adinuicem omnium dilectionem, Bernardus Bonæuallis Abbas ita prosequitur. [b] *In tanta Abbatis mora, nihil in Claravalle potuit Diabolus texere, nihil interim rubiginis synceris affricuit mentibus, nec in aliqua parte domus Dei supra petram fundata, mota est.* Et post pauca. *Nullæ in aduentum eius lites seruatæ sunt, non odia enutrita, in præsentia iudicis eruperunt, nihil iuniores aduersus priores de austeritate, vel duritia, nihil priores aduersus iuniores de dissolutione, vel remissione causati. Integer vniuersorum status, concors societas, mira vnitas: omnes vnius moris in domo Dei in pace, & sanctimonia inuenti sunt.* Hactenus ille. Quibus si solam pœnitentiam demas, cœlum potiùs depingere videbitur, atque Angelorum cœtus, chorosve, quam hominum in carne viuentium multitudinem.

b lib. 2. c. 5.

3. Tum Pater sanctus nouæ Claræualli plantandæ selegit Monachos, qui Prioris non minus sanctimoniam, quàm nomen æmularentur. Proficiscentibus Bruno præfectus creditur: præerat sanè, viuente sancto Patre, quippe ad quem extat ab ipso scripta epistola, sub hoc titulo. [c] *Ad Brunonem Abbatem de Claravalle.* Plena ea delitiis amoris paterni, sed neque vacua paterna correctione. Conuentum discessisse à Claravalle vndecimo Kalendas Februarij, infrà dicemus, quæ dies, si ad hunc annum referatur, statim occurrit, quamuis nec negem ad sequentem posse referri.

c epist. 281.

4. Interim Sanctus, velut delitiis Paradisi fruens, hominibus ferè Angelis præfectus, atque Angelis familiaris, ferè vt hominibus, cœlestia per quietem meditabatur. Nisi quod tamen Ecclesia semper incura, & causa Dei prælata quieti propriæ. Hinc cùm audiret Ministrorum Lotharij culpa factum esse, vt Pisani, dum Rogerio resistunt, iniusta quidem, sed grauia paterentur, liberam satis ad eum scripsit epistolam, quam, egregium elogium gentis Pisanæ, non pigebit ad litteram transcribere. [d] *Miror enim instinctu, vel consilio, vigilantia vestra subripi potueris, vt homines digni certè duplici honore, & gratia, contraria a vobis audirent: Pisanos dico, qui primi, & soli interim adhuc erexere vexillum aduersus inuasores Imperij. Quàm iustius in eos Regia incanduisset indignatio, qui populum strenuum, & deuotum quacumque occasione offendere ausi sunt, eo præcipuè tempore, quo accincti in multis millibus suis exierant oppugnare tyrannum, vlcisci iniuriam Domini sui, & Imperialem defensare coronam? Vt enim congruentissimè assignem huic genti, quod olim de sancto Dauid dicebatur: Quænam, quæso, in omnibus ciuitatibus sicut Pisa, [e] fidelis egrediens, & regrediens, & pergens ad Imperium Regis? Nonne hi sunt, qui nuper regni illum vnicum, ac potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugarunt? Nonne hi sunt, qui etiam, quod penè incredibile dictu est, in vno impetu suo expugnauerunt Amalfiam, & Rebellem, & Scalam, atque Atturinam, ciuitates vtique opulentissimas, & munitissimas, omnibusque, qui antehac tentauerunt, vsque ad hoc tempus (vt aiunt) inexpugnabiles? Quam dignum, quam æquum, quam plenum ratione, & iustitia fuerat, vt fidelium terra interim saltem, dum hæc actitarent, ab omni hoste secura consisteret, tum pro præsentia Summi Pontificis, quem iam dudum exulem Pisani apud se cum summo honore seruabant, & seruant, tum pro seruitio Imperatoris, pro quo & ipsi tunc temporis exulabant? Factum est autem per contrarium, vt gratiam qui offenderunt, & qui seruierunt, iram mererentur. Sed vos fortassis adhuc ista nesciebatis. Oportet ergo nunc, quando res est nota vobis, imò & decet, & expedit, mutare vos & verbum, & animum, vt viri regiis magis fauoribus, & muneribus honorandi, à vestra parte de cætero audiant, & recipiant, prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt? Sat est dictum sapienti.* Hæc ad Imperatorem pro Pisanis, eo luculentiori testimonio, quo liberiori.

d epist. 140.

e 1. Reg. c. 22.

Baronius ad hoc idem tempus refert aliam epistolam æquè liberam, atque æquè dignam zelo sancti Patris, ad Innocentium Pontificem scriptam, pro Alberone Treuirensium Antistite, viro illustri, nec minus religione reuerendo, quàm dignitate. Hic cùm audisset sanctum Patrem reducem peruenisse iam tandem ad Claramvallem, deserta Treueri, Gallias proficiscitur, eumdem Sanctum obsequiosè visitaturus. Suberant etiam negotia propriæ Ecclesiæ, quibus consilium, auxiliumque requireret. Nam suffraganeis iuuenibus, nobilibusque, Ecclesiæ in quæstu magis, quàm in regimine, & Prælatorum licentia peruersi subditi, neutri poterant in officio contineri. Bernardus Pater de Innocentij zelo confidens, apud 5.

quem

quem veritas fauori, gratiæque, & iustitia potētiæ præualeret, Tullensem Archidiaconum remitti simplici epistola, & veritatem in eius ore positam, præsentari Innocentio satis duxit. Quin & ipse epistolam dictauit, ex persona Alberonis, consolatoriam de amissione Capuæ, & Beneuenti, confortatoriamque, cætera reuerentem, & familiarem.
f epist. 176. Commendato tantum Archidiacono Tullensi, f *Quo non fidelior* (verba sunt epistolæ) *studiosior, cautiorve, inueniri posset, siue in perferendo ad vos* (scilicet Innocentium) *quæ nos illi iniungimus, siue in referendo ad nos si quæ vestræ dignationi placuerit remandare.*

6. Archidiaconum ad Innocentium missum, indeque rediturum, Albero sustinuisse videtur in Claravalle. Certè non longè discessisse, aliqualis coniectura est, quod cùm minus ex voto, peractis rebus, reuerteretur, idem Albero Pontifici rescripsit Bernardi calamo, & quidem epistolam inter multas querelas, satis humilem, sed in ipsa humilitate non parum querulam, acrem, dignam per omnia stylo dictatoris, nec minus dignam persona, quæ subscriptura. At Bernardus & causam Dei zelans, & Innocentij, cùm primum iustitiam naufragari vidit, deprimi bonos, insultare dyscolos, atque innocentiæ, veritatique, seu potentiam, seu astum præualere. pri[...]iam, vt credo, saltim ex his, quæ extant, eidem Innocentio scripsit solum ex proprio nomine, eo liberiori stylo, quo amantiori. Atque hæc est, quam putat Baronius hoc anno scriptam, ex qua non pigebit in præsenti pauca transcribere.

7. g epist. 178. g *Amantissimo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici, suus Bernardus quod suus. Fideliter loquor, quia fideliter amo, nec enim syncerus est amor, vbi dubitatio scrupulus suspicionis facem retinet. Querimonia Domini Treuirensis non est eius solius, sed communis multorum, eorumque præcipuè, qui synceriori affectu vos diligunt. Vox vna omnium, qui fideli apud nos cura populis præsunt, iustitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claues, Episcopalem omnino vilescere auctoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat vlcisci iniurias Dei, nulli liceat illicita quæuis, ne in propria quidem parœcia castigare. Causam referunt in vos, Curiamque Romanam. Recte gesta ab ipsis, vt aiunt, destruitis, iuste destructa statuitis, quique flagitiosi, & contentiosi de populo, siue de Clero, aut etiam ex Monasteriis pulsati currunt ad vos, redeuntes iactant, & gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis vltores sensisse debuerant .... Proh pudor! quos cachinnos res illa monuit, & mouet Ecclesiæ inimicis, eisque etiam ipsis, quorum fortasse metu, aut fauore a recto tramite abducti sumus? Amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi vbique in opprobrium veniunt & contemptum, quorum, dum recta iudicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur auctoritati.* Et post pauca. *Talibus hostiis non promeretur Deus, heu, non placatur ira, non conciliatur gratia, non prouocatur misericordia. Pro his, atque similibus necdum auertitur furor Domini, sed adhuc brachium eius extentum,*
h Hierem. 1. *& virga illa apud* h *Hieremiam vigilans super peccata nostra. Et quidem iratus est Deus schismaticis, sed Catholicis nequaquam propitius.* Hæc, & similia Bernardus in ea epistola, plura inculcans de Tullensi, de Virdunensi, & Metensi Ecclesiis, in quibus multa contra earum decorem actitabantur. Et quidem in Tullensi, Metensique nec leuiter, nec parum carpit Episcopos, *Quorum mores, & vita* (nam hæc sunt eius verba) *non solum in Episcopis, sed etiam in quibuslibet sæcularibus damnanda penitus, & execranda forent.* Sed hæc Bernardo nimis familiaria. Legat, qui volet, epistolam sequentem, breuem quidem, sed adhuc acriorem.
i *Huc vsque,* inquit, *condoluimus misero, & miserabili* i epist. 179.
Archiepiscopo. Verum ex hoc iam si non fuerit emendatum, dolor cordis nostri, & compassio ex intimis medullis tota transiuit in illum, per quem potuit emendari.

Verum dum hæc ad Innocentium liberè, pro 8.
Innocentio officiosè, piéque cæteros omnes alios solicitabat. Et quidem ad Episcopos Aquitaniæ plura, de quibus infrà. Sed crediderim per hoc etiam tempus dedisse litteras ad Hildebertum Turonensem Præsulem, cùm solus ferè in toto Galliarum regno, ex contagio Gerardi Engolismensis suscipere cunctaretur verum Pontificem. Præuenerat ille dudum Doctorem sanctum, dulci satis, luculentáque epistola, qua se inter familiares serui Dei recipi, humilis, & deuotus
efflagitabat. k *Sane de celeberrima opinione tua spes* k epist. 372. apud Bern. apud Hildeber. 72.
in sinu Ecclesiæ reposita est, eam minimè casuram, quoniam fundata creditur supra firmam petram. Ex ea tua nos docti deuotione, desiderio desiderauimus in sacrarium familiaritatis tuæ recipi, ibique recordatione tecum esse, vbi teipsum furatum à colloquiis mortalium pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum. Hæc ad Bernardum olim Hildebertus, &
Bernardus ad ipsum inter alia. l *Quæ ergo ad* l epist. 123.
me de me sibi scribere placuit, videris tu, vnde probaueris. Ego laudum tuarum teneo argumentum, minimè dubium, ipsas mei laudatrices literas tuas, in quibus alium fortasse delectet eruditionis insigne, sermo suauis, & purus, oratio luculenta, grauium, laudabileque compendium. Mihi vero præ his illa ducitur miranda humilitas, qua famillum tantus præuenire curasti, & obsequio salutandi, & præconio prædicandi, & precandi reuerentia. Sanè quod ad me attinet, lego de me in litteris tuis, non quod sum, sed quod esse vellem, & quod non esse pudet. Veruntamen quod sum, tuum est: & si quid melius Dei vnquam munere fuero, tuum fore confidito, Reuerendissime, atque amantissime Pater. Ita Bernardus.

Ergo sponsionis olim factæ memor, vel si non 9.
spopondisset, vltrò etiam pro Ecclesia se ingesturus, cum eum dubium, hærentemque videret, tali epistola aggressus vit[...]m est, quam etiam Baronius inseruit suis Annalibus.

m *Magno Sacerdoti, & excelso in verbo gloriæ* m epist. 124.
Hildeberto, Dei gratia Turonensium Archiepiscopo, Bernardus Claræuallis Abbas dictus, in spiritu ambulare, & spiritualiter omnia examinare. Vt verbis
vos propheticis alloquar: n *consolatio abscondita est ab* n Osee 13.
oculis meis, quia mors diuidit inter fratres. Quidam
enim, iuxta o *Esaiam, videmur fœdus percussisse* o Isaiæ 28.
cum morte, & cum inferno fecisse. Ecce namque Christus Domini iste Innocentius positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum. Nam qui Dei sunt, libenter iunguntur ei: qui autem ex aduerso stat, aut
Antichristi est, aut Antichristus. p *Cernitur abo-* p Amos 3.
minatio stare in loco sancto, quem vt obtineret, incendit igni sanctuarium Dei. Persequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam. Fugit ille nimirum à facie leonis, sicut dicit Propheta: Leo rugiet, quis non timebit? Fugit secundum præceptum Domini, di-
centis: q *si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fu-* q Mat. 10.
gite in aliam. Fugit, & in hoc virum verè se Apostolicum, probans, quòd Apostolica sese forma in-
signierit. Nec enim Paulus r *erubuit in sporta de-* r Actor. 9.
mitti per murum, & sic effugere manus quærentium animam suam. Subfugit autem non parcens vitæ suæ, sed

dans locum iræ, nō vt mortem euaderet, sed vt vitam acquireret. Merito Ecclesia Innocentio concedit ipsius vicem, quem per eadem vestigia gradientem cernit. Nec sane ociosa fuga Innocentij: laborat quidem, sed honestatur in laboribus suis: pulsus vrbe, ab orbe suscipitur. A finibus terræ occurritur cū panibus fugienti, etsi furor Semei Gerardi Engolismensis nedum ex toto quiescat maledicere Dauid. Velit, nolit peccator, qui videt, & irascitur, magnificatur in conspectu Regum, portans coronam gloriæ. Nunquid non omnes Principes cognouerunt, quia ipse est vere Dei electus? Francorum, Anglorum, Hispanorum, & postremò Romanorum Rex, Innocentium in Papam suscipiunt, & recognoscunt singularē Episcopum animarum suarum: solus adhuc ignorat [f] *Achitophel suum iam patefactum, atque dissipatum consilium. Frustra molitur miser super populum Dei malignare consilium, & cogitare aduersus Sanctos, Sancto firmissime adhærentes, & contēnentes curuare genua ante Baal. Nulla fraude præualebit parricida suo obtinere regnum super Israel, & super ciuitatem sanctam, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna fidei, & firmamentum veritatis.* [t] *Funiculus triplex difficile rumpitur. Electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius est, morum attestatio, Innocentium apud omnes commendant, Summum confirmant Pontificem. Ad quod sane & vestra, Pater, expectatur sicut pluuia in vellus vel sera sententia. Non improbamus tarditatem, quæ grauitatem redolet, leuitatis abolet notam. Nam* [u] *& Maria non statim respondit Angelo salutanti, prius cogitans, qualis esset illa salutatio. Et Timotheo* [x] *præcipitur nemini citò manum imponere. Dico tamen ego notus Pontifici, ne quid nimis. dico et familiaris, & notus. Non plus sapere, quàm oportet sapere Puder, fateor, quod serpens vetustissimus noua audacia relictis insipientibus mulieribus, etiam robur pectoris vestri visus est attentare, & tantam Ecclesiæ columnam ausus concutere. Confidimus autem, quia etsi concutis, non deiicit: quoniam amicus sponsi stat, & gaudet ad vocem sponsi, vocem exultationis, & salutis, vocem vnitatis, & pacis.* Hactenus sanctus Doctor ad Hildebertum, tarditatem prudentiæ velo honestans, quo virum grauem securiùs ad se traheret.

f 2. Reg. 17.
t Eccles. 4.
u Lucæ 1.
x 1 ad Tim. 5

10. Adnotauit [y] Baronius ad hanc epistolam fatuitatem recentiorum hæreticorum; qui quod Bernardus Antichristi nomine Anacletum taxauerit, ipsumque eo tempore Romæ existentem dixerit abominationem stātem in loco sancto, ipsius abutantur auctoritate, quasi Pontificem appellet Antichristum, & supremam Romanæ sedis auctoritatem, abominationem pronunciet: vir Romanæ Ecclesiæ obsequentissimus, & qui eius in alias excellentiam non semel prædicat, quod vel in nuper adducta epistola Mediolanensibus scripta, videre licet. Certe Bernardus de Anacleto expresse loquitur, quem Antipapam, dum Antichristum vocat, potiùs Christum appellat verum Pontificem. In hac epistola clariùs, expressiusque. *Ecce namque* (ait) *Christus Domini iste Innocentius positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum. Nam qui Dei sunt, libenter iniungunt ei: qui autem ex aduerso stant, aut Antichristi sunt, aut Antichristus.* quibus verbis nihil clarius dici potuit. Sed de his eruditè, & doctè idē [z] Baronius pluribus locis adductis eiusdē Sancti.

y ad an. 1130
z ad an. 1130

11. Cæterùm quam Hildeberto vtilis fuerit Bernardi familiaritas (nam id etiam Annalium ratio exposcit) quot periculis oratione ipsius ereptus, cùm Roma, Innocentio suscepto, ac visitato, remearet ad propria: qualiterque Turonensi sede relicta, in Claravalle viuere, ac Monachum induere cogitauerit, fecissetque, si per Pontificem licuisset, alia epistola eius ad Bernardum elegāter declarat, quæ ita habet. *Maximum duco, atque habeo, quod mihi vestra sacrarium familiaritatis aperuistis. In eo susceptus, multis, & magis expertus sum periculis, quantum valet deprecatio iusti assidua. Huic & soli debeo, quod insidias mihi Roma redeunti dispositas intactus pertransij, quod ingentes & vrgentes maris procellas illæsus euasi, quod non incidi in barbaros piratas laruali forma deformes, ferina crudelitate hominem differentes; super omnia etiam gaudentes, nulla se cum Christianis habere consortia. Ij Catholicæ religionis expertes, & hostes in insulam beatissimi Honorati, sacratissimo die Pentecostes, in multis nauibus delati sunt. Ibi ad fundamentum, Monasterio penitus euerso, plurimi Monachorum gladio percussi ceciderunt: reliquus & latibulis, & turre proxima consultum. Eadem die præfata insula, felix me ventus expulerat, & ita ipsis penè leonum faucibus euulsus, auspicato cursu Magalonam nauigaui. Hæc ideò, sanctissime Pater, apposui, ne quis ignoret, quantis, oratione vestra, periculis ereptum me confitear. Habeo igitur, atque ago vestro gratias religioni, cuius sinum (quasi reus, aram) iam dudum complexus essem, si consultus Papa Pontificis onus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, insidie gloriam, non imputet ei Dominus. Interim in vmbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseriæ, & de luto fæcis, atque dicam: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus. De cætero, redundantis operæ est, super Andegauensi Episcopo (tyrone scilicet beati Benedicti) vos rogare, cuius affectus, & singularis est in vniuersis, & vniuersus in singulis. Vale.* Hæc Hildebertus, haud contemnendum decus illius sæculi.

tom. 3. Bibl Patrs. epist. 24.

1. Bernardi Patris à negotiis domus quies. 2. Actum de translatione Claravallis, consultumque, 3. quæ delata ad ipsum, 4. primò repulsa, 5. mox perpensa, 6 demum probata, præcedente reuelatione. 7. Cunctorum largitas in opus ædificij, 8. Theobaldi præcipuè, 9. cuius in sanctum Patrem, & in totam familiam mira deuotio. 10. Petri Mauricij de Bernardo Patre querela. 11. Lex Mahometica ex Arabico conuersa, 12. & sancto dicata.

CAPVT III.

1. HÆc, & similia quietem beati viri non tam interpolabant, quam intendebant, quippe eo profundiorem, quo detensiorem, & viribus quasi resumptis per interualla, impetu mentis cœlestia penetrabat. Sed neque omnino vacabat à domesticis; vt a minoribus feriatus suorum cura, sic obstrictus grauioribus negotiis, quæ nec sine ipso prospere succedere, nec eum ipso putabant posse deficere. [a] *Aderant ei in consiliis venerabiles fratres sui, aderat Gaufridus Prior eiusdem loci, propinquus eius in carne, & spiritu, vir sapiens, & constans, qui etiam religionis, & prudentiæ merito postea in Ecclesia Lingonensi factus Episcopus, & sanctitatis ornamento nitens, & dignitatis, in qua est, honorem non minuens, vsque hodie ingrediens, & egrediens laudabiliter perseuerat. Hi ergo, atque alij plures viri prouidi, & de communi vtilitate soliciti, virum Dei, cuius conuersatio in cœlis erat, aliquando descendere compellebant, & indicabant ei, quæ domus necessitas exigebat.* Hactenus Bonævallis Abbas.

a lib. 1. cap. 5

2\. Sed quod præcipuum negotium visum fuit, translatio domus, quæ nec conueniens situ, nec apta fabrica, nec capax aduenienti multitudini, quippe tot in dies Nouitiorum cellam intrabant, vt vix solos Ecclesia, solos Capitulum, & reliquæ item officinæ caperent, paucis senibus adiunctis pro disciplina. Nec sufficiebant quotidianæ fundationes euacuandis agminibus confluentium. Hæc b lib. 1. c. 12. inter alios auctor Exordij magni ita describit. [b] *Vbi enim Pater sanctus exibat, & semen verbi Dei seminabat super omnes aquas, vix vnquam absque fœnore spiritalis lucri redibat, implens cellam probationis multitudine Nouitiorum, quorum numerus aliquando vsque ad centum extendebatur. Ita vt ad horas diuini Officij Nouitiis chorum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ præsidebant psallendi, Monachi foras stare cogerentur.* Hæc ibi, quæ eadem testantur alij auctores.

3\. Cùm ergo viri hæc omnia perpendissent, & locum satis aptum considerassent, in quem posset transferri Monasterium, communicato inter se priùs consilio, tandem Bernardum Patrem aggrec lib. 2. vitæ c. 5. diuntur. [c] *Insinuant itaque ei locum angustum, & incommodum, in quo consederunt, nec capacem tantæ multitudinis, & cùm quotidie cateruatim aduentantium numerus augeretur, non posse eos intra constructas recipi officinas, & vix oratorium solis sufficere Monachis. Addunt etiam se considerasse inferius aptam planitiem, & opportunitatem fluminis, quod infra illabitur, ibique locum esse spaciosum ad omnes Monasterij necessitates, ad prata, ad colonias, ad virgulta, & vineas: & si syluæ videatur deesse clausura, facilè hoc parietibus lapideis, quorum ingens ibidem copia est, posse suppleri.* Hactenus petitio filiorum ad pium Patrem.

4\. At graue Patris maturumque responsum accipiat lector. *Videtis*, inquit, *quia multis expensis, & sudoribus iam domus lapidea consummata sunt, aquæ ductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines sæculi malè de nobis sentire, quòd aut leues sumus, aut mutabiles, aut nimiæ (quas tamen non habemus) diuitiæ nos faciunt insanire. Cumque certissimum vobis sit, penes* d Lucæ 14. *nos non esse pecunias, verbo Euangelico vobis dico,* [d] *quia ædificaturo turrim, futuri operis necesse est supputare expensas: alioquin cùm cœperit, & defecerit, dicetur: Hic homo fatuus cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Ita Bernardus retracturus, si posset, fratres.

5\. Sed præualuit, quæ montes etiam mutat, Sanctorum fides, rei conuenientiam ante oculos habentium, nec dubitantium Deum affuturum his, quæ ad gloriam illius dirigebantur. Nam *si consummatis, replicant, his, quæ ad Monasterium pertinent, habitatores cessasset mittere Deus, stare posset sententia, & cessandum ab operibus rationabilis esset censura. Nunc verò cùm quotidie gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt, quos mittit, aut prouidenda mansio, in qua suscipiantur. Nec dubium est, qui parat mansores, quin preparet mansiones. Absit autem, vt pro diffidentia sumptuum, confusionis huius incurramus discrimina.* Congratulatur Bernardus viuaci fidei, atque affectui congaudet, quantumuis irrito.

6\. Cæterùm mox, quæ iam prima assentiendi via est, rationes perpendere, aduertere incommoda, de ipsa translatione deliberare: & subiit animum Angelorum canentium visio olim sibi ostensa, nec in priori loco quiescentium, sed velut transeuntium, atque migrantium ad eam partem vallis, quæ tunc à fratribus ignaris eligebatur. Nam cur priori deserta recessissent? Cur non longiùs, aut alibi consisterent? Cur eos ipse etiam extra clausuram sequutus esset? Cur ibidem mansissent per longum tempus, nec nisi in cœlum inde reuersuri? Quis indicauit fratribus ignaris illum locum sacratum per sanctos Angelos? Singula casu succedere potuisse, aut saltim alio fine, sed vix omnia. Tum pro more conuersus ad orationem, & nouis reuelationibus admonitus, nouis oraculis denuo confirmatus, tandem acquieuit, & translationem Claræuallis fieri primò permittens, mox etiam iubens supra spem propriam, & fratrum properauit. Porrò autem præcessisse reuelationes, quas tamen per modestiam non expresserit, Bernardus Bonæuallis Abbas non dubiè tradit. [a] *Aliquando*, inquit, *tandem consiliis acquieuit, plurimis tamen priùs super hoc ad Deum precibus fusis, nonnullis quoque reuelationibus præostensis.* a vbi suprà. Hactenus ille, cui etiam [f] Guillelmus f lib. 1. cap. 7 Abbas adstipulatur.

7\. Vt præcesserunt assensum translationis diuina monita; sic diuina potentia sequuta est, cunctis certantibus necessaria prouidere, sed solo Deo mouente cunctorum corda. Videres Principes, Nobiles, Episcopos, negotiatores etiam, & publicanos vltrò offerentes sumptus, ad opus fabricæ: videres Monachos laborantes velut artifices, & artifices affectos velut Monachos, neque labori, neque industriæ parcere, quo noua domus celeriùs perficeretur. Oratorium eodem loco positum est, quo voces Angelorum auditæ olim: idque non ex Bernardi Patris præcepto, sed ex artificum, rem gestam ignorantium, dispositione: quod ex Guillelmo superiùs adnotatum, Bernardum Patrem suprà modum lætificauit.

8\. Cæterùm qua largitate Principum, præcipuè Theobaldi Campaniæ Comitis, quo Monachorum feruore, quanta artificum diligentia, & denique quàm breui opus excreuerit, aliàs ingens, & latum pro multitudine habitatorum; eoque etsi non superbum, sumptuosum, eiusdem temporis auctor ita describit. [g] *Audiuit hoc beatæ memoriæ* g lib. 2. vitæ c. 5. *nobilissimus Princeps Theobaldus, & multa in sumptus dedit, & ampliora spopondit subsidia. Audierunt Episcopi regionum, & viri inclyti, & negotiatores terræ, & hilari animo sine exactore vltrò ad opus Dei copiosa contulere suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operariis, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus, alij scindebant ligna, alij lapides conquadrabant, alij muros struebant, alij diffusis limitibus partiebantur flumium, & extollebant saltus aquarum ad molas, sed & fullones, & pistores, & coriarij, & fabri, aliique artifices congruas aptabant suis operibus machinas, vt scaturiret, & prodiret, vbicumque opportunum esset in omni domo, subterraneis canalibus deductus riuus vltrò ebulliens, & demum, congruis ministeriis per omnes officinas expletis, purgata domo, ad cardinalem alueum reuerterentur, quæ diffusa fuerant, & flumini propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum Monasterij ambitum spaciosissimè complectentes. Surrexit domus, & quasi animam viuentem, atque motabilem haberet, nuper nata Ecclesia in breui profecit, & creuit.* Hactenus ille de admiranda, & extemporanea translatione: quam tamen nequaquam hoc anno factam putandum est, sed incepta ædificia nouæ domus, in quam transirent, cùm primum perficeretur.

9\. Verùm quod ad Theobaldũ Comitem attinet, quem sanctæ memoriæ Principem appellat, & cuius etiam nos superiùs meminimus, illud in primis notatione dignum occurrit, virũ vtpotè sanctum, Sanctis addictum, Norbertum Patrem hactenus coluisse, eius per omnia mouitis parentem, quip-

pe, vt Hugo Abbas testatur in eius vita, [h] *seipsum totum cum omni possessione sua viri Dei* (scilicet Norberti) *permiserat voluntati.* At postquam hic ad Superos translatus inter homines desiit conuersari, Bernardum Patrem illi successisse, cuius monitis per omnia obsequens esset. Porrò ex eiusdem Patris reuerentia adeò extitisse Cistercio familiarem, adeò largum in omnes Cistercij domos, vt non immeritò aduersarij illi obiicerent, Theobaldo Monachos, Conuersosque pro militibus esse, Abbates pro ducibus, quibus se, & suos tueretur ab inimicis. Sed de his infrà. Antiqui auctores dum sanctum virum memorant, [i] *Patrem orphanorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, pedes claudorum nominant: singulariter munificū in pauperibus sustentandis, in extruēdis Monasteriis, & erga quoslibet religiosos largitate incōparabilem.* Hactenus ille. nobis de charitate viri dicta sufficiant, plura de ipso, nec semel, tractaturis. Nunc ad historiæ seriem reuertamur.

[h] apud Sur.

[i] Vinc. Specul. hist. lib. 28. c. 23.

10\. Eodem anno, quantum ex Bernardi responso licet colligere, venerabilis Petrus Cluniacēsis, tunc ex Hispania redux, de S. Patre amanter conquestus est, quòd nullis litteris excepisset eius aduentum. Mauricij epistolam inter alias illius legi, notat Pichardus, & tradit esse quartam decimā libri quinti: sed in noua editione, quæ circumfertur inserta Bibliothecæ Cluniacensi, nec tot epistolas liber quintus continet, neque eam alibi potui inuenire. Responsum Sancti extat, legiturque, elegans, & facetum sub hoc initio: [k] *Itáne iocari libet? dignanter sanè, atque amicabiliter: sed si ita luditis, vt non illudatis, nolite mirari hoc: nam suspectum id mihi facit vestra ista tam subita, & inopinata dignatio. Non enim multum temporis est, quod scribens ad vos, debita reuerentia vestram magnitudinem salutaui: & non respondistis mihi verbum. Nec multo antè rursum scripseram ad vos ex vrbe Roma, & nec tunc quidem vel vnum iota recepi. Modò miramini, quòd reuertenti nuper de Hispania nugas meas denuò ingerere non præsumpsi*, &c. Ita Bernardus, & ipse ex Curia redux non multo antè. Quod, cùm non possit referri ad vltimum aduentum ex Vrbe Roma, quem Lingonensis Episcopi electio aliquantum turbauit, vt ibidem videbimus, ad præsentem videtur referendum.

[k] epist. 227.

Eodem tempore, vt notauit Ioannes Pichardus, [l] idem Petrus Mauricius *remisit Bernardo epistolam longè prolixiorem, continentem inter cætera succinctam de Mahumetis vita narrationem, quam Petrus, licèt fabulosissimam, vt ipse fatetur, curauit in linguam nostram transferri.* Porrò tractatum hunc, siue transsumptum, non solum missum Bernardo, sed dicatum, probat epistola, præfixa eidem operi, cum qua simul vulgatum circumfertur: quam aliàs grauem, & dignam his Annalibus, quia inter cæteras Petri Cluniacensis nequaquam ponitur, hîc non immeritò censui trānscribendam. Sic autem habet. 11.

[l] in notis ad epist. 227.

Singulari veneratione colendo, totis charitatis visceribus amplectendo, indiuiduo cordis nostri hospiti, domno Bernardo, Claræuallis Abbati, Frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, salutem, ad quam suspirat, æternam. Mitto vobis, dilectissime, nouam interpretationem nostram, contra pessimum nequam Mahumetum, & eius hæresim, disputantem, dum in Hispaniis morarer, meo studio de Arabico versa est in Latinum sermonem. Feci autem eam translationem per peritum vtriusque linguæ virum, Magistrum Petrum Toletanum. Sed quia lingua Latina non ei adeò familiaris, & nota erat, sicut Arabica, dedi ei coadiutorem, doctum virum, dilectum filiū, & fratrem Petrum, Notarium nostrum, reuerētiæ vestræ, vt existimo, bene cognitum: qui verba Latina impolitè, & confusè plerumque ab eo prolata poliens, & ordinans, epistolam, imò libellum, multis, vt credo, propter ignotarum rerum notitiam, perutilem futurum perfeci. Sed & totam impiam sectam, vitamque nefarij hominis, ac legē, quam Alcoran (id est, collectaneum præceptorū) appellauit, sibique ab Angelo Gabriele de cælo allatam, miserrimis hominibus persuasit, in volumine produxi: interpretantibus scilicet viris vtriusque linguæ peritis, Roberto Retenensi de Anglia, qui nunc Pampilonensis Ecclesiæ Archidiaconus est, Henrico quoque Dalmata, acutissimi, & litterati ingenij scholastico, quos in Hispania circa Hiberū Astrologiæ studentes inueni: eosque ad hoc faciendum multo pretio conduxi. Valete. Hactenus ad Bernardū Petrus Mauricius, quæ non duxi silentio prætereunda. 12.

---

1. Miserandus status Aquitaniæ, 2. & defectio Gerardi Engolismensis. 3. Debacchatum in Episcopos Catholicos, 4. quibus Bernardus scribit, 5. itemque ad Gaufridum contra Schismaticos, 6. & ad Guillelmum ex persona Ducis Burgundiæ. 7. Legatus sanctum Patrem illo inuitat, 8. Bernardus annuit. 9. Miraculum patratum in itinere, 10. & anathema in Dæmonem indictum. 11. Busasij initia, & dictum obiter de Ioanne, eius Abbate.

CAPVT IV.

1\. DVm nouum surgebat Cœnobium in Claraualle, res Aquitaniæ in deterius ruebāt, Guillelmo Duce Catholicis infenso, eoque in Episcopos plures debacchante, & Gerardo Engolismensi pseudo Legato intrudente schismaticos, qui intruso Papæ præstantes obedientiam, non respuerent intrusam legatiam. Constat id ex epistola Bernardi ad eosdem Episcopos cōscripta, in qua inter alia. [a] *Audet*, ait, *(quod & flens dico) inimicus Crucis Christi (scilicet Gerardus Engolismensis) suis sedibus pellere Sanctos, qui nolunt bestiam adorare (id est, Anacletum) quæ aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen Domini, & tabernaculum eius. Altare contra altare erigere tentat, confundere fasque nefasque non confunditur, Abbates Abbatibus, Episcopos Episcopis superintrudere nititur, amouere Catholicos, promouere schismaticos. Miseri, & miserandi, qui ita promoueri & ab isto cōsentiunt. Siquidem circuis mare, & aridam, vt facias vnum Episcopum, & cùm feceris, facis illum filium gehennæ duplo quam te.* Ita Sanctus ad Episcopos Catholicos.

[a] epist. 126.

Sed pleniùs adhuc Abbas Bonæuallis, qui statutū Aquitaniæ, quasi ex professo describit per hæc tēpora. [b] *Sibilabat in auribus Comitis illius (Guillelmi scilicet) crebris suggestionibus, quasi serpens antiquus, veterator ille (Gerardus) qui diu in partibus illis sedis Apostolicæ fuerat Legatus: & tūc à magistratu tāto deiectus, non poterat se pati suæ solius Ecclesiæ Episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ Principem, & Magistrū. Erubescebat enim ad primā domum redire, cuius potentatui, & Turonica, & Burdegalensis, & Auxiensis Prouinciæ subditæ fuerant: & quidquid à collibus Hiberorū, vsque ad Ligerim complectitur, & claudit Oceanus, paruerat eius imperio. Consuetus igitur prædari Prouincias, & sub titulo iustitiæ, de causis emergētibus facere quæstū, aggregarat pecunias, quæ erāt sibi in idolum, & in apostasiæ simulacrum.* Hæc de occasione Gerardū cōmouente. 2.

[b] lib. 2. cap. 6.

3. At de ipso, & quæ gessit in religionem, hæc, quæ sequuntur. *Aggreditur igitur Comitem multis pecuniis, inuadis animam eius persuasionibus venenatis, & hominem leuem seducit leuiter, & corrumpit. In primis ab vrbe Pictauiensi Guillelmus Episcopus, vir honestus, homo Catholicus, in societate, & defensione vniuersalis Ecclesiæ stabilis, violenter expellitur, & à Gerardo, & à Cardinale adiutore suo (misso ab Anacleto) quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares causæ pro quibus ei Comes infensus, data occasione, libentissime eum persequitur, & abiurat. Visum est autem tam Gerardo, quàm Comiti, vt ad confirmationem partis suæ sine mora Pictaui crearent Episcopum. Et inuenerunt hominem ambitiosum, nobilem quidem genere, sed degenerem fide, quem vt genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex Clericis consentientibus, elegerunt, & profanas ei imponentes manus, execrabile caput non tam vnxerunt, quàm contaminauerunt. Simile huic monstrum in Lemouicensi Ecclesia intruserunt, Ramulphum quemdam Doratensem Abbatem.* Hactenus ille.

4. Hic status rerum Aquitaniæ per hæc tempora, Gerardo commouente Ducem contra Catholicos, sed contra Guillelmum Pictauiensem implacabiliùs, quia quo sanctior, eo illi erat infestior. Ergo Bernardus primum hortari litteris, confirmare rationibus, munire exemplis, & sanctissimorum totius Ecclesiæ Præsulum, quorum superiùs ex ipso iam meminimus, Religiosorum familias superaddere, qui nulla spe, nullo metu præsentis
c epist. 126. vitæ, discussa causa, adhæsissent Innocentio. [c] *Non autem*, inquit, *debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui, Deo meliùs viuunt, quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, vbi certè studiosè inquirunt, & non dubie inueniunt beneplacitum Dei, qui soliciti sunt, quomodo placeant ei. Itaque Camaldulenses, Vallumbrosani, Carthusienses, Cluniacenses, & qui de maiori Monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Castemblenses, Cadumenses, Tironenses, & Sabigniacenses, vniuersitas denique, & vnanimitas fratrum, tam Clericorum, quàm Monachorum regularis vitæ, probatæque conuersationis, sequentes Episcopos, tanquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent, syncere fauent, humiliter parent, verum Apostolorum successorem fideliter cognoscunt.* His, & aliis Sanctus in ea epistola, ante annum scripta, quippe viuente adhuc sancto Norberto, Episcopo Aquitaniæ confortabat.

5. Verùm, vt etiam schismaticos vrgeret, ne quid intentatum ab eo relinqueretur, ad Magistrum Gaufridum de Lothario, insignem pietate, & scientia in illis partibus, non minus igneas, luculentasque litteras dedit, hortatus virum Gerardo se se opponere, & Ducem Aquitaniæ ab eo seductum propria industria, si posset, reuocare. Breues sanè, sed acres, sed viuidas, & zelo iustitiæ plenas, sic transcribam.

d epist. 125. [d] *Ad Magistrum Gaufridum de Lothario. Odor in flore, in fructu sapor requiritur. Odore prouocati, charissime frater, olei effusi nominis tui, cupimus & ex fructu operis cognoscere te. Non enim nos tantùm, sed ipse quoque, qui nullius eget Deus, opus tamen habet hoc in tempore opere tuo, si non dissimulas: Gloriosum tibi est, Dei esse posse coadiutorem, posse & non esse damnosum. Porrò autem gratiam habes apud Deum, & homines, habes scientiam, habes spiritum libertatis, habes verbum viuum, & efficax, & sale conditum: nec oportet te pro tantis viribus sponsæ Christi deesse in tanto discrimine, cùm sis amicus sponsæ. Amicus siquidem in necessitate probatur. Quid enim? Tu tibi quiescis, & mater tua Ecclesia grauiter conturbatur? Habuit sua tempora quies, & sanctum otium hactenus sua negotia licenter, liberèque exercuit.* [e] *Tempus faciendi nunc, quia dissipauerunt legem. Bestia illa de* [f] *Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam. Altera quoque bestia iuxta vos subsibilat, sicut catulus habitans in abditis. Illa ferocior, ista callidior pariter conuenerunt in vnum* [g] *aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Demus operam citò dirumpere vincula eorum, & proiicere à nobis iugum ipsorum. Nos in nostris partibus vnà cum aliis Dei seruis diuino igne accensis, Deo cooperante, laborauimus in conueniendo populos in vnum, & Reges, ad diripiendum prauorum consensum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei. Nec infructuosè. Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum, & Hierosolymorum Reges, cum vniuerso Clero, & populis fauent, & adhærent Domino Innocentio, tanquam filij Patri, tanquam capiti membra, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Meritò autem illum recipit Ecclesia, cuius & opinio clarior, & electio sanior inuenta est, nimirum eligentium & numero vincens, & merito. At tu frater quid adhuc negligis? Quousque vicino serpente tua malè secura dormitat industria? Scimus quidem te filium pacis, nulla posse ratione induci deserere vnitatem: sed profectò non sufficit, nisi & defensare, atque ipsius quoque turbatores totis viribus debellare studueris. Nec quietis timeas detrimentum, quod non paruo tuæ gloriæ incremento recompensabitur, si fera illa vicina vobis tuo studio mansuescat, vel obmutescat, & tantam Ecclesiæ prædam (Comitem dico Pictauiensem) in manu tua Dei pietas de ore leonis eripiat.* Hæc ad Gaufridum Bernardus, deputans gloriæ, quam sibi soli Deus destinauerat, quippe complenda in proximo malitia Ducis, Pauli ex Saulo futuri, per eius monita.

e Psal. 118.
f cap. 13.
g Psalm. 2.

Interim tamen ad eumdem Guillelmum scripsit, idque ex persona Ducis Burgundiæ, eidem nimium sanguine propinqui, nec minus familiarem pro more Principum. Atque ecce exemplar epistolæ Hugonis, siue potiùs Bernardi, sub eius nomine. 6.

[h] *Guillelmo Dei gratia egregio Comiti Pictauorum, & Duci Aquitanorum, Hugo eadem gratia Burgundiæ Dux, timere terribilem, & eum, qui aufert spiritum Principum. Errorem vestrum vltra dissimulare non fero, quippe carne propinquus, & corde amicus. Si quis de populo deuiat, solus perit. Verùm Principis error multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest ipse. Nec præsumus, sicut scitis, vt perdamus, sed vt regamus subiectos. Per quem Reges regnant, ipse nos præfecit populis suis, à nobis tuendis, non subuertendis, planè sanctæ suæ Ecclesiæ ministros, non dominos. Cui vos ministerio, cùm dignè alias pro vestri magnitudine potentatus, & laudabiliter deseruisse noscamini, miror quanam versutia, modò illa vestra prudentia circumuenta fuerit, eamdem matrem vestram, & dominam deserere in tempore malo, nisi fortè & hoc vobis vestri illi consiliarij persuadere conentur, ad solam Petri Leonis domum, vniuersalem Ecclesiam esse redactam. Viri mendaces, quos veritas, sicut & caput eorum Antichristum destruit spiritu oris sui, affirmans eam per os Dauid ad vniuersos fines terræ, ad vniuersas familias gentium dilatari. Habet tamen Ducem Apuliæ, sed solum ex Principibus, ipsumque vsurpata corona mercede ridicula comparatum. Denique quid virtutis, quid honestatis afferunt de summo Pôtifice suo, vt & nos prouocent ad fauorem? Si vera sunt, quæ vbique diuulgat opinio, nec vnius dignus est vinculi potestate: si vera non sunt, decet nihilominus caput Ecclesiæ, non solùm vitæ habere sanitatem, sed & famæ decorem. Tutius proinde vobis est, mi cognate charissime, vt in susceptione vniuersalis Papæ, ab vniuersitatis consensu, & consilio non recedatis. Quem omnis religio, quem Regum vniuersitas receperunt,* h epist. 127.

vobis quoque & honorificum, & salutiferum est, vt recipiatur Domini Papæ Innocentij & innocens vita, & integra fama, & electio Canonica prædicatur. Priora duo nec hostes diffitentur; tertium calumniam habuit, sed per Christianissimum Lotharium nuper falsi calumniatores in suo sunt mendacio deprehensi. His, & similibus Bernardus absens corpore, sed cura, & spiritu, vbicumque opus, assistens, Aquitaniæ obedientiam solicitabat. At reseruata victoria præsentiæ viri, scripturæ efficaciam frustrabatur, quantumuis igneam. Qualiter autem præsens cuncta perfecerit, quod propriè huius anni gesta concernit, nam cætera ante acta, accipiat lector.

7. Venerabilem Gaufridum Carnotensium Episcopum in Galliis legatione fungi, superiùs diximus: nec præcedenti anno illi commissa, vt Baronius existimat, [i] sed Innocentio in Galliis commorante, ante gloriosum martyrium Prioris Thomæ. Quamuis fortassis in Gallias priùs concessa, pòst fuerit extensa in Aquitaniam. Hic cùm videret illius Prouinciæ rebus per litteras non satis prouideri, nam veritate, & iustitia per vim oppressis (quod vltimum malorum est) ipsa facinora virtutes reputabantur, [k] *Vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis sine vlla dilatione decreuit.* Ita Bernardus Bonæuallis Abbas, cuius verba asterisco signata propriis inseram, quo maior dictis fides adstruatur. Sed vir humilis, & parum sibi fidens, Bernardo plurimum, ne quid in re graui tentaret, sine Bernardo, Claramvallem petit, atque Abbatem illius enixiùs obsecrat, *vt sibi ad tanta mala eliminanda succurrat.*

i ad an. 1134

k lib. 2. cap. 6.

8. Petierat Comitissa Britanniæ Bernardi filios, loco à se construendo, & iam venturis locum præparauerat, Buzaio nomen ei, de quo inferiùs, quo sanctus Pater venturum se cum filiis nouæ domus plantandæ repromiserat: nec longè aberat locus ab itinere adeuntibus Ducem ex Claravalle. Assensit igitur Legati petitioni. *Etsi in proximo congregationem Monachorum in Britanniam, in locum, quem iuxta Nannetum Comitissa Ermengardis parauerat, ducturum intimat, & promittit, disposita illa domo secundum genus, & species suas, se cum illo in Aquitaniam profecturum.* Sed Legatus ne eo quidem tempore a Bernardo discedere consensit, conuenturus in tempore, atque abeuntem etiam vsque ad Nannetum, etiam vsque ad Buzaium comitaturus. Sic Bernardi aduentum in Aquitaniam promissio Sancti, atque tanti exactoris auctoritas primum stabilierunt, mox vulgarunt. Præcessit virum Dei miraculorum fama, hominum expectatio, Dæmonum timor. Sed quàm non frustrà, euentus manifestat. Vix toto itinere locum intrauère, quem non miraculo edito illustrauerit, sine fructu nullum. Nanneti (prima ea statio fuit) mulier stupratorem Dæmonem sexennio passa, tuoc minacem, & trucem timore Sancti, primum baculo ipsius liberatur: mox per candelas extinctas, fugato Dæmone, puritati, & marito restituitur. Id miraculum, quia grande, quia primum, quia singulare, ex Arnaldo non pigeat hîc transcribere.

9. [l] *Ibant* (ait) *igitur simul* (sicut Legatus, Bernardusque) *& ne multis ambagibus vtar, simul Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante Diabolo vexabatur. Habebat autem virum huius tam execrabilis commercij prorsus ignarum. Abutebatur itaque, etiam in eodem lecto cubante marito, inuisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confusa est in seipsa, & expauit, tum propter colluuionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cuius iudicio singulis momentis timebat intercipi, & damnari. Confugit ad Sacerdotes, & piaculum confitetur, peragrat loca sancta, & Sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie vt prius, & importunius a Dæmone infestatur. Denique in publicum zelus tantum effusum est: quo audito, & cognito, maritus eius contubernium execratur. Interea ad locum prædictum vir Dei cum comitatu suo aduenerat, cuius vt audiuit aduentum infelix mulier, se ad pedes eius tremebunda proiecit. Aperit ei lachrymis perfusa horribilem passionem, & ludificationem inueteratam, & quod nihil ei profecissent, quæcumque fecisset, sibi à Presbyteris imperata. Addit sibi ab oppressore suo aduentum eius prædictum, & minaciter interdictum, ne ante eius veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset, & ipse recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus fieret persequutor. Audiens hæc vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem, & de cœlo promittens auxilium præcipit, vt die altera (iam enim nox instabat) confidens in Domino reuertatur. Reuersa manè, cum viro Dei blasphemias, & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset; Ne cures, inquit, vir Dei, minas eius, sed vade tolle baculum hunc nostrum, & pone in lectulo tuo, & si quid potest, agat. Egit mulier quod iussum fuerat, & recubans in lectulo suo, signo Crucis munita, iuxta se baculum ponit. Adest ille continuò, sed neque ad consuetum opus, neque ad ipsum cubile præsumit accedere. Minatur tamen acerrimè, quod discedente viro Dei, ipse in eius supplicia reuerteretur.*

l lib. 2. cap. 6.

Instabat dies Dominica, & voluit vir Dei per edictum Episcopi populum in Ecclesia accersiri. Cumque ipsa die maximus populus conuenisset, inter Missarum solennia, comitantibus Episcopis Gaufredo Carnotensi, & Bricio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit, & vt omnes, qui in Ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, loquuturus edicit. Quod & ipse cum Episcopis, & Clericis faciens, inauditos Diaboli ausus publicè aperit, & fornicatorem spiritum qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Extinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, extincta est deinceps tota virtus Diaboli, & mulieri post confessionem communicanti nunquam postea inimicus apparuit, sed irregressibiliter eliminatus aufugit. Hactenus acta. 10.

Rara in Dæmone contra naturam spiritus carnalis procacitas: rarior in Sancto apparens illa præsumptio, qua proprio baculo Dæmoni opposito, virtutem eius iactare visus est: sed rarissimus Exorcismus aduersùs Dæmones, & luminarium extinctorũ vsus, per quæ Dæmonis luxus extingueretur.

Bernardum Patrem duxisse secum Monachos, quos in nouo Cœnobio collocaret, in confesso est: nec de Cœnobio ipso dubitatur, quippe Busaium in Nannetensi diœcesi situm, & per Bernardum fundatum hoc ipso anno, Claræuallenses tabulæ asseuerant. Primum Abbatem præfecit Ioannem nomine, qui tamen, paucis interiectis annis, quod timeret deponi à sancto Patre, Abbatia dimissa, Anachoreticam vitam amplexus est, ad Cœnobiticam ægrè reducendus. Extat epistola (nam id obiter tangam) sancti Patris ad ipsum, cuius hic titulus, *Ad Abbatem Ioannem de Busaio, qui Abbatiam* epist. 230. 11.

suam

suam reliqueras, vt abires in solitudinem. At desertionis causam, atque item proteruiam desertoris, simul & Bernardi adfectum contextus indicat. *Scripsi,* inquit, *semel, & denuo, nisi fallor, & exigentibus peccatis meis, in nullo adhuc respondet mihi labor meus. Ecce tertiò iacto semen, Deum omnipotentem deprecans, vt non reuertatur ad me vacuum.* Et post pauca. *Sed ne quod ex me detrimentum patiaris, seu impedimentum, illud falsum esse non dubites, quod tibi, a nescio quo, vel quibus falsiloquis persuasum audiuimus, quia ego videlicet cogitarem sine ratione, & indicio, te a regimine fraternarum animarum, quod tibi credideram, submouere.* Et tandem concludit. *Quomodo miser, quomodo liberabor, effusis visceribus, filio perempto te? Non quiescet affectus, si non sequatur effectus, non sedabitur dolor, non cessabunt lachrymæ. Exhibebo tibi, quandiu vixero, alterum Samuelem: tu vtinam non alterum Saulem mihi. Rogabo te, rogabo pro te, vt venias. Veni, veni priusquam moriamur, vt qui dileximus nos in vita, in morte non separemur.* Ita Bernardus ad Abbatem desertorem, vel in accusatione collandans virum, qui talem meruit Patris experiri affectum. Atque hæc occasione noui Cœnobij. De Ermengardi, quæ pòst relicto sæculo, atque vniuersa gloria comitatus, sanctimonialem Cisterciensem induit, plura inferiùs.

---

1. Gerardi Engolismensis secessus, 2. & Bernardi cum Guillelmo Duce colloquium. 3. Responsio Ducis, 4. & Sancti solicitudo. 5. Tum sacrificium Missæ deuotus offert: 6. atque ad Guillelmum pro foribus stantem corpus Dominicum in patena igneus defert: 7 prostratum pede pulsat, & iubet surgere, 8. sententiam proferens, quam statim exequeretur. 9. Distincti obiter Pictauorum duo Episcopi.

CAPVT V.

1. DIsposita nouella plantatione, & Comitissa Ermengarde salutara, inceptum iter ambo prosequnntur, & Aquitania petuia viris fuit, quippe Gerardus, absumptis, quæ congesserat, & per quæ Ducem sibi conciliauerat, impotentior reditus, eoque etsi non melior, minus audens, remotiores secessus inhabitabat. Rem à synchrono auctore ita describo. [a] *Interim Gerardus assensu Comitis Burdegalensem Archiepiscopatum occupauerat, & simul Burdegalensem, & Engolismensem detinebat Ecclesiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in assentatorum manus iniecerat, & magis, ac magis cognita veritate, iam defluebant ab eo subsidio Principum, & perfidia eius timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec iam facile publicis sese conuentibus præsentabat.* Hinc peruicacia Ducis minus contumax, & facilior ad ipsum aditus fuit.

a lib. 2. cap. 1.

2. Verùm de gestis ibidem per sanctum Patrem duos coæuos testes auctores proferamus, Bernardum scilicet, [b] Theobaldumque, [c] illum ab ipso Sancto rem edoctum, hunc à discipulis Ducis, pòst eremitæ, quod ipse ait. Nec duplicanda nobis testimonia pro testium numero, vtroque rem scribente verbis eisdem. *Significatum est interim Comiti per viros illustres, qui ad eum securiùs audebant accedere, quòd Abbas Claræuallensis, & Episcopus Carnotensis, aliique Episcopi, & religiosi viri colloquium eius expeterent, quorum erat studium, vt secum de pace Ecclesiæ, & de malo remouendo tractarent. Persuasumque est illi, ne tantorum virorum deuitaret colloquium, quia poterat fieri, vt communicato cum eis consilio, & facile esset, quod modò putabatur difficile, & quod videbatur impossibile, repentino prouentu possibile redderetur. Itaque apud Pertinacum hinc, & inde conuenitur, & in primis de diuisione Ecclesiæ, & de scissura obstinatione, quæ intra Alpes in sola Aquitania, quasi nebula corruptela consederat, multis modis, & rationibus a seruis Dei Comiti intimatum est.* Hæc eadem vtriusque ferè verba, sensus omnino.

b lib. 2. cap. 6.
c in vit. S. Guillel. cap 5.

3. Porrò rationes, exemplaque, quibus Sanctus, & Episcopus vsi sunt, & qualiter ex parte perdomuerint illuc vsque rebellem duritiam Ducis, pergunt describere, eadem prorsus concordia. Et de rationibus, exemplisque hæc, quæ sequuntur. *Quod Ecclesia vna est, & quidquid extra eam est, quasi extra arcam, iudicio Dei necesse est interire, & dilui. Adducta quoque exempla Datan, & Abiron, quos reatu schismatis terra viuos absorbuit: nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse, monstratum.* Effectum verò immediatè ita subiungunt. *His auditis, Comes ex parte sano vsus consilio, respondit, se in obedientiam Innocentij Papæ posse dare consensum, sed in restitutionem Episcoporum, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant, & iurauerat se eorum pacem nullo tempore suscepturum.* Hactenus illi de gestis per hæc colloquia: sed quæ demum successerint, videamus.

4. Nimium sibi fecisse videbatur Dux Aquitanus, quòd Innocentium susciperet Pontificem, abiurato Anacleto, cui per quinquennium pertinax adhæserat: sed Bernardo nihil omnino, quandiu non omnia. Ergo per internuncios primum, mox per seipsum, nunc terrere minis, nunc promissionibus cœlestis patriæ allicere, pœnam, & premium æternam repræsentare, sacris Scripturis, rationibus vrgere, & quod in Principes persuadendi genus est, nonnunquam cedere, nonnunquam ab eis vinci, atque eo artificio, & prudentia cuncta disponere, vt ire, quàm trahi, magis videri possint. Verùm cùm ne hoc quidem modo quidquam proficeret, [d] *Angustiabatur* (inquit Theobaldus) *in se ipso Domini seruus, & quia non explebatur in Principe, quod cogitauerat, anxiabatur in eo spiritus eius, in se cor eius turbabatur. Quid ageret Athleta Christi? deficiente humano iudicio, recurrit ad diuinum vir diuinus, & ad arma fortiora confugiens, efficacius est munitus.* Hæc ille.

d ibidem.

5. Quæ autem arma, ad quæ confugit, fuerint, & qualiter superbissimum Ducem auctoritate diuina humiliauerit (rarum orbi, & Principibus exemplar) vterque auctor narratione concordi ita prosequitur. *Dum vicissim verbis se mutuo occupant, vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus, & supplicaturus accedit. Intrauerant Ecclesiam, quibus licebat diuinis interesse mysteriis: Comes sustinebat pro foribus.* Hæc iam initia conuersionis illius Principis, in tanta pertinacia, tanta obedientia, dum Regum æmulus, potentioribus non impar, multos etiam excedens in gloria sæculi, non dedignatur Ecclesiam Dei adire, adhuc non ingressurus propter anathema: obediens, vel in ipsa obedientia, atque in media superbia non parum humilis, illud dum fores ingredi non audet, hoc dum antistat.

6. Sed Bernardus peracta consecratione, & pace

ex more data filiis pacis. *Iam non se agens vt hominem, corpus Domini super patenam ponit, & secum tollit, atque ignea facie, & flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem. Rogauimus te (inquit) & spreuisti nos. Supplicauit tibi in altero, quem iam tecum habuimus, conuentu, seruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te procedit filius Virginis, in cuius nomine omne genu curuatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Adest iudex tuus, in cuius manus ipsa tua anima deueniet. Nunquid & ipsum spernis? Nunquid & ipsum, sicut seruos eius contemnis? Lachrimabantur omnes, qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei, & omnium suspensa expectatio, nescio quid diuinum fieri cælitus expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expauit, & diriguit: membrisque tremebundis metu, & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à ministris rursus in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saliuis per barbam diffluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur.* Hæc conceorditer Bonæuallis Abbas, & Theobaldus efficaciam hauddubiè præferentia loquentis spiritus. Sed quæ sequuntur, fortè efficaciora, & quæ si Principum plerorumque fastum attendas, supra fidem, si Dei virtutem, facilia reputabuntur.

7. Solo prostratum Bernardus pede pulsans (hæc quis alius auderet aduersùs Ducem?) non iam rogauit, sed iussit, sed præcepit, sed protulit sententiam à Deo latam, cuique obediens per omnia consentiret. Audi eosdem pergentes ita narrare. *Tum vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans acclinem, surgere iubet, & stare, & Dei audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictauiensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti: vade, & reconciliare ei, & in osculo sancto, pacis cum eo iungito fœdera, & ipse ad sedem suam eum reducito, & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerso principatu tuo, diuisos, & discordes, ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei vniuersa obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes auctoritate Spiritus sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem qua eum abiecerat manu, cum totius exultatione ciuitatis, ad propriam sedem reduxit.* Hæc ibi verbis adeò conuenientibus, quibus nihil addi expediat, nihil possit demi.

Episcopo ad propriam sedem reuocato, atque ad osculum pacis suscepto nequaquam fictè, quod vnum tunc restabat exequendum. Dux, & Bernardus vterque mutatus est: ille ex tyranno rebelli, atque schismatico in Principem verè pium, & religiosum, hic ex seuero iudice, in Patrem, ex censore in Magistrum, & denique in patronum, ex auctore, qui discipulum, qui filium, qui clientem, non solùm commoneret, sed diligeret. *Iam deinceps* (prosequitur Theobaldus) *Abbas cum Comite familiariùs loquens, & suauiùs, ne ad impios ausus, & tam temerarios exurgeret, ne Dei patientiam in tantis flagitiis irritaret, ne pacem reformatam in aliquo violaret, paterne commonuit.* Et post pauca. *VVillelmus verò audito eo, id est, Bernardo, multa interim faciens, deinde minus crudelis extitit.* Hæc de Guillelmo per Bernardum conuerso: sed qualem curam illius pòst Sanctus egerit, & in quem tandem virum ipsum perduxerit, in sequentibus pleniùs declarabimus. 8.

Cardinalis [c] Baronius hunc Pictauiæ Episcopum Bernardi interuentu restitutum, cum antecessore eius videtur confundere. Et sanè vterque Guillelmo Duci infensus, atque vterque per eum de sede pulsus, quemque vterque diuinis interdixerat. Sed ille Petrus, hic Guillelmus nomine, ille ob incestum cum vxore fratris, hic propter schisma, ille in exilio obiit, vsque ad miracula post mortem illustris orbi, hic per Ducem in sede restitutus, in eius gratia permansit, vt pòst videbimus, nec, quod sciamus, ab aliquo exturbandus. 9. c ad hunc ann.

1. Legati, & Sancti discessus ab Aquitania 2. Guillelmus à Gerardo seductus, peruersusque, 3. ad quem Bernardus minaces litteras dedit. 4. Gerardi interitus, 5. & plurimum ex sequentibus. 6. Sanctus Claramvallem reuersus, 7 in Cantica Canticorum sermones inchoat, 8 ad instantiam Bernardi Portensis Carthusiani. 9. Quid Abbas Bonæuallis de eo opere. 10 Quid sanctus Thomas.

CAPVT VI.

1. SEdato schismate, atque Duce, & sectatiis reconciliatis, & Episcopis restitutis suis Ecclesiis, Legatus Carnothum, Bernardus Claramvallem profecti sunt: vterque a suis gratanter suscipiendus. Sed quem schismatici exitum habuerint, non abs re erit præsentibus annectere. Maxime cùm auctores graues adstruant, quæcunque passi, in Bernardum referenda, diuinam eis vltionem imprecantem, ni resipiscerent, quod Cardinalis [a] Baronius adnotauit. Certè prædictam ab eo Dei vindictam compertum est, tum in epistola ad Ducem, de qua statim, tum in alia ad Aquitaniæ Episcopos, in qua inter alia, [b] *Cognoscetur profectò Dominus iudicia faciens, qui nunc inimicorum patiens ignoratur.* Ita Bernardus. Quo autem ordine eadem Dei vindicta sequuta fuerit, & qualiter Guillelmo pronunciata, qui ei clarius, prius quàm ad alia transeamus, libet perstringere.

a hoc ann.

b epist. 126.

2. Gulielmi Ducis mutatio quantumuis ingens, discedente Bernardo primo nutans, mox recidiuum passa (tanta est vis admissæ consuetudinis, tanta labilitas humanæ voluntatis) patuit in cursibus Gerardi Engolismensis, qui timidiùs licèt, detentiusque, tamen semel in malum obduratus, Ducem peruertere nequaquam desistebat. Ergo quod non audebat in Episcopos, ausus in Clericos, quasi sola variatio personarum pro correctione foret, teneram adhuc virtutem labefactauit. Causæ in occulto, effectus nimium noti: pulsos propria Ecclesia, & tota vrbe, Pictauium vidit, & doluit, non sine scandalo ingenti totius Galliæ. Id vt Bernardo innotuit fortè in itinere, & necdum adhuc appulso Claramvallem, haud ignarus auctoris nouæ perfidiæ, talem ad Ducem epistolam scripsit.

In eo animo, & in ea voluntate memini me discessisse à te, Princeps eximie, vt totis affectibus bene tibi, tuisque cuperem, totis nixibus salutem vestram, & honorem vestrum, vbicunque possem, iuuarem, eo quòd non redirem fraudatus fructu aduentus mei ad vos, sed lætus præter spem multorum reportarem mecum pacem Ecclesiæ, cum exultatione vniuersa terra. Miror autem quo, 3. c epist. 128.

euinsve consilio mira illa mutatio dexteræ Excelsi, tam subitò in deterius est mutata, vt rursum ad iniuriam Ecclesiæ Clericos sancti Hilarij de ciuitate expelleres, & iram Dei in te grauius quàm primum excitares. [d] *Quis te fascinauit tam citò recedere à via veritatis, & salutis? Profectò iudicium portabit, quicumque est ille. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Reuertere, quæso, reuertere, ne & tu (quod absit) abscindaris. Reuertere, inquam, & reuera amicos tuos ad pacem, & Clericos ad Ecclesiam, antequam irrecuperabiliter reddas tibi aduersum terribilem, & eum, qui aufert spiritum Principum, terribilem apud Reges terræ.* Hæc Bernardus ad Ducem deputans morti quoscumque ipsius pertinaciæ peruersores.

d Galat. 3.

4. Verùm quam mortem, quæ iudicia tulerior, horrendom sanè, sed in eo non silendum ex Bernardo Bonævallis accipiat lector. [e] *Paco itaque omni Aquitaniæ Ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseuerat in malis: sed non multo post adueniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est. Et cùm dicat Scriptura:* [f] *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico, vt roget quis: impœnitens, & subitò mortuus, sine confessione, sine viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cuius minister vsque in finem extiterat. Corpus eius à nepotibus suis, quos in Ecclesia illa honoribus sublimauerat, inuentum in lectulo suo exanime, & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est; sed postea a Gaufrido Carnotensi Episcopo, sedis Apostolicæ Legato inde extractum est, alioque proiectum. Nepotes quoque eius ab eadem Ecclesia postea eliminati sunt, & omnis progenies, & plantatio à radice auulsa per extera regna, tanti iudicij circumferens querimonias, exulauit.* Hæc de morte Gerardi condigna vitæ.

e lib 2. c. 6.

f 1. Ioan. c. 5.

5. Non tamen alios minor vltio sequuta est. Nam & Ranulphus Dorateosis Abbas, atque intrusus Ecclesiæ Lemouicensi, atroci nimium exitu expiauit. *Intruserunt* (dixerat idem auctor) *Ranulphum quemdam Doratensem Abbatem, quem non multò post vltio diuina sequuta est. Quia cadens resupinus de equo in via plana, vno tantùm lapide vltore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixo capiti eius, & quassato cerebro, expirauit.* De Petro Pictauiensi iotruso ignotum nobis, & credibile occubuisse sicut cæteros. Illud compertom, deounciantem illius Synodum. *Coram ipsis, quos ad conuentum perfidia conuocabat, à Domino arreptum. Sed & in alios, qui in eadem schismate feruentiores extiterant, diuinam horribiliter exarsisse vltionem.* Hæc ex Bernardo auctore illius temporis, cui consonat [g] Vincentius Beluacensis, & quotquot scripsere res Innocentij. Hic exitus schismaticos abripuit: hæc ita imprecationem Bernardi sequuta est, Guillelmo Duce segregato à Deo in opus, ad quod electus. Sic ad Bernardi nutum sequuta omnia, quasi qui clauem haberet mortis, & vitæ. Sed nos ab his ad alia transeamus.

g lib 1. vit. S. Bern.

6. [h] *Tanto igitur malo obruto (pergit Bonæuallis Abbas) & schismate Gerardi redacto in cineres, vir Dei cum gaudio magno Claramuallem reuertitur. Adsunt fratres circumfusi pedibus eius, gratias agunt Deo, qui bonis initiis feliciores prouentus accumulat, & serui sui humilitatem vbique glorificat, & exaltat.* Hæc de Bernardo tandem filiis reddito. At qualiter reddendus etiam sibi, ac soli Deo, si posset, vacaturus, non multo pòst à conuentu fratrum secesserit, & sermones in Cantica, qui inter opera ipsius circumferuntur, digni per omnia qui Bernardum auctorem habeant, ceperit meditari, dictareque, idem qui suprà auctor ita prosequitur.

h lib. 2. c. 5. in fine.

7. *Nullus verò vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupauit, & secedens in casulam pisaciis torquibus circumtextam, solus meditationibus diuinis vacare disponit.* Per hanc quietem, per hoc otium sibi concessum sermones in Cantica Canticorum exorsus est: idque ad instantiam Bernardi de Portis Carthusiani, viri sanctissimi, atque inter paucos dilecti Bernardu Patri. Habemus id ex vita sancti Stephani Diensis, non molto pòst scripta syncera fide. [i] *Inter cæteros* (inquit auctor loquens de beato Stephano) *didicit ibi*, idest, in Portana, Carthusia, *duos fuisse Athletas fortissimos, eosque eius loci Priores, siue præfectos, qui de Goliat illustrissimus acti victoriis, sempiternæ felicitatis amplissima præmia reportassent. Ex his autem Bernardus fuit, cuius hortatu sanctus Bernardus Abbas Clareuallensis exposuit Cantica Canticorum, quique post obitum in ea Carthusia sepultus, multis claruit miraculis.* Hæc ille. Exposuetat sanè idem Canticum ad Guillelmum Abbatem, vt suprà vidimus: sed raptim, & quasi lineamenta tunc tendens istius operis.

i Cap. 3.

8. Certè priores sermones mox ac dictatos, à Bernardo ad Bernardum transmissos, antequam ederentur, liquidò constar, eodem Sancto id ipsum confirmante duplici epistola. In quarum prima his verbis ipsum alloquitur. [k] *Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis recèns dictatos, en facio transcribi, & tibi, cùm necdum ediderim, quantocius mitto. In quo opere, cùm accepero tempus (Christo imperante curis) tentabo procedere, si tamen me inde confortes.* [l] In sequenti verò. *Sermones super principia Canticorum, quos tu petisti, & ego promiseram, transmitto tibi. Quibus lectis, peto, vt quàm citiùs opportunè poteris, tuo rescripto monear, vel ad procedendum, vel ad supersedendum.* Ita Bernardus petitionem viri confirmans, quamuis si epistolis tantùm standum foret, ad sermones iam scriptos ex alia causa, non ad ipsam eorum scriptionem posset referri.

k epist. 153.

l epist. 154.

9. At inceptos scribi per hanc quietem, idem qui suprà Bonæuallis Abbas affirmat, sic enim pergit. [m] *Et repentè occurrunt ei* (scilicet Bernardo) *in diuersorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria carmina, & spiritualium fercula nuptiarum. Considerat, & expauescit, quod ille speciosus forma præ filiis hominum, in quem etiam Angeli prospicere desiderant, fuscam adamauerit sponsam, & decoloratam à sole, tanto extollat præconio, vt dicat eam totam formosam,* [n] *nec vllam in ea maculam esse. Ipsam quoque sponsam dilectione languere miratur, & inquirit diligenter, quæ sit illa charitas, cuius* [o] *oscula dulciora sunt vino, ad quarum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat*, &c. Diffusus namque satis ista prosequitur, & penè à Bernardo dulcedine mutuata, vt non multum differre videatur narratio, ab ipsa quæ narratur sancti Scriptura.

m Cap. 6.

n Cant. 4.

o Cant. 1.

10. Hoc illud opus Bernardi Patris est, quòd cùm aliorum negotiis impeditus, si tamen aliena ab ipso, quæ charitatis, & tandem morte præuentus non perfecisset: vel magnus ille totius Ecclesiæ sol, doctrina pariter, & puritate vitæ, Angelus, atque Angelicus Doctor Diuus Thomas recusauit perficere: quasi diffidens à se posse adæquari Sancti dulcedinem. Vnde & rogatus à Fossæ nouæ fratribus, vbi & extremum Deo spiritum reddidit, respondisse fertur. *Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam opera Bernardi.* Sed de his aliàs, & latiùs suo loco. Interim constat, opus tantum esse, cui se imparem vel Thomas iudicauerit.

1. Ailredus educatus in aula, 2. & Regi Dauid charus, 3. præfectus cibis, diuinis vocationibus præuentus, 5. sed retardatus à sua felicitate, 6. tandem consentit, atque Monachum induit in Rieualle, 7. virtute ibidem, sapientiaque proficiens, 8. tum libri de amicitia lecti, scriptique: 9. & quales amicitias Monachus coluit.

CAPVT VII.

1. IN Anglia Ailredus nobis dicendus venit, circa hunc annum a sæculo conuersus, ingenti vtriusque regni, gentisque, Anglorum scilicet, & Scotorum admiratione, quippe ex prima vtrorumque nobilitate, atque inter primos aulæ Dauid Regis vrbanitate, facetiis, largitate, & si quæ alia conciliant animos hominum, etiam primus, relicta curia, & qua nimium mortales plerumque trahimur, mundana gloria, Monachum in Rieualle professus est, sub sancti Patris Guillelmi disciplina. Eius vitam ad longum scriptam, ex Belgio transmittendam, expectamus, sed nondum vidimus. Interim pauca ex diuersis, quædam excepta ex ipso, vtraque sanè breuius, quàm vellemus, de tanto Patre lectore nostro haurienda propinabimus. Et quidem Ioscelinus in vita sancti VValeni de eo ita.
a lib. 1. c. 22. [a] *Erat vir ille* (scilicet Ailredus) *ex veteri Anglorum illustri stirpe progenitus, & post scholas præproperè relictas a iuuentute in curia, Regis Dauid, vna cum Henrico filio Regis, & VValeno nutritus & educatus.* Et post pauca. *Erat præterea vir ille optimè morigeratus, & sapientia sæculi præditus, facetus, facundus, socialis, & iocundus, liberalis, & discretus,* &c. Hæc Ioscelinus Ailredo paulo inferior: quem etiam vocat VValeni coalumnum in aula Regis, ac illi familiarem, & amicissimum.

2. Quod illi munus iniunctum in aula fuerit, hactenus ignoratum: puto tamen præfectum cibis regiis, quippe excusanti inscitiam post monachatum, quòd *de coquinis in eremum venisset, non de scholis.* Contrà Geruasius (seu quis alius fuit) *puto* (inquit) *quòd quodam præsagio futurorum, de coquinis sis translatus ad eremum, cui fortè ad horam in Regis domo carnalium ciborum fuit credita dispensatio, vt aliquando in domo Regis nostri spiritualibus spiritualia comparares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres.* Crediderim maiorem domus Regiæ, cui victualium cura semper incumbit.

3. Ex quibus videas, quàm turpiter errauerit, grauis aliàs, & eruditus auctor, Ioannes Pitseus, [b] qui virum religione iam probatum, ex sola fama notum
b de scrip. Ang. ata. 12. Dauid Regi, nihilominus, ab eo vocatum tradit, donandum in Scotia Pontificatu, quem tamen humilis ipse recusauerit. Vocauit quidem, & obtulit Ecclesiam, vel maiora, si haberet, oblaturus: sed ab infantia noto, charoque, quippe educato in eius curia, & aula, præfecto domus, atque filij & priuigni coalumno. Verum est tamen, quòd processu temporis, crescente fama doctrinæ, & sanctitatis, eo habuit chariorem, quò clariorem. Sed de his infrà dicendum cùm tempus venerit: nunc conuersionem viri prosequamur.

4. Ailredum prosperè in aula conuersantem illecebræ, amicitiæ, (eamque his supra modum delectabatur) fauor Principis, & gloria detinebant. Cæterum retardatum his compedibus stimulabant internæ vocationes, quibus tandem succubuit, vt par fuit. De sua conuersione sic ipse loquitur.
c lib. 1. spec. c. 28. [c] *Quæsiui in his* (idest, in felicitate temporali) *requiem infelici animæ meæ, sed vbique labor, & gemitus, dolor, & afflictio spiritus. Clamasti, Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti surditatem meam: percussisti, verberasti, vicisti duritiam meam: obdulcuisti, sapuisti, prodidisti amaritudinem meam. Audiui, sed heu serò, clamantem, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego: Operi* (inquam) *manum tuarum porriges dexteram.* d Matth. 11. *Iacebam enim pollutus, & obuolutus, ligatus, & captiuatus, irretitus visco tenacis iniquitatis, oppressus mole inueteratæ consuetudinis. Itaque intendi me ipsum quid essem, vbi essem, qualis essem. Exhorrui Domine, & expaui propriam effigiem meam, terruit me terra imago infelicis animæ meæ. Displicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere à me, & fugere ad te, sed retinebar in me. Retinebant me, vt ait quidam, nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiqua amicitia mea, vinculabat me catena pessimæ consuetudinis meæ, vincebat amor sanguinis mei, stringebant vincula socialis gratiæ, maximè nodus cuiusdam amicitiæ, dulcis mihi super omnes dulcedines illius vitæ meæ.*

5. *Sapiebant ista, placebant ista, sed tua magis. Attendens enim singula ista, vidi amaris dulcia, lætis tristia, aduersa prosperis esse permixta. Placebat amicitiæ grata connexio, sed semper timebatur offensio, & certa erat futura quandoque diuisio. Consideraui iocunditatum illarum initia, attendi processus, finem prospexi. Vidi nec initia reprehensione, nec media offensione, nec finem carere posse damnatione. Mors suspecta terrebat, quia talem animam post mortem certa pœna manebat. Et dicebant homines attendentes quædam circa me, sed nescientes, quid ageretur in me. O quàm bene est illi! O quàm bene est illi! Ignorabant enim, quia ibi mihi male erat, vbi solum poteras bene esse. Valde enim intus erat plaga mea, crucians, terrens, & intolerabili fœtore omnia interiora mea corrumpens, & nisi citò admouisses manum, non tolerans me ipsum, fortè pessimum desperationis remedium adhibuissem. Cœpi ergo coniicere, quantum inexpertus, potui imo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione iucunditas, quanta cum iucunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate securitas.* Hactenus Sanctus de sua conuersione.

6. Tandem consentiens diuinis vocationibus Monachum induit in Cœnobio Rieuallis, ætatis suæ anno vigesimo quarto, plus minusve, cùm iam aliquot in curia peregisset, quippe obiisse fertur partu Virginis anno M. C X L I V. ætatis suæ quinquagesimo septimo, adeoque natus M. C I X. a quo ad præsentem M. C X X X V. viginti additis quatuor, numerantur, vt non immeritò Ioscelinus asserat præproperè auulsum ab scholis. nempe si ex X X I V. eos demas, quos curiæ dedit, paucos relinquas, & serioribus studiis omnino impares. Quo magis mirum, in Claustris Rieuallis ingentem Doctorem euasisse, vt inter Sanctos ex operibus virtutum, atque miraculis, sic scriptorum qualitate, numeroque, inter Ecclesiæ Patres annumerandum: Bernardo subæqualem, aut certè similem. quod aut ingenij acumen arguit vltra consuetum, vt Ioscelinus notat, aut aliquid sapientiæ infusæ præfert, in qua item Bernardo subpar fuit.

7. Porrò Ailredi initia in Rieualle, progressusque Ioannes Capgrauius describit in hunc modum. *Crescente cum annis pietate, & sapientia, factus est Ordinis Cisterciensis Monachus, in quo solitario vitæ*

genere

genere rerum cælestium contemplationi, ita se dedit, vt inter omnes suos, tanquam luna inter stellas minores emineret. Nec tamen interea sacrarum litterarum studium neglexit, nec aliarum scientiarum cognitionem amisit. Hæc de Ailredo antequam in Abbatem promoueretur, sed vnctione magistra magis docto, quàm ab hominibus, certè si ab aliquo, a Guillelmo Patre hausit, per quæ immediatè, nec indignè illi succederet.

8. Amicitiarum à pueritia cultor, atque æquè gestiens amare, amarique, quod ipse de se scribit, in prologo ad libros *de amicitia. Cum adhuc puer essem in scholis, & sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores & vitia, quibus ætas illa periclitari solet, tota se mea mens dedit affectui, & deuouit amori: ita vt mihi nihil dulcius, nihil iucundius, nihil vtilius, quàm amari, & amare videretur.* Hunc, inquam, animo in sæculo sortitus, non cohibuit in Claustris, sed commutauit, quippe pro libris Ciceronis *de amicitia*, quorum se legibus in sæculo adstrinxerat, alios ipse composuit sacratiores, Euangelicæ amicitiæ tradentes regulas, de quibus agendum suo tempore. Sed has easdem, quas prouectus addidit, vel tyro exercuit, socios nactus amicitia sua dignos, sed citò raptos, de quibus hæc in eisdem libris scripta reliquit.

[e] *Recordor nunc duorum amicorum, qui licèt exempti præsentibus, mihi tamen viuunt, semperque viuent,* 9. e lib. ante fin.
quorum primum in initiis meæ conuersionis, quadam mihi morum similitudine, & studiorum paritate comparaueram, cum adhuc essem adolescens, (hunc beatum Simonem credo, de quo statim) alterum ab ipso ferè pueritiæ suæ tempore, à me electum, & multifariè, multisque modis probatum, cum iam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere oppressus, nulla rerum temporalium solicitudine distentus, claustralium deliciarum, & spiritualium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium, consortemque delegeram: nihil exigens, nihil præstans, præter affectum, & ipsius affectus, prout charitas dictabat, indicium. Istum iam iuuenem, in meæ solicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadiutorem. Hactenus ex scriptis viri sancti, ex quibus plura in sequentibus dicemus. Nunc de altero amico pauca quædam, præcipuè ipsius stupendam conuersionem (nam sic ipse vocauit,) quia hoc tẽpus concernunt, nec minus faciunt ad Cistercij historiam, & Rievallis pauca nobis seorsim dicenda erunt.

1. Simonis iuuenis admirabilis conuersio, 2. perpensa ab Ailredo, 3. qui & eumdem in amicum sibi elegit, 4. seueritas, & zelus viri sancti, 5. Hugonis Prioris cum Simone mutua charitas, 6. atque item vtriusque cum Ailredo, 7. compendium speculi, & speculum eiusdem, 8. initia Ordinis Sempringhamensis, 9. Bernardi Patris consilio, auspicijsque. 10. Incrementa, & obitus Gileberti institutoris, 11. & quædam alia notanda de re, & de tempore.

CAPVT VIII.

1. EIsdem temporibus, quibus Ailredus conuersus legitur, adolescens florebat Simon in Rievalle, genere nobilis, forma conspicuus, ætate iuuenis, spiritu feruens, & de quo idem Ailredus ita
a lib. 1 specul. 34. scribit. [a] *Verè stupenda conuersio eius! Quis enim non obstupeat, quis non miretur, puerum tenerum, & delicatum, clarum genere, forma conspicuum, talem arripuisse viam, & sic arripuisse?* sic, inquam, peditem, sine duce, sine comite, sine viatico, sine vllis victualibus, vt priusquam perueniret ad Rievallem,
b ibidem herbis pro cibo vesci, opus habuerit. [b] *Denique subditis iter laboriosum satis, sine viatico arripiens, deficientibus iam iamque præ inedia membris, audiui* (inquit) *seruos Christi herbis pasci. Quare non & nos? diuertensque paulum ab itinere cœpit carpere. O* (inquit) *quam dulce!* Ita Ailredus, qui rem altiùs perpendens, in hæc verba prorumpit mellita & ignea.

2. [c] *Recessisti mi dulcis frater, scienter nesciens, & sa-*
c ibid. paulo post. *pienter indoctus, qui instar primi* [d] *illius Patriarchæ egressus de terra tua, & de cognatione tua, & de domo*
d Genes. 12. *Patris tui, ibas, qua ignorabas, veniebas quò nesciebas.* Et infra. *Præcessit puerum suum puer Iesus, ostendens ei præsepium paupertatis suæ, reclinatorium humilitatis suæ, cubiculum charitatis suæ, refertum floribus gratiæ suæ, pinguescens melle dulcedinis suæ, respersum balsamo consolationis suæ, & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Nescio quid magnum, quid ineffabile iam tunc mens illa prægustauerat, quæ corpusculo famæ deficienti, quasi immerito lacessenti, foeni pabulum credidit ministrandum, fugiebat prius puer a facie Patris sui, sed magis ad faciem Patris sui. Voluit quidem obliuisci popu-*
e Psalm. 44 *lum suum, & domum Patris sui,* [e] *vt concupisceret Rex Regis filius decorem suum, & essent duo in spiritu vno, quatenus fieret Pater per gratiam, qui illius est per naturam. O mira deuotio! O mira sui ipsius obliuio!*
f Genes. 39. *Parum fuit æmulatori venerabilis* [f] *Patriarchæ Ioseph relicto mulieri Ægyptiæ palliolo, quo tenebatur adstrictus, nudum è manibus amplectentis elabi, sed insuper Euangelicæ perfectionis strenuus exequutor de crastino non cogitabat.*

3. Hunc iuuenem sibi, ætate quidem filium, sed sanctitate Patrem, Ailredus in amicum cooptauit, vt ipse scribit. [g] *Omnia hæc*, inquit, *mibi vnus Si-* g lib. 1. spec.
mon fuit: filius ætate, Pater sanctitate, amicus charitate. cap. in vltim.
Porrò quam fuerit illi fructuosa eiusdem amicitia, multis ostendit, dum funus eius deflet in hæc verba. [h] *Et poteram quidem, Domine, lento licet pede, cùm* h ibidem
oculis his obiiceretur pia eius conuersatio, cum superbiam meam retunderet eius conspecta humilitas, cum inquietudinem meam reprimeret considerata tranquillitas eius, cum leuitas mea constringeretur fræno miræ grauitatis eius. Memini me sæpe, cùm oculis huc, illucque discurrerem, ad vnum eius aspectum, tanto pudore perfusum, vt subitò intra me metipsum receptus, manu grauitatis omnem illam compescerem leuitatem, ac me ad me colligens, inciperem mecum aliquid vtile actitare. Simul quidem loqui Ordinis nostri prohibebat auctoritas, sed loquebatur mihi aspectus eius, loquebatur mihi incessus eius, loquebatur mihi ipsum silentium eius. Aspectus pudicus, maturus incessus, grauitas in sermone, silentium sine amaritudine. Hactenus Ailredus de sancto viro.

Nec puto alium fuisse, de quo alibi. [i] *hodie quo-* 4.
que non nihil laboraui: cùm enim paulo antè incautiùs i lib. 1. c. 29.
mihi verbum exilisset, it aillud amicissimus quidam meus molestè accepit, vt etiam offensionem suam vultu proderet, & prostratum me ad pedes eius, paulo tardius erigeret. Nec plane adhuc exsudauit animus meus mœrorem illum, Domine tu scis, non ideo, quia ego tardè erectus, sed quia ille offensus, & ego incauto sermone præuentus. Et fortè ob familiaritatem singularem, qua ei magis nudè loqui consueui, hic mihi faciliùs sermo subrepsit,

subrepsit, secundum id quod dicitur vulgo, Priuatus dominus stultum mancipium facit. Et pro nunc de Simone dicta sufficiant, de quo plura in sequentibus dicemus.

5. Hoc ipso tempore in eodem Monasterio florebat Hugo, atque Prioris officio ministrabat, cuius vel inde conicio sanctitatem, quòd Simoni, & Ailredo charus fuit. Certè Simoni primum inter amicos, Ailredus testatur in hæc

k ubi suprà. verba. [k] *Dilexi te* (Simonem nimirum) *qui me ab ipso initio conuersionis meæ in amicitiam suscepisti, qui te mihi præ cæteris familiarem exhibuisti, qui in ipsius visceribus animæ tuæ, tuo me Hugoni associasti. Tanta enim tibi erat circa vtrosque dilectio, tam similis affectio, tam vna deuotio, vt sicut mihi videtur ex verbis tuis collegisse, neutrum alteri tuus præferret affectus, quamuis eius sanctitatem mihi omnino præferendam, certa ratio iudicaret.* Hactenus ibi.

6. Cæterùm hunc eumdem Hugonem Rieuallis Priorem fuisse per hoc tempus, nec minus charum Ailredo, quam Simoni, aliud eius scriptum manifestat. In prologo enim ad speculum charitatis hæc habet verba, prætendens se compendium illius operis, frustratim licet cum eodem communicasse. *Sanè* (ait) *ante præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam vero quasi mecum, imo magis quam mecum, quia illa vnanimi meo reuerendissimo Priori Hugoni, qui plus mecum, quàm ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram.* Epistolarum, inquam, non quia ad absentem, sed quia vsu receptum illis temporibus epistolas, vt dialogos confingere, per quas velut quæsitis respondendo, & latiùs serperent, & altiùs penetrarent, quæ dicerentur.

7. Hinc obiter colligo, compendium sui speculi septem, & quinquaginta capita continens sub his initiis scriptum ab Ailredo: ex quo postea diuiso, vt ipse ait, & pro tempore aucto totum speculum in tres libros digestum coaluerit. Quod idem etiam tradit in eius prologo. *Ex quibus,* inquit (scilicet epistolis) *interim præsenti materiam sumens, sed & ipsa eadem, vt congruere videbatur inserens, tribus incisionibus totum distinxi.* Sic Ailredus de illo eximio opere. Cæterùm an hic idem Hugo fuerit iam in Abbatem promotus alterius domus, cuius epistola operi præfixa publicationem eius illi iniungit, an verò alius? dubium nobis adhuc. Alium putat Pitseus, nominatque, nempe Geruasium Abbatem Parchorensem. Nec auctori Anglo diffidendum de rebus Anglicis, quamuis nobis non constet, vnde hauserit. Sed de his satis. Nunc priusquam ab Anglia discedamus, nouus Ordo in Ecclesia Bernardi auspiciis ortus dicendus erit.

8. Per idem tempus consiliis Bernardi Patris, quem consultum adiuit ipse, qui condidit, fundatur Ordo Sempringhamensis in Anglia, auctore Gilberto de Sempringham, viro sanctissimo, & quem virginibus maximè instruendis spiritum cœlestem accepisse, ipse etiam profectus comprobauit. De his Guillelmus Neubricensis antiquus auctor venerabilem senem assequutus, nec multo post felicem illius obi-

l lib. 1. c. 16. tum, monumentum reliquit in hæc verba. [l] *Nec silentio prætereundus est venerabilis Gilebertus, vir plane mirabilis, & in custodia fœminarum gratiæ singularis, a quo etiam Ordo Semprimphamensis sumpsit exordium, & cum celeri prouectu, celerem statum. Hic ab annis, vt dicitur, adolescentiæ, propria nequaquam salute contentus, sed lucrandarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensius cœpit æmulari Dei æmulatione, pro ausu sumpto, & propriæ castitatis conscientia, & gratia superna fiducia.*

Cumque cœptis eius fauor videretur arridere diuinus, veritus ne forè in vacuum curreret, aut cucurrisset, si erumpentem zelum moderatrix scientia non condiret, præsertim si minus adhuc a maioribus institutus tam arduam solicitudinem arripuisset: virum sapientiæ, & sanctitatis titulis clarum, venerabilem scilicet Abbatem Claræuallensem sanctum Bernardum, adeundum putauit, cuius venerandis consiliis confirmatus, atque in suo proposito roboratus, tanto feruentiùs, quanto confidentiùs, piis cœptis insistere non cessauit. Prosperatusque est in his, quæ gerebat, & sicut de nobili Patriarcha dicitur, [m] *ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est, tam in multitudine copiosa, ad omnipotentis Dei seruitium aggregata, quam in adiectione rerum corporalium, ad necessaria subsidia corporum, iuxta illud Dominicum:* [n] *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* 9. m Genes. 49. n Matth. 6.

Denique seruorum Dei duo, & ancillarum Dei octo non ignobilia construxit Monasteria, quæ numerosis repleuit collegiis, & iuxta datam sibi sapientiam regularibus ornauit institutis. circa Dei seruos instituendos satis idoneus, sed abundauit indulta ei diuinitus gratia in solicitudine fœminarum, quippe in hac parte, meo iudicio, palmam tenet inter omnes, quos instituendis, regendisque fœminis religiosam operam impendisse cognouimus. Et quidem ante annos aliquot spiritualibus lucris onustus, iamque decrepitus, cœlestis sponsi paranymphus migrauit ad Dominum. Porro filiorum, & filiarum eius numerositas permanet, potensque est in terra nostra semen eius, & generatio eius benedicitur in sæculum. Hæc Guillelmus de Ordine Monastico sancti Doctoris auspiciis instituto, quem adeò Cistereiensem multi appellant, [o] non quia sub Cistercio fuerit, sed quia creuerit sub vmbra Cistereiensium, & sese eis in multis conformauerit. 10. o Mir. ... Me a... lib. ... cap. 4

11. Sunt quibus [p] placeat dilatum vltra decennium, nempe ad annum M. CXLVIII. Eugenio tertio Ecclesiæ præsidente, cuius etiam auctoritate factum sit, vt Monasteria duplicia, idest, virorum simul, & mulierum, contra Iustiniani Imperatoris constitutiones, ab eodem Gileberto construerentur. Sed Guillelmus Gileberto coæuus, vt supra vidimus præsentem annum signat, & Monasteria virorum à fœminis distinguit satis expresse. Verum est tamen, quòd ex ipsis viris, Monachi, & Conuersi, qui spiritualia, & temporalia fœminis ministrarent, prouidebantur, quod hodie etiam in vsu cunctis Ordinibus. Gileberti vitam ad compendium redegit Nicolaus Arspheldius in sua Angliæ historia, ex qua, Henriquez [q] transcripsit totidem verbis: sed de his satis ... propagines Cistercij per varia loca, quanto breuius poterimus, scribamus. p auctor de ... & Henriquez fol. 42. q ... Fasciculo dist. ... c. 64.

l. Chrono

1. Chronologia, & quæ inde demenda domus. 2. Acta quadam ad notitiam Busaij, & Claræuallis. 3. Gratia Dei primordia, 4. & Altacumba 5. Forda in Anglia Cœnobium. 6. Straforda, & Bellaaqua. 7. Quid Fossa noua, insigne Monasterium? 8. Amelongesborna, & Pratum Belluacense.

CAPVT IX.

1. SExdecim natas hoc anno Ecclesias lego, aut saltim sexdecim recenset Chronologia, sequenti ordine.

Anno M. CXXXV. octauo Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia de Thelalausan.

Eodem anno, & die, Abbatia Gratiæ Dei, in Pictauia.

Eodem anno, ... Abbatia de Longo villari.

Eodem anno, quinto Nonas Maij, fundata est Abbatia de Forda.

Eodem anno, decimooctauo Kalendas Iuly, Abbatia de Altacumba.

Eodem anno, decimo septimo Kalendas Iulij, Abbatia de Busaio.

Eodem anno, octauo Kalendas Augusti, Abbatia de Strafordia.

Eodem anno, & die Abbatia de Staforda.

Eodem anno, sexto Idus Augusti, Abbatia de Bildenas.

Eodem anno, quinto Kalendas Septembris, Abbatia Bellaaqua.

Eodem anno, Kalendas Octobris, Abbatia de Fontanis.

Eodem anno, mense Octobris, Abbatia Fossa noua.

Eodem anno, decimo secundo Kalendas Decembris, Abbatia de Amelosaborna.

Eodem anno, tertio Kalendas Decembris, Abbatia de Prato.

Eodem anno, vndecimo Kalendas Februarij, Abbatia Claræuallis Mediolanensis.

Eodem anno, Idus Februarij, Abbatia de Eberbach.

Hactenus ibi. Porrò ex his tres, quia filiæ Sabigniaci, in proprium locum cum aliis reseruandæ. Longum villare, Staforda, & Bildeuasium, Thelalausan, & Fontanis omittendæ, quia parum notæ; nisi quòd tamen Abbatiam de Thela, diœcesis Lausanensis, notatam video in litteris Nicolai Papæ IV. datis Romæ apud S. Mariam Maiorem, Kal. Martij, Pontif. eius anno 2. Eberbachum seorsim pertractanda. Reliquas decem hîc breuiter notabo.

2. Et quidem quatuor Claravalla genitæ, Gratia Dei, Altacumba, & duæ aliæ, quas suprà memorauimus, Busaium, Nannetense, & Claravallis Mediolanensis, illa tenuis prouentus, si taxas consulas, hæc pinguis: illa nimirum sex, & sexaginta, hæc duo millia florenorum Cameræ soluit. Memoratur tamen Busaium in litteris Gregorij Papæ noni, atque Innocentij quarti, quæ suis locis venient referendæ. Robertus Claudius Buzeium etiam nominat, sed fundationem ipsius ad annum differri, quod tamen vix videtur stare posse. Ast Claravallis Cœnobium opulentum inter prima totius Liguriæ connumeratur. Ædificia æquè ampla, pulchraque, & quod mireris, duplicia contra consuetum, seu datum id multitudini habitantium, seu variationi temporis, atque frigoris, æstusque vicissitudini. Duæ quieti, duæ refectioni: (Dormitoria, & Refectoria volgo appellāt) totidem correctioni culparum officinæ, seu domus, quas Capitula dicunt, conspiciuntur. Ecclesiæ imminet turris alta, & elegans, quatuor nixa columnis, quæ transuersam erecta nauim diuidunt, qua parte in modum eruris obuersantur, ostentui ea simul, auditui que, ictibus cymbalorum latè sonantiū, præstantia æris, & molis magnitudine. Intus illustrant fanum Mausolea Ducum Mediolanensium, eleganti, & magnifica structura. Nec inferiores prouentus ædificiis, quod vltra taxam superiùs commemoratam, hodierni etiam sumptus persuadent, quippe Cœnobio, vel Commendæ subiacenti, nihilominus numerosus conuentus inest, in quo Nouitij Lombardici educantur, graui, vt audiuimus, & neruosa disciplina. Hæc de profana, vt ita dicam, gloria Cœnobij Claræuallis ad Mediolanum: nam sanctitatem, doctrinam, virosque, & sobolem non parum dilatatam, ac si quæ alia collegium illud exornant, Annales ipsi dabunt suis temporibus.

Gratiæ Dei duo extant Monasteria, vtrumque in Gallia, atque vtrumque Cisterciense, si Claudio ª credimus, alterum in Bisuntinensi diœcesi si- 3.
tum, in Xantonensi hoc, quod memoramus. Eius coloniam ante se sanctus Bernardus præmiserat, aduentus sui incertus in Aquitaniam: & fortassis inuisit, dum illuc fuit. Domus sanè exigua, si taxam penses, quippe octoginta florenis valorata, aliàs non contemnendæ auctoritatis, & quæ viros illustres Cistercio, & orbi dederit. Extant litteræ Innocentij Papæ tertij, ad ipsius Abbatem, ac Turonensem, Engolismensemque Pontifices: atque item aliæ ad eundem cum Xantonensi. Quin & Gregorij noni, aliorumque, quas suis temporibus infrà referemus.

ª in sua Gal.

4. Sequitur Altacumba Geneuensis, in quam Godefridus coloniam hoc 2000 misit, dum sanctus Pater Aquitaniam reconciliabat. Fundatorem habuit Humbertum Sabaudiæ Ducem: redditus pro tanti fundatoris munificentia, quippe quorum medietas taxatur tribus & triginta florenis supra quingentos, priùs tamen subiacuit paupertati, quod suis locis inferiùs adnotabimus. Historiam domus scripsisse fertur Alfonsus Daluenius, Altacumbanus olim Abbas, mox ex Abbate Episcopus Albiensis; sed quam hactenus nancisci non potuimus. Ioannes Picardus de Altacumba loquens hæc habet. ᵇ *Papyrius Masonius amicè commonuit, Altacumba Monasterium etiam nunc videri exornatum Mausoleis Sabaudiorum Ducum, ad Burgetum lacum, quem maiores dixere Castellionem, Rodano proximum.* Porrò hunc lacum ad radium Montis Catti, latitudinis duo, longitudinis octo millia passuum patere, Claudius Robertus obiter adnotauit. Primus Altæcumbæ Abbas Biuianus fuit, vir maturus ætate, & religione; quem paulo pòst ob negotia sui Cœnobij à Barbaris vicinis infestati, pergentem Romam, Bernardus Haimerico, Cancellario egregiè commendauit: imò & per Haimericum, posteritati. ᶜ *Volo (ait) & precor, vt harum lator venerabilis Altacumba Abbas Biuianus, mihi ob suam religiositatem admodum familiaris amicus, amicos vos pro Dei amore, & nostro, in suo negotio experiatur.* Hæc Bernardus de primo illo Abbate. Cæterùm de illius successore Amedeo (Castro Costa sunt, qui appellant, ad differentiam Patris) Amedei Al-

ᵇ in not. ad epist. Bern. 54.

ᶜ epist. 54.

tæ ripæ filio, & Altæcumbæ incrementis sub eius cura, anno M. CXXXIX. quo credimus præfe-ctum, referemus. In litteris Gregorij Papæ noni legitur Altæcumbæ Abbas, Legatus ad Ludouicum Francorum Regem verbis, quæ eximiè commendant prudentiam viri. Sed præter alios domum illustrauit beatus Henricus, ex illius Abbate, in Claramvallem; inde in Cardinalem Albanensem Episcopum promotus, Cistercij, imò & totius Ecclesiæ iubar, multis, & claris legationibus insignis, qui suo loco veniet commemorandus. Quod autem scribit Brito Lusitanus, Humbertum Comitem post peractam probationem in Monasterio Alpium, à quo tamen ab Ordinibus Sabaudiæ auulsus est, in Altacumba emisisse solemnia vota antequam moreretur, cùm priùs filium Thomam suscepisset, cui Sabaudiam relinqueret, vt apocryphum censeo prætereúndum: quippe tot aliis mendis coniúctum est, vt meritò suspectum haberi possit. Sed neque tempus, & aliæ circunstantiæ satis conueniunt, quod facilè perpendet quicunque legat.

Adiungenda Eberbachum quatuor sororibus, (nam & ipsa Claræuallis filia fuit) si non clariori
5. Exordij magni luce, seorsim nobis esset pertra-ctanda. Sequitur Forda Monasterium Angliæ, in Comitatu Deuoniensi, quod Adeliza genere, & pietate illustris fœmina, Monachis ex Landesio ascitis, fundasse fertur. De eo in indice sacrarum ædium Angliæ. *Forde, in Comitatu Deuonia, titulo sanctæ Mariæ. Fundatrix Adeliza filia Baldwini de Okehamton Monachi albi, id est, Cisterciensis. Redditus libra trecenta octuaginta & vna, solidi decem, denary sex.* Claruisse narratur non paruis scriptoribus, neque ignobilibus, inter quos primus Balduinus Deuonius, Archidiaconus olim Oxoniensis, pòst Fordæ primùm Monachus, mox Abbas, inde in VVigorniensem Pontificem promotus, ac demum Cantuariensis Archiepiscopus, sanctitate, & doctrina orbi illustris, de quo plura in sequentibus dicemus. In genesi Ecclesiarum Cisterciensium Boaberlea mater Fordæ designatur. Res in ancipiti, & quam libenter iudicandam aliis permittam, quàm iudicabo. Abbati Fordæ scribit Alexander III. decretalem Epistolam, quæ habetur *in cap. ex litteris 7. de iure patronatus.*

Minor adhuc Stafordæ notitia subest (siue Stafardam dicas, vt alij malunt) nec Bellæ aquæ ma-
6. ior, nisi quòd hæc in Albernia fundata legitur, illa in Pedemontio: in cuius Taurinensi diœcesi adscribunt libri Cameræ, ad sexcentos florenos taxa producta: non secus ac in Claromontensi Bellam aquam, ducentorum florenorum contentam taxa. Atque hæc quidem Firmitatis adauxit lineam, quippe filia Tileti: Morimundi illi, nata ex Bellavalle, [d] Claudius Robertus Bellæ aquæ tantùm meminit. Sed nulla adhuc notitia clariori, nisi quòd quando Aquam bellam nominat, Bochero vnitam dicit, nec quicquam aliud. Memoratur in iure *in cap. veniens 8. de transactionibus.*

d in sua Gal.

Fossæ nouæ initia sub hoc anno, non parum dubia reddit Matris natiuitas, quippe Altacumba (ex 7.
qua prodiisse constat) hoc ipso anno fundata mense Iunio, non potuit in Octobri prolem edere: maximè lege recens promulgata, [e] *Quod nullus de Abbatibus locum ad Abbatiam fundandam accipiat, nisi priùs sexaginta Monachos professos habeat.* Forte ante natæ sub alio instituto, post Cistercio submissæ sub Altacumba, proximus Matri locus adscriptus fuit. Extare lego Fossæ nouæ Chronicon, ex quo non pauca Cardinalis Baronius inseruit suis Annalibus, sed quod eius initium, qualeve, nobis incertum: aut cur huic anno adscripta recenseatur. De situ loci hæc habet Claudius Robertus. [f] *Est autem Fossanoua Monasterium diœcesis Terracinensis in Italia, fundatum anno M. CXXXV. vbi nonnulli volunt fuisse forum Apij, de quo in actibus Apostolorum,* &c. Fundatores habuit Comites Aquinates, aut alios ascendentes beati Thomæ, sic enim in Chronico satis antiquo scriptum lego. [g] *Cum venisset de Neapoli* (scilicet sanctus Thomas) *declinauit in Fossam nouam, Monasterium Cisterciensis Ordinis, vbi consanguinei sui erant Patroni.* Memoratur ab Honorio Papa tertio *in c. ex litteris, 1. de officio indicis,* nec non in litteris aliorum summorum Pontificum, & in libris Cameræ, ducentorum quinquaginta florenorum præfixa taxa. Ornarunt domum plures sancti viri, sed præcipuè Gerardus, ex Fossa noua translatus ad Claramvallem: inde ad martyrij palmam, de quo inferiùs. Nec minus obitus Angelici Doctoris, atque eius sepulchrum miraculis gloriosum, quo meruit illustrari per plures annos. Sed de his latiùs dicendum suis temporibus.

e statut. 37.
f in Cat. Abbat. Clar.
g Chro. mag. Belg. ad ann. 1271.

Amelongesbornæ notitia nobis obscura, nisi 8.
quod tamen Morimundi lineam auxit, filia Veteris Campi, in VVestphalia, Hildesemensis diœcesis, cuius Abbati scribit Alexander IV. datis Viterbij Kalend. Martij, Pontificatus ipsius anno 4. Ex quibus Tabulæ Morimundi, quæ neque diœcesim, neque Prouinciam assignant, supplendæ veniunt. Illustrior Prati, quod Monasterium venerabilis Pater Valeranus ex propria Vrsi campi domo primum produxit, teste Roberto Montesi circa hunc annum. *Monasterium* (ait) *de Prato fundatum est sub primo Abbate Petro, prima plantatio, quam produxit Pater Valeranus ex propria domo.* Ita Robertus. Dicitur etiam quibusdam Bellum pratum, estque in Episcopatu Beluacensi, vt constat ex genesi Ecclesiarum Claræuallensium, itémque ex libris Cameræ, in quibus ad septingentorum florenorum pertingit taxam. [h] Claudius Robertus fundatorem Manassem tradit, dictum de Mylli, Dominum de Bulles, & Catalogum Abbatum domus adducit. Sunt alia Bella prata Cisterciensia, de quibus idem author. De huius autem egressu ad Vrsicampo extane versus.

h in sua Gal.

Annus millenus, centenus, terdecimusque
Quintus, erat, quando Pratum processit ab Vrso.

1. *Eberbaci fundatio, etymonque.* 2. *Ingens laus ex Claræuallis æmulatione.* 3. *Concursus in solemnioribus anni festiuitatibus.* 4. *Somnolentia Conradi primum industriâ,* 5. *mox profundiori consideratione coercita:* 6. *cœlesti tandem oraculo excussa;* 7. *& oraculum miraculo probatum,* 8. *ingenti Cistercio, atque præcipuè Eberbacho gloriæ fuit.*

CAPVT X.

1. QVatuor filiabus hoc anno recensitis adiecit Bernardus Pater Ebetbachum in diœcesi Moguntina; hortatu, & subsidiis Alberti senioris, eiusdem loci tunc temporis Antistitis, de quo

quo Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. *Senior Adalbertus* (nam alij sic appellant) *sancto Abbate Bernardo Claræuallis cooperante, dum adhuc viueret, Monasterium Cisterciensis Ordinis in Eberbach, duobus ferè à Moguntina milliaribus, in Rinckangia fundauit, in quo & sepultus est.* Sunt, qui nomen a vineis petitum putent, inter quæ situm. Certè Vinetum Germanicè *Rebacker*, & ripas Rheni vineis abundare testantur, qui prouinciam eam describunt. [a] *Iacet Moguntia in loco amœno admodum, vbi Mœnus fluuius, quem alij Moganum vocant, ex Franconia descendens, Rheno commiscetur. Agrum habet ab vtraque parte Rheni fœcundum, & præstantissimo vino luxuriantem.* Hactenus Georgius Braun in suo magno Theatro Ciuitatum.

2. Cœnobium id Germaniæ, & orbi illustre, possessionibus amplum, ædificiis magnificum, Monachis, & Conuersis numerosum, opinione percelebre, &, quod mireris, Claræuallis æmulum, ausu filiæ in Matrem satis laudabili, dum sanctitatem, virtutesque sectatur, quas semel hausit. Audi de eo Auctorem Exordij magni. [b] *Cum sanctus, & omni spiritualis amoris dulcedine nominandus Pater Bernardus, primus Claræuallis Abbas, Monasticæ perfectionem religionis, quam a Patre luminum* [c] *(à quo omne datum optimum est) plenius, & syncerius cunctis sui temporis hominibus didicerat, diuersarum nationum populis, tribubus, & linguis transfunderet; & ex oblatione fidelium Monasteria Cisterciensis Ordinis vbique terrarum, missis fratribus, construeret, rogatu venerabilis viri Alberti senioris, Moguntinæ ciuitatis, quæ est Germaniæ prima Metropolis, Archiepiscopi, Eberbacense Cœnobium, duarum leucarum spatio a mœnibus præfatæ vrbis distans, haud procul à ripa Rheni, magni, & inter omnes præcipui fluminis, fundauit. Hæc itaque domus ad benedictionem tanti Patris validissimum incrementum sumens, optiméque proficiens, religione, diuitiis, celebri fama personarum, probitate, & auctoritate Prælatorum, grandique conuentus numerositate, celsitudinem reuerendæ Matris suæ vsque hodie æmulatur: ita vt in cunctis Germaniarum prouinciis, veluti spiritale religionis, & honestatis speculum Eberbacensis præfulgeat Ecclesia.* Hactenus auctor de claritudine Cœnobij Eberbacensis, de cuius Monachis, conuersisque multa, & mira congessit Cæsarius in suis dialogis, & nos etiam nonnulla inferiùs dabimus.

b lib.5. c.17.

c Iacob.1.

3. Interim illud memoriâ dignum est, quod satis celebre, incerto licèt anno, constat sub his initiis contigisse: cœlesti carmine approbatas vigilias Eberbacensium, & carmen ipsum miraculo illustratum haud contemnendo, quippe retentum ab ignaro linguæ, & sensus, mox vt percepit, protinus euanuit: neque vltrà potuit memoriæ reuocari. Rem miram, atque vulgò circumlatam, incerto tamen hactenus auctore, locoque, non dubia fide prodam, Eberbacensibus in laudem, Deo in gloriam, Cistercienfibus etiam in solamen; si qui labores adhuc perseuerant, ex approbatis cœlesti illo oraculo. Auctor antiquus, & rei gestæ proximus, auctoritate pollens, notitia præditus, quippe Claræuallensis, eoque gnarus Cœnobiorum procedentium ex Claravalle, Exordio magno inseruit totam historiam. [d] *Sanè vicini fideles, necnon & remotiores nonnulli bono odore virtutum sanctæ Congregationis illius attracti, de plenitudine eius, consilij grauitatem, orationum suffragia, periculorum tutamina quærere, & de abundantia sua pauperum Christi inopiam largiter supplere, præcipuas etiam solemnitates quodam deuotionis intuitu illic agere consueuerunt; de quorum numero miles quidam armis strenuus, natalibus clarus, deuotione non infimus, nomine Conradus, solennem diem Purificationis beatæ Mariæ Virginis, & Matris ibidem celebrare, sacrisque vigiliis, ob reuerentiam tanti diei in longum valde productis, a principio vsque ad finem deuotus interesse solebat: quatenus sanctæ illius multitudinis precibus adiutus, exhortationeque solennis sermonis recreatus, diuinis Missarum sacramentis munitus, lares proprios lætior repetens, benedictionem domui suæ reportaret. Licèt enim sæcularis vitæ casibus irretitus, & ea quæ mundi sunt cogitans, vitem fructiferam se non esse humiliter recognosceret, tamen velut vlmus potentissima vitem spiritualem cum suis fructibus, temporalia impendendo, sustentare satagebat.*

d lib.5. c.17.

Accidit verò, vt quadam vice vrgentibus rei familiaris occupationibus præpeditus, ad prædictam festiuitatem minus tempestiuè occurreret: itaque profunda iam nocte cubitum vadens, dum ex lassitudine itineris fatigatos artus in lectulo collocasset, alto sopore depressus, signum vigiliarum, quo fratres ad diuinas laudes persoluendas excitabantur, nequaquam audiuit. Post horam expergefactus, dum concentus melodiæ, in auribus eius resonaret, celeriùs de lectulo exiliit, veniensque in Ecclesiam, in parte Australi eiusdem Ecclesiæ, vbi hospites diuinis interesse solebant, coram vno de altaribus mœstus consedit. Sedens ergo, negligentiamque suam recompensare volens, nitebatur sanctæ deuotionis, quæ per totam Ecclesiam illam tam incantantibus, quàm in orantibus certatim feruebat, aliquando particeps fieri. Sed fallacia somnolentiæ pressus, prorsus aduigilandum, & orandum se minus expeditum esse dolebat. Vnde sibimetipsi iratus, dum in longum extenderentur vigiliæ, nunc quidem stabat, nunc verò sedebat, interdum etiam frontem, & tempora manu fricabat: sicque quasi arte quadam somnolentiam (al. somni violentiam) *euincere nitebatur.* 4.

Interim verò considerans cum quanta alacritate vocum, & mentium, fratres diuinis laudibus insisterent, simul etiam carnis suæ imbecillitatem perhorrescens, non sine magnæ admirationis stupore, sic quasi causando loquebatur ad Dominum, dicens: Domine Deus, quæ est hæc tolerantia vltra possibilitatem humanæ fragilitatis extensa, quâ fratres isti velut metas corruptibilis naturæ excesserunt? propter te, morte afficiuntur tota die, & nocte. Ecce enim cum in quotidianis ieiuniis, vigiliisque exerceantur, & insuper hac nocte vix aliquid somni ceperint, nihilominus tamen tibi Domino creatori suo laudum vota impendere comprobantur. Ego verò miserabilis peccator, nec vnius saltem noctis aliquantulum protelatas vigilias propter nomen tuum sustinere valeo, quas isti continuas propter præmium vitæ æternæ se sufferre gloriantur, ita vt nullis omnino calamitatibus cedant, quominus ad eosdem rursus agones subeundos valentiùs inardescant. 5.

Inter has piæ querelæ meditationes, parumper obductis palpebris, in somnum tenuem quidem, sed felicem resolutus est. Viditque duas personas cœlestis pulchritudinis venustate conspicuas, Monastico schemate reuerendas, de choro psallentium ad se egredientes. quarum vna quasi cogitationibus eius respondens, vt eminentia laboris, & vigiliarum in Dei seruitio expensarum commendaretur: nequaquam naturali militis illius lingua, hoc est, Germanica, sed versu Latino eleganter composito, litteras penitus ignoranti loquutus est, dicens, 6.

Talia posse pati, soli meruere Beati.

His dictis confestim excusso somno, aperuit oculos, & magno Dei miraculo verba, quæ audierat memoriâ retinens, gratias egit Deo. Et licèt vim dictorum verborum nequaquam per intelligentiæ acumen discernere posset: tamen, quia boni aliquid sibi

protendere certissimè sperabat, reliquum ibi noctis propulsata viriliter somnolentia quanta potuit deuotione vigilando, & orando transegit: magno desiderio æstuans, & optans diem fieri, quatenus diuinum oraculum sibi larga benignitate gratia Dei reuelatum, priusquam à memoria excideret, litterato alicui propalaret, cuius adminiculo ad intelligentiam quoque dictorum pertingere valeret.

7. *Manè autem facto, expectata opportunitate loquendi, Priorem eiusdem loci, virum valde religiosum, secretiùs adiit, quid vidisset, vel quid audisset simpliciter pandens. Expostulansque Angelicum dicere versum, absque obstaculo linguæ, homo idiota, & sine litteris sonabat verba latina, iterumque repetebat, quousque præcordiis Prioris tenaciùs impressa, labilis memoriæ fugaci leuitate aboleri non possent. Mirandis plus miranda succedunt, & quia non tantùm pro se mysterium hoc cognouisset, verùm magis propter eos, quorum tolerantiam mira simplicitate mirabatur: vt eorum etiam beatitudinis iucundus vates efficeretur, Dominus adhuc clariùs, & manifestiùs declarare dignatus est. Mox namque vt verba, quæ audierat, sed non intellexerat, intelligentiæ conscientiæ communicauit, ipsoque interpretante vim dictorum comprehendit; recurrens ad armariolum memoriæ, vacuum prorsus illud inuenit, nec vnquam postea versus quem ad horam didicerat, nec minimam quidem syllabam exprimere valuit.*

Ædificatus ergo multum in gratia Dei, & confortatus conseruatorem loci illius verè credidit esse dominum: pensionemque annui census in eadem Ecclesia professus est, quem & singulis annis, quoad vixit tempore, fideliter soluere curauit. Hactenus admiranda visio, nec minus admirabile oraculum, atque vtrumque miraculo firmatum, quæ recèns natum Eberbachum, & per illud vniuersum Cistercium consolarentur. At de Priore sancto nomine Menfrido, de Theobaldo Abbate, deque aliis Monachis, & conuersis eiusdem domus, plura, neque vulgaria infrà dicemus. 8.

IESV CHRISTI ANN. 1136. — CISTERCII ANN. 39.

1. Bernardi pro Guillermo Duce solicitudo. 2. Guillermi conuersio, 3. & votum pœnitentiæ. 4. Testamentum, 5. atque abdicatio cunctarum rerum. 6. Tum peregrinationem aggressus diui Iacobi, 7. à quibusdam in ipso medio itinere, 8. coniectura probabilis: 9. ab aliis in termino dicitur obiisse. 10. Baronij, & aliorum sententia satis dubia, 11. & probabile produxisse vitam per plures annos.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus trigesimus sextus, Cistercij trigesimus nonus, quo Guillelmus Aquitaniæ Dux, Bernardi prædicatione quasi conceptus, oratione nutritus, adultus lachrymis, iam in virum perfectum approximabat. Bernardum ore, Bernardum mente refricans, audire tonantem, consentire suadenti, obiurganti submitti, minitantem timere, blandienti obsequi; absens, quàm præsens efficaciùs experiebatur. Audi Theobaldum de his sic differentem. [a] *Post discessum viri Dei potens Dominus de lapidibus filios Abrahæ suscitare, cœpit mentem Comitis ad compunctionem, & veram obedientiam mirabiliter excitare, & oriens ex alto sedentem in tenebris, & vmbra mortis misericorditer visitare. Prædicti siquidem Patris admonitis crebriùs in mentem ipsi veniebat, & memoria priorum gestorum, & dictorum animo non excidebat; sed vt animal mundissimum ad præsepe positum, plenissimè quæ audierat, & viderat, ruminabat. Resoluebatur calescentis affectionis incendium, & in meditatione eius exardescebat ignis, quem Dominus venit mittere in mundum. Formabat ante mentis oculos Bernardi constantiam, fortitudinis audaciam, virtutis eminentiam, prudentiæ solertiam, temperantiæ parsimoniam, iustitiæ sanctimoniam, & imaginabatur bestiam (alludit ad Æschinis dictum de Demosthene) sua verba tam efficaciter resonantem. Nec mirum si in ipso vincebatur Amalech, id est, si caro spiritui subdebatur, quando rediuiuus Moyses leuans in oratione puras manus pro VVillelmo assiduè precabatur. Deus meus, quoties homo tuus totas noctes peruigiles in oratione duxit, & insomnes, flens largiter, & effundens sicut aquam cor suum ante conspectum tuum, pro quo, & de quo loquebatur tibi bona. Certè non poterat tantorum perire filius lachrymarum.* Hæc Theobaldus de Bernardo Patre, quem Guillelmus præsentem semper haberet, dum ipse pro eo oraret in Claravalle.

a in vit. S. Guillel. c. 7.

At quos affectus memoria sancti viri, quas in eo lachrymas lachrymæ excitarent, pergit describere satis luculenter. *Dicebat enim* (scilicet Guillermus) *sibi ipsi, aspiciens in visu noctis, & rigans lachrymis stratum suum. Heu me! Quid animi habebam, quando illum contemnebam? Clamabat ad me, & non exaudiebam: stabat, & non respiciebam: mutabar in virum crudelem, & in duritia manus meæ aduersabar illi. Væ mihi, quia peccaui in Sanctum Dei, dum deprecaretur me, & non audiui. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo ad eum, & cum ipso de cætero requiescam? Verum tamen si iniquitates meas obseruaueris, Pater, ante faciem tuam toties ad iracundiam prouocatam, non sustinebo. Nonne cor meum ardens erat in me ipso, dum loqueretur mihi vtilia, & aperiret os suum me docendo? Beati sunt qui eum audierunt, & amicitia eius decorati sunt. Nunquam sic loquutus est homo, sicut ipse loquebatur, & in labiis eius gratia diffundebatur.* Hactenus ille. 2.

Ergo dum monita Sancti sequi deliberat, ac prouidus sibi metuit ab occasionibus, & quæ duo efficacissima irritamenta malorum sunt, potentia, & consuetudine: illá, quam potuit deserere, statuit, hanc, quod dabatur, saltim disturbare. Mutatis loco, gente, & norma vitæ, consuetudini obuiandum per nouitatem: & qui lasciuia, abundantiáque peccauerat, castigatione, & penuria coercendum. Tunc subit animum adire sanctum Patrem, per quem progressus initiis responderent. Sed cuncta fugiés, Burgundiam declinabat, in qua seipsum fugere non posset, Duci propinquus, cæteris gloriosus, 3.

&

& cunctis notus. Theobaldus aliam causam assignat, quam minus probo. [b] *Propter iniurias* (inquit) *illatas sancto viro, occlusum sibi reditum prospiciens, ad eumdem verebatur accedere.* Hæc ille. Sed neque ea seueritas Bernardo, maximè in Ducem, quem Christo parturiisset, neque ea diffidentia Guillelmo digna, qui Patrem semper Bernardum fuisset expertus, & à quo vltrò, nec semel prouocatus ad pœnitentiam.

[b] cap. 7.

4. Vtcumque fuerit, vocato ad se Guillelmo Pictauiensi Episcopo, tunc gratiori, quo olim magis infenso, primò testamentum instituit vt moriturus; mox ad sanctum Iacobum in Hispaniam iter arripiens, spiritalem mortem, seu vitæ mutationem deliberauit. Certè in aliena patria peregrinus, quantumuis magnus, frustratutus facilius videbatur suorum oculos. Testamentum ex Ioanne Hajano Pictauiensi transcripsit Baronius, & nos ex ipso. [c] *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, quæ est vna deitas. Hoc est testamentum, quod ego VVillelmus Dei gratia cum Domino VVillelmo Episcopo facio, in honorem Saluatoris mundi, & beatorum Martyrum, & omnium Confessorum, & Virginum, & maximè Virginis Mariæ. Cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ, suadente Diabolo, temerariè perpetraui, & timens tremendi iudicij diem, videns bona, quæ videmur tenere, sicut fumum in aere inter manus nostras euanescere: nosmet etiam in hac peregrinatione sine peccato vna hora non posse viuere, & satis paruo tempore manere, & omnia, quæ putamus possidere, esse caduca, & suis possessoribus grauamen; commendo me Deo, quem relictis omnibus sequi volo. Filias meas Regis Domini mei protectioni relinquo. Eleonoram collocandam cum Domino Ludouico Regis filio, si Baronibus meis placuerit: cui Aquitaniam, & Pictauiam relinquo: Petronilla verò filia mea, possessiones meas, & castella, quæ in Burgundia, vt proles Gerardi Ducis Burgundiæ, possideo. Itaque ne videar denegare, sed imitari sancta vestigia parentum meorum in bono opere, & commendare me Deo, & Sanctis eius, & in bonis operibus societatem seruorum Dei, & benedictionem accipere; do omnibus Monasteriis dominationis meæ mille libras terræ distribuendas, prout Baronibus meis placuerit. Et quicumque hoc nostrum testamentum disrumpere tentauerit, excommunicatus à Deo, & hominibus existat: qui verò in hoc adiutor fuerit, sit omnibus particeps.*

[c] ad hunc an.

Signum VVillelmi. Signum Eleonoræ. Signum Comitis Aruernensis. Signum Domini de Thoarcio. Signum Richeldi Baronis. Signum Brochardi Comitis. Signum Pontij.

5. Hactenus testamentum Guillelmi Ducis, in quo nimis cæcutiet, qui non viderir hominem discessisse Aquitaniâ certum consilij exuendi mundanam gloriam: nec sibi, aut Deo, sed mundo moriturum. *Commendo*, inquit, *me Deo, quem, relictis omnibus, sequi volo.* Quis, quæso, hoc de morte naturali, necessariáque, aut quis de voluntaria non intelligat? Et testatur Pictauij ante discessum, quippe coram Guillelmo vrbis Episcopo, vt illam non videbat sibi instare, sic hanc decretam potuit præuenire. Mirum profectò in Principe potente, & cui tot, ac tantæ prouinciæ subiiciebantur, nulla adhuc suscepta mascula prole, fœmina duplici, sed neutra nuptui data, eoque exposita, vtraque procerum prædæ (crescente ambitu ex claritate generis, atque ex ingentis dotis magnitudine) nec spe filiorum, nec filiarum amore detentum iri; nec quibusdam suorum vtilitatibus, quæ Sanctum etiam quempiam retardarent. Sed spretis omnibus, veréque relictis, nihil omnino sibi reseruasse. Quando enim externa retinuisset, qui propria viscera (filias) non reseruabat? Minus fortasse in Deum peccauisset quicumque alius, sed nec de facili posset inueniri, qui talem Deo exhiberet satisfactionem.

Testatus, peregrinationem aggressus est, non sine lachrymis suis, suorumque, quas tamen exprimebant diuersæ causæ, quippe in illo criminum enormitas, & pœnitentiæ tarditas, in his, quod Principem dyscolum experti, perpessique, emendatum, correctumque amitterent, quem adeò tunc impensiùs prosequebantur. Appulisse in Hispaniam compertum est, & Castellano regno peragrato, peruenisse Legionem. Cætera dubia, & caligine obtecta, quam proculdubio pius Princeps affectauit, posuit tenebras latibulum suum, quæ non tantùm præsentes obcæcarent, sed magis posteros: ipse maiori gloriæ deputatus, quo minus notus. Certant de eo, speciali prorogatiua, familiæ sacræ, certant Prouinciæ Europæ, certant tempora: & multo plura illustrat adhuc obscurus, quàm agnitus potuisset illustrare. [d] Sunt qui obiisse dicant medio itinere, sunt qui in termino. Alij superuixisse per multos annos, ac varia loca, & prouincias peragrasse, congregatis discipulis; de quorum tamen vitæ disciplina æqua dissensio, & sunt qui Benedictinæ adscribant regulæ, sunt qui Augustinianæ, sunt qui nulli. Quin Guillelmitæ in Gallia, Belgioque ipsum auctorem iactant, reformatorem, Eremitæ Augustiniani: nec desunt, [e] qui familiæ sacræ Triados instituti propugnent coadiutorem. Atque vtinam hæc omnia compaterentur, quò gloriam viri, & Bernardi victoriam superextollerent. Hæc vltima sententia minus probabilis, Guillelmo vt multum vixerit, defuncto anno M. CLVI. biennio ante natiuitatem Ioannis de Mata sanctissimi instituti illius auctoris: sed neque Innocentius III. qui adprobauit, ante annum M. CXCVIII. sedem conscendit. Nos sigillatim, sed breuiter de cæteris: nec quospiam præferentes, ne alij cadant. 6.

[d] in Ludou. Sen.

[e] apud Emman. Rodor. t. 1. q. Regul. q. 3. art. 12.

Media via obiisse, Sugerius tradit, cuius auctoritas inter primas illius temporis. [f] *Interea* (inquit) *subsequuti sunt eum* (id est, Ludouicum Regem iam morti proximum) *nuncij VVillelmi Ducis Aquitaniæ, denunciantes eumdem Ducem ad sanctum Iacobum peregrè profectum, in via demigrasse. Sed antequam iter aggrederetur, & etiam in itinere moriens, filiam nobilissimam puellam nomine Eleonoram eius filio desponsandam, totamque terram suam, eidem retinendam, & deliberasse, & dimisisse.* Hæc satis clarè Sugerius in eo loco. Sed quòd ad sanctum Iacobum non peruenerit, clariùs adhuc in Ludouici filij vita, dum ita ait, *His diebus VVillelmus Dux Aquitaniæ apud sanctum Iacobum iter arripuit: qui, volente Deo, antequam ad terminum, ad quem suæ peregrinationis accederet, peracta parte itineris, expirauit, nullum virilis sexus in Ducatu Aquitaniæ relinquens heredem.* Ita Sugerius illius temporis auctor, & Ludouico vtrique, adeoque & Eleonoræ, iunioris coniugi, adeò familiaris, vix potuerit ignorare parentis mortem. 7.

[f] in Lud. sen.

Suffragantur antiqua monumenta Monasterij sancti Michaëlis dominatum in ipso itinere, 8.

quod Gallicum adpellant, à frequentia Gallorum peregrinantium. Situm id intra regnum Legionense, non procul à Galleciæ finibus (secundo lapide à Ponteferrato, haud ignobili ad fontes Silij oppido) olim virorum, nunc virginum, vtrorumque instituti Cisterciensis, de quo inferiùs. Porrò huic Monasterio vnitum olim aliud sancto Guillelmo intitulatum, idque ob sepulchrum Sancti, vt refert traditio, & venerantur ibidem ossa sacra, quæ Ducis inclyti esse perhibentur, quippe ibidem defunctus, sepultusque, fertur in eo vsque ad præsens perseuerare. Verum est tamen idem Monasterium integro ferè sæculo recentius, quippe fundatum anno à Christo nato M. CCXXVII. vt suo loco dicemus, neque sancto Guillelmo adtitulatum, sed beatæ Virgini: quod ex eiusdem fundationis tabulis constabit apertè. Sed potuit condi ad locum sepulturæ beati viri, & præualere priori vocationi noua religio, crebris miraculis, quibus fulsisse dicitur, altiùs radicata fidelium cordibus. Exuuiæ sacræ etiam hodie venerantur, capsis inclusæ ligneis, repositis ad vtrumque latus maioris aræ: & ossa supra humanam ferè staturam non parum fauent antiquæ traditioni.

9. Robertus Montis, & eum sequutus Vincentius Beluacensis, temporibus Guillelmi subæquales, saltim cæteris aliis proximiores, producta vita viri, Compostellam deducunt, statione peracta consummandum, atque ante Apostoli altare sepeliendum. [g] *Comes* (ait Robertus) *Pictauiensis VVillelmus, ad sanctum Iacobum in Gallecia orationis causa proficiscitur, & in sexta feria Parasceues in Ecclesia beati Iacobi moritur, & ante altare sepelitur.* Idem prorsus Vincentius, [h] & eisdem verbis. Quin & vtrique consonat Iulianus vtroque antiquior, atque eidem Guillelmo contemporaneus, & qui se virum in Hispania vidisse, atque loquutum fuisse seriò affirmat, quamuis tempus nonnihil anteponat. En eius verba. [i] *Vt mihi retulit hoc anno* (scilicet M. CXXXV.) *Comes Pictauorum VVillelmus, qui hoc anno venit Compostellam ad inuisendum corpus sancti Iacobi, vbi mortuus, & sepultus est.* Ita Iulianus, ni opus ipsum reiicimus, omni exceptione maior, & qui deponit de rebus, quibus interfuit. At ne hæc quidem omnino carent scrupulis, ignorato Compostellæ sepulchro beati viri, quod tamen vel quia Sancti, vel quia Ducis, vix potuisset omnino obliterari. Sanè nec scripto haberi, nec traditione, sanctissimus Compostellanarum antiquitatum Doctor Benedictus Pargensis, Apostolicæ illius Ecclesiæ Canonicus, requisitus respondit, cùm bis, terque euoluisset scrinia loci, neque vllis monumentis pepercisset vtriusque generis.

g ad ann. 1137.
h in Spec. hist.
i num. 635. in Chro.

10. Sugerij, atque Roberti testimonia (nam alia duo aut non vidit, aut omisit) quamuis opposita, in eo Baronio concordia esse videntur: quod hoc anno defunctum, idque in Hispania, irrefragabili conuincant auctoritate. Consonat ex antiquis [k] Almoinus, ex recentioribus, [l] Gaguinus, [m] Paulus Æmilius, [n] Papyrius Masonius, & qui graues Gallici Scriptores. Addit [o] Baronius non leues coniecturas, quas lector facilè videat apud ipsum. Verùm enim verò Martyrologium Romanum, dum eius meminit, non peregrinum vocat, sed Eremitam: neque in Hispania, sed in stabulo Rhodis sepultum perhibet. [p] *In stabulo,* inquit, *Rhodis in territorio Senensi sancti Guillelmi Eremitæ.* Ast hunc eumdem cum Aquitaniæ Duce per Bernardum conuerso, ne ipse quidem Baronius negare audet. [q] *Hic*, inquit, *ille, quem spirantem minarum, & necis tanquam alterum Saulum in Discipulos Domini Catholica vnitate coniunctos, & sæuo schismate perturbantem Ecclesiam sanctus Bernardus Abbas Claræuallensis ad Ecclesiæ coniunctionem perduxit.* Ita Baronius. Quando autem Eremita, si vix dum Dux peregrinus effectus, in ipsa obiit peregrinatione? Aut cur in stabulo Rhodis celebretur, qui neque locum illum in vita illustrauit, neque in morte?

k lib. 5. de reb. Franc. c. 25.
l lib. 6. cap. 2.
o hoc anno.
p Februa. 10.
q in not. ad Martyr.

At obiisse testantur auctores graues: neque id mirum. Vulgata ex mandato viri morte per seruos, quos ad id elegisset, fidelissimos: latebrarum, & solitudinis adpetens, & soli Deo victurus ex illa die. Porrò autem adeò mundo se subtraxit, & sibi mundum, vt neque filia repudiata per Ludouicum, ducta per Anglum, indeque Gallia, & Anglia perturbatis, ad sæculum potuerit reuocari, sæculo mortuus. Sed de his latiùs [r] Buquetus Aquitanus, & nostræ olim Academiæ, imò & Hispaniæ decus Ioannes [s] Marquez, cui nos immeriti in vespertina sacræ Theologiæ cathedra, discipuli Magistro, tandem successimus. Fauet & [t] Theobaldus, dum vitam Sancti scribens, producit vsque ad alios viginti annos: testaturque se ea tantùm tradere, quæ à discipulis Sancti didicisset, integra fide. Verum est tamen (nam id etiam fatebimur) quòd auctor iste, quantumuis alias grauis, dum peregrinationis susceptæ ad Compostellam, & mortem siue veram, siue fictam, vulgatam tamen per orbem, prorsus omittit, deceptionis suspectus in hac parte, reliquarum tantis perenneruat auctoritatem. Quasi qui duos Guillelmos, quod potuit fieri, pro eodem vsurpans, dum vtriusque acta confundit, neutrius narret; quin quædam misceat neutri conuenientia. Fauet & Philippi secundi Regis Catholici, apud sanctum Laurentium, vulgò *del Escurial* (pietatis, an potentiæ illustrius opus) sacrarum reliquiarum immensa supellex, inter quas visitur corpus sancti Guillermi, cum testimonio Gregorij de Hanxlede Prouincialis Commendatarij Ordinis Theutonici in Balliuia VVasphaliæ, qui corpus Sancti restatur à se traditum. [u] *Quia*, inquit, *etsi in Ecclesia nostra Braculensi, sub districtu Tremonensi diœcesis Coloniensis, propter miracula, & frequentes ibidem stationes, & peregrinationes habitas, antiquitus celebre fuerat: refrigerato eo loci prisco feruore, nisi quòd ex fama solùm sancti illius Ducis Aquitaniæ habitum sit, hoc tempore solitarium, & quasi latens stare videatur. Ne igitur pretiosa eiusmodi gaza pereant, sed alibi prout decet venerari, & in augmentum diuini cultus prodire possent; hinc e tumba antiquissima leuatas per Sacerdotem, & Capellanum, dono dedimus,* &c. *Actum in Balliuia mea commenda Mulhemensi, vigesimo septimo mensis Octobris, anno M. DXCVI.* Hactenus in eo testimonio, cuius authenticum transsomptum apud me habeo: discordans quidem à Theobaldo in loco sepulchri: verùm in hoc contestans, quòd sanctus Princeps ex Hispania redux vitam produxerit, alibi moriturus, & sepeliendus. Sed de his satis: nunc ad placita aliorum transeamus. 11.

r in special. tract.
s cap. 13. de Orig. August. §. 13.
t apud Sur. in eius vita.
u in Tabulario Monast. S. Laurent.

I. Sola

1. Sola exempla discipulis pro regula sunt qui scripserunt, 2. eorum fundamenta: 3. alij Benedictinam, 4. nec recenti, nec leui auctoritate. 5. Augustinianam quibusdam praeferentibus, 6. sed nulli praeualent, ne alij à causa cadant. 7. Guillelmitarum litterae ad auctorem, ex quibus constat quo loco Bernardum habeant.

CAPUT II.

1. PRoducta vltra hunc annum Guillelmi vita, ipsoque primum Hierosolymitanae peregrinationi, mox eremo per quietem mancipato, recentiores in varia studia scisi, atque eo liberiùs; quo minus certi, in varias etiam sententias diuiduntur. Sanson Haius, Eremita Guillelmitanus in speciali, quod dedidit, opusculo, de veritate vitae, & Ordinis sancti Guillelmi, dum sanctum numerosa sobole auget, parentem nullis, filios, exemplis Patris tantùm adstringit, quibus velut praeceptis gubernarentur. Inde cùm ea arctiora visa essent, donatos regula sancti Benedicti, mitigando rigori, Gregorio Papa nono id concedente. Cecinit id heroico, nec rudi carmine.

Sed praecepta videns tanto lapsura rigore
Quae Ducis ex Sancti vita decerpta fuissent:
Gregorius nonus plantas velare cothurnis
Mandat Eremicolis, permultaque praedia donat.
Imperat & sancti Benedicti viuere normam.

Haec verso, sed prosa oratione clariùs adhuc. *Cumque ad illud vsque tempus* (scilicet Gregorij Papae noni) *Patres nostri, qui à diuino Guillelmo religionis normam acceperant, & successoribus suis tanquam per manus tradiderant, nudis pedibus domi, foris verò calceati incederent, & multa alia austeritatis exempla, ex vita eius, vt ex absolutissimo omnium virtutum Archetypo assumpta, religiosè obseruarent, quae plurimos ab eodem instituto deterrebant: voluit ipse* (Gregorius nonus) *auctoritate pastorali tantum rigorem benignè temperare, quo facilior ad illud infirmioribus pateret accessus, & ordo Guillelmitanus Monachorum, ac Coenobiorum numero magis, ac magis augeretur. Indulsit ergo Guillelmitis nostris calceorum, & tibialium vsum, ac deinceps illius professionem regula Benedictina iniunxit.*

2. Hactenus Haius, duplici, vt addit, motus fundamento. Primum quod Theobaldus Sancti Chronologus nullius prorsus mentionem regulae faciat, quam non tacuisset, si vir sanctus sequutus esset, aut suis filiis sequendam tradidisset. Dein quod in praefatione veterum Patrum in librum sui Ordinis scriptum inuenerit. *Feruentes spiritu secundum exempla sancti Guillelmi, & antiqui temporis instituta, regulam superexcellere nitebantur: vsque ad tempora beatae memoriae Gregorij Papae noni, qui ad Ordinis dilatationem, rigorem pristinum temperando, mandauit, vt omnes deinceps illius Ordinis professores sancti Benedicti magistram sequantur regulam.* Haec Patres veteres pro sententia Sansonis Haij, quae tamen verba an vrgeant aduersarios, aliorum maneat iudicio discernendum. Ego non puto posse superexcedi, quod non existit: quare nec regulam superexcellere curarent sancti illi viri, si non haberent. Satius ducerem habuisse quidem regulam, cuius praeceptis cùm minus attinerentur, additis quippe ad exemplum Magistri multis, iussisse Pontificem, vt eius obseruantia contenti forent.

3. Efficaciora fortassis fundamenta reliquis Patribus eiusdem instituti, qui putant illud ab ipso sancto Guillelmo sub beati Patris Benedicti fundatum regula, additis tantùm quibusdam obseruantijs vitae austerioris, quas postmodum Gregorius mitigasset. Extat rescriptum Innocentij Papae quinti expeditum ante quadringentos ferè annos, quo auctoritati superueniens antiquitas, intemeratam dicendis fidem adstruat. Atque ecce exemplar rescripti Summi Pontificis.

[a] *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Priori, Generali, caeterisque Prioribus, & fratribus Eremitis, Ordinis sancti Guillelmi tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse praesidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sanctae religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filij, vestris supplicationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuinis vocatis officiis, & obsequiis, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti priuilegio communimus. In primis quidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque institutionem fratrum Ordinis sancti Guillelmi in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur, &c. Datum Lugduni tertio Nonas Septembris, anno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo.* Hactenus Innocentius in ea bulla. Nec credendum quemcumque auctorem grauem, nedum totius Ecclesiae Summum Pontificem in re tam manifesta decipiendum, & quae intra nonaginta annos contigisset.

Innocentio concordant Clemens, & Alexander, vterque quartus, nec requisiti petitione partium, atque eius narratiuae, vt solet fieri, nullo examine praeuio, condescendentes: sed causa vtrinque ventilata, discussaque, dum lis inter eosdem Guillelmitas, & Patres Augustinianos agitaretur. 4.
Cùm enim cunctis cultoribus eremi sancti Augustini regulam, ab Alexandro Papa iniunctam, soli inter omnes Guillelmitae declinarent, & beati Benedicti institutiones sibi à principio indictas constanter opponerent, eoque sibi in perpetuum retinendas: Augustinianis licèt contra nitentibus, propositum, dum probant, impetrarunt, hac obtenta sententia, quae ita habet. 5.

[b] *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Generali, & aliis Prioribus, ac fratribus Ordinis sancti Guillelmi, salutem, & Apostolicam benedictionem. Licèt olim pro vnione facienda inter vos, & alios Eremitas tunc Ordinum diuersorum fueritis ad praesentiam nostram euocati, quieti tamen, & saluti vestrae paterno prouidentes affectu, praesentium vobis tenore concedimus, vt sub regula sancti Benedicti, secundum institutionem sancti Guillelmi remanere in solito habitu liberè valeatis, &c. Datum Anagniae, vndecimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.* Hactenus Alexander in eo rescripto. Cuius cùm sub Clemente quarto lis inter partes adhuc non quiesceret, Stephanus Cardinalis Praenestinus, cui a Clemente causa delegata, expressè meminit, atque denuo concedit eisdem fratribus, [c] *vt sub regula sancti Benedicti secundum institutionem beati Guillelmi remaneant in habitu solito.* Quam Cardinalis Stephani sententiam idem Pontifex ratam, &

[a] apud Henriq. in Apologeti. c. 2.

[b] apud Marq. de orig. Eremit. Aug. §. 14. cap. 13.

[c] ibid. paulo inferius.

gratam habuit, expedito diplomate confirmatorio, sub datis Viterbij, quarto Kalendas Septembris, Pontificatus ipsius anno secundo.

5\. Hæc pro regula Patris Benedicti antiquitatis, & auctoritatis subnixa pondere. Sed pro Augustiniana fortè non leuiora, quæ ex Ioanne [d] Marquez, & Nicolao [e] Cursenio ad hæc etia reducu fundamenta. Quod iidem ipsi Eremitæ Augustiniani Guillelmitæ, à Guillelmo vocari olim quippe a reformatione sui Ordinis, quem extraneus nequaquam reformasset. Sane Ægidius Romanus ex scriptis notus, Augustinianæ familiæ olim alumnus, mox etiam Pater, apud Guillelmum Tyrium, mutato nomine Generalis, non Eremitarum sancti Augustini, vt verè erat, sed Guillelmitarum nuncupatur. *Ferunt* (ait) *eo tempore Ægidium Romanum, è Columnensium familia, virum doctissimum, schola Parisiensium præfuisse, Ordinis Guillelmitarum, vt vocant, Generalem.* Sic ibi. nec dubium est hoc nomine appellatos à multis aliis. Accedit in eorum fauorem secūdo loco, quod Innocentius Priorem, fratresque Eremitarum Vallis sancti Guillelmi, Ordinem sancti Augustini professos nominat, *Dilectis filiis Priori, & fratribus Eremitarum Vallis sancti Guillelmi, Ordinis sancti Augustini Lingonensis diœcesis,* &c. Quamuis, vt verum fatear, verba ista vocationem potius alicuius Cœnobij Augustiniani, quàm Ordinem, aut congregationem diuersam præseferant. Accedit denique, quòd Gregorius tertius decimus in quadam alia bulla expresse asserat, Guillelmum Eremitam fuisse sancti Augustini. *Vniuersis,* inquit, *& singulis vtriusque sexus fidelibus, qui futuris temporibus domos, & Ecclesias fratrum Eremitarum sancti Augustini dicti Ordinis fundatoris, & sanctæ Monicæ matris eius, ac sancti Nicolai, & sancti Guillelmi dicti Ordinis professorum diebus, pro tempore visitauerint.* Hactenus Pontifex, nec Augustinianum Guillelmum alium proferunt, de quo loqui potuerit, quin & Duci Aquitaniæ festum celebrant populorum frequentia, ad eorum Ecclesias accedentium, indulgentiis concessis obtinendis. His inferiora plura subnectuntur, quæ in eisdem auctoribus legat, quicumque volet.

[d] loco cit. § 16.
[e] de Ord sub reg. S Augustiniana.

6\. Hæc breuiter de singulorum fundamentis in re incerta, vt nullo omnino firmo, sic vniuersa non parum probabilibus. Nobis, vt nulli vincantur, nulli vincant, & certent regulæ, familiæ, Prouinciæ, tempora, quo se Bernardi discipulo exornent. Id vnum tamen memoriâ dignum censeo, Guillelmitas, qui hodie in Belgio, & Gallia, Cisterciensibus nostris per omnia similes, eodem habitu, & eadem regula vti. Quin & Bernardum parentem venerari, sui auctoris Magistrum, nec quotidianas preces, & quas horas Canonicas vocamus recitare diuersas a Cisterciensibus, cuius rei testes litteras accepimus ante hoc sexennium, diffinitorum illius Congregationis, dum Generalis reformatoris officio almæ nostræ obseruantiæ fungeremur, quas in clariorem fidei veritatem non pigebit ad litteram transcribere.

Reuerendissimo in Christo Patri, ac domino Magistro fratri Angelo Manrique, Generali reformatori Ordinis Diui Patris nostri Bernardi in regnis Hispaniæ, atque in Academia Salmanticensi, sacræ Theologiæ publico, atque perpetuo Professori. Reuerendissime Pater, aliàs indicauimus affectum, quem noster sancti Guillelmi Ordo habet erga Cisterciensem, & præsertim reformationem vestram, cui R.V.D. prudenter, & dignè præest. Petiueramus quoque à R.V.D. vt curaret in Belgio excudi Breuiaria communi vsui Congregationis, & Ordinis nostri. Petiueramus etiam, vt Paternitates vestræ officium nostri Patroni sancti Guillelmi admitterent, quod discipulus sancti Patris Bernardi fuisset, & Ordinem nostrum sub vestra regula instituisset, quodque nos officium vestrum recitemus, & vt Patrem sanctum Bernardum veneremur. Addideramus etiam prædictis, vt R.V.D. procuraret Romæ indulgentias plenarias impetrari omnibus visitantibus sanctorum Bernardi, & Guillelmi diebus festis Ecclesias Monasteriorum Congregationis vestræ, & Eremitarum S. Guillelmi, qui ambo militant sub eodem instituto. Omnia hæc petiimus, sed nullum inde habuimus responsum, quod ideo credimus accidisse, quod litteræ amissæ ad manus vestras non peruenerint. Hinc rursus scribimus, & totius Ordinis nomine idem rogamus, quàm possumus humillimè, & enixissimè, offerentes quantum in nobis erit dictam impressionem promouere, & mittere R.V.D. tot exemplaria, & in tali forma, quot, & quali R.V.D. nobis præscribet. Responso nos petimus a R.V.D. dignari, idque dirigi ad R.P.M. Chrysostomum Henriquez, eique indicari, quid velis in hoc negotio fieri. Interim Deum optimum, maximum rogantes, vt R.V.D. in multos annos Ecclesiæ suæ, & nobis seruet incolumem. Bruxellis quinto Ianuarij, M. DCXXVIII. Reuerendissimæ Paternitati vestræ addictissimi. 7.

Hanc epistolam placuit hîc subiungere, quo sanctissimæ Congregationis affectum non solùm in Guillelmum, sed etiam in Bernardum ostenderemus; simulque conuenientiam, quam habet cum nostro Ordine. Vt non immeritò liceat coniectari hanc esse veram Guillelmi Ducis sobolem, cui adeò sanctus, quod à Bernardo accepisset (atque ad eius exemplar) nec leuiter abolendum, communicauerit.

1. Mortem Guidonis extra Claramvallem prædicit Bernardus: 2. quæ subsequuta, 3. eiusdem Sancto reuelatur defuncti gloria. 4. Ratio temporis deducta ex ipsa historia. 5. Alberici in Bituricensem sedem promotio. 6. Hugo Præmonstratenses adducit Antissiodorum, 7. quorum Abbatem Rainerum Bernardus prædicat. 8. Raynaldus Igniaci fundator moritur, & in eodem Cœnobio sepelitur.

CAPVT III.

1\. Hic idem annus Claræuallensibus, Pontigniacensibusque tristis, & lætus maioris inter fratres Bernardi natu, morte fuit: his, quia ditati exuuiis corporis sancti, illis, quia orbi, quippe morbo præuentus Pontigniaci, ne in Claravalle haberet sepulturam, iuxta Patris Bernardi prophetiam, præbuit seipsum obedientem etiam in morte. Verùm quæ prophetiæ occasio extiterit, tristis, sed nimium vera simul cum ipso gloriosi viri transitu, auctor Exordij magni scriptum reliquit. [a] *Cum audisset aliquando vir Domini* (scilicet Bernardus) *quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum, & religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem: decreuit mittere,*

[a] lib. 2. c. 10.

mittere, & reducere eum ad se, vt deuotus frater in nidulo suo moreretur. Verùm tamen vnus de fratribus eius carnalis, Guido nomine, nitebatur huic obuiare consilio: quia cùm esset vnus ex Prouisoribus Claraeuallis, intendebat, vt credo, parcere labori, & sumptui. Qui cùm pertinaciter huiusmodi insisteret persuasioni, dixit ad eum beatus Bernardus: Numquid maior cura est tibi de pecunia, vel de iumentis, quàm de fratribus tuis? Quia ergo non vis, vt fratres nostri nobiscum requiescant in hac valle, nec tu ipse requiesces in ea.

2. Hactenus prophetia, & eius occasio. Porrò qualiter tandem impleta sit, pergit auctor describere in hunc modum. *Factum est*, inquit, *vita* (scilicet, sicut sanctus vir prædixerat.) *Nam idem Guido, quamquam aliàs vir bonus, & religiosus esset, vt tamen sermo Sancti impleretur, non est consummatus in Claraeualle: sed apud Pontigniacum praeuentus agritudine, lecto decubuit, ibique disponente Domino terminum vitæ, & locum sepulturæ accepit.* Hæc in Exordio. quibus videat lector Bernardi in filios affectum verè paternum, non vnquam magis pium, quàm cùm seuerum, quippe seueritas ex pietate orta, fraternam, vel in morte dilectionem cunctos edocuit: nec minus ipsa in Goidonem dulcis, & pia, inter quos moreretur, Sanctos non abstulit, sed mutauit, Claræualli Morimundũ substituens, sibi Otonem. Cæterùm in eumdem præ aliis fratribus, quod animaduersione dignum censeo, se & vitæ, & mortis arbitrum ostendit, dispensatorem morborum, atque salutis. Nam primò, retardato eo à conuersione dissensu coniugis, morbo compressam fecit consentire: deinde eumdem febre laborantem donauit salute: postremò morti terminum indixit, interdixit loco, quæ illi nefas omnino præterire.

3. Instantem iam absentis fratris transitum reuelatum Bernardo, dum castissimos vtriusque sponsi amores meditaretur, Arnoldus apud Britum testis existit: tum cunctis filiis iniunctam orationem, qua animam aggredientem prosequerentur. Verùm & statim ab ea cessari iussos, nec pro Guidone orare, sed Guidonem apud Deum pro ipsis intercessurum. [b] *Fratres* (inquit) *rogate Guidonem, vt oret pro nobis, tempus, & locum sortitum, vt possit facere.* Quippe cognita & viri morte, & gloria, neque exaudiendum, si oraret, dubitabat, nec si oraretur, etiam oraturum. Hæc gesta refert Arnaldus in Claravalle, dum Pontigniaci carnis vincola exuens, mortalem vitam Guido cum morte vitali io melius commutaret.

b lib. 4. cap. 7.

4. Atque hinc sumitur non obscura ratio temporis, quæ hoc anno, aut præcedenti obiisse probat. Nam Guillelmo scribente vitam sancti Bernardi per hæc tempora, saltim ante annum Christi quadragesimum, defunctum iam Guidonem constat ex eius verbis. [c] *Guido namque* (ait) *frater eius*, idest, Bernardi, *maior natu inter fratres suos, cuius grauitatis, & seueritatis fuerit vir, omnes sciunt*, &c. Porrò defunctus, existente in Claravalle Bernardo Patre, vix potuit ab hoc anno discrepare: absente Sancto, vt antè, per tres integros, sic pòst per duos, qood infrà etiam videbimus. Post obitum in magna gloria visus, nec semel fuit: insuper visitare Bernardum proximum morti. Sed de his postea. Meminit eius Menologium Cisterciense, Maij decimo primo, & quotquot scripsere vitam Bernardi Patris.

c lib. 1. c. 13.

5. Eodem anno Albericus ex Cisterclo, vir religione, & doctrina æquè excellens, in Archiepiscopum Bituricensem promotus est, non diu electioni suæ superuicturus, quippe rapiendus per mortem intra biennium. Profuit tamen non parum in paruo tempore, vt non immeritò eadem Ecclesia, Cisterciensis familiæ viros semel experta, continua ferè serie plures habuerit, Garinum, Henricum, Guillermum, Gerardumque, sub quibus, sed præcipuè sub Guillermo, inter reliquas Galliæ summè effulsit. Sed de his suo loco erit dicendum. De Alberici electione hæc pauca lego. [d] *Albericus Archiepiscopus sexagesimus tertius, electus anno millesimo centesimo trigesimo sexto. Sedit annis duobus ... fuit ex Ordine Cisterciensi assumptus.* Hæc ibi. Reliqua in anno, quo obiit, expediemus.

d in catal. Archiep. Bituricen.

6. Sub idem tempus Hugo Antisiodorensis, quem Ferrariæ à Gaufrido Carnotensi sacratum diximus, Canonicos vocatos ex Præmonstrato Antisiodorum adduxit, adductos primum quadam possessione à se in hunc finem empta, mox collegiali Ecclesia sanctæ Mariæ in suburbio donauit, quod Chronicó Antisiodorense memoriæ prodit. *Huius* (inquit) *domini Hugonis consilio, & auxilio fratres Præmonstratenses, ex Præmonstrato in ciuitatem Antissiodorensem diriguntur: Rainero Abbate in nouo Antissiodorensi Monasterio. Qui Dominus Hugo dedit eis grangiam de Vosciolo, emendo illam de proprio, vt fratribus Præmonstratensibus donaret. Considerans autem locum, in quo primùm transportati fuerant, nimiæ arctitudinis esse, ita vt non possent congruè construi officinæ, inito consilio, Ecclesiam sanctæ Mariæ in suburbio sitam cum suis appendiciis eis concessit habendam. Cuius Ecclesiæ Canonicis id proposuit optionis, vt aut inde recederent, aut superuenientium fratrum se Ordini conformarent.* Hactenos Chronicon.

7. At de Rainero Abbate primo loci, quantus vir fuerit, & quanti eum Bernardus primum fecerit, mox Principes, & Reges propter Bernardum, pergit describere verbis, quæ sequuntur. *Huic Monasterio prepositus est primus Abbas Rainerus, in quem tot diuinæ gratiæ dona confluxerant, vt non potuerit sub modio latere lucerna, siquidem tam Regi, quam Principibus sanctus Bernardus notum eum fecerat, & famosum.* Hæ charitatis faces prælucebant in sanctis viris, hic fructus expers totius æmulationis, quippe dum Hugo Ecclesiam Sanctis construit, Bernardus Ecclesiarum Sanctos prædicat, idque in alienis familiis æquè, ac propria, non sua se, sed Christi quærere monstrant: seu potiùs sua sibi reputanda, quæcumque Christi.

8. Hoc ipso anno X. Kalendas Ianuarij, Raynardus, Archiepiscopus Remensis, Igniaci fundator, viuere desiit, atque in eodem Cœnobio sepultus est, inscriptione, Catholica magis, quàm superba, quæ hodieque conseruatur in hunc tenorem:

EGO RAINARDVS A PRATIS, QVONDAM ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS, PRESBYTER, CREDO, QVOD REDEMPTOR MEVS VIVIT, ET IN NOVISSIMO DIE DE TERRA SVRRECTVRVS SVM, ET IN CARNE MEA VIDEBO DEVM SALVTOREM MEVM.

Obiit M. CXXXVI. XIX. Kalend. Ianuarij.

In Archiepiscopatu successit illi Sampson, ex fratre nepos, neque minus Bernardo familiaris, post annos aliquot in eodem Cœnobio sepeliendus.

---

1. Celebrata Mariæ conceptione in Lugdunensi Ecclesia, 2. Bernardus ad Canonicos scribit. 3. Nec dubium, sanctum epistolæ auctorem. 4. atque id ipsum, quod sensit, scripsisse. 5. Nec dubium item impugnasse festiuitatem. 6. nunquam sibi contrarium in his, quæ docuit. 7. Nec tamen ideo negasse præseruatam, 8. quod multis argumentis demonstrandum.

CAPVT IV.

1. SVb finem huius, vt Baronius coniectat, anni, cùm festum Conceptionis beatæ Virginis, à simplicioribus celebrari cœptum in Gallia, Lugdunensis Ecclesia recepisset, idque omnino inconsulta sede Apostolica, Bernardus celebrem de ea festiuitate, ad Canonicos Lugdunenses scripsit epistolam, quæ à recentioribus, colore pietatis, inculcata magis, quàm intellecta, his Annalibus non solùm inserenda venit, sed explicanda. Sanè eius sensus, quia multis ignoratus, suspectam reddidit Doctoris sancti mentem in hoc mysterio: aliàs Deiparæ supra hominem deuoti, imò deuincti, quorum illud scripta eius ostendunt, hoc fauores. Igitur primò epistolam subiiciam, mox a verbis ad sensum transitum faciam, & recentiorum oscitantiam notans, Bernardum contra mysterium omnino nihil, pro veritate multa protulisse, atque illo tempore non solùm vtilia, sed necessaria, neque obscurè, neque dubiè demonstrabo, quippe Theologi scholæ Parisiensis necessitatem, grauitatemque doctrinæ considerantes, oppositam erroris condemnarunt, quod mox ostendam. Sed iam ipsam epistolam transcribo.

2. [a] *Ad Canonicos Lugdunenses, de Conceptione beatæ Mariæ.* (a epist. 174.) *Inter Ecclesias Galliæ constat profectò Lugdunensem hactenus præminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis, & laudabilibus institutis. Vbi enim æquè viguit disciplinæ censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in officiis Ecclesiasticis haud facile vnquam repentinis visa est nouitatibus acquiescere, nec se aliquando iuuenili passa est decolorari leuitate, Ecclesia plena iudicii. Vnde miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrûm voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? Periculosè præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præterinit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiuerit omnino diligentiam præteriisse. At valde honoranda est, (inquis) mater Domini. Bene admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam. Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo, & trado: quod non scrupulosius fateor admiserim. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequã, cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed & [b] ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse vt sancta prodiret. Et de [c] Hieremia siquidem lego, quòd priusquam de ventre exiret, sanctificatus sit. Et de Ioanne Baptista non secus sentio, qui ex [d] vtero Dominum in vtero sensit. Videris tu etiam, an & de sancto Dauid id ipsum liceat opinari, pro eo quod dicebat [e] Deo: In te (ait) confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus. Item, [f] de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me. Et [g] Hieremiæ quidam sic dictum est: Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te. Quam pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero, diuinum distinxit oraculum, vt illam tantùm præcognitam, istam & sanctitatis munere præornatam ostenderet, ne quis Prophetæ prærogatiuam de sola præscientia, seu prædestinatione putauerit æstimandam. Esto tamen, vt hoc de Hieremia concedamus: quid respondebitur de Ioanne Baptista, quem Angelus prænuntiauit Spiritu sancto repletum iri adhuc in vtero matris suæ? Prorsus hoc ad prædestinationem, præscientiamve referri posse non arbitror. Verba nempe Angeli (sicut ipse prædixit) completa absque dubio sunt in tempore suo, & quem prœloquutus est Spiritu sancto replendum, non est fas credere non repletum: idque loco & tempore, quo prædixit. Certissimè autem sanctus Spiritus, quem repleuit, sanctificauit. Cæterùm quatenus aduersus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit siue pro isto, siue pro illo Propheta, vel si quis alius simili præuentus gratia fuerit, non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitauerim dicere, quos Deus sanctificauit, & cum eadem sanctificatione prodiisse ex vtero, quam acceperunt in vtero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse vllatenus horum natali iam donatam præpedire, seu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu sancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ, & si mori in vtero contigisset cum hac plenitudine spiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum est. Minimè tamen ausim hinc quidpiam mea sententia definere. Sed quidquid de hoc sit, meritò Ecclesia, quæ cæterorum non natiuitatem, sed mortem Sanctorum indicat, & prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneraturque illius natalem, de quo nunciante Angelo singulariter legit: [h] Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Cur enim non sit illius exitus sanctus, ac proinde festiuus, atque lætus, qui potuit exultare & in vtero? Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio & mater Domini ante sancta, quàm nata. Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuersa terra votiua solennitate suscipiens. Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.*

b Lucæ 1. — c Hierem. 1. — d Lucæ 1. — e Psalm. 70. — f Psalm. 21. — g Cap. 1. — h Lucæ 1.

tum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex vtero sanctitas sanctum fecit illum. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus qui honorandum præiuit partum: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alius propter eamdem causam etiam vtrique parenti eius festos honores asserat deferendos? Sed de auis, & proauis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus. Patria est non exilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet, non exules. Sed profertur scriptum supernæ (vt aiunt) reuelationis, quasi & quiuis non queat scriptum æquè producere, in quo Virgo videatur id ipsum mandare, & de parentibus suis, iuxta Domini manda-
Exod. 20. *tum, dicentis: [i] Honora patrem tuum, & matrem tuam. Ipse mihi facile persuadee scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere auctoritas. Nam quid consequentia habet, vt quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea reputetur & ipse sanctus? Numquid quoniam præcessit eum, fecit & sanctum? Quia si præcessit, vt esset, non tamen vt sanctus esset. Vnde etenim illa ipsi sanctitas quam secuturo transmitteret? An non potiùs, quia præcessit absque sanctitate conceptus, oportuit nimirum sanctificare conceptum, vt sanctus sequeretur iam partus? An fortè mutuatus sit sanctitatem à posteriori prior? Potuit sanè illa, quæ iam concepta facta est sanctificatio, ad illum, qui sequebatur, transire natalem: redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat iam, omnino non potuit. Vnde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum sanctificata iam in vtero dicitur, vt sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse. Siquidem non erat antequam conciperetur. An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante: aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit. Nisi fortè quis dicat de Spiritu sancto eam, & non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lege denique Spiritum sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente Angelo, Spiritus sanctus superueniet in te. Et si licet loqui, quod Ecclesia sentit, (& verum ipsa sentit) dico gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem & conceptam fuisse. Dico peperisse Virginem, non tamen & partam à Virgine. Alioquin vbi erit prærogatiua matris Domini, quæ singulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis, si tantumdem dederis & matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat: sed neque in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat: restat, vt post conceptum in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur: quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non tamen & conceptionem. Quam ob rem etsi quibus, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi: vt vni sanè seruaretur sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu sancto conceptus: quia solus & ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cætero vniuersos respexit ex Adam natos, quod vnus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur. [k] In iniquitatibus, inquiens, conceptus* k Psalm. 50.
sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum hæc ita se habeant, quænam iam erit festiua ratio conceptionis? Quo pacto (inquam) aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est, aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et antè quidem apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam, parcens deuotioni, quæ de simplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud sapientes, atque in famosa, nobilique Ecclesia, & cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine graui offensa etiam vestri omnium, dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, vniuersa reseruo: ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare. Hactenus sanctus Pater ad Canonicos, festiuitatem procul dubio redarguens, quæ tunc de nouo ab eis celebraretur. Hic lapis offensionis contra Bernardum, hæc petra scandali. Nam cur ipse mysterium impugnaret, cui tota hodie Ecclesia piè consentit? Cur matri Virgini adstrictus præ multis aliis, priuilegiis illius sese opponeret? Aut cur nos filij festum celebramus, quod in aliis Bernardus increpauit, à quo dissensit?

[l] Sunt, qui epistolam suppositam affirment, l Pet. de Ojeda in Apolog. c. 14. Ægid. Lusit. de conc.
Nicolao Monacho, quem habuit à secretis, adulterante verba, & sensus Doctoris sancti. Sed Nicolaum sub Eugenio tertio susceptum in Claravalle, adeoque post decennium, aut ferè, infrà videbimus. Præterquam quòd Bernardi esse epistolam, eiusdem Nicolai, vt ego puto, saltim alicuius auctoris illius temporis, [m] Apologia in sanctum, & m habentur in Biblioth. Coloni veter. Patr. tom. 12.
Petri Cellensis defensio manifestant. Nam Nicolaus de hoc eodem scripto Bernardum carpit. *Quod quidem* (inquit, ad Petrum Cellensem scribens) *sensit, & scripsit, quem laudas auctorem in præsenti, Abbas Bernardus. Inde quippe diem natiuitatis, non Conceptionis virgineæ dicit habere solemnem, quia quæ in peccatis concepta est, vt vniuersum genus hominum, sine peccato nata est, vt pauci hominum.* quæ verba manifestis satis iudiciis, epistolam produnt, & auctorem. Addit præterea, quasi rem exaggerans, *Domina nostra animam non solùm in passione filij gladio transfixam, sed etiam in hac conceptionis suæ contradictione*, nempe à Bernardo facta, sibi charissimo, atque eo magis dolenda dulci parenti. In alia item ad eumdem Petrum epistola. *Ego autem sic veneror beatum Confessorem Bernardum, vt laudem, & amem eius sanctitatem, qui nec amem, nec laudem eius præsumptionem, in matris Domini Conceptionem.* Hæc Nicolaus in Sanctum, & epistolam. quam nec Petrus Cellensis Bernardi negat: sed eius magis rationes latè inculcans, vt qui Bernardo firmiter consentiret, in eo præcipuè cardine versatur, vt non illius, sed communem omnium sententiam dicat, quam Nicolaus in Bernardo reprehendebat. Nam, *Quis Sanctorum* (inquit) *quas antiquorum non ambulauit semitam nostram? Credo, & verè fateor, si in hoc errassent, quòd hæc eis Deus reuelasset.* Et item. *Quidquid Scripturæ vasibus auctoritatum non fundatur, nullius roboris stabilitate fulcitur.* Et rursus. *Vtinam salua*

veritatis auctoritate, lance communis Concilij hac domina, & moderatrix totius Christianitatis (scilicet Romana Ecclesia) Conceptionem virginis librasset, & approbasset. Hæc, & similia Petrus ad Nicolaum, epistolam admittens contrariam festo: sed extollens affectum scribentis, qui nihil adeò Virgini negasset, quod, salua fide, potuisset illi concedi. Petro Cellensi concordant Albertus Magnus, Alexander Alensis, Diuus Thomas, atque alij scriptores sequentis sæculi, qui epistolam tanquam scriptum Bernardi referunt, atque illa vtuntur, vt mox videbimus. Stat ergo inconcussa illius auctoritas, à qua nemini liceat resilire.

4. n ad ann. 1136. [n] Baronius Sanctum contraria sensisse ait, sed nihilominus voluisse ea scribere, vt res ipsa accuratiùs discuteretur. Pia sanè interpretatio magis, quàm vera, atque fortassis adeò minus pia. Nam Bernardum contra mentem suam loquutum in quacumque re seria, satis incongruum, de beata Virgine satis incredibile. Quin & verba ipsius adeò clara sunt, adeò affirmantia, vt propriam mentem haud dubiè manifestent. *Nouam*, inquit, *inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Et item, *Virgo Regia falso non eget honore.* Et plura alia quæ subsunt in epistola. Verè ergo Bernardus contrarius festo diuersa sensit ab his, qui celebrabant.

5. Atque hinc etiam refelluntur alij, qui putant Sanctum non festiuitatem, sed libertatem celebrandi reprehendisse, quippe sede Apostolica inconsulta, cuius foret assensus expectandus. Refelluntur, inquam, æquè in vtramque Sancto declamante: in libertatem nimirum celebrandi, & in ipsam, quæ celebrabatur, festiuitatem, & in hanc priùs, prolixiusq; ve, vt constat. Quasi id principaliter intendat, non posse celebrari conceptionem, quam peccatum infecit, gratia, & sanctitas nequaquam decorarunt. Cui tamen veritati ipse ita assentiatur, vt nihilominus Ecclesiæ se submittat, facile à sententia discessurus, se ipsa aliter, contrariumve decernat. Cæterùm interim credere cum Patribus Virginem de Spiritu sancto concepisse, sed non conceptam esse, & sanctitatem defuisse conceptioni, cui non potuerit peccatum non adesse.

[o] Petrus Canisius alia loca congerit: neque vt sancti Doctoris in eia mentem eliciat, sed vt sibi contrarium, nec stantem dictis probet, eoque eius eneruet auctoritatem, in hac materia. Catherinus [p] vlteriùs etiam addit, olim contrarium, nunc stare pro Virgine, atque purissima eius conceptione, quippe iam celebrata iussu Ecclesiæ, adeoque existente conditione, sub qua Sanctus sententiam retractauerit. Sed hæc futilia, & effugium qualecumque præseferant: non mentem Sancti inquirant, nedum eamdem aliis patefaciant. Mihi diuersa semper visa Bernardi mens, ab ea, quam imputant, illi recentiores: quippe ignorantes, voces, atque item errores illius temporis, dum nihil putant dubitatum ab antiquis, quod non ab ipsis, verba quæ minus capiunt, facile torquent, flectuntque in sensus, sibi familiares, ipsis violentos. 6. o de beat. Virg. l. 1. p opusc. de immac. Concept. l. 1. c. vlt.

Sentio igitur mellefluum Doctorem nihil de instanti animationis Virginis, in quo præuentam gratia hoc nostro sæculo totius ferè Ecclesiæ consensus clamat, sed de paterni susceptione seminis intra maternam vuluam, fuisse loquutum, quæ prior, propriorque conceptio est, & de qua tunc controuersia non parua fuit. Porrò de hac absolutè pronunciasse, nihil Ecclesiastica festiuitate dignum, nihil sanctificatum continere: quin potiùs immunditiam, atque peccati debitum (id enim vocat peccatum more Scripturæ) quod ne hodie quidem à Virgine excludunt, qui meliùs sentiunt, de animatione nec verbum protulisse, quia tunc inutile, nec super ea controuersia vertebatur, vt iam videbimus. 7.

Hanc eius mentem primò ex ipsis verbis, inde ex errore, qui tunc vigebat, colligo, tertiò ex die festiua, quam impugnauit, quartò ex rationibus, quibus vsus est, & tandem quintò ex consensu omnium Doctorum, qui post Bernardum proximè scripserunt, & vsi sunt ipsius auctoritate. Rem de se grauem, piam in Bernardum, religiosam in Virginem, antiquitatis, veritatisque studiosis, Salmanticæ à nobis explanatam ante viginti annos, cùm prima huius scholæ stipendia mereremur: atque inde aliquibus paucis communicatam, sequenti capite subiungam in vsum publicum. 8.

---

1. Conceptio propriè quid, 2. idque communi vsu illius ætatis. 3. De hac quæsitum in Virgine, an sancta? 4. & affirmatum ab illius celebratoribus, vt probat dies, 5. & Bernardi 6. vtraque ratio. 7. Qualiter Alexander eius mentem, 8. qualiter sanctus Thomas, Bonauentura, & demum Albertus Magnus intellexerint. 9. Quid de auctoribus mediæ, & vltimæ ætatis. 10. Parisiensis scholæ definitio de mente Sancti. 11. Et quid senserint Cistercienses in hac materia.

CAPVT V.

1. EQuidem Conceptionis nomen, si attendamus, neque in rigore vocis, neque in vsu Doctorum illius temporis pro animatione sumi, sed pro seminis prima susceptione, in confesso est. *Concipio enim quasi simul capio. Vnde concipere mulieres dicuntur, cùm genitale semen apprehendunt, ad fœtum faciendum.* Hæc de rigore significationis ex Calepino, quam etiam firmat ratio philosophica, quippe conceptio partui præsupponitur, nec solùm naturali, sed abortiuo, & nihilominus abortus sæpe contingit ante animatum fœtum, quod nulli dubium. Porrò hanc proprietatem vocis, naturæque, communi vsu receptam Bernardi tempore, non minus clare constat, tam ex ipso, quam ex auctoribus antè, & pòst scribentibus.

Sanè Anselmus Bernardo paulo antiquior, & quem iuuenis senem videre potuit, id satis exprimit, libro de Conceptu virginali, & peccato originali: vbi cùm cap. tertio diffinisset nullum peccatum, etiam originale, inesse semini ante animationem, vt explicet qualiter conceptio, quæ animationem præcedit, in peccatis nihilominus dicatur, immundaque, capiti septimo hunc titulum præfigit. *Quòd semen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non sit peccatum.* In corpore autem capitis hæc habet. *Videtur itaque sequi, quòd aut infans statim ab ipsa conceptione habeat animam rationalem, aut quòd in eo non est originale peccatum, statim ac conceptus est. Quòd autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus* 2.

humanus

humanus suscipit sensus. Et tandem respondet, hominem dici concipi in peccatis, non quia in ipsa conceptione peccatum contrahat, cuius adhuc est incapax: sed quia in ea incurrit debitum peccati. a Genes. 3. Ad eum modum, quo verè dictum Adæ, [a] *In quacumque die comederis, morte morieris*. nec tamen eadem die morituro, sed eadem contracturo debitum mortis. Hæc pluribus Anselmus in eo capite, quibus & conceptionem ab animatione distinguit, & solam seminis susceptionem significare, ipso, quem conficit, discursu manifestat. Eodem sensu loquitur ipse Bernardus *lib. de anima, cap.* 2. dum humanam miseriam perpendit in hunc modum. *Fui enim* (inquit) *in momento conceptionis de humano semine conceptus: deinde spuma illa coagulata modicum crescendo, caro facta est*. In momento, inquit, conceptionis, id est, susceptionis humani seminis; aliàs non diceret, deinde spumam illam factam in carnem, cùm hoc longè præcedat animationem: vt Anselmo Bernardus, ita Bernardo ætate posteriores consonant, Alexander Alensis, Albertus Magnus, diuus Bonauentura, Diuus Thomas, conceptionem vsurpantes eodem sensu, quos mox adducam. Habemus ergo ex rigore, & vsu vocis, impugnantem conceptionem illis temporibus, nequaquam gratiam animationi factam reuocare in dubium, saltem ex vi verborum: sed eam tantùm, quæ susceptioni seminis, adeoque fœtui ante animationem concederetur.

3. At, inquies, hanc neque Mariæ concessisset Lugdunensis Ecclesia, nedum duxisset festiuè celebrandam. Nec enim festum sine sanctitate, nec sine anima sanctitas existit. Nam cui subiecto tunc gratia inhæreret? aut si embryoni admittamus inhæsisse, quosnam illi effectus communicaret? Tunc solùm sancta, cùm capax sanctitatis, tunc præuenta, cùm capax peccati fuit, vtrumque in anima, neutrum ante ipsam. Hæc nostro sæculo certa, fixaque in dubium vertebantur Bernardi tempore, nec deerant assentientes vtrique parti. Certè Scholastici illi proximiores, non solùm conceptionem ab animatione distinguunt, sed de ea vt distincta quæstionem mouent, an in Virgine gratia præuenta fuerit. Audi Alexandrum de Ales b in 3. dist. 3. art. 4. sic disserentem. [b] *Consequenter quæritur de sanctificatione beatæ Mariæ Virginis, in quo statu potuerit sanctificari? Et circa hoc quæruntur plura. Primum est, an ante conceptionem fuerit sanctificata? Secundum, an in ipsa conceptione? Tertium est, an post conceptionem ante infusionem animæ? Quartum, an post animæ infusionem?* Ita Alensis. Nec dissimilia c d. 3. art. 3. Albertus Magnus, qui ita quærit, [c] *An caro Virginis fuerit sanctificata ante animationem*. Eamdem d q. 1. art. 2. quæstionem mouet [d] Bonauentura. Quin & Angelicus Doctor eodem loco, cum quæstiuncula prima quæsiuisset, *An beata Virgo sanctificata fuerit ante conceptionem* (scilicet in lumbis parentum) *vel in ipsa conceptione*. Nomine conceptionis, maritalem copulam, seu susceptionem seminis intelligens: quæstiuncula secunda vlteriùs quærit, *An saltim sanctificari potuerit ante animationem?* Quam eamdem quæstionem iterum mouet tertia parte, quæstione vigesima septima, articulo secundo: vt non liceat in dubium reuocare, hanc fuisse celebrem, controuersamque, & quæ tunc temporis vtrinque agitaretur.

4. Porrò autem in ea controuersia Lugdunenses Canonicos cum aliis, affirmatiuæ parti consensisse, putasseque in Maria vel conceptionem, id est, seminis, ex quo concepta fuit, in vulua Matris susceptionem sanctificatam: atque eam gratiam ab ipsis celebrari ritu solenni, duo mihi argumenta persuadent, quæ puto, & cunctis idipsum persuasura. Alterum sumptum à die celebrationis, alterum à Bernardi impugnationibus: & primum quidem, quod à die sumitur, manifestum videtur, quippe cùm longè diuersi dies sint, qui susceptioni seminis, seu copulæ, & qui fœtus respondent animationi, atque inter vtrumque, vt communi Philosophorum opinio fert, saltim in fœminis, octuaginta, non minus, intercedant: festiuitas nequaquam in secundo, qui incidit in vigesimum sextum mensis Februarij, sed in priori, qui in octauum Decembris, hoc est, nonem ante natiuitatem integris mensibus, solenni ritu, & pompa celebrabatur, & perseuerat festiuitas immota etiam hoc tempore: intellecta mysterij veritate, sed permissa anticipatione per indulgentiam, ne ignarum vulgus quacumque mutatione turbandum, ab innata in Reginam cœlorum pietate dimoueretur. Ergo Canonici, qui festum illud susceperant, tunc Matrem Virginem præuentam gratia credebant, cùm celebrabant.

5. Sed nec quid aliud Bernardus impugnauit, siquidem cunctæ, quibus vtitur, rationes, sic contra primam illam conceptionem probare videas, vt nihil prorsus faciant contra secundam. Prima ratio Bernardi talis est. In conceptione Mariæ fuit libido; ergo peccatum: ergo non sanctitas. Verba eius adducam, quo clariùs pateat. *Quomodo potuit peccatum deesse vbi libido non defuit? Nunquid potuit maritalibus osculis, & amplexibus sanctitas admisceri, vt simul & concepta esset, & sancta?* Atque hæc ratio, vt in conceptione satis congrua, atque conformis doctrinæ veterum Patrum, sic ad impugnandam sanctitatem animationis extra rem foret. Nunquid enim in animatione fœtus libido? Num oscula, & amplexus maritales? Certè hæc omnia conceptioni annexa, animationem omnino prætergrediuntur, quæ vtroque parente semper inscio, altero etiam mortuo, vt sæpè solet, nullis amplexibus patet, nulli libidini.

6. Secunda ratio Bernardi non minus clara. Beata Virgo non fuit concepta de Spiritu sancto, sicut Christus, sed ex naturali commixtione maris, & fœminæ: ergo non potuit sanctificari in ipsa conceptione. quasi dicat: Quia non fuit concepta virtute Spiritus sancti, non potuit in instanti organizari corpusculum, vt anima illico ei infunderetur: quod in solius Christi conceptione agnoscit Ecclesia. At quandiu non habuit animam, neque gratiam habere potuit sanctificantem, quæ non carni, nedum semini inhæret, sed tantùm animæ: ergo non potuit in ipsa conceptione sanctificari. Hæc adeò clarè impugnant conceptionem propriè dictam, adeò ad animationem nihil faciunt, vt nulli alteri germano sensui pateant, & vix violento.

7. Hinc videas, quod proposui vltimo loco, hanc fuisse mentem omnium antiquorum, nec quemquam aliter Bernardum intellexisse, quo magis mirandum sit, recentiores non hausisse vel ab ipsis sententiam Sancti. Certè Alexander Alensis suprà citatus, cùm articulo primo, & secundo statuisset, Virginem neque ante conceptionem, neque in ipsa conceptione sanctificatam: atque vtrumque ex Bernardo confirmasset in hac epistola,

ſtola; primum nimitum, *Quia nequaquam potuit ante ſancta eſſe, quàm eſſe.* Secundum verò, *Quia ſanctitas non potuit admiſceri conceptui, inter oſcula, & amplexus maritales, vt ſimul & concepta eſſet, & ſancta.* In tertio docet, neque poſt conceptionem ante animæ infuſionem; ad hoc tamen Bernardum non adducit. quia quantumuis id etiam Sanctus dixerit, at minus clarè, quàm vt ad id probandum adduceretur. Quid, quæſo, diceret de animatiune, qui nec de gratia negata embryoni audet pro ſe afferre Bernardum teſtem? Demum articulo quarto cùm aſſereret, antequam naſceretur, ſanctificatam, iterum redit ad auctoritatem huius epiſtolæ, atque iterum ex ea aſſertum confirmat, verbis adductis. *Fuit proculdubio Mater Domini ante ſancta, quàm nata.* Quo inde cunctis clariùs innoteſceret, vtentem in omnibus Bernardi auctoritate, in eo ſolùm eamdem prætermiſiſſe, in quo vel nullam habuit, vel minus claram.

8. Eodem modo Bernardum intellexit Angelicus Doctor, qui cùm *in 3. diſtinct. 3. q. 1. artic. 1.* duo inquirat de ſanctificatione Mariæ Virginis. Alterum, an in conceptione, vel ante ipſam? Alterum, an ante animationem, poſt conceptionem? Ad vtrumque reſpondet negatiuè. Sed primum illud ex Bernardo confirmat, non ſecundum. Clariùs adhuc, & audentiùs de Bernardo Bonauentura, qui cùm ſtatuat, beatam Virginem non potuiſſe ante animationem ſanctificari: atque id probet ex contextu huius epiſtolæ, cuius verba præ aliis inculcat, atque perpendit: & ex eis concludit non eſſe celebrandum feſtum Conceptionis, ſcilicet eius, quæ animationem præcedit. Statim inquirit, *An anima beatæ Virginis fuerit ſanctificata ante originalis peccati contractionem?* quæ eadem in terminis quæſtio eſt, quæ noſtro hoc æuo validiùs agitatur; cùm autem ipſe reſpondeat negatiuè, non tamen ex Bernardo id vnquam confirmat. Nempe, quia verba Sancti clarè vidit in ſenſu prioris quæſtionis à ſe propoſitæ tantùm procedere, ad ſenſum verò ſecundæ nihil facere. Clariſſimè autem omnium Albertus [e] Magnus, qui non ſolùm Bernardum non adducit, vt probet Virginem contraxiſſe peccatum in anima, quod tamen ipſe expreſſis verbis tenuit: ſed vlteriùs addit, errorem, quem damnauit Bernardus, in hoc conſiſtere, quòd dicat Virginem habuiſſe ſanctitatem antequam animam. Verba eiuſdem Alberti mox adducam. Ita antiquiores Bernardum intellexere.

[e] in 3. diſt. 8. art. 3. & 4.

9. Quòd ſi, priori quæſtione obliterata, à recentioribus in diuerſum extortus ſenſum: at nunquam defuit, qui eius mentem calleret. Certè circa annum M. CCCXXX. ferè ducentis poſt ſcriptam eam epiſtolam, cùm iam inciperet pati ab interpretibus, reſtitit Henriques de Haſſia iunior Carthuſianus, ſcripto, publicatoque libello, cuius hic titulus, *Contra diſceptationes, & contrarias prædicationes fratrum mendicantium, ſuper Conceptione ſanctæ Mariæ Virginis, & contra maculam ſancto Bernardo mendaciter impoſitam.* Meminit huius libelli Poſſeuinus *in apparatu ſacro, tomo primo, littera H.* Videtur autem titulus adludere ad quamdam impoſturam Nicolai, aſſerentis Bernardum apparuiſſe poſt mortem in magna gloria: maculam tamen in pectore notatum, ob Deiparæ impugnatam Conceptionem, de qua inferiùs. Sed noſtro æuo attigere mentem Sancti doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, [d] nec minus doctus Gregorius [e] de Valentia, & nouiſſimè [f] Franciſcus Biuarius Ciſtercienſis, ſpeciali de illa libello edito Lugduni, anno M. DCXXIV.

[d] de amiſſione gratiæ l. 4. c. 16.
[e] part. 2. diſput. 6. puncto 2.
[f] in Bernardo vendicato lib. 2.

Verùm quantum in Eccleſia pondus habuerit auctoritas Bernardi in ea epiſtola, ex eo facilè licèt coniectari, quòd conſtet, Theologos ſcholæ Pariſienſis, ea viſa, ſtatim condemnaſſe errorem contrarium: id quod Albertus Magnus memoriæ prodidit, loco à nobis ſuperiùs allegato. *Dicimus* (ait) *quòd beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem: & qui oppoſitum dicunt, eſt hæreſis damnata à beato Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & à Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Hactenus ille; quippe à Bernardo Patre reprobatum, damnatumque, non dubitarunt ipſi condemnare. Atque hæc de germano ſenſu illius epiſtolæ, quæ contrà nullus audeat recalcitrare. Nam quæ poſt hæc ſuborta contra ipſum Nicolai deſertoris impoſtura, & qualiter Petrus Abbas Cellenſis, mox ſancti Remigij, ac demum Carnotenſis Epiſcopus teſtiterit, dicemus in tempore. 10.

Ex dictis non difficile eſt conijcere, quo ſenſu, quatuordecim illi Doctores ex Ordine Ciſtercienſi, quos refert Vincentius Bandelus *in tract. de Conceptione cap. 22.* atque ex ipſo Medina *3. p. q. 27. artic. 2.* in expoſitione articuli, ſcriptum reliquerint Virginem in peccato eſſe conceptam: etenim non in alio ſenſu loquuti credendi ſunt, quàm in eo, quem eorum Pater docuit: nempe non vt animationem à peccato immunem impugnarent, quod Bernardus non docuit: ſed vt primam illam, & propriam conceptionem à Bernardo impugnatam, peccato cum ipſo, id eſt, debito peccati obnoxiam profiterentur. Quod dixerim, ne quem fortaſſe moueat tot Doctorum auctoritas, quibus vel ex ipſa familia Ciſtercienſi videretur credendum, ſi aliter ſenſiſſent. Sed de his ſatis: nunc ad geſta huius anni reuertamur. 11.

---

1. Claro vallis Balernam hoc anno genuit; 2. ſub Burchardo Abbate, ſancto, & docto. 3. Alpenſe Monaſterium adoptauit. 4. Qualis Guarinus eiuſdem loci Abbas, 5. quales Monachi. 6. Domus Dei item genita in Bituricis, 7. cuius Robertus Bernardi conſanguineus Abbas fuit.

CAPVT VI.

1. DVm hæc de Conceptione controuertuntur, creſcebat opus ſermonum ſuper Cantica, creſcebat numerus Eccleſiarum Claræuallenſium: & illos Sanctus ad viginti, & tres perduxit, has vſque ad decem. quatuor nimirum à Claraualle natas, ſex ex filiabus. Verùm ſermones ipſi pro ſe loquuntur: de Cœnobiis nonnihil dicendum erit. Ergo Balernam primum, deinde Alpes, mox domum Dei, quam alij Nigrum Lacum, ac demum Albam ripam, hoc anno protulit: ex quibus tres priores in hoc capite, quartam in ſequenti perſtringam, vt inde etiam ad alias gradum faciam. Balerna domus in Biſuntinenſi diœceſi ſita, vbi & in libris Cameræ inuenitur, tribus

tribus & triginta florenis taxata supra trecentos.
Primus Abbas illius Burchardus fuit, sanctitate,
doctrina, prudentiáque Bernardo Patri charus, vel
inter paucos. Extat ad eum eiusdem Sancti epi-
stola, ex qua vtrumque facilè coniectes. quippe
sic habet.

2. [a] *Ad Burchardum Balernensem Abbatem. Igni-*
a epist.146. *tum eloquium tuum vehementer, & ignitum illo igne,*
quem Dominus misit in terram. Legi illud, & concaluit
cor meum intra me. Benedixi illi fornaci, de qua huius-
modi scintillæ euolassent. Nonne cor tuum ardens erat
in te cùm ista dictabas? Bonus homo de bono thesauro suo
profert bona. Si laboraui in te, vti tu humiliter memoras,
non me piget. Arauì in spem profectò percipiendi fructus:
& spes non confundit. En de fructu operum meorum sa-
tiantur viscera mea in terra aliena, & sentio ipse meo
experimento semen meum non secus viam, non super la-
pides, non inter spinas, sed in terram bonam, & optimam
cecidisse. Etsi enim parerem, tristitiam habui, iam non me-
mini pressuræ præ gaudio, quia natus est infans in mun-
do. Infans dixerim malitia, non sensu: quem posset Sal-
b Matth. 18 *uator proponere senibus ad imitandum, denuo, dicens:* [b]
Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non
c Psal. 118. *intrabitis in regnum cælorum. Infans qui dicat:* [c] *Su-*
per senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Qui di-
cat: Adolescentulus sum ego, & contemptus iustifica-
d Matth. 11. *tiones tuas non sum oblitus. Confiteor* [d] *tibi Pater*
Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapien-
tibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pa-
ter, quia sic placitum est ante te. Tuo placito sunt id
quod sunt, non suo merito. Nec enim inuenis merita,
sed præuenis. Omnes peccauimus, & egemus præue-
niri. Tu ergo frater agnosce te præuentum, & præuen-
tum in benedictionibus tuæ dulcedinis: non à me, qui
nihil sum, sed ab illo, qui me, vt de tua te salute
monerem, aspirando præuenit. Nam vt multum mihi
tribuas, plantator sum, rigator sum: absque illo ta-
men, qui incrementum dat, quid sum? Ipsi te in om-
ni humilitate subiicias, ipsi tota deuotione inhæreas. Me
verò vtere eius seruo, conseruo tuo, comite in via, co-
hærede futuro in patria, si tamen studiosissimè imple-
uero ministerium, ad quod tibi missus sum: idque,
quantum in me est, effecero, vt hæreditatem capias
salutis. Ad ea, de quibus questus es, ita respondeo: ne-
cessitates tuas vt me asportabo, cùm venero. Ita Ber-
nardus: quibus satis videas, quàm laude dignus,
quem his laudibus Sanctus decorauit, & cui vel
Sancto timuit à superbia præ sanctitate. Doctri-
nam, atque acre ingenium viri satis indicant
duo, quæ adhuc extant, opuscula: epistola ad
Nicolaum Monachum scripta, cùm Claramval-
lem adire deliberaret, & subscriptio in primum
librum vitæ sancti Bernardi, cuius fragmenta su-
periùs inseruimus. Domum in arcto sub his ini-
tiis positam, vltima epistolæ verba manifestant:
sed quæ Burchardi cura paulatim creuerit. Hæc de
Balerna. Burchardi meminit Menologium Cister-
ciense ad decimam nonam diem mensis Aprilis;
vbi & ad Bellamvallem ante mortem translatus
dicitur.

3. Sanctam Mariam de Alpibus Benedictinorum
ante Cœnobium ab Humberto Comite Sabau-
diæ, ad lacum Lemanum constructum (si Clau-
dio Roberto fides in sua Gallia) regebat Gari-
nus, venerandæ sanctitatis senex, nec minus
sapientia prouectus, quàm ætate; atque hæc vn-
guenta in capite diffusa descendebant ad bar-
bam, imò ad membra: sanctam namque rege-
bat congregationem, quantum dabatur, imitao-
tem exempla Patris. Verùm crescente ex ipsa san-
ctitate, sanctitatis affectu; atque ipsa iustitia, vt
solet, generante in cunctis esuriem sui, eodem
beato viro persuadente, primò cellulas, quas habe-
bant extra Cœnobium, mox sæculares Ecclesias,
& beneficia, deinum quæcumque superflua, aut
regulæ aduersantia dimittentes, Cistereiense insti-
tutum amplexi sunt, sub Patris Bernardi discipli-
na. Extat eiusdem Sancti epistola ad Garinum
Abbatem gratulatoria de hac ipsa suorum refor-
matione.

[e] *Reuerendo Patri, & omni veneratione digno, do-* 4.
mino Abbati Alphensi Garino, & vniuersis eiusdem lo- e epist.255.
ci fratribus, frater Bernardus vestræ sanctitatis seruus,
de bono in melius semper proficere. Reuera nunc in te
Pater experior, quod in sacris litteris legisse me memi-
ni. [f] *Cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit. Iam* f Eccles. 18.
seni requies, iam corona debebatur emerito: & ecce tan-
quam nouus in Christo miles noua iterum tibi excitas
bella, prouocas aduersarium, & rem fortium præsumis
fessus senex, dum ad iterandum certamen, antiquum ho-
stem, & iam quodammodo inuitum compellis. Enim verò
dum præter morem tuum, tuorumque prædecessorum tra-
ditiones, diuinitus inspiratus, Ecclesias, & Ecclesiastica
beneficia relinquis, synagogas Satanæ, id est, cellulas ex-
tra Cœnobium, in quibus tres, vel quatuor fratres sine or-
dine, sine disciplina habitare solent, destruis: fœminas à
Monasterio arces, cæterisque pietatis, ac disciplinæ bonis
studiosiùs vigilas solito. Quid aliud primus, & maxi-
mus ille peccator [g] *nisi videbit, & irascetur; dentibus* g Psalm.111.
suis fremet, & tabescet? Sed quæ cura? E contra tamen
in eius confusione, & tu consolatione cantabis Deo tuo?
[h] *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in* h Psal.118.
verbo tuo supersperaui. Nec timendum, quòd succumbat
hosti, qui nec cedit ætati. Vincit annos animus, & fri-
gente iam corpore, feruet in corde sanctum desiderium:
artubusque fatiscentibus, durat tamen incolumis pro-
positi vigor, nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus
promptus, &c. Et paulo inferiùs, Alpenses omnes
alloquens. *Vnde enim tantus ardor innouandi Ordi-*
nis, nisi ex renouatione mentis? Hæc ad Garinum, &
cunctos illius Monachos.

Nec multo pòst ad eosdem Garino orphanos, 5.
quippe assumpto ad Ecclesiam Sedunensem. [i] i epist.142.
Cæterum vnum opus fecistis, & omnes mirantur. Quòd
cum Sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem,
alienam participare curastis, vt essetis sanctiores. Imple-
tum est, quod legitur in Euangelio. [k] *Cùm feceritis om-* k Lucæ 17.
nia, quæ mandata vobis fuerint, dicite: Serui inutiles su-
mus, inutiles vos reputastis, & humiles inuenti estis. Re-
cta facere, & inutilem se reputare, apud paucos inueni-
tur: & ideo multi admirantur. Hoc, inquam, hoc prorsus
vos de illustribus reddidit illustriores, sanctiores de San-
ctis, & vbicumque diuulgatus est sermo iste, replenit
omnia odore suauitatis. Et pòst pauca. *Quàm læto*
sinu collegit vos multitudo Cisterciensis! & quàm ala-
cri vultu spectauit hoc Angelica celsitudo ... Quid
dicam de nostro pusillo grege Claravallis, cui spe-
cialiùs adhæsistis, quanto vos, & quàm speciali
prosequatur affectu? Non potest dici verbo, quod
de mutua charitate inter nos, & vos spiritalis in-
fusio mirabiliter operatur. Hactenus Sanctus de
reformatione huius Cœnobij, quam hoc con-
tigisse anno memoriæ [l] produnt. At de Ga- l Tabula, & Chronic.
rino quantumuis senio graui, post reforma-
tam domum ipsius cura, Monachis etiam
adscitis ex Claravalle, per quos disciplinæ
tenorem edocerentur, in Sedunensem Episco-
pum promoto, atque ibidem defuncto, me-
ritis, & virtutibus glorioso, infrà dicemus.
Vbi etiam de miraculo Bernardi, quo idem

Alpense Cœnobium oobilitauit. Memoratur Alpense Monasterium in libris Cameræ in Geneuensi diœcesi, vbi quingentorum florenorum taxa notatur. Itemque in litteris Gregorij Papæ noni, de quibus infrà. Hinc planè videas aberrare à vero Bernardum Britum,[m] qui hoc Cœnobium ex eremitorio per duos Cistercienses inhabitato, in Ecclesiam magnificam creuisse, ex Guillelmo, vt ait, Paradino, memoriæ prodit. Nam cùm Humbertus (inquit) Saubaudiæ Comes de morte coniugis adeò tristis esset, vt nullam consolationem prorsus admitteret, atque à duobus illis Cisterciensibus, qui partem illam eremi inhabitabant, monitis sanctis tandem consolaretur, non solum Monasterium illis construxit, dotauitque, verùm seipsum in eo Cistercio dedit, probationem ingressus, atque à solemnibus votis emittendis, solo publico bono retardandus: sed retardandus tantùm, non impediendus. Nam post contractas ab eo secundas nuptias, suscepta demum prole, resumpsit habitum, non ante vota emissa decessurus. Ita Bernardus Brito ex Paradino, suspiciendus à nobis, credendusque, si non obsisteret epistola Bernardi, cui inconcussa fides, atque aliæ circunstantiæ, quas in præsenti non vacat tetractare.

m lib. 6. c. 38.

6. De domus Dei initiis pauciora, de progressu sublimia commemorantur: quæ sub sancto Francone Abbate gesta, suo loco commodiùs referemus. Fundatam tamen notat Robertus [a] Claudius ab Ebone de Caluiniaco, Carentonij domino, in eadem domo sepulto: sitamque ad Carum fluuium, vnde & in libris Cameræ Apostolicæ domus Dei suprà Carum appellatur. Sic à fluuiolo: aliter Niger lacus, à lacu proximo. Memoratur in litteris Adriani quarti, anno M. CLXVIII. Itemque inter Ecclesias Bituricenses, sex, & sexaginta florenorum præfixa taxa. Primum cùm non inueniam, non ausim dicere: Abbatem tamen eiusdem Monasterij extitisse Robertum, sancti Bernardi propinquum, de quo suprà, habemus in Exordio ita dicente.[o] *Spiritum denique libertatis tota mente concipiens,* (scilicet Robertus, dum adhuc Cluniaci seductus demoraretur) *locum, quem inordinatè petierat, ordinatè deseruit, & Claramvallem rediens, sub disciplina sancti Patris Bernardi in tantum profecit, vt succedentibus virtutum incrementis, Domus Dei postmodum Abbas sit institutus.* Hæc in Exordio.

a in sua Gal.

o lib. 3. c. 10.

Agebat tunc Robertus trigesimum quartum ætatis annum, plus minusve, quippe qui quinto decimo huius sæculi, cùm peteret Cistercium, ob pueritiam repulsus, nec ante biennium susceptus fuerat. Vixisse autem vsque ad nonagesimum secundum, argumento est, quòd annos non minus septem & septuaginta dicitur in Ordine exegisse; quod Ioannes Eremita synchronos auctor, & qui ab eodem Roberto accepit, memoriæ prodidit.[p] *Referente* (inquit) *mihi quodam Abbate religiosissimo nomine Roberto, qui magis quam septuaginta septem annos in Monasterio sub iugo regularis disciplinæ vixit, nepos scilicet eius Matronæ, de qua agimus* (*scilicet Alcidis Matris sancti Bernardi*) *filius autem sororis suæ, ad quem etiam sanctus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit.* Ergo Robertus, si primus Abbas fuit, octo & quinquaginta annos, plus minusve conuincitur præfuisse, quod satis rarum. De eius obitu, successoreque, atque vtriusque viri sanctitate dicam in tempore. Inter alios in Nigro lacu Henricus Rabaugourdus, ex Archiepiscopo Bituricensi Monachus, de quo multa dicemus cùm tempus venerit. 7.

p apud Herv. Monch. Nouemb. 29.

1. *Alta ripa initia, fundator, situs.* 2. *Miraculum à Bernardo ibi patratum.* 3. *Itemque duo à Petro Tarantasiensi.* 4. *Sacerdos sanctus admissus in Nouitium,* 5. *dum moritur, ab Angelis commendatur.* 6. *Angelus dormienti Monacho apparet, & somnolentiam increpat:* 7. *vt vel sic visiones præcedentes comprobarentur.*

CAPVT VII.

1. ALbam ripam seorsim tradendam censui, quia notior nobis, forte & in se clarior, quippe intra eamdem Lingonensem diœcesim, cum Claravalle, sita, quo Bernardo proximior, eo illustrior, atque cœlestium donorum, & gratiæ pluuiis patentior fuit. Quid quòd sita ad eiusdem fluminis ripas, quod Claramvallem abluit, vnde & nomen accepit? Nam fluuium Albam vtramque domum præterlabi, idque intra breue spatium, de Claravalle superiùs à nobis dictum. De Alba ripa vox ipsa manifestat. Fundator domus Guillelmus Lingonensis, qui tunc eam Ecclesiam gubernabat. Situm, & Fundatorem, tempusque paucis Claudius perstringit pro suo more.[a] *Alba ripa, vulgò* Aube rine, *filia Claravallis, fundatur anno M. CXXXVI. quarta die Februarij, ab VVillenco Episcopo Lingonensi quinquagesimo-quinto, duobus ferè millibus passuum a fonte Albæ fluuij, in radicibus Montis nemorosi, vulgò* le Charmois, *apud Papyrium Masonium de fluminibus Galliæ, vbi & Alba miscetur Sequanæ ad Pontem, oppidum infra Trecas.* Ita Robertus. Quibus videas Albam breui conclusam spatio inter ortum, interitumque, à fonte ad Sequanam, conuincere non longè distantem vtramque domum.

a in Catalog. Cœnob. Cist.

Hinc Alba ripa frequentiùs à Bernardo (nec dubium, quin coloniam ipse deduxerit) frequentiùs ab aliis sanctis viris visitabatur. Vnde & miracula in ea frequentiora, & incrementa gratiarum non exigua, Claræuallis progressus, etiam dum incipiebant æmulari, conuersari in cœlis, atque Angelis propiores, quàm hominibus Monachos, aut verè esse faciebant, aut apparere. Miraculum à parente Bernardo ibi patratum Gaufredus Claræuallis memoriæ prodidit.[b] *In Monasterio* (ait) *Albæ ripæ Monachus quidam adolescens vsum vocis amiserat, vt neque psallere inter fratres, nec à quoquam (nisi multum proximo sibi) intelligi posset, quid loqueretur. Cui vir sanctus dum idem Monasterium visitaret, aquam cum vino benedicens, potum dedit, & post paululum frigidus ex eius pectore mira cum suauitate sudor erupit. Deinde ipsa die ab eodem incommodo liberatus, psallere cœpit, quasi vnus de cæteris fratribus: & hoc illi beneficium vsque hodie perseuerat.* Ita Gaufridus Claræuallis Monachus, de Monacho à Bernardo ibi sanato. 2.

b lib. 4. cap. 4.

At quibus editis in exteros miraculis Petrus Tarantasiensis non multo post eumdem item locum 3.

cum illustrauerit, alius Gaufridus Altæcumbæ Abbas his narrat verbis. *Monasterium Alba ripa à proximo flumine nomen accepit. Huius vicinum oppidum Bairum nuncupatur. Cuius Prepositi vxor sterilis cohabitabat annis quindecim viro suo. Adueniente demum Archiepiscopo, lachrymabiliter obsecrabat, vt auferret sterilitatis opprobrium ab ea. Cui solita pietate compassus, post orationem, & conceptum promisit, & partum. Concepit itaque mulier, & peperit filium, & iuxta verba Archiepiscopi, Ioannes est nomen illi. Siquidem adhuc hodie mater, & filius ambo superstites, ambo testes virtutis existunt. Claudum etiam virum, nec suis pedibus accedentem, sed oblatum manibus alienis, ibidem Sanctus erexit, & ea sibi nunc vsque perseuerat gratia, vt liberè gradiatur.* His miraculis illustris domus reddita: sed sanctitate habitantium, atque eorumdem in cœlis, iuxta Apostoli verbum, conuersatione, longè illustrior. Referam nondum typis euolgatam sub his initiis, incerto licèt anno, Nouitij mortem satis inuidendam, quam duplici visione probatam, commendatamque, in additis ad Exordium magnum inuenio, incerto quidem, sed antiquo, & graui auctore, de cuius fide non liceat dubitare.

4\. [c] *Sacerdos quidam venerabilis, & honesta vita, cùm*
c lib.8. c.13. *esset homo castus, sobrius, & timoratus, operibusque pietatis insignis, & semper intentus, maioris tamen puritatis obtinendæ gratia, domui Alba ripa reddidit se, multumque desiderabat, suscepto habitu, fratrum Collegio sociari. Verùm tamen eiusdem Monastery Abbas, sciens eum virum iustum, atque perfectum, cùm esset valde necessarius cuidam Sanctimonialium Monasterio in vicinia constituto, quibus ipse fideliter ministrando, etiam diuina mysteria celebrabat, dilata eius petitione, multis precibus, licèt inuitum detinebat. Qui dum se molestia corporis quadam vice grauari conspiceret, prædictum Alba ripa Monasterium festinanter adiuit, susceptusque ad probationem intra dies paucos, Deo vocante, migrauit. Et dum in extremis laboraret, duobus religiosis eiusdem loci fratribus ostensa est vna, eademque reuelatio talis in ipsa nocte; vno illorum de altero ignorante.*

5\. [d] *Viderunt ergo beatorum spirituum turbam, immenso*
d cap.14. *iubare coruscantem de cœlo descendere, atque per ampliorem frontem Ecclesiæ illius intrare: qui venientes in Chorum Monachorum, defuncti corporis, quod ibi iacere videbatur, animam solenni officio Domino commendabant, & diuina preconia laudis vsque ad cælum canoris vocibus extollebant. Cùm igitur prædicti Monachi huiusmodi visionem cernerent, pulsata est tabula pro illo nouitio moriente, iam iamque flatum vltimum emittente. Surrexerunt itaque fratres, vt fratris exitum suis orationibus communirent.* Hactenus visio sanctorum Angelorum, qui animam Nouitij commendabant. In qua vt moribundi mercedem iam iam instantem, sic & viuentium merita considero: è quibus illum spiritus cœlestes suo etiam ministerio dignati sunt, hos adspectu, & auditu; quasi vtrosque consortio dignaturi, cùm primum expeditos mole corporea.

Verùm ne prior, quantumuis duobos facta, ipsis aut aliis reuelatio esset suspecta, geminata post gloriosum viri transitum per qoietem in vno, altero ad vigilias excubante, rei veritatem ad experimentum penè perduxit, concordantibus quippe testimoniis, ipsa etiam, quæ minus callebant, comprobantur. Nam pergit anctor scribere in hunc modum. *Facta autem commendatione, & posito in Ecclesia corpore, vnus ex duobus, qui supradictam reuelationem acceperant, affectus magna deuotione, remansit in Ecclesia ad vigilias cum aliis, qui ad easdem fuerant deputati: alter verò dormitorium rediens, ac se recollocans, iterum obdormiuit.* 6.

[e] *Ecce quedam reuerendissima persona apparuit ei,* 7.
quasi arguens somnolentum, & dicens: Vsquequo piger e cap.15.
dormis? En Angeli de cælo venientes circa defunctum fratrem vigilias obseruant, necnon & socius tuus cum aliis vigilando, & psallendo funeri assistit, & tu miser in lectulo tuo stertis, atque inerti sopore deprimeris? Tunc ille exterritus à voce exprobrantis, & increpantis euigilauit, & exiliens de lecto citiùs in oratorium venit, & psallentibus circa defunctum celeriter se adiunxit. In crastinum autem, cùm alter eorum visionem Abbati retulisset, mirabatur vterque, quinam posset esse socius ille, qui dictus fuerat cum aliis vigilare. Post modicum verò cùm alius frater visionem suam similiter reuelasset Abbati, & qualiter cum defuncto mansisset post eius obitum, statim cognouit Abbas, quia ipse esset, qui socij nomine fuerat designatus, pro eo scilicet, quòd ad intuendam defuncti fratris gloriam cum altero fuisset admissus, vt in ore duorum testium staret, & credibile fieret omne verbum. Hactenus ibi. Quibus satis videas in Alba ripa Bernardi Patris spiritum deriuatum in filios, quos his visionibus Deus consolaretur. Verùm hæc satis per occasionem dicta: nunc cæteras Ecclesias prosequamur.

---

1. Meilrosensis Cænoby viri illustres; 2. antiquitas, & occasio fundationis. 3. Dubium de regula. 4. Readificatum, & dotatum ab Scotia Rege, 5. & traditum Gullelmo Rieuallensi: 6. cui etiam Henricus Anglus VVardonam struxit. 7. Mortuum more Cistercio incorporatur. 8. Alexander, præfectura dimissa, piè obdormiuit. 9. Quid de Alto fonte, Cerreto, & Coronato.

CAPVT VIII.

1\. INterim vt Bernardus per totam Galliam, sic filij eius per orbem fructificabant. Nam & Guillelmus Rieuallis Abbas in Anglia, Scotiáque, & Bruno Claræuallis Mediolanensis in Longobardia, & Valeranus Vrsicampi in Normania, & demum alij per diuersas prouincias, & regna dilatabantur. Celebris olim Meilrosensis Abbatia in Scotiæ, & Angliæ finibus: vnde nunc huic, nunc illi regno adscripta, variè ab auctoribus solet adiudicari, quippe bis, vel illis terminis arctatis, extensisve, iuxta diuersam occurrentium bellorum vicissitudinem. Celebris, inquam, agminibus Sanctorum, Doctorum, Pontificum, quibus vtrumque regnum, quin, & vniuersa Ecclesia coronabatur, [a] Bernardus Pater Sanctorum nidum nominat, & reuera, vt Demsteri verbis vtar, [b] *Nullum Sanctorum, quos aluit, numero illustrius, nõ in angustis modò Britanniæ tractibus, sed ne in vniuersa quidem Europa fuit.* Inter cæteros præcipui nominantur Eatas, Boisilus, & Euthbertus, tres primi Abbates loci, indeque Episcopi Ecclesiæ Lindefarnensis, meritis æquè, ac doctrina præclari, neque minus miraculis gloriosi. Nec multum aberrabo à veritate, si venerabilem Bedam eis adiungam: nam, vt Hector Buëtius obseruauit, [c] *Vndecunque traxerit originem, & vbicũque diẽ clauserit,*

a in vit. S. Malach.

b Hist. Eccles. de gent. Scot. lib.5.

c lib.9. rerum Scot.

(scilicet Beda) *situs constat, ex eius, & aliorum scriptis, adolescentem in Italia, senem in Northumbria frequentius inter piorum coetum Melros (Abbatia Monachorumque Cœnobij id nomen est, in Scotorum agro, pientissimus virus, & religione deuotus semper insignis) habitasse, diuersatumque esse.*

2\. Initia domus, & primos habitatores Godvvinus enarrat, ex quibus etiam & tempus facilè colligas. nempe anno Christi sexcentesimo sexagesimo quarto, quo congregato in Anglia Concilio, super Paschæ iuxta ritum Romanum celebratione, Scoti, quibus ea mutatio dura (& inter eos sanctus Colomanus, auiti ritus acerrimus sectator) Angliam deserere, atque ad propria remeare compulsi sunt, vt referunt vtriusque gentis Historici. Verba autem Godvvini ecce subiungo. [d] *Qui cum Colomano in Angliam venerant* (scilicet ex Scotia,) *cum eodem in patriam reuersi sunt. Quidam tamen ex eis, qui permanserunt, Melrosia consenuerunt, Abbatem sibi præponentes Eatam. quem locum, Colomano rogante, Osvvinus Rex eis assignauit.* Sic Gosvvinus. in eo, quem scripsit de Episcopis Angliæ, commentario. Ex quibus verbis non solùm tempus constat, auctoresque, verùm & locus, in quo Melrosia condita, tunc intra Angliæ terminos, quippe concessus in Anglia permansuris, & nolentibus in Ecclesiam remeare. Quod quia fortasse Demsterus minus aduertit, in scriptores Anglos malè impingit, quòd Boisilum (Eatæ successorem) suis annumerent. *Cùm Melrosia* (inquit) *semper in Scotia fuerit.* Sed hoc obiter sufficiat tetigisse.

d apud Demst. l. 5.

3\. Quam regulam Melrosenses olim seruauerint, nequaquam dubitari posse censerem, nisi inter scripta Eatæ inuenissem. [e] *Regulam ad Monachos .... librum vnum.* Ea enim prærogatiua sanctæ, & magistræ regulæ, hoc est, Benedictinæ, semper fuit, vt ab exteris vbicumque terrarum susciperetur, semel admissa, nunquam dimittenda, nunquam in aliam quamcumque transitura. Sed neque Eatas credendus præsumpsisse aliam discipulis suis dictare regulam, præfigere canonem, si regulam sanctissimi Patris professus esset. Fortè non regulam, sed constitutiones scripsit aliquas, velut regulæ declarationes, quod sæpè factum. Certe ipse Eatas, Boisilus, Cuthbertus, Bedaque inter Benedictinos connumerantur, quod tamen minus in confesso est, si Melrosia nondum adhuc sub Sancti regula.

e apud Demst. l. 5. fol. mihi 54.

4\. Vtcumque fuerit Monasterium dudum dirutum, inhabitatúmque, Dauid Scotorum Rex longè pientissimus, de nouo ædificauit, & erexit, quod cuncti auctores [f] Scotici adnotarunt. De eo Ioannes Lesleus hæc habet verba. *Dauid Scotorum Rex quatuordecim Monasteria fundauit, inter quæ Meilrosense, & Kilosense, Cisterciensis vtrumque Ordinis.* Verùm de Kilosensi infrà dicemus. Meilrosiam ab eo magnificè dotatum argumento est liber taxarum Cameræ Apostolicæ M. DCCCLXXX. florenos illi præfigens. Multo autem magis, quod lego apud Lesleum, Alexandrum secundum Scotiæ Regem, cùm plures liberos nothos suscepisset, quatuor ex eis Abbatiis quatuor donasse, quarom prima Meilrosia. Porrò ex earum fructibus dum vixit, *non minorem pecuniam fuisse adeptum, quàm ex regio patrimonio illi competeret.* vt videas facilè Regis fundatoris, siue restauratoris magnificentiam, sed longè magis diuinam largitatem, illam, dum quartam partem regij fisci, aut certè æquiualentem Monasterio tribuere non formidat, vel alia tredecim largè dotatura: hanc, dum dotatis non quatuor, sed quatuordecim, & quibusdam ex eis non inferioribus, quod de aliquibus infrà etiam videbimus, nec exhauritur fiscus, nec minuitur, sed quo magis in cultum Dei diffundit, hoc magis habet, veluti crescens ab ipsis largitionibus. Haud alio sensu oliuæ in sacris [g] litteris filij olei dicuntur, quippe inde habemus oliuas, quæ oleum proferant, vnde oleum ipsum in cultum Dei consumimus, vel in pauperes eius, cùm diffundere videmur, seminamus.

f Hect. Boet. Lesleus, & alij.

g Zachar. 4.

5\. Tum verò Rex fundato Monasterio, dotatoque, ad Guillelmum Rieuallis Abbatem misit, inde coloniam, si detur, asportaturus. Hæc prima Rieuallis proles fuit, quam plures aliæ non diu retardandæ præstolabantur. Ergo Guillelmus Monacho designans, secernensque, Richardum eis præfecit in Abbatem, zelo, quàm discretione commendandum: sed nihilominus doctum, & eloquentem, atque ob has dotes charum cunctis Principibus: & qui opportunè aliis imperaret, si sibi posset. Hi ad Dauidem Regem primò directi, à quo & suscepti comiter, tandem in Meilrosia locati sunt, non minus fertili Sanctorum extunc futura, quàm antea fuisset. De hoc Richardi ad Dauidem Regem aduentu, Polydorus Virgilius hæc habet verba. [h] *Accepit,* inquit, *Rex comiter Richardum ad Cœnobium Meilros* (id loco nomen est) *secundùm fines Scoticos, quod Monachi Cisterciensis Ordinis habent.* Hactenus de Meilrosiæ initiis, ex quibus constat, malè ab aliquibus [i] mortem Dauid Regis ante præsentem annum designari: cùm re vera Richardum ipse susceperit, imò & pòst Monasteria alia condiderit. Qualiter autem idem Richardus Abbas sæcularibus gratior, quàm Religiosis, cedere tamen Abbatiæ compulsus sit, insignem virum sanctum VValenum successorem habiturus, dicam in tempore. Meilrosiæ (vt credo) notitia extat in Iure *in cap. cùm dilecti filij 6. de donationib.* vbi tamen Melios pro Meilros perperam amanuensium incuria, vt alia pleraque inuersa reperiuntur.

h in histor. Angl. l. 26.

i Scriptoribus Scotia.

6\. Parum Guillelmo foret proles vnica, eaque nata, & nutrienda sub vmbra Regia, nisi geminam etiam protulisset. VVardona producta, de Sardis VVardonæ alij appellant, & Monachis illuc directis hoc ipso anno, quem eius lego fundationi præfixum in Chronologia. Fundatorem æquè illustrem habuit, nempe Henricum primum Anglorum Regem, vt viderentur illius insulæ Principes certare inter se deuotione, in familiam Cisterciensem, atque in Guillelmum Abbatem Rievallis, veneratione. Itaque breui dierum interuallo, in Scotiam, Angliamque Monachi missi, vt illi in Northumbria, & Glascoensi diœcesi; sic hi in Comitatu Bedfordiensi, & Lincolniensi Episcopio quieuere. Hoc vltimum geneseos tabulæ produnt: priora duo Arspheldius, vt solet breuiter. [k] *In Betfordiæ* (ait) *comitatu, Monasterium VVardoniense, titulo sanctæ Mariæ. Fundator Henricus primus Rex.* Memoratur VVardona in litteris Gregorij noni: atque item in vita sancti VValeni, qui id Cœnobium probandus nobilitauit, quamuis inde ante probationem raptus sit, & Rieuallem translatus, vt suo loco dicemus. Fuit & alia VVardona in Anglia eiusdem instituti, filia fontium, verùm natu posterior, vt videbimus.

k in Catalogo Cœnob. Angl.

l lib. 1. cap. ...

7\. Dum in Anglia, & Scotia nouas propagines Clarauallis

vallis emittit, Guillelmo auſpice, VValeranus non minori gloria, Mortuum mare in Normania ſibi adoptat. Id Monaſterium Eremitis inhabitandum vir ſanctitate, doctrináque percelebris, nomine Alexander in diœceſi Rothomagenſi, ad Foreſtam Delionis recèns fundauerat, annuente Henrico Anglorum Rege. Sed deſiderio arctioris diſciplinæ, ac VValerani Abbatis Vrſicampi ſanctitate illectus, Ciſtercienſe inſtitutum ſuſcepit, ſub eius cura. De eo hæc Helinandus apud Vincentium. [m] *Eo quoque anno* (ſcilicet M. CXXXVII. nam reformationem vno hic auctor anno, Robertus duobus poſtponit, vt mox videbimus,) *Abbas Alexander, qui cum omni conuentu ſuo, annuente Rege Anglorum Henrico, in Foreſtam Delionis venerat, & in Eremitorio, quod dicebatur Mortuum mare Monaſterium ſuum ædificauerat, ipſam domum ſuam, ſcilicet Mortui maris, Ordini Ciſtercienſi coniunxit, & VValeranus Abbas Vrſicampi eam in filiam ſuſcepit, Monachoſque ſuos illuc tranſmiſit.* Hæc Helinandus. Nec diſſimilia Robertus Abbas Montis. [n] *Hoc tempore* (ſcilicet anno M. CXXXVIII.) *venerabilis vita Alexander primus Abbas Mortui maris, ſe, & domum ſuam tradidit Abbati Vrſicampi.*

m l. 27. ſpec. hiſt. c. 15.

n in contin. ad Sigeb.

8. Porrò Alexander qua pollebat humilitate, non multo pòſt reiecta præfectura, priuatam vitam ſanctiſſimè tranſegit, atque feliciter etiam conſummauit. de eo Nicolaus [o] Arſpheldius in hiſtoria Eccleſiaſtica Anglicana. [p] Philippus Seguinus, atque item Menologium, Februarij quinto. Alexandro ſucceſſit Adam, tunc Vrſicampi Prior, inſtitutus à beato VValerano, quod Belluacenſis his verbis adnotauit. [q] *Non multo pòſt idem Alexander Abbatis curam dimiſit, cui Adam quondam Prior Vrſicampi ſucceſſit.* Atque hæc de vnione huius Cœnobij. Memoratur Mortuum mare in libris Cameræ, nec taxam ſuperat triginta florenorum, & in litteris Innocentij Papæ tertij. Nec multo pòſt ab eius fundatione legitur illuſtratum Henrici Regis Anglorum viſitatione, in vita ſancti Petri Tarantaſienſis, [r] qui ſacros cineres ibidem ei impoſuit. In eadem Eccleſia ſepultus eſt Robertus Poullain, Archiepiſcopus Rothomagenſis 53. qui obiit anno M. CCXXX.

o ſæcul. 12.

p lib. 3. viror. illuſtr.

q in ſpec. hiſt. l. 27. cap. 15.

r apud Sur. May 8. c. 39.

Auxere & numerum Neptium Claræuallis, Claravallis poſterior in Lombardia, & Tres fontes prioris primogenita. Prole vtraque ſuſcepta, nec longè miſſa, quippe hæc Altum fontem in propria diœceſi, nempe Catalaunenſi: illa Cerretum genuit in Laudenſi, Mediolanenſi vicina, & ſuffraganea. Vtraque memoratur in libris Cameræ, illa viginti & ſex florenorum notata taxa, hæc centum. In MS. Roberti Ruſcæ lego Cerretum opus Alberti Olorati Mediolanenſis, qui quandam arcem in Cœnobium commutauerit. Abbati de Cerreto ſcribit Innocentius IV. datis Anagniæ 4. Kalend. Septembris, Pontificatus eius anno primo. Vtrique Chronologia adiungit Coronatum, vt mox videbimus, in Lucanenſi diœceſi, (fortè S. Mariam coronatam) de qua ſuperiùs, filiam Forrariæ, quæ per Foſſam nouam, & Altamcumbam noſcitur pertinere ad Claramvallem. Sed nimis propera vtriuſque parturitio dubiam, & ancipitem reddit, ſaltim de tempore. Atque hæ decem illæ Eccleſiæ ſunt, quas Claræualli acceſſiſſe hoc anno diximus. Reliquas perſtringemus ſequenti capite, Chronologiæ adhærentes, conſueto more. 9.

1. Chronologia Eccleſiarum præſentis anni. 2. Dictum de Siluaneſio, 3. & Toroneto. 4. Quid de Langenio. 5. Karoli locus Ludouici Craſſi fundatio, 6. memoria inſignes. 7. Rupes deinde: 8. ac demum quatuor reliquæ, quarum notitia obſcurior, & incertior.

CAPVT IX.

1. ANno (inquit) *M. CXXXVI. pridie Kalendas Aprilis, fundata eſt Abbatia de Meilros.*

Eodem anno, menſe Aprili, Abbatia Saluanienſis, vel Siluaneſium.

Eodem anno, decimo octauo Kalendas Maij, Abbatia Accinti.

Eodem anno, & die, Abbatia de Floregia.

Eodem anno, quinto Kalendas May, Abbatia de Bueſeſtria.

Eodem anno, & die, Abbatia de Boëfaſta.

Eodem anno, pridie Kalendas Iuny, Abbatia de Balerna.

Eodem anno, duodecimo Kalendas Iulij, Abbatia de Langon.

Eodem anno, octauo Kalendas Iulij, Abbatia Altifontis.

Eodem anno, quarto Kalendas Iulij, Abbatia de Alpibus.

Eodem anno, tertio Kalendas Octobris, Abbatia de Cerreto.

Eodem anno, ſexto Kalendas Nouembris, Abbatia de Domo Dei, alias de Nigro lacu.

Eodem anno, Kalendas Nouembris, Abbatia Mortui maris.

Eodem anno, decimo ſeptimo Kalendas Decembris, Abbatia vallis Beatæ Mariæ.

Eodem anno, ſexto Idus Decembris, Abbatia de Sartis VVardonarum.

Eodem anno, quinto Idus Ianuarij, Abbatia Karoli loci.

Eodem anno, pridie Nonas February, Abbatia de Alba ripa.

Eodem anno, Nonas Februarij, Abbatia de Rupibus.

Eodem anno, Abbatia de Stic, vel Sibc.

Eodem anno, Abbatia de Coronato. Hactenus Chronologia, viginti Eccleſias refert accreuiſſe Ciſtercio intra hunc annum, ex quibus tamen decem iam tradidimus, quæ ad Claramvallem videntur pertinere. Reliquas in hoc capite perſtringam.

Rainardus Pater, quod minus per ſe poterat, quippe intentus negotiis totius Ordinis, per filias, nepteſque ſolicitabat. Vnde hoc anno duas ex Manſiade, ex Eleemoſyna, & Curia Dei, ſingulas lineæ Ciſtercij adauctas, & natas lego. Et Manſiade Siluaneſium, Flotegiamque, aliàs Toronetum, intra quindecim, vt multum, dies protulit, quippe priori intra menſem Aprilem nata, medio menſe, hoc eſt, quarta decima eius die, ſecunda exorta dicitur. De Siluaneſio, pauca nobis ſubſunt, niſi quòd ſita in Ducatu Aquitaniæ, Vabrenſis diœceſis, vbi & in libris Cameræ Apoſtolicæ trecentorum florenorum taxam adæquat. Atque hinc corrigendus venit Henriquez in geneſi Eccleſiarum Ciſtercienſium, vbi Syluam Melonium ſatis corruptè, eamque in Britannia ſitam adſtruit, 2.

retentis circumstantiis anni, & mensis, & quod plus ad rem facit, filiationis.

3\. Totonetum, siue Florigium, nam eadem domus appellatur vtroque nomine, Foroliuiensis diœcesis suscepit. In qua, & in libris Cameræ innenitur, nulla taxa præfixa contra consuetum. Eidem domui præfectum virum sanctissimum, Christianum Sacerdotem de Eleemosyna, cuius superiùs fecimus mentionem, catalogus Sanctorum Cisterciensium Missali antiquo affixus asseuerat. *Christianus* (ait) *in Eleemosyna Monachus, Toroneti Abbas, postea Tolosanus Episcopus.* At non crediderim Monachum Eleemosynæ Totoneto præfectum, cùm primum Monachi ex Mansiade mitterentur, impermixtis nimirum generationibus, quo regimen impermixtum conseruaretur. Sarius duxerim cedenti, mortuoue primo Abbati, subrogatum Christianum, quod intra eamdem lineam non insolitum nota sanctitas viri facilius reddidit. De Fulcone, Archiepiscopo Tolosano, magna Ecclesiæ columna, Floresiæ filio dicam in temporo, & fortè tomum quartum nobis implebit. Philippus Seguinus in sua Bibliotheca nec paucos numero, nec inferioris notæ scriptores recenset eiusdem domus, ex quibus nos etiam aliquos in suis locis. Vtrùm autem hæc domus eadem sit, quam de Flay appellant Authores Angli, Eustachio Abbate celebris, quem infrà memurabimus, aliorum linquo iudicio discernendum.

4\. Longonium sequitur, domus in Britannia, & diœcesi Corisopitensi, quam tamen Cametæ libri prætermittunt, quin & Claudius Robertus. Sed numeratur inter filias Eleemosynæ, vbi & annus, & diœcesis signatur concordi plurium exemplarium testimonio. Fundator domus Conanus, Britanniæ Dux, qui, exemplo matris suæ Ermengardis, Cisterciensem familiam amplificauit. Illustraunt Longonium, siue Langonium (nam sic etiam vocatur, & Langonetum) S. Mauritius, ibidem Deo dicatus, circa annum Christi M. C X L. de quo plura in sequentibus. Valles sanctæ Mariæ plures inuenio, & circa hoc tempus duas, alteram Curiæ Dei filiam, Alneti alteram: sed, dum vtraque in Parisiensi diœcesi dicitur constituta, vacillat tabularum fides in altera. In libris Cameræ vnica notatur, nonaginta florenorum taxa præfixa. Claudius Robertus vtramque distinguit in sua Gallia, alteram in Parisiensi diœcesi sitam, alteram in Normania, sic enim ait: *Vallis sanctæ Mariæ Ordinis Cisterciensis, diœcesis Parisiensis. Vallis sanctæ Mariæ Ordinis Cisterciensis, Alneti filia, fundatur anno 1137. in Normania.* Ego de prima Chronologia hoc anno loquitur, nam secunda inter filias, & neptes Sauigniaci, matris reformationem, atque annum M. C X L V I I I. in quo sese Cistercio dedit, præstolata est, vt suo loco latiùs referemus. Video & alias valles sanctæ Mariæ anno M. C L X X V I I I. & anno M. C L X X X I X. de quibus infrà.

5\. Karoli locum (Cari locum alij dicunt, alij Kalisium) Ludouicus cognomento Crassus Francorum Rex erexit, dotauitque, & Monachos asciuit ex Pontigniaco. Locus in Siluanectensi diœcesi datus, vbi, & in libris Cameræ inuenitur, nulla in nostro exemplari præfixa taxa. Primus Abbas electus beatus Andreas, sanctitate, & doctrina æquè effulgens; quippe vt Regium Cœnobium mundo obortum, regia è cœlo mamilla lactaretur; sed neque indigna fundamenta iaceret, quibus sol ille Galliæ, Ecclesiæque (Guillelmum loquor Bituricensem Archiepiscopum) eiusdem domus pòst futurus Abbas, superædificaret. De beato Andrea Calisij primo Abbate hæc Philippus Seguinus Calisij Monachus, ex antiquis monumentis eiusdem domus. [a] *Sanctus Andreas de Baumontio ex Pontigniaco, primus Calisij Abbas, nomen Sancti sortitus est, anno M. C X L I I.* Hæc ille: quibus non solùm sanctitatem viri prodit, sed tempus item obitus designat, quippe sex annis peractis in præfectura. Menologium eumdem sanctum memorat, decima die mensis Decembris.

a lib. 3. illustr. vir. ord. Cist.

Verùm de Karoli loci fundatore, memoriisque, & summa ipsius gloria sancto Guillelmo, libet Roberti Claudij verba subiungere, qui paucis quidem non pauca compilauit. [b] *Cari locus, vel Karoli locus (ait) Cisterciensis Ordinis, Siluanectensis diœcesis, filia Pontigniaci, ab vrbe Siluanecto duabus leucis distans fundatur anno M. C X X X V I. quinto Idus Ianuary, à Ludouico sexto Crasso, eaque fundatio confirmatur à Ludouico septimo Rege Francorum, & Duce Aquitanorum, anno regni sui primo.* 6. Dedicatur à Guarino Episcopo Siluanectensi, quondam eiusdem Abbate, anno M. C C X I X. Præter Henricum autem Cardinalem, atque S. Guillelmum, Bituricensem Archiepiscopum vtrumque, aliis Ecclesiis illustres Prælatos dedit, sed præcipuè Siluanectensi propriæ matri, quæ Amalricum, Godefridum, Adamum, & Robertum, penè continua serie, ex eadem domo in proprios sibi Pastores cooptauit, Abbati Caroli loci scribit Innocentius Papa I I I. & habetur in capite *ex parte* 3. de Rescriptis. Et memoratur ab Alexandro tertio in cap. *cùm dilecti, de emptione, & venditione: ab Innocentio tertio in cap. cùm ex parte, de temporibus ordinationum: à Gregorio nono in cap. ex parte 33. de rescriptis. Cuius loci Abbas septimus fuit sanctus Guillelmus, postea Archiepiscopus Bituricensis L X V I I I.* Hactenus ille. Habuit Kalisium plures viros sanctos, & doctos, duos Seguinus memorat, de quibus suis locis erit dicendum.

b in catal. Monast. Cist.

Kalisio sub initium anni natæ, Guicardus intra mensem sororem addidit, Rupes, in eadem Antisiodorensi diœcesi sitam, ne longè à matris gremio diuelleretur. Prætermissam inuenio in libris Cameræ, non in genesibus, collatis, concordantibusque variis exemplaribus, quibus æquè consentit Claudius Robertus, his planè verbis. [c] *De Rupibus Ordinis Cisterciensis, vulgo de Roches, diœcesis Antisiodorensis, fundatur anno M. C X X X V I. decimo septimo Kalendas Aprilis, filia Pontigniaci.* Memoratur inter fundatas ab Hugone, Hugonis Pontigniacensis antecessore: vnde & produxisse vitam vsque ad hunc annum superiùs etiam à nobis est ostensum. Loci patroni Niuernenses Comites, pactione, an dotatione? mihi dubium. Et primum illud innuere videtur instrumentum anni M. C C L X X V I I. quod hodieque in eodem Cœnobio extare dicitur. 7.

c vbi suprà.

Quatuor reliquas domos expediam breuiùs, quippe ignotiores: namque Accinctum nullibi inuenio, nisi fortè eadem cum Acilio manso, quam quatuor à Tolosa leucis distare Robertus ait. Lego & Accinctum Cari loci filiam apud [d] Henriquez: verùm hæc non Accinctum, sed Ascium, in Bisuntinensi diœcesi, inter Dolam, & Peniam in Comitatu Burgundiæ, de qua item Robertus in sua Gallia. Nec Buefestriam compertam 8.

d in gen. Eccles. Ord.

pertam adhuc habeo, nisi quòd in Nicolai Arspheldij, catalogo Monasteriorum Angliæ, lego. *In Deuonia Comitatu Prioratus Buckfesteria titulo sancta Maria.* Boëfastam inter filias Sabigniaci memoratam inuenio apud Henriquez, & si non alibi. Stic, siue Sihc commemoratur in genesi Ecclesiarum Morimundensium, vbi Runæ, seu Rumæ filia dicitur.

IESV CHRISTI ANN. 1137. — CISTERCII ANN. 40.

1. Noua Ecclesia in Italia persequutio, 2. cui sedanda vocatus Bernardus ab Innocentio. 3. Oratio eius ad filios deserendos. 4. Viterbium tenet. 5. vbi detinetur Gerards morbo. 6. Inde ad Philippum Turonensem scribit. 7 Tum reuocato à morte Gerardo, Romam pergit. 8. Quantus aduentus illius fructus. 9. & de eius regressu ad Innocentium.

CAPVT I.

1. DVLCISSIMVM sponsi Epithalamium Bernardus Pater per quietem meditabatur, & iam tribus vigintique sermonibus quatuor primos prioris capitis versus ferme absoluerat: cùm ecce sub initium præsentis anni, Christi nimirum M. CXXXVII. iterum in Italiam transalpinat, diutiuo bello finem tandem impositurus. Laborabant Campania, & Apulia sub Anacleto, Rogerio Siculo non solum fauente, sed eo velut pietatis quæsito titulo (is hominum mos est) Ecclesiæ terras sacrilegè occupante. Quin etiam magnum illud, præclarumque occidui Monachatus caput, Casinus mons, Romanæ Ecclesiæ pars non contemnenda, vnde tot veri Pontifices prodierant: tunc à vero Pontifice deficiens, Rogerij metu, an amore, quis definiat? Ad Anacletum proteruè declinauerat, & Senioreto Abbate de medio facto, substitutum Rainaldum sibi præfecerat, ordinatum ab ipso, eoque partes eius promoturum. Denique Romam Anacletus possidebat, cuius, vt proceres iam starent pro Innocentio: at vulgus peruicax, seu priorum criminum conscium, seu spe melioris fortunæ sub rebus turbidis, quæ perditissimos quosque manere solet, pertinax magis, quàm fidum permanere, & vt non pro illo, at contra Innocentium stare cognoscebatur.

2. Ergo rebus afflictis solatium vnicum, Bernardus nomine omnium vocatus est, idque statim sub initium intrantis anni, quippe ante Pisas desertas ab Innocentio, quem mense Martio inde discessisse, Falco Beneuentanus memoriæ prodit.[a]
a in suo Chr. *Anno* (inquit) *M. CXXXVII. & octauo anno Pontificatus Domini Innocentij mense Martio, quinta decima indictione, prædictus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato, de ciuitate Pisana ad ciuitatem Viterbium aduenit, præfatum Imperatorem allocuturus.* Hæc Falco de Pisis desertis ab Innocentio. Bernardum verò ab eo ante vocatum, quàm Viterbium abire deliberasset, argumento est, idemmet Innocentius Pisis quæsitus, nec tamen iam inuentus, vt mox videbimus.

3. Verùm quod ad vocationem Sancti attinet,
b lib. 2. cap 7. Bernardus Bonæuallis Abbas hæc habet verba.[b] *Interea litteræ Apostolicæ virum Dei vocant, vt adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant Cardinales, interrumpuntur studia, &c.* Vocatus, sermones illuc vsque dictatos colligit, eosdem Bernardo de Portis remittit, vt suprà vidimus.
c ibidem. [c] *Inde* (Bonæuallis Abbatis verba sumo) *videns excusationes frustrà obtendi, conuocatos à multis partibus fratres diu, multumque suspirãs affatur. Videtis fratres in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri (scilicet Leonis) in Italia, & in Aquitania, auctore Deo, elisa, iam non parturit, sed abortit. En fati sunt in his regionibus schismatis defensores. Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, & fauent ei multi fidelium: qui tamen temeraria multitudinis impetum formidantes, non audent publicè confiteri, quem Innocentio firmauere consensum. Coniuratos habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia, & munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi repræsentat præstigia. Contra vnam gentem, occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis, & iubilantibus, Iericho ruet, & cùm extenderitis cum Moyse ad Deum manus, Amalech victus aufugiet. Iosue pugnat, vt ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata. Soli, vt stet, non tam orat, quam imperat, & meretur fides tam Solis obedientiam, quàm de hoste prostrato victoriam. Nobis ergo pugnantibus, vos ferte præsidium, & auxilium de cœlo supplicibus animis implorate. Agite, quæ agitis, & state in gradu, quo statis, & licèt nihil vobis conscij sitis, iudicio tamen vestro non æstimetis vos iustos, quia solus Deus, qui iustificat, iudicat, & perfectissimus quisque iudicij diuini districtum examen ignorat. Iudicari autem ab humano die non multum curetis, neque vestra propria, neque aliena iudicia approbantes. Sub timore Dei sic state, vt nec vos quempiam iudicantes, aliquando extollamini: nec aliorum curantes iudicia, excidatis in nugas; singula verò prosequentes, vos seruos inutiles reputetis. Eundum est autem, quo nos obedientia vocat, & huius domus paternitatem, & vestri custodiam Deo, pro quo hunc laborem assumimus, confidentes de eius clementia tradimus, & commendamus. Hæc dicens, & benedicens flentibus vniuersis, discessit, & cum multa reuerentia vbique susceptus est.* Hactenus de discessu Bernardi, Bernardus Abbas, qui socios in viam assumptos nequaquam memorat, sicut nec breuem quam fecit Viterbij moram. Fecisse autem, & cum eo pertexisse Gerardum fratrem, quæ mox subiungam, pleniùs declarabunt.

Interim adnoto, traditione, & frequentibus 4.
picturis, quàm veterum testimoniis compertius fore, cùm sanctus Pater Alpes transiturus currum conscenderet, Dæmonem inuidentem Ecclesiæ paci, quæ ex eius aduentu sperabatur, confregisse rotam, retardando, qua posset, cœpto itineri, aut sancto viro, si posset, præcipitando. Tum verò ipsum prophetiæ spiritu plenum, & nihilominus consilij, & fortitudinis, potenter imperasse fractori Dæmoni, vt seipsum in rota substitueret, rotandum pariter, currumque laturum. Sic factum fuisse, vt idem promoueret iter, qui retardabat, & qui vltrò euntem impediebat, portaret coactus, irrisui simul, exemploque futurus. Extant picturæ antiquæ, recentesque typis Romæ mandatæ,

b Peralus l. 1. cap. 16. Montalus, & aly. mandatæ, ex quibus [b] Neoterici hausere. Auulsus dulcissimus Pater à suis filiis, Pisas primò, vnde vocatus fuerat, petiit, reputans se inuenturum ibidem Summum Pontificem, vbi autem cognouit inde profectum, abeuntem Viterbium vsque sequutus est, ibique ab eo, & cunctis Cardinalibus honorificentissimè susceptus. Porrò autem cùm conuenisset Pontifici cum Imperatore rem totam armis agere, & diuisis agminibus, inde Campaniam, hinc Marchiam expugnare, vt tandem vrbis faciliùs potirentur. *Communicatis cum sancto* c vbi suprà. *Patre consiliis* (pergit [c] Bernardus Abbas) *secundùm rerum prouentus, & statum causarum, Abbas* (scilicet sanctus Bernardus) *alia via opus aggreditur, neque in curribus, neque in equis spem ponens: sed colloquia quorumdam suscipiens, sciscitabatur, quæ sit eorum facultas, qui sanorum animi? Vtrùm errore, an malitia tantum scelus protrahant seducti, & protelent? Intellexit ex secretis, clerum, qui cum Petro erat, de statu suo solicitum, scire quidem peccatum, sed non audere reuerti, ne perpetua notatus infamia vilis inter cæteros haberetur, & malle sub vmbra honestatis interim sic esse, quam expelli a sedibus suis, & publicè mendicitati exponi.* Placuit sanctum Doctorem Romam mitti, ad Innocentium, quos posset, reducturum.

5. Sed properantem, ac promptum obedientiæ, Gerardi fratris morbus detinuit, afflixitque, si moreretur, & imminebat mors, vno ictu complures sauciaturus. Bernardum, vt destituendum fratris solatio, quem charissimum, quem vtilissimum semper expertus fuerat: Claramvallem, Gerardumque dulci consortio, hanc, si careret optata sepultura, illam, si frustraretur sacris cineribus. Ergo de more confugit ad orationem, & vt non vitam, inducias postulauit, quo vsque vterque in Claramvallem reuerteretur: exaudiendus pro sua reuerentia, nec differendo vltra terminum Gerardo, quo clarior vis orationis perspiceretur. Eumd serm. 26. in Cant. dem Sanctum loquentem audiamus. [d] *Recordor,* e Psalm. 50 loquitur, *Domine pacti mei, & miserationis tuæ,* [e] *vt magis iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris. Cum pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbij essemus ægrotauit ille* (idest, Gerardus) *& inualescente languore, cùm iam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere aliena, nec resignare his, qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde: conuersus ad orationem cum fletu, & gemitu: Expecta, inquam, Domine vsque ad reditum. Restitutum amicis tolle eum iam, si vis, & non causabor. Exaudisti me Deus, & conualuit,* &c. Hactenus sanctus Pater de Gerardo infirmante Viterbij, & precibus ipsius saluti reddito, postquam præfixo termino elapso, inter manus suorum expirasset anno sequenti. Sed de his, & felici eius transitu infra dicemus.

6. Dum Bernardus Viterbij morabatur, contigit Philippum Turonensis Ecclesiæ pseudo electum (decesserat enim Heribertus anno proximo, & Philippus antecessoris ipsius nepos per vim intrusus, eamdem sedem adolescens occupauerat) contigit, inquam, Philippum Romam petere, à pseudo Papa ordinandum pseudo Episcopum, eoque ab Ecclesia Catholica præcisum, iuuenem alias Bernardo familiarem, & multis animi dotibus illustrem: ad quem, cùm Romæ esse compe-risset, breuem, sed acrem scripsit epistolam, nec minus dulcem, [illegible] amoris affectu plenam.

f epist. 151. [f] *Doleo super te, Philippe charissime, sed quæso te, ne rideas dolorem meum. Nam si tibi minime videris forsitan esse dolendus, ideo magis dolendus. Tu videris, quid de te sentias, ego te arbitror omni lachrymarum fonte plangendum. Dolor meus non est dignus subsannatione, sed compassione: quia dolor meus non est de carne, & sanguine, non de amissione rerum perituràrum, sed de te ô Philippe. Non potui expressiùs demonstrare magnitudinem causæ doloris. Philippus est in causa. Cùm hoc dico, grauem Ecclesiæ pronuncio luctum, quæ te aliquando suo gremio confouebat germinantem sicut lilium, florentem donis innumeris. Quis tunc temporis non clamabat bonæ spei iuuenem, bonæ indolis adolescentem? Sed heu* [g] *mutatus est color optimus. A quanta* g Thren. 4. *spe decidis Francia, quæ te genuit, & nutriuit! O si cognouisses & tu, inquam, si apponeres scientiam, apponeres & dolorem, & dolor tuus faceret, ne noster omnium esset infructuosus. Procederem, si sequerer spiritum meum, sed nolo proferre plurima in incertum, & esse quasi aerem verberans. Sed hæc scripsi, vt nostrum vtcumque erga te affectum cognosceres, & vt nos scires esse in proximo, si fortè Deus inspiraret tibi nostrum curare colloquium, & optatam nobis tui velles exhibere præsentiam. Sumus enim Viterbij, & te morari in vrbe audiuimus. Dignare rescribere nobis, quidquid illud sit, quod de his litteris corde conceperis, vt sciamus, quid faciendum sit nobis, plus videlicet, minúsve dolendum. Quòd si omnia contemnis, & in nullo nos audis: ego quidem fructum non perdam litterarum, quæ ex charitate procedunt: sed tu de contemptu ante tribunal terrificum respondebis.* Hæc ad Philippum Bernardus Viterbij manens, affectuosè, & neruosè, sed sine fructu, quippe efficacia cedente malitiæ hominis. Contra quem tamen adhuc pertinacem post mortem Petri, aliam ad Innocentium scripsit epistolam, quæ inuerso ordine, præcedenti anteposita, inter epistolas Sancti circumfertur. Sed de his satis, & qui plura volet, legat Ioannem Picardum in notis ad hanc epistolam.

Inter hæc cùm Gerardus conualuisset, Bernar- 7.
dus Pater confestim Viterbium deserit, & Romam scandens, conuenire singulos, congregare vniuersos, auctorem schismatis Petrum detestandum, Innocentium sequendum cunctis ingerere, vnitatem Ecclesiæ prædicare, scindentes arguere, excusationem effugia penitus claudere, & neque Ecclesiam sine obedientia veri Pontificis, neque extra Ecclesiam salutem comminabatur. At quæ rebelles, velamenta prætexerent, & quas Sanctus rationes illis obiiceret, ad reuelandam, debellandamque perfidiam, Bernardus Bonævallis Abbas his narrat verbis. [h] *Eorum qui de Petri* (Leonis scilicet) h Cap. 7. *prosapia erant, hæc erat responsio: Quia iam credi eis à nemine posset, si demembrarent genus suum, & eum relinquerent, qui cognationis suæ caput esset, & Dominus. Cæteri iuramento fidelitatis excusabant perfidiam, neque aliquis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denunciabat itaque eis Abbas sanctus colligationes impietatis esse sacrilegas, & prophanas conspirationes, legibus, & canonibus condemnatas, iuramentis non posse muniri, nec posse, nec debere veritatis sacramenta mendacio suffragari. Insanire autem eos qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant, cùm oporteat extra ordinarias pactiones quocumque religionis obtentu sancitas reuocari in irritum, & auctoritate diuina dissolui.* Hæc, & alia Bernardus Petri fautoribus, quo proprij criminis conscien[illegible] stimulatos ad vnitatem faciliùs reuocaret.

Sed quem effectum hæc sequuta fuerint, per- 8.
git auctor describere in hæc verba. *Auditis his aliisque viri Dei sermonibus, defluebant a Petro, & quotidie partis illius dissoluta [illegible] agminibus, vincula, rumpebantur.*

bantur. Ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium verò crescere, minimè dubitabat. Defecerant pecunia, contabuerat curia amplitudo, aruerant ministeria domus, rarus mensam eius frequentabat conuiua, delicia in plebeia cibaria commutata, cultus obsequentium vetustate obscurus, stipendiarij are alieno oppressi, tota domus effigies pallida dissolutionem imminentem indicabat. Hic fructus functæ à Bernardo legationis apud Romanos.

9. [i] Baronius longas protraxisse moras Romæ sanctum Doctorem ingenti putat prouentu Catholicorum. [k] At Petrus Diaconus scriptor illius temporis, rediisse Campaniam in mense Iulio, atque ad montem Casinum legatum, nec semel docet, eùm Pontifex, Imperatorque ibidem consisterent. Sic nihil vsquam factum sine Bernardo. Rem planè dubiam, & scrupulis suppositam, sed ab auctore, qui cunctis interfuit, traditam, saltim illi adscriptam, qua fide accepimus, eadem referemus. Nec dubitamus multa viris addita; sed addita tamen, adeóque supponentia non pauca vera.

i ad hunc ann.

k in Chron. Casinens. l. 4. cap. 106.

---

1. Casinates Anacleto, & Rogerio antè addicti, 2. Lotharium vocant, per quem Ecclesiæ reconciliarentur. 3. Romanæ, & Casinatis Ecclesiæ procuratores, inter quos Bernardus, & Balduinus. 4. Lotharij oratio. 5. Disputatio Petri cum Girardo Cardinali, 6. itemque alia cum Cisterciensi Monacho, 7. per tres dies 8. producta. 9. Quid de vtraque senserit Baronius, 10. & quadam addita.

CAPVT II.

1. CONuenit [a] Benentano Falconi cum Petro Diacono, dum sanctus Pater Romæ demoraretur, Innocentium profectum in Campaniam, atque ibidem, agente Henrico Duce, potitum rebus, quem Lotharius cum ipso transmisisset. Verùm quæ apud Casinum gesta sint, à Falcone omissa, atque à solo Petro memoriæ prodita, seu vulgata eius nomine. Vero similia primum, probandaque, mox etiam dissonantia proferamus. Ricardum ait Casinensem Monachum, Pontificis Capellanum ab ipso missum, vt Monasterium hactenus schismaticum, atque adhærentem Antipapæ Anacleto, Ecclesiæ procuraret reconciliandum: si resipisceret, paternè suscipiendum, pro reuerentia loci, & religione in sedem Magni Patris: sin minus, visitandum in virga ferrea, iuxta exigentiam propriæ obstinationis. Porrò Rainaldum Abbatem recèns intrusum in Anacleti fide pertinacem, quippe à quo ordinatus antè fuisset, & à quo esset in sede conseruandus, restitisse conatibus, & Monasterium eidem, Rogerioque, verbis & armis, qua potuit, confirmasse. Cæterùm Monachos nec Rogerio fidos, quippe à quo multa mala perpessi essent, nec Lothario infensos, quem potiùs sibi patronum exoptassent, cùm à Rainaldi electione diuisi essent, eo spreto, ad Henricum misisse nuncios, per quem Lotharij fauorem adipiscerentur. Tum Henrico veniente ad Monasterium, atque imperiali vexillo arci imposito, mutua fœdera pacta, firmataque datis hinc inde, & acceptis mutuis pignoribus. Et defecturos statim ab Anacleto, si non putarent præteritam perfidiam cunctatione consilij posse velari, quasi solo iudicio consensissent, qui nunquam possent, aut vellent dissentiri sine matura deliberatione.

a Chron. Beneuent.

2. Ergo qui inobedientiæ non quæsitus, vt obedientiæ color obtenderetur, Imperator ascitus, velut arbiter, Casinenses cum Innocentio compositurus. Hactenus vera, aut saltim vero similia: at quæ in præsentia Lotharij gesta ferantur, quia à vero nimium videntur exorbitare, ne qua in parte nobis imputari possint, eiosdem Petri verbis placet scribere. Nisi, quod tamen prius animaduerto, quicumque fuerit eius historiæ auctor, vltra alios errores, de quibus infrà, annum etiam incertum elegisse: neque solum incertum, sed repugnantem, quippe sequentem M. CXXXVIII. in quo Innocentius Romam iam reuersus, Lotharius vel à Roma etiam discesserat. Quare vt posset in aliquo constare, in præsentem fuit nobis referenda. Sed iam auctoris verba proferamus, quæ ita habent.

[b] *In nomine Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, anno ab Incarnatione eius M. CXXXVIII.* 3.
indictione prima, septimo Idus Iulij, anno Imperij Lotharij Cæsaris septimo, residente eodem inuictissimo Principe ad aquas Pensiles, considente etiam Peregrino Patriarcha Aquileiensi, cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus quampluribus, Causidicus pro Romana Ecclesia directus est Girardus Cardinalis tituli sanctæ Crucis, & Guido Cardinalis, qui ambo Romani postea fuerunt Pontifices, Haimericus Cancellarius, & Diaconus Cardinalis Presbyter, Balduinus Cardinalis, qui pòst Pisanus Archiepiscopus fuit, & Robertus Claræuallensis Abbas, & alij plurimi Romanæ vrbis nobiles. Ex parte verò Casinensis Ecclesiæ auditores fuere Henricus Dux Imperatoris gener, Conradus Dux, qui pòst Imperij sceptra tenuit, Otho Imperatoris consobrinus, Fridericus Marchio Anconitanus, Malaspina Marchio Liguriæ, Henricus Episcopus Ratisponensis, Hanno Episcopus Basiliensis, Hanno Abbas Luneburgensis, Gulfridus Paladinus Romani Imperij Iudex.

b lib. 4. Chr. Casi. c. 110.

Facto itaque silentio Imperator dixit: Non modò 4.
præsentium, & temporalium, veriùm futurarum, æternarumque rerum in hoc conuentu discussio erit. Constat enim sanctos Patres, dum vnius rei gratia Concilia sæpe celebrarent, plurima vnius occasione diffiniisse. Ita & hic Romanæ quidem, & Casinensis Ecclesiæ causa, cum specialiter agi videatur, variæ tamen, agente Deo, soluentur quæstiones, fiet que vnius Ecclesiæ causa, salus omnium per orbem constitutarum. Nos quoque vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, dignum duximus huic interesse Concilio, & eorum quæ dicentur librare momenta. Defensores vtriusque disceptantium partis magnificos à nostro latere dedimus viros, qui violentiam omnem prohibeant. Hactenus ille. Quibus planè videas indignam prorsus Ecclesia Romana, cæterarum omnium capite, cum peculiari membro concertationem, indignum litigantibus tribunal, sæculare Ecclesiis, & Ecclesiasticis: denique indignum Innocentio Papa factum, qui Cardinales, qui Bernardum legaret ad hoc negotium, vt vel ex his falsitatis arguatur, quicumque scripsit. Quin & Robertus Abbas Claræuallis non minus arguit figmenti suppositionem.

Subiicit statim disputationis seriem prolixè 5.
continuatam per dies quinque, inter Girardum Cardinalem,

Cardinalem, & ipsum Petrum, hunc defensorem Ecclesiæ Casinensis, illum Romanæ. Disputationis præcipuus scopus fuit: An Casinenses, abiurato Anacleto, Innocentio obstringendi forent per sacramentum? Addita quæstio de electione Abbatis, & quid iuris haberet in eam Vicarius Christi?

6. Subdit Petrus secundam disputationem cum Monacho Cistellensi (sic ipse vocat) protractam diebus tribus, in qua aduersario, vt apparet, sibi ficto, facile potuit voti compos euadere. Disputationem eam quantumuis futilem, ne qualicumque lectorem meum fraudem, placuit in eius gra-

e lib. 4. c. 114. tiam hic subiungere. [e] *Dum Cardinales à facie Imperatoris exiissent, quidam Cistellensis Monachus eminus adstans, subsannare cœpit Casinenses Monachos, quòd filio Petri Leonis adhæsissent, & Abbatem sibi absque consilio Papa elegissent, asserens electionem irritam fuisse. Ad quem Petrus: Electio, inquit, eius iuxta antiquam Monasterij consuetudinem facta, liquidò constat. Cistellensis ait, Rainardus vester Abbas non fuit, ideoque facta eius pro nihilo ducenda sunt. Petrus: Non solum qui Casinum habitabant, verùm & omnes circum manentes eum vt Abbatem habuerunt. Cistellensis ait: Electio tamen illius ficta, & reprobata fuit. Ad hæc Lotharius, De omnibus, inquit, quæ contra nostram carueram Casinensem Ecclesiam Cistellensis obiecerat, Petrus Diaconus lucidè satis, apertéque respondit. Sed huius altercationis iste sit finis. Singuli ad hospitia redeant, manè rursus ad conflictum redituri.*

7. [d] *Die altera, vbi lux est reddita terris, Imperator*

d Cap. 115. *accersitus Magnatibus suis, in consistorio resedit, & vtrasque disceptantium partes coram se ingredi iussit, & dum venisset Cistellensis, huiusmodi disputationis initium dedit. Princeps Monastici Ordinis Benedictus regulam scribens, vitæ descripsit modum, vos illius præceptorum immemores multa adiecistis, nonnulla subduxistis, nec veremini aliter ac ille iussit agere. Petrus: Quid contra regulam agamus in conspectu Domini nostri inuictissimi Imperatoris edicito. Cistellensis ait: Contra regulam agitis de cibo, de potu, de indumentis, aliisque quampluribus. Petrus: Falsus testis non erit impunitus, nam Casinenses Monachi cum regula, non contra regulam agunt. Vestimenta habemus, quæ corpus contegant, nuditatis verecundiam arceant, & frigoris iniuriam repellant. Cistellensis: Cur nigris vestimentis semper vtimini? Petrus: Quia talibus Benedictus Pater vsus est, vt habitu quoque, mundo renuntiasse videretur. Hæc, & similia multa cùm dicerent, Lotharius Imperator dixit: Etsi varia contra Ecclesiam Casinensem protulistis, quia tamen ad vestra fulmina apertè satis Petrus Diaconus, & Romani Imperij fidelis respondit, omnemque mentium nostrarum fugauit ambagem, quisque ad suum hospitium redeat, manè rursus ad conflictum remeabitis. Petrus autem imperiali causa cum Bertulfo Cancellario nostro remaneat, Imperij seruitia peracturus. Hac vbi Cæsar edixit, ad tentoria sua quisque secessere.*

8. *Nocte verò adueniente Imperator pro tribunali sedens, Annales Principum, atque Imperatorum coram se afferri, atque recitari iussit. Vbi autem Solis iubar matutinum illuxit, Cæsar ascitis aulicis, vtrasque partes ingredi iussit, & cùm adessent, sic exorsus est. Ea quæ conferenda sunt, præcipimus, vt Scripturarum testimoniis roboretis, vt amotis omnibus dubietatis ambagibus, iustitia, ac veritati tenaciter inhærere valeamus. Cistellensis respondit, Iure cum adolescente isto pro Casinensi Ecclesia congrediendum esset, nisi de schismate, & hæresi ipse, & Casinensis Ecclesia notata esset. Petrus: Erubescens conticescat lingua frenetica, quæ prius in latratum, quàm in æqua verba prorupit. Ad hæc Imperator anticipans: Quoniam (inquit) pro Casinensi Ecclesia solus congredi aduersus omnes cœpisti, veraciter, & non furiosè respondere te conuenit. Indecens enim est, vt in imperiali aula morantes, & protodomestici Imperatoris effecti, inhonestum quid, aut insulsum in sermone, in incessu, habituve proferatis. Petrus: Siquid, Imperator inuicte, seruus vester in loquutione peccauit, iste me compulit, qui ab ipso disputationis exordio in iniuriis cœpit, & in iniuriis perseuerat. Cistellensis: Dic, vbi iniurias irrogaui? Petrus: Cùm nobis excommunicationis, & schismatis titulum affixisti. Cistellensis: Si placet, edicito, quid sit iniuria? Petrus: Iniuria est, quæ verbis fallentibus irrogatur. Vos autem falsissimè loqui ante Dominum Imperatorem veriti non estis, cùm hæresim nobis immisistis. Cùm plura disputassent, Peregrinus Patriarcha respondit: Iusta, & competenti ratione constat Cistellensem à Petro Diacono fuisse superatum: ideoque huius controuersiæ iste sit finis.* Hactenus disputatio secunda Petri Diaconi.

Verùm quid de vtraque Baronius sentiat, non 9.
abs te erit in præsenti etiam subiungere. [e] *De dis-* e ann. 1138.
putatione Cardinalium cum ipso Petro coram Lothario Imperatore, ab aliquo pro arbitrio commenta, cùm multipliciter arguatur falsitatis, indignam putamus, quæ Annalibus intexatur. Ita Deus mentienti resistit, vt quamuis vafer, & callidus sit, qui orditur telam mendacij, eius obscuret, veluti fascino intellectum, vt videre non sinat, quæ aliis sunt perspicua, vt sic inde possit redargui falsitatis. Ita Baronius. Porrò errores à nobis suprà tacti, quorum acta conuincuntur, paucis enumerat. *Quomodo ergo à Petro præsens annus, & anni præsentis indictio ponitur, & certa dies consignatur mensis Iulij eius anni, quo nec Imperator, nec Pontifex fuere ad aquas Pensiles, sed Romæ eo tempore degerit Innocentius, & Imperator Lotharius iam ab vrbe recessisset versus Galliam Cisalpinam? Præterea quisnam ibi ponitur Robertus Abbas Claravallensis interfuisse, vna cum Cardinalibus publicæ disputationi, cùm non alius, quàm sanctus Bernardus fuerit hoc tempore Abbas Claravallensis? Insuper quomodo passurus fuisset Innocentius Lotharium Imperatorem præfuisse iudicem inter Cardinales, & Monachos Casinenses, qui, vt vidimus, maximè indignè animo tulit, eumdem audisse causam Monachorum inter se diffidentium.* Ita Baronius, quibus addi posset, quisnam Cistellensis ille fuit, tantæ tunc apud omnes æstimationis, cui causa publica defendenda permitteretur, tam minimæ, vt Anonymus existeret, ignotus etiam ei, quem impugnabat? An ne Bernardus, quem ne iterum falsò nominaret, maluit omittere? At Bernardus non eminus adstaret, quem Pontifex, quem Imperator venerarentur, quem assidentem inter Cardinales orbis adspexit. Sed neque vocandus ad conflictum foret, si non conflictus illi committendus. An fortè alius à Bernardo Patre fuit, qui se non iussus tantæ causæ ingessetit? Quicumque fuerit, meruit nominari vel ex Antagonista, vel ex confessu. Quid, quòd disputatio ipsa vtrinque frigida? vtrinque etiam non semel extra chorum? Et leuium ictuum leuior retusio, vel prorsus nulla, & cui indignè victoria adscriberetur. Atque hæc dixerim, satisfacturus muneri: nam vt omittere incuriæ dandum foret, sic oscitantiæ, aut inertiæ non redarguere.

1. *Rainaldus*

1. Rainaldus Casinas Innocentium iurat, 2. & Monachi, qui venerant cum eo. 3. Tum Balduinus ad Conuentum mittitur, per quem idem à cunctis exigeretur. 4. Bernardus electionem Rainardi cassat cum Cardinalibus. 5. Inde ad Abbates congregatos Cisterciȷ scribit. 6. Romam pergit, 7. vnde ad Campaniam infestatam denuo, 8. cùm Lotharius non posset, 9. redit, ab Imperatore legatus, atque Pontifice. 11. Balduinus Cardinalis præfectus Pisis.

CAPVT III.

1. VTcumque fuerit, id compertum est, Casinates, vt decebat veros Catholicos, & veros Benedicti parentis filios, Innocétium, abiurato Anacleto, suscepisse; obedientia firmata per iuramentum, quod præsentibus vtriusque Curiæ proceribus, primum omnium Abbatem emisisse, idem qui a c.116. lib.4. supra Petrus his verbis narrat. [a] *Bona Martyris Symphorosa die misit Imperator cum electo* (scilicet Rainaldo) *& fratribus, Henricum Ducem generum suum, Corradum Ducem nepotem Henrici quinti Imperatoris, Othonem consobrinum suum, omnesque Archiepiscopos, Episcopos, Comites, Duces, ac Romani Imperiȷ proceres. Cumque ad Papæ tentorium appropinquassent, Cardinales occurrentes interrogabant, si Rainaldus Abbas Casinensis filium Petri Leonis renuere paratus esset. Quod cùm ille annuisset, protinus eum in hæc verba iurare fecerunt. Ego Rainaldus refuto, & anathematizo omne schisma, & omnem hæresim extollentem se aduersus sanctam, & Apostolicam Ecclesiam. Anathematizo etiam filium Petri Leonis, & Rogeriũ Siciliæ Comitem, omnesque illorum complices. Et obediens ero Domino Papæ Innocentio, & successoribus canonicè intrantibus.* Hactenus de Abbatis iuramento Petrus Diaconus.

2. At & à Monachis, qui è Casino cum ipso venerant, quamuis nonnihil illud recusauerint, tandem ex obedientia eius emissum, ita prosequitur. *Cumque Rainaldus in hæc verba iurasset, reliquos similiter iurare cogebant. Illi autem Patri Benedicto, eiusque successoribus se iurasse, atque ideo sacramentum se exhibere non posse dicebant. Tum Rainaldus ex parte Patris Benedicti, ac sua præcepit, vt obedientiam, quam beato Benedicto, & eius successoribus sibique exhibuerant, in manu Papæ promitterent: sicque constricti fratres, quòd electus ad Euangelia, hoc ipsi iuxta tenorem chartulæ in manu Episcopi Hostiensis iurauerunt: adiecto insuper, quòd si Casinensis à Romana Ecclesia diuisa fuerit, ego in Monasterio non manebo, neque Abbati obedientiam, nisi salua Romani Imperiȷ fidelitate, seruabo. Hæc vbi ad Papæ libitum impleta sunt, ab excommunicationis nexu absoluti, nudis pedibus, ad Papæ vestigia, deinde ad osculũ recepti sunt.* Hæc de iurata obediẽtia per Rainaldum, & Monachos, qui cum eo ad Papam venerãt.

3. Verùm cùm eadem forma iuramenti ab his, qui in sacro Conuentu relicti fuerant, imò ab ipso Conuentu præstanda foret, nec Innocentio vacaret, illuc adire: id tamen in reuerentiam tantæ domus, & Benedicti Patris prouisum est, ne res extraneo alicui committeretur, sed Sancti filio. Nec nisi per professorem sanctæ regulæ emendãdum veniret, si quid erratũ ab eius sectatoribus. Igitur vnus Balduinus electus est Cardinalis assũptus ex Claravalle, quem cum Guidone, & Girardo Cardinalibus, Bernardoque, procuratorem Ecclesiæ Petrus scripserat. Ei autem negotium demandatum non b lib.4. c.19. multò pòst scribit totidem verbis. [b] *Misit autem Pontifex cum dicto Rainaldo Balduinum Presbyterum Cardinalem, præcipiens vt filiũ Petri Leonis à Casinensibus Monachis anathematizare faceret, ac Papæ, eiusque successoribus obediẽtiam ab ipsis exigeret. Quod ita factum est.* Atque hæc in prima parte disputationis.

4. Quod verò attinebat ad electionem, ne vel ea sine Benedicti filiis agitaretur, Bernardo examinanda commissa est, duobus Cardinalibus adiunctis, Haimerico, & Girardo, qui firmandam, infirmandamve decernerent, semel decretam, aut euerterent, aut conseruarent. Res vtrinque discussa diu fuit. Verùm cùm irritam tãdem intellexissent, quo negotium maturiori iudicio, suauiorique, nec sine integra audientia partis exequerentur. [c] *Manè* (inquit) *facto, Haimericus Diaconus Cardinalis Romanæ Ecclesiæ Cancellarius, & Gerardus Cardinalis sanctæ Crucis, & Abbas Clarevallensis ab eodem Papa transmissi sunt, qui Rainaldum ipsum examinarent.* At cùm ne ex eius confessione haberent, vnde possent in officio conseruare, [d] *Sequenti die rursus ascendentes ad Monasterium, in Capitulo resedere: vbi post factum à venerabili Clarevallensi Abbate sermonẽ, Cardinales auctoritate Apostolica Rainaldo Abbatiæ officiũ interdixerũt.* Pergit auctor de virga pastorali, annulo, & regula ad corpus beati Benedicti ab eo depositis, deque noua Guibaldi electione. Atque hæc de gestis Casini per Cistercienses, si qua fides habẽda Petro Diacono. Nunc reliquos euentus prosequamur.

c cap.129. d cap.123.

Rebus apud Casinum ita dispositis, & debellatis per Campaniam vrbibus, quas sibi, & Anacleto Rogerius per vim subdiderat, cùm Innocentius versùs Romam iter pararet, infirma aliàs Bernardi valetudo vltra consuetum viribus defecta, exhausta laboribus, solo spiritu corpus sustentabat. Extat epistola illius hoc anno scripta ad Abbates Cisterciȷ congregatos, quæ moribundum hominem depingit, quasi fratrum affectum, & compassionem, vel ex ipsa miseria, excitatura. 5.

[e] *In multa infirmitate corporis, & cordis anxietate* (Deus scit) *dictaui ista ad vos homo miser, homo natus ad laborem, frater tamen vester. Vtinã nunc ipsum spiritum, in quo congregati estis, merear habere interpellatorẽ ad vestram vnanimitatem, qui imprimat pectoribus vestris calamitatem, quam patior: qui imaginem mei tristem, ac supplicẽ, sicut est, fraternis affectibus repræsentet. Nõ hoc oro, vt creet in vobis nouã misericordiam, quia noui ego quàm familiaris vniuersitati vestræ sit illa virtus: sed hoc oro, vt in intimo semiatis, quo, & quanto affectu oporteat misereri. Certus enim sum, quia si id datũ fuerit, continuò lachrymæ de thesauro pietatis erumpent, singultus, & gemitus, & suspiria hinc inde pulsabunt cœlos, & audiet Deus, & placabitur mihi, & dicet: Reddidi te fratribus tuis, non morieris inter extraneos, sed inter tuos. Tantis siquidem laboribus, & doloribus affectus sum, vt sæpe tædeat me etiam viuere. Humanum autem dico propter infirmitatem nostram. Desidero differri, vsque dum reuertar ad vos, vt non moriar nisi inter vos. De cætero fratres, bonas facite vias vestras, & studia vestra, quæ recta, quæ honesta, quæ salubria sunt, constituentes, & tenentes, ante omnia soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, & Deus pacis erit vobiscum.* Hæc ad Abbates Bernardus de seipso, vt Gerardo Viterbiȷ, non multo antè, timenti sibi non moti in Claravalle.

e epist 145.

At non ideo cessatum à laborando, nec induciæ concessæ defectis viribus, Innocentius, Lothariusque Romam profecti, Doctorem sanctum secum assumpsere, quippe quo sine nihil vtrique lætum, nihil prosperum putabant posse contingere. Nec fefellit spes viros alioqui 6.

prouidos, Romæ negotia Ecclesiæ sic promouit, vt paulo pòst ad suos Claræuallenses non dubitauerit
f epist. 144. scribere in hæc verba. [f] *Sed & hac vice, quàm necessaria Ecclesia Dei sit, vel fuerit, præsentia paruitatis nostræ, dicerem ad consolationem vestram, si non gloriam redoleret. Nunc autem melius est, vt hoc per alios cognoscatis.* Et quid credamus agendum reliquisse, cùm de seipso ad suos talia scripsit, vir verò humilis?

7. Sed dum hæc Romæ in melius succedebant, iterũ in Campania turbata omnia, & ciuitates Ecclesiæ vendicatæ, rursus amissæ, atque expugnatæ, deuastatæ, deditæ, ad Anacleti partes reuertebantur. Imperatoris discessus Rogeriũ Ducem, Rogerius cuncta mala secum attulit, solius Bernardi meritis fuganda, quo soli Deo victoria adscriberetur. At quænam mala Imperatoris discessum sequuta sint, non aliunde melius, quàm ex epistola Guibaldi noui Casinensis Abbatis, ad Imperatorem scripta,
g lib. 4. Chronic. Casinens. cap. 127. haurire poterimus. [g] *Post decessum vestrum Sarraceni, Normanni, ac Longobardi, inueniẽtes quietam terram, quæque aduersùm se diffidere vastantes omnia, atque populantes cæde, & incendio cuncta demolientes, nec arboribus quidem fructiferis parcunt, ne ferè quos vel cauerna montium, vel defossa terrarum occulsant, hoc pabulo nutriri possint, tantáque crudelitate bacchantur, vt nullus integer eorum euadat manus, nullusque sit ab eorum infestatione immunis locus, præsertim in possessionibus Casinensis Monasterij, & in aliis Ecclesiis, Basilicisque Sanctorum, ac Monasteriis sceleratiùs imminent, & maioribus incendiis orationis domus, quam vrbes, & castra conflagrant. Impletur modò in Ecclesiis, quod vir sanctus deplorat ad Dominum, dicens: Vbi laudauere te Patres nostri, facta est exustio ignis. Nunc iam venit hora, & qui nostram prædantur terram, incendunt, vastant, & rusticos, ac Monachos vinciunt compedibus, & manicis aggrauant, cædunt, cruciant, vendunt, & persequuntur, obsequium se præstare Deo arbitrantur.* Hæc & longè maiora in ea epistola, quæ breuitatis causa prætermittimus.

8. At pius Princeps senio, & morbis fractus, & morti proximus, non potuit subuenire desertis rebus, & seruabatur victoria Bernardo Patri, qua non posset ab alio defraudari. Perfecerat sanctus Doctor in pace multa, & gladio spiritus, quod est verbum Dei, ignea nequissimi aduersarij tela extinxerat. At non armato militi oppositus materialem contra Ecclesiæ inimicos ensem vibrauerat: non in stragem, non in fugam rebelles egerat, ante conflictum parentes ipsius verbis; siue dimissos post tempus paritutos. Ergo ne vel hoc frustraretur victoriæ genere, diuina prouidentia effectum est, vt solus, humilis, pauper, & moribundus, exercitui victori obiiceretur: verbis, si posset, Rogerium compesciturus, sin minus, armis, atque illis armis, quæ victa, fugataque, tunc nihil prorsus auderent contra victores.

9. Baronius solius Innocentij consilium memorat. Ego in Bernardo (epistolam mox referam) Impera-
h an. 1137. toris etiam consensum lego. [h] *Vt spe contra spem nitens in tanta desperatione rerum, contra florentes tyranni Siculi impetus, aduersùs ferociam vltoris, & victoris exercitus, vnum obiecit hominem humilem, sed Dei virtute potentem, qui in fugam conuerteret sanctæ Romanæ Ecclesiæ victores hostes. Eiusmodi planè nouit esse opera*
l 1. Cor. 1. *Dei, nimirum vt infirma [l] mũdi eligat, vt confundat fortia. Sic igitur imperio Christi gladium exertum in defensionem Ecclesiæ in vagina recondens, ad arma spiritualia Deo potentia se conuertit, sumens scutum fidei, eoque omnia tela nequissimi securus excipiens, illæsus lædere aduersarium festinauit. Quomodo ista? Audi sanctum Bernardum Abbatem Claræuallensem, quem Romæ reliquerat, ad Rogerium tyrannum spirantem minarum, & cædis in omnes, qui essent Innocentij Papæ communioni, mittit,* &c. Hactenus Baronius qua solet vi, elegantiaque verborum, nisi quòd Innocentio soli attribuit, quod nos vtrique, ipsi videlicet, & Imperatori?

Porrò antem vtrique tribuendum esse, imò & 10.
vtriusque Curiæ cunctis proceribus, idemmet Sanctus ad Claræuallenses suos scripsit, mellita sanè, lacteáque epistola: quam quia totius rei, quin & valetudinis ipsius statum complectitur, non abs te erit ad litteram transcribere.

[k] *Ad suos Claræuallenses. Tristis est anima mea, vsque* k epist. 144.
dum redeam, & non vult consolari, vsque ad vos. Quæ enim est mihi consolatio in tempore malo, & in loco peregrinationis meæ? Nonne vos in Domino? Minimè quidem deserit me, quocumque iero, dulcis memoria vestri: sed quãto memoria dulcior, tanto absentia molestior. Heu mihi, [l] quia incolatus meus non solùm prolõgatus est, sed l Psalm. 119.
etiam cumulatus. Et reuera, iuxta Prophetã, [m] super do- m Psalm. 68.
lorem vulnerum meorum addiderunt, qui me à vobis aliquando, vel corpore separant. Est commune exiliũ, ipsumque molestum satis, quòd quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Huic accessit speciale (quod penè impatiẽtem me reddit) vt cogar viuere sine vobis, longa molestia & tædiosa expectatio, vanitati huic occupãti omnia tandiu munere subiectũ, fæculenti corporis horrido circundari carcere, & mortis vinculis, funibusque peccatorum necdum absolui, & tanto tempore non esse cũ Christo. Cæterùm aduersùs hæc omnia, vnicum mihi remedium qualecumque erat, & verè datum desuper, pro vultu videlicet gloriæ, qui absconditus est vsque adhuc, videre interim templum sanctum Dei, quod estis vos. Ex hoc templo facile mihi videbatur transitus ad illud gloriosum, ad quod Propheta suspirat, dicens: [n] Vnam petij à Domino, n Psalm. 26.
hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius. Quid dicam? Quoties id solatiũ interpolatum est mihi: Ecce hoc tertiò (nisi fallor) auulsa sunt à me viscera mea. Paruuli ablactati sunt ante tempus: ipsos quos per Euangelium genui, non licet educare. Propria denique deserere, & aliena curare cogor, & dubito penè quid ægrè magis ferã, an subtrahi illis, aut intricari istis. Itane bone Iesu, tota deficiet [o] in dolore vita mea, & an- o Psalm. 30.
ni mei in gemitibus? Bonum mihi Domine magis mori, quàm viuere est, non tamen nisi inter fratres, inter domesticos, inter charissimos. Id siquidem dulcius, humanius, tutiusque esse constat. Imò verò pium est, vt in [p] hoc re- p Psalm. 38.
mittas mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & ampliùs non ero. Si placet Domino meo, vt oculi patris qualiscumque, qui non sum dignus vocari pater, claudãtur manibus filiorum, vt extrema videant, exitum consolentur, spiritum suis desideriis leuent, ad consortium, si dignum indicas, beatorum, cum pauperũ corporibus pauperis corpus sepeliant: hoc prorsus, si inueni gratiam in oculis tuis, precibus, & meritis eorumdem fratrum meorum obtinere toto affectu desidero. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Nec mihi viuere volo, nec mori. Sed dignũ est, vt qui dolorem meum audistis, etiam consolationẽ non ignoretis, si qua est. Primum quidem de omni labore, & calamitate, quam patior, solùm arbitror esse in causa eum, cui omnia viuunt. Velim, nolim, necesse est me viuere illi, qui meam sibi propriæ vitæ positione acquisiuit, qui & potens est, si quid patimur pro ipso, recõpensare nobis in illa die misericors, & iustus iudex. Quod si inuitus militauero ei, dispensatio mihi tantùm credita est, & ero seruus nequã. Si autem volens, gloria est mihi. In hac ergo aliquãtulum cõsideratione respiro. Deinde quod sæpe non meis meritis superna gratia honestauit me in laboribus meis, & gratia illa in me vacua non fuit, sicut in multis expertus sum, & vos ex parte non latuit. Sed & hac vice, quam necessaria Ecclesia Dei sit, vel fuerit præsentia paruitatis no-

stræ:

stræ:dicerem ad consolationem vestram, si non gloriam redoleret. Nunc autem melius est, vt hoc per alios cognoscatis. Instantissima postulatione Imperatoris, Apostolicoque mandato, nec non Ecclesiæ, ac Principum precibus flexi, dolentes, & nolentes, debiles, atque infirmi, &, vt verum fatear, pauida mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliam. Rogate quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, rogate quæ ad salutẽ sunt nobis, vt iterum vos videamus, vobiscum & viuamus, & moriamur: & sic viuite, vt obtineatis. Infirmus in arcto tẽporis, certè cum lachrymis, & singultibus ista dictaui, teste charissimo fratre nostro Balduino, qui stylo ea excepit, quem Ecclesia vocauit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem. Orate & pro ipso tanquam vnico solatio meo, & in quo spiritus meus plurimus requiescit. Orate pro Domino Papa, qui me pariter, & vniuersitatem vestram paterno fouet affectu. Orate & pro domino Cancellario, qui mihi pro matre est, & pro ipsis qui cum eo sunt, domino Luca, & domino Chrysogono, Magistro Yuone, qui se nobis exhibent fratres vterinos. Qui mecum sunt frater Bruno, & frater Gerardus, salutant vos, supplicantes & ipsi pro se orari. Hactenus Bernardus ad filios sibi charissimos.

Ex qua epistola obiter colligitur, hoc eodem anno, imò hoc ipso eiusdem anni tẽpore, Balduinum Cardinalem Bernardi filium, ad Ecclesiã Pisanam fuisse assumptum, quippe qui mense Iulio nõdum vocatus, vt ex Petro Diacono superiùs recẽsuimus. *Missus est* (inquit) *Balduinus Cardinalis, qui pòst Pisanus Archiepiscopus fuit*, sub finem Octobris, aut Nouembris initium, iam consederat, *teste*, inquit, *charissimo fratre nostro Balduino, qui stylo ea excepit, quem Ecclesia vocauit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem*, nempe Archiepiscopalem. Nam Cardinalitiam possidebat à multo tempore. Videas etiam, vt Bernardi auctoritatem, sic Balduini miram dignationem, huius humilitatem, illius gloriam: atque in vtroque excellentem Dei virtutem. Cardinalis, Archiepiscopus Pisanus, Ecclesiæ Princeps, pauperis Monachi amanuẽsis, minister que inter infulas esse gloriatur, neque hic refugit, quippe humilitas altiùs radicata nullis superbiæ ventis mouebatur. Sed nos Sanctum prosequamur vsque in Apuliam. II.

1. Bernardus, cùm Rogerium primum per preces, 2. mox per minas non posset, 3. tandem Rainulfo Duci vincendum tradidit. 4 Mox armis positis indicta disputatio, 5 & designati ex vtraque parte sex. 6. Soli tamen Petrus Pisanus, & Bernardus rem peregere. 7. Huius oratio. 8. Petrique reductio. 9. Sancti miraculum, 10. & reditus ad vrbem.

CAPVT IV.

1. SVpeterat ex parte Lotharij Rainulfus Dux, Ecclesiæ simul fidelis, & Imperio: sed viribus Rogerio longè impar, sicut fortunà, quippe ille paucos, victosque ducebat, indoque timidos: nec aspernantes fugam, per quam suprema pericula euasissent. Huius copiis, & potentiam obtenta prædæ, & multitudo robur, & animum victoria ministrabat. Ergo ad Rogerium Bernardus Pater missus, quod primum erat, dissuadere bellum, impedire cõgressus, instillare concordiam, & pacis fœdera sancire solicitabat. Iniustis causis victoriam parum fidam, sacrilegis exitiosam etiam fore: nec excusari eam à sacrilegio, in qua verus Christi Vicarius expugnabatur. Exerendas contra inimicos crucis vires, qui sine infamia, aut culpa debellarentur. Nunc siue vincat Rogerius, siue vincatur, Christianos victos, atque ipsi imminere Christum vltorem.

2. Hæc & alia Bernardus ad illum Principem: quibus tamen, cùm nihil emolliretur, minitari fugam, prædicere stragem: demum cùm omnia in casum cecidissent, Rainulfo Duci ad bellum exhortato, contra spem omnium, victoriam repromittit. Audi Bernardum Bonæuallis Abbatem, dum ista narrat.

a lib. 2. cap. 7. [a] *Cùm enim* (inquit) *primus eorum, qui vocati fuerant* (id est, antequam Cardinales accersitentur, de quibus statim) *Abbas sanctus adueniens, Regem in castris positum inuenisset, per multos dies vicinas acies, ne prælium committerent impediuit. Denuncians Regi, quia si conflictum inieris, victus, & confusus abibis. Nouissimè verò, cùm eiusdem Regis plurimum creuisset exercitus, ignorans, quòd non in multitudine euentus foret belli, virum sanctum quærentem ea, quæ pacis erant, vlteriùs audire contempsit. At ille Ducem Rainulfum, & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est, & triumphum.* Hæc ille de Bernardi prædictione.

3. At quem congressus exitum habuerit, qualiterque per Bernardi Patris preces, à Deo acceptam victoriam Rainulfus Dux Bernardo etiam detulerit, pergit auctor describere in hæc verba.

b ibidem. [b] *Cùmque ad proximam villulam declinasset* (scilicet Bernardus) *& instaret orationi, repentè fugientium, & insequentium clamor auditur, siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Rainulphus persequebatur. Egressus itaque frater quidã ex his, qui cum Abbate erant, vni ex militibus occurrit, & quid accidisset, interrogat. At ille,* (*siquidem litteras nouerat,*) [c] *Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatũ sicut cedros Libani: & transiui, & ecce nõ erat. Nec mora, Dux ipse sequutus, vt Monachũ vidit, sicut erat armatus equo desiliit, & eius pedibus aduolutus: Gratias, inquit, ago Deo, & fideli seruo eius* (Bernardo scilicet) *quia nõ nostris viribus, sed eius fidei collata hæc victoria est. Iterũque insiliens equo, hostes insequebatur.* Hactenus ille de insigni ea victoria, per Bernardum nõ solùm prædicta, sed consequuta, vt iam tunc triũphis inciperet præesse, per tot militarium Ordinum stemmata, tot etiam de inimicis triũphos asportaturus. Sed de his infrà. Nunc Bernardũ parentẽ vt in bello, sic in disputationibus potentem, victorẽque, vtroque gladio insignẽ prosequamur. c Psalm. 36.

Rogerius, inopinata plaga accepta, eo timidior, nec ausus vltrà progredi, nisi vires, potentiamque resumeret, opportunum ad id tempus expectãs, vel magis faciẽs, ne interim à Rainulfo molestaretur, vafrum pro tempore cõsilium excogitauit: nempe vt Bernardum in suæ cõuersionis spem coniiceret, & armis ex vtraque parte submotis, disputationibus negotiũ committeretur. Cæterùm qua ratione hæc gesta sint, ex Falcone Beneuentano primùm, mox ex Bernardo Abbate Bonæuallis, mutuis subsidiis, supplementisque meliùs prosequamur. *Cùmque* (ait Falco in Chronico prædicto) *præfatus Abbas de Claraualle, vir valde mirabilis, & disertus, de pacis fœdere, & Ecclesiæ vnitate cum nominato Rege* (Rogerio scilicet) *confabularetur assiduè: Rex ipse cum Abbate illo stabiliuit, vt tres Cardinales ex parte Innocentij Papæ, qui eius interfuissent electioni, ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte Anacleti, ac Ordinem electionis vtriusque intimarent. Deinde ipse Rex, audito Ordine vtriusque partis, præstantiorem, quam putaret,* 4

electionem eligeret: & sic Spiritu sancto fauente, ad pacis perueniret, cum totius regni magnitudine, firmamentum, quam suo arbitrio, & sententia confirmarent: cognouerat enim, firmiterque crediderat, totius mundi Christicolas parti fauere Innocentij, & eius Pontificatum venerari, se verò solum cum sui regni latitudine dissentire. Hactenus Falco de Regis propositione.

5. At quàm ea grata vtrique parti fuerit, quique ab vtroque ad conflictum destinati, pergit scribere. *His auditis, continuò ad Innocentium Papam, & Anacletum delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur. Placuit itaque eis, & consilio firmato, à parte Innocentij Haimericus Cancellarius, & Gerardus Cardinalis, vir valdè venerabilis, Salernum simul cum prædicto Abbate Claræuallensi super huiusmodi electione ventilanda venerũt. Ex parte verò Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Pisanus Cardinales, & alius Cardinalis nomine Gregorius similiter accelerauere.* Hactenus Falco, quibus videas iniendo nouo conflictui, tres pro parte Anacleti Cardinales, ab Innocentio duos associato Bernardo, fuisse electos.

6. Disputationem ab omnibus conceptam, itemque continuatam per dies octo, assistente Rogerio, & supra regiam patientiam sustinẽte, idem qui suprà Falco memoriæ prodit. Sed ad vltimum inter duos tantùm conflictum, nempe Petrum Pisanum ex vna parte, & Bernardum ex alia, eiusdem disputationis acta manifestant, quæ mox subiungam. Porrò Rogerium malitiam malitiæ superaddentem, dolosè etiam expetiisse certamen istud, sunt qui
e cap.7. affirment, eloquentia veritatem obscuraturum. [e] *Audierat enim* (inquit Bernardus Bonæuallis Abbas) *Petrum Pisanum eloquentissimum esse, & in legum, & Canonum scientia nulli secundum. Putabatque si eloquentia eius in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis posse obrui, & silentium ei vi verborum, & pondere rationum*
f Rom.11. *imponi.* Sed, [f] O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudi-
g 1.Cor.1. cia eius? quippe [g] infirma mundi elegit, vt confundat fortia. Certè qui per stultitiam prædicationis saluos fecit credentes, per infusam Bernardo scientiam nil mirum, si de mundi sapientibus triumphauit? vt qui Bernardum venerat confundere, ipse non tam confusus, quàm sibi redditus, ex tunc pro veritate firmior, quàm pro mendacio olim abiurato Anacleto, Innocentium per omnia sequetetur. At vtriusque conflictum audiamus.

7. [h] *Priùs itaque Petrus electionem Domini sui Canoni-*
h lib.2.c.7. *cam probare contendit, & verba sua multis legum, & Canonum assertionibus munit. At verò vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens: Scio, inquit, Petre, te virum sapientem, & literatum esse: & vtinam sanior pars, & honestiora te occuparent negotia. Vtinam te patronum causa felicior obtineret, & sine dubio rationabilia allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem agrestes, ligonibus magis, quam declamationibus assueti, si causa fidei non vrgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas lo-*
i Ioan.19. *qui, quia tunicam* [i] *Domini, quam in tempore passionis nec Ethnicus præsumpsit scindere, nec Iudæus, fauore*
k Ephes.4. *hoc Domino, Petrus Leonis lacerat, & dirumpit.* [k] *Vna est fides, vnus Dominus, vnũ Baptisma. Nos neque duos dominos, neque geminã fidem, neque gemina baptismata nouimus. Vt ab antiquis ordiar, vna arca tempore diluuij fuit, in hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus euaserunt, & quotquot extra arcam inuenti sunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Ecclesiæ, nemo est, qui ambigat; arca alia nuper fabricata est, & cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus* (scilicet Leonis) *si ex Deo est, necesse est, vt arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, & peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania Iberi, & Angli: & Barbara regna in profundum pelagi demergentur? Religio Camaldulensis, & Carthusiensis, & Cluniacensis, & Grandimontensis, & Cisterciensis, & Præmonstratensis, aliique innumerabilia seruorum, & ancillarum Dei collegia necesse est, vt sub vno turbine corruant in abyssum. Episcopos, & Abbates, & reliquos Ecclesiæ Principes collo præcipiti mola asinaria alligata, pelagus vorax excipiet. Solus ex Principibus mundi arcam Petri intrauit iste Rogerius, & cæteris omnibus enecatis, solus ipse saluabitur. Absit, vt totius mundi religio pereat, & ambitio Petri, cuius vita palàm est, qualis extiterit, regnum cælorum obtineat.*

Ad hæc verba iam non vltrà se poterant, qui præsentes 8.
aderant, continere: sed abominati sunt & vitam Petri, & causam. Abbas autem tenens manum Petri (scilicet Pisani) *eleuauit eum, & simul ipse surrexit: Tutiorem* (inquiens) *si mihi credas, intrabimus arcam. Et sicut iam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, vt ad vrbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur.* Hactenus ibi. Sic sic Bernardus vtroque congressus genere, de hostibus Ecclesiæ victoriam referens, triumphasse gloriosus? non multo post finem tandem impositurus prolixo schismati. Sic sapientia sapientum reprobata, vt Dei virtus manifestior agnosceretur. Qualiter autem idem sanctus Pater eumdem Petrum Pisanum Romam perductum Innocentio, & Ecclesiæ reconciliauerit, & sequuta post triduum morte Anacleti, serenus dies, tenebrarum discessu, orbi illuxerit, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

Interea Sanctum prophetiæ, & fortitudinis, at- 9.
que item sapientiæ donis illustrem miracula fecerunt illustriorem, reuelata virtute nobili viro, atque eidem infusa salute simul cum aqua, in qua vir Dei manus fortè abluerat. Id celeberrimum in vrbe Salernitana idem qui suprà auctor his narrat
vetbis. [l] *Circa curationem cuiusdam viri nobilis, &* l lib. vit. c.7.
in vrbe Salernitana notissimi, succumbentibus Medicis, quorum ibi præcipuè ars viget, & studium, eidem viro de Medicorum auxilio desperanti, noctu quidam per somnium apparens intimauit, aduenisse Salernum virum sanctũ, & in curationibus efficacem. Hunc inquirere iubet, & de lauacro manuum eius bibere. Quæsiuit, inuenit, aquam petiit, bibit, conualuit. Hoc verbum per totã vrbem diuulgatum, ad aures Regis, & procerũ eius peruenit. Hæc de miraculo Salerni à Bernardo facto: non implorante, vt solebat, virtutem Dei, sed præuento ab ipsa, cùm neque oraret, neque vellet, fortè nec sciret.

Pergit auctor de regressu Sancti ad vrbem, solo 10.
Rogerio in malitia pertinaci, quippe extendendi imperij sæua libido, quæ Regibus non raro inesse solet, occupauerat animum, & obstabant per flagitium inuasæ vrbes, quas nunquam posset conseruare, nisi per turbinem. Non ergo tam Anacletus Innocentio, quàm æmulatio paci præferebatur: vt neutro sibi Ecclesiam vendicante, vterque discerperet, & metu æmuli ab vtroque extorqueri, quod à neutro securo, & quieto posset. *Solus Rex necdum voluit obedire* (inquit Bernardus Bonæuallis Abbas) *quia sancti Petri patrimonium, quod in Casinensi, & Beneuentana Prouincia amplissimum est, cupidus occupauerat, putabatque huiusmodi suspensionibus aliqua à Romanis extorquere priuilegia, per quæ in ius proprium deinceps stabiliretur hereditas.* Hic finis legationis sancti Patris, nam de regressu ad vrbem pòst dicemus.

1. *Martini*

1. Martini Cidis genus, vitaque. 2. Cisterciensis instituti ardens propositum. 3. Interpositus Bernardus Zamorensis, 4. & Monachi impetrati ex Claravalle. 5. Discordantia Geneseos, & Chronologia. 6. Visitati ab Alfonso Imperatore, 7. & privilegio muniti eiusdem Principis, 8. Corollaria deducta ex privilegio, 9. & concernentia historiam illustris domus. 10. Columba hoc anno cœpta inhabitari.

CAPUT V.

1. DVm hæc per Bernardum in Italia peragebantur, in Hispania Monasteriū Bellifontis, hodie Vallis paradisi prope Peleas, inter Zamoram, Salmanticamque situm, Claramvallem adauxit. Eum locum speluncā latronum olim Martinus, cognomento Cidis, genere nobilis, patria Zamorensis, dignitate Sacerdos, moribus Sanctus, primum quidem in domum orationis, mox iunctis sociis, in transeuntium hospitium commutauerat. Inde Hispano vocabulo *Alvergueria*; quòd in eo peregrini susciperentur. Confratribus, sic enim vocabantur, præsidebat Martinus; illi pauperibus deuoti ministrabāt: & erant Xenodochio possessiones, de quibus pauperes Christi sustentarentur. Extat rescriptum Innocentij Papæ tertij, post septuaginta annos expeditum, quo recensitis nonpaucis possessionnibus, hæc verba subiiciuntur à summo Præsule. [a] *Quæ omnia idem Monasterium* (scilicet de Peleas, a loco conuicino sumpto vocabulo) *priusquam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat.* Quibus planè videas, & præcessisse ibi aliqualem Conuentum fratrum, confratrumve, quibus cura immineret peregrinorum; nec defecisse dotē pro necessariis, iuxta tenorē, & normam susceptæ vitæ.

[a] *ex archiuis Vallis paradisi.*

2. Verùm Martinus quo erat feruens spiritu, arctiorem adhuc vitā concipiens animo, Zamorēsem Episcopum Bernardum, à quo primùm Sacerdos, mox cōfratribus illis præfectus fuerat, deuotus rogat, vt Cisterciensis instituti normā, quod tunc recens florebat in Moterola, sexto à Zamora lapide, & sibi, & suis, si posset, impetraret. Audiisse se, illic habitare Bernardi filios, qui Dei laudibus iugiter insisterent, quique in cœlis Angelorum more conuersarentur, qui corpus vigiliis, abstinentia macerarent; qui continuò manuum labore victum quærerent, qui vitam ducerent per omnia supra humanam. Iufeciora tenere, fragilitatis, summa contemnere, abiectionis etiam esse, quam vt effugiat, Cistercium sibi in corde, ipsius interuentu, consequendum. Non defuturum se suscepturum opus, nec pauperibus vnquam defuturum, sed vitam eam actioni deputatam, contemplationis pennis sublenandam, quo nullo terreno affectu deprimeretur. Vtraque munia in melius promouenda mutuis subsidiis, & esse ex suis vtrique vitæ aptos, qui Marthæ, qui Mariæ vices obirent. Habeant tantùm discipulos Bernardi, quos æmulentur: si fieri possit, ab ipso Sancto doctos, sin minus quoslibet, vel ascitos ex Moterola. Mariana Scriptores antiquos sequens Episcopum natione Gallum tradit, eoque Patri Bernardo familiarem.

3. Ergo quo aqua purior hauritetur ex ipso fonte, sanctum virum per litteras affatur. Martinum Cidis Sacerdotem sanctum, olim Anachoteram, tunc Cœnobiarchām, cerné præfectum sociis, qui pauperum seruitio mancipati, quoddam velut religiosæ vitæ genus æmularentur, ardentem animi Cistercium suspirare, & Magistros venturos ex Claravalle, per quos Ordinis mores edoceretur. Ascitos inde ante paucos annos ad Moterolam illustrasse illam diœcesim, cui felix ipse, si gemino Conuentu Cisterciensi, velut duplici pœna subleuandus, præsideret. Et Zamoram inter vtrumque locum sitam, & ferè æquè distantem, antiquam sedem, sed recens renouatam, inualituram, si tali vtrinque præsidio suffulciatur. Non solis Monachis patere Cistercij leges, reformatos ad eas eremitas, reformatos & Clericos, cur non & illi velut hospitalarij, qui reformari cupiebant, susciperentur? Et Martinum præ aliis dignum esse, quem vel fugientem Bernardus ad se alliceret. Denique locum ipsum opportuuum, nec tenuem fructibus, quem Imperator Cistercio aliàs deuotus, Bernardoque, non difficile foret confirmaturus.

4. Hæc & similia Bernardus ad Bernardum, ad Abbatem Episcopus scripsit. Nec displicuere in oculis Sancti verba Pontificis, quippe qui vt filios non longiùs ablegandos, sic ablegatos nequaquam relinquendos, sed veluti associandos nouis agminibus, inuicem iuuaturis, iuuandisque, deliberato consilio iudicabat, & erat iam Hispania minus suspecta quadruplici propagato per eam germine, qua parte coëunt Legionēses cum Lusitanis. Tunc quatuor Monachos selegit, transmisitque, seu Godefrido mandauit transmittendos. Egeam, Gerardum, Petrum Pictauiensem, atque Bernardum: imparem numerum plantandæ nouæ familiæ, sed informandæ antiquæ satis aptum. Et confirmata Martino præfectura, deferente Bernardo testimonio Zamorensis Episcopi, de sanctitate, & prudentia viri Dei, quam ipse etiam in multis expertus esset, seu fortè Sanctus per Spiritum edoctus, vt futura, ita absentia penetrauit. Hinc factum est, vt de huiusmodi domus initiis instrumenta discordent etiam antiqua, & quædam neque inter Claræuallis filias nominent, quædam postponant. quippe non misso conuentu ex Claravalle, sed paucis Monachis, hisque alterius imperio subfuturis, via tanti fuit, vt tempus adnotaretur.

5. Certè (nam & hoc obiter notauerim) in genesi earum Ecclesiarum, quæ viuente Bernardo natæ ex Claravalle, apud Ioannem [b] Picardum protsus omissa, in aliis dilata etiam post Armentariam, hoc est, post annum M. C L X I I. &, quod magis miteris, apud [c] Henriquez filia Vallis Ecclesiatum commemoratur. Nec aliter, aut firmiùs in Chronologia, omittentibus quibusdam exemplaribus, aliis differentibus. Et sunt quæ annum M. C L X X X. illi assignent, vt ferè nobis tempus in dubio foret, si non Imperatoria donatione hoc ipso anno Monachos Cistercienses memorante, qui iam Martinum Cidis comitarentur, discussis tenebris, veritas manifestè comprobaretur. Donationem statim subiungam, nunc ad historiam.

[b] *post opera Bernardi.*

[c] *in fasciculo sanct. Cisterc.*

6. Bernardum Pattem rescripsisse Episcopo credendum est, cuius arbitrio cuncta disponerentur. Quin & ad Imperatorum dedisse litteras, pro Monachis, quos mittebat, commendatitias, eiusdem domus traditio antiqua perhibet. Illud compertum, eumdem Imperatorem, siue Bernardi litteris id dederit, seu Zamorensis Antistitis admonitioni? seu tandem sanctitati Martini, sociorumque, & quatuor Monachorum, qui superuenerant,

quod litteris conformius, hoc ipso anno visitasse locum, virosque, ac ipsorum propositum laudasse. Quin pro innata sibi largitate auxisse dotem domus, pro nouo Monasterio sub Cisterciensi instituto ædificando, donatione firmata priuilegio, quod tempus, simul & seriem euentus indicat.

7\. [d] *Ego Alfonsus Imperator Hispaniæ, unà cum uxore mea domna Berengaria, grato animo, & voluntate spontanea, pro Dei amore, & remedio peccatorum meorum, & vt vita nostra, & successorum nostrorum cum Dei adiutorio, & Matris suæ Virginis Mariæ valeat melius prosperari, & deuotione, quam habeo erga Martinum Cidis, quem inueni virum iustum, & sanctum, & gratia, & deuotione, quam habeo erga confratres suos, & Monachos Ordinis Cisterciensis, qui cum eo sunt, in Conuentu in Aluergueria noua de Peleis, circa Ecclesiam sancti Michaelis Archangeli, quos inueni facientes vitam sanctam, & honestam, dono, & concedo prædicto Martino Cidis, & confratribus suis, & Monachis Ordinis Cisterciensis, qui cum eo sunt in dicta Aluergueria in conuentu, nunc & in perpetuum duas villas meas, quæ sunt desertæ, & depopulatæ, quæ sunt in termino de Zamora, & vocantur Cubo, & Cubeto, & dono, & concedo prædictas villas Martino Cidis, & confratribus, & Monachis supradictis, & successoribus eorum iure hereditario... Et mando prædicto Martino Cidis, & Monachis, quòd faciant ibi in prædicta Aluergueria vnum Monasterium Ordinis Cisterciensis, ad honorem Virginis Mariæ, quod Monasterium habeat iure hereditario in perpetuum prædictas villas cum suis terminis, &c. Facta charta donationis Zamoræ, quarto Nonas Octobris, tempore quo Guido Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Concilium in Vallisoleto celebrauit, & ad colloquium Regis Portugaliæ cum Imperatore venit, M. CLXXV.* Hactenus priuilegium Imperatoris, quod plures regni proceres confirmant.

[d] ex monum. Vallis paradisi.

8\. Hinc primò videas sanctitatem Martini supra vulgatem, neque aliàs prædicandam à tanto Principe. Videas secundò præcedentem Conuentum qualemcumque aliquorum confratrum probatæ vitæ, pauperibus ministrantium sub sancto viro. Videas tertiò associatos illis Monachos, haud dubium quin quos sanctus Pater miserat, ad Præsulis Zamorensis requisitionem. Denique videas designatum aduentus annum, atque eo ipso Monasterium mandatum construi. Nomen à fonte proximo mutuatum, Bellifontis vocabulum effecit. Id variè mox retentum, omissumve, & conuicino castro non rarò cedens, sancta Maria nunc de Bellofonte, nunc de Peleis dicta vulgari vsu, tandem mutato locò prorsus euanuit, atque in Vallem paradisi mutatum est, Fernandi Legionensis Regis iussu, quod suo loco, & tempore dicemus. Interim adnoto eumdem Ferdinandum, cùm translationem priuilegio suo muniret, primitiua vocabula expressisse dum ita ait. [e] *Abbas, & Monachi Monasterij de Bellofonte, quod Peleas generaliter appellatur Ordinis Cisterciensis, &c.*

[e] in Tabular. eiusd domus.

De sanctitate Martini inferiùs multa, & continuata serie trium Abbatum, post felicem eiusdem Patris obitum, ex quatuor Monachis, qui venerunt ex Claraualle, Xenodochium Abbatiæ subiectum mansit per multa tempora, certe vsque ad vltimos annos illius sæculi vtrique domui donationes factæ leguntur, huic per Monachos, illi per confratres inhabitatæ, vtrosque sub Abbatis dispositione. Atque hæc de initiis insignis Monasterij, quod sanctitate, & doctrina Monachorum, non semel erit nobis repetendum. Numeratur in litteris Innocentij Papæ tertij, atque Gregorij noni, legatiis, & causis commissis eius Abbatibus, de quibus infrà. Est & in libris Cameræ Apostolicæ, in Zamorensi diœcesi, ad quam pertinet, sexaginta duntaxat florenis valorata, prædiues aliàs domus; quamuis hoc sæculo tenuioribus redditibus, vt fere aliæ. 9.

Hæc incrementa Clarævallis in Hispania: In Italia Columba ædificata hoc item anno Monachos suscepit: augusta domus, & pro mensura nominis, & ominis pennis contemplationis deargentatis, palidum pœnitentia cōtinua dorsum ad cœlos etiam vsque subleuatura. Quis primus Abbas à Bernardo Patre ascitus, vel à Gaufredo fuerit destinatus, incertum nobis. Nisi quòd tamen Ioannem fuisse credimus, quem post decennium plus minusve in Placentinam Ecclesiam sublimatum tomo sequenti in tempore dicemus. Certum initia nascentis domus supra modum felicia, faustaque, & quæ sanctissimis viris abundauerint, è quorum schola Bertramus emersit, de quo plura in sequentibus. Idem Cœnobium illustrat proles quadruplex, & plures ædes Deo sacratarum Virginum, quæ suberant Abbatis illius visitationi. Audi auctorem historiæ Placentinæ, qui ita scribit. *Abbatia Monasterij Columba Ordinis Cisterciensis propè Florenciolam habet sub se Abbatem Pontis trimie, siue de Quartazola, Abbatem Fontis frigidi in agro Parmensi, vulgò de* Acque freda, *Abbatem sancti Martini de Boris, aliàs de Parma, eiusdem agri, & Abbatem Brendoly in paludibus Venetiarum.* Hæc de Cœnobiis virorum Columba genitis, quibus per omnia genesis concordat. At de Monialibus audi, quæ sequuntur. *Monasteria autem Monialium in diuersis locis. videlicet Monasterium Cœlestium Venetiis, Monasterium sancti Matthiæ in paludibus Venetiarum, Monasterium sancti Ioannis de Papia Cremonæ, Monasterium Plectolanum, siue sancta Maria ad tres passus in agro Placētino, Monasterium Nazareth, Monasterium de Galilæa extra Placentiam. Monasteriū Castri Arquati, Monasterium Burgi sancti Donini, Monasterium sanctæ Mariæ nouæ extra Mutinam, versùs Parmam, & ibi Monasterium de Porta.* Itaque decem Monasteria Virginum erant, quæ suberant Abbatis Columbæ visitationi. Memoratur *in c. olim causam,* de restitutione spoliatorum: itemque in litteris Honorij tertij, & Gregorij noni, de quibus infrà. In libris Cameræ ducentorum florenorum taxa notatur. 10.

1. Robertus Anglus à Richardo fundatum missus. 2. Abstinentia eius, & largitas in pauperes, 3 singulari fauore remunerata 4. Oraculum ad eumdem de cælo factum. 5. Hugonis Paulini Comitis enormia crimina, 6. expiata fundatione Monasteriorum illi iniuncta: è quibus Caricampus hoc anno surgit.

CAPVT VI.

1\. Rieuallem, & Fontes illustres domos eodem anno in Anglia natas diximus. Sed Rieualle fœcunda duplici prole, Meilrosensi, VVardonensique Ecclesiis, quas anno præcedenti memorauimus, fontes adhuc steriles manebant. Et erat eis susceptum semen prolificum, sanctus Robertus Vbitibicensis, cuius sæpiùs fecimus mentionem. Ergo opportuno in Northumbria accepto loco, Richardus

Richardus Abbas conuentum illuc dirigit, vndecim Monachos cum duodecimo Abbate viro sanctissimo, qui ante quinque annos nascentium Fontium initia consecrauerat. Audi Anonymum apud Suriū in eius vita. [a] *Elapsis autem quinque annis* (scilicet à Roberti Monachatu sub arctiori instituto Cisterciensi) *cùm iam à Christo nato ageretur annus M. C XX XV I I. nobilis quidam in Nortumbria regione amplam possessionem largitus est, in qua Robertus creatus Abbas, assumptis secum vndecim fratribus, nouum Monasterium construxit.* Hæc tantùm ibi de noui huius Cœnobij fundatione. At de Abbatis illius sanctitate, & singulis, quibus eximiè floruit, virtutum donis, plura, maioraque, ex quibus aliqua ad litteram subiungam.

a Menso Iun.

2\. Primò autem de abstinentia, hæc quæ sequuntur. *Multa eius fuit abstinentia, ita vt à mensa nunquam satiatus surrexerit, & in Quadragesima pane tantùm, & aqua vti consueuerit.* Hanc abstinentiam cumulabat misericordia, largus in pauperes, quippe quodcumque sibi subtraxisset, in eosdem curabat erogandum. Celebre vtrumque in eiusdem Sancti vita, celebrius reddidit illustre miraculum, quo Deum & sacrificium acceptasse, & retulisse gratiam expertus est, inde abstinentior, & largior euasurus. *Accidit* (inquit auctor illius vitæ) *quodam paschali tempore, vt extincto, & prostrato appetitu, cibis appositis vesci non posset. Cumque frater, qui ministrabat ei, diceret: Quare non concedis Pater? ille respondit: Si haberem panem auenaceum butyro illitum, fortassis inde mihi vesci liberet. Attulit ergo frater ille panem huiusmodi. Sed vir Dei animaduertens se pusillum concupiscentiæ indulsisse, vehementer expauit, & seuerus, ac rigidus in seipsum vindex, gustare inde noluit, planéque ieiunus permansit. Cibum autem illum iussit pauperibus ad Monasterij fores dari. vbi tunc erat inuentus quidam splendida facie, qui cum cum vna scutella accepit, & mox euanuit. Loquentibus autem illis de ablata scutella, subitò ea decidit in mensam coram Abbate. Erat enim Angelus Domini, qui eleemosynam viri Dei de cælo missus acceperat.*

vbi suprà.

3\. Hactenus auctor vitæ sancti Patris. Quo videas, nihil minus à magnis Sanctis, quem tali Deus miraculo illustrauit. Certè Martinus superior in hoc non fuit, quippe vt vterque pauperi tribuerit, quod sub paupere latens Christus accepit: at ille priùs rogatus, hic vltrò dedit: ille de vtilibus, hic de necessariis: ille cùm daret, aliquid retinuit, hic prorsus nihil: ille pallium diuisit, sed non hic cibum. Denique illum eleemosynæ susceptæ per visum Deus, nec statim, & solum monuit, hunc per miraculum pluribus compertum, nec dilata mercede procrastinatum, sed statim editum. Denique huic cibus restitutus, ab Angelicis manibus vegetior, non illi pallium. Mitto delicias viri e simiè sobrias, cui panis auenaceus pro gula fuit.

4\. Iam de orationis, charitatisque feruore, & paterna erga suos solicitudine, multa, miraque. Nam de oratione vocali hæc lego scripta. [b] *Præter solitum seruitutis, & precum pensum, centum quinquaginta Psalmos* (idest, psalterium integrum) *quotidie Domino decantabat.* vt duplicibus vtriusque officij horis satis morosis, ingenti illo psalmorum adaucto numero, vix labia eius cessarent à Dei laudibus. Verum mentalem diuina etiam oracula, & cœlestia responsa commendauere. Audi veri Pastoris ardentem zelum, qui de vniuerso suarum ouium statu certior fieri meruit, instantia precum. *Quodam tempore solito attentiùs orans, & lachrymis vberiùs faciem rigans, animam suam coram Deo effundebat, petens, vt gratum ipsi esset seruitium suum, & fratrum suorum, & vt nomina eorum in libro vitæ scriberentur. Tunc verò cælitus elapsa vox est huiusmodi. Confortare fili, exaudita sunt preces tuæ, & nomina filiorum tuorum, pro quibus rogasti, in cælis scripta sunt. Non nisi duo ex his in terra scripti sunt, quorum pectora terrenarum rerum amori semper affixa fuere.* Hæc facta vox de cœlis ad sanctum Patrem, quem non permisit Deus diutiùs cruciari. Nam *non multo pòst* (pergit idem auctor) *duo conuersi, quos vocant, excusso cucullo, vitam in sæculo miserè finierunt.* Hactenus de virtutibus Roberti, & quas meruit à Deo, etiam in præsenti vita consolationes: vt videat lector Cœnobium sub ipso ortum tot iam habuisse Sanctos, quot habuit Monachos. Ioannes Abbas in catalogo Sanctorum Ordinis, Hugonem Abbatem Noui Monasterij inter cæteros nominat: quem tamen circa quod tempus floruerit, aut quem in serie Abbatum locum occupet, nequaquam hactenus potui inuenire. Cætera eiusdem domus ignota nobis: nisi quòd triplicem in breui prolem emisit, de quibus infrà, & Sanctus ipse non semel repetendus.

b vbi suprà cap. 3.

Hoc eodem anno, cùm Hugo, cui Campus auenæ cognomen erat, potentissimus Princeps, ob ingentia flagitia, quæ perpetrasset, ad opera quædam pietatis compelleretur: Monasterium Cari campense struxit, in diœcesi Ambianensi, tradiditque Monachis asciscendis ex Pontigniaco. Sed in re Belgica Belgicum scriptorem proferre libet, recenti calamo colligentem memorias veteres. Is Ferreolus Locrius de hoc Cœnobio post Iperium, Majerumque hæc habet verba. [c] *Hugo Campauensis prisca campus auena, & Beatrix eius coniux, amplissimi territorij sancti Pauli* (C C C L X. turriti pagi in eo numerantur) *Comites Cari campense Monasterium à fundamentis ædificant, variisque possessionibus locupletant, liberalitatis huiusce causa, patratorum ab ipso Hugone flagitiorum magnitudo, quippe nescio qua ductus simultate Ponticiensem Comitem, sanguine sibi iunctum, interfecerat. Sacerdotem in Bellouacensi villa, Dorlana arce mille passibus adiuncta, sacris operantem, maiori audacia gladio transfoderat* (cuius tragœdia historia in vitrea quadam fenestra, eo in pago etiam nunc cernitur) *sancti Richarij vrbem, Cœnobiumque, nulli ætati, sexui, nec ordini parcens, igni, ferroque grassatus, supremo abstulerat excidio.* Subdit deinceps Anselmi Gemblacensis auctoritatem, qui hanc sancti Richarij vastationem refert ad annum M. C X X X I. & statim ipse pergit in hæc verba. 5.

c in Chronic. Belg. ad ann. 1137.

Quam tantorum facinorum enormitatem, quo debita pœnitentia dilueret, atque infidelium societatem, a qua per summum Pontificem emendatus anathematis fulmine erat, redire posset, eorum tandem pœnitens, piam istam operam (nimirum fundandorum Monasteriorum) *hic & alibi operari coactus est.* Hæc de occasione fundati Monasterij Cari campensis, deque eius illustri fundatore, quem magnum suæ familiæ decus [d] Miræus nominat. Porrò de situ loci, quæ sequuntur. *Gangæ fluuio irrigatur* (Gallicè Canche) *qui præter cæterorum Artesiæ fluminum* (si Althiam, & Themam eximas) *communem lapsum, aquas ad Occasum voluit: vnde truttarum, (quas troctas a voracitate Græci appellant) est ferax, quòd hæ ferantur ad ortum contra vim fluminis, obnitentes, leuibus pinnis remigare. Piscinas, seu viuaria* (quod Cisterciensibus, ad quorum regulam ibi viuitur, commune est) *spaciosissimè ad Aquilonem habet obiecta, non infœcundo piscatu.* Ita Ferreolus. Aubertus Miræus addit, Cœno- 6.

d ad ann 1137. in Chr. Cist.

bium situm haud procul ab Hesduno Artesiæ oppido, in diœcesi Ambianensi, cui omnes aliæ tabulæ concordant.

7. Cæterùm, quod ad tempus attinet, nequaquam sic intelligendum est, quasi hoc anno Monasterium cœperit, cùm quatuór adhuc annos sustinuisse testetur vetus eiusdem domus Chronicon, quod in Ferreoli Locrij Bibliotheca vidisse se, & elegisse Miræus perhibet: Concordantibus Pontigniaci tabulis, itemque Chronologia Ecclesiarum, quam illic dabimus. Hoc ergo anno ædificium cœptum est, forte & accitus Guicardus ex Pontigniaco lustrando loco, exhibendoque exemplari, ad cuius instar officinæ perficerentur. Nec aliud, credo, voluit vterque auctor, dum in hûc annum refert initia domus. Qualiter autem quadriennio perfectum opus, Monachos tandem, Abbatemque susceperit, anno M. C X L I. quo euenisse constat, referemus.

---

1. Chronologia Ecclesiarum. 2. De Aquabella, 3. & Scala Dei, 4. itemque Berdonarum, & Bonifontis. 5. Altusfons, & Thamar, 6. Liuncellum. 7. Bella aqua sanctus Albinus, & Barcello, 8. Bochiam, Cheminium, Alta ripa, & Aphue.

CAPVT VII.

1. VLtimo loco subiungam Chronologiam, quæ duodeuiginti Monasteria recenset hoc anno nata, de quorum singulis dicam, si quid habuero.

Anno, inquit, *M. CXXXVII. quinto Nonas Martij, fundata est Abbatia de Columba.*

Eodem anno, octauo Kalendas Iulij, Abbatia de Alto fonte.

Eodem anno, sexto Kalendas Iulij, Abbatia de Aqua bella.

Eodem anno, vndecimo Kalendas Augusti, Abbatia de Thamar.

Eodem anno, Nonas Augusti, Abbatia de Cogeshale.

Eodem anno, decimo Kalendas Septembris, Abbatia de Liuncello.

Eodem anno, quarto Kalendas Septembris, Abbatia de Bella aqua in Aluernia.

Eodem anno, sexto Idus Octobris, Abbatia de Bochiam.

Eodem anno, pridie Idus Octobris, Abbatia de Scala Dei.

Eodem anno, quarto Idus Nouembris, Abbatia Berdonarum.

Eodem anno, & die, Abbatia Bonifontis.

Eodem anno, Kalendas Decembris, Abbatia de Briostel.

Eodem anno, Nonas February, Abbatia de sancto Albino.

Eodem anno, decimo tertio Kalendas Martij, Abbatia de Cheminio.

Eodem anno, quinto Kalendas Martij, Abbatia de Alta ripa.

Eodem anno, decimo septimo Kalendas Aprilis, Abbatia de Barcella.

Eodem anno ... Abbatia de Brolio Benedicti.

Eodem anno ... Abbatia de Aphue. Hæc Chronologia: ex quibus tamen quatuor silendæ nobis, Columba, quæ notata in superioribus: Cogeshale, quia filia Sabigniaci; demum Briostel, & Briolium Benedicti, quia neptes. De reliquis, quæ habuero, adnotabo.

2. Liceat tamen, inuerso paululum ordine, quatuor Othonis filias ex Morimundo, Bellam aquam, Scalam Dei, Berdonam, & Bonumfontem cæteris anteponere, quo in vnum collecta proles viri sanctissimi, maiori gloria coronet eius tempora, qui in construendis ciuitatibus refugij (sic appello Asceteria, conuentusve) nihil minus ab Stephano parente, & post Bernardum immediatè secundus fuit. De Aqua bella id solum compertum habeo, in Tricastrinensi diœcesi fundatam sub Archiepiscopatu Arelatensi, in quo etiam inuenitur in libris Cameræ, ducentorum quinquaginta florenorum præfixa taxa. Memoratur in litteris Gregorij Papæ noni, ad Abbatem eius directis sub hoc titulo: Abbati Aquæ bellæ Cisterciensis Ordinis Tricastrinensis diœcesis. Vnde etiam corrigenda censeo alias, quæ Briocensem pro Tricastrinensi diœcesi notant. Neque enim audio in Briocensi diœcesi Cisterciense Cœnobium sub tali nomine. Meminit etiam eius Robertus in sua Gallia, sed nulla alia notitia clariori.

Vix adhuc quatuor menses præterierant, ex quo 3.
vir sanctus Aquæ bellæ habitandæ Monachos dederat: cum Scala Dei in Vasconia, augustior domus, atque augustiori prole decoranda, conuentum accipit, æquè item transmissum ex Morimundo. Domus in Taruiensi diœcesi sita, vicinam sibi Hispaniam illustrare, & familia Cisterciensi velut implere nata videtur. Nam præter alia, quæ alibi struxit, Verolam opulentum Cœnobium in Aragonia, in Nauarra Oliuam, Fiteriumque, in vtraque castella Montem salutis, & sacra mœnia, & per hæc plura, non solùm Monasteria produxit, verùm & Ordines, Calatrauam, Alcantaram, Montesiam, & alias Cistercienses militias, de quibus infrà: vt illi soli Morimundus debeat in hoc tractu, de Monachis certare cum Claravalle, si cuncta conferas, etiam longè vincere. Certè quod ad Militias sacras attinet, ab Scala Dei, per Raimundum Fiterij Abbatem, & per Scalam Dei ab Otone habent originem, dignus tam clara prole, tam clarus Parens, nec indignæ militiæ generosæ, quæ Marchiones (Archiduces hodie) Austriæ, quæ Imperatores Romanos (vtrosque per Otonem) Parentes habeat. Sed de his aliàs. Primus Scalæ Dei Abbas Bertrandus fuit, vir acri Ingenio, & labore infatigabili, Domus ipsa nec diues, nec nimium inops, quingentis florenis taxatur in libris Cameræ. Memoratur in litteris Innocentij, & Honorij vtriusque tertij, quas suis locis, temporibusque reddam.

Non multum erat infra quatuor menses Mori- 4.
mundum proferre duo Cœnobia, si non duo alia intra mensem protulisset, Berdonarum nimirum, & Bonifontis, in Vasconia vtrumque eadem die, in vigilia sancti Martini destinatis coloniis, per quas vtraque domus habitaretur. Et primæ quidem in diœcesi Auxitana opulentiam supra mediocrem inde coniector, quòd mille supra quingentos florenos Cameræ soluit, quos multi Episcopatus non attingunt. Secunda in Conuenarum territorio florenis mille taxata reperitur. Extant & ad Abbatem, &

Priorem

Priorem Bonifouris Cisterciensis Ordinis, diœcesis Conuenarum Honorij Papæ tertij graues litteræ*, quas suo tempore fusiùs adducemus. Interim adnoto, vtrumque hoc Monasterium Hispaniam item illustrasse Cistercij prole, quippe Berdonæ, Hortam, & Vallem bonam, duas insignes domos, & per has alias, Bonusfons per seipsam sanctam fidem, per filiam, Ouilam produxit, de quibus infrà. Est & alia Ecclesia eiusdem nominis, quam de Taresca appellant, S. Thoma Priore nobilitata. de qua nobis agendum 2. tom. [a] Hactenus genimina quatuor Morimundi, nunc iam per reliquas paucis discurramus.

** in catalogo Sanctorū Ordinis.*

a ann. M. C L I V.

5. Altus fons penè nobis ignota domus; nam quæ in Catalaunensi diœcesi, iam dicta, [b] quæ verò in Sicilia extat eiusdem nominis, plurimos adhuc annos expectauit, vt pòst videbimus. Et vereor, ne per errorem Altus fons, pro Bellofonte irrepserit, & Vallem paradisi designet, de qua hoc anno. nam & hoc nomine priùs appellatam, & omissam aliàs in Chronologia, saltim in multis eius exemplaribus, satis, superque ibidem adnotauimus. Nec notior nobis ea, quæ Thamar dicitur, nisi quod tamen in genesi Ecclesiarum Cisterciensium Thamar in Anglia Lincolniensis diœcesis legitur, filia Baberleæ, siue VVaberliæ, quo etiam titulo memorat Henriquez. Adeoque à Cistercio procedens per Eleemosynam. Irrepsit tamen & illic numeri error,& pro anno M. CXXXVII. annus M. CLXXVII. vna X. in L. mutata, scriptus legitur. In Arspheldio inter Collegia Oxoniensia, Thamea ponitur, sed quæ longo pòst tempore Inceperit, vt suo loco dicemus.

b ann præcedenti.

6. Liuncella, aut, vt alij, Liuncellum, sanctum Ioannem Abbatem Bonævallis, & sanctum Amedeum Altæ ripæ, habuit auctores, quos nouæ indies fundationes solicitabant, & quo feliciùs priores succedebant, eo ardentiùs posteriores præstolabantur. Ita Stamedium sub beato Petro crescens, quartæ huius fundationis occasio fuit. Nam cur fructu per omnia respondente, cessaret Agricola? aut vacuas manus in sino contineret, quas posset frugibus plenas reportare? Et Valentinam Viennensi suffraganeam, nec nimium à Bonavalle distantem diœcesim restare adhuc illustrandem per Cistercienses, cui se nec vellent, ne possent denegare. Ergo quæsito loco, aptatoque, ex Bonavalle conuentus accersitur, cui Bruno præfectus, vir clarus genere, clarior religione. Hæc vltima plantatio vtriusque Sancti, quippe Ioannes non multo pòst assumptus in eamdem Ecclesiam Valentinam: Amedeus iam senio, & morbis fractus, compulsus quiescere. Sed & accessit filij præfectura, in cuius ipse subsidium præstò fuit, consilio pariter, & auxilio futurus, vt mox videbimus. Qualiter autem Linncelli initia beatus Hugo, qui post eidem domui, deinde Bonævalli præfectus, inter insigniores Cistercij Sanctos colitur, felici suo aduentu consecrauerit, sequenti anno, quo euenisse credimus, more nostri fideliter reddemus.

7. At Mons Petrosus, Bonævallis item filia, de qua superiùs, quo anno Liuncellum in sororem, Bellam aquam in filiam procreauit, in diœcesi Claramontensi, in qua ducentorum florenorum pertingit taxam. Claudius Robertus [c] ex vno duas fecit, nunc Bellam aquam vocans, nunc Aquam bellam, sed vnam tantùm territorium prodit, nequaquam duo Cœnobia admissurum eiusdem nominis. Ita tria hæc Cœnobia Thamar, Liuncellum, & Bella aqua intra bimestre auxere Cistercij lineam: nec multo pòst subortæ duæ aliæ, quas per anticipationem libet subiungere, sanctum Albinum, & Barcellam, hanc in Bituricensi diœcesi sitam, illam in Briocensi. Vtramque domum neptem Eleemosynæ, primam ex Putrida sylua, seu Begar, secundam ex Landesio. Prior in libris Cameræ omissa, secunda sexaginta florenos notatur soluere. Vtramque domum Robertus Claudius memorat. In posteriori per errorem irrepsit mendum, & pro anno M. CXXXVII. M. CXXXXVII. scriptum, lector reponat. S. Albinum, dictum vulgo in nemore, Eduardus Princeps, & constantia vxor eius, Conani Britanniæ Ducis soror, liberales fundarunt, dotaruntque, vbi etiam sepulti vltimum Christi aduentum præstolantur.

c in catalog. Monast. Cist.

Reliquæ quatuor de linea Claræuallis: quin Bochiam inter filias connumeratur, sed vt apparet, longè posterior tempore, quippe post Monasterium de Moris, quod anno salutis M. CLIII. quo sanctus Bernardus obiit, fundata legitur. Memoratur In litteris Honorij tertij, sub hoc titulo, *Abbati de Bochiam, Cisterciensis Ordinis, Briocensis diœcesis.* In litteris autem Gregorij Papæ noni, non *Briocensis*, sed *Vesprimiensis* signatur Episcopatus: nec libri Cameræ litem sedare valent, quæ neutribi Cœnobium id designant. In Notitiis Abbatiarum Galliæ, diœcesis Trecorensis & Bochiam designatur Begardi filia: Fundatoribus, Oliuerio 2. & vxore Agnoria, comitibus de Dinam, & Ponthieure. De Cheminia hæc pauca Robertus Claudius. [d] *Cheminium, Cisterciensis Ordinis, Catalaunensis diœcesis, filia Trium fontium sub Claravalle. Meminit Iombileus capite decimo octauo.* Meminit (inquam) Abbatis Cheminij, quem S. Ludouicus, Galliæ Rex, in Syriam traiecturus, sanctitatis opinione florentem, ad se vocabit, de cuius manu, & baculum, & gladium, suæ peregrinationis insignia, susciperet deuotus, & cuius orationibus ad Deum securior pergeret. De loco, & diœcesi Monasterij Cheminiensis concordat genesis Ecclesiarum Claræuallensium. Taxæ omittunt. De Alta ripa item idem auctor. *Alta ripa in Ducatu Sabaudiæ, Cisterciensis Ordinis, Lausanensis diœcesis, filia Claræuallis. Memoratur in capite sexto, de concessione prabendæ, in tertia compilatione.* Hæc ille. Errat tamen, dum filiam Claræuallis pro nepte ponit, quippe Alta ripa nata ex Charo loco, vt tabulæ geneseos testificantur. De ea in VVolphgango Latio scriptum lego. [e] *VVillelmus* (scilicet tertius Comes) *Gebennensis anno Domini M. CXL. Petri cuiusdam filius, sepultus in Cœnobio Alta ripa supra Glanam fluuium, sua fundatione haud procul à Nouo Castro, cuius Monasterij primum Præpositum filius egerat.* Memoratur etiam in litteris Honorij Papæ tertij, nec semel nobis erit repetenda. De Aphue, siue Afur, id solum comperi, quod memoratur in linea Claræuallis, incerta matre. 8.

d in sua Gall.

e lib. 11. Genealog. Com. à Glana.

IESV CHRISTI ANN. 1138. CISTERCII ANN. 41.

1. Bernardus è Campania Romam redit 2. Petrum Pisanum Innocentio reconciliat. 3. Mors Anacleti, 4. & Sancti epistola ad Petrum Cluniacensem 5. Creatio successoris per schismaticos, 6. qui tamen facile Innocentio se submisit, 7. agente Bernardo. 8. Pontificis de eodem Sancto epistola. 9. Itemque ipsius ad Priorem Claræuallis. 10. Et maturatus reditus, cùm nihil iam restaret peragendum.

CAPVT I.

1. INITIVM anni auspicetur nobis Bernardus reuersus Romam, & reconciliato Ecclesiæ Petro Pisano, Anacletus deficiens, vix prius à suis desertus, quàm à se ipso, quippe semel assuetus Pontificalibus, animam maluit perdere, quàm nomen pseudo Pontificis. Singula qua ratione gesta sunt, nonnulla etiam per menses, diesque penicillo antiquorum describamus. Reuersum Sancti ad vrbem per hoc tempus, atque item reconciliationem Petri Pisani, auctor vitæ illius his paucis tradidit. [a] *Cùm omnium igitur populorum fauore, solo Rege* (scilicet Rogerio) *in militia perseuerante, Abbas Romam reuertitur, prædictum quoque Petrum Pisanum, & quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, atque Innocentio Papæ confœderat.* Hæc ille.

[a] lib. 2. c. 7.

2. Verùm reconciliationem Petri Pisani, quarta die Ianuarij contigisse, argumento est, quòd Anacletus triduo superuiuens, obiisse legitur eiusdem mensis septima. Triduo ante mortem Anacleti reconciliatum testatur Antoninus non multo pluribus. [b] *Abbas sanctus Bernardus ipsum Petrum Pisanum Papæ Innocentio reconciliauit. Post triduum Petrus Leonis impœnitens moritur.* Obiisse autem septimo Ianuarij Falco Beneuentanus, quem Baronius [c] adducit, disertè tradit: vt non immeritò mors pseudo Pontificis inter triumphos Bernardi computaretur, sequuta quippe desertionem alterius Petri, quem sanctus Pater Ecclesiæ luctatus fuisset.

[b] part. 2. tit. 17. c. 1 § 4.

[c] ad ann. 1134.

3. Miserum, etsi non miserabilem interitum impœnitentis hominis, Bernardus Bonæuallensis Abbas, eius temporis auctor his narrat verbis. [d] *Aduenerat tempus, in quo completa Amorrhæi malitia, Angelus percutiens gladium iam vibrabat, & pertransiens domus, quarum superliminaria sanguis agni imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens salutare in ea non reperit signum. Percussit igitur miserum: nec tamen illico defungitur, sed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus eius effertur, cadauer eius in latebris sepelitur, & vsque hodie fouea illa a Catholicis ignoratur.* Hactenus ille. Quibus obiter videas, qua die Petrus Pisanus reconciliatus, Anacletum percussum, vtrique euentui triduo superuicturum, quo minus possit in dubium reuocari, ab eadem pharetra vtramque sagittam, nec minus huic odorem mortis in mortem, quàm vitæ in vitam illi Bernardum datum, triduanas frustrà inducias concedentem, vt pœniteret. Verùm eumdem Sanctum audiamus pleniùs hæc ipsa ad Petrum Cluniacensem, & luculentiùs scribentem in hæc verba.

[d] lib. 2. cap. 7.

4. [e] *Hæc planè gloria mea, & exaltans caput meum, Ecclesiæ triumphus. Nam si socij fuimus laboris, erimus & consolationis. Collaborandum fuit, & compatiendum matri, ne de nobis quereretur, dicens.* [f] *Qui iuxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honestauit illam in laboribus, & compleuit labores illius. Tristitia nostra in gaudium, & luctus noster versus in citharam est.* [g] *Hyems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Amputatum est sarmentum inutile, putre membrum. Ille, ille iniquus, qui peccare fecit Israel, morte absorptus est, & traductus in ventrem inferi. Fecerat quippe secundùm Prophetam* [h] *pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat. Ideò iuxta Ezechielem factus est perditio, & non subsistit in æternum.* Sic sanctus Pater triumphum post victoriam, per ipsum verè partam, non sibi, sed Ecclesiæ decantabat.

[e] epist. 147.

[f] Psalm. 57.

[g] Cant. 2.

[h] Esai. 28.

5. Sed ecce primo capite amputato, succrescens aliud, iterum falcem poscebat, iterum ferrum. Presbyter Cardinalis Gregorius, per reliquias schismaticorum, in Anacleti locum substitutus, noua dissidia Ecclesiæ, Innocentio noua bella, comminabatur. At Pater sanctus eodem prorsus spiritu (& quidem longè antè à Deo prædoctus) quo priùs Anacleto restiterat, subortientem sudauit tempestatem, feliciori euentu, quippe sublato peccato, non peccatore, atque eo gloriosiori victoria, quo sine sanguine. Rem, qualiter gesta sit, Beneuentanus Falco, quid opere Bernardus ei contulerit, Abbas Bonæuallensis, & Innocentius, denique tempus Bernardus Pater signant, exactè omnes, si singulos audiamus.

6. [i] *Cùm prædictus Anacletus mortuus esset* (ait Falco) *Cardinales eius, consilio accepto a fratribus Anacleti, ad Regem miserunt Rogerium, ipsique Anacleti mortem significantes, quæsierunt, si ei placeret, vt Papam constituerent. Rex itaque vt Domini Innocentij partem impediret, voluntati eorum assensit, & Papam eligendi potestatem dedit. Qui Romam reuersi, fautoribus eorum congregatis, medio mense Martio Gregorium Cardinalem Presbyterum sibi Papam, imò inuasorem constituunt, Victoremque eum vocauerunt. Sed Dei clementia auxiliante, heresis illa, & inuasio pauco tempore regnauit. Diebus namque paucis euolutis, fratres prædicti Anacleti tantam cognoscentes turbationem, in se reuersi, Domino fauente, cum prædicto Domino Innocentio Papa pacis firmamentum composuerunt, & ipsi, & omnes Innocentij aduersarij ad eius fidelitatem conuersi sunt. Et sceleratus ille, qui sub Victoris nomine apparuit, vestem, & mitram deposuit, & ad voluntatem Domini Pontificis Innocentij peruenit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana ciuitas exultauit. Nam ipse Innocentius totam Ecclesiam ad vnitatem, & concordiam, Domino auxiliante, perduxit.* Hæc Falco, effectus perstringens, sed causam reticens.

[i] in Chron. Beneuent.

7. Verùm per quem hæc tanta bona contigerint, Abbas Bonæuallensis, atque ipsemet Innocentius Pontifex disserunt. Nos vtriusque verba subiiciemus. [k] *Attamen* (inquit Bonæuallis Abbas) *pars illius* (scilicet Anacleti) *Papam sibi pro illo alterum statuerunt, non tam ex pertinacia schismatis, quam vt*

[k] lib. 2. cap. 7.

opportuniùs

opportunius per aliquam temporis moram Papa Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum servi sui (Bernardi) *Christus effecit. Nam & ipse ridiculus Pontifex, Petri Leonis heres, ad eundem virum Dei noctu se contulit, & ille eum, nudatum quidem vsurpatis insignibus, ad Domini Innocentij pedes adduxit, quo facto ciuitas gratulabunda laetatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus vt pastorem, & dominum Innocentium veneratur. Abbas Claraevallis in mira reuerentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & Pater patriae praedicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, reclamat populus, matronae sequuntur, & omnes ei prompto animo prosequuntur.* Haec paucis ille.

8. Sed ponderosiùs idem Innocentius ad Bernardum scribens, dum ita ait. [l] *Quàm firma, perseuerantique constantia causam beati Petri, & sanctae matris suae Romanae Ecclesiae, incandescente Petri Leonis schismate, feruor tuae religionis, & discretionis susceperis defendendam, & se murum inexpugnabilem pro Domo Dei opponens, animos Regum, ac Principum, & aliarum tam Ecclesiasticarum, quàm secularium personarum, ad Catholicae Ecclesiae vnitatem, & beati Petri, & nostram obedientiam frequentibus argumentis, & ratione munitis, inducere laborauerit, magna quae Ecclesia Dei, & nobis prouenit, vtilitas manifestat.* Haec summus Pontifex, expertusque in seipso quid Bernardus Ecclesiae, quid sedi Petri, quid contulerit ipsius Pontificatui.

l in vit. S. Bern. lib. 3. cap. 5.

9. Verùm haec omnia Bernardo antè praecognita, io octauis Pentecostes contigisse, ingenti cum laetitia vrbis, & orbis, identiner Sanctus ad Priorem suum scripsit, cùm iam iam cunctis, quae agenda arant, peractis, reditum suum maturaret ad Claramvallem. Atque en eius verba.

m epist. 320. [m] *Fratri Godefrido, Frater Bernardus salutem. In octaua Pentecostes ipsa die compleuit Deus desiderium nostrum, Ecclesiae vnitatem, & vrbi dando pacem. Nam illa die filij Petri Leonis omnes simul humiliauerunt se ad pedes Domini Papae, & facti homines eius ligij, iurarunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in schismate erant, simul cum idolo, quod erexerant, humiliantes se ad pedes Domini Papae, obedientiam ei iuxta morem promiserunt, & facta est laetitia magna in populo. Hanc pacem nisi cum quadam securitate, occulta tamen, diu à nobis expectauissemus, iam dudum venissemus. De caetero iam nihil est, quod nos hic detineat. Facio, quod imperastis, veniam vertimus, inuenio. Ecce enim venio citò, etiam & merces mea mecum est, victoria Christi, & pax Ecclesiae. Sexta feria post diem illum egressus est noster de ciuitate. Itaque venientes veniemus cum exultatione, portantes manipulos pacis. Et hac quidem verba pulchra sunt, sed pulchriora sunt facta. Etenim tam pulchra sunt, vt quisquis non laetetur in eis, aut stultus sit, aut nequam. Vale.* Ita Bernardus.

Optatâ tandem Ecclesiae pace potitus, qui tempestatem septeonio sostinuerat, vix quinque dies tranquillum passus est, quippe non sibi natus, sed bono publico, ne quem fructum io vita ipse perciperet, semper aliquem faceret; serere, quàm colligere paratior, segetem omnem aliis reseruabat. Audi Bernardum Bonaevallis Abbatem haec differentem. [n] *Abbas Claraeuallis in mira reuerentia habetur: ab omnibus auctor pacis, & Pater patriae praedicatur . . . Sed quandiu ille gloriam tolerauit? Quandiu pace fruitus est, post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquieuit. Sedatis omnibus, & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis, & vltrà pro resarcienda eadem scissione sudauerat.* Sic qui laborem ounquam recusauit, resiliuit à gloria, & soli praemio se properus subtraxit, qui nunquam merito. Sed priusquam abeuntem prosequamur, ex his, quae gessit Romae, pauca subiiciam. 10.

n Cap. 7.

1. Garino Abbate in Episcopum promoto. 2. Bernardi pro desertis filiis solicitudo. 3. Quid ad Humbertum Igniaci desertorem? 4. Coarctata Lingonensis sedis electio. 5. Electorum querela, & promissiones. 6. Lis inter Cluniacenses, & Bertinicos 7. per Bernardum composita; 8. & Bertinici ex tunc prorsus exempti. 9. Charitatis effectus haud vulgares inter Bernardum, & Petrum Cluniacensem.

CAPVT. II.

1. DVm sanctus Pater in Italia demoraretur, venerabilis Garious Alpium Abbas, qui se & domum suam oon multo antè Cistercio dederat, sub filiatione domus Claraevallis, ad altiora vocatus pro suis meritis, in Pontificem Sedunensem electus est, communi populi, ac Cleri acclamatione. Episcopis assumptis ex Claravalle Arnaldus annumerat. [a] *Citra Alpes* (inquit) *Lausannae datus est Amedeus, Seduno Garinus*, &c. Quia oimirum ibidem professus fuerat, cùm cucullam mutaret, mox professiones suorum admissurus. Verùm de tempore satis claré constat ex epistola Sancti, quam mox subiungam. Sanè vir Dei desertis filiis coodolens, & tenero adhuc feruori non parum metuens, si diu proprio pastore destituerentur, quod per seipsum exequi non potuit, per vicarium curauit exequendum, negotio integro Gaufrido delegato, Claraevallis Priori, quem alterum Bernardum omnes venerabantur, virtutis merito, & officij dignitate.

a lib. 2. cap. 8.

2. Extat de his eiusdem Sancti epistola ad Monachos Alpenses[b], quae ita incipit. [c] *Bonus Pastor vester, ac noster, auctore Deo, ad altiorem gradum assumptus est. Faciamus ergo charissimi, quod dicit Propheta:* [c] *Eleuatus est Sol, & luna stetit in ordine suo. Sol est ille, per quem Alpensis congregatio illustris vbique redditur, tanquam luna per solem: eleuato itaque illo, stemus nos in Ordine nostro, quicumque elegimus abiecti esse in domo Dei nostri magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Et post alia. *Superest fratres, vt inuocato Spiritu sancto maturetis vobis eligere Patrem. Nam si me expectaretis, vereor, ne aduentus noster differatur in longum, & illa dilatio esset periculosa. Sed vocate ad vos fratrem nostrum charissimum Godefridum Priorem Clareuallis, qui & in hoc, sicut in aliis impleat vicem nostram. Vt consilio eius, vel fortè illorum, quos ipse pro se miserit, si venire non poterit: nec non & Patris vestri Guarini talem personam eligatis, de qua & Deus bonorum habeat, & vos salutem.* Ita Bernardus de eligendo nouo Abbate. quibus obiter videas Godefridi ooo vulgarem commendationem, quem non solùm pro se Sanctus sobstituat, verùm cui confidat alterius pro ipso Godefrido substitutionem.

b epist. 142.

c Abac. 3.

Per idem tempus Igoiacensis Albas Humbertus, qui hactenus in exemplum Bernardo Patri, cuius virtutes, & actus imitaretur, penè in scandalum 3.

lum eidem sancto Patri: certè ingentis doloris occasio fuit, Abbatia, inconsulto ipso, dimissa, & quod mirandum, contra mandatum Summi Pontificis. Quæsitus tamen, seu verius datus color abdicationi: senilis ætas, & desiderata Claravallis, in qua mortem iam fessus præstularetur. Extat epistola Sancti ad Sanctum, ab Vrbe scripta, acris profectò, & digna quæ transcribatur.

d epist. 141. *Ad Humbertum Abbatem Igniacensem, qui Abbatiam suam dimiserat. Parcat tibi omnipotens Deus. Quid voluisti facere? Quis te credet ad tantum prorumpere malum, hominem tantis praditum bonis? Quomodo potuit arbor bona pessimum hunc ex se producere fructum? O quam terribilis Deus in iudiciis super filios hominum! Non miror, quòd Diabolus istud potuit, sed quòd Deus permisit, quippe cui iam tot annis purè, sicut credimus, & deuotè seruisti. Quid faciet de me vtique pigro, & negligenti seruo, qui fidelem famulum suum sic vel ad tempus tradidit in animam inimicorum eius? Quid, quaso, rationis, imò quid non impietatis habet hac fuga tua, de qua filij lugent, aduersarij rident? Miror, quòd te non terruit Arnoldi Abbatis exemplum: cuius similis præsumptio digno, sed pauendo fine (vt bene meministi) in breui est vendicata. Et quidem ille qualemcumque (bene noui ego) habuit causam, tu nullam. Numquid enim aut Monachi tui erant inobedientes imperiis, aut conuersi segnes in operibus, aut vicini fortè tibi, vnisue rebus infesti, aut certè modica, & non sufficiens substantia mundi, quatenus relinquere cogereris, quos vel regere, vel pascere non sufficeres? Vide ne & te* e Ioan. 15. *tangat vox illa Dei, e quia odio habuerunt me gratis. Quid enim debuit tibi facere, & non fecit? Vineam tibi plantauit electam, & speciosissimam. Sepem ei circūdedit totius continentia, torcular districtissima disciplina fodit in ea, & adificauit sancta paupertatis turrim ad cælos vsque pertingentem, te custodem, atque cultorem constituit. Honestauit te in laboribus tuis, & complebit illos, si permittis. Sed tu, proh nefas! destruis maceriam eius, & racemis optimis plenam exponis omnibus, qui prætergrediuntur viam. Heu, quis prohibebit aprum de sylua, vt non exterminet, & singularem ferum, ne depascat eam? Mirum verò si in hoc morti te bene præparare putas, quod quidem ad me scripsisti, vt in tanto scandalo, & in anathemate Domini Papæ mori velle non timeas. Deinde si ita necessarium erat, non potuit aliud tempus considerari, nisi cùm necessitatibus vniuersalis Ecclesia detineor, vt illi misera, quam exponis, non liceat subuenire? Obsecro te per eum, qui pro te crucifixus est, vt satis afflictos, amplius cruciare parcas, & tristitiam super tristitiam addere desistas: quia, vt verum fatear, sic pro hac Ecclesia generali, grauique scissura affectus sum, vt tadeat animam meam vita mea, etiam te, & tuis in pace degentibus.* Hactenus Sanctus in spiritu vehementi resistens Sancto, quem aliàs summè, & supra omnes alios venerabatur. Et credendum Humbertum paruisse, & rediisse Igniacum, ibidem reditum Sancti ad suos præstolaturum. Hæc de domesticis. Quamuis quod ad Lingonensem Ecclesiam pertinet, intra quam diœcesim Claravallis sita est, nequaquam licet extraneum appellare. Sed quid pro ea factum à sancto Patre, quia longè postea, & satis clamosæ litis occasio fuit, nec sine magno labore tractandæ, opus erit fideliter referre.

4. Vacauerat Lingonensis sedes morte Gilonis, nec satis certa fides electoribus, quibus tantum negotium (digni Pastoris electio) committeretur. Siue indicassent indignum successorem, seu diuisionis damna metuebantur, & dum vtraque pars alteram vinceret, neutra de persona electi iudicaturam, quippe non tam eligere certarent, quàm præualere. Ergo Innocentius imminenti malo prouidens, non suspectas personas adhiberet, quorum consilio, nec aliter electio celebraretur. Sed inde ortæ querelæ, clamores. Nam causabantur electionem aliis liberam, leuibus sibi indiciis alligari: cur soli ipsi ea nota innererentur? aut quod peccatum hactenus admiserant, ob quod forent spoliandi iure communi? Confirmari electiones, aut infirmari ex meritis causarum, aut electorum: sed an infirmandas etiam, antequam fiant? At pœna in ipsis culpam præueniret, quam in omnibus aliis sequeretur? Et sibi solis peccare non liceret, quod tam facile posset emendari? Permittantur Episcopum eligere, si ritè, si canonicè, si dignum, confirmandum ex more: sin minus omnia in casum reuocanda: tunc demum accepturos ab Innocentio, quemcumque daret.

Hæc, & similia dolentes, quærentesque primò Lugdunum, Archiepiscopum tracturi, velut qui proprio iure (nam is Metropolita) defraudaretur: inde eo assumpto, Romam venirent, super his Innocentium deprecaturi. Verùm quæ Romæ ab ipsis, quæ à Bernardo, quæ item ab Innocentio gesta sint, non aliunde potius hauriemus, quàm ex ipsius Bernardi ad Innocentium, non multo pòst scripta relatione, quæ ita habet. f *Dum adhuc Roma essemus,* f epist. 164. 5. *contigit illò venire Dominum Archiepiscopum Lugdunensem. Venerunt & cum eo Robertus Decanus Ecclesia Lingonensis, & Olricus Canonicus, quærentes vt liceret sibi, & Capitulo Lingonensi eligere sibi Episcopum. Mandatum siquidem à Domino Papa acceperant, nequaquam præsumere hoc, nisi ad consilium religiosorum virorum. Quod, dum per me cuperent, & peterent obtinere. Absit, inquam, nisi sciam, & certus sim, quòd bonam, & idoneam personam intendatis eligere. Responderunt, propositum suum, atque electionem, de nostro pendere arbitrio, nec aliud se facturos, nisi quod ego consulerem, & spoponderunt. Verùm me non satis fidem accommodante, accessit ad persuadendum Archiepiscopus, pollicens firmiter id ipsum. Et addidit, quòd si secus Clerici agere molirentur, quidquid aliud facerent, minimè se confirmaturum, nec ratum habiturum. Adductus est & dominus Cancellarius in testimonium. Nec contenti adiuimus etiam præsentiam Domini Papæ, vt eius fauore, & auctoritate, quod inter nos conuenerat, confirmaretur. Prius tamen habita inter nos collatione mutua, ac diuturna, super facienda electione. Et de multis personis, quarum ibi mentio facta est, duabus tandem nominatis, a quibus nullus nostrûm penitus dissentiret, quamlibet illarum eligi placuisset. Itaque quod nobis complacuit, Dominus Papa immutabiliter obseruari præcepit, & tam Archiepiscopus, quàm Clerici firmiter promiserunt.* Hæc, sanctus Pater de gestis in hac causa, ante ipsius discessum ab vrbe Roma. Verùm quæ post hæc ipsa sequuta sint, quo gesta Romæ per Sanctum prosequamur, boc ipso anno inferiùs referemus.

6. Agebatur tunc lis prolixa satis inter Bertinicum, Cluniacenseque Cœnobia, illo huic prorsus subesse recusante, hoc è contra obedientiam exigente, sub qua à Roberto Flandrensi fundatum esset. Et eò vsque Cluniacenses causam perduxerant, vt duos iam Bertinicos Abbates, Ioannem, Simonemque, Innocentius amouisset à præfectura, ex eo solùm, quòd ipsis inconsultis, neque ad Abbatis eorum mandatum electi essent. Vt non immeritò Bertinenses non tam cessuri, quàm causa iam cecidisse iudicarentur. Verùm Bernardus animo perpendens obedientiam coactam prorsus, inutilem, litigiosam, nociuam etiam fore, & transgressionem potiùs minitari, si illi quo victoria

fruerentur,

fruerentur, plura iuberent: hinc ſe victos è contra faterentur, nihil obſeruarent, charitate in vtroſque, nempe in fratres; ſed & de Petro Cluniacenſi Præſule fiducia etiam concepta, retinere vincentem aggreſſus eſt, & penè iam triumphantem reuocare: quaſi nihil gloriæ ex triumpho reportaturum, ſi ſoli ſibi vinceret, non Deo.

7. Extat ad ipſum hoc anno ſcripta epiſtola, breuis quidem, & ſimplex, ſed ſatis efficax, & quæ Bernardi ſpiritum eructet, neque indigna perſuaſiſſe Petrum, virum ſanctiſſimum.

g epiſt. 149. [g] *Quàm nolim fieri, quòd veſtræ putem obuiare reuerentiæ, credo ſynceritatem veſtram non latere. Ea fiducia ſuggerere vobis non dubito, quod ſuggerendum videri poſſit. De monaſterio ſancti Bertini vellem vos moderatius agere, quàm cœpiſtis. Nam etſi hoc vobis in pace ſubiicere, & abſque omni contradictione poſſetis, ne tunc, quid veſtra referret, video. Nec enim crediderim vos delectari honore, cum tanto onere. Nunc verò cùm nec abſque magno labore vendicare vobis præfatum Monaſterium, nec in pace, vt aiunt, quieta poſſidere, honeſta vobis (vt mihi videtur) præbetur quieſcendi occaſio, timor inquietandi.* Sic Bernardus ad Petrum in ea cauſa: vbi quid magis mirer, prorſus ignoro, eius feruentem zelum, fiduciamque, queis Petro conſulat (viro Cluniacenſium iurium ardentiſſimo) ſegetibus maturis ad meſſem falcem abiicere, & longæ litis detrimenta facere, cùm iam præ ianuis inſtaret ſententiæ fructus: an ſancti viri in Bernardum reuerentiam, obſequiumque, qui eius ſtatim monitis acquieuerit, & ſibi ipſi à victoria temperauerit.

8. Certè Bertinenſe Cœnobium extunc immune, & liberum ab obedientia Cluniacenſium, quod omnes Belgici affirmant ſcriptores. Nec credendum cecidiſſe cauſa Petrum, cui iuſtitia, & potentia ſuffragabantur, niſi cedentem, neque ceſſurum, niſi ſuaſum Bernardi monitis, quem ſuprà omnes mortales veneraretur. Extat epiſtola eiuſdem Petri ad Sanctum per hoc tempus, quæ reuerentiam, & amorem in ipſum planè eructat. Atque ecce fragmentum illius ſatis mellitum. [h]

h lib. 1. epiſt. 29. *Quantum reuerentiæ, quantum amoris tibi anima mea in penetralibus ſuis conſeruet, nouit ille, quem in te veneror, & amplector. Feci hoc, etiam dum adhuc abſentia tua vultum corporis tui mihi inuidens, abſcondebat: quia iam fama velocior corpore beatæ animæ tuæ faciem oculis mentis meæ, modo quo poterat, inferebat. At vbi quod diu negatum fuerat, tandem ſum aſſequutus, & phantaſmata ſomniorum, veritate ſuccedente, euanuerunt: adhæſit anima mea tibi, neque ab amore tuo vltrà diuelli potuit. Ita charitas tua totum me tibi deinceps vendicauit, ita virtutes tuæ, & cogniti mores rapuerunt, vt nihil mihi de me, quod tuum non eſſet, relinquerent: nihil tibi de te, non meum eſſe permitterent.* Hæc, & alia ſimilia Petrus Mauricius, quibus animi ſui delitias, atque in Bernardum affectum effundebat.

Portò autem ſcripta per hoc tempus, oſtendunt nuncij directi à Petro Romam, ad Innocentium, in ea epiſtola Bernardo commendati, cuius interuentu, & fauore expedirent mandata, & voti compotes ad mittentem remitterentur. 9.
[i] *Nuncios* (inquit) *meos, quos Domino Papæ dirigo, ex parte amicitiæ tuæ ſecurè committo: quoniam qui alienorum cauſis aſſiſtis, tuorum negotiis deeſſe non poteris.* i ibidem.
Quid ſi alieni Bertinici dicantur, quippe ex Belgio, & inde Pater ſanctus reconueniatur, vnde illis à Petro impetrauiſſet, quæcumque voluit? vt non immeritò liceat coniectari, exemptionem hactenus denegatam, ſed tunc obtentam, ſolius Bernardi precibus deberi, monitiſque, quibus Petrus pro more ſuo detulerit, & pro innata in Doctorem ſanctum veneratione. Confirmat amicitia diu ſeruata Bertinenſium cum noſtris, non multò pòſt à Bernardo Patre expreſſa, in epiſtola [k] ad Leonem, ſeu Leonium eiuſdem loci Abbatem, & continuata exinde per longum tempus, vſque ad crebras non ſolùm Monachorum, verùm Abbatum tranſitus ad noſtros, de quibus ſuo loco erit dicendum. k epiſt. 342.
Interim adnoto, litigatum ab eiſdem cum ſancto Patre ſuper Thoma de ſancto Audomaro, oblato ſancti Bertini Monaſterio, dum adhuc puer, ſed poſtmodum ætate procedente, atque ipſo iam effecto ſui iuris, in Claraualle in Monachum admiſſo; de quo idem Sanctus in epiſtola ad Leonium, itemque ad [l] Aloyſium, quos videat Lector. l epiſt. 324. & 325.
Sed hæc ex charitate procedentia charitatem fouebant magis, quàm eneruabant. Atque hæc de geſtis à Bernardo Romæ ſatis: nunc diſcedentem ab Vrbe proſequamur.

1. Dens ſancti Cæſarij miraculosè Bernardo cedit. 2. Huius tunica Templarij Romæ relicta, 3. diſceſſus ab Vrbe: & nunciata electio Lingonenſis. 5. Tunc diuertens Lugdunum, conuenit Archiepiſcopum. 6. Quid denuo pactum: 7. & qualiter electus renunciauerit?

CAPVT III.

1. Diſceſſurum ab Vrbe Bernardum Patrem Innocentius muneribus proſequitur, qualia dantem, accipientemque decerent. Nam non corruptilibus auro, argentove, neque his quæ auro, & argento comparantur: ſed pretioſo theſauro ſacrorum oſſium, per miraculum etiam comprobatorum, atque approbantium Innocentij donationem. Certè in ſancti Cæſarij Martyris dente inſigne fuit, id quod Gaufridus Claræuallenſis in
a lib. 4. cap. 1. ſctis Bernardi narrat totidem verbis. [a] *Rediens Pater ſanctus ab Vrbe, ex ſanctorum Apoſtolorum, Martyrumque corporibus xenia ſecum retulit pretioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quæ beati Cæſarij dentem quonam modo receperit memorandum. Cùm enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, vt tolleret inde, quod vellet, dari ſibi petiit dentem vnum. Fruſtrà verò aliquandiu fratres, qui cum eo venerant, laborantes, conceſſum ſibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus, aut tribus, quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille orandum nobis ait, neque enim habere poſſumus, niſi Martyr ipſe concedat. Facta denique oratione, reuerenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis antea moueri non poterant inſtrumentis.* Hactenus ibi.

His à Pontifice, imò ab ipſo ſancto Martyre, donatus theſauris, cùm maturaret reditum, contigit, vt alumnis ſuis fratribus Templi, tunc primam domum habentibus in Vrbe, opportunus adeſſet, petiturus filiorum orationes, ac benedictionem paternam impertiturus. Dubium, an apud eos 2.

pernoctauerit, certum seu casu, siue ipsorum furto, seu fortè indulgeotia Patris piissimi, tunicam laneam ibi reliquisse, & in tunica virtutem miraculorum, quæ statim ab eius discessu palàm fuit. Nam audi, quæ idem auctor memoriæ prodidit. [b]
b lib.3.cap.1. *Apud eosdem* (scilicet Templarios) *eodem anno Sacerdos quidam grauissima febre correptus, desperabiliter ægrotabat. Vt autem omnino deficiens, deuenisse visus est ad extrema, portari se se in Oratorium, & prædictam beati viri tunicam supponi sibi fecit, in sola positus expectatione exitus mortis. Cùm subitò raptus in quemdam mentis excessum, ac veluti iam carne solutus, videre sibi visus est corpus suum eodem, quo iacebat in loco, exanime, iam circumdatum multitudine Sacerdotum, apertos tenentium libros, & celebrantium exequias ex more solennes. Nec mora in vultu, habituque prædicti Patris sancti, reuerenda quædam persona prodiens ex altari, manu illis innuit, vt tacerent, voce pariter prohibens, ne mortuum reputarent, cuius vitam Claræuallensi Abbati donauerat Deus. Confestim denique ad se rediens (comprobante visionem effectu) sanum se reperit, & quod viderat, fratribus indicauit. Qui quidem, vt à fidelibus viris nuper accepimus, hodieque superstes, & in partibus Aquitaniæ degens, beneficium quod accepit, sedulè confitetur, ipsius præconio cuius merito viuens.* Ita Gaufridus de tunica Beroardi, quam discessurus Templariis suis reliquit.

3. Nunc qualiter à Romanis demissus sit, quantáque reuerentia ab eis deductus, cùm iam discedendi tempus adesset, Arnoldus Bonæuallis Abbas
c lib.2.cap.7. paucis recenset. [c] *Exeuntem*, inquit, *Roma prosequitur, deducit Clerus, accurrit populus, vniuersa nobilitas comitatur, neque poterat sine communi mærore dimitti, qui colebatur amore communi. Igitur firmata pace, vir Dei regreditur, & duplex exhibens gaudium, cum exultatione vniuersa terra suscipitur.* Hactenus ille de discessu Sancti ab Vrbe. Residuum viæ, saltim per Italiam ab antiquis omissum: nec credendum peractam sine miraculis: quæ tamen à frequentia iam non mira, vt non vilescerent, ferè inter leges communes reputabantur. Nunc quæ in Gallia attentata inuenerit sanctus Pater, & quæ ibidem perfecerit, audiamus.

4. Transcensis Alpibus, cùm iam iam Claravallis in ianuis esset, diuertere Lugdunum compulsus est, consecrationem Lingonensis electi impediturus. Nam Lingonenses, professione tantùm Monachum, sed vita, & moribus hominem degenerem, & opinione fœdum vsque ad infamiam, contra fas, contra ius, contra promissa, contra præceptum Inoocentij Papæ (Burgundiæ Principis filio interueniente) in Pontificem sibi nominauerant. Ergo tum primum delatam ad eius aures, horruit Sanctus præuaricationem in tantis viris, maximè in Lugdunensi Metropoli, & doluit vicem dilectæ sibi Ecclesiæ, si fortè vera essent, quæ dicebantur, quam ne lupo permitteret exponi, relictis filiis, Patres adorsus est, dignitatem electi, meritaque, atque electionis progressum discussurus. Is verò Dei zelus in causis publicis, qui se Episcopis, qui Principibus opponeret: ea auctoritas in negotiis pertractandis, cui non Pontifices resistere auderent, non ipsi Reges.

5. Verùm quid tunc Lugduni gestum sit, ex eadem, quam ad Innocentium scripsit, epistola su-
d epist.164. prà à nobis adducta, referamus. [d] *Illis abeuntibus ego post discessum eorum* (Archiepiscopi scilicet, & aliorum, qui Romam cum eo venerant) *dies paucos in Vrbe faciens, vbi à Domino meo impetrare potui facultatem redeundi, ad fratres iter arripuimus. Et transalpinantes comperimus instare diem, qua foret sacrandus homo in Episcopum Lingonensem, de quo vtinam meliora, atque honestiora audiuissemus. Nolo autem dicere quæ inuitus audiui. Quid plura? A religiosis viris non paucis, qui nobis salutandi gratia occurrerant, persuasi sumus diuertere per Lugdunum, quatenus si fieri posset, rem nefariam, ne fieret, prohiberemus. Nam ego aliunde ob viæ compendium ire statueram, confidens valetudini, & lassitudini corporis, præsertim quòd non liquidò, fateor, credebam rumoribus. Quis enim crederet tantum virum, tanta vti leuitate, vt postposita tam recenti promissione sua, insuper domini sui mandato, personæ notabili manum imponere non timeret? Itaque consilio Religiosorum acquiescentes, Lugdunum iter direximus, & peruenientes omnino, sicut audiuimus, sic vidimus.*

Parabantur illa non festa, sed infausta solemnia. Decanus tamen, & maxima, ni fallor, pars Lugdunensium Canonicorum constanter, apertéque contradicebant. Sed & rumor pudendus, dolendusque passim crebrescens, & inualescens, ciuitatem repleuerat. Quid facerem? Conueni Archiepiscopum, reuerenter quidem super pacto, quod feceras, & super mandato, quod acceperat, & nihil horum negauit. Causam verò præuaricationis referens in filium Ducis, qui à constituto resilierat, ne ille turbaretur, in id se mutabilitatis incidisse dicebat, patris videlicet intuitu. Et intulit, quidquid quid hactenus egerit, iam pro nostro deinceps arbitrio se facturum. Tum ego gratias agens, absit, inquam, tamen non nostra, sed Dei potiùs voluntas fiat, quæ ita forsitan cognoscetur, si res ponatur in consilio Episcoporum, aliarumque religiosarum personarum, quæ hîc ad vestram ipsius vocationem conuenerunt, vel adhuc ventura sunt. Quòd si inuocato sancto Spiritu, consensum omnium vos ad procedendum in incepto opere animauerit, procedite, vt cœpistis: sin autem, acquiescendum Apostolo, dicenti: [e] *Nemini citò manum imponas, & visum est consilium placuisse.* Hactenus Sanctus de gestis per seipsum. 6. e 1. ad Timoth.5.

At consecrandus vlteriùs progressus est, illuc quidem accedens, sed non comparens: quin & scripto, verboque pronuncians, nihil iam sibi, & electioni illi, cui velut irritæ extunc renunciaret: vt non immeritò Bernardus pacata omnia, & dignum matri sponsum eligendum sibi promitteret. Sed nos eumdem loquentem audiamus. [f] *Interim homo* (scilicet qui consecrandus erat in Episcopum) *venisse nunciatur, sed in hospitium, non in palatium. Vesperè sexta feria venit, Sabbato manè recessit. Non est meum dicere, quare neque in Curia apparere voluerit, ad quam ei cura fuit longo itinere prouenire: nisi quòd verecundia Monachalis, honorisque contemptus, forsan putari posset, si non aliud, alia quæ sequuta sunt, indicarent. Et reuera quid aliud tunc suspicari debuimus, quando Archiepiscopus rediens ab illo, testatus est coram omnibus, nullo modo eum voluisse acquiescere, sed quidquid de eo factum fuerat, penitus refutare? Denique & mandauit mox electionem fieri. Hoc per quosdam Lingonenses Canonicos, tunc præsentes, hoc & per litteras, quæ adhuc extant.* Hactenus sanctus Pater gesta Lugduni, per quæ potuisset tempestas orta sedari, si non electi subdola vafricies, & Lugdunensis inconsulta leuitas, quod coràm erubuere, clam aggrederentur: & semel violata fides, sæpiùs fallens, in eas angustias rem perduceret, quibus laxandis Bernardus solus sufficeret, quippe per 7. f ibidem.

hos

hos anfractus, ambagesque venerabili Ecclesiæ Lingonensi sponsus dignus, Bernardo dignus Pater præparabatur. Sed de his statim: nunc Sanctum prosequamur.

1. Bernardus rediens, Nouitiorum cellam ingreditur; 2. & Nouitium tentatum consolatur, confirmatque. 3. Prosequitur sermones super Cantica. 4. Quo sensu dicat tertiò iam sibi reditum ab Vrbe. 5. Guerricus creatur Abbas Igniacensis. 6. Virgo, vt creditur: 7. & ideo Angelis compar, & eorum ministerio vsus, 8. perfectio viri, excellentiaque doctrinæ. 9. & efficacia.

Capvt IV.

1. Rebus apud Lugdunum sic dispositis, occurrentes filij deducunt ad Claramvallem. Ibi communis lætitia inuicem obuia: atque vtrinque certatum mutuis affectibus. Illis, quia chara præsentia fruebantur, qua biennio caruerant; hoc, vt quàm absens, per spiritum cognouerat, spiritualem salutem promoueret, & morbis, si qui ingruissent, consultum iret. Constat cùm primum domum ingressus est, adiisse Nouitios, & quem per spiritum antea minus poterat, coràm loquentem restituisse sibi, & Deo, largum solatij, & potentem aduersùs nequitias communis hostis. Id quia paternam in filios charitatem mirè commendat, verbis Exordij magni prosequamur. [a] *Explicitis itaque causarum nexibus, pro quibus exierat, reuertitur ad Monasterium, quàm citiùs opportunitas datur, & cellam Nouitiorum ingreditur, quatenus nouelli, & teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutiùs sacræ exhortationis ipsius solatio caruerant, tanto copiosiùs ab vberibus consolationis eius reficerentur...* (a lib. 1. c. 52.)

2. *Cùm ergo, sicut prædiximus, cellam Nouitiorum intrasset, & in lingua sua illa placabili, & ædificatoria cunctos hilares, & ad obseruantiam sacri propositi feruentiores reddidisset, vnum ex eis seorsum vocans, illi dixit: Charissime fili, vnde tibi hæc tristitia, quæ intimos secessus cordis tui tam perniciosè depascitur? Nouitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait illi: Scio fili dilectissime, scio ea, quæ circa te aguntur, & propterea paterno pietatis affectu tibi compatior. In hac namque tanta mora absentiæ meæ, cùm desideratissima mihi fratrum præsentia corporali carere compulsus fuissem, & per Domini gratiam concessum mihi esset, vt quod corporaliter non poteram, spiritualiter supplerem, rediensque in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligenter explorans, etiam ad cellam Nouitiorum accessi. In qua cùm vniuersos in timore Dei exultantes, & ad pœnitentiæ labores succinctos inuenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi, te mihi adstringere vellem, tu me auersatus, & faciem à me auertens, amarissimè flebas: ita vt cuculla nostra lachrymis tuis infunderetur. Hæc dicens Pater sanctus, & salutaribus monitis aggressus, captiuum mœrorem fugauit, & in spiritalis lætitiæ libertatem iam penè tristitia absorptum reuocauit.* Hæc ibi. Pergit auctor mirari in sancto Patre tranquillum animum, cui nihil ab inani gloria timendum foret, cùm tot ac tanta beneficia Dei non solùm experiretur, sed cùm res posceret, etiam patefaceret. Hanc eandem desolati Nouitij consolationem antiquior auctore Exordij Godefridus, Bernardo Patri, dum vixit, à secretis, post mortem in Abbatia etiam successor, etsi non immediatus, in quodam, quem de ipso habuit, sermone ad fratres in Capitulo, reliquit scriptam. vbi non solis verbis peractam docet, sed etiam osculo. *Hæc, ait,* (inquit scilicet sanctus Bernardus) *& propiùs illum accedere iubens, sua illa piissima dignitate osculatus,* &c. Et pòst pauca. *Sed geminâ quadam sacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, & in osculo charitatis confestim tristitiam depulit.*

Tunc verò rursum intermissum opus in Cantica fratrum suorum precibus resumens, tribus supra viginti, quos iam ediderat, vigesimum quartum sermonem superaddidit, initium capiens ab ipsa intermissione, sic enim incipit. 3.
[b] *Hoc demum tertiò fratres reditum ab Vrbe nostrum clementior oculus è cœlo respexit, & vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quieuit leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit.* [c] *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, qui eam per hoc fermè octennium diro schismate conturbarat. Num verò ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro, quorum viuo meritis, volo viuere studiis, & saluti. Quodque dudum cœpta in Cantica me exequi vultis, libenter quidem accipio, & dignum arbitror interruptum potius resarcire sermonem, quàm noui ordiri quidpiam,* &c. Ita Bernardus de opere resumpto, atque ad instantiam fratrum continuando. (b serm. 24. in Cant.) (c Psalm. 14.)

Verùm quod in principio sermonis ait, se tertiò iam ab Vrbe rediisse, de Curia potius, quàm de Roma intelligendum, à qua citra Alpes existente semel redierat, bis vltrà, aliàs bis tantùm transalpinasse hactenus ipsa series historiæ nos edocuit. Sed Curiam vbicumque existentem Romam, & Vrbem dici, [illegible] semel vidimus. Sic Bernardus Innocentium Viterbij adiens anno proximo, Romæ nihilominus ab eo susceptus dicitur. [d] *Hæc dicens, & benedicens flentibus vniuersis, discessit, & cum multa reuerentia vbique susceptus, demum Romam peruenit, in cuius aduentu tam Dominus Papa, quàm fratres lætati sunt.* Sic etiam venerabiles Ioannes, Ilbodusque, cùm Paschalis secundus Troiæ existeret, [e] Romam iisse, rediisseque dicuntur, atque inde priuilegium adportasse, quippe quia Roma Curia vocabatur, nempe à Sede, etiam si casu alibi consisteret. Sed de his satis. 4. (d lib. 2. cap. 7.) (e Ex. paru. c. 11.)

Sub eodem aduentu sancti Patris, aut parum antea, nam id hactenus dubium, Igniaco prouisum de Pastore, & pro Humberto reuerso ad Claramvallem, suffectus Guerricus, cuius superiùs fecimus mentionem. Non vlla domus sanctiores Abbates habuit, non vlla sancto Patri fuit dilectior. Et de Humberto non pauca à nobis suprà, plura inferiùs: sed de Guerrico, quem ex Belgio Sanctus adduxerat, non inæqualia, aut certè mirabiliora. Eius in religione profectum, virtutesque, atque Angelorum, non dicam consortia, sed ministeria, quibuscum, velut vnus ex eis, conuersabatur, quia inter prima post Bernardum Patrem, luminaria Cistercij recensetur, non pigebit ex Exordio magno transcribere. 5.

[f] *Sanctæ recordationis Dominus Guerricus Abbas Igniacensis Cœnobij, dum adhuc sub disciplina beati Bernardi* 6. (f lib. 3. cap. 7.)

Bernardi Monachus esset in Claravalle, & regularibus sacræ doctrinæ uberibus lactaretur, haud degenerem se sancti Patris filium moribus, & vita præbebat. Tanto siquidem sublimiùs arcem virtutum conscendere didicerat; quanto secretiùs, magno Dei munere, de incorruptionis tituli testimonio conscientiæ gloriabatur. Sicut enim hi, quibus secreta tanti viri nosse datum fuerat, adstruebant immaculatam tunicam duce gratia, usque ad exitum vitæ conseruauit. Porrò quantæ puritatis, & integritatis fuerit vita, & conuersatio eius, quam purissimum sanctæ deuotionis thymiama, quotidie Deo in ara cordis incenderet, Dominus gloriosis, & manifestis indiciis declarare dignatus est.

7. *Accidit itaque quadam vice, vt ad lectionem in vigiliis legendam adscriptus esset. Cumque de stallo suo se moueret, vt ad gradum presbyterij veniens sicut moris est, inclinaret: alius quidam spiritualis Monachus, qui Sanctorum eius in Domino studiorum curiosus scrutator esse solebat, non liuoris, vel inuidiæ peste tabescens, sed vt exemplis eius ad meliora prouocaretur, obseruabat eumem. Itaque inclinante eo deuotè ante gradum presbyterij: ecce Angelus Domini de cœlo veniens, supradicto fratre spirituali vidente, veste splendidissima, & candidissima induit eum, & per medium chorum reuerenter deducens, vsque ad analogium cum eo ascendit. Et stans iuxta eum, quousque totam perlegeret lectionem, cum multa reuerentia Ministri officio functus est. Qua perlecta rursum per medium chori eum deducens, vsque ad gradum presbyterij prosequutus est. Illoque satisfactionem, quæ post lectas lectiones fieri solet, faciente, Angelus Domini receptu celeri ab oculis hæc videntis sublatus est. Frater autem ille, cui tanta dignatione gratia Dei tam secretum diuinæ benignitatis donum cognoscere datum fuerat, de gloriosa hac visione multum ædificatus, didicit ipsum, de quo talia videre meruit, veri Dei esse famulum, qui Angelicæ puritati castimonia, & innocentia vitæ approximans, tanquam Beniamin amantissimus Domini, tota die cum illo in thalamo contemplationis moraretur.* Hactenus ibi de viro Dei Guerrico priuatam vitam agente sub sancto Patre.

8. At de promoto in Abbatem, excellentiora, certò quæ minus audeat dignè proferre. g *Succedente tempore, venerabilis Guerricus factus Abbas Igniaci, qualem se exhibuerit, quam strenuè officium sibi commissum adimpleuerit, non est nostræ paruitatis edicere.* Nec dubium inuoluta silentio multa, quæ eius summè historiam illustrarent. Hic ille insignis Abbas Guerricus est, cuius sermones hodieque leguntur, Latinè, & Gallicè non semel euulgati, ac demum Bibliothecæ inserti veterum Patrum, de quibus auctor pergit in hæc verba. *Planè quàm sanæ, & uberis doctrinæ fuerit, luculentissimi, atque disertissimi, & vere spirituales sermones eius, quos in solemnitatibus præcipuis in conuentibus fratrum fecit, & a cantore eiusdem Ecclesiæ excerpti sunt, manifestè declarauerunt.* Sed de his scriptis, & qualiter contra ipsius voluntatem, instante morte, flammis erepti, nec sine miraculo, in nostra demum sæcula peruenerint, & quos item discipulos habuerit eximius Doctor, inter quos Petrum cognomento Monoculum, perfectum vndequaque virum, dicam in tempore.

g ubi supra.

Interim adnoto, eiusdem sancti viri in dicendo dulcedinem, in exhortando copiam, in persuadendo efficaciam tantam fuisse, vt non solum adulti, & prouectiores, queis conuersa in naturam consuetudo subministrabat vires; sed & tyrones sub eius magisterio in religione feruidi, rigorem Ordinis, vigilias, abstinentiam, corporalem laborem, aliaque, quæ antea importabilia reputauissent, reputarent delicias, & mundi illecebris anteferrent: idque ipse etiam eisdem congratulatur. *Quid verò, ait, labor corporis non tam myrrha est, quam fasciculus myrrhæ, si credere volumus his, qui de sæculo nuper venere: quibus regula ieiuniorum, & vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium, & omnia penè amara, quia insolita, velut in vnum colligata fasciculum, imposita sunt ad ferendum .... & dulce nimium habent amaritudinem cordis (nempe de peccatis præteritis) amaritudine mitigare exteriori, tanquam cholera stomachi potu absynthij.* Hactenus Sanctus. nec modò de his plura. Nunc ad Bernardum Patrem redeamus indigentem solari de morte fratris. 9.

---

1. Gerardum reducem maligna febris inuadit. 2. Acceptat mortem, 3. atque in ipsa psallens exultat, 4. Vocatur frater ad nouum spectaculum, 5. qui & siccis oculis iusta fratri peragit. 6. Sepulchri locus. 7. Virtutes sancti viri, 8. sed inter alias zelus vitæ communis.

CAPUT V.

1. Vix sanctus Doctor cantica resumpserat, cùm ecce immemores sponsionis Viterbij factæ, Gerardum febris, ipsum fraterni morbi cura inuasit. Et primò quidem labor longinquæ viæ, atque mali firmata valetudine, continuata negotia, vacationem exigere videbantur, quàm medicinam. At postquam febre per horas inualescente, rarus anhelitus, pulsus celer, nec similis, cubatio inquies, noctes insomnes, & fastiditus cibus, reiectusque grauius aliquid, & periculosius denunciarunt: tum verò Sanctus pacti anteacti memor, & pro se serò pœnitens, quamuis & fratris gloriæ coexultans, nullis cognouit remediis retinendum, quem dudum curia cœlestis præstolabatur. Sensit & ipse Gerardus instare horam, qua fratrem sibi charissimum desereret, post quintum, & vigesimum annum continui nexus, non nisi morte ab ipso separandus. Cæterùm qualis beati viri transitus, & qui Bernardi in charissimi fratris obitu affectus, effectusque, primò ex Exordio magno describemus, sed mox ex ipso. Ergo in Exordio sic scriptū lego.

2. a *Haud multo post elapso tempore* (scilicet à sancti Bernardi reditu ab Vrbe) *tanquam iam votis, & desideriis fidelis serui sui Bernardi satisfecisset Dominus,* (Gerardum vsque ad eumdem reditum differens, quod Viterbij petierat, & impetrauerat) *rursus Gerardus cœpit viribus corporis repentè destitui, paulatimque ad exitum appropinquare. Qui etsi occupationem quidem Marthæ, pro officio sibi iniuncto, patienter sustinuerat, sed vacationem Mariæ tota mentis conamine amplexatus fuerat, sentiens itaque se certissimè migraturum, & de laboribus huius sæculi, ad æternæ beatitudinis requiem transiturum, ubi vacare incipiens, gustaret, & videret, quàm suauis est Dominus, & comprobaret, nequaquā se carnali, seu sæculari aliquo desiderio in officio suo detentum fuisse, eleuatis*

a lib. 3. cap. 3.

in cœlum oculis, Deus, inquit, tu ſcis, quòd quantum in me fuit, ſemper optaui quietem, intendere mihi, vacare tibi. Sed implicitum tenuit me amor tuus, & voluntas fratrum, & ſtudium obedientiæ; ſuper omnia verò Abbatis, & germani, & fratris mei dilectio.

3. *Circa mediam verò noctem, quam vltimam cum mortalibus miſerus egit, mirum in modum exhilarato vultu, in voce exultationis ſubitò erupit in illud Dauidicum, ſtupentibus, qui aſſiſtebant.* [b] *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Iam enim huic beato viro nocte adhuc media dieſcebat, & vltima nox ipſius, ſicut dies illuminabatur: & prorſus illa nox illuminatio ipſius in delitiis æterni luminis, quod eſt Chriſtus Dominus. Quomodo enim tenebræ non vertuntur in lucem, vbi cantando moritur homo, & moriendo cantat? Vſurparis, ô inimica mors, ad lætitiam, cùm ſis mater mœroris, vſurparis ad gloriam, gloriæ inimica: vſurparis ad introitum regni, porta inferni, & fouea perditionis, ad inuentionem ſalutis.*

b Pſal. 148.

4. *Fratres itaque, qui aderant, tanti nouitate miraculi attoniti, cucurrere citiùs dilecto fratri ipſius ſanctiſſimo Bernardo, hominem in morte exultantem, & inſultantem morti, nunciantes. Qui cùm debilis licèt, ac infirmus, accelerans veniſſet, extrema iam Pſalmi, quem cantabat, ipſo audiente, clara voce compleuit, & ſuſpiciens in cœlum, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. & repetens eundem ſermonem, ac frequenter ingeminans Pater, Pater, conuerſus ad ſanctum Abbatem Bernardum, & fratrem ſuum, exhilarata facie: Quanta, inquit, dignatio Dei Patrem hominum eſſe! Quanta hominum gloria Dei filios eſſe, & heredes!* [c] *Nam ſi filij, & heredes. Sic ſancta illa anima in iubilo, & exultatione ſpiritualis gaudij carne ſoluta, & hymnidicis Angelorum choris admixta, tanto liberiori volatu ſydereas petiit manſiones, quanto ſuum in ea malignorum caterua ſpirituum inuenire nihil poterat.* Hæc de felici beati viri tranſitu.

c Rom. 8.

5. Subdit in eiuſdem Sancti ſepultura. *Funeri eius ſanctus Abbas, & frater ipſius debitum commendationis, & exequiarum officium dulciſſima mentis affectione, deuotè impendit: cùm tamen aliis flentibus, ipſe non fleret, ſed erumpere geſtientes lachrymas magna fidei conſtantia caſtigaret. Ne quaſi mortuum plangere, & flere videretur illum, quem de morte ſua in æterna vita, & gloria ſempiterna natum eſſe non dubitabat.* Hæc ibi. Addit verò Gaufredus Claræuallenſis, has ferè primas exequias extitiſſe, quas ſiccis oculis Sanctus celebrauerit. [d] *Nam & extraneum quempiam* (ait) *vix, aut nunquam ſine lachrymis ſepeliuit.* Vt videat lector præſentem fratris gloriam (nam ita ſuſpicor) omnem in fratre triſtitiam abſorbuiſſe, quantumuis pòſt violentiùs erupturam.

d lib. 3. c. 6.

6. Sacræ corporis eius exuuiæ, iuxta auunculi Galdrici cadauer poſitæ, ſaltim hodie eumdem illuſtrant tumulum, Andreæ fortè, & Nibardi oſſibus additis, lapideo velut tabernaculo ſurgente contra Eccleſiam, & marmoribus appenſa tali tabella. *Sub iſto ædificio, quod eſt contra Eccleſiam in Cœmeterio Abbatum, columnis lapideis, & arcubus fabricato, in dextera parte præſentis ſarcophagi continentur oſſa felicis recordationis fratrum germanorum Patris noſtri Bernardi, necnon Galdrici de Tullione auunculi ipſius, qui ſpretis nobilitate generis, & potentia ſæculari, quibus plurimum eminebant, ac Monachi facti Claramvallem in ſuo ſanguine fundauerunt, & Monachalis perfectionis exemplar ſuis poſteris reliquerunt.* Hactenus ibi: quibus non ſolùm Gerardum, Galdricumque, ſed cæteros Bernardi fratres ibi requieſcere, Bartholomæo, Guidoneque exceptis, quorum exuuiis decorantur Firmitas, Pontigniacumque, ſatis firmo argumento comprobatur, quamuis & de Nibardo ſunt, qui dubitent, vt ſuo loco dicemus.

Eminuere in Gerardo virtutes plures, ſed inter alias, primas ſibi tulit rigidus zelus diſciplinæ Monachalis, & in ea obſeruantia vitæ communis, vitata qualibet ſingularitate, etiam cum propriæ ſalutis detrimento. Et primum quidem vinea teſtificatur, ſterilis ab ipſius maledictione, de qua ſuperiùs. De ſecundo, ſeu veriùs de vtroque, auctorem Exordij proferre libet, de ſancto viro ſcribentem in hæc verba. [e] *Liquet profectò* (ait) *perfectum in virtutibus fuiſſe famulum Domini Gerardum, cui magno Dei munere, ad obſeruantiam veræ religionis, exteriorum adminiſtratio nihil oberat, quæ tam multos à tramite diſciplinæ clauſtralis ſolet auertere, & in barathrum ſæcularis conuerſationis immergere. Quis autem tantæ laudis præconium dignè admirari ſufficiat, quòd plus omnibus laborans, minus omnibus accipiebat? Quòd nullo petulanti affectu in officio ſuo detinebatur, ſed ſolo intuitu charitatis? Quòd cùm cæteris neceſſaria miniſtraret, ipſe egebat in pluribus? Sanè ad comprobandum, quàm fuerit rigidus in obſeruantia diſciplinæ, quanquè diſtrictus caſtigator corporis ſui, vnum ex laudabilibus factis eius, exempli cauſa ponemus: vt ij, qui ſanctorum Patrum virtutes ad profectum ſuum ſcrutari ſatagunt, ſi fortes in religione ſunt, habeant, quod imitari debeant: quòd ſi verò remiſſi, vel infirmi, habeant, vnde doleant.* 7.

e lib. 1. cap. 2.

Solebat famulus Dei Gerardus grangias, ex debito officij ſui circuire, & communi menſa fratrum, & victu contentus eſſe, aquam cum eis & ipſe bibens, nec facilè quidquam præter communia pulmenta ſibi patiebatur apponi. Accidit autem quadam vice, vt ad grangiam iturus infirmaretur. Quod ſciens conuerſus, qui cum eo ire debebat, ad Priorem acceſſit, cellerariumque infirmari ſuggeſſit, timere ſe dicens, quia ſi aquam in grangia, ſicut ſolebat, biberet, infirmitati eius pondus accreſceret. Iuſſu itaque Prioris vaſculum vino plenum ſecum tulit, Cellerario penitus ignorante. Quod etiam & ipſe ſedente cum fratribus ad menſam, obtulit, ſignum, ſicut moris eſt, ex parte Prioris faciens, vt cauſa infirmitatis ſuæ modico illo vino ſolus vteretur. Quando verò ille paupertatis, & communis vitæ feruentiſſimus æmulator in hoc conſentiret, vt cæteris omnibus aquam bibentibus, ipſe ſolus poculo vini delectaretur? Erat autem vas plenum aqua in medio poſitum, vnde fratres bibere debebant. Parumper ergo intra ſemetipſum, quid ſibi faciendum eſſet deliberans, continuò ſurrexit, & tollens vaſculum vini, cunctis videntibus, in vrceum, qui aquam habebat, infudit, ſignum faciens, vt omnes biberent in communi. Malebat quippe corpus ſuum infirmitate periclitari, quàm vel in tantilla remiſſione, conſcientiæ ſuæ maculam dare. De quo tam religioſe facto fratres exhilarati pariter, & ædificati, delectabilius aquam illam biberunt, quam ſi pretioſiſſimum vinum eis propinari feciſſet. Legebant nimirum in vita, & moribus optimi Cellerarij ſui, quàm contemnendæ ſint carnis illecebræ, qui nec pro tuenda, vel recuperanda ſanitate poculum vini ſumere acquieuit, vnde infirmis occaſionem ſcandali vidiſſe videretur. Hactenus ibi: quibus obiter videas diſciplinæ rigorem illius temporis, in quo côuerſi in grangiis aquam biberent, nec Cellerario, dum illas viſitaret, vinû permitteretur, niſi infirmo, & licentia Prioris ante obtẽta. In quo item ſilentium, virtutum cuſtos, in ipſis etiam grangiis obſeruaretur, nec quid loqui liceret, niſi per ſigna. 8.

Demum Gerardi zelum vitæ communis, quo vel infirmus singularitatem vitabat, Cœnobiticæ vitæ fœdum virus, & maluit necessariis destaudari, quàm sine aliis aliquid habere. Certè quod attinet ad prohibitionem vini in grangiis, & mansionibus aliis extra Abbatiam, quamuis in statutis non inueniatur, lego tamen expressam à Cardinali Iacobo de Vitriaco, cuius hæc verba. *Fratres eorum* (scilicet Cistercienses) *in grangiis, & mansionibus extra Abbatiam vinum non bibunt.* Fortè lex introducta consuetudine, aut si scripta, cum aliis non paucis periit. Hæc occasione dictorum in Exordio. Sed de Gerardo nobis satis dictum. Nunc ad Bernardum parentem redeamus.

in hist. Occid. c. 15.

1. Bernardus tandem in verba doloris erumpens, 2. excusat luctum, 3. ex amisso Gerardo, 4. (quamuis iam coronato,) 5. qui sibi omnia. 6. Qualis viuens Gerardus in cunctis, 7. & qualis tunc Bernardus sine ipso 8. Permissa lachryma, 9. & ratio earum reddita. 10. Repetitus, & perpensus morientis iubilus. 11. Noua ratio lugendi, 12. quæ iusto Dei iudicio nequaquam deroget. 13. Demum auctores, qui Gerardum Sanctis annumerant.

CAPUT VI.

1. INterim Sanctus, qui lachrymis in funere, iam non poterat verbis imperare, erumpentibus quippe præ dolore, & vel conceptum in Cantica sermonem interrumpentibus, si fortè effusus paulisper effernesceret, & velut inter plures partitus mitigaretur. Itaque cùm ad ea sponsæ verba ventum esset. [a] *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, vix ad vocem Cedar concussus animus, quippe tenebras sonat, & ecce ex tenebris refricata memoria mortis, Gerardus obuius rapuit fratris affectum. Et omissis, siue meliùs dilatis sponsæ sensibus, totum sibi sermonem vendicauit. Sed quem sermonem? Quàm viuidum? Quàm affectuosum? Quàm ignitum? Quàm demum exprimentem Gerardum, Bernardumque, nec minus illius effigiem, quàm huius animum? Eumdem Sanctum loquentem, variosque amoris, dolorisque affectus, pro innata sibi facundia, miscentem, audiamus. Et quidem oratione satis prolixa; sed cui nihil demi possit sine piaculo.

a Cant. 1.

[b] *Nec sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.* Ergo Bernardus desistens ab incepto, & secretiores verborum sponsæ sensus in alium diem, sermonemque remittens, nunc fratris laudes, nunc mœrorem proprium, nunc vtriusque morbi, atque obitus felicis historiam miscens, ita prorumpit.

b *Martialis lib. 5.*

2. [c] *Quousque enim dissimulo, & ignis, quem intra me ipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? Clausus latiùs serpit, sæuit acriùs. Quid mihi, & cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, & indignatio Domini ebibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo, per quem mea in Domino studia vtcumque libera esse solebant, simul & cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulaui huc vsque, ne affectus fidem vincere videretur. Denique plorantibus aliis, ego (vt aduertere potuistis) siccis oculis secutus sum inuisum funus, siccis oculis steti ad tumulum, quousque cuncta peracta sunt exequiarum solemnia. Indutus Sacerdotalibus, solitas in eum orationes proprio ore compleui, terram meis manibus ex more ieci super dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur quòd non flerem ipse: cùm non illum quidem, sed me potiùs, qui illum amisissem, omnes misererentur. Cuius enim vel ferreum pectus super me ibi non commoueretur, quem viderent Gerardo superstitem? Commune damnum: sed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei reluctabar affectui, nitens vel inuitus non moueri frustra addictione naturæ, vniuersitatis debito, conditionis vsu, potentis iussu, iudicio iusti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro huiusmodi semper extunc, & deinceps exegi à me metipso non indulgere multò fletui, multum tamen turbatus, & mæstus. Nec potui imperare tristitiæ, qui potui lachrymæ, sed vt scriptum est,* [d] *Turbatus sum, & non sum loquutus. At suppressus dolor altius introrsum radicauit, eo (vt sentio) acerbior factus, quòd non est exire permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foras quod intus patior. Exeat sanè ad oculos filiorum, qui scientes incommodum planctum humaniùs æstiment, dulciùs consolentur. Scitis, ô fily, quam iustus sit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe, quam fidus comes deseruit me in via hac, qua ambulabam; quam vigil ad curam, quam non segnis ad opus, quam suauis ad mores. Quis ita mihi pernecessarius? Cui æquè dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quæso, vicem meam vos, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me. Pusillus corde eram, & confortabat me. Piger, & negligens, & excitabat me. Improuidus, & obliuiosus, & commonebat me. Quo mihi auulsus est? Quo mihi raptus à manibus homo vnanimis, homo secundum cor meum?*

c *serm. 26. in Cant.*

d Psalm. 76.

Amauimus nos in vita, quomodo in morte sumus separati? Amarissima separatio, & quam non posset omnino efficere, nisi mors. Quando enim me viuum viuus desereres? Omnino opus mortis, horrendum diuortium. Quis enim tam suaui vinculo mutui nostri non pepercisset amoris? nisi totius suauitatis inimica mors? Benè mors, quæ vnum rapiendo, duos furiosa peremit. An non mors etiam mihi? Imò plus mihi, cui vtique omni morte infelicior vita seruata est. Viuo, vt viuens moriar, & hoc dixerim vitam? Quam mitiùs me priuares, ô austera mors, vitæ vsu, quam fructu. Nam vita sine fructu, grauior mors. Denique duplex malum ligno paratur infructuoso, securis & ignis. Ergo meis laboribus inuidens, elongasti à me amicum, & proximum: per cuius maximè studium erant (si quando erant) fructuosi. Satius proinde mihi fuisset, periclitari vita, quam tua, Gerarde præsentia, qui meorum in Domino studiorum eras solicitus incitator, fidelis adiutor, cautus examinator. Cur, quæso, aut amauimus, aut amisimus nos? Dura conditio: sed mea miseranda fortuna, non & illius. Nam tu chare frater si charos amisisti, chariores vtique recepisti. Me verò quænam iam miserum consolatio manet post te vnicum solatium meum? Placita fuit pariter vtrique societas corporum pro morum concordia: sed solum me diuisio vulnerauit. Commune, quod libuit: quod triste, & lugubre, meum: in me transierunt iræ, in me confirmatus furor est. Erat ambobus alterutrum grata præsentia, dulce consortium, suaue colloquium: sed 3.

tantas

tamen vtriusque delicias ego perdidi, tu mutasti? Et quidem immutatis illis retributio multa. Quanto funere gaudiorum, ac benedictionum cumulo cares nobis hodie frater charissime, tanto habes certè pro me tantillo repositam tibi Christi præsentiam. Nec dispendium sentis absentiæ à nobis tuæ, Angelorum admixtus choris. Non est igitur quod causeris tu de nostra quasi subtracta tibi præsentia, cui affatim sui, suorumque copiam Dominus maiestatis indulsit.

4. At ego pro te quid? quàm vellem scire quidnam sentias nunc de me illo vnico tuo, mediis nutante curis, & pœnis, deficiente te baculo imbecillitatis meæ: si tamen licet adhuc cogitare de miseris ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis absorpto. Fortè enim etsi nosti nos secundùm carnem, sed nunc iam non nosti, & quoniam [e] introisti in potentias Domini, memoraris iustitiæ eius solius, immemor nostri. [e Psalm. 70.] Cæterùm qui [f] adhæret Deo, vnus spiritus est, & in diuinum quemdam totus immutatur affectum, nec potest iam sentire, aut sapere nisi Deum, & quod sentit, & sapit Deus, plenus Deo. [f 1. Cor. 6.] Deus autem charitas est, & quanto coniunctior Deo, tanto plenior charitate. Porrò impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper, & parcere. Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamuis iam minimè miser sis, & qui non pateris, compateris tamen, affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus, nec quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti, & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est abiecisti, sed non quod pium. [g] Charitas denique nunquam excidit. [g 1. Cor. 13.] [h] Non obliuisceris me in finem. [h Psalm. 12.] Videor mihi quasi audire fratrem meum dicentem: [i] Nunquid mater poterit obliuisci filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. [i Esai. 49.] Non expedit prorsus. Scis vbi versem, vbi iaceam, vbi reliqueris me. Non est qui porrigat manum.

5. Ad omne quod emerserit, respicio ad Gerardum, vt consueueram, & non est. Heû tunc ingemisco miser, sicut homo sine adiutorio. Quem consulam in ambiguis, cui in aduersis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulsabit? Non ne vbique gressus meos Gerardi oculi anteibant? Non ne tuum Gerarde pectus curæ meæ notius, quàm meum ipsius habebant, familiariùs incursabant, acriùs vrgebant? Nonne in lingua tua illa placabili, & potenti meam à sermonibus sæculi frequentissimè vendicabas, & amico reddebas silentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, vt sciret quando deberet proferre sermonem. Ita denique in prudentia responsorum suorum, & in gratia data sibi desuper, & domesticis satisfaciebat, & exteris, vt penè me nemo requireret, cui prior fortè Gerardus occurrisset. Occurrebat autem aduentantibus, opponens se, ne subitò meum otium incursarent. Si quibus sanè per se satisfacere non quibat, hos perducebat ad me, cæteros emittebat. O virum industrium, ô amicum fidelem, & amico gerebat morem, & officiis charitatis non deerat. Quis vacua ab eo recessit manu? Si diues, consilium: si pauper, subsidium reportabat. Nec quærebat, quæ sua sunt, qui se mediis ingerebat curis, vt ego vacarem. Sperabat enim (sicut erat humillimus) maiorem de nostra quiete fructum, quàm si vacaret ipse. Interdum tamen postulabat absolui, & alteri cedere, quasi qui melius prouideret. Sed vbi ille inueniretur? Nec petulanti aliquo (vt assolet) in eo officij detinebatur affectu, sed solo intuitu charitatis. Siquidem plus omnibus laborabat, & minus omnibus accipiebat, ita vt sæpe cùm aliis necessaria ministraret, egeret ipse in pluribus, verbi causa cibo, aut veste. Denique cùm se sentiret decessui propinquare: Deus, inquit, tu scis quòd quantum in me fuit, semper optaui quietem mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, voluntas fratrum, & studium obediendi, super omnia Abbatis pariter, & fratris germana dilectio. Ita est. Gratias tibi frater de omni fructu meorum, si quis est in Domino, studiorum. Tibi debeo, si profeci, si profui. Tu intricabaris, & ego tuo beneficio feriatus sedebam mihi, aut certè diuinis obsequiis sanctiùs occupabar, aut doctrina filiorum vtilius intendebam. Cur enim securus intus non essem, cùm te scirem agentem foris manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum, & linguam meam? Et quidem indefessa manus, oculus simplex, pectus consilij, lingua loquens iudicium, sicut scriptum est, [k] Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. [k Psalm. 36.]

Sed quid dixi foris agentem illum, quasi interna Gerardus nesciret, ac spiritualium expers esset donorum? 6. Norunt, qui illum norunt spirituales, quàm verba eius spiritum redolerent. Norunt contubernales, quàm mores eius, & studia, non carnem saperent, sed feruerent spiritu. Quis illo rigidior in custodia disciplinæ? Quis in castigando corpus suum districtior, suspensior, vel sublimior in contemplando, subtilior in disserendo? Quoties cum eo disserens ea didici, quæ nesciebam, & qui docturus adueneram, doctus magis abscessi? Nec mirum de me, cùm magni, ac sapientes viri id ipsum nihilominus ex ipso sibi accidisse testentur. [l] Non cognouit literaturam, sed habuit litterarum inuentorem sensum, habuit & illuminantem spiritum. [l Psalm. 70.] Nec in maximis tantùm, sed in minimis maximus erat. Quid (verbi causa) in ædificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis denique artibus, seu operibus rusticorum, quid, inquam, vel in hoc rerum Gerardi subterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris, agricolis, hortulanis, sutoribus, atque textoribus facile magister erat. Cumque omnium iudicio omnibus esset sapientior, solis in suis oculis non erat sapiens. Vtinam multos etsi minus sapientes, non plus tangeret illa maledictio: [m] Væ qui sapientes estis in oculis vestris. [m Esai. 5.] Scientibus ista loquor, & adhuc plura hic de illo, & maiora compertis. Parco tamen, quia caro mea, & frater est, hoc tamen securus addo, mihi vtilis in omnibus, & præ omnibus fuit. Vtilis in paruis, & magnis, in priuatis, & publicis, foris, & intus. Meritò ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat.

7. Solum penè reliquerat mihi prouisoris honorem, & nomen: nam opus ipse faciebat. Ego vocitabar Abbas, sed ille præerat in solicitudine. Meritò requieuit in illo spiritus meus, per quem decebat delectari in Domino in omnibus, prædicare liberiùs, orare securiùs. Per te, inquam, frater mi, mens sobria, & grata quies, sermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, & feruentior affectus. Heû sublatus es, & hæc omnia simul. Tecum omnes pariter abiere delitiæ, & lætitia mea. Iam curæ irruunt, iam molestiæ hinc inde pulsant, & angustiæ vndique solum me repererunt, solæ mihi te abeunte, remanserunt, solus sub sarcina gemo. Aut ponere, aut opprimi necesse est, quia tu tuos humeros subduxisti. Quis mihi tribuat cito mori post te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloria. Porrò superuiuere tibi, labor, & dolor. Viuam quoad viuam in amaritudine, viuam in mærore, & hæc sit mihi consolatio, vt mærendo affligar. Non parcam, & iuuabo manum Domini. [n] Etenim manus Domini tetigit me. [n Iob 19.] Me, inquam, tetigit, & percussit, non illum. Nunquid enim occisum quis dixerit, quem plantauit in vita? At quod illi vitæ ianua fuit, mihi planè est mors, neque illa morte mortuum dixerim, non tunc, qui obdormiuit in Domino.

8. Exite, exite lachrymæ, iam pridem cupientes: exite, quia is, qui vobis meatum extruxerat, commeauit. Aperiantur cataractæ miseri capitis, & erumpant fontes aquarum, si fortè sufficiant sordes diluere culparum, quibus iram merui. Cùm consolatus fuerit super me Dominus, tunc fortassis & ego merear consolari. Si tamen

o Matth. 5. non pepercero à mœrore. o Nam qui lugent, ipsi consolabuntur: Propterea condescendat mihi omnis Sanctus, & in spiritu lenitatis, qui spiritualis est, sustineat lamentantem. Luctus meus humano, quæso, pensetur affectu, non vsu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, & fructum nullum. Non culpamus affectum, nisi cùm excedit modum, sed causam. Ille nimirum naturæ est, & eius turbatio pœna peccati: hæc vanitas, & peccatum. Etenim ibi sola (nisi fallor) plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incommoda. Et plorandi, qui ita plorant. Nunquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisque intentio. Nulla sanè mihi querela de his, qui sunt mundi. In his profectò, quæ sunt Dei, ademptum doleo fidele auxilium, salutare consilium. Gerardum lugeo, Gerardus est in causa, frater carne, proximus spiritu, socius proposito. Adhæsit anima mea animæ illius, & vnam fecit de duabus non consanguinitas, sed vnanimitas. Carnis quidem necessitudo non defuit: sed plus iunxit societas spiritus, consensus animorum, morum conformitas. Cùm ergo essemus cor vnum, & anima vna, hanc meam pariter atque ipsius animam pertransiuit gladius, & scindens mediam partem locauit in cælo, partem in cœno deseruit. Ego, ego illa portio misera in luto iacens, truncata parte sui, & parte potiori, & dicitur mihi, ne fleueris. Auulsa sunt mihi viscera mea à me, & dicitur mihi, ne senseris. Sentio, sentio, vel inuitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est: sentio prorsus, & doleo, & dolor meus in conspectu meo semper.

9. p Hierem. 5. Non sanè nos poterit duritiæ, & insensibilitatis arguere ille, qui verberat, quomodo illos, de quibus ait, p Percussi eos, & non doluerunt. Affectum meum confessus sum, & non negaui. Carnalem quis dixerit, ego humanum non nego, sicut nec me hominem. Si nec hoc sufficit, nec carnalem negauerim. Nam & ego carnalis sum, venundatus sub peccato, addictus morti, pœnis, & ærumnis obnoxius. Non sum, fateor, insensibilis ad pœnas, mortem horreo meam, & meorum. Meus Gerardus erat, meus planè. An non meus, qui frater sanguine fuit, professione filius, sollicitudine pater, consors spiritu, intimus affectu? Is recessit a me, sentio, & læsus sum grauiter. q Iob 19. Ignoscite filij: imò si filij, vicem dolete paternam. q Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, qui certè consideratis, quam grauia pro peccatis recepit de manu Domini. In virga indignationis suæ percussit me, dignè pro meritis, dure pro viribus. Aa leue quis dixerit viuere me absque Gerardo, nisi qui ignorat, quid mihi cum Gerardo? Nec tamen contradico sermonibus Sancti: nec reprehendo iudicium, quo recepit quisque, quo dignus est. ille coronam, quam meruit, ego quam debui pœnam. Nunquid quia sentio pœnam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, hoc impium. Humanum, inquam, & necesse affici erga charos, siue delectabiliter cùm præsto sunt, siue cùm absunt molesti. Non erit ociosa socialis conuersatio, præsertim inter amicos, & quid efficerit mutuus amor, in sibi præsentibus, horror indicat separationis, & dolor de inuicem separatis. Doleo super te, Gerarde charissime, non quia dolendus, sed quia ablatus. Et ideo fortassis dolendum mihi potius super me, qui bibo calicem amaritudinis. Et solus dolendus, quia solus bibo. Non enim & tu. Solus ego patior, quod solent pariter pati, qui se diligunt, cùm se amittunt. Vtinam non te amiserim, sed præmiserim, vtinam vel tardè aliquando sequar te, quocumque ieris.

10. Non enim dubium, quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ inuitabas ad laudem, cùm in vultu, & voce exultationis subitò erupisti in illud Dauidicum, stupentibus, qui assistebant: r Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. r Psalm. 148. Iam tibi frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in delicijs tuis. Accitus sum ego ad id miraculi videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti. s Vbi est mors s 1. Cor. 15. victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Iam non stimulus, sed iubilus, iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam mater mœroris, vsurparis ad gloriam gloriæ inimica, vsurparis ad introitum regni, porta inferi, & fouea perditionis, ad inuentionem salutis, idque ab homine peccatore. Iustè nimirum, quia tu iniquè in hominem innocentem, & iustum potestatem temeraria vsurpasti. Mortua es ô mors, & perforata hamo, quem incauta gluiisti, cuius illa vox est in Propheta: t O mors, ero mors tua, t Osee 13. morsus tuus ero inferne. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus latum, lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat larualis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transiit ad patriam, non modo securus, sed & lætabundus, & laudans. Cùm ergo superuenissem, & extrema iam psalmi me audiente, clara voce complesset, suspiciens in cælum ait: u Pater in manus tuas commendo spiritum meum. u Psalm. 30. Et repetens eundem sermonem, atque frequenter ingeminans, Pater, Pater, conuersus ad me exhilarata quidem facie, x Quanta, inquit, dignatio Dei patrem hominum x Galat. 7. esse? Quanta hominum gloria Dei filios esse, & heredes? Nam si filij, & heredes. Sic cantabat, quem nos lugemus, in quo & meum, fateor, luctum penè in cantum conuertit, dum intentus gloriæ eius, propriæ ferè miseriæ obliuiscor.

11. Sed reuocat me ad me pungens dolor, facilèque à sereno illo intuitu, tanquam a leui excitat somno, perstringens anxietas. Plangam igitur, sed super me, quia super illum iam vetat ratio. Puto enim, si opportunitas daretur, modò diceret nobis: y Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete. y Lucæ 23. Planxit meritò z Dauid super parricida filio, z 2. Reg. 17. cui perpetuo sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Meritò super Saul, a & Ionatham, a 2. Reg. 1. quibus æquè absorptis semel emersio iam non sperabatur. Et quidem resurgent, sed non ad vitam. Imò ad vitam, vt viui in morte, infeliciùs moriantur. Quanquam de Ionatha possit non immeritò hærere sententia. At mihi non ista suppetit plangendi ratio, & non tamen nulla. Plango primum super mea ipsius plaga, atque huius iactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus Pater erat. Plango certè, & super vniuerso statu nostri Ordinis, nostræ professionis, qui de tuo Gerardo zelo, consilio, & exemplo robur non mediocre capiebat. Plango postremò etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus, hinc afficior grauiter, quia vehementer amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens non debere sic affici, cùm benignus b Samuel super reprobo Rege, b 1. Reg. 15. & 16. & pius Dauid super parricida filio satisfecerint affectioni, & non ad iniuriam fidei, non in superni suggillationem iudicij. c Absalon fili mi (ait Dauid) fili mi Absalon, c 2. Reg. 17. & ecce plus quam Absalon hic. Saluator quoque videns ciuitatem Hierusalem, & prauidens ruituram, d fleuit super eam. d Lucæ 19. Et ego propriam, & quæ in præsenti est, desolationem non sentiam? Plagam meam recentem, & grauem non doleam? Ille fleuit compatiendo, & ego patiendo non audeam? Et certè ad tumulum e Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, e Ioann. 11. insuper & fleuit cum flentibus. Et lachrymatus est, inquit, Iesus. Fuerunt lachrymæ illæ testes profectò naturæ, non indices diffidentiæ.

12. Denique & prodiit mox ad vocem eius, qui erat mortuus, ne continuò putes fidei præiudicium dolentis affectum. Sic nec fletus vtique noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium. Nec quia percussus ploro, arguo ferientem, sed prouoco pietatem, seueritatem flectere satago. f Vnde & verba mea doloris sunt plena, non f Iob 6.

tamen

tamen & murmure. Nunquid non plenum iustitia
proculi, quod variis sententia complemento, & punitus
est, qui debuit, & coronatus qui meruit? Et adhuc dico,
g Psalm 100. *bene verumque fecit dulcis, & rectus Dominus.* g *Mi-*
sericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Cantet
tibi misericordia, quam fecisti cum seruo tuo Gerardo,
cantet & iudicium, quod nos portamus. In altero bonus,
in altero iustus laudaueris. An solius laus bonitatis?
h Psalm. 118. *Est & iustitiæ:* h *Iustus es Domine, & rectum iudi-*
cium tuum. Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti,
& si dolemus ablatum, non tamen obliuiscimur, quòd
datus fuit, & gratias agimus, quòd habere illum meruimus,
quo carere in tantum non volumus, in quantum nos
expedit. Recordor Domine pacti mei, & miserationis
i Psalm. 50. *tuæ, vt magis iustificeris* i *in sermonibus tuis, & vincas*
cùm iudicaris. Cùm pro causa Ecclesiæ anno præterito
Viterbij essemus, ægrotauit ille, & inualescente languore,
cùm iam proxima videretur vocatio, ego ægerrimè ferens
comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere
aliena, nec resignare iis, qui mihi eum commiserant,
quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis
valde: conuersus ad orationem cum fletu, & gemitu, Expecta,
inquam, Domine vsque ad reditum. Restituam
amicis tolle eum, si vis, & non causabor. Exaudisti me
Deus: conualuit, opus perfecimus, quod iniunxeras, rediuimus
cum exultatione, reportantes manipulos pacis.
Porrò ego oblitus penè sum meæ conuentionis, sed non tu.
Pudet singultuum horum, qui præuaricationis me arguunt.
Quid plura? Repetisti commendatum, recepisti
tuum. Finem verborum indicunt lachrymæ, tu illis Domine,
finem, modumque indixeris. Hactenus sanctus
Doctor de Gerardo, dulcior, an tristior? & vbique
sui similis, si non fortè in vtroque seipso maior.

Verùm hoc vnum eius testimonium tanti fecit 13.
Ecclesia, vt nullus dubitet Sanctis annumerare,
quem sanctus Pater Sanctum prædicauerit. Vnde
& Gerardum inter Sanctos numerant Loisius Lipomanus,
Molanusque: hic in prætermissis ad
VVsuardi k Martyrologium, ille in vitis Sancto- k *Iunij* 13.
rum, quas collegit. Idem Basilius l Santoro, m l *in Flore Sanct. Octob.* 13.
Arnoldus VVionius, Hugo Menardus, n Menolo-
gium Cistercij, pluresque, siue ex antiquis, siue m *Iunij* 13.
etiam ex recentioribus. Gerardo creditur (nam n *eodem die.*
& id obiter dicam) successisse Galtherium in temporalium
administratione, ille nimirum, cuius
meminit Petrus Cluniacensis ad Nicolaum scribens,
o *Philippum* (ait) *Leodiensem, Galtherium Cel-* o *l.16. epist. 5.*
lerarium, & reliquos, quos melius me nosti fratres, ex parte
nostra affectuosius saluta. Hæc de Gerardo: primò
(quod sciamus) Cellerario Ordinis sancto, quem
reliqui imitandum sibi proponant, quamuis & ipsum
multi alij sint secuti, de quibus infrà. Gerardum
ipsum in magna gloria, nec semel visum, suis
etiam temporibus reddemus. Nunc Lingonensis
Ecclesiæ causam intermissam, & malè seruatæ fidei
recidiuos conatus prosequamur.

1. Status electionis Lingonensis ad Petrum venerabilem delatus. 2. Eiusdem pro electo filio solicitudo. 3. Impetrata regalia, 4. & pontificalia impedita ab appellantibus. 5. Bernardi constantia. 6. Quid Petrus pro electione. 7. ad Innocentium: 8. mox ad Bernardum scripserit. 9. Dictum de infamia, 10. quo examine præmisso. 11. Rogatus Sanctus, 12. & interposita nota suspicionis.

CAPVT VII.

1. DVm sanctus Pater mærebat in Claravalle, Lingonensis electus, qui dudum cesserat, consecrationem denuo solicitabat. Siue ea inconstantia viri fuit, siue vafricies, & subdolum consilium: seu tandem electores pertinaces, quo eumdem Pontificem haberent, noua indies consilia machinabantur. Ventum erat ad Petrum venerabilem, nam electus Cluniacensis Monachus erat, & proprium filium sibi defendendum, atque opponendam Bernardi auctoritati auctoritatem propriam, quæ ab omnibus per Galliam venerata, sola posset non cedere, perpensum. Electum suum apud quosdam malè audire, sed sine culpa propria, per errorem loquentium, vel per inuidiam, à qua quis quamuis iustus immunis esset? Bernardum sanctum, quis enim id negaret? Sed nimio zelo in credendo faciliorem, dum opponit infamem, etiam facere, quippe ex tunc infamandum, nequaquam immeritò, si iam electi consecratio perturbaretur. Potuisse ob solum rumorem, quantumuis falsum nequaquam eligi, fortè & debuisse: semel electum, deponi nunquam posse, nisi ipsa etiam delicta comprobarentur.

2. Hæc, & similia Petrum persuaserant, vt Lingonensi electo secum assumpto, ad Lodouicum, Anicium se conferret: ibi electio intimata Regi fuit, præsentatus electus, & petita regalia, quæ Monacho grauissimi conuentus, interueniente sancto eius Abbate, quis negaret? Porrò regalia semel impetrata, Pontificalibus faciliorem viam parabant: maximè conferendis per Lugdunensem, qui electum vt amicum, electionem velut à se factam, quocumque posset fauore, prosequeretur. Ergo mutatis die, locoque, quo faciliùs laterent contradicturos, electionem desertam reproducunt, tunc nullo reclamante, confirmandam. Et præualuisset intenta præsumptio, si non Claræuallenses duo Monachi, Bruno, Gaufridusque, qui fortè illuc conuenerant, si non viri alij graues, & religiosi contradixissent, interposita ad Innocentium appellatione. Additus, & Lingonensis quidam Canonicus, à sancto Patre missus, sed præ temporis angustia, vix opportunus. Sed de his omnibus primum sanctum Patrem, mox etiam Petrum loquentem audiamus.

Ergo Bernardus ad Innocentium scribens, 3.
cœptam rei narrationem ita continuat. a *Manda-* a *epist. 144.*
uit (inquit) *mox electionem fieri* (scilicet Monachus,
qui antè electus fuerat) *hoc per quosdam Lingonenses
Canonicos tunc præsentes, hoc & per litteras, quæ adhuc extant, quibus in Capitulo Lingonensi oblatis, & lectis (proh pudor!) in continenti leguntur aliæ per omnia contraria illis, asserentes vtique consecrationem dilatam, non dimissam, assignantes diem, & locum ad causam decidendam, quam litteræ priores nunciabant decisam. Putares in litteris non solùm diuersas, sed & aduersas sibi loquentes personas, aduersum se inuicem contendentes: nisi quòd vna, eademque imago impressa ceris, vnum idemque nomen præsignatum in schedulis, manifestè de vno fonte dulce, & amarum illud manare, cunctis, qui aderant, mirantibus, declarabant. Tenemus in manibus contradictoria littera: vtriislibet obedire decreueris, inobedientiæ, necesse est tenearis. Aut enim priorem te recipientem epistolam, posterior condemnabit: aut si posteriorem sequi eligas, prior murmurabit. Et vtinam secunda epistola, sicut potuit euertere primam, ita*

posset

posset sese vel ipsa tueri aduersùs tertiam. Sed ecce littera contra litteras, mandatum aduersus mandatum: ita b Esai. 28.
vt non iam quemadmodum in Propheta, [b] *manda, remanda, sed manda, demanda potiùs inculcetur.*

4. *Interim, nempe homo, qui & consecrationem fugerat, & electionem refutauerat, festinauit ad Regem, regalium*
1. *inuestituram obtinuit: quibus meritis, ipse viderit. Mox directis epistolis, & locus, qui assignatus fuerat, est mutatus, & dies anticipatus, vt loci temporisque opportunitate subtracta, & copia agendi pariter subtraheretur contradicturis, & consecrationis dies subripiatur appellaturis. Caeterùm non est consilium contra consilium Domini, cuius prouidentia factum est, vt nec contradictores defuerint, nec appellatores. Appellatum est à Falcone Decano Lugdunensis Ecclesiae, appellatum & à Pontio Archidiacono Lingonensi, appellatum à Boto amico Sacerdote, & Canonico aequè Lingonensi, appellatum & à fratribus nostris Brunone, atque Gaufrido, ignorantibus quidem omnibus his praeparationem cordis eorum, sed casu superuenientibus, haud dubium Dei prouida voluntate. Tanta siquidem fuit breuitas termini, vt vix ex quo rescinimus diem, spatio quatuor dierum nuncius noster cum litteris accurrere potuerit, quatenus praeueniret, quod parabatur, non sacramentum, sed sacrilegium. Et is quoque nihilominus contradixit, & tam consecrandum, quàm consecraturos, ad sedem Apostolicam appellauit. Et ipse erat Lingonensis Canonicus, veritatem dico, non mentior: nihil a me hic dictum personae odio, sed solo veritatis amore veraciter omnia posita, teste ipsa veritate.*

5. Hactenus Sanctus ad Innocentium Summum Pontificem de gestis in causa electi Lingonensis. Quam tamen adeò constanter prosequutus est, adeò neruosè electum persequutus, vt nullis prorsus, aliàs sibi charissimi venerabilis Petri, nullis Metropolitae, nullis Principum precibus, non ipsi regiae dignitati cesserit: nullum denique lapidem non mouerit, quominus homini indigno subiiceretur. Rem non vulgarem, electoribus perutilem, quo timeant, caueantque indignos eligere (nam hic praecipuus historiae scopus est) vtrinque etiam litteris productis, non pigebit lectori meo proponere: obiterque secundam dissidij causam, quae Cluniacenses diuisisset à Cisterciensibus, si non quae vtrisque imperabat fraterna charitas, vtrosque etiam mutuo reconciliasset. Audi progressum actionis, & circunstantias.

6. Petrus Mauricius, vt causam appellatam vidit ad Innocentium, nec iam sine Bernardo discerni posse, vtrique sibi scribendum fore putauit, ad Innocentium breuiùs, cautiusque, ne Bernardo aduersari videretur: ad Bernardum prolixiùs, & neruosiùs: atque vt seipsum à consensu in electionem, sic & electum ab infamiae nota purgans, obiterque insinuans mala, quae immineret, si Cistercienses Cluniacensi Monacho, praecipuè digno, soli contradicerent, & noua dissidiorum, & odij causa vtramque inter familiam inde exurgeret. Ergo ad Pontificem occasionem nactus idoneam, cùm filius Ducis, qui electionis promotor fuerat, Romam adiret, ac se peteret à Petro commendari, in causa electionis, vt quae nihil ad eum pertineret, velut rogatus, pro filio Ducis, instantiùs, & à seipso, talem eum scripsisse constat epistolam.

7. [c] *Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino*
c lib.2.c.36. *Papae Innocentio, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, obedientiam, & amorem. Rogati rogamus, vt paterna pietas nobilis filiae preces exaudiat, & eam eligendi libertatem, quam minoris nominis, & inferioris dignitatis Episcopatus, & Abbatiae Canonico, & communi iure obtinent, nobili, magnae, & famosae Lingonensis Ecclesiae conseruari iubeat, vt & ipsi simultatum occasiones amittant, & de pace eis per vos promissa, Deo, & vobis gratias agant. Filium Ducis Burgundiae nostrae, maiestatis vestrae clementiam nunc primum adeuntem, vobis attentiùs commendamus, vt eo à vobis amore, & honore suscipiatur, quatenus & bonae spei filius bonum Patrem se adiisse gratuletur, & vestro obsequio multo magis in posterum obnoxius reddatur.* Hactenus Petrus Mauricius ad Innocentium, vt nihil addens, sic non pauca omittens, modestè satis, fortè & prudenter, ne Bernardo contrarius, aut in filij causa, suspectus agnosceretur. Exemplar porrò epistolae ad Bernardum hoc est: longiusculae, vt quae omnibus respondeat, obiiciat aliqua: sed grauis sanè, & dignae quae transcribatur.

[d] *Venerabili, & intimo mihi domino Bernardo Ab-* 8.
bati Claraeuallensi, frater Petrus humilis Cluniacensium d l.1.epist.29.
Abbas, syncerae charitatis affectum. Reuertenti mihi nuper de Pictauiensi pago, Lingonenses Canonici occurrerunt, & nihil tale suspicanti, vnum ex fratribus nostris, cum vniuerso Clero, & populo Ecclesiae suae, se in Episcopum concorditer, & canonicè elegisse, Lugdunensi Metropolitano id consulente, & confirmante, dixerunt. Institerunt toto nixu tam precibus suis, quàm mandatis, & litteris Domini Lugdunensis: vt quia Monachus noster erat, quod de eo fecerant, & ego confirmarem. Hasi aliquandiu, nolens carere vtilitate personae: concessi ad vltimum cedens importunitati rogantium. Sic a me, quod petierant impetrantes, praeterito beatae Dei Genitricis festo, apud Anicium regalem Curiam, cui ipse necessitate, non voluntate interfui, adierunt: & à Domino Rege Francorum electum suum, quantum in ipso erat, confirmari rogauerunt, & obtinuerunt. Nam audita Rex electione, & visa, quae fortè tunc ad me venerat, persona, quod de ea Lingonensis Ecclesia fecerat, collaudauit, & de regalibus, sicut solet fieri, manu propria solenniter inuestiuit. Cumque ita Cleri, populi Metropolitani, ipsius quoque, vt dixi, Principis in hanc vnam sententiam, in hunc vnum electum vota conuenerint, quosdam Lugdunenses voluntatem vestram à communi omnium proposito, nescio quibus rumoribus auertisse, & contra id, quod factum fuerat, irritasse, ante paucos dies accepi. Quod vt comperi, maluissem super his praesens cum praesente conferre, quàm litteris cogitata mandare. Hoc quia & remotio vestra, & mea non interpolata negotia impediunt, facio, quod possum, quia quod volo, non possum.

Non sanè miror, nec mirandum est, si bono viro mala 9.
audita displicuerunt: sed aduertendum fuit, quia sicut vera, sic & falsa esse potuerunt. Vnde priusquam id cognosceretur, non erant, vel tribunalibus iudicum, vel cathedris Pontificum inferenda. Cogitandum fuit, quod tamen apud vnanimis amici aures familiari querela depono, hunc, de quo sermo est, vestrae Cluniacensis Ecclesiae Monachum, & dilecti vobis Abbatis esse filium. Attendendum fuit personas illas, à quibus hoc, quod vos mouit, dilectio vestra accepit, iurata aduersùs Cluniacum bella tanta animositate ex aliquanto tempore suscepisse, vt neque linguas ab iniuriis, nec manus a sacrilegiis continere potuerint. Videndum fuit, si fidem prudentia vestra illorum maledicorum verba facere debuerunt, [e] *quorum os* e Psalm.143.
loquutum est vanitatem, impudenter mentiendo, & dextera eorum dextera iniquitatis, irreuerenter innocentes Monachos verberando. Quapropter tantis, tanque manifestis inimicis credere, tantis, tanque manifestis hostibus fidem dare, nec vestrum, nec aliquorum bonorum est. Credite magis domesticis, quàm extraneis, notis, quàm ignotis, amicis veridicis, quam inimicis maledicis. Credite mihi, qui & domestici, & noti, & amici apud

vos

nos nomine glorior : quòd etsi à communi mendacio, quo omnis homo mendax est, immunis esse non possum, absit tamen, vt ibi non caueam mendacium, vbi cauere possum.

10. *Conueni ipse hominem, audito, quem suprà dixi, rumore, & quæ dicebantur, proponens, ne veritatem desineretur, paternè rogaui, admonui, adiuraui. Dixi me non vt perfidum ministerij rectorem, sed vt fidum commissorum custodem ad conscientiam eius velle accedere, nolle me patefactis animarum vulneribus illudere, sed mederi. Adieci quidquid ad eliciendam veritatem occurrere potuit vtile : nec dissimulaui intima parietis, acuta interrogationis fossorio perscrutari. Post quæ omnia id responsi accepi, nunquam se amictu mendacij cor suum mihi velasse, nunquam velare proposuisse. Certum se esse, quòd si mentiretur mihi, mentiretur & Deo : de fide commissorum nihil se dubitare, eorum, quæ dicebantur, ita se esse immunem, vt si velim, iniecta omnia securissimè sacramento expurget. Noui ergo, à quibus, & quare, & qualiter verba illa, quæ scandalum vobis pepererunt, exorta, aucta, disseminata fuerunt. Quæ si vobis per me ipsum liberò colloqui licuisset, ad vnguem exposuissem, & quam tenebrosa abysso, perspicuam mentis vestræ aciem, caliginosa mendacij nubes offendere conata sit, ad liquidum indicassem, quod cùm potero faciam.*

11. *Interim amplectendam mihi vestram dilectionem semper rogo, & per eam, quæ nos in domo Dei vnanimes fecit, obsecro, ne nœuo mendacij Cluniacensis congregationis corpus deformare, non dico velitis, sed ne patiamini. Quoniam non hoc vni illi adscribere, sed nobis, & singulis, & omnibus imputare pudor ipse obiectæ infamiæ compelleret. quia cùm dolet vnum membrum, condolent omnia membra, & cùm patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Nec æstimet sanctitas vestra, me ad defendendum Monacho nostro episcopandi gradum hoc dicere : quoniam episcopari Monachos nostros, nec nouum, nec admirabile nobis est, cùm tot, vt ipse nostis, de Ecclesia illa famosa Ecclesiarum fulserint, & fulgeant sydera. Sed quia malum nomen diffamari super filia Israël, nec verus Israelita facere, nec verus Israelita potest sufferre. Quòd si Lingonensi Ecclesiæ multi sæculares Clerici, quorum nec multa religio, nec multa scientia eminebat, Episcopali nomine non tantùm patiente, sed etiam laudante Ecclesia olim principati sunt : quid indecens, si religiosa Ecclesia religiosus, sapiens, litteratus Monachus, inde in Pontificem Lingonensem electus est, vnde Episcopales, Archiepiscopales, Patriarchales, & ipsa omnium vertex Ecclesiarum Apostolica, & Romana sedes Patres sibi assumere consueuerunt ?*

Quòd si fortè, vt totum, quod sentio, exhauriam, Monachi Monachos, Religiosi Religiosos, Cistercienses Cluniacenses verentur, & minus de illis, de quibus magna confidere deberent, confidunt : vrgeat vrista suspicio, & omne animal consimile sibi diligere, eique magis adhærere, natura ipsa docente, discat. Vnde si in animalibus tantum natura præualet, in hominibus, & Monachis non tantundem auctor natura valebit ? Diliget ergo, si Monachus fuerit, Lingonensis Episcopus, Cistercienses, & cæteros Monachos, quia diligendo maius sibi lucrum, non diligendo maius sentiet detrimentum. Nec noster Monachus aliud audebit, quàm nos facere diligendo videbit. Hactenus ad Bernardum Petrus Mauricius, per speciem familiaritatis nihil omittens, quod posset Sanctum ab incepto retardare. Nisi quòd tamen in purganda infamia filij, dum nimium credit, parum persuadet : solius partis contentus testimonio, cui de seipso fides ex affectu, non ex iudicio. Sed nec admittam Falconem Lugdonensem virum grauissimum, qui mox successit in Archiepiscopatu, odio, aut vindicta aduersùs Cluniacenses, decepisse Bernardum, aut vires addidisse falso rumori.

1. Intentata electi consecratio. 2. Nec Bernardi ad Pontificem epistola, 3. itemque ad Cardinales, 4. impedita exequutio. 5. Zelus Sancti, 6. appellantes confirmauit, 7. & satis acre scripsit ad Innocentium. 8. Perpensa verba : 9. & cassata, quæ gesta hactenus. 10. Quisnam depositus, 11. & quis demum suffectus in eius locum.

CAPVT VIII.

1. INterim Petrus paterna solicitudine, & ne qua parte electionem filij non promoueret, appellatione, deuolutam iudicans, sed neqoaquam suspectam consecrationem, exequendam aut sensit, aut consensit : certè non renuit, iure, an iniuria, si semel conferretur, in consecrato æternum duraturam. Tum vt electum difficile repelli, qui facile eligendus impediretur : sic consecratum longè difficilius. Nec vlla potentia deponendum, si electioni, vt putabat ipse, concordi, atque acceptis regalibus, vltima omnium consecratio sobiungeretur. Itaque consecratio decreta est, non obstante interiecta appellatione.

2. Verùm Bernardus siue indignitatis hominis gnarus, seu indignum ex ipsa infamia reputans, quæ vel innoxios arceat à tanto munere, nihilo secius motus amici precibus ad Pontificem, Cardinalesque litteras dedit, plenas constantiæ, veritatis indices, neque solum iustitiam postulantes, sed velut extorquentes miserationem. Atque ecce exemplar epistolæ ad Innocentium.

a epist. 167. a *Clementissime Pater, non ne præcipiendo præcepisti in Lingonensi Ecclesia personam eligi religiosam, atque idoneam, & ad consilium pueri tui ? Nonne Dominus Lugdunensis hoc ipsum mandatum, ex Apostolico ore tuo præsens excepit tam fideliter exequuturum, quàm firmiter iniunctum, ac frequenter inculcatum ? Nonne denique & spopondit ? Quid ergo visum ei mutare voluisse, quod vtilissimè, & consultissimè statutum fuerat, aliudque sua præsumptione moliri, quod non conueniebat, in vestre ipsius maiestatis contemptum, & in nostræ pusillanimitatis scandalum ? Quomodo non erubuit bonus ille vir, apud se, est, & non inueniri, tentans imponere tam indignum iugum ceruicibus tam numerosè multitudinis religiosorum seruorum tuorum, aduersùs statutum tuum, & promissum suum ? Inquire Pater, inquire diligenter, quale homo ille, cui festinat manum imponere, testimonium habeat, & ab his, qui propè sunt, & ab his, qui longè sunt. Mihi enim interdicit dicere pudor, quid publica fama de eo dicit, imò infamatio celeberrima diuulgauit. Et quid dicam ? Tristis est anima mea vsque ad fugam. Et iam forsitan fugissem, nisi me retinuisset consolationis spes, quam de visceribus vestris expecto. Volebam scribere per ordinem lachrymabilem miseriæ nostræ victoriam, sed præ tristitia languet manus, sensus hebescit, horret lingua eloqui maligna fraudem, sed subreptionem, sed circumuentionem, sed temeritatem, sed perfidiam. Quid ergo ? Filius tuus Pontius Archidiaconus, qui & in hac causa constanter, fideliterque se habuit, cuncta tibi Pater narrabit, & quid factum doleamus, & quid faciendum flagitemus. Ipsi crede, tanquam mihi. Ego autem hoc vnum vt parturiens loquor : nisi*

isti

isti à tam scelerato, tamque temerario ausu deficiant, vt
b Psalm. 36. *me ipsum nunc sentio,* [b] *deficiet in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Hæc ad Pontificem. Ad Cardinales verò paulo liberiùs, nec prætermittens labores, & pericula, quæ pro Romana Ecclesia tolerauisset.

3. [c] *Vos scitis, si dignum ducitis recordari, qualiter vo-*
c epist. 168. *biscum in tempore malo conuersatus sum, egrediens, & regrediens, & pergens ad Imperium Regis: persistens, ac permanens vobiscum in tentationibus vestris, ita vt consumptis penè viribus corporis, vix post redditam cœlitus pacem Ecclesiæ repatriare potuerim. Et recolo hoc non glorians, aut improperans, sed prouocans, & efflagitans, monens, & reposcens debitum vestræ miserationis affectum. Vrget necessitas modò omnes repetere debitores. Ego verò si feci, quod facere debui, haud aliud me ex eo*
d Lucæ 17. *quàm seruum inutilem reputo, iuxta sermonẽ Domini.* [d] *Veruntamen si feci, quod oportuit, aut quod faciendum*
e Psalm. 144. *fuit, numquid merui vapulare? Et ecce rediens à vobis,* [e] *tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, sed non profuit. Inuocaui & vestrum, & non valuit. Siquidem Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt: Lugdunensis scilicet Archiepiscopus, & Cluniacensis Abbas. Hi confidentes in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantes, aduersùm me appropinquauerunt, & steterunt. Et non aduersùm me tantùm, sed aduersùm multitudinem magnam seruorum Dei, aduersùs vos quoque, aduersùm seipsos, contra Deum, contra omnem æquitatem, & honestatem. Denique imposuerunt hominem super capita nostra, quem (proh dolor!) & boni horrent, & mali rident. Quo ordine, imò quàm extraordinariè, videat Deus, & iudicet, videat & Romana Curia. Videat, & doleat, misereatur, & accingatur ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quid enim? Placet tibi domina, mundi vniuersitati constituta vindex in iram, iudex in misericordiam: placet, inquam, tibi, quòd dum superbit impius, incenditur pauper, & ille pauper, qui pro tuo seruitio cùm non haberet censum, quem effunderet, sanguini non pepercit? Dignum ne tibi videtur tua perfrui pace, & nostrum non curare, nec recipere in sortem consolationis, quos habuisti consortes laboris? Si inueni gratiam in oculis vestris, eripite inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem à diripientibus eum. Alioquin ego quidem, vt potero, laborabo in gemitu meo, & erunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, & vobis legam*
f Iob 6. *illum versiculum,* [f] *Qui tollit ab amico misericordiam,*
g ibidem. *timorem Domini dereliquit. Et illud:* [g] *Omnes necessa-*
h Psalm. 37. *rij mei recesserunt à me. Illud quoque:* [h] *Qui iuxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Hactenus Sanctus.

4. His posset impediri consecratio, & noua electio dignioris celebrari, si non Lugdunensis Antistitis potentia, & Petri venerabilis auctoritas, Eduensi, Matisconensique adiunctis Episcopis (appellatione posthabita, an conhibentia Innocentij, non ausim dicere) electum tandem de facto consecrassent. Quasi iam ordinatus in Episcopum difficiliùs de sede tolleretur. Sed & Bernardus Sacerdotem agnoscens proprium, ab incepto desisteret: nec Christo Domini auderet contraire, cui, quamuis dyscolo, sciret obtemperandum.

5. Tum verò Sanctus nouitate rei perculsus, sed nihilominus zelo Dei feruidus, & quantum malum Ecclesiæ suæ immineret, pastor indignus, perspicaci, & prudenti perpendens animo, proprios etiam labores, vt non iactans, saltim opponens, Innocentio repræsentauit. Quasi mercedem ex iustitia posceret, qui ex charitate non quæ sua essent, sed quæ Christi, & Ecclesiæ tantum inquireret. Ergo ne deficiente contradictore, deficeret iudicium à domo Dei, neve zelo potentia præualeret: primò Falconem, Guidonemque, Lugdunensis Ecclesiæ vtrumque, illum Decanum, hunc Thesaurarium, litteris ad eos datis, confirmauit, vt ipsi saltem desertæ Ecclesiæ adessent, quam proprius pastor, non solùm deseruisset, sed exposuisset connubio prorsus indigno. Inde Innocentio scripsit tertiam epistolam, iudicem animi, & dignam ipsius zelo. Atque ecce exemplar epistolæ prioris ad Lugdunenses.

[i] *Ad Falconem Decanum, & Guidonem Thesaura-* 6.
rium Lugdunensis Ecclesiæ. Plaga, vt videtis charis- i epist. 165.
simi, Ecclesiæ nostræ magna est, & multa eget cura. Nec modò multa, sed cita, ita vt assiduè cum lachrymis medico cœlesti instemus, dicentes: [k] *Domine descende* k Ioann. 4.
priusquam moriatur. Vnum est, quod magis exacerbat dolorem, & penè desperat curationem, quia nimirum inde orta est tribulatio, vnde consolatio sperari debuerat. Quis nam enim, ô misera, malum hoc, quod plangis, induxit super te? Profectò non inimicus, non is, qui oderat te, sed homo vnanimus, dux tuus, & Metropolitanus tuus. Quomodo ab Austro, & non iam ab Aquilone panditur omne malum? Meritò proinde non est dolor, sicut dolor meus, quoniam de quibus potissimum præsumebamus, ab ipsis passi sumus, & non ab aliis. O Lugdunensis pia mater Ecclesia, cuiusmodi non sponsum, sed monstrum tuæ filiæ procurasti nunc? Non planè matrem te in hoc, sed nouercam sensimus. Gener hic tuus quàm longè à nobili illa tua antiqua honestate, grauitate, probitate degenerat! Quid enim? Ego ne id dixerim honorabile connubium, & thorum immaculatum, quod de tali, & taliter factum est? Sine lege, sine ordine, sine ratione, sic confusa non omnia, imò ita cuncta in fraude, & temeritate prærepta, præsumpta fuisse constat, vt non dico Episcopum, sed ne villicum quidem, aut teloniarium quempiam in hunc modum decuerit ordinari. Quibus vos laudibus efferam dulcissimi, qui soli condoluistis afflictæ, & tam in prima, quàm in secunda sua defensione oppressæ astitistis ascendentes [l] *ex aduerso, & opponen-* l Numer. 25.
tes vos murum in domo Israël? Non est inuentus similis vobis in illo conuentu, qui conseruaret legem Excelsi, qui sacris obtemperaret canonibus, qui denique se indueret zelum Phinees, & lingua mucrone confoderet fornicantes. Quæ cùm ita de vobis ad Dei, ad vestram ipsorum gloriam vbique clarescant, restat vt in principio tam laudabili condignum exitum dare, & hostiæ capiti, caudam iungere satagatis. His sanctus Pater viros confirmabat. At Innocentium fidentiùs alloquutus, atque eo fortassis efficaciùs his, quæ sequuntur.

[m] *Ad Dominum Papam Innocentium. Iterum clamo,* 7.
iterum pulso, & si non clamosis vocibus, certè lachrymosis m epist. 166.
gemitibus. Cogit iterare clamores iterata in nos iniuria perditorum, & prolongantium iniquitatem suam. Confortati sunt addẽtes præuaricationem, apponunt iniquitatem super iniquitatem, & superbia eorum ascendit semper: inualuit furor, pudor euanuit, & timor Dei. Quem contra tuam Pater castam, iustamque dispositionem non timuerunt eligere, etiam post appellationẽ tui nominis ausi sunt execrare. Et hoc præsumpserũt Lugdunensis, Eduẽsis, Matisconensis, amici Cluniacenses. In fraude, & temeritate istorum, heu quàm ingens multitudo Sanctorum turbabitur, si angariati fuerint tale portare iugum, taliterque impositum? Proh nefas! hoc ita accepturi sunt, ac si cogantur genua curuare Baal, aut certè (iuxta [n] n Esai. 28.
Prophetam) pactum facere cum morte, & cum inferno fœdus inire. Rogo, vbi ius, vbi lex, vbi sacrorum auctoritas Canonum, vbi denique reuerentia maiestatis? Illa, illa, quæ nulli negatur oppresso, soli mihi non profuit appellatio. Vbi nimirum imperabat aurum, indicabat argentum:

argentum: leges, canonesque silebant, locum ratio, & æquitas non habebant. Eisdem telis (quod intolerabilius est) arcem quoque Apostolici culminis oppugnare minantur. Id verò ridiculè: fundata est enim supra firmam petram. Sed quid ago? Excessi, fateor, non est meum accusare quemquam, aut reprehendere, sufficit mihi, vt plangam dolorem meum. Post longam moram, multosque labores, quos pro seruitio Romanæ Ecclesiæ pertuli, cùm tandem placuit serenitati vestræ reditum annuere ad fratres meos, etsi fractus viribus corporis, tanquam malè operans, lætus tamen ob manipulos pacis, quos reportabam, ad Monasterium cum prosperitate perueni. Credidi me de labore euasisse ad requiem, licere mihi vtcumque resarcire spiritualium damna studiorum, ac sanctæ quietis detrimenta, quæ foris incurreram, & ecce [o Psal. 118.] *o tribulatio, & angustia inuenerunt me. En lectulo recubantem plus cordis, quàm corporis dolor excruciat. Nec enim ego deploro temporale incommodum vllum: anima mea in manibus meis, salus eius in causa est. Placet vobis, vt illi homini credam animam meam, qui perdidit suam? Scio, quia non placet. Quamobrem dixi anima mea, expedire magis inire fugam, quàm & mærore consumere residuum dierum meorum, & nihilominus in periculum salutis incidere. At Deus vobis potiùs inspiret, quod potiùs est, reducere videlicet ad memoriam (si dignum indicatis) qualiter vobiscum egerim, & ponere oculos pietatis super puerum vestrum, & liberare afflictum de angustia. Quin potiùs non obliuisci, quanta Deus ipse fecerit vobis, & in quantulacumque vicem recompensationis, ad ipsius gloriam, quod tam perperam factum est, reuocare.* Hactenus sanctus Pater ad Innocentium.

8. Sed antequam historiam prosequamur, audiant, & paueant, quicumque Pastores eligunt; qui homines Ecclesiis præficiunt, qui Monasteriis. Bernardus singulare Ecclesiæ lumen, modestiæ norma, sanctimoniæ decus, obedientiæ, & perseuerantiæ mirum exemplar, imminentem sibi indigno, eoque non Abbate, sed Episcopo, cui adeò ratiùs foret obtemperandum: post longam satis deliberationem, neque alium, quàm Vicarium Christi alloquens, in ea verba prorupit semel, & iterum, vt fugam obedientiæ indignæ præferat, & minus sibi dissona videatur, quàm sub Prælato [p epist. 167.] infami perseuerantia. p *Quid enim?* ait, (dum timuit consecrandum) *tristis est anima mea vsque ad fugam. Et iam forsitan fugissem, nisi me detinuisset consolationis spes, quam de visceribus vestris expecto.* Quasi ea deficiente consolatione, nil Sanctum vltra à fuga retardaret. At postquam iam cognouit consecratum, audi, quid dicat.

[q epist. 166.] q *Quapropter dixi, anima mea expedire magis inire fugam, quàm & mærore consumere residuum dierum meorum, & nihilominus in periculum salutis incidere.* Hæc, hæc aduertant, qui eligunt Abbates, qui Superiores, & qui vt obstrictos sibi aliis præficiant, dum suis consulunt, Deum obliuiscuntur: & vel Bernardos meditari fugam compellunt, vt immeritos cumulent honoribus, exornent præfecturis. Quod vtinam à religiosis familiis auertat, qui solus potest.

9. His litteris vniuersa Roma commota, atque Innocentius indignatus in electores (originem malorum) cassari omnia, reosque sibi sisti seuerus mandat, inobedientiæ pœnas luituros. Et recepissent condignam mercedem factis, si non Bernardus, tum demum pœnitentes, cedentesque, retinuisset Lingonis, Romano Præsuli pro eis fideiussurus. Transmissi tamen ex eis fideliores, innoxiique, per quos & cæteri reconciliarentur, & noua electio, nam eam præstolabantur, fieri mandaretur noua cautela. Extat epistola eiusdem sancti Patris ad Innocentium, qua eos à se detentos, sed per omnia obedire paratos, excusat, in hunc tenorem.

r *Dignatio vestra fecit me familiarem, familiaritas* [r epist. 169.] *præsumptorem. Adsit solita cordi vestro benignitas, ne forte præsumptio pariat indignationem. Audite tamen patienter, non solùm quid egerim, sed & cur egerim, si fortè causa factum possit, vel aliquatenus excusare. Ausus sum retinere Clericos Lingonenses, qui vocati erant, composita tamen pace inter eos, ipsisque persuasis stare deinceps de facienda electione in beneplacito vestro, & consilio bonorum, sicut in litteris eorum continetur. Erat autem pernecessarium eos hac vice remanere, propter terras, & possessiones Ecclesiæ, quæ datæ sunt prædæ, & direptioni, dum non est, qui custodiat, aut defendat. Itaque personæ, quæ non sunt suspectæ, quæ non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, iniungatur, si placet, cura eligendi, qui Deo placeat; & finem tandem accipiat Ecclesiæ iam diuturna, & miseranda vexatio. Reliqua verò dicenda commisimus domino Herberto Abbati sancti Stephani Diuionensis, & Archidiacono Lingonensi, sociisque eorum. Adiicimus etiam, vt Archidiaconum Lingonensem, & Bonumanicum eiusdem Ecclesiæ Presbyterum, quoniam fideles in causa Dei extiterunt, eos, & res eorum in defensione vestra recipiatis.* s *Dignus est enim operarius mercede sua.* [s Lucæ 10.] Hactenus Sanctus, instanti Ecclesiæ malo remedium quærens, sed eo inuento, vindictam non admittens.

10. Non satis constat, quisnam ille fuerit, quem electum Bernardus non confirmare, quem consecratum fecerit deponi. Vizeliacensem Abbatem Baronius t putat, motus epistula Petri Venerabi- [t ad hunc an.] lis ad Innocentium Papam, qua Lingonis electum in Episcopum petit à proprio Cœnobio non amoueri. u *Rumor* (ait) *ad nos vsque peruenit, quòd* [u lib. 2. epist. 28.] *quidam paternitatis vestræ auribus importuni existunt, vt dominus Vizeliacensis Abbas, de Vizeliacensi Monasterio ad Lingonensem Ecclesiam, de Abbate in Episcopum transferatur. Hoc ne audiatis, & nos rogamus, & ipsa ratio implorat*, &c. Verùm quis credat Petrum sibi contrarium tenuisse Pontificem, quem curauerit ipse promoueri? An apud Innocentium detrectet infulas, quas apud cæteros omnes prosequatur? An Bernardum ad consensum eius induceret, vt Innocentio dissensum persuaderet? An non solùm electus à se discors, sed etiam Petrus? Adde, quòd ille Monachus, hic Abbas; ille famosus, hic adeò boni nominis, vt Vizeliacum etiam reformauerit: & *super aridum, & caliginosum montem* (verba Petri assumo in ea epistola) *leuatus in signum, ita eum pinguem religione, sic eum luminosum bono nomine reddiderit, vt in partibus nostris Vizeliacus, excepta Cluniaco, in nostri Ordinis studiis nullum patiatur habere priorem.* Sic Petrus Abbas. Quare non aliam ob causam Lingonensibus negandum fore putat, petitque, quàm *ne longo tempore, & multo labore parta bona, momento depereant.* Hæc tanta merita vix cohærent infamiæ, de qua Bernardus: sed nec referret Innocentio Petrus, si nulla forent; aut retulisset Bernardu, si vera essent. Et sede illa vacante per longum tempus, electi plures: ex quibus Petrus forsan aliquem daret, quem Bernardus, & alij non admitterent: è contra Cœnobiorum suorum zelo, negaret, quem illi peterent.

11. Quicumque fuerit, electione commissa per Innocentium, ne iterum lectorem distrahamus,

Primò Bernardus Pater electus est, quem ipsi etiam victi summè arderent. Sed eo penitus onus recusante, cùm plures alij idonei circumferrentur, præter spem, præter omnium intentionem, vnus Gaufridus omnibus occurrit Claræuallensis Prior, vir sanè magnus, quem omnes vellent, quem omnes postularent, à quo nullus omnino dissentiret. Et opposuisset se Bernardus Pater, ne priorem zelum subsequens tunc euentus suspectum redderet; quod viris publicis cauendum semper, & summè: si non electi sanctitas eximia nulli alteri melius, quàm ipsi nota, & Lingonensis Ecclesiæ charitas obstaret, dignæ quæ tali sponso copularetur.

---

1. Ludouicus nouæ electioni infensus, 2. Regalia differt. 3. Bernardi epistola primùm excusatoria, 4. nec se Godefrido voluisse, quod sibi noluit: 5. mox seuera, 6. proponit damna intentata dilationis. 7. Constantia Petri in amore sancti Patris. 8. Huius in Remensem Pontificem electio: 9. & quis Godefrido successit in Claravalle.

CAPVT IX.

1. HAnc Gaufridi electionem probatam cunctis, solus Rex aliquantulum tardauit, non quasi improbans assumptionem viri sanctissimi, sed velut aliquid in se commissum reputans, Pontificalibus illi denegatis, cui dudum ipse Regalia concessisset. Nam quorsum Monachi Regi se opponerent? Quibus armis in ipsum præualuissent? An iustè in proprio regno pateretur retractari, & cassari, quod ipse faceret? An Bernardus per speciem sanctitatis potentior Rege, quoscumque nollet Episcopos deponeret, quoscumque vellet, in sede sublimaret? An non voluntas eius insinuata, nedum comperta, collatione Regalium, sufficeisset, vt abstineret à quacumque contradictione? Nunc electione Gaufridi satis constare non prioris electi damnata vitia, sed posterioris gratiam antepositam, & fauori delatum, non virtuti, quod Regis deferendum fuisset auctoritati. An retractanda modò Regis largitio, & Regalia priori semel collata, illo viuente, Gaufrido conferenda? Num Rex mutandus ad arbitrium Monachi, & nunc huic ea, nunc illi concessurus?

2. His, & similibus Ludouicus iunior commotus animo, Regalia non negauit, sed tamen distulit, offensionum aliàs satis immodicus; sed tunc compressus reuerentia Sancti, & meritis electi, queis non auderet coram, & velut ex directo se se opponere. Tum Bernardus occasione inde desumpta, satisfactoriam quidem, sed iuxta liberam, constantemque, & commonitoriam ad eum scripsit epistolam, quam charitate, reuerentiáque in Gaufridum, obseruantia in Regem, pietate in Ecclesias Galliæ plenam, non pigebit ad litteram subscribere.

3. (a epist. 17.) *[a] Ad Ludouicum iuniorem Regem Francorum. Si totus orbis aduersùm me coniuraret, vt quippiam molirer aduersus regiam maiestatem: ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem. Neque enim ignoro, vbi legerim: [b] Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* (b Rom. 13.) *Sed nec me latet, quam omni Christiano, quàm meæ præcipuè professioni mentiri contrarium sit. Veritatem dico, non mentior, quod Lingonis de Priore nostro factum est, præter spem, præter intentionem Episcoporum, & meam factum est.*

4. *Sed est qui nolentium quodammodo extorquet assensum, & suo arbitrio etiam aduersus hominum voluntates, prout vult, subseruire compellit. Quando enim ego periculum, quod mihi timui, illi æquè non metuerem, quem diligo tanquam meipsum? Quando ego illorum consortium non horrerem,* (c Matth. 23.) *[c] qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere? Factum est tamen, quod factum est, contra vos nihil, contra me plurimum. Mihi baculus imbecillitatis meæ subtractus est, mihi lumen oculorum meorum ereptum est: mihi abscissum dextrum brachium meum. Omnia excelsa ista, & fluctus isti super me transierunt: in me transierunt iræ. Mihi euadendi nulla ex parte patet via. Vnde enim fugio, inde subeo inuictus, & ingratus. Durum mihi sentio contra stimulum calcitrare. Tolerabilius fortasse spontaneo, quam nolenti, & renuenti fuisset. Nam si quid virium in me est, non ne id facilius meis, quàm alienis humeris exercerem? Sed acquiesco aliter disponenti, cum quo vtique aut iudicio, aut viribus contendere, nec cautum mihi omnino, nec possibile est, sed nec Regi. Siquidem terribilis est etiam apud Reges terræ.* (d Psalm. 78.) *[e] Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, etiam tibi, ô Rex.* (e Hebr. 10.)

5. *O quàm molestis auribus audiemus contraria tam bonis principiis vestris. O quam amarior Ecclesiæ mæror post tanta prælibata gaudia: si frustrari (quod absit) contigerit tam iucunda spes singularis clypei sui vestra indolis, sicut hactenus est experta. Heu corruit virgo Remensis Ecclesia: non est, qui subleuet eam. Corruit & Lingonensis, non est, qui porrigat manum. Auertat diuina clementia à corde, & consilio vestro super dolorem nostrum adiicere, cumulare tristitiam super tristitiam. Quis mihi tribuat mori, ne videam Regem bonæ opinionis, sed spei melioris, conari Dei consilio, obuiare, irritare aduersùs semetipsum summi iudicis iram, pedes patris orphanorum madefacere lachrymis afflictorum, pulsare cœlos clamoribus pauperum, Sanctorum precibus, iustisque querimoniis charissimæ sponsæ Christi, quæ est Ecclesia Dei viuentis? Absit, absit. Meliora speramus, expectamus iucundiora. [f] Non obliuiscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* (f Psalm. 76.) *Non contristabit per illum, & de illo Ecclesiam suam, per quem, & de quo in tantis iam lætificauit. quem suo munere contulit, sua longanimitate seruabit: & si quid aliter sapitis, & hoc ipsum vobis reuelabit, & erudiet corda in sapientia. Hoc optamus, hoc oramus die, ac nocte. Hoc sentite de nobis, hoc sentite de nostris. Non infringetur veritas hæc in nobis, non imminuetur honor Regis, regnique vtilitas per nos.*

6. *Gratias autem agimus vestræ clementiæ pro benigno responso, quod à vestra dignatione meruimus. Veruntamen dilatio terret nos, qui videmus terram datam prædæ, & direptioni. Terra vestra est, & in hac planè cognoscimus, & dolemus dedecus regni vestri, quod vos iure abhorrere mandastis, si non fuerit, qui defendat. Nam in quo alio Regia maiestas velle in eo, quod factum est, imminuta dicatur? Electio ritè celebrata est, electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra, & non per vos habere vellet. Nec dum ad vestra manum extendit, necdum ciuitatem vestram ingressus est, necdum prorsus se intromisit de aliquo, quanquam inuitatio Cleri, & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementissimè*

menissimè flagitarint. Quæ cùm ita sint, opus est, vt videtis, maturatione consilij, non minus vestro honori, quàm nostræ necessitati. Et nisi per præsentes nuncios expectanti populo, qui vester est, serenitas vestra pro voto responderit, multorum Religiosorum aduersum vos (quod non expedit) deuota vobis nunc corda turbabitis, & Regalibus vestris ipsis, quæ ad Ecclesiam pertinent, non paruum, vt veremur, incommodum acquiretis. Hactenus sanctus Pater ad Ludouicum, quem obsequentem in omnibus expertus, Gaufridnm tandem mœrena à se auulsit: virum doctrina, sanctitateque præcipuum, & memorandum vel inter claros illius æui. Audi [g] Robertum Sigeberti continuatorem. *Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia per viros religione, ac sapientia illustres, Milonem Morinensem, Aluisum Atrebatensem, Godefridum Lingonensem, Hugonem Altisiodorensem,* &c. Hic dissensionis Lingonensis exitus fuit.

g in Chronic. hoc anno.

7\. Io qua illud etiam occurrit memoria dignum, qood primus adnotauit Cæsar [h] Baronius, Venerabilem Petrum Cluniacensem, insigni charitate in nostros virum, nec minori in Bernardum reuerentia, sic partes filij pro virili parte egisse, vt neque victus potuerit à Bernardo, non à Monachis eius diuelli animos constantem fidei, & hærentem firmiori glutino, quod Ipse etiam testatur satis amicè. [i] *Quando enim,* (inquit ad Bernardum Patrem scribens) *extingui, vel obrui poterit syncerus erga vos, & ignitus mei pectoris affectus, quibuslibet sinistri rumoris riuulis, cùm neque aquæ multæ decimarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluctuum obruere? Nostis, quod dico: neque ob aliud dico, nisi constantis in amoris proposito erga vos animi mei insignia recolens, stabilem de cætero me esse posse prudentia verba præsumat.* Hactenus Petrus.

h hoc anno.

i lib. 4. epist. 21.

8\. Hoc eodem anno, cùm vacaret Metropolis Remensis, & longis etiam dissidiis afflictaretur, quod Bernardus ad Ludouicum scribens, conquestus est; eumdem Sanctum electum Auctores tradunt, sed certum animi nunquam se diuellendum à suis filiis, nec præstantem assensum electioni, tandem dimissum, & Sansonem suffectum ipsius loco, nobis nec semel inferiùs commemorandum.

9\. In Claravalle Gaudefrido Lingonas rapto, eiusdem nominis Prior substituitur, ex illis, quos de Flandria Sanctus adduxerat, quorum superiùs fecimus mentionem, non multo pòst mittendus Claromariscum primus illius Abbas, vt mox videbimus. De eo in Catalogo Priorum Claræuallis. *Tertius Gaufridus primus Abbas Claromarisci.* Cæterùm eum ex Flandria illuc venisse, idem Catalogus tradit paulo inferiùs. Nam post Gaufridum dictum de Perona, Reneruмque, qui immediatè post ipsum successerunt, commemoratos, hæc habet verba. *Tres isti prædicti* (scilicet duo Gaufridi, & Reinerus) *fuerunt de societate Nouitiorum, quos adduxit beatus Bernardus de Flandria, & de partibus illis, de quibus etiam fuerunt Episcopus Alanus, & dominus Robertus secundus Abbas Claræuallensis.*

---

1. Beati Hugonis genus, indoles, patria. 2. Monachum sequitur, 3. Monachus ipse futurus in Miratorio. 4. Tentato grauiter beata Virgo aßistit. 5. Confortatur Bernardi Patris epistola. 6. Qualiter Sancti documenta acceperit: 7. qualiter item ab eo sanatus fuerit. 8. Promotiones sanctorum Petri, & Ioannis. 9. Epistola Bernardi ad Eustachium, 10. & demum Ioannis pro ipso substitutio.

CAPVT X.

1\. PEr idem tempus, quantum licet ex historia ipsa coniicere, inter lites, & iurgia cum Signiacensibus, ingens Miratorij Cœnobio lumen effulsit, si tamen diutiùs in ipso permansisset, beatus Hugo, quem Liuncellum tunc recèns orta domus, Monachum primum, mox etiam Abbatem, demum Liuncelli mater Bonavallis, inde ad se transferendum præstolabantur, non sine ingenti incremento vtriusque domus. Is ætate adolescens, genere nobilis, Lugduni in auunculi domo educabatur, litteris erudiendus, simul & moribus. Auunculo Gerino nomen erat: redditus pingues ex duplici præbenda, Canonicatu oimirum, & Abbatia: deliciæ nepos, cui omnia parabantur, quippe in omnibus patruo successuro. Et erat puero ingenium acre, & docile, atque indoles maiora in dies promittens, maiora reddens.

2\. Verùm qua occasione conuersus sit, ex auctore vitæ ipsius præstat describere: [a] *Venit per idem tempus Lugdunum quidam Monachus de Miratorio, qui familiaritatem habens cum puero, loquutus est ei plurima de contemptu mundi, de breuitate vitæ, de fragili conditione humana, de vita æterna, & gloria beatorum. Seminabat semen suum in bonam terram Monachus, quam excultam diuinitus Spiritus sancti gratia fœcundabat, ad fructus bonorum operum proferendos. Erat autem beati Hugonis anima, quasi mollis cera, apta suscipere puræ religionis, & veræ sanctitatis imaginem, atque in iustitia, & veritate formam induere Iesu Christi. Igitur tandem inuento loco, & tempore, prædictus Monachus à Lugduno consentientem eduxit puerum, & ipsum ad Miratorium secum duxit, eius auunculo ignorante. Pergebat Monachus per viam suam gaudens, prædam tenens pulcherrimam: sed Abbas sancti Iusti (ea auunculi dignitas) huc illuc discurrebat, suum quærens nepotulum gemebundus.* Hactenus acta vitæ Patris sanctissimi, de primo aduentu eius ad Miratorium.

a cap. 3 vitæ S. Hugonis.

3\. Sed qualiter ibidem Monachus factus, insigne statim specimen prætulerit, pergit narrare capite sequenti, dum ita ait. *Fuit bonus puer in domo Miratorij per dies aliquot, & post inspirante diuina gratia, sicut Nouitius secundum morem susceptus est, amore Dei, & spe cælestis præmij, collum, & cor subiiciens Cisterciensis Ordinis disciplinæ. Ibi verò quam religiosè, & sanctè vixerit, quam crebris corpus macerauerit vigiliis, & abstinentiis, quanta orationum instantia animum subleuarit, nulli facilè erit satis exprimere. Simplex sanè erat in temporalibus,*

ibidem cap 4.

poralibus, & sæcularibus, sed in spiritualibus, & diuinis strenuus, & discretus: ita vt eius fama, quasi thus redolens in diebus æstatis, per omnem Galliam flagranti odore sparsa multorum etiam aures penetrauerit. Hæc auctor ille. Quibus clarè videas, longè aberrare ferè omnes recentiores, ex quibus alij [b] domui Maceriarum, [c] alij Cistercio, [d] alij etiam Clarævalli suscepti Hugonis gloriam adscripsere, cùm reuera Miratorij solius sit, etsi cuius alterius Liuncelli, quippe ante professionem illuc translati, vt suo loco videbimus.

b Montalue l.4.c.42. c apud Henriq. in Menol. April.1. d Brito l. 6. c.25. & Henriq. in Fasciculo.

4\. Interim tamen memoriâ dignum est, id quod Episcopus Belluacensis Vincentius narrat, contigisse Nouitio tentato grauiter, & cogitanti ad sæculum redire. [e] *Hac cogitans*, ait, *intrauit oratorium, & orauit cum lachrymis, & flexis genibus tetendit manus ad cælum, & vidit super altare Matrem misericordiæ vestitam lumine, sicut vestimento, & visum est ei, quòd videret Iesum filium eius iuxta eam, & quomodo annunciatus fuerat ab Angelo, & de Virgine natus, & pastoribus nunciatus: & quomodo circumcisus, & à Iudæis captus, & flagellatus, & illusus, & crucifixus, & quomodo surrexit tertia die, & post quadraginta ascendit in cælum. Cùm hæc omnia videret, dixit ei Domina nostra: Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino, & certus esto, te amodò talibus tentationibus non pulsandum.* Hactenus ibi. Mirentur alij in Bernardo, quòd adhuc puer nascentem puerum in præsepio videre meruit, certè (quod Patris pace de filio dixerim) ecce plusquam Bernardus hic, quippe natiuitati vitam, & vitæ mortem, resurrectionem, regnumque coniunxit, vtrorumque mysteriorum percipiens fructum, passionis, & gloriæ: illius, dum tentationem præsentem vicit; huius, expers similium in futurum.

e lib.29. spec. hist. cap.93.

5\. At Bernardus, audita fama iuuenis, quæ cum virtutibus crescebat supra ætatem, & siue metuens adhuc teneris annis, seu iam tunc præscius futuræ claritudinis, gratulans sibi, & Cistercio de tanto filio, talem ad eum epistolam scripsit, confirmatoriam quidem, & doctrinalem, sed quæ vel ipsa singularitate (nam Miratorium ex filiabus Cistercij erat, non Claræuallis) magnum aliquid in ipso portendebat. Atque ecce epistolam.

f epist.351.

[f] *Charissimo in Christo filio Hugoni, nouæ creaturæ in Christo, frater Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, confortari in Domino. Audita conuersione tua, exultauimus, & delectati sumus. Quid ni gaudeant homines, vnde lætantur & Angeli? Iam celebris agitur dies, iam resonat in excelsis gratiarum actio, & vox laudis. Adolescens nobilis, delicatus vicit malignum, spreuit mundum, corpus exposuit, propinquorum renunciauit affectibus, paratos diuitiarum laqueos transiliuit, quia pennatum animal erat. Vnde tibi hæc sapientia fili? Neque enim tantum inuenimus in senibus Babylonis. Ipsi sunt, qui iuxta* [g] *Apostolum (imò contra) diuites fieri volunt in hoc sæculo, vt incidant in tentationem, & laqueum Diaboli. Hugonis nostri sapientia non de terra est, sed de cælo.* [h] *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis. Tu quoque fili, ne sis ingratus beneficij Redemptoris, sed pone animum puerilem, magis autem paruulus* [i] *esto malitia, sed non sensu. Non autem teneram Ordinis asperitas terreat, memento quòd asperior cardo panniem faciat leniorem, & conuersatio conscientiam. Aderit Christi suauitas, & Propheta farinula pulmentum* [k] *incomestibile condietur. Si tentationis sentis aculeos, exaltatum in ligno* [m] *serpentem æneum intuere, & suge non tam vulnera, quam vbera crucifixi. Ipse erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium, nec pariter crucifixum lædere aliquatenus poterunt claui, quin per manus eius, & pedes ad tuas vsque perueniant.* [n] *Si inimici hominis domestici eius. Ipsi sunt, qui te non diligebant, sed gaudium suum ex te. Alioquin audiant à puero nostro,* [o] *si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Si prostratus (ait beatus Hieronymus) iacet in limine Pater, si nudato sinu quibus te lactauit, vbera Mater ostendat, si paruulus à collo pendeat nepos, per calcatum transi patrem, per calcatam perge matrem, & siccis oculis ad vexillum crucis euola. Summum pietatis est genus in hac parte pro Christo esse crudelem. Phrenericorum lachrymis ne mouearis, qui te plangunt de gehennæ filio factum filium Dei. Heu quænam miseros tam dira cupido? Quis tam crudelis amor, quæ tam iniqua dilectio?* [p] *Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Propterea quantum poteris fili, confabulationes hospitum declinato, quæ dum aurem implent, euacuant mentem. Disce orare Deum, disce leuare cor cum manibus. Disce oculos supplices in cælum erigere, & patri misericordiarum miserabilem faciem repræsentare in omni necessitate tua. Impium est sentire de Deo, quòd continere possit super te viscera sua, & auertere aurem à singultu tuo, vel clamore. De cætero spiritualium patrum consiliis haud secus, quàm maiestatis diuinæ præceptis acquiescendum in omnibus esse memento. Hoc fac, & veniet super te benedictio, vt pro singulis, quæ reliquisti, centuplum recipias etiam in præsenti vita. Nec verò credas spiritui suadenti nimis id festinatum, & in maturiorem ætatem differendum fuisse: ei potius crede, qui dixit:* [q] *Bonum est homini, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, leuabit enim se supra se. Bene vale, & studeto perseuerantiæ, quæ sola coronatur.* Ita Bernardus ad Hugonem recèns conuersum.

g 1. ad Timoth. 6. h Matth. 13. i 1.Cor.14. k 4.Reg.4. m Num. 21. n Mich.7. o Ioan.14. p 1. Cor.15. q Thren.3.

Qualiter autem ipse non surda aure, nec duro corde semen Verbi susceperit, auctor vitæ illius ita describit. [r] *His documentis, & admonitionibus adolescens laudabilis, & claræ indolis roboratus in Domino, diuina gratia praueniente, & subsequente, quod benè cœperat, in melius continuabat, non respiciendo, quæ retrò sunt, sed ad anteriora semper se conuertendo. Iam in ipsius anima sibi lectum parauerat Iesus Christus, miris redolentem odoribus. Vnde illud de canticis eidem adaptari poterat:* [s] *Oleum effusum nomen tuum, in multis enim locis Scriptura patitur; quæ de capite dicuntur membris aptari. Sanè sicut florens lilium sanctus Hugo germinabat fructus pulcherrimos, igne charitatis rubens, & albescens candore castitatis, pugnansque cum vitiis, & concupiscentiis, quasi myrrha electa circumquaque dabat* [t] *suauitatem odoris.* Hæc de prima Hugonis conuersatione, & primordiis nouitiatus eius in Miratorio, in qua non diu foret permansurus, vt sequenti anno fusiùs declarabimus. 6.

r cap.6. s Cant.1. t Eccles.24.

Verùm, quòd per vigilias, & abstinentias immoderatas salutis suæ dispendium sibi parauerit, & qualiter à Bernardo Patre curatus sit, medicina, & industria mixta miraculo, quamuis constet hunc annum non concernere; quia nullus alius certus designatur, & aliàs pertinet ad Hugonis adolescentiam, ex Episcopo Bellnacensi hîc subiiciemus. [u] *Post hæc cœpit nimiis abstinentiis se affligere, ita vt penè* 7.

u lib.29 spec. hist. c.33.

penè sensum, & memoriam perdere videretur, (Hugo scilicet.) *Interea sanctus Bernardus, qui tunc vincbat, venit ad eum per Dei prouidentiam, & iussit eum mitti in infirmariam, & vt ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur, priusquam cæteris infirmis, quatenus postea haberet generalem licentiam loquendi, vt vellet, & ita per Dei misericordiam in breui conualuit. Tunc cæpit in eo religio multa feruescere.* Ita Vincentius. Hus Medicos adhibebat Deus iuuenis morbis, seu corporalibus, seu spiritualibus. His, Virginem gloriosam, quod suprà vidimus: Bernardum illis, vt non x 2. Cor. 12. immeritò cum Paulo per ipsos diceret. [x] *Cùm infirmor, tunc fortior sum.*

8. Hoc ipso anno, duobus Pontificibus, Idraëli, & Eustachio, illo Tarantasiensi, hoc Valentino, perditè in suas Ecclesias debacchantibus, vtroque deposito, successores ex Cisterçio dati sunt, reparandæ collapsæ disciplinæ, & restituendis, quæcumque illi dispersetant. Hi fuere Petrus Stamediensis, & Ioannes Bonævallis Abbates, hic pater, ille filius, de quibus suprà, vterque Sanctus, vterque præuentus à Deo, vterque dignus honore Pontificali. Et de Petro assumpto per hoc tempus argumento est, quòd anno Christi M. CXXVIII. Stamedio præfectus, vt suprà vidimus, decem annis præfuisse perhibetur: De Ioanne verò, quòd in eius vita promotus dicitur non longè pòst, à quarti Monasterij fundatione: quam tamen anno præcedenti factam ibidem vidimus. Verùm de Petro longior nobis sermo: de Ioanne, cuius vitam amissam dudum doluimus, pauca in hoc capite veniunt subiicienda.

9. Eustachium Valentinæ sedis intrusum, atquè ob id anathemati subiectum, habemus ex epistola Bernardi, per hoc tempus scripta, quæ ita incipit.

y epist. 185. [y] *Ad Eustachium occupatorem Valentinæ sedis. Viro illustri Eustachio, frater Bernardus. Salutem tibi vir illustrissime, etsi non scribo, opto tamen. Optare quis prohibet? Affectui nec leges imperant, nec Principes do-* z 2. Cor. 3. *minantur. Liber est, & maximè si spiritu ducitur:* [z] *quia vbi spiritus Domini, ibi libertas. Inde est sanè ausus iste meus de præsenti, quo ad tuam magnitudinem præsumo scribere, tanquam aliquis magnus, fateor, nec iussus a te, nec rogatus, nec inuitatus. Sed quid si charitas iubet? Alius aliter fortassis accipiat: ego virum nobilem, quod in me est, in vera charitate decreui his litteris suæ ipsius commonere salutis, excitare à somno, reuocare ad gratiam.* [a] *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus,* a Ioel. 2. *& relinquat post se benedictionem? Imò quis nescit, quas, & quantas iam diuitias suæ bonitatis, & longanimitatis thesaurizauit super eum misericors, & miserator Dominus? Denique miseretur, parcit, expectat, dissimulatque vsque adhuc,* [b] *factus sicut homo, non audiens, &* b Psalm. 37. *non habens in ore suo redargutiones, tardans ferire, paratus ignoscere.* [c] *Sed tu Domine vsquequò?* [d] *Durum* c Psalm. 6. *tibi est contra stimulum calcitrare.* quæ latè ibi pro- d Actor. 7. sequitur, eò præcipuè verborum aciem dirigens, vt eum ad voluntariam desertionem inuasæ sedis iuxta Innocentij mandatum persuaderet.

Verùm cùm Sanctus per hæc nihil proficeret, 10. Eustachium tandem à sede per vim deiectum, & loco illius Ioannem substitutum, qui ea occasione multa indigna passus sit, docent epigraphes capitulorum vitæ eius, quæ solæ extant. Nam quarti capitis titulus hic est. [e] *De depositione Eu-* e in Monast. *stachij Episcopi Valentiæ, & promotione beati Ioannis.* Bonavall. & Octauo autem talis præfixus erat. *Quomodo beato* alibi. *Ioanni exeunti de castro Liberone familiares Eustachij tetenderunt insidias.* Hæc ex capitulorum titulis tantùm, indicandis primordiis Pontificatus viri sanctissimi, cætera vsque ad mortem ferè ignota. Nisi si quæ ex aliorum capitum notis, quas suprà dedimus, libeat coniectari. Mortem pretiosam, & à morte plura miracula, quæ pars libelli illæsa inuenta fuit, in tempore dabimus. In Bonavalle successit Gozeuinus (Gotonium alij dicunt) ex Cistercio assumptus, & cui postmodum foret restituendus, nempe in communem parentem totius Ordinis. Sed de his suo loco. Nunc ad prælucidum Cisterci, & Ecclesiæ lumen, Petrum Tarantasiensem transeamus.

---

1. *Sanctus Petrus electus recusauit*, 2. *quovsque per Capitulum generale compelleretur.* 3. *Qualem faciem in Ecclesia sua inuenerit:* 4. *qualem induxerit?* 5. *Vendicatæ amissæ possessiones*, 6. *& liberalitate satis discreta*, 7. *reparata ædificia.* 8. *& pauperes vbique procurati*, 9. *demum Dei prouidentia in his relucens.*

CAPVT XI.

1. BEato Petro ex primo Firmitatis Abbate, Tarantasiensi Præsuli, indeque ad Superos feliciter translato, Idraelem suffectum suprà diximus, hominem dyscolum, & qui facilè deformaret, quæcumque ille in melius correxisset. Cæterùm hoc à regimine amoto, non vt inutili tantùm, sed vt nociuo, cùm electores Tarantasiæ conuenissent, successorem daturi, qui suæ Ecclesiæ damna repararet, vnus Stamediensis Abbas inuentus est, in quem suffragia omnium æquè concurrerent. Seu viri meritis, & virtutibus id datum, quæ iam per totam Sabaudiam diuulgata indicabant idoneum tanto operi: seu fortè primi Petri sanctæ memoriæ, quasi idem institutum, nomenque reformationi aptum iudicarent, quod formationi idoneum experti fuissent, nec pulchra illa Tarantasiensis Ecclesiæ facies, quam sub Petro, Cisterciensique habuerat, melius, quàm per Cisterciensem, & Pe- a apud Sur. mense Maio cap. 4. trum repararetur. De his Ganfridus Altæcumbæ Abbas hæc pauca scripsit. [a] *Hunc* (scilicet Petrum primum huius nominis) *sequutus est Hydra soboles, Idrael supradictus, sed temporis sorte, non imitatione virtutis. Quod enim ille correxit in moribus, quod acquisiuit in possessionibus, quod Ecclesiasticis addidit ornamentis, hic corrupit, distraxit, dilapidauit in breui. Propter hæc, & similia arbor inutilis, Apostolica falce præscisa: & dominus Petrus Stamediensis, ad regimen Ecclesiæ Tarantasiensis assumptus est, cæterorum omnium votis conuenientibus, sed non suis.* Hæc ille de electione viri sanctissimi.

Sed cùm omnimodis Episcopale onus renueret, 2. neque eligentium, quantumlibet instantibus, aut amicorum precibus acquiesceret, Capitulum generale adire compulsi sunt, à quo per obedientiam compelleretur. Nam cur Sabaudiæ Metropolis illustris destituta pastore, aliunde quæreret, quod haberet intra seipsam? Cur semel pasta à fure, pastoris titulo, nouis periculis denuò exponeretur, nouis rapinis? [b] Charitatem b 1. Cor. 13.

quæ sua sunt non quærere, sed quæ Iesu Christi, & vt Petro consultius fossan foret viuere intra Cœoobium, at non Ecclesiæ. Non humilitatem, sed pusillanimitatem esse, si timeat, si nolit, socordiam: atque vtramque religioso viro vitandam. Nec abscondendum sub modio lumen, quod Deus illustrando orbi præparauisset. Igitur pergit Abbas Altæcumbæ. *Nullatenus potuit ad consensum electionis induci, donec conuentum Cistercij Capituli generalis eiusdem Ecclesia Clerici præstolantes, illic eum intercepere, vbi subterfugium deinceps non haberet. Ibi auctoritate totius Ordinis est oppressus, maximè verò sancti Bernardi Claraeuallis, cui reuerentiam semper exhibuit singularem, & venerabilium Patrum suorum Cisterciensis, & Bonæuallensis Abbatum, ab his angariatus, & manualiter Clericis assignatus obtemperauit inuitus.* Sic vir sanctissimus Rainaldo, Bernardoque, illo præcipiente, hoc coosulente, necnon
1. & proprio Abbate Bonæuallis, vtrumque præstante, in regimen Taraotasiensis Ecclesiæ assumptus est, Sabaudiam, simul & orbem illustraturus.

3. Ast nouus Pootifex collapsa reparare, reformare deformia, reuocare clerum, instruere populum, spiritualia, temporaliaque instaurare, quanto accuratiùs, tanto feliciùs, & quo vtiliùs, eo item efficaciùs solicitauit. Integrum vitæ ipsius caput hîc inseram, quo quid Ecclesiæ suæ præstiterit, in ipsis Pontificatus sui primor-
c c.6. vbi sup. diis, significetur. [c] *In Ecclesia sua residens nouus Pontifex inuenit, quod vehementer doluit, negligenter in ea fieri opus Dei, vt non tam remuneratio præstolanda, quàm metuenda, maledictio videretur. In moribus Clericorum non satis ei placuit, quia nec Deo credidit complacere. Episcopij, & Clericorum inculta, vel ruinosa domus pristinos habitatores negligentia arguebant. Parochiales Ecclesias, & decimationes diœcesis, ex magna parte, viri potentes laici, vel ab eis alij possessione sacrilega detinebant. Sacerdotum vita minus probabilis, & sibi ipsis plurimum noxia, & plebibus perniciosa existebat.* Hæc facies Cleri, & Ecclesiæ Tarantasiensis sub sancti Petri Pontificis ingressum.

4. ibidem. Verùm, *his, & similibus malis intendit, & super intendit Episcopus, suum sibi nomen interpretans. Orationi insistit deuotione fideli, & prælatus in solicitudine subditis operam sedulus, & circumspectus impendit. Super omnia autem magis confisus est orationi, quàm industria, vel labori. Denique quod vix aggrediendum fuerat, vix sperandum, de Ecclesia sua magnos, & nobiles viros amouit clericos sæculares, & pro eis regulares Canonicos introduxit. Neutrum sibi imputans, sed diuina sapientia, fortiter, atque suauiter omnia disponenti, sine graui scandalo vtrumque opus perfecit. Ordinatos quoque Canonicos in disciplina morum diligenter instituens, egit, vt diuina officia digniùs, & honestiùs celebrarentur, & eorum conuersatio regularis, & opinio acceptabilis, ad salutaria studia cæteros quoque tam Clericos, quàm laicos excitaret. Cum quibus intrans, & exiens fidelis Antistes psallebat in choro, in claustro, vel in Capitulo residens, de spiritualibus studiis, siue etiam de temporalibus conferebat agendis, quemadmodum Magister discipulos erudit, matrix fouet paruulos suos.*

5. *Nec tantum prouidit eis ad tempus, sed in posterum quoque de redditibus Episcopij non modicam contulit portionem, vt meritò simul & numero Clerus Domino seruiens augeretur. Et sua tamen domui restituit ampliora, præsertim ex Parochiarum stipendiis, & ex decimis, quas de manibus tyrannorum, per censuram Ecclesiasticam potenter eripuit, vel liberaliter pecuniarum collatione redemit. Cæteros etiam Sacerdotes, & corripuit, & correxit: Ecclesias necessariis vtensilibus, palliis, libris, & vestibus competenter ornauit. Nullam penè capellam in toto Episcopatu sine argenteo calice dereliquit. Vbi aliam comperit non suppetere facultatem (siquidem valde inops est regio) ex singulis domibus oua singula per hebdomadam colligi, & venundari facit, donec ad pretium calicis peruenirent.*

Pecunias non reposuit, auaritiæ idolum detestans. Annonas annotinas esse, & suis annis voluit deseruire. Debita grandia non contraxit, nec qualibet occasione seruus fieri voluit fœneratoris, sua semper mediocritate contentus. Comites religiosos, & pauces in sua præsertim diœcesi circumducens, Ecclesiis fieri noluit onerosus, obsecrans hospites suos, vt quod minus in familia, vel equitaturis consumerent, fratribus suis, qui nusquam illi deerant, erogare pauperibus non pigeret. 6.

Cathedralem Ecclesiam texit lapidibus, caput, & campanaria plumbo operuit. Quam multipliciter pro qualitate prouinciæ decorauit, ornamentis etiam competentibus illustrauit. Exteriorem quoque decorem, vt decuit, domus Dei, diligens, & procurans, suas, & Clericorum domos vel renouauit, vel nouas condidit: non admirationem intuentium captans, sed moderata inhabitantium commoditate, vel mediocri amœnitate contentus. Speciali siquidem cura extitit præsuli, & solicitudo permaxima super egenis, & agris, vtriuslibet sexus, & cuiuscumque ætatis domus eius omni tempore xenodochium fuit. Maximè tamen ante messem mensibus tribus, quando maximè solent, illis præsertim in montibus, illis in rupibus, alimenta deficere singulis annis statuerat Agapem fieri generalem, & quotidie multitudinem vndique concurrentium pane refici, & pulmento. 7.

Nihilominus quoque per vniuersum diœcesim suam inualidos, & desperata ægritudine decubantes studiosè perquirens, in victu, & vestitu necessaria prouidebat: per seipsum, quos poterat, quos non poterat, per fideles nuncios sæpiùs visitans, & erga eorum curam, & contingentibus nihil omittens. Quibus cubicula propria, vel suorum solatia deerant, dabat operam, vt personis committerentur fidelibus, & deuotis, apud quos humanitatem eis faceret, idoneam exhiberi. Ipse verò quacumque pergeret, tanta fortè liberalitate, libertate, tanta affectione curam gerebat huiusmodi miserabilium personarum, vt nummos, cibos, & vestimenta, non postulantium importunitas extorqueret, sed charitas vltro porrigeret. Pluris etiam æstimabat occasionem sibi præstitam esse miserendi, quam exhibitum à se beneficium quodlibet indigenti, quoties eius munera lachrymæ preuenerunt, vt pietatis adeps holocausta Pontificis non deesset. Furabatur, quæ sua erant, etiam quæ suorum, vel sibi adeò familiarium, vt certus foret in suo eis damno fore complacitum. Hactenus ille, qualis Petrus fuerit, & io ipso quales debeant esse Pontifices, dum pingit, instruit, dum refert, persuadet. Vtinam sint, qui discant, & imitentur. 8.

Interim videas, alternantem non semel gratiam velut naturam, & diem nocti, & diei noctem succedere, & tenebrosum Israelis Pontificatum geminam lucem anteire, simul & consequi, disponente diuina prouidentia, quo nec bonorum abundantia, non intermissa, contemptum pariat, nec desperationem malorum illuuies non regressa. Cæterùm, quia de misericordia sancti Patris, Pontificali virtute, sermo incidit, non pigebit specialia acta referre, quæ hunc affectum in viro Dei commendent, digna profectò circumferri per ora omnium. 9.

1. Tunica

1. Tunica propria algentem anum induit, 2. idque iteratum, non sine periculo, 3. largus in pauperes. 4. & pia pro ipsis furta. 5. Xenodochia constructa, 6. atque obseruatus rigor vitæ monasticæ. 7. Monasterium Bituncuis, 8. vbi libri Augustini obseruabantur, 9. quos vir Dei sibi fecerat transcribi. 10. Felix obitus vtriusque eius parentis.

CAPVT XII.

1. a ibid. cap. 8. [a] ALpem quidem (ex eodem Gaufrido verba sumo) *quandoque grauissimam, cui nomen columna Iouis, tempore hyemis pertransibat. Occurrit anicula feminuda, debilis, algens, & lacrymis vsque quaque respersa. Videns Sacerdos, imò Samarites, non transiit, substitit, & conuenit socios suos, dicens: En mater mea. Nec sine singultu, & lacrymis compassionis adiecit. Me miserum! perit frigore mater mea. Quid faciemus ei? Si damus nummos, nihil proderunt morienti. Quis nostrûm potest sibi subtrahere, vnde possit ista vitam protrahere? Quæsiuit, non inuenit, quod omnes in periculo positi sibi viderentur, vix à facie frigoris sustinentes: hyberno siquidem, vt prædixi, tempore, loca pessima pertransibant, vbi frigus vix tolerabile inuenitur æstiuo. Non fuit, qui faceret bonum, non fuit vsque ad vnum. Dissimulante eo iussi præcedunt cæteri: ipse non subsequitur, sed substitit. Descendit, vnicam exuit tunicam, qua super cilicium induebatur, & cucullam resumens, miserabilem induit fœminam, & procedit. Attamen pedes graditur viam difficilem inter frigoris, & laboris molestias constitutus.* Hactenus ille. quibus videat lector plus aliquid in Petro, quàm in Martino, quippe hic chlamydem (exterior ea vestis) ille ipsam tunicam, hic dimidiam, integram ille dedit, vterque hyeme: sed ille in ipsis Alpibus, & Martino residuæ plures vestes, arcendo frigori, chlamyde aptiores: Petri sola cuculla Monachalis soluta, & laxa corpus magis tegebat, quàm protegebat. Denique illi quies pro solatio, huic itineris labor, atque ipsa membrorum agitatiu pro veste fuit.

2. Cap. 10. Verùm hoc ipsum semel indemne factum, iterantem exposuit vitæ periculo. *Altera namque hyeme satis horrida similem supradictæ mulierem in vna tantùm veste lutea tremulam, & lacrymosam idem Sanctus inuenit. Huic etiam alio non occurrente solatio, quod impenderet, non sine corporis sui periculo, vestem similiter propriam occultè sibi detractam misercula tradidit, & celeriùs declinare præcepit. Ipse verò pro ea duriùs alguit, expalluit, tremuit, & ignorantibus suis inter eos dissimulans, incommodum, pariter & periculum tolerauit. Ventum est ad hospitium, & intuitus eum frater, expauit. Et heu, inquit, Pater, quid accidit? Considerans denique frigoris acerbitate confectum, & inueniens sub cuculla tunicam non habere, suam tradidit illi, & operuit pannis in lectulo collocatum. Ibi demum refocillatus recaluit, & surrexit, ipso fratre narrante hoc didici, qui præsens interfuit, & diligentiùs obseruauit, pluribus enim annis eius obsequiis deseruiuit.*

3. His, & similibus in pauperum vestitu, In victu non inæqualibus Sanctus exercebatur. Vnum, aut alterum referam exemplum, ab ipsis, qui interfuerunt, memoriæ proditum, queis charitas aliorum excitetur, ipsius fulgeat.

Cap. 9. *Ad Romanam Curiam cum eo aliquando profectus sum, & quia ieiunantibus nobis, pauperes priùs prandere volebat, & iterum atque iterum superuenientibus erogare: pluries accidebat insuper fusa aqua, & iure secundo vix modicum oleris, aut leguminis inquiri. Et licèt plurimum mihi Sanctus ille deferret indigno, sæpiùs tamen, cùm sua priùs cibaria superuenientibus porrexisset, vel clamitantibus misisset egenis, nostra quoque tollebat, quasi murmuranti, sed vt satis nouerat, super huiusmodi rapina potiùs gratulanti.* Sic qui vestitum sibi detrahebat, detrahebat & victum sibi, & suis, quo Christi pauperes operiret, & sustentaret.

Subiungam tamen pium aliud furtum eiusdem Sancti, quo penè proditus, charitatis affectum non parum exprimens, sed & commeodans exemplum humilitatis. [b] *Est mecum frater, qui in sua adolescentia notus extitit, & acceptus. Eo didici referente, quòd apud matronam aliquando deuotissimam, velut alteram sibi Martham ministrantem, recumbens, panes abscondit in sacculo, quem ferebat. Aduertit mulier, & panes alios, & alios frangens, atque declinans, dabat opportunitatem, donec sacculus impleretur. Surgitur iam à mensa, sed pietatis onus Episcopus ferre non præualet. Astantem denique quem prædixi tunc sæcularem, nunc Monachum in consensum huius operis adsciscens, innuit, vt eadem sacculum clam suscipiens adsportaret. Suscepit, tulit, & resignauit iam sedenti super humile animal suum.* Hæc vt præsentibus, occurrentibusque Sanctus subueniret. nam pro absentibus, futurisque pauperibus tria in eisdem locis Xenodochia construxit, dotauitque, quibus eisdem in perpetuum subueniretur. 4. b Cap. 7.

Nam [c] *in eadem Alpe tam graui Xenodochium inops, ac penè nullum reperiens, efficacem adhibuit operam, & impensam, vt ædificiis dilatatum, prædiis, & animalibus locuples, transeuntium necessitatibus subsidia opportuna ministret. Sic in monte, qui meritò dicitur Lastonis, licèt extra prouinciam suam constituto, viam vix commeabilem multo labore rupibus scissis, ex magna parte correxit, & hospitalem in eo domum cum fratribus religiosis instituit. Tertium Iurensibus solis Xenodochium ordinauit, vt non modò præteritas eius eleemosynas enarret Sanctorum Ecclesia, sed in futurum sentiat & præsentes.* Atque hæc quidem, pro historiæ ordine multa: pro magnitudine dicendorum pauca, dicta sufficiant, de sancti Pontificis Petri misericordiis, dignis profectò scribi cordibus hominum. Nunc de rigore monasticæ vitæ (quod nostris in præcepto) nunquam dimisso, sed vel retento, vel in melius commutato, pauca subiungo: idque ex eodem auctore mutuatis verbis. 5. c Cap. 9.

[d] *Sic promotus in Archiepiscopum Tarantasiensem venerabilis Petrus, sed parum motus à forma vitæ, in qua fuerat conuersatus. Mansit habitus humilis, victus tenuis, somnus breuis, victus panis cibarius cum legumine, & talibus erat oleribus, vt ex eadem olla ministraret egenis: nisi quòd melius condita frequentiùs illis præcipiebat offerri. Pro vigiliis prolixioribus Monasterij, à quibus se deplorabat auulsum, secretis orationibus insistebat. Opera manuum labore compensabat itinerum, sed & manus impositionis, idest, confirmationis non modò infantum, sed & personarum cuiuscumque ætatis, vbique ad eum, & vndique confluentium, aliquando de manè, vsque ad crepusculum noctis, & vltrà protrahebat. Disciplinam silentij prædicationis instantia redimebat, &c.* Hæc noui Pontificatus fausta initia, nam incrementa, progressusque virtutum, & laborum pro Ecclesia toleratorum, atque ingentia 6. d Cap. 5.

miracula patrata, inferiùs nobis erunt commemoranda.

7. An præcesserit electionem eius Monasterium Bituminis in Maurianensi diœcesi, Cisterciensibus virginibus inhabitatum, in dubio est. Certum ex Monasterio sancti Pauli Moniales adductas, queis mater beati viri præsideret, sequente filia, atque vtraque splendente mitis virtutibus. De his in actis Sancti hæc pauca lego. [e] *Ad eiusdem tamen disciplinæ (scilicet Cisterciensis) Cœnobium, quod Bitumen vocant, ad liniendam aream, videlicet intus, & foris, in virginibus corpore, & spiritu sanctis eandem postea filius matrem transtulit cum sorore, quæ ipsius Cœnoby multo tempore fideliter, & vtiliter curam gessit. Nonnullas etiam alias sui generis idem Sanctus virgines, seu viduas ordinauit.* Atque hoc tertium Monasterium Monialium est, cuius notitiam inueni apud auctores. quamuis non dubitem plura silentio tegi, quæ fortè præcesserunt eius initia.

e Cap. 19.

8. Extant in eo, venerantùrque libri sancti Augustini super Psalmos, Tarantasiensis Præsulis olim munus matri concessum, an extortum per fraudem piam: certè à volente, & reuerenter acceptante mandatum Bernardi Mauriennensis, qui iusserat ab ipso postulandos. Sed qualis, siue fraus, siue præceptum, idem qui suprà auctor paucis edisserit. [f] *Scribi fecerat* (ait, scilicet sanctus Petrus Tarantasiensis) *libros beati Augustini super Psalmos, & nulli adhuc Ecclesiæ deputauerat, sed sudabat eleemosyna in sinu eius. Præsidebat verò Mauriennensi Ecclesiæ magni meriti Bernardus Episcopus, sicut in ea potissimum regione, fœcunda virorum paupertas plures sibi penè contemporaneos insignes edidit Sacerdotes. Sanctum videlicet Hugonem Gratianopolitanum, Ioannem Valentinum, Isimidionem Diensem, Ailradum, & Bernardum Mauriennenses, nostrum hunc Tarantasiensem Petrum, & Anselmum Belicensem, super cuius tumulum, dum sepeliretur, diuinitus ignis elapsus accendit lampades super eundem locum, coram signo crucis accensas.*

f Cap. 19.

9. [g] *Accedens ergo prædictus Episcopus Mauriennensis Bernardus ad Bitumen, suæ diœcesis Monasterium, confitenti sibi suas offensiones, vt sæpiùs actitabat, genitrici venerabilis Petri Tarantasiensis, iniunxit huiusmodi pœnitentiæ fructum, vt supra commemoratos beati Augustini libros suis donari sororibus impetraret. Post breue tempus Archiepiscopus affuit, & accedens ad eum mater interrogabat, an necesse sit peccatoribus, iniunctam sibi pœnitentiam adimplere? Respondenti, vtique supplicat, vt misereatur animæ matris suæ, cui suus huiusmodi pœnitentiam Præsul iniunxit. Sic eosdem sibi collatos codices eiusdem Cœnoby virgines, ob reuerentiam largitoris chariùs amplectuntur.* Hactenus de his libris Gaufridus Abbas.

g Cap. 20.

10. Verùm de vtroque parente viri Dei, quia non vlteriùs nobis sermo incidet, breuiter etiam in præsenti dicendum censeo. Post quatuor filios non sibi, sed Deo genitos, post separatum thorum, & propria bona pauperibus partita adhuc in sæculo: post Cisterciensis instituti iugum collis impositum, cordibus impressum, post incrementa vtriusque Monasterij, sancti Pauli per illum, per hanc Bituminis, & multas animas in feruore prouectas vtriusque zelo: post Petrum filium promotum in Archiepiscopum, nec minus meritis clarum, quàm miraculis: plenos tandem dierum, atque virtutum migrasse ad Dominum, eodem Archiepiscopo assistente, atque inter lachrymantem, gaudentemque, illud naturæ debitum, hoc gratiæ, officia funerum deuotè celebrante. Audi quod sequitur. [h] *Vtrumque verò parentem, dies suos in senectute bona, & religiosa conuersatione feliciter consummantem, deuotus ad Deum in officiis omnibus Ecclesiasticis* (scilicet sanctus Petrus) *sed in huiusmodi deuotissimus sepeliuit. quibus iuxta mandatum Domini honorem debitum, & viuus exhibuit, & defunctus.*

h Cap. 21.

1. Sanctus Ligerius Dunas primus construit, 2. cui Fulco adiunctus, 3. ne quicquam obstante Dæmone. 4. Euersa per eum Ecclesia iterum surgit, 5. atque à Fulcone offertur Claræualli, 6. abdicata illius præfectura, 7 cui Robertus sufficitur. 8. Dubium à Bernardo missus, adductusve. 9. Fulconis felix obitus, 10. & Bernardi in Robertum mirus affectus. 11. Quibus olim illustres Dunæ fuerint, 12. quis status præsens.

CAPVT XIII.

1. SEd iam nos vocant fundationes præsentis anni, & ante omnes celebrior Dunensis domus, quæ non vulgari sanctitatis fama, dudum exorta, hoc tandem anno Cistercij iugum admisit: sub sancti Patris Bernardi, & Claræuallensium Abbatum visitatione: prima ex congregatione Sabigniacensi, quam mater postea, quam cunctæ etiam sorores imitarentur. Primus Cœnobij auctor beatus Ligerius, ex Monacho, eremita, mox aggregatis discipulis Magister, Abbasque, sub norma, & institutis Sabigniacensibus. De eo Iperius Bertinensis Monachus in Chronico MS. Bertinensi. *Anno M. CVI. fundari cœptum est Monasterium de Dunis per hunc modum. Dominus Ligerius, vir sanctitate famosus, Monachus de Ordine sancti Benedicti nigrorum Monachorum, exemplo priscorum sanctorum Patrum, relinquens patriam, vt terrenis curis exutus, liberius Deo inseruiret, peregrè profectus, in Flandriam venit, & in Furnensi territorio locum desertum petiit, vbi inter montosa, & arenosa maris littora, quæ vulgariter ibi Dunes appellant, resedit, ibique de bonis sibi tam largitate Flandriæ Principum, quam aliorum Christi fidelium collatis, capellam in honore beatæ Mariæ Virginis ædificauit, & conuenticulum sui Ordinis nigrorum Monachorum inibi congregauit. quem locum, & conuentum ipse ibi primus Abbas viginti, & vno anno sic rexit, & erexit, vt postea cresceret in Monasterium solennissimum, quod hodie dicitur beatæ Mariæ Virginis.* Ita Iperius.

2. Eadem ferè habet Adrianus Burius, qui res eiusdem Cœnobij exactè tradidit: nisi quòd locum Cœnobij prius erecti, & Sabigniacensis item instituti normam designat. [i] *Erat*, ait, *his temporibus in Flandria quidam solitarius, Ligerius nomine, sanctitate, atque religione famosus, qui cœpit ædificare domum haud procul a Dunensi Monasterio, vbi nunc constructum est, versus ortum Solis æstimadem à mari, quantum arcus iacere posset tribus iactibus successiuis: ad quem in eodem habitaculo delitescentem plurima paulatim multitudo virorum confluere cœpit, Regi summo militatura, sub habitu Sabigniacensium. Erigentes igitur ibidem Ecclesiam, & in domo Dei vnanimiter habitantes, vniuersitatis Domino ferventer, ac deuotè deseruire. contendunt. quam nihilominus Ecclesiam Morinensis*

i in Chron. Abbat. Dun. lib. 1.

Morinensis Episcopus (intra quam parochiam Cœnobium situm est) in honorem beatæ Mariæ Virginis, vnà cum cœmeterio consecrauit, in quo plura tam Religiosorum, quam sæcularium corpora sepulta fuerunt, propter quod vsque in hodiernum diem vetus cœmeterium appellatur. Hæc Butius de priori illa habitatione.

3\. Missum ab Anselmo Abbate Fontis Mauriniaci (Cœnobium id nigrorum in Bituricis, quod pòst transiit ad nostros, vt suo loco dicemus) an sola fama sanctitatis Ligerij tractum, in dubio est. Certum, Fulconem eiusdem loci Monachum, ex Mauriniaco Dunas, ex Aquitania Flandriam applicuisse, sub sancti viri disciplina militaturum. quod mente conceptum, ne opere impleret, non vllis machinis, præualuit communis hostis. Audi ex eodem Brutio rem admirandam. *Cùm Dominus Fulco venisset* (scilicet Dunas) *& sub ostio quiesceret, diabolus concitato turbine, ostium in caput eius fortiter illisit, ipsum à suo proposito retrahere satagens, quemadmodum retro tempore dudum fregerat sancti Benedicti tintinnabulum. Sed dominus Fulco nullatenus à proposito resiliens, cùm esset nigri Ordinis Monachus, cum sociorum vno se mutauit, habitum sumens à prædicto Ligerio, qui Sabigniacensium habitum gerebat, per omnia similem fore nigris habitibus.* Hæc ille, cui assentiendum potius, quàm [k] Iperio, [l] Meieroque, qui putant hominem missum ex Sabigniaco. Certè vndecumque non caret Cistercij laude, quòd cum diabolus diuertere curauit, auulso ostio, atque ad caput eius illiso, quippe Ligerio successurum in præfectura, & domum ipsam Cistercio traditurum, à quo vbique atrox bellum experiebatur.

[k] hist. MS. Bert. Cœnob.
[l] in Annal. Flandriæ.

4\. Ligerio ad Superos feliciter translato, circa annum Christi M. CXXVIII. cùm vnum supra viginti rexisset domum, Fulco suffectus, & Monasterium a priori loco translatum, quem modò tenet, cœpit occupare: subsidiis primum regularium Canonicorum sanctæ VValburgis, mox aliorum. Surgentem domum fertur amolitus communis hostis, infensus æquè in Monasterium, & in Abbatem, tum de eleemosynis fidelium restitutam, atque ab Episcopo Morinorum sacratam, ac tunc demum substratam eius potentiæ. Eumdem Butium loquentem audiamus. [m] *In Assumptione Virginis gloriosæ tam in hac solitudine in Ecclesiam erexerunt. Sed à diabolo deiecta, & iterum à fidelibus restituta, mox à domino Ioanne Morinensi Episcopo consecratur.* Et post pauca. *Tunc igitur primum domus illa priùs à Ligerio fundata in loco, qui dicitur modò vetus Monasterium, primo scilicet anno domini Fulconis integraliter est translata. Hæc autem omnia facta sunt anno Domini M. CXXVIII. VVillelmi Normanni primò, qui se pro comite tunc gerebat, tradidisque septem libras Parisiensis perpetui redditus. Sed Flandrensis vocauerunt Theodericum filium Comitis Elsatiæ, genitum ex filia Roberti Frisonis, dudum Comitis Flandriæ, qui veniens præfatum VVillelmum bello superauit, tenuitque comitatum quadraginta annis. Qui donum Guillelmi confirmauit, & ampliauit, tantum dans terrarum Dunariarum, quantum propriis manibus sub aratro colere possent, nec non quantum opus fratres haberent, ad pascua suorum animalium.* Hæc ex Dunensium Adriani Butij Chronico, accuratè, & fideliter descripto.

[m] vbi suprà.

5\. Translatam domum, & obseruantem rims Sabigniacenses venerabilis Fulco rexit per decem annos, totidem auxit. Quin & prolem concepit, Clarum Mariscum, ad fanum sancti Audomeri, quam ederet sub alia disciplina. Ergo florente Cisterciensium reformatione, atque ea per Belgium vulgata, celebri fama sanctitate Bernardi Patris, dum altiora æmulatur, suspiratque, Claramvallem (per se, an per nuncios dubium) ante annum adierat, seque, & vtramque domum Cistercio dederat, alteram reformandam, regendamque, alteram perficiendam, & tunc demum, Monachis transmissis, inhabitandam, vtramque sub Claræuallensium Abbatum visitatione. Tum Godefridus Bernardo Patri deferens, qui negotiis Ecclesiæ destinabatur, acceptata oblatione, traditionem eidem reseruauit, cùm primum ab Vrbe rediret, perficiendam.

Interim Fulco fructum ex spe concipiens, & catechesim velut anteuertens, reformare Dunensis Cœnobij mores, labores manuum vigiliasque producere, victum, atque vestitum attenuare, tenere silentium, & reliquas Cistercij disciplinas Monachis suis impensiùs instillabat. Verùm cùm restituta pace Ecclesiæ, Bernardum item filiis redditum nouit. Tum verò ipse Claramvallem adiens, atque in Capitulo conuentu coram assistens, primum seipsum, atque vtramque domum Bernardo Patri, sub norma Cisterciensium regendam tradit, mox in tyronem emergens senex emeritus, præfecturam cum habitu dimittit, non vllis precibus in ea retinendus, & vix mandatis. Nam qualiter doceret nouos ritus, quos non didicerat? Aut cur docendus ipse præsideret, alij è contra docturi subiicerentur? Monachos necessariò mittendos fore, per quos noua obseruantia introducatur: quanto melius per aliquem eorum regendam domum, cui vtraque potestas simul iniuncta mutuum sibi fauorem impertiretur? Et se iam senem missionem postulare, non vt militiam detrectaret, cui nomen dabat, sed ne confunderet, & dum nota deuitat, sequenda ignorat, vtrisque intentus, neutris satisfaciat, & magis Sabigniacum euellere, quàm plantare Cistercium inueniatur. 6.

Sensit Bernardus Pater constantiam viri, & destinatam semel obedientiam, non facilè dimouendam ab eius animo. Detulit tamen sanctitati, detulit meritis, vt eum illi deligeret pastorem, quem vellet sibi, quem successorem foret electurus, si tunc decederet, certè quem de facto elegit, vt pòst videbimus. Sanctus Robertus Brugensis electus est, dudum ex Flandria à beato Patre adductus ad Claramvallem: vir planè magnus, & dignus iacere fundamenta Dunensis domus, quibus pòst Christus super ædificaret. Sed vt his omnibus fidem conciliemus, Vallcellensium subiunctam appendicem, ad Sigeberti Chronicon, grauem, & antiquum testem, producamus. *Anno Christi M. CXXVIII. Cœnobium de Dunis construi cœptum est, à domino Fulcone primo illius loci Abbate.* Illius loci, inquam, primo, domus secundo, cui alibi præfuerat Ligerius per plures annos. Pergit appendix. *Anno M. CXXXVII. domum suam de Dunis, & domum de Claromarisco, quam simul inchoauerat, in Capitulo Claræuallensi, sub manu Domini Bernardi, Ordini Cisterciensi, in die Petronillæ Virginis tradidit.* Non quasi ibi Bernardus præsens fuerit, qui tunc in causa Ecclesiæ detinebatur, sed quòd illi donatio facta sit, & per Godefridum acceptata Bernardi nomine. Denique subdit, quod spectat ad hunc annum. *Anno M. CXXXVIII. Abbas Fulco Abbatis officium in Claravalle dimisit, & dominus Robertus Dunis Abbas constituitur, Nonis Aprilis, lecto illo die Euangelio de cœco nato, & illuminato: pulchro quodam prognostico, quod eius vita, & verbo,* 7.

apud Miræum in Chr. Cist.

tanquam

tanquam de saliua Domini luto facto, tam humili collyrio, scilicet humillimi viri exemplo multi ab inani mentis cæcitate illuminandi præmonstrarentur. Hactenus ex appendice VVallcellensium. Claromarisci initia tenuia adhuc, nec apta inhabitari, quoad vsque ædificia incœpta perficerentur.

8. Bernardum Patrem aduenisse Dunas, Cisterciense institutum plantaturum, & locaturum Robertum in sede domus, in Annalibus Belgicis scriptum lego. [n] *Beatus Bernardus* (inquit) *in Flandriam venit, Dunis Robertum Abbatem stabiliuit, & priuilegia à Theodorico Comite pro Dunensibus impetrat, tantum terrarum, quantum propriis aratris excolere valerent,* &c. [o] Mejerus aduenisse hoc anno refert, sed prædicatum: nec constat, qua occasione. Quin conuersionem Arnulfi de Majorica refert in hunc aduentum, dum ita ait. *Eodem anno* (Christi scilicet M. CXXXVIII. *diuus Bernardus Abbas Claravallis in Flandriam venit prædicatum: vbi sanctis concionibus, & salutaribus exemplis, per multos ad piam, beatamque perduxit vitam. Ex quibus Arnulfus quidam cognomento à Majorica, tanta solicitudine custodiuit illius doctrinam, tanta patientia longos, grauesque ante obitum pertulit morbos, vt de eius conuersione, ac constantia sæpe Bernardus gratias agens Deo, diceret, ipsum fuisse tanquam aurum in fornace probatum. Apud Furnenses autem Dunensibus Cœnobiis Cisterciensium tradidit institutum, ac Robertum Monachum suum Abbatem inibi fecit,* &c. Ego vt aduentum hoc anno dubium reputo, sic ab auctoribus grauibus notatum præterire non debui, imò nec potui. Sed verius censeo mansisse in Claravalle, longum exilium pertæsum, nec quidquam non Roberto crediturum quantumuis arduum.

[n] Ægid. de Roia hoc ann.

[o] in Annal. Flandr.

9. Assumptis sociis, & cui plurimum fidebant, sancti Patris Bernardi benedictione, Dunas profecti Fulco, Robertusque, Claramvallem in Flandriam transportare, iuxta exemplar in ea monstratum facere, conuentum ipsum ad illius normam disponere, cunctis prodesse, singulos instruere, nec minus hic exemplo, quàm ille legibus ad Cisterciensem vitam informare, denique Fulco quietem obedientia, Robertus, si quid minus obediebat, solicitudine iugi recompensabat. Et Fulco quidem post peractam in rigore obseruantiæ vitam Angelicam, post suorum expertam sanctitatem, & quæ summè optarat, incrementa Dunensis domus, meritis elatus, virtutibus gloriosus, posteritati suæ superstes, congaudensque, tandem obdormiuit in Domino: memoriam sui in veneratione relinquens, nomen in cultu. [p] Arnaldus inter Sanctos Belgij adnumerat, ex Cisterciensibus item [q] Menologium.

[p] in Auctar. ad Molan.

[q] Meg[illegible]

10. At Robertus à Bernardo Patre auulsus, quo magis loco distans, mente proximior, charitate coniunctior, quod minus voce, scriptis experiebatur, & quem affectum vix teneriùs verba, epistolæ tenaciùs manifestabant, per ipsas ad nos vsque perueniturum. Vnam præ aliis adducam in exemplar, indicem animi, & fidum testem paternæ dilectionis. Atque ecce epistolam.

[r] *Fratri & amico charissimo Roberto Abbati, frater Bernardus de Claravalle quod amico charissimo. Et tardè notus, & citò es mihi sublatus Roberte charissime. Sed consolor, quòd solo de corpore patiar hoc, nam spiritu semper es mecum. Quod tamen vel ipsum quando ego æquanimiter tolerarem, si solus non esset in causa Deus? Erit, erit, quando reddemur nobis, quando & quisque de se, & vterque de inuicem plenè gaudebimus, præsentes nobis in vtraque portione nostra, in neutra deinceps ab alterutro diuidendi. Glutinum erit tantæ coniunctionis, qui causa nunc est tantillæ separationis, præsens perpetuò futurus nobis, præsentes nos nobis perpetuò seruaturus. Salutamus omnes filios vestros, & nostros, & rogamus, vt orent pro nobis.* Hæc Bernardus ad Robertum recèns sublatum: quibus sat videas egregium viri meritum, quem sanctus Pater his deliciis prosequeretur. Sed de Roberto inferiùs à nobis plura.

[r] epist. 336.

In Dunis notatione dignum iudico, quod suis annis fusiùs referendum, nunc ex duobus modernis leuiter tangam, præteritis præsentia collaturus, celebres olim templo, & bibliotheca, turrique altè ostensa nauigantibus: hodie desertas, & multa arena obrutas, non sine graui luctu totius Belgij. De his Aubertus Miræus gentilis, & grauis Auctor, & de nostra familia optimè meritus. [s] *Porrò ante ciuiles in Belgio turbas, illustres, erant Dunæ templo admodum sumptuoso, quóque vix aliud tota Flandria erat magnificentius, quod anno Christi M. CCLII. per Radulfum Morinensem, & Ioannem Tornacensem Episcopos, Virgini matri consecratum scribit Meierus. Illustres etiam erant Dunæ insigni bibliotheca, vetustis, rarisque MS. codicibus referta, & turri à nautis Oceanum nauigantibus curiosè obseruata.* Hactenus Miræus. 11.

[s] in Chron. Cisterc. ann. M. CCLII.

Sed qua occasione ex bellis intestinis Dunæ obrutæ, cùm tamen gladio hostili non ceciderint, & in quem Monachi locum se transtulerint, ex Ioanne Picardo Parisiensi accipiat lector. [t] *Super collibus,* inquit, *arenosis, vel Dunis prospicitur Cœnobium Dunense, tertio lapide à Neoportu, Iodoci Clichtouei, præstantissimi Theologi, patria: imò non perspicitur hodie illic Dunense Cœnobium, sed tantùm apex. Nam sub bella intestina in Belgio gesta, cùm negligeretur obicum lignorum instauratio, sic excreuere arenæ, maris æstuantis furore conglobatæ; vt Monachi sese receperint in villam duobus ab hinc millibus sepositam. Guicciardinus cùm elucubraretur Belgij topographiam, magnificè commendauit instructissimam Dunensium bibliothecam.* Hæc de præsenti statu Dunensis domus, quamuis per anticipationem dicta sint, tamen nec licuit, nec libuit silentio tegere. Abbatibus de Dunis, (sic enim corrige, vt habent exemplaria correctiora) & Vrsicampi, scribit Innocentius Papa III. *in cap. dilecto filio* 41. de testibus, & attestationibus. Sed Dunæ honoris caussa nobis præmissæ. Nunc ad alia Cœnobia transeamus. 12.

[t] in not. ad epist. Bern. 337.

---

1. Salomonis villa initia, & fundatores, 2. primus Abbas ascitus ex Bellavalle. 3. Annui redditus pro hospitibus alendis, 4. & quædam concernentia idem Cœnobium. 5. Mulbrunnum quando, à quibus, & vbi situm. 6. Carmina de hoc ipso fundatione. 7. Colonia cum primo Abbate ex Neoburgo. 8. Sepultus illic Vlricus Spirensis. 9. Atque vnitum Monasterium Parisiense.

CAPVT XIV.

1. Dvnis duo sublongo Monasteria, vtrumque illustre, vtrumque in Germania, Salemitanum, & Mulbronense, atque vtrumque de linea Morimundi, illud Bellavalle genitum, hoc Nouo castro,

castro, seu Neuburgo, vt alij nominant. De Salem autem, seu Salomonis villa, hæc Bruschius pluribus. [a] *Salomonis villa, nonnullis Alemanni villa, omnium in Germania facile pulcherrimum, atque opulentissimum, milliari vno ab Vberlinga imperiali oppido distat. Nomen hoc illi inditum volunt, quòd ad templi Hierosolymitani similitudinem sit conditum. Alij verò à Salomone quodam pastore deriuant, qui primam ibi cellam sibi struxerit. Fundator extitit Gunteramus Baro ab Adelsreutte, qui anno M. CXXXVIII. obiit.* Quippe eodem, quo ædificio consummato, Monachis super inductis fruitus fuerat. Pergit de incrementis eiusdem domus. *Caterùm maximè opes, ac facultates huic Cœnobio accessere per diligentem, ac prudentem œconomia administrationem. Auxere tamen dotem (tractu temporis) Imperatores Conradus Sueuus, anno M. CXLII. & Fredericus Barbarossa, anno M. CLV. itemque Euerardus, vel, vt alij vocant, Burchardus Salisburgensis Episcopus, Romana sedis Legatus, qui secundus huius loci fundator habetur, & honorifico hic in tumulo quiescit.* Hactenus ex Bruschio.

a in Chronol. Mon. Germ.

2. Monachos ex Bellavalle illuc directos, Morimundenses, Cistercienſesque concordant tabulæ: vnico tamen Bruschio reclamante, qui ex Lucella (Bellævallis ea filia) venisse perhibet. Primus Abbas Frovvinus, vir æquè religiosus, & industrius, de quo hæc ille. *Frovvinus è Monasterio Lucellensi vocatus primus declaratur Abbas Salemitanus, anno Christi M. CXXXVII. sub Vlrico secundo Episcopo Constantiensi. Præfuit laudabiliter octo & viginti annis, fideliter bona Cœnoby ampliando, obiit anno Christi M. CXLV. fuit vir admodum religiosus, & sua gubernationi studiosissimus.* In tempore, distantia parua, aut nulla, & potuit Abbas antea designari.

3. Scribit idem Bruschius. [b] *Multa olim eidem Monasterio contulisse Comites Montisfortis, & inter catera fundasse redditus annuos, vt omnibus ibidem equitibus, & viatoribus gratuitum pateret per vnam noctem hospitium.* Cæterùm id diabolica illusione, siue illusionis fabella sparsa in vulgus, de dæmone hospitato in eadem domo, omnino cessasse. Ego illusionem in eo constare puto, si impeditum hospitium debitum peregrinis à nostratibus, idque ex iniuncto regulæ, quæ mensam Abbatis cum hospitibus, & peregrinis esse decernit, vt eisdem redditibus alantur, quibus nos ipsi. Vnde & in bulla Innocentij concessæ decimæ, quasi quæ omnium communi beneficio, hospitibus, & peregrinis susceptis absumerentur. Sed in hoc fortè, vt in alijs refriguit charitas, aut reditus vbique decreuere. Sanè in Hispania pauperibus, religiosisque, quæcumque, quantumuis pauper: ditiores domus patent, etiam potentibus.

b vbi suprà.

4. Pergit Bruschius de situ Monasterij. *In Salemitani Cœnoby vicinia est castrum sancti Montis, ad Comites eius nominis spectans, quos aliàs Furstenbergenses vocant. Dicitur autem Mons sanctus, à sanctis Felici, & Regula illic sepulti.* Hactenus ex Bruschio. De Euerardo Salemitano Abbate quinto, Prædicatorum Ordinis, tunc recèns mundo oborti, per cœleste oraculum admonito, fautoresque, plura inferiùs. Extat eiusdem in iure mentio honorifica, in Phrisingensem Episcopum causa commissa, *in cap. Prelatorum* 27. de accusationibus. & in cap. *venerabilem* 34. de electione & electi potest. Hæc de Salem.

5. At de Mulbruno, idem qui suprà auctor. [c] *Mulbrunum Monasterium Cisterciensis Ordinis magnificum, ac prapotens, in ducatu VVirtembergensi, penè medio itinere inter Phorzheimium, Marchionum Badensium, & Brettan Palatinorum ciuitatem, in maximè fertili solo situm, & à proximo fonte sic nominatum. Fundatum est decimo octauo Kalendarum Aprilis, anno Christi M. CXXXVIII. à Reuerendissimo in Christo Patre, ac domino domino Gunthero Comite Linigensi, & Episcopo Spirensi. Contulit verò ad eiusdem Cœnoby exadificationem, & fundationem non nihil etiam nobilis vir dominus VValtherus de Lammersheim, prædium videlicet Eckhenvveier, in quo captum est initio Cœnobium fundari, sed ob loci angustiam, aquarumque defectum alibi postea inchoatum, & constructum. Iste nobilis Baro VValtherus relicto saculo, & habitu Monastico assumpto, mansit in Monasterio, sub obedientia viuens ad dies vita sua: sepultus in medio Ecclesia, choro videlicet Conuersorum. Guntherus autem Spirensis Episcopus verum, fidumque se fundatorem, & patronum exhibuit: consentiente enim Capitulo maioris Ecclesia Spirensis villas, & curtes Monasterio donauit, auxilium, & consilium præstans, vt nouella plantatio ad Dei seruitium dictim posset adolescere. Et ille idem Reuerendissimus Præsul, sicut in vita dilexit, & fouit Monasterium, ita post mortem etiam voluit in eo sepeliri. Sepultus est verò in choro Basilica Mulbrunensis, cuius Ephitaphium lapidi incisum tale est:*

c in Mulbr.

Præsul Guntherus Pater est fundaminis huius.

Anniuersarius eius dies singulis annis ab Abbate, & conuentu solenniter celebratur, decimo septimo Kalendas Septembris. Hactenus Bruschius, cui consonant Munsterus, [d] ac Buchingerus. [e]

d cosmograp. lib 3.
e in Innoc. 2.

6. Leguntur hodieque Mulbruni versus de hoc ipso initio Monasterij, tabella ad dexteram altaris appensa, qui ita habent, teste Martino Crusio [f] in suis Annalibus.

f lib. 10. p. 2.

Anno milleno centeno bis minus vno
Sub Patre Ruperto creuit Cistercius Ordo.
Spira Guntherus post hac Præsul venerandus,
Lyningen celebri de Comitum genere.
Ipseque VValtherus de Lammersheim bene natus,
Quippe virum genuit liber vterque parens.
Qui seclo vale dans, sub Diethero monachizans,
Fiens conuersus, se tribuitque sua
Anno milleno C. semel duo de quadrageno,
April. ter ternis hunc fundauere Kalendis
Terrestrem Maulbrun, hinc cælestem Paradisum
Possiderat Domino gratificante pio.

7. Monachos ex Neoburgo ascitos constat, queis primus Abbas Dietherus præfectus est, de quo hæc Bruschius. [g] *Dietherus primus Abbas Mulbrunensis, assumptus cum primo conuentu de Noui castri prope Haganoam sito Monasterio. Sub eius gubernatione dedicauit basilicam Mulbrunensem Arnoldus Archiepiscopus Treuerensis, tunc temporis Legatus Pontificis, cuius dedicationis festum celebratur pridie Nonas Maij.* Hæc de primo Abbate Mulbrunensi, cuius industria, ex eo illustri Cœnobio, iuxta nominis etymon, duo alia prodiere æquè illustria, nempe Speciosa vallis, Brumbachumque, de quibus suo loco erit dicendum.

g in catalog. Mon. Germ.

8. Ad sinistram Guntheri fundatoris sepultus cernitur Vlricus, Spirensis item Episcopus, sub hoc breui carmine.

[h] *Vlricus positus Spirensis Episcopus hic est.*

Addit verò Crusius, [h] *hunc Vlricum esse eum, qui anno Christi M. CLXVIII. in Italia peste obiit, in castris Friderici Barbarossa.* qui fundatori immediatè successit in præsulatu: idque ad differentiam Vlrici secundi eiusdem Ecclesiæ Præsulis Rechbergij, qui obiit anno M. CXCII.

h vterque ibidem.

9. Mulbruno Parisiense Cœnobium subiungo, cui post tempora vnitum etiam inuenio. De eo Miræus

hæc

hæc pauca sumpta ex Bruschio. [i] *Parisiense Monasterium, vulgo Paris, in pede Vogesi Montis conditum lego, circa annum Christi M. CXXXVIII. olim Abbatiali, pòst non nisi Prioratus titulo decoratum. Cum enim summa Abbatum, ac Monachorum quorumdam nobilium negligentia ad extremam paupertatem esset redactum, Pius secundus Pontifex maximus, circa annum M. CCCCLIII. illud Mulbrunensi Cœnobio adiunxit, siue, vt loquuntur, incorporauit, & suppressa dignitate Abbatiali, Prioratum constituit: sicque per Monachos Mulbrunno missos disciplina est instaurata.* Hæc Miræus ex Bruschio. quibus videas, quàm solers, socorsve prosit, aut noceat temporalium administratio, ipsis firmandis ædificiis spiritualibus. Eodem anno surgentes Abbatias Salemiranum, Parisiensemque, nec quod sciamus, initiis inæqualibus, rei familiaris, illam cura promonit, neglectus hanc depressit, & euacuauit. Parisiense Cœnobium memoratur in linea Claræuallis, incerta matre.

i ad ann. M. CXXX. VIII.

---

1. Chronologia Ecclesiarum, 2. Aurora, Calonium, seu Caliboium, & Albigniacum, 3. de Valanciis, & de Bordesleia, 4. de Benedictione Dei Lugdunensi. 5 Bellus locus, Kirkstede, & Parcolude. 6. cum Geruasio illius primo Abbate. 7. Zvvetell, & Clara Sylua, demum de Ponte Trinia, seu Quarta Zola.

CAPVT XV.

1. HActenus fundationes præsentis anni, ex maiori noritia præferendæ. Reliquas nunc subiungam ex Chronologia, quæ viginti recenset sequenti ordine.

Anno M. CXXXVIII. Idus May fundata est Abbatia de Aurora.

Eodem anno, & die, Abbatia de Salem.

Eodem anno, pridie Kalendas Iuny Abbatia de Dunis.

Eodem anno, quarto Kalendas Iulij, Abbatia Calonij.

Eodem anno, mense Iulio, Abbatia de. Bello loco Lingonensi.

Eodem anno, & mense, Abbatia de Lauans.

Eodem anno, tertio Idus Septembris, Abbatia de Valanciis, alias de Vallolis.

Eodem anno, tertio Kalendas Octobris, Abbatia de Benedictione Dei.

Eodem anno, decimo Kalendas Octobris, Abbatia de Bordesleia.

Eodem anno, decimo Kalendas Ianuary, Abbatia de Bellalanda.

Eodem anno pridie Kalendas Ianuary, Abbatia de Zvvetell.

Eodem anno, Nonas Ianuary, Abbatia Noui Monasterij.

Eodem anno, quarto Nonas Februarij, Abbatia de Kirkestede.

Eodem anno, & die, Abbatia de Parcolude.

Eodem anno, & die, Abbatia de Clara Sylua.

Eodem anno ... Abbatia de Ponte Trinia.

Eodem anno ... Abbatia de Albiniaco.

Eodem anno ... Abbatia de Sylucia.

Eodem anno ... Abbatia de Paris in Theutonia.

Eodem anno ... Abbatia de Mulbrunno. Sic Chronologia. Ex quibus quatuor hoc anno seorsim dixi, Dunas, Salem, Mulbrunum, Parisque: Nouum Monasterium, sequens auctorem vitæ sancti Roberti, in præcedentem retuli: Bellalanda inter filias Sabigniaci suo loco dicenda: Siluaja, atque Lauans, ignotæ nobis: nisi quòd tamen in Notitiis Abbatiarum Britanniæ, nuper in lucem datis, scriptum lego Begardi vtramque filiam, vtramque Britannam: de Lauanciis in Venetensi diœcesi ab Alano, Barone de Lambaux, fundatam ad hunc annum: sed postea anno M. CCL. amplissimè dotatam per Ioannem, Britanniæ Ducem, ex bonis Baronis de Lambaux, quæ ob rebellionem fisco adscripta fuerant: Syluajam, siue Syluam Melonum, vt alij dicunt, vulgo *Coet maloen*, in diœcesi Corisopitensi versùs Episcopatum Trecoricēsem, incerto fundatore. Nec quicquam aliud de eis habere potui: de reliquis plus minus accipiat lector.

2. Aurora in genesi Ecclesiarum Morimundensium ex Bellavalle nata reperitur, sita in Germania, vt hoc eodem anno duas colonias Bellavallis illuc transmiserit. Porrò vt Morimundus per eam, & Neoburgum, sic Pontigniacum per Bonum radium, & Dalonem creuisse constat. Nam Calonium (Caliuojum alij nominant) ex Bono radio genitam, tabulæ omnes concordes asseuerant. De ea Claudius Robertus in sua Gallia. *Caliuojum*, vulgò Caliuoi, *diœcesis Bituricensis memoratur in rescripto Alexandri tertij, anno M. CLVIII. & cap. litteras, 14. de præsumptionibus, sic enim legendum pro Coloniensi.* Albiniacum Dalone matre natam, eadem nihilominus diœcesis, suscepit, & memoratur hæc in libris Cameræ, ad quinquaginta florenos taxata, Caliuojo, Caloniovè omissa. De Albiniaco hęc habet Robertus Claudius. [a] *Albigniacū diœcesis Bituricensis in Archipresbyteratu, Argentony ad Carum fluuium. Memoratur in rescripto Eugenij tertij, anno M. CXLV. & Adriani quarti, anno M. CLVIII. aliud est Albiniacū oppidū eiusdē diœcesis.* Hęc ille. Memoratur in litteris Honorij tertij, de quibus infrà.

a in Gallia Christ.

3. Ad Cistercium duæ aliæ Ecclesiæ pertinent, de Valanciis, Valociisvè, & de Bordesleja. Et illam quidem tredecim, quas sub Stephano susceperat, quartam decimam filiam superaddidit, Rainardo Patre coloniam transmittente in Picardiam, & diœcesim Ambienensem, vbi Cœnobium situm non contemnendum. Meminit Alexander Papa tertius, in priuilegio concesso Giliberto Cisterciensi Abbati, sub annum Christi M. CLXIV. in quo sigillatim recenset Cistercij filias. [b] *Abbatiam de Miratorio, Abbatiam de sancto Andrea, Abbatiam de Valanciis.* Taxatur tribus & triginta florenis in libris Cameræ: vbi & de Vallolis nuncupatur. Robertus Claudius vulgo Valloires dici, sed latinè inflecti per varia nomina, in sua Gallia affirmat: & nunc Vallolis, nunc Valloriis dici: nunc Valliliense Cœnobium nuncupari, hanc ergo filiam per se Cistercium genuit. At per Landesium Bordesleiam in Anglia, in Comitatu Buckinghamiæ, vt ait Arspheldius, quam Imperatrix Mactildis ædificauit. [c] *Monasterium (ait) Bordesleja titulo sanctæ Mariæ: fundatrix Mactildis Imperatrix.* Cæterùm in quibusdam exemplaribus, & fortè correctioribus Bordesleiā, non Landesij, sed Geroldoniæ, vel Gerondaniæ filiam notatam lego.

b tom. 1. priuil. 4.

c in catalog. Mon. Angl.

4. Reliquæ domus exornant Claramvallem: quarum vna inter filias numeratur, aliæ inter neptes. Ergo secundam filiam hoc anno genuit, cui à

Benedi

Benedictione Dei inditum nomen, primus Abbas Albericus Bernardi filius, territorium Lugdunensis diœcesis fuit. Extat epistola Bernardi ad Falconem ex Decano, Archiepiscopum electum, de quo superiùs, qua domum pauperem, quippe tunc surgentem, à Sabigniacensibus Monachis infestatam, quos fortè piguit Dunarum amissarum (quasi non ipsi pòst Dunas essent ituri) affectuosis precibus Epist. 175. commendat. [d] *De cætero, inquit, si inueni gratiam in oculis vestris, intelligite super egenos, & pauperes illos, qui sunt apud Benedictionem Dei. Quod enim vni ex illis feceritis, mihi, imò & Christo facietis. Nam & pauperes sunt, & habitant inter pauperes. Hoc præcipuè obsecramus, vt Sabigniacenses Monachos prohibeatis ab infestatione eorum, quoniam calumniantur eos iniustè, vt putamus, aut si se confidunt habere iustitiam, iudicate inter illos. Filius noster Abbas Albericus, & si suis meritis commendabilior, nostris tamen precibus vobis, vt commendatior sit, obsecramus. Tenerè quippe diligo eum, tanquam mater vnicum filium, & diliget eum, qui diliget me. Denique in eo experiar, si me curatis. Quo enim longè à me positus est, eo magis necessariam habet paternam vestram consolationem.* Hæc Bernardus pro filiis, affectu patet, quem reprimere nec deceret, nec vellet, nec fortè posset. Taxatur Benedictio Dei in libris Cameræ, tribus tantùm florenis supra triginta. Sunt & aliæ Abbatiæ eiusdem nominis tam in Hibernia, quàm in aliis Regnis, de quibus suis locis agendum erit.

5. Hæc Claræuallis immediata plantatio fuit, nam cæteras per filias acquisiuit, nempe per Charum locum, Bellum locum, in Lingonensi propria sibi e in Gall. Christ. diœcesi, in Decanatu Pertæ sitæ, vt [e] Claudius ait, (qui tamen annum differt vltra modum, & Bellum locum Lingonensem hoc anno natam, cum Rutinensi confundere videtur, quam Claravallis biennio pòst produxit) Abbati Belli loci Lingonensis diœcesis scripsisse Innocentium III. video Anagniæ 13. Kal. Martij, Pont. eius anno 6. Per fontes duas neptes acquisiuit, vtramque in Anglia, vtramque in Episcopatu Lincolniensi, Kirkestede, nimirum & Parcolude, genesis Ecclesiarum Claræuallensium vtramque recenset, & Kirkestef in Cat. Monast. Angl. de meminit [f] Arspheldius in Licolnia, vbi sub sanctæ Mariæ innocatione, ab Hugone Britai fundatam perhibet. Parcolude aut omittit, aut vocem variat, & Louthparchiam nominat, quam Cisterciensis Ordinis Ecclesiam, titulo sanctæ Mariæ in eadem diœcesi, ab eo signatam video. Memoratur honorificè satis Kirkestede in variis litteris Honorij Papæ tertij, itemque in aliis Alexandri, & Nicolai, Papæ vtriusque quarti, de quibus infrà. Parcoludem recensent libri Cameræ, & sex & sexaginta florenorum supra ducentos præfigunt taxam, additis duobus aliis, & triginta. *Propter incorporationem parochialis Ecclesiæ de Herbesubel, diœcesis Lincolniensis.*

Primus Parchælndensis Abbas Geruasius fuit, vnus ex his, qui Richardum sunt sequuti: de quo Ioannes Pitsæus hæc scribit verba. [g] *Geruasius de* g in Catal. script. Brit. *Parco, Ordinis sancti Benedicti Monachus Eboracensis, in Cœnobio beatæ Mariæ Virginis. Vir, qui tam ardentis perfectionis flagrabat amore, vt de virtute in virtutem procedens, semper se melior fieri contenderet. Tandem cùm inuenisset quosdam instituti sui viros similibus desideriis inflammatos, ita & sibi, & illis stimulos addidit, vt ex Monasterio duodecim Religiosi arctioris vitæ viam amplectentes, apud Fontes iuxta Schelam fluuiolum, regulæ Cisterciensis strictissimæ obseruantiæ sese consecrauerint. Bonis tandem litteris, & eximiis virtutibus ducibus successu temporis designatus est Cœnobij Parchensis ad oppidum Ludam primus Abbas. Ex quo tempore Ealredo Abbati Rieuallensi paris pietatis, & amoris eruditionis viro, cœpit esse familiaris.* Hactenus de primo Abbate Porcoludensi, de quo sancto Ailredo auctorem fuisse speculi charitatis in lucem dandi, suo loco inferiùs memorabimus. 6.

Zvvethel sequitur filia S. Crucis, de linea Morimundi, aliàs Claræuallis Austriæ, cuius Abbas Ioannes Seifridus nostris temporibus Matthiæ Imperatori, & Philippo III. Hispaniarum Regi scribit. Inuenio etiam eandem Abbatiam sub titulo S. Crucis de Zvvethel Salizburgensis diœcesis, in litteris Innocentij Papæ quarti, datis Lugduni, Nonis Martij, itemque aliis eiusdem mensis Idibus, Pontificatus eius anno 2. Clara sylua incerta matre, & loco, nisi quòd tamen de linea Claræuallis in genesibus solet computari. 7.

Demum Pons Triuiæ, Quartazolam alij dicunt, in Placentina diœcesi hoc anno memoratur in Lombardia, quam Columba genuerit, adulta, imò & fœcunda, vix adhuc nata. Sanè si hoc anno germen ex se protulit, non solùm arguit venientium multitudinem, qui vtrique domui sufficere potuerint: sed virtutes, & merita, quibus noua plantatio crederetur. Distat Pons Triuiæ quarto lapide à Placentia, vnde & in schedis Roberti Ruscæ legi Quartazolæ cognomen accepisse: *zola*, quæ fragmen terræ, nos *terram* dicimus, vsurpata pro lapide: quia eis etiam antiqui vti consueuerint, ad passuum singula millia designanda. Sic & Pons Triuiæ, à vicino fluuio dicitur, & ponte ingentis magnitudinis, quod opus fertur Adalberta Imperatrix ædificasse. Fundatores omnino iidem feruntur, qui & Columbæ: Episcopus, & populus Placentinus. Nisi quod tamen post annos fermè sexaginta refecta domus, ampliataque ædificiis, & possessionibus, salutis anno M. CLXXXIX. Theobaldum eiusdem vrbis Antistitem fundatorem consueuit appellare.

IESV CHRISTI ANN. 1139. — CISTERCII ANN. 42.

1. Malachias ad habitum susceptus. 2. Genus viri, & natiuitas. 3. quos fratres habuit. 4. Infantia, & pueritia eius, 5. iuuentusque sub Imario sancto sene, 6. multos exemplo trahens. 7. Ordinatur, & Vicarius fit Episcopi. 8. Ecclesiasticam disciplinam instaurat. 9. Malchum adiit. 10. Cormachum Regem regno pulsum suscipit, 11. qui inter pauperes pauper, 12. post breue tempus regno restituitur.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur centesimus trigesimus nonus, supra millesimum, Cistercij quadragesimus secundus, quo sanctus Malachias Archiepiscopus olim Hiberniæ Primas, semper Aposto

Apostolus, & secundus Patritius illius gentis, illustrauit Cistercium, non solùm visitans, sed & Monachum induens in Claravalle; si permittatur, ibidem permansurus, abdicato Dunensi, cui tunc præsidebat, Episcopatu: sin minus, vbicumque victurus ad normam Ordinis, atque inter Monachos Monachus futurus, quamuis Episcopus. Quod tunc in vsu, & à pluribus aliis vsurpatum infrà videbimus. Eius res gestas, virtutes, meritaque vsque ad præsens tempus, quo primum nobis illius memoria incidit, Bernardo Patre Duce, quem meruit scriptorem suorum operum, plura & ipsius verbis prosequemur.

2. Patria viro Hibernia, genus illustre, vterque parens potens secundùm sæculum, mater magni apud Deum meriti fuit. Natalis dies incertus, annus constans, nempe nonagesimus quartus supra millesimum. Totidem ferè Bernardi subsequens ortum, quot erat mors occasum præcessura, quippe Bernardus orbi natus fuerat anno millesimo nonagesimo: decessurus millesimo centesimo quinquagesimo tertio. Malachias quinquennio prior in gloria, nempe beandus anno millesimo centesimo quadragesimo octauo; labores quadriennio posterior expertus est. Haud aliter laudatorem sortiturus, quem præcursorem habuit: nec adepturus ante se præmittere, qui postmodum ipsius gesta prosequeretur.

3. Maiores, an minores natu, dubium: certum habuisse fratrem, sororemque, vtrumque in morte Malachiam antecessurum, quippe sororem iuuenis amisit, fratrem non senex, & soror quidem pro sexu leuis animo, & quæ exprobraret fratri virtutum opera; tandem compuncta in statu salutis obiit: purganda tamen, & liberanda à pœnis, meritis fratris, quod mox videbimus. At frater re, & nomine Christianus, religione insignis: &, vt Bernardi Patris verbis vtar, in opinione secundus Malachiæ, sed vitæ sanctimonia, & iustitiæ zelo fortè non impar fuit.

4. Malachias cùm primùm luci deditus, infans matris virtutes cum lacte sugens, mox ab infantia reddens, egregia indole, [a] *in scholis litteras, timorem Domini domi docebatur, & quotidianis profectibus respondebat ambobus, Magistro, & matri.* Ætatem transcendebat iudicio, moribus: & puer quidem adultior, quàm adolescens; adolescens, senex magis, quàm iuuenis; ante tempora tempus consummabat, dum præueniebat.

a in vit. S. Malach. c. 1.

5. Inclusum cellæ senem Imarium nomine Ecclesia Ardinacensis venerabatur, moribus sanctum, charitate feruidum, religione præcipuum disciplinæ exactorem in se rigidum, in alios vt non mitem, saltim discretum: & qui se mundo dudum crucifixum, & velut mortuum, viuentem adhuc sepulchro tali incluserat. Id genus religionis in vsu priscis temporibus, iudicio, aut deficientis naturæ morbo, nostra sæcula rariùs amplectuntur. Hunc Malachias hactenus sterilem, quippe nullos discipulos habentem, exemplo suo numerosa prole fœcundauit: vnicus primo, mox sequentibus aliis, primus ipse, demum crescente turba discipulorum, primogenitus in multis fratribus, & felix cunctorum omnium initium fuit. Natus quippe in salutem multarum gentium, iam tunc discens docebat, ducebatque, vel sibi prouidens, aliis profuturus.

Interim omnes stupere factum, mirari propositum, pars iuuenem dolere velut amissum, pars leuitatem animi arguere, inconstantiam timere, pauci rem altiùs, & pressiùs contemplantes, ex ipso opere, gratiam præuenientem, ex gratia maiora in dies præstolabantur. Sed Malachias, quod mirabile apparebat, non imitabile, tolerantia suaue sibi effecit, exemplo aliis. Intrepidi intra paucos dies multi intrepidum Malachiam sequuti sunt, etiam ex his, qui factum improbauerant. [b] *Et vt prior in conuersione* (ait Bernardus Pater) *ita in conuersatione sublimior: & qui ante omnes venit, omnium iudicio supra omnes enituit in virtutibus.* 6.

b cap. 2.

Hinc primò Diaconus, mox Presbyter effectus circa annum Christi M. CXIX. cùm ipse vigesimum quintum ætatis ageret, simul creatur Episcopi Vicarius, disseminare verbum, docere legem, ædificare, destruere, plantare, euellere, in omnibus impleturus Pastoris munus. Tum verò ipse, ministerio tanto intentus, Ecclesiis cantum, (ignotum genti ritum) Ecclesiasticis leges, & normam vitæ, sæcularibus, contractus coniugiorum, omnibus confessionem, confirmationemque (Sacramenta aut neglecta, aut ignorata) æquali industria, & labore restaurabat. Eo vsque barbaries occupauerat gentem aliàs cultissimam, religiosissimamque, ex qua non dudum Sancti per Europam, sapientes per vniuersum orbem diffunderentur, ex qua, si fides priscis scriptoribus, prodiissent Magistri, qui Parisiensem plantarunt Academiam. Sed de barbarie temporis præsentis per Malachiam ad meliorem frugem reducta, Bernardum ipsum loquentem audiamus. 7.

[c] *Leges dabat plenas iustitia, plenas modestia, & honestatis. Sed & Apostolicas sanctiones, ac decreta sanctorum Patrum, præcipuéque consuetudines sanctæ Romanæ Ecclesiæ in cunctis Ecclesiis statuebat. Hinc est, quòd hodieque in illis ad horas canonicas cantatur, & psallitur, iuxta morem vniuersæ terræ, nam minimè id ante fiebat, ne in ciuitate quidem. Ipse verò in adolescentia cantum didicerat, & suo Cœnobio mox cantari fecit, cùm necdum in ciuitate, seu Episcopatu vniuerso cantare scirent, aut vellent. Deinde vsum saluberrimum confessionis, sacramentum Confirmationis, contractum coniugiorum, quæ omnia aut ignorabant, aut negligebant, de nouo instituit.* Hactenus Sanctus. Qui etiam addit tantorum malorum causam, quam nos inferiùs. His, & similibus, Doctor diuinæ legis Ardinacensem Prouinciam vbique peragrans, nouus & ipse Apostolus Hiberniæ, quem Sanctus olim Patritius genti induxerat, deformatum iam Christum reformabat. Nec satis notum, quis magis præstiterit, quippe Patritius infideles inuenit, sed rationales: Malachias vix homines, ille Euangelium ignaris prædicauit, sed obedientibus: hic scientibus legem, & præcepta, sed desertores: & ille quidem faciles inuenit, quos hic rebelles. 8.

c cap. 2.

Cæterùm ipse sibi minus fidens, quo magis valens, & discendi auidior, quàm docendi, denuo ex Doctore discipulus effectus venerabilem senem Malchum adiit Lesmoriensem Episcopum doctrina vsque ad admirationem do- 9.

ctissimo

ctissimorum, sanctitate illustrem, vsque ad miracula, quippe qui auditum surdo restitueriat, & quod non solum maius, sed rarius est, fatuo intellectum; hunc Malachias Magistrum sibi delegit, Magister ipse. Haud aliter quem Maximi cognomine veneratur Ecclesia, beatus Hieronymus discere non erubuit, cùm Doctor esset. Siue ergo futurus & ipse maximus, seu pluribus ibidem profuturus, seu tandem hausturus vitam Monasticam, quam Malchus, Vintoniensi Cœnobio in Anglia altus, rigidè cum discipolis seruabat, per annos aliquot sub tanto Patre factus, dum singula perquirit, omnia consequitur, & sibi Monachus, aliis Magister, Hiberniæ maximus, in tota etiam Ecclesia magnus fuit.

10. Interea Deus seruum suum sublimaturus, regno pulsum, & victum Cormachum Regem (id nomen viro, qui Hiberniæ parti præerat) singulari prouidentia illuc adduxit, non multo pòst suo solio restituendum. Non aliter aut Malachiam exactè noscere, aut notum dignè valuisset magnificare, quippe Principibus notitiæ plerumque dubiæ, atque eo remissiores, quo medistiores, priuatis nulla, aut fragilis potentia; &, vt vtrique velint, neutris subest, aut præmia meritis, aut honores aptare personis: illis potentibus quidem, sed ignaris, his gnaris, callentibusque, sed impotentibus. Pro Malachia vtrumque æquè prouisum, vita priuata Principis, vt nosceret, & noscentis imperium, vt honoraret. Verùm quo pacto vtrumque illi contigerit, verbis Bernardi Patris describamus.

d cap. 3. [d] *Inter Regem Mumoniæ, quæ est Hiberniæ pars Australis, & germanum eius orta simultate, & fratre facto superiore, Rex pulsus regno confugit ad Episcopum Malchum. Non tamen vt ope illius regnum recuperaret, sed magis Princeps deuotus iræ locum dedit, & necessitatem in virtutem conuertit, priuatam eligens ducere vitam. Cumque Episcopus Regem suscipere debito honore pararet, abnuit ille, se malle, inquiens, tanquam vnum ex illis esse pauperibus fratribus, qui illi adhærerent, regium fastum deponere, & communi paupertate fore contentum: expectare potius Domini voluntatem, quam per vim recipere regnum, nec velle pro suo honore terreno, sanguinem humanum effundere, qui contra se clamet ad Deum de terra. Quo audito, exultat Episcopus, & admiratus deuotionem, satisfacit voto.*

Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, & Malachias in Magistrum ad victum panis cum sale, & aqua. Porrò ad delicias sufficiebat Regi Malachiæ præsentia, vita, atque doctrina, ita vt diceret ei: [e] *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo. Ad hæc per singulas noctes lachrymis suis stratum suum rigabat: sed & quotidiano aquæ frigidæ balneo male calentem extinguebat in carne libidinem: & orans Rex cum Rege dicebat:* [f] *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Et exaudita est oratio eius, etsi secus quàm intenderat ipse. Nam is quidem sollicitus erat pro anima sua: sed vindex innocentiæ Deus, hominibus ostendere volens, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico, parabat interim facere iudicium iniuriam patienti, quod ille penitus non sperabat. Et suscitauit Deus spiritum vicini Regis (nec enim vnum est Hiberniæ regnum, sed diuisum in plura.) Hic itaque videns, quæ facta sunt, repletus est zelo: & hinc quidem indignans prædonum libertati, & insolentia superborum; inde verò miseratus regni desolationem, & Regis deiectionem, descendit ad cellulam pauperis, suadet reditum, sed non persuadet.* 11. e Psalm. 118. f Psalm. 24.

Instat tamen, spondet opem, de effectu non diffidere monet, Deum affuturum promittit, cui non poterunt resistere omnes aduersarij eius. Proponit etiam oppressionem pauperum, patriæque vastationem, & non proficit. Cæterùm accedente mandato Episcopi, & Malachiæ consilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquiescit. Sequitur Rex Regem, & iuxta verbum Regis, sicut fuerat voluntas in cælo, tota facilitate, pulsis prædonibus, reducitur homo in sua cum exultatione suorum, & regno restituitur suo. Dilexit extunc Rex ille, & ueneritus est Malachiam, eoque pretiosius, quo plenius in sancto viro digna veneratione, & amore compererat. Cuius enim tantam meruit in sua aduersitate familiaritatem, sanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in sua prosperitate perpetuis illum amicitiis, & deuotis colebat obsequiis, & audito eo, multa faciebat, & libenter audiebat eum. Hæc sanctus Pater de historia Cormachi Regis. 12.

---

1. Restaurat Sanctus Cœnobium Benchorense. 2. à sæcularibus dudum inhabitatum. 3. Dubium de Clericis, an Monachis inductis. 4 Primum eius miraculum, 5. initium plurium, 6. & commendatio eximiæ sanctitatis. 7. Emendatus Iepius, 8. & dictum obiter de obitu sororis. 9. Malachias electus in Episcopum, 10. & qualis populus illi commissus fuerit.

CAPVT II.

1. AT Malachias de omnibus instructior, & tunc demum Ardinacham reuocatus, ac suis redditus, Benchorense Cœnobium primum restaurat, fœcundam olim illustrium virorum segetem, tunc vmbram sterilem, & pristinæ religionis nomen inane; quippe ædificio per piratas diruto, fugatis fratribus, ac mobilibus bonis in prædam actis, locus, & possessiones (retento titulo) sæcularibus tradita, non tam quod fuit in memoriam reducebant, quàm quod tunc deerat, seueriùs condemnabant. Sed de antiqua Benchor inferiùs multa, cùm post instaurationem renouata, tenerum adhuc collum submittat Cistercij iugo: nunc instauratio tantùm pertractanda, eaque ad pleniorem fidem Bernardi verbis. [a] *Vir diues, & potens, qui locum Benchor, & possessiones eius tenebat, inspiratus a Deo, confestim in manu eius* (scilicet Malachiæ) *omnia sua dedit, & se quoque, & is auunculus eius. Sed Malachiæ spiritus, quàm carnis propinquitas plus vis fuit. Ipsum quoque locum Benchor tradidit ei Princeps, vt ædificaret ibi Monasterium, vel potiùs reædificaret.* a cap. 5.

2. Et post pauca. *Hoc olim destructum à piratis, ob*

insigne dignitatis antiquæ, Malachias veluti quamdam replantaturus paradisum, amplexus est, & quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam, vt taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul vna die à piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones, & terras alteri cessit, siquidem à tempore, quo structum est Monasterium, non defuit, qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam & constituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, seruantes nomine, etsi non re, quod olim extiterat. Cumque suaderent multi, non alienare possessiones, sed totum sibi retinere simul, non acquieuit paupertatis amator, sed fecit eligi iuxta morem, qui eas teneret, loco, vt prædiximus, retento sibi, & suis. Hactenus sanctus Pater de Benchor instaurato per Malachiam.

3. In quo tamen an Monachos induxerit, an regulares Clericos? sub certa regula, an solis Magistri sui præceptis militaturos? in dubio positum: nec certi quidquam ausim diffinire. Nulli regulæ adstrictos satis indicant verba illa Bernardi de Malachia. [b] *Præfuit loco illi* (scilicet Benchorensi) *tempore aliquanto, Patre Imario ita disponente, ipse rector, ipse regula fratrum.* Quamuis non negem posse aliter intelligi. Rursus non Monachos, sed regulares Clericos duo alia confirmant argumenta. Primum, quod Malachias post annos aliquot, cùm Dunis præesset, & ex propriis filiis Monasterium pro more faceret, non Monachorum, sed Clericorum Regularium illud instituit, eodem Sancto inter alia ita asserente. [c] *Malachias factus Dunensis Episcopus, confestim more suo curauit asciscere ad solatium sibi, de filiis suis, conuentum regularium Clericorum.* Secundum verò, quod ipse sanctus Pontifex eùm filios suos probandos, & erudiendos rediens ab Vrbe reliquisset in Claravalle, idque post annum vigesimum, aut circiter, nempe hoc ipso M. CXXXIX. Monachos in Hibernia auditos docet, sed nunquam visos. [d] *Erunt*, inquit, *nobis in semen, & in semine isto, benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ Monachi quidem nomen audierunt, Monachum autem non viderunt.* Quod nequaquam dixisse credendus est, si Benchor ipse reduxisset ad Monachismum. Hæc pro Clericis insinuata, quàm prosequuta. Pro Monachis non leuior coniectura, quòd Benchor Monachorum olim Cœnobium non alienatum dicatur, sed restitutum, adeoque traditum possidendum antiquis dominis.

b ibidem.
c cap. 9.
d cap. 11.

4. Vtcumque fuerit, decem assumptis fratribus, Malachias præfectus ab Imario, noui Oratorij fundamenta iacere, officinas diuidere, construere, cædere ligna, comportare lapides; & propriis manibus cuncta peragentes, habitationem diutiùs permansuram, non tam sibi, quàm Deo solicitabant. Iam iam putares Cistercij futuram domum, quæ talibus initiis auspicaretur. Sed præcesserunt adhuc latiora signa, ingens miraculum patratum per Malachiam, quod & signorum ipsius principium fuit. [e] *Quadam die*, inquit Bernardus, *cum in securi ipse secaret, casu ex operariis vnus, illo vibrante in aera securim, locum incautè occupauit, quo ictus destinabatur, & cecidit super spinam dorsi eius, tanto vtique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille, accurrere omnes, putantes aut percussum ad mortem, aut mortuum. Et tunica quidem scissa a summo vsque deorsum, homo verò illæsus inuentus est, tam modicè, & summatim perstricta cute, vt vix in superficie vestigium appareret. Stabat homo incolumis, quem securis prostrauerat, intuentibus, & stupentibus, qui circumstabant. Vnde & facti alacriores, promiores exinde ad opus inuenti sunt: & hoc initium signorum Malachiæ fuit.* Sic Bernardus in actis sancti Pontificis.

e cap. 5.

Primum miraculum plura alia sequuta sunt, æquè animabus proficua, atque corporibus. Sancti Christiani (non fratris Malachiæ, sed alterius, qui Monachum pòst induit in Claravalle) huius, inquam, Christiani germanum secundùm carnem, sed & spiritu postea germaniorem, Malcho viro nomen, dæmone simul oppressum, & ægritudine, sola oratione exemit vtrique malo. Nec minus alium Michaëlem nomine, primùm dysenteria, mox desperata protsus valetudine, in extremis agentem, sanitati restituit; neutrum tamen in sæculo mansurum, quippe Christi miracula imitatus, quos corporali salute consolabatur, cœlestibus statim initiabat. Hæc de miraculis. 5.

De meritis maiora. [f] *Præfuit* (inquit Bernardus) *Malachias loco illi, scilicet Benchorensi, tempore aliquanto, Patre Imario ita constituente, ipse rector, ipse regula fratrum. Legebant in vita eius, quomodo conuersarentur, & ipse ante illos præibat in iustitia, & sanctitate coram Deo: nisi quod præter instituta communia multa singulariter faciebat, in quibus potius præibat omnes, & aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi.* Sic Malachias non solùm suis regula, sed aliis Cœnobiarchis se præstitit exemplar, dum præest filiis. 6.

f cap. 5.

Iepes instaurationem hanc sub instituto Cisterciensi factam, atque ad annum M. CXXXIII. referendam satis insinuat, neutrum, vt credo, firmo fundamento, quippe Benchor instauratum ante nouennium Conneterensis Pontificatus conuincit, cui Malachias destinatus est anno Christi M. CXXIV. cùm iam egisset Abbatem Benchorensem, vt mox videbimus. Sed & instaurationem vt admittas in Monachismo, at non in Cisterciensi, satis ostendunt Christianus, sociique relicti post sextum decimum annum in Claravalle, nempe hoc ipso M. CXXXIX. vt docerentur mores Cistercienses, & Ordinis, ac vitæ disciplinam. 7.

g tom. 7. ann. 1133. cap. 2.

Sub his temporibus, aut certè non multo antè Abbatis sancti soror migrans de sæculo, leuiorem vitam compensauit morte sanctiori, vt piè creditur, impetrata meritis fratris. Constat inuisam Sancto, dum adhuc viueret, neque in carne videndam, quod voto ipse concepto destinauerat, apparuisse defunctam, eius preces, & opem imploraturam, quo citiùs pœnis lustralibus soluta, ad cœlestis sponsi nuptias admitteretur. Id quàm solicitè Sanctus exequutus sit, quàm feliciter item consequutus, quo maior fides dictis, verbis Bernardi, vt alia, subiungamus. [h] *Mortua est interim soror eius illa, quam præfati sumus. Nec prætereunda visiones, quas vidit de ea: huius siquidem Sanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt se deuouerit non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est votum, & cœpit videre in spiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audiuit, per somnum vocem sibi dicentis, sororem eius stare foris in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustasse, qui euigilans citò intellexit, cuius esca inedia marceret, & diligenter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cœlo viuum non obtulisset. Tum ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum* 8.

h cap. 4.

tum, beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur: neque id frustra. Non multo pòst visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ, necdum tamen posse intrare, apparere etiam in veste pulla. Cumque ille perseuraret curans ne qua die solita stipe frustraretur, secundò vidit eam in veste subcandida, admissam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permissam. Tertiò tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida. Pergit Sanctus de efficacia orationis, & de regno cœlesti direpto per vim ipsius.

9. Anno Christi M. CXXIV. ætatis Malachiæ fermè trigesimo, Benchorensi Cœnobio restituto, nec minus viris aucto, quàm ædificiis, & multo magis obseruantia disciplinæ, in Conneretensem Episcopum electus (ignota nostro sæculo sedes, ciuitasque) ægrè tandem à suis auulsus est, nec nisi Imario iubente, consensurus. At nec sic quidem ab eis auelli potuit, quippe qui ita Episcopum indueret, vt Cœnobitam omnino retineret, filios secum adduxit in Conneret, per quos denuo Benchor propagaretur. Id mihi probat destructa ciuitate post paucos annos (vt coniector, vix duos) eximus Sancti stipati fratrum collegio, ne vsquam viueret, aut esset extra Cœnobium. Sed de his statim.

Sæcularibus denuo restitutus: nec iam Vicarius, sed pastor ipse effectus, Ardinacenses, quos barbaros crediderat, politicos, & vrbanos expertus est, in tantum brutos inuenit Conneretenses, quippe quo remotiores à Metropoli, eo expertiores totius disciplinæ, atque in omnem appetitum effrenatiores. Audiamus Sanctum de eis sic disserentem. [l] *Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quacumque barbarie, nusquam repererat sic proternos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, & ceruicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam.* Hæc de gente. Sed quid de Malachia? En quæ sequuntur. *Quamquam omnes lupi, & oues nulla, stetit tamen in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oues de lupis. Monere communiter, secretò arguere, flere per singulos, nunc asperè, nunc leniter conuenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profecisset, cor contritum, & humiliatum pro eis offerebat.* Et paulo inferiùs. *Ibat, erogabat vel ingratis cœlestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, vel in hoc se virum Apostolicum probans.* Sic Malachias Apostolum reddebat, sic numerum in omnibus adimplebat veri pastoris. 10.

l cap. 6.

1. Conneretensium barbaries emolita. 2. Sanctus de sede occasione bellorum pulsus, 3. & sibi, & suis Ibracense Cœnobium construit. 4. Ex Episcopo factus Cœnobita. 5. Mors Celsi, & promotio Sancti ad Ardinacam, 6. non sine æmulo. 7. Dilatus Malachiæ consensus per tres annos: 8. tandem obtentus. 9. Pseudo-electi, & fautorum ipsius, 10. tristis interitus.

CAPVT III.

1. CÆterùm quem fructum tandem expertus sit, quam mutationem gentis, quantumuis barbaræ, cooperante gratia, consequutus; non multo pòst enarrat idem Bernardus. [a] *Perseuerauit,* inquit, *pulsans, & secundum promissionem tandem aliquando pulsanti apertum est .... Cessit durities, quieuit barbaries, & domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correctionem admittere, recipere disciplinam. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur vbique Ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ reiiciuntur. Reædificantur Basilicæ, ordinatur Clerus, Sacramentorum solennia celebrantur. Confessiones fiunt, ad Ecclesiam conueniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum: postremò sic mutata in melius omnia, vt hodie illi genti conueniat, quod Dominus per Prophetam ait: Qui antè non populus meus, nunc populus meus,* &c. Hactenus Sanctus de gentis metamorphosi, prædicationis Malachiæ insigni miraculo, atque eo gloriosiori, quo fructuosiori.

a cap. 6.

2. Addiderant & filij solatium dulci parenti, ex paucis, quos ex Benchorensi Cœnobio secum adduxerat, ad centum vsque & viginti multiplicati: & iam instabat peracti operis merces, dura gens emolita, obsequensque, atque Euangelio, & iustitiæ barbaries cedens: cùm ecce inter Reges confines surgentia bella, & quæ hominum conditio est, ex ipsa affinitate orta dissidia, Malachiam de sede perturbarunt, quippe diuinis obsequiis mancipato, agere in promptu, peragere in mercede: & fruitionem in patriam reseruabat. Haud aliter Benchorense Cœnobium deseruit, cùm instaurauit: itemque Ardinacensem gentem, cùm emolliuit. Ergo de propria sede per bellum pulsus, & corona filiorum stipatus, venerabile agmen ducens egressus est, noua semper obsequia paraturus.

[b] *Hac occasione*, inquit Bernardus Pater, *Monasterium Ibracense structum est, eunte illo* (Malachia) *cum suis, numero centum viginti fratribus. Ibi occurrit ei Cormachus Rex, ipse est, qui olim regno pulsus, sub cura Malachiæ de misericordia Dei consolationem accepit, & locus ille situs in regno eius. Gauisus est Rex viso Malachia, se & omnia sua exponens ei, & iis, qui cum eo erant, vtpote non ingratus, atque immemor beneficij. Adducta incontinenti animalia multa ad vsus fratrum, multa insuper in auro, & argento ad sumptus ædificiorum, pro regia liberalitate, collata. Ipse quoque erat intrans, & exiens cum eis sedulus, & officiosus, habitu quidem Rex, sed animo discipulus Malachiæ. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam, & in breui factus est magnus rebus, & possessionibus, & personis.* Sic Malachias nunquam non proficuus, proficiensque, & sibi, & aliis, incrementa virtutum solicitabat. 3.

b ibidem.

Nam & qualiter se nouo in Cœnobio gesserit, quàm feruentem spiritu, atque exemplo docentem exhibuerit, idem qui suprà Sanctus non omisit. [e] *Vbi* (inquit, id est, in Monasterio Ibracensi recèns erecto) *velut de nouo inchoans, legem, & disciplinam, quam aliis imponebat, magis ipse portabat Episcopus, & Magister. Ipse in Ordine vicis suæ coquinæ ministerio inseruiebat, ipse fratribus, cùm recumberent, ministrabat, inter succedentes inuicem fratres ad cantandum, legendumue in Ecclesia, non se præterire patiebatur: strenuè implens & ipse officium loco suo, tanquam vnus ex illis. Sanctæ paupertatis non modò participem, sed principem se exhibebat, ipsius præcipuè super omnes abundantiùs æmulator existens.* 4.

e ibidem.

est in Sanctis suis, & rursus in iudiciis quàm terribilis!) sed reliqua prosequamur Bernardi verbis. [i] *Res innotuit Malachiæ,& intrans Ecclesiam (erat enim propè) eleuatis manibus, orauit ad Dominum, & ecce nubes,& caligo, sed & tenebrosa aqua in nubibus aereis diem verterunt in noctem. Fulgura quoque, & tonitrua, & horribilis spiritus procellarum diem vltimum minabantur, vicinaque elementa intentabant omnia mortem. Et vt scias, lector, quòd oratio Malachiæ concusserit elementa, solos intercepit tempestas, qui quærebant animam eius, solos turbo tenebrosus inuoluit, qui parabant opera tenebrarum. Denique qui Princeps extiterat tanti mali, fulmine percussus interiit, cum tribus aliis,& fuere consortes mortis, qui fuerant participes sceleris. Quorum sequenti die inuenta sunt corpora semiusta, & putrida hærentia ramis arborum, vbicumque spiritus eleuans allisisset. Alij quoque tres semiuiui inuenti sunt, cæteri omnes circumquaque dispersi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quamuis proximos loco, omnino tempestas non tetigit, nec quicquam molestiæ intulit.* Pergit Bernardus miraculis antiquis illud miraculum, [k] inuasores Ægyptiis, & Malachiam Moysi comparare, & forte plusquam Moyses hic, quippe illic pro salute totius populi, hîc pro priuata tantùm pugnatum est: illic sola aqua, hîc aqua, & igne simul, & illic quidem promissum intercesserat, immò mandatum, hîc sola, & nuda oratio Summi Pontificis.

i cap. 7.

k Exod. 14.

---

1. Pro schismatico Nigellus quidam suffectus. 2. Parata Sancto insidiæ, detectaque: nec recusatæ: 4. sed è cælo cohibiti insidiantes, 5. & ipse etiam Nigellus interceptus. 6. Mira Dei vindicta pro Malachia 7. iterata in mulierem, 8. immò & in totam familiam contradictricem. 9. Demum pestis fugata meritis Sancti.

CAPVT IV.

1. ANno ab Incarnatione Domini M. CXXXII. ætatis Malachiæ trigesimo octauo, pulso incubatore, intrauit Ardinacham, Pontifex, Primasque totius Hiberniæ. Non tamen ideo cessatum à periculis, non ab insidiis, demum non ab æmulo. In ipsa ciuitate familia potens deplorabat amissum Pontificatum, per vim, per frandem, qna posset, vindicatura. Extrà, Nigellus profugus, & vagus, sed baculum, & librum Euangeliorum (Pontificalia insignia) secum deferens, multos ad sui obedientiam solicitabat, qoippe baculum à Christo fabrefactum, ministerio Angelorum (sic ferebat traditio) librum à sancto Patritio olim conscriptum, eatenus gens barbara, eoque in superstitionem procliuis, veoerabatur, vt solum verum Pontificem agooscerer, penes quem ea pignora manerent. Hinc populorum factiones, dissidiæque, quibusdam verò Pontifici adhærentibus, aliis Pontificem ex insigniis diiudicantibus, & rebellioni suffragantes simplicitate, quin & familiæ spoliatæ, apud vulgus ignarum miseratione, altiùs, quo lentiùs serpebat Nigelli virus. Inde ex maiori numero sequacium, maior spes cootinuandæ successionis, & spe crescente, sicut desiderium, sic odia in sanctum virum concitabantur. Compescuit tamen omnes Malachias, quibusdam flexus, quosdam flectens ipse, alios tandem iudicio Dei permittens: horrendo sanè, sed pro tempore, & loco necessario, & multis profuturo paucorum malo. Singulorum exempla subiungam, dum omnia nequeo.

2. [a] *Erat Princeps quidam* (Bernardi verba sumo) *de potentioribus iniquæ progeniei, quem Rex priusquam ciuitatem exiret, iurare coegerat pacem tenere Episcopo, acceptis ab eo insuper obsidibus multis. Is post Regis exitum nihilominus ciuitatem ingressus, consilium habuit cum propinquis, & amicis, quomodo Sanctum dolo tenerent,& occiderent. Timebant verò plebem. Et coniurantes in necem Malachiæ constituere locum,& diem, & traditor dedit eis signum. Ipso die cùm vespertina iam solennia in Ecclesia celebraret Antistes cum vniuerso Clero, & multitudine populi, mittit ad ipsum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenus ad se dignetur descendere, vt faciat pacem. Respondentibus qui assistebant, ipsum potiùs ad Episcopum debere venire, Ecclesiam esse competentiorem locum firmandæ pacis (siquidem præsenserant dolum) subiungunt, qui missi erant, hoc tutum non esse Principi: timere eum capiti suo, nec se credere turbis, quæ se ante hos dies, causa Episcopi, propemodum interemissent.*

a cap. 8.

3. *Contendentibus in hunc modum, illis quidem, vt iret, istis verò, ne iret: Episcopus cupidus pacis, & mortis non timidus, Sinite, inquit, fratres, sinite me imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor. Fortè flecto humilitate tyrannum, & si non vinco, tamen exhibens, oui pastor, Sacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque quod in me est, non parum ædifico exemplo tali. Quid enim si contingat occidi? Non recuso mori, vt vos vita ex me teneatis exemplum.* [b] *Oportet Episcopum (vt ait Episcoporum Princeps) non dominari in Clero, sed formam fieri gregis. Haud aliam sanè formam, quam ab illo accepimus, qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis signatam sanguine meo? Experiemini certè, cùm Sacerdos vester dignè satis à Christo didicerit mortem non timere pro Christo. Et surgens cœpit ire flentibus cunctis,& supplicantibus, ne tantum cuperet pro Christo mori, vt tantum Christi gregem desolatum relinqueret. Verùm ille totam spem suam ponens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantùm comitatus discipulis, paratis mori cum eo.* Hæc Malachias.

b 1. Petr. 5.

4. Verùm hostes eius, [c] *vt calcato limine domus repentè se medio intulit armatorum, scuto fidei ipse munitus: concidere facies omnium, quia pauor irruit super eos, ita vt dicere posset Episcopus:* [d] *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt,& ceciderunt.* Nec satellites soli destinati martyrio Sancti, verùm is quoque, qni eos destinauerat, reuerenter assurgens, nō insurgens, quam verè iotenderat, morte prætermissa, pacem, quam falsò obtulerat, firmauit. *Itaque facta est pax* (subdit Bernardus) *& tam firma, vt ab illa die hostem Sacerdos non modò pacatum habuerit, sed subditum, sed deuotum.* Atque hæc quidem cedens Malachias insigni Dei virtute operatus est.

c ibidem.

d Psalm. 26.

5. At quid resistens? Audi quæ sequuntur, ipsum adhuc Nigellum compressura. [e] *Fuit verò consilium præfatum schismaticum insequi, eo quòd seduceret multos ex insignibus, quæ ferebat, suadens omnibus se Episcopum esse debere, & sic solicitans plebes aduersus Malachiam, atque Ecclesiæ vnitatem, & fecit sic.* Sed audi qua virtute. *Et sine difficultate* (ait) *ita in breui vniuersas sepiuit vias eius, per gratiam sibi à Domino datam, & quam habebat ad omnes, vt malignus ille*

e cap. 8.

coactus sit dare manus, reddere insignia, & quiescere de reliquo in omni subiectione.

6. His, & similibus Malachias Ecclesiæ pacem, terrorem hostibus, fidelibus constantiam, sibi reuerentiam, & Deo in omnibus gloriam comparabat. Verùm cùm adhuc aliquæ superessent reliquiæ schismatis, nec deessent, qui Pontifici sancto, velut hypocritæ, & alieni iuris inuasori, conuiciarentur, ipso facile iniurias remittente, nihilominus Deus vltor exarsit, & Malachiam, suorum oculorum verè pupillam, nequaquam tangi impunè, horribilibus etiam suppliciis demonstrauit, quæ Bernardi fulcita auctoritate, non pigebit ad

f ibidem. literam transcribere. f *Quidam* (ait) *gratiam habens Principum, & potentum, etiam ipsius Regis, quòd esset adulator, & garrulus, & potens in lingua, fauebat per omnia aduersariis Malachiæ, & procaciter turbatus partem eorum: Sancto verò & præsenti resistebat in facie, & detrahebat absenti, irreuerenter occurrens ei in omni loco, maximéque vbi frequentioribus illum, celebrioribusque sciret interesse conuentibus. Sed citò digna linguæ procacis mercede donatus est. Intumuit, & computruit lingua maledica, vermibus ex ea scaturientibus, & diffluentibus toto ore blasphemo, quos per septē ferme dies incessanter vomens, tandē cum illis miseram expuit vitā.* Sic sacrilegus ille blasphemiarum in Sanctum prolatarum, horrendo sanè, sed condigno supplicio, atque omnibus maledicis timendo, pœnas exoluit.

7. Nec minus miserabilis interitus insensatæ mulieris, quem immediatè subiungit in hæc verba. *Loquente coram aliquando Malachia, & populum exhortante, mulier quædam infelix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis, non deferens Sacerdoti, & spiritui, qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & spiritum habens in naribus, blasphemias, contumeliasque euomebat in Sanctum, dicens hypocritam, & inuasorem alienæ hereditatis, sed & caluitiei illius improperans. At ille nihil respondit ei, sicut erat verecundus, & mitis, sed Dominus respondit pro eo. Versa illa in insaniam est, Domino iudicante, & crebris vocibus clamitans suffocari se à Malachia, morte demum horrenda luit peccatum blasphemiæ. Sic misera assumens aduersus Malachiam improperium Elisæi, verè illum sibi alterum experta est Elisæum.* Hactenus Sanctus.

Verùm hæc singularium personarum, adeóque, quamuis magna, minus horrenda. Audi vindi- 8.
ctam de familia integra sumptam. g *Ex hoc iam, qui* g cap. 8.
mutiret aduersus eum, non fuit, dicentibus, qui de semine Canaan sunt. Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo. At serò istud, quia zelus Domini vbique occurrens eis, persequutus est eos vsque ad internecionem. Quomodo intra paucos dies periit memoria eorum cum
sonitu? h *Quomodo facti sunt in desolationem, perie-* h Psalm. 72.
runt propter iniquitatem suam? Grande hodieque miraculum facit tam velox generationis illius deletio, his præsertim, qui eorum nouerant superbiam, atque potentiam. Hæc Deus, vindex pro se, an pro Malachia: nisi quòd indiuidua vtriusque causa vix habet, vnde effectum secernamus.

Interim grassante peste per totam insulam, qui 9.
propter Malachiam paucorum vltor, propter eumdem, multorum miseratus, vt animarum ex schismate præterito, sic corporum ex ea extinxit contagium, & Sancti precibus confestim salus reddita, quo omnes illi deberent vtrumque hominem. i *Nec hoc quidem prætereundum* (Bernardus i cap. 8.
ait) *quòd orante Malachia, pestilentia illico conquieuit.* scilicet ea, quæ Hiberniam afflixit per hoc tempus: vt vnum Malachiæ, si bene numeres, tot illustria miracula contineat, quot homines insula, quippe alios morti, contagio alios eripiens, cunctos morbo aut exemit, aut liberauit.

---

1. Malachias, Ardmacensi sede abdicata, Conneretensique, 2. Dunensem parœciam strenuè administrat. 3. Romanam peregrinationem aggreditur, 4. & resistente populo, 5. sors missa, & vsque tertiò factum approbatum diuino nutu. 6. Eboraci prænunciatus à Sicaro: 7. à quo etiam prophetatum de Sancti reditu. 8. Equus à VValeno dono acceptus mutatus per miraculum, 9. de quo certatum inter Anglos, & Hibernos.

CAPVT V.

1. HIs per triennium feliciter peractis, & quam intenderat, Ecclesiæ libertate, atque in ipsa quiete, & pace reddita, pulsa barbarie, & reformatis vbique moribus, memor propositi, imò & pacti quondam initi, cùm iam iam minus necessarius videretur, dignum pro se Episcopum substituit (Gelasio viro nomen) qui pace dudum quæsita frueretur. Ipse ad suam parochiam reuersus est, anno à natiuitate Christi M. CXXXV. cùm quadragesimum primum ætatis ageret. Verùm qui propriam gloriam non quærebat, sed Iesu Christi, Episcopatum ex duobus conflatum olim, Conneretensi nimirum, Dunensique, quos superbia, & libido copulauerant (vnius Episcopi prælata vtilitate multorum commodis) duplici rursum sede donandum duxit, & Conneteret relicta possessori, ipse Dunensem sibi vendicauit, quo breuiorem, exactiùs excolendam. Bernardus Pater dum hæc memoriæ prodit, altiùs expendens factum, ita ex-
a cap. 9. clamat. a *O purum cor! O oculum columbinum! Locum tradidit nouo Episcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur, locum, in quo sederat ipse. Vbi sunt, qui de terminis litigant, pro vno viculo perpetes adinuicem inimicitias exercentes? Nescio si quod genus hominum magis, quàm istos antiquum vaticinium tangat: secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos.* Hæc sanctus Pater, non damnans vigilantiam in conseruandis cuiusque Ecclesiæ iuribus: sed nimiam libidinem dilatandi terminos, & aggregandi Ecclesias, vltra quàm gregibus valeat prouideri.

Pergit de Malachia Dunum reuerso, & qua- 2.
driennio in ea sede peracto, antequam Romam
hoc anno proficisceretur. b *Malachias*, inquit, b cap. 10.
factus Dunensis Episcopus, confestim more suo curauit asciscere ad solatium sibi de filiis suis conuentum regularium Clericorum. Et ecce rursus accingitur quasi nouus Christi tyro, ad spiritale certamen, rursus induitur arma potentia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, & orandi assiduitatem. Quæ tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quam actu. Etenim vniuersi confluebant ad eum: nec modò mediocres, sed & nobiles, & potentes illius se sapientiæ, & sanctitati instruendos, corrigendos, & regendos committere festinabant, & ipse interdum ibat, & exibat semen suum, disponens, & decernens tota auctoritate de rebus Ecclesiasticis, tanquam ex Apostolis vnus. Et nemo illi dicebat: In qua potestate hæc facis?

Videntē

Videntibus cunctis signa, & prodigia quæ faciebat, & quia vbi spiritus Domini, ibi libertas.

3. His quadriennio occupatus Malachias, cùm iam quadragesimum quintum ætatis annum ageret, hoc ipso Christi M. CXXXIX. quem nunc transcurrimus, peregrinationem ad Romanam curiam aggressus, Claramvallem, Cisterciumque illustrauit. Cæterùm id qua occasione conceperit, & qualiter exequutus sit, eiusdem Sancti verbis prosequamur. [c] *Visum est ei, non satis tutò actitari ista, absque sedis Apostolicæ auctoritate, & Romam proficisci deliberabat, maximè quòd Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallij vsus, quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis eius, si Ecclesia, pro qua tantum laborauerat, quem antè non habuerat, suo acquireret studio, & labore. Erat & altera Metropolitica sedes, quam de nouo constituerat Celsus, primæ tamen sedi, & illius Archiepiscopo subdita, tanquam Primati. Et huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique auctoritate Apostolica prærogatiuam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.* Hæ causæ Malachiæ longi itineris, hæc adeundæ Claræuallis, atque illustrandi Cistercij occasio fuit.

[c] cap. 10.

4. Decesserat Christianus per idem tempus Malachiæ germanus carne, germanior spiritu, cuius iacturam Hibernia lamentabatur. Hinc Malachiæ discessus molestior cunctis, & tota detentio Pastoris sancti. Nam quid si altero parente destituti, fraudarentur vtroque? Quid si tot terræ, marisque periculis, Malachias deficeret? Quid si ab iniquis interciperetur? Quod nam subsidium sibi, Christiano mortuo, qui solus posset supplere defectum fratris? Iret feliciter, pertingeret, rediret: nunquid vel sola absentia non filiis grauis, imò & publico bono satis incommoda? Virere omnia, florereque sub ipso, velut sub sole: si abscondatur, statim marcescenda. Igitur cunctis pariter nitentibus, etsi preces contemnat, vim parantibus, cùm ille diuinam vltionem comminaretur, vtra pars præualeret sorti commissum. Superstitione gentis, an impulsu cœlesti, quis definiet? Et vt primum Malachias aduersaretur, at secundum euentus comprobauit.

5. Audi Bernardum. [d] *Non tamen destituere illi, nisi missa sorte prius Dei voluntas super hoc interrogaretur. Prohibente illo* (scilicet Malachia) *nihilominus miserunt: sed illa pro Malachiæ parte ter respondisse inuenta est. Nec enim vna contenti vice fuere, cupidi detinendi eum. Demum cedentes dimittunt illum, non tamen sine ploratu, & vlulatu multo.* Discessurus Christiano successorem (nam Episcopus erat) priùs prouidit: atque ostensum diuinitus Edanum, sic enim vocabatur, illi sufficit. Tum impertita suis benedictione, atque eorum se precibus commendans, decenti comitatu proficiscitur, ignotas gentes, & regna illustraturus, ipse notissimus, & super famam à Deo manifestandus, quacumque pergeret.

[d] ibidem.

6. Et primò quidem Eboraci in Anglia, cœlesti oraculo prædictus aduentus viri, dignitatem venientis publicauit, obuio Sicaro Sacerdote eximiæ vitæ, & velut Ioannes Christum in deserto, sic digito inter turbas prodente sanctum Pontificem. [e] *Et inuitus*, inquit, *eum agnouit, non quia vidisset faciem eius antea, sed cùm haberet spiritum prophetiæ, reuelatum fuerat ei iam pridem de illo. Et tunc incunctanter circumstantibus digito eum demonstrans; Hic est, inquit, de quo dixeram vobis, quia de Hibernia Sanctus veniet Pontifex, qui scit cogitationes hominum. Sic non potuit latere lucerna sub modio, prodente eum per os Sicari Spiritu sancto, qui illam accenderat.* Hactenus Sanctus. Quæ eadem ad summam licet redacta refert Ioscelinus Furnesij Monachus loco proximior, nec multo distantior tempore, in vita sancti VValeni, dum ita ait. [f] *Sanctus Malachias natione, & Pontificio Hibernicus, versus Romam iter arripiens, transitum fecit per Angliam, & pluribus locis hospitio susceptus, susceptores suos sui præsentia, & sacris monitis, & miraculis lætificauit. Deueniens Eboracum, à pluribus occurrentibus salutatur, & honoratur, & maximè, quia à Sicaro Presbytero de Neuvels, eius aduentus prædicabatur. Erat idem Sacerdos sanctitatis, & opinionis magnæ, & spiritu pollens prophetia, qui, vt dixi, eius aduentum prædixerat, eius vultum, staturam, & numerum sociorum euidenter designauerat.* Sic ille.

[e] ibidem.

[f] lib. 1. c. 10.

Verùm memoriâ item dignum est, quod idem Sicarus reuelauit sancto Pontifici, paucos de illis, qui cum comitabantur, ad Hiberniam cum ipso redituros. Quod infaustũ, & morte plurium complendum, ab ipsis creditum, felicior pòst euentus comprobauit, quippe non mortuis, sed relictis in Claravalle, vt ipsa historia inferiùs demonstrabit. 7.

Nec minus celebre, quod in eadem vrbe equus sancti VValeni dono acceptus, dubium vtrius meritis, ex nigro albus, & ex duro lenis, ac suauiter portans effectus est, nec Malachiæ, dum vixit, defuturus. Id in vtriusque actis memoriæ proditum, quia vtrimque etiam concernit hos Annales, VValeno ex Canonico regulari ante triennium Cistercium ingressuro, primum quidem Bernardi verbis prosequar: mox Ioscelinus supplebit, si quæ addenda. [g] *In ipsa vrbe Eboracensi accessit ad eum vir nobilis secundùm sæculum, tunc prior in Kerkeham Regularium fratrum, nunc verò Monachus, & Monachorum Pater in Mailros Monasterio Ordinis nostri, qui deuotus, Malachiæ se orationibus satis humiliter commendauit. Is aduertens multos habere Episcopum socios, & equos paucos (nam præter ministros, & Clericos alios, quinque cum eo erant Presbyteri, & equi non nisi tres) obtulit ei suum, quo ipse vehebatur: hoc solum dolere se inquiens, quòd esset runcinus, durè portans, & addidit: Libentiùs dedissem, si melior fuisset, sed si dignamini, ducite qualemcumque vobiscum. Et ego, ait Episcopus, eo libentiùs accipio, quo prædicas viliorem, quia non potest mihi vile esse, quidquid tam pretiosa voluntas obtulerit. Et conuersus ad suos, Hunc, inquit, mihi sternite, quia commodus satis est, & sufficiens erit in longum. Quo facto, ascendit, & primò quidem durum, vt erat, sentiens, postmodum mira mutatione commodum sibi valde, & suauiter ambulantem inuenit. Et ne caderet super terram de sermone, quem dixerat, vsque ad nonum annum, quo mortuus est ipse, non defecit ei, factus optimus, & pretiosissimus palefridus. Quodque euidentius miraculum cernentibus fecit, de subnigro cœpit albescere, & non multo pòst vix inueniebatur albior illo.* Hæc sanctus Pater. 8.

[g] Bern. c. 10

Queis solùm addere libet ex Ioscelino, Hibernorum Scotorumque certamen de hoc miraculo: his VValeno, vt danti, deferentibus, illis, vt equitanti, Malachiæ, atque vtrisque ex æquo litigantibus, concessum ne vsuro, an collatori? [h] *Ego verò* (concludit Ioscelinus) *sine præiudicio sanius sapientis, signum adscribendum arbitror vtriusque virtutibus. Quia enim vterque vir mundicia claruit, & Dominum glorificauit, & portauit in corpore suo: iure ad amborum declaranda merita cum candore suauis ambulatio accessit, & mansit in equo.* Ex hoc miraculo liquet ratio temporis, in Cardinali [i] Baronio corrigendi, qui aduentum sancti Malachiæ in Vrbem, dum ad annum millesimum centesimum trigesimum 9.

[h] lib. 1. c. 10.

[i] ad ann. 1137.

septimum

septimum refert, biennio integro immeritò anteponit. Cæterùm cùm constet eumdem Malachiam nouem annos, non amplius, superuixisse, quod Bernardus,[k] Joscelinusque[l] æquè affirmant: nec dubium sit ad Superos translatum anno millesimo centesimo quadragesimo octauo, quod ipsemet Baronius[m] etiam fatetur, fit vt non anno millesimo centesimo trigesimo septimo, sed millesimo centesimo trigesimo nono Vrbem adierit, hoc est, nouennio ante eius felicem obitum.

k. ubi suprà.

m ann. 1148.

1. Bernardus Pater Malachiæ obuius: 2. & Malachias Claramvallam visitans, & admirans, Monachum induit, 3. quod tunc in vsu, à Gratianopolitano factum, 4. atque item ab Hugone Turonensi, 5. & alius: 6. præcipuè in Cistercio. 7. Quid sanctus Ludouicus Tolosanus. 8. Malachiæ Monachatus, 9. non vsquam vsque ad mortem dimittendus.

CAPVT VI.

1. AN fuerit reuelatus Malachiæ aduentus Bernardo? in dubio est: nec credendus accepisse minus à Sicaro, causa coniunctior, nec meritis inferior. Constat Sanctum processisse obuiam Sancto, & Pontifici Galliam peragranti occurrisse Abbatem, eumdem pòst hospitio susceptutum. Quod vt expressum in actis non habeamus, satis subindicant eiusdem Bernardi verba, suum ad Malachiam tradentia priùs, mox Malachiæ aduentum ad Claramvallem. [a] *Mihi quoque (ait) in via hoc datum est videre virum, & in eius visu, & verbo refectus sum, & delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Et ego vicissim, peccator licèt, inueni gratiam in oculis eius extunc, & deinceps vsque ad obitum ipsius, sicut in proœmio præfatus sum. Ipse etiam dignatus est diuertere ad Claramvallem, & visis fratribus compunctus est, & illi non mediocriter ædificati in præsentia, & sermone eius.* Hactenus Sanctus, non obscurè subindicans Malachiam ab eo præuentum in hoc obsequio.

a cap. 10.

2. Iam Malachias de Bernardo Patre multa, multa de Claravalle partim audierat, partim legerat, partim etiam per spiritum cognouerat, quippe vtriusque fama satis celebris, frequentes Malachiæ reuelationes, & Bernardi scripta per orbem diuulgabantur. At postquam coram vtrumque expertus est, elinguem famam contra proprium morem, libros ex more inanimes inueniens, quæ per speculū priùs, & in ænigmate, tunc facie ad faciem ostensa, admirabatur. Et subit animum Bernardi Patris epistola ad Alexandrum Lincolniensem in Anglia Præsulem, de Claravalle inter alia ita dicentis. [b] *Si scire vultis, Claravallis ipsa est Hierusalem, ei quæ in cælis est tota mentis deuotione, & conuersationis imitatione, & cognatione quadam spiritus sociata*, &c. Et vere, inquit, visio pacis hæc, verè imago cœlestis Hierosolymæ. Tum ad Bernardum Reginæ Saba verba. [c] *Maior est sanctitas tua, quàm rumor, quem audiui, & beati filij tui, qui audiunt sapientiam tuam.* Hæc Malachias, animo concipiens, vt verbis tacuerit, factis manifestauit. Monachus Claræuallis effectus est, si permittatur, ibidem permansurus, sin minus habitu, & moribus victurus, ad normam fratrum.

b epist. 44.

c 3. Reg. c. 10.

3. Frequens id, & receptum illis temporibus, vt Episcopi Monachos induerent, dignitate retenta, non secus ac retento Monachatu, Monachi ad Pontificium protrahuntur. Sic sanctos Thomam, Edmundumque, vtrumque Cantuariensem in Pontigniaco: sic venerabilem Didacum de Acobes, Oxomensem Cistercij, sic plures alios Annales manifestabunt. Verùm ne lector hæreat in his omnibus, & vt cæteris viam patefaciamus, in Malachia, non abs re erit breuiter ostendere, vsurpatum id multis extra Cistercium, queis, vt prohibitum Pontificem exuere, sine licentia sedis Apostolicæ, sic professio Monastica permissa, & viris magnis in vsu non semel fuit. Vnus pro mille, illius sæculi lumen, Gratianopolitanus Hugo, qui post biennium sui Pontificatus, in Casa Dei Cluniacensibus addictus, Episcopatui Monachismum superaddidit. Audi Guigonem scriptorem vitæ ipsius. [d] *Contemplans itaque suam vel ætatem, vel morum imperfectionem, in quam præcipuè vsque ad mortem mentis oculos internos & ipse habuit, & alios habere persuasit, & suscepti pondus officij (pastoralis nimirum) necdum duobus post consecrationem expletis annis, contemptis omnibus, Casæ Dei Ordinis Cluniacensis factus est Monachus. Ibi quippe maius tunc paupertatis, & humilitatis studium visebatur, vbi Sanctorum, quorum ibidem aderat copia virorum, succensus exemplis, eosque suis, quamuis nouitius, non minus ipse succendens, annum fecit cum cæteris bonis, tum præcipuè humilitate, cuius præ cunctis virtutibus sectator extitit, indefessus æmulator.* Ne autem putemus sic omnia contempsisse, vt Episcopatu etiam se abdicauerit, subiungit. *Post hoc, cogente, qui se consecrauerat, memoratæ sedis Apostolicæ Præsule, Gregorio septimo, ad Episcopatum à Monasterio, quo feruens intrauerat, feruentior reuersus est, ex vnius anni studiis tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturna vitæ laboribus vix assolent nudri.* Hactenus de Gratianopolitano Hugone Guigo.

d apud Sur. April. 2. §. 7.

Cui alterum Hugonem superaddam Turonensem Pontificem, Monachum in Monasterio Charitatis: nec tamen ideo impeditum, detentumvè, quominus ab Ecclesia sua repeteretur. Extat epistola Petri venerabilis ad Innocentium per hoc tempus scripta de eius reditu, cuius fragmentum non pigeat hîc transcribere. [e] *Dominus Hugo Turonensis Archiepiscopus festinans adire maiestatis vestræ præsentiam, in ipso deuotionis suæ itinere apud Charitatem morbo correptus est. quo ingrauescente, cum iam de vita desperare cogeretur, Monachicum ibidem indumentum suscepit, & per manum Prioris nostri de Charitate religionis habitu suscepto, Cluniacensis Monachus effectus est. Quod Turonensis Ecclesia audiens, & ne hac occasione pastoralem curam relinquere vellet, formidans, dominum Petrum Archidiaconum, dominumque Hugonem Nucerienſem Abbatem cum aliis ad eum direxit, & vt ad ouile suum pastor rediret, omni studio, tota diligentia, summis precibus rogare curauit. Noluit ille, nec multorum, & magnorum virorum precibus reditum persuadentibus acquieuit. Instantibus illis, nec à cœptis precibus vllo modo desistere volentibus, hoc tantùm respondit, nihil se horum prius facturum, quàm res vobis innotesceret, & à paternitate vestra quod sibi faciendum esset, audiret. Supplicat ergo, quantum potest, nobilis illa, & magna Turonensis Ecclesia, supplicamus & nos, rogat, & quod longè præstantius est, ipsa vt nobis videtur iustitia, quærimus patrem ad filios, pastorem ad oues, Prælatum ad subditos,*

4.

e l. 4 epist. 10.

sublimitas

sublimitas vestra, cui omnium Ecclesiarum solicitudo à Deo commissa est, redire persuadeat, & si sponte noluerit, etiam inuitum redire compellat. Hactenus Petrus.

5. Qui etiam sub epistolæ finem in Regularibus Canonicis id neque semel factum, quasi ad exemplar trahens, ita subiungit. *Placuit sanctitati vestræ in quibusdam aliis, quos nominare possem, Episcopis, quòd de communi Clericorum vestitu, ad Canonicalem habitum transierunt, placeat, & placebit, vt credo, quod magnus Turonensis Archiepiscopus ad humilem Monachorum habitum se conuertit, & sic habitum, & vitam in melius commutando, Pontificali dignitati nihil melius detraxit.* Ita Petrus Mauritius ad Innocentium. Extat epistola decretalis Honorij tertij, post centum ferme annos, ad populum, & Clerum Caseliensem cùm Dauidi Archiepiscopo, ob Monachalem habitum susceptum, obedientiam renuerint exhibere, quasi, qui simul exuisset Pontificatum, in qua ita concludit. *Cùm igitur Monachalis habitus, & Pontificalis non repugnent, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus occasione huiusmodi non obstante, præfato Archiepiscopo reuerentiam, & obedientiam consuetam humiliter impendatis,* &c. Sed de his tertio tomo. Illustrius adhuc exemplum, licèt antiquius, de Brunone Signiensi, qui cùm Casinum ægrotus adiisset, velut ibidem sospitatem recepturus, suscepto habitu, Monachum priùs egit, & mox Abbatem, non abdicata Pontificia dignitate. Atque huius generis mille alia exempla suppetunt. quibus clare videas, & Archiepiscopos Monachos effectos, non minus ideo repeti à suis, ex iustitia reddendos, & religiosi susceptionem habitus, ab Episcopis passim vsurpatam, nec Monastici tantùm, sed Canonici, vt nulla tunc congregatio reperiretur, in qua non frequens id, & familiare.

ann. 6. epist. 25.

ex Pet. Diac. lib. 4. cap. 33.

6. Nec verò vacuum, aut vmbram tantùm, vt aiunt, sine re præferés, cùm apud omnes Doctores compertum sit, Religiosos adsumptos ad Pontificium teneri votis, & obseruantiis regularibus, quæ non impediunt pastoralis officij solitudinem. Quod inter nostros adeò sacrû fuit, vt leges pro Episcopis ferrentur (quod supra vidimus) quibus seipsos per omnia conformarent. Vnde etiam videas, egregium illud Hispaniæ nostræ sidus, Didacum de Acebes, Oxomensem Episcopum beati Dominici præceptorem, aut præcursorem, cùm Monachum induisset in Cistercio, non solùm habitum, sed & Monachos inde deduxisse, per quos legés, & nouæ professionis normam instrueretur, testante Theodorico de Apoldia Dominicano, eius æui scriptore fidelissimo. [f] *Reuersus (ait) Cisterciense Cœnobium imuisit, vbi multorum seruorum Dei sancta conuersatione, & religionis sublimitate illectus, habitum Monasticum accepit. Atque inde Monachos aliquot secum abduxit, a quibus disceret mores illius instituti, & Ordinis disciplinam.* Hactenus ille. Quibus sanè nil clarius dici potuit, nihil expressius.

f in vit. S. Domin. apud Surium.

7. Sed neque puto diuersam fuisse mentem sancti Ludouici, cùm renunciatus Tolosanus Pontifex, nequaquam consensit, quoad vsque Ordinem minorum profiteretur, atque eadem sic vtrumque factus est, Episcopus, & Monachus. Audi Pontificem Ioannem XXII. in bulla canonizationis illius ita loquentem. [g] *Suadenti felicis recordationis Papa Bonifacio prædecessori nostro, quòd assensum præberet prouisioni de se factæ Ecclesiæ Tolosanæ, nullatenus consensit, quo ad vsque votum, quod fecerat, compleuisset. Cuius deuotioni annuente prædecessore nostro prædicto, habitum dicti Ordinis (idest, sancti Francisci) suscipiens, in præsentia bonæ memoriæ Ioannis Episcopi Portuensis, tunc eiusdem Ordinis generalis ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus eius fecit; sicque prouisioni prædictæ, suum præbendo assensum, mandatis Apostolicis obediuit.* Hactenus Pôtifex de beato Ludouico, post electionem Monacho, atque eodem tempore professo, & consecrando. Mitto, quæ suppetunt, plura alia exêpla, atque eo frequentiora, quo antiquiora.

g apud Sur. Aug. 19.

Igitur Malachias & moris gnarus, & Claræuallis cupidus, communicato cum Bernardo Patre consilio, mox eodem donante, habitum induit: si concedatur, perpetuò permansurus in Claravalle, sin minus, saltem quod integrum habebat, Claræuallensibus vbique annumerandus, & qui loco non posset, habitu, & moribus Claræuallis adhæsurus, quandiu viueret. Quin &, vt olim Monachorum, seu Clericorum, cum quibus degeret, sic Cisterciensium conuentum secum ducturus, per quem, nec meritis fraudaretur vitæ communis. Annos natus ætatis XLV. cùm Abbatem, cùm Episcopum egisset, cùm Hiberniæ Primatem, cùm Apostolum, miraculis, & meritis illustris, ipse Pater, & pastor multarumgentiû, inter oues Bernardi agnus effectus, Cisterciensem familiá illustrauit, primus Pontificû, sed quê statum complures imitarentur. 8.

Sunt, quibus placeat, distulisse vsque ad reditum, quasi Pontifici vtrumque reseruauerit, & Monachatum, & Pontificatus abiectionem. Verùm, qui vtrumque, si posset, perfecisset, nunquam, quod poterat, alteri remitteret, ei vel maxime, qui vnius indulgentia alterius posset repulsam honestare. Illud certum, quem semel induit habitum, vsque ad mortem nunquam exuisse. Quod præter viri feruorem, constantiamque, morientis etiam vestis comprobauit: [h] tunica alba, eiusdem cum Bernardi tunica materiæ, formæque, atque adeò similis, vt commutata, à nullo aduerteretur: ignorata vsque hodie commutatione, ni idem Sanctus post mortem reuelasset. Sed de his suo loco. Nunc Malachiam indutum candida veste, atque ad Pontificem Romam properantem, Bernardi Patris verbis dimittamus. [i] *Et accepeans (ait) locum, & nos (haud dubium quin Claramuallam simul & Ordinem) atque intimis visceribus colligens, valedixit nobis, & abiit.* Abiit, inquam, hoc anno rediturus, Claramvallem, Cisterciumque suspirans. Sed satis nunc itineris emensum cum Malachia: nos abeuntem paulum deseramus, quo cæteros huius anni euentus commemoremus. 9.

h lib. 5. vit. S. Bern. cap. 3.

i Bern. in vit. c. 10.

---

1. Conradus Imperator Bernardo scribit. 2. Depositio Cardinalium Anacleti, 3. & inter eos Philippi Tharentini Episcopi, qui Monachus est factus in Claravalle. 4. Intercessio Bernardi pro Petro Pisano, 5. impetrasse credenda. 6. Rogerius tunc primùm Rex à Sancto consalutatus, 7. Monachos petit, 8. qui statim transmisit, 9. nec non & alij, 10. pro quibus Sanctus orat. 11. Dubium quænam priora ista Cœnobia.

CAPVT VII.

1. LOthario Imperatori sub finem præcedentis anni per mortem rapto successit Conradus, eiusdem olim æmulus, mox per Bernardum Patrem reconciliatus. Verùm tenacior amissi tunc imperij,

imperij, quàm acquisitæ gratiæ, pro more sæculi, nec pristinæ iacturæ oblitus, præsenti gloria, litteras statim ad eumdem Sanctum scripsit, querulas, quod Lothario fauisset aduersùs ipsum. At plenas gratiæ, reuereotiæque, atque in mediis querelis satis amicas. Ad has Bernardus breuiter respondit
a epist. 183. in hunc tenorem. [a] *Scripta vestra, & salutationes tam deuotus suscipio, quàm modicus sum ad illa. Modicus dixerim dignitate, sed non deuotione. Querimonia Regis nostra sum, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de inuasione imperij. Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui: volentes odit anima mea.*
b Rom. 13. c ibidem. *Legi quippe:* [b] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [c] *Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summa, & Apostolicæ sedi, & beati Petri vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio. Sunt quæ non putaui scribenda: præsens ea fortassis opportuniùs intimarem.* Hæc ad Conradum: à quo tamen, querela non obstante, semper suspectus, semper reueritus, quod ipsa historiæ series manifestabit.

2. Eodem anno celebrato Concilio Romæ, quod mille Prælatorum extitisse auctores tradunt, Rogerius, fautoresque, & quæcumque reliquiæ Petri Leonis anathemati denuo subiiciuntur, cuncta ipsius decreta, & facta abolita, & Cardinales ad Ordinem redacti. De Concilio hæc Otho Frisingen-
d in Chron. lib. 7. cap. 23. sis. [d] *Proxima media quadragesima Synodus maxima circiter mille Episcoporum, præsidente Romæ Summo Pontifice Innocentio, celebratur, ibique post multa salutifera decreta promulgata, schismatici, qui parti Petri Leonis fauerant, damnantur.* Extant huius Concilij acta apud Baronium, & Seuerinum Vinium hoc ipso anno. Verùm de Cardinalium depositione hæc in eisdem actis decreto vltimo. *Ad hæc ordinationes factas à Petro Leonis, & aliis schismaticis, & hæreticis euacuamus, & irritas censemus.*

3. Cum Cardinalibus depositi Episcopi, atque inter alios Philippus Tarentinus, siue quòd fautor, siue quia promotus ab Anacleto. Constat virum constanti tulisse animo, cùm à Pontificali sede, quin & à sacrorum Ordinum vsu deiiceretur: nec fortunæ ludibrium vltrà futurus, Claramvallem adiisse, in Monachum recipiendum à sancto Patre. Receptus, sanctam ibi vitam degit, Bernardo charus pro sua religione, atque ob Bernardum dispensatus à Pontifice (ea seueritas erat illius temporis) vt in diaconatus officio ministraret. De eo in catalogo Priorum Claræuallis (nam & ipse sub Bernardo Patre, atque eius successore Roberto Prior
e apud Henr. in fascicul. fuit [e].) *Philippus, qui fuerat Episcopus Tarentinus, & tempore schismatis degradatus, venit ad Claramvallem, cui de misericordia concessum est esse in officio Diaconi*, &c. Hæc ibi. Qualiter autem à beato Patre Bernardo factus sit Prior, post Godefridum de Perona, Rainerumque, suo loco dicemus.

4. Igitur cunctis gradu suo deiectis, Petrus Pisanus inter alios pulsus, quem Bernardus Ecclesiæ, quem dudum Innocentio reconciliauerat. At sanctus Pater præceptis Christi monitus, admittendam pœnitentiam quamtumuis seram, seu sibi ipsi putans interesse, quem reuocauerat indemnem conseruare, semel & iterum Innocentio Papæ scripsit, quo purpura insigni viro, iam ad Ecclesiam educto, restitueretur. Priores litteræ perierunt iniuria temporum, posteriorum exempla ecce
f epist. 213. ce subiungo. [f] *Quis mihi faciet iustitiam de vobis? Si haberem iudicem, ad quem vos trahere possem, iam nunc ostenderem vobis (vt parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Christi, sed absit, vt ad illud appellem vos, qui illic, si verbis necessarium, & mihi possibile esset, vellem magis totis viribus insistere, & respondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est iudicare de vniuersis, hoc est, ad vos. Vos appello ad vos: vos iudicate inter me, & vos. In quo, quæso, puer vester tam malè meruit de vestra paternitate, vt eum inurere, & insignire placeret nota, & nomine proditoris? Nunquid non me vestrum vicarium dignatio vestra constituit in reconciliatione Petri Pisani, si fortè illum Deus per me reuocare à fæce schismatis dignaretur? Si negatis, probabo tot testibus, quot in curia tunc temporis fuerunt. Nunquid non denique post hæc iuxta verbum Domini mei homo in suo ordine, & honore receptus est. Quis nam ergo constantia vestra suo consilio, vel magis suo dolo subripuit indulta repetere, & quæ processere de labiis vestris, facere irrita? Et hoc ego dixerim, non vt Apostolicum reprehendam rigorem, & zelum igne Dei succensum contra schismaticos, qui in spiritu vehementi conteras naues Tharsis, & instar Phinees confodias fornicantes, iuxta illud:* [g] *Nonne* g Psalm. 138.
qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Sed vbi non est par culpa, par planè non debet procedere pœna: nec conuenit eadem inuolui sententia eum, qui peccatum, cum his, quos magis peccatum deseruit. Propter eum, qui vt peccatoribus parceret, sibi ipsi non pepercit, auferte opprobrium meum, & restituendo quem statuistis, vestra etiam tam sana, & integra opinioni consulite. Super hoc iam alia vice scripseram vobis, sed quia non est responsum mihi, puto, non peruenit ad vos hoc ipsum, quod scripseram. Hæc sanctus Pater, quibus, an obtinuerit, Cardinalis [h] h ann. 1139.
Baronius dubium relinquit. Præferrem [i] Iepium, i Cent. 7. ann. 1130. cap. 2.
qui conseruatum putat Petrum Pisanum, si depositum vsquam meminisset.

5. Ego in re dubia crediderim obtinuisse Bernardi preces, quin & Petrum Pisanum restituendum, ipso tacente, quippe Rogerio Ecclesiæ reconciliato post paucos menses, & Regio titulo, quem priùs vsurpauerat, legitimè donato per Innocentium: vt illi Regia, sic huic Cardinalitia continuanda insignia, quæ idem Petrus Leonis contulisset, nec demeruisset pœnitentia antè peracta. Extat diploma Ionocentij [k] de hoc ipso expeditum io k Bar. n. hoc ann.
vigilia sancti Iacobi: quo regnum tandem cessurum Hispaniæ Regibus, Hispaniæ Apostolus extunc auspicaretur felice omine.

6. Verùm, quia de Rogerio sermo incidit, id etiam notatione dignum occurrit, quod ante me Baronius [l] adnotauit: Bernardum Patrem, qui Princi- l eodem ann.
pem schismaticum, dudum Regem vocatum ab Anacleto, nunquam nisi tyranoum nominasset, obsequentem, & creatum ab Innocentio ex tunc iam honorasse titulo regio, atque scripsisse ad eum verbis magnificis. Certe hactenus, nunc tyrannum, nunc vsurpatorem Siculum nominatum: aut ad summum quoad legitimè obtinuerat, Ducem Apuliæ: tunc iam Regem Siciliæ consalutat.

[m] *Ad Rogerium Siciliæ Regem. Longè, latéque sa-* m epist. 207.
tis dilatata est magnificentia vestra super terram. Etenim gloria nominis vestri quos fines non attigit? Sed audite consilium diligentis vos, studete, quod in vobis est, hanc ipsam gloriam referre ad illum, à quo est, si non vultis eam perdere, aut certè perdi ab ea, &c. Nam multa sanctus Pater ad Rogerium super hoc ipso: vt constanter despiciens vsurpatorem, sic legitimum Regem veneratus, etiam submissè.

7. Hac fortasse occasione permotus Rex, seu expiandis præteritis flagitiis, quæ schismaticus per octennium commisisset, Monachos à sancto Patre Bernardo petiit, Monasterium eisdem constructurus; quin & eumdem Sanctum enixiùs rogat,

vc

vt Tinacriam dignetur sua præsentia: neu nobilissimæ insulæ negaret, quod tot prouinciis, tot regnis indulsisset. Extat epistola ad ipsum Doctoris sancti, mittentis Monachos, sed excusantis, quod ipse non deduceret. Atque ecce exemplar eius dignum Annalibus.

8. [n] *Si me quæritis, ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas inuenisse gratiam apud regiam maiestatem, ita vt quærat videre me. Et quis ego sum, vt dissimulem beneplacitum Regis? Accurro, & qui quærebat, ecce, adsum, non in præsentia corporis infirma, in qua despexit Dominum Herodes, attamen in visceribus meis. Nam quis me separabit ab his? Sequar eos, quocumque ierint, etsi habitauerint in extremis maris, non erunt absque me. Habet Rex lumen oculorum meorum, habet cor meum, & animam meam. Quid si modicum nostri abest? Corpusculum loquor, vile istud mancipium, quod etsi voluntas exponeret, sed retineret necessitas. Non valet sequi volantem animum, quoniam infirmum est, & solum penè illi superest sepulchrum. Sed quæ cura?* [o] *Anima mea in bonis demorabitur, cùm semen meum hæreditabit terram. Semen meum, semen bonum germinabit, si tamen in terram bonam ceciderit. Lætabitur, & delectabitur in crassitudine anima mea, quippe (vt confido) dabitur illi de fructu manuum suarum. Reposita* [p] *est hæc spes mea in sinu meo, vt patienter feram ab his vel corpore separari. Non mireris Rex. Ante elegissem à corpore peregrinari, quàm istos emittere, si solus causa deesset Deus. Suscipe illos tanquam aduenas, & peregrinos, veruntamen ciues Sanctorum, & domesticos Dei: parum dixi ciues, Reges sunt. Ipsorum est enim regnum cælorum, iure, & merito paupertatis. Non decet frustrà è longinquo esse vocatos, & suis sedibus exules inutili peregrinatione vagari. Putas poterunt cantare canticum Domini in terra aliena? Sed non rectè fortè dixerim alienam, quæ semine bono spontaneum expandit sinum, & pretiosum depositum iam læto in gremio pie fouere suscepit. Cecidit, vt video, cecidit granum bonum in terram bonam, & optimam: spero in Domino quòd radicabit, germinabit, multiplicabitur, & referet fructum in patientia. Porrò hunc cum Rege partibor, & vnusquisque secundum suum laborem accipiet.* Hactenus Pater sanctus pro suis filiis.

[n] epist.208.
[o] Psalm. 24.
[p] Iob 14.

9. Eisdem ne, an aliis post tempus missis præfecerit Brunonem, non satis liquet. [q] Baronio primum; secundum aliis placet, quippe prioribus magnificè susceptis, & regia munificentia dotatis, Bruno pauperibus noscitur præfectus, & pro quibus exorandus Rogerius foret. Certè diuersos Bernardus satis innuit, secunda ad eumdem Regem scripta epistola, quam non obscurè vtrosque condistinguit. Totius epistolæ exemplar hîc subiungam.

[q] ad ann. 1139.

[r] *Habetis, quod petistis, fecistis, quod promisistis. Quos in verbo vestro exposuimus, & misimus peregrinari, regia sunt liberalitate suscepti. Occurristis eis cum panibus, eduxistis eos in refrigerium,* [s] *constituistis eos super excelsam terram, vt comedant fructus agrorum, vt sugant mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum de armento, & lac de ouibus, & ficus cum medulla tritici, & sanguinem vuæ bibant meracissimum. Et hæc quidem terrena sunt, sed cælestia mercantur. Sic itur ad astra.* [t] *talibus hostiis promeretur Deus. Istorum est enim regnum cælorum, qui Regi terræ in terra viuentium reddere poterunt pro his terrenis vitam, & gloriam sempiternam. Misimus vobis Magistrum Brunonem, olim mihi per dies multos indiuiduum comitem, nunc autem patrem multarum quidem animarum lætantium in Christo, sed egentium in sæculo. Experiatur & ipse munificam manum Regis, vt augeatur numerus amicorum, qui ipsum recipiant in æterna tabernacula. Quod illi facitis, mihi facitis, quia quod illi deest, a me exigitur. At quia marsupium nostrum minus sufficiens est, ad vestrum sane quod aliquando grossius esse liquet, pauperem Christi merito destinare curaui.*

[r] epist.209.
[s] Deut. 32.
[t] Habac. 13.

Hactenus Sanctus. In qua epistola præcipuè illud perpendo, quod post relatam, gratulatamque regiam in Monachos priores munificentiam, de Brunone, & filiis subiungit velut diuersis. *Experiatur & ipse munificam manum vestram, vt augeatur numerus amicorum.* Quasi dicat: experiantur & ij, quod illi experti sunt, & ex vtrisque crescat amica manus. Ergo crediderim primis filiis stabilitis, firmatisque sub patrocinio regio, transmissos secundos, quibus Magister Bruno præsideret, & pro quibus Bernardus postularet. Nisi quis malit in priori conuentu nouum Abbatem, & indotatam adhuc à Rege domum, adeóque egentem semper nouis subsidiis. 10.

[u] Ioannes Picardus Cœnobium illud primum sanctam Mariam ad Noaram existimat, de quo Thomas Fascelus [x] de rebus Siculis. Rochos Pyrrhus Netinus Siciliæ Abbas, in his, quas nunc euulgat, notitiis Ecclesiarum eiusdem regni, cùm de Rogerio loquitur, meminit Conuentus eidem à Bernardo Patre transmissi. Postea in notitiis Ecclesiæ Panormitanæ, primò Cistercij Monachos ad sancti Spiritus Panormi locatos tradit, & refert se ad ea, quæ suprà dixerat, quasi illi essent, quos Rogerius adduxisset. Cæterùm cùm hoc idem Monasterium (quod ne ipse Abbas negat) longè post obitum Bernardi Patris cœperit, non potuit Monachos ab eo missos admittere. Ego rem dubiam non ausim diffinire, eo vel maximè, quòd Claræuallis tabulæ nullum recensentur in Sicilia constructum per hæc tempora: sed neque in tota Rogerij ditione, quod satis mirum, & nisi reclamarent Bernardi litteræ, in dubium ea proles reuocaretur. Verùm emissam, transmissamque ad Rogerium, compertum est. Quin & eumdem Regem aliàs dyscolum, extunc velut mutatum in virum alterum, ex truci mitem, ex impio religiosum, ex prædone munificum effectum, Cardinalis Baronius Cistercio tribuit, quasi nouo Sanctorum contubernio, monitisque, & exemplis, virtutes hauserit, quibus præterita vitia velut obtegeret. [y] *Profecit*, inquit, *ex his planè Rogerius*, (nempe ex consortio Cisterciensium Monachorum) *adeò vt magnoperè à Petro Cluniacensi meruerit commendari*, [z] *epistola ad eum scripta, sed citra omnem adulationem, vt ipse testatur, quam hic ex parte recitandam putamus, vt eius, cuius plurima retulimus mala, bona etiam à sanctis viris decantata in medium afferamus.* Pergit Baronius epistolam transcribere Rogerij, Regis encomia continentem, scilicet illa, quæ meruit ab hoc tempore, priorum scelerum, vt non hostimenta, saltim velamina. 11.

[u] in not. ad epist.208.
[y] hoc anno.
[z] lib. 5. epist. 13.

1. Salmantinus Episcopus depositus Bernardum visitat. 2. Epistola Sancti pro eodem ad Innocentium, 3. frustrata fructu per accelerationem Imperatoris. 4. Alberici Bituricensis mors, sepulchrum. 5. Sanctus Hugo ex Miratorio translatus ad Luancellum, 6. eadem perfectione, & sanctimonia vita perseuerante. 7. Mors Simonis, 8. & legatio Fulconis Regis ad Innocentium.

CAPVT VIII.

1. PEr idem tempus ne, qui externa quærimus, concernentia domestica omittamus, laborante Salmantina Ecclesia diuturno schismate, & tricipiti, dubium, an acephala, imò acephala ideo, quia tricipiti, Petrum Episcopum (nam verè is possidebat) audiendum Innocentius ad se vocauerat, de electionis valore, de personæ meritis, sufficientiaque (nam omnia inculcabantur) iudicaturus. Auditum per sententiam tandem amouit, neutri ex æmulis causa adiudicata, quippe alter Metropolitæ Compostellani, alter Imperatoris Alfonsi fauore nixi, communem hostem facilius peruicere, quàm alter alterum. Sed & electio ad Clerum deuoluta pro more temporis electorum suffragia præstolabatur. Tum verò Petrus spoliatus ab Vrbe rediens, primùm Cluniacum, mox Claramvallem adiit (is honor Monachatui sub Innocentio) fauorem, an solatium consequuturus. Inde non minas, odiave in æmulos, non in Curiam Romanam probra, aut querelas, vt moris est damnatis, repræsentabat: quin propriis meritis, & diuino iudicio cuncta adscribens, accusatores plures excusare, aliis ignoscere, nihil aduersùs pacem Ecclesiæ viduæ, nihil aduersùs æmulos moliri, non veritatem peruertere per fraudem, non per silentium: denique sola proprij infortunij relatione, dolorem mitigabat, dum effundebat.

2. Ergo Bernardus, quo erat compatiens animo, sed nihilominus vindex iustitiæ rigidus, has inter compassionem, zelumque ad Innocentium pro eo litteras dedit.

a epist. 212. [a] *Vir illustris Salmanticensis quondam Episcopus rediens ab Vrbe, non pigritauit diuertere ad puerum vestrum, & auxilium ab homunculo flagitare non despexit. Quo audito, recordatus sum prophetiæ, dicentis:* [b]

b Esa. 40. *Montes, & colles coram Deo humiliabuntur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Sic vos ludere nostis, alta comprimere, sedare tumentia, & enormia redigere in mensuram. Verumtamen cùm tragœdiæ suæ historiam in auribus meis homo seriatim exposuisset, laudaui iudicem, iudicium approbaui, sed dico vobis, compassus sum iudicato. Sic quippe per totam suam lachrymosam illam orationem conclusit, tanquam in calce ipsius diceret cum Propheta:* [c] *Exaltatus*

c Psalm. 87. *autem humiliatus sum, & conturbatus, quia eleuans allisisti me. Cumque memorarer iustitiæ vestræ, & virilis animi, quem sciebam, cœpi tamen simul cogitare diuitias miserationum vestrarum, quas in plurimis expertus sum, & dixi: Quis scit an conuertatur, & ignoscat Dominus, & relinquat post se benedictionem? Certè, inquam, in omnibus, & per omnia instructus est, & emulari, & ignoscere, & debellare superbos, & parcere nihilominus subiectis, nisi quòd Magistrum sequens, etiam consueuit misericordiam superexaltare iudicio. Et acquieui solita illa mea præsumptione loqui ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis. Et ministrabat materiam spei, preci fiduciam, pietati rationem, quod aduerterem hominem non (vt adsolet) versum in furorem cum indignatione recedere, & repetere natale solum, moliri scandala, tentare seditiones: sed dedit locum iræ, & induit spiritum mansuetudinis, & declinauit ad vestros Cluniacenses, & inclinauit se humilium genibus: humilium precibus communiuit, armis potentibus à Deo. His telis statuit aduersùm vos dimicare, & rigoris murum oppositum sibi talibus, vt iactat, pietatis machinis labefactare conabitur. Confidit autem quòd respicietis in orationem humilium, nec spernetis preces eorum, & vincet pietas, quem tremunt potestates. Ego quoque securus cum talibus tendo manus, flecto genua, supplico pro supplici, audacter pronuncians debere misero suam prodesse humilitatem, cui adeò insolentia sua nocuit, nec decere virtutem vinci à vitio in retributione.* Hactenus Sanctus, satisfaciens supplicis voto, nec deuians à iustitiæ rectitudine. Et obtinuissent fortasse discretæ preces, si non Toletanus, Zamorensis, & Segouiensis Præsules, missi ab Imperatore, Berengerij electionem accelerassent, viri alias magni, & quo Hispani Imperij Cancellario vtebatur Alfonsus, à multo tempore. Extat vtriusque euentus monumentum satis insigne, epistola Salmantini Cleri, & populi, ad Metropolitam scripta Compostellanum, quin & aliæ complures supra hoc ipso, in MS. Compostellana historia, quam sancti Saluatoris Ouetensis perillustre Collegium, ex sua satis referta Bibliotheca communicauit. Atque ecce exemplar.

Reuerendissimo domino nostro, domino Compostellano Archiepiscopo, Clerici Salmanticenses, & populus, salutem. Ne vestram lateat, quomodo fecimus, prouidentiam, vobis notificare rectum esse duximus, nos dominum Berengarium Archidiaconum, & Imperatoris Cancellarium elegisse iustè, & canonicè, quem nobis Imperator misit cum Toletano Archiepiscopo, & duobus Episcopis Segouiensi, & Zamorensi. Istud autem idcirco fecimus, quoniam ille Petrus de electione sua minimè confidere ausus, defecerit: tum denique Ecclesiæ regendæ inutilem prorsus esse cognouimus. In electione Berengarij omnes fuimus concordes, & Toletano Archiepiscopo, & Imperatori illum petiuimus, quem concessum nobis tradiderunt. Sed quia Comitis Petri Lupi timore tunc ausi non fuimus, modò miserante diuina pietate perfecimus. Hunc igitur vestri mittimus paternitati, quatenus ipsum benignè suscipiendo, honoretis, & consecretis. Valete. In eumdem tenorem scripsere etiam Archiepiscopus Toletanus, & Imperator; quin & ipse Berengarius recèns electus: quas duas vltimas Salmantina [d] historia transcripsit, priorem cur omiserit ignoro, dignam non minus auctore, quàm stylo, vt cum aliis in publicum prodiret. Sed de his alij, nunc ad alios euentus transeamus. 3.

d Lib. 2. c. 21.

Albericus Bituricensis Archiepiscopus de Cistercio assumptus, cuius suprà meminimus, vir scientia litterarum, atque consilij prudentia clarissimus, vt [e] Robertus, Vincentiusque loquuntur, feliciter in Domino obdormiuit, cùm sedisset annos duos, & menses nouem, quod Ioannes Cheno [f] tempus illi præfigit, in Catalogo Archiepiscoporum Bituricensium: qui etiam de sepulchro 4.

e in Chronic. hoc anno.

f in Specul. lib. 78. c. 14.

g ad ann. 1136.

sepulchro viri hæc subdit. g *Iacet eius corpus ante maius altare insignis Basilicæ Monasterij Loci Regij (quod anno salutis M. CXXIX. intra eamdem Bituricensem diœcesim erectum, superiùs diximus) in eius tumulo hoc Epitaphium inscriptum est:*

Hîc Albericus requiescit, Bituricorum
Primas magnificus, modò maior in arce polorũ.

Porrò autem ex verbis huius tituli, opinio sanctitatis viri facilè constat, pro quo non preces fundendæ memorantur, neque in dubio corona, siue, vt dici consueuit, piè credenda: sed quasi certò obtenta recensetur, ipso in regno polorum constituto, quod nusquam legas dictum, nisi de Sanctis. Vacauit sedes ab Alberici morte mensibus quindecim, post quos Petrus à Castra (sic viro nomen) sacratus à Pontifice, atque inconsulto Rege in Gallias missus, longi, & ingentis incendij occasio fuit, cui extinguendo, quid contulerit Bernardus, dicam in tempore.

5. Crescebat interim sanctitate, simul & fama recèns in Miratorio conuersus beatus Hugo, cuius anno præcedente meminimus, & quò viribus corporis debilior, eò spiritu fortior, robustiorque, in magnam de se spem cunctos inducere, nec minora exhibere comperiebatur. Tum verò venerabilis Burno de Buirone, qui Liuncello præerat, tenellæ adhuc, & vix bienni domui, cùm esset iuueni sanguine coniunctus, ad se transmitti enixè solicitauit. Miratorium adultam iam Ecclesiam, & sanctissimis viris abundantem, supplendæ aliarum penuriæ penè adactam: nec desideraturam vnicum iuuenem, cui tot viri prouecti relinquerentur: & quid minus tyrone petendum foret, quo vel inuiti possent defraudari, Liuncellum egentem, & absque liberis, vel illo solo partu nobilitandam, Monasteria non parietibus, non muris, non ædificiis, constare, sed personis; quibus si semel clarescere incipiant, non de facili valeant obscurari. Miratorienses non ideo minus claros, Liuncellanos clarissimos futuros, si solus illis Hugo concedatur, genere, indole, moribus, prudentia vel vniuersum Cistercium illustraturus, & sibi iuuenem sanguine coniunctum, spiritu deberi coniungendum; vt gratia non euertens naturam, sed perficiens, naturæ vinculum fulciat, non dissoluat. h *Ergo* (ait auctor vitæ sancti pueri) *dominus Burno de Buirone factus primus Abbas Liuncelli, sanctum Hugonem ad se venire fecit, & in domo Liuncelli secum manere: super hoc Abbati suo preces deuotas porrigens, quia sibi erat genere propinquus.* Crediderim faciliorem fuisse transitum intra eamdem lineam, nempe Cistercij. Nam Miratorij filia duodecima, Liuncellum, vt suprà dicebamus, quarta ex Bonavalle Cistercij nepris fuit.

h in vit. S. Hugon. Bonavallens. cap. 6.

Cæterùm vitam, & mores eiusdem Sancti ad Liuncellum translati, & quem non animum mutauerit cum loco, idem qui suprà auctor pergit scribere. *Ibi verò* (ait) *id est, in Liuncello sanctus Hugo nullatenus mutauit, nec diminuit sanctum propositum: sed sobriè, & castè, & piè viuendo, contra carnem, contra mundum, contra Diabolum, velut fortis athleta, viriliter dimicabat. Cumque in sanctis operibus, & conuersatione laudabiles annos pueritiæ peregisset, & iam ad viriles peruenisset, quanto ætate vigebat, tanto Christi seruitio districtiùs mancipabatur.* Hæc ille. Qualiter autem in melius semper crescens, proficiensque, Liuncelli primùm, mox Bonævallis Abbas renunciatus, vberes in vtraque Ecclesia, imò in vniuersali, & Romana, fructus protulerit, suis temporibus, & locis describemus. 6.

Hoc ipso anno Simon Lotharingiæ Dux, cùm eamdem prouinciam per quatuor & viginti annos, nec sine laude, & fructu gubernasset, die quarta decima Ianuarij mortuus est: atque in Monasterio Belli prati sepultus, quod ipse ante quinquennium, vt vult Claudius i, iuxta Miræum k, Comes Meldensis ædificauerat. Vxor eius Alcidis, Lotharij Imperatoris soror, (quantum ex tempore licet coniectari) ipsa est, cui Bernardus l scripsit, cuique per m quietem antea visus fuerat septem serpentes ab ore eius extrahere: ingentis gloriæ fœmina, & quæ leuioris iuuentutis maculas, multis, ac claris compensauit virtutum cumulis, de qua nos suprà, & plura inferiùs dabimus. Susceperat ex eadem Simon Matthæum filium, in Lotharingiæ imperio successurum. 7.

i in Gall. Christ.
k in Chronic. Cister.
l epist. 120.
m lib. 1. vitæ S. P. cap. 14.

Eodem item, Fulco Hierosolymorum Rex, vrgentibus barbaris, Legatos destinasse fertur ad Innocentium, Andream militem, auunculum Bernardi, Gundemarumque, petituros auxilia Christianorum, & regulæ à Bernardo sibi olim præscriptæ, nam vterque ex militia Templi erat, confirmationem, directos porrò ad eumdem sanctum Patrem, quasi eius interuentu impetraturos quæcumque poscerent. Extat n epistola Regis ad Bernardum Lusitana ex Latina, vtrumque efflagitans, sed quæ dum non confirmationem antè traditæ regulæ, sed traditionem petiit, quasi ea tunc primum condenda foret, minus callenter ex Latino versa videtur, quod miror eumdem Britum prætериisse. Confirmationem impetrasse compertum est, cætera in longum protracta de more curiæ, & peragenda quidem per Bernardum, sed post septennium, idque sub eius discipulo Eugenio, vt suo loco videbimus. 8.

n apud Brit. lib. 2. cap. 27.

1. *Malachias Romam pertingens ad Innocentium.* 2. *Prohibetur abdicatione Episcopatus,* 3. *firmatis sedibus, & palliis repromissis.* 4. *Muneribus prosequutus à Pontifice,* 5. *Claramvallem rediit, vbi & probandos comites relinquit,* 6. *discedit.* 7. *Sanat in via filium Dauidis Regis;* 8. *deinde mutam, & phreneticam mulieres.* 9. *Lapasperi benedicit cœmeterium,* 10. *in quo frequentia miracula patrantur.*

CAPVT IX.

1. ÆGrè à Claravallensibus auulsus, nec auellendus fortè, nisi spe reditus, transcensis Alpibus, Italiam ingressus est. In cuius limine, dum hospiti suo moriturum filium seruat, miraculo prouinciam consecrauit. a *Cùm venisset Iporiam* (ait Bernardus) *ciuitatem Italiæ, hospitis sui paruulum filium, qui malè habens, moriturus erat, continuò sanauit.* Mox Romam pergens, honorificè susceptus ab Innocentio, seu fama iam, seu Bernardi Patris litteris, hominis sanctitatem veneraretur. Interfuerit ne Concilio generali, non satis liquet: sicut neque an Curiam ingressus sit ante, vel post Rogerium reconciliatum. Illud certum, inuenisse Romæ Pontificem, & mensem integrum ibidem peregisse, locis sanctis lustrandis, colendisque, & negotiis tractandis cum Innocentio.

a cap. 10.

2. Cæterùm quale primum negotium fuerit, & quàm ardenter illud exoptauerit, Bernardi Patris verbis præstat describere. b cap. 20. [b] *Et primò quidem Malachias, quod altiùs infixerat animo, cum multis lachrymis implorabat, licere sibi viuere, & mori in Claravalle, permissu, & benedictione Pontificis. Et petiit hoc non oblitus, ad quod venerat, sed affectus, quo venerat desiderio Claraevallis.* quippe Sanctus, quod potuit, exequutus, quod minus poterat, ardenter efflagitabat. Præualuit tamen publica vtilitas, & totius regni Hiberniæ commune commodum, quibuscumque priuatis præferendum. Et Claravallis faciliùs videbatur transferenda in Hiberniam, transmissis Monachis, quàm Malachiæ Hibernia caritura.

3. Tum desperato hoc primum desiderio, actum de reliquis, quæ virum Dei adduxerant, & petenti confirmari nouam Metropolim, atque vtriusque sedis pallia sibi concedi, confirmationis gratia c ibidem. mox indulta. [c] *De palliis autem oportet, ait Summus Pontifex, solennius agi. Conuocatis Episcopis, & Clericis, & maioribus terræ, celebrabitis generale Concilium, & sic conniuentia, & communi voto vniuersorum, per honestas personas requiretis pallium, & dabitur vobis.*

4. Verùm vt quædam pro maiori Hiberniæ bono, & pallij reuerentia, negata, dilatave, sic vel leuis repulsæ honestamento addita plura. Legatus per prouinciam constitutus, viuente adhuc Gileberto, sed imbecilli præ senio, morbisque, & iam dudum petente successorem. Additus honor forsan sine exemplo, sed non sine mysterio, non sine causa. Malachiam Innocentius dimissu- d Bernard. in vita S. Malachiæ c. 16. rus, [d] *tollens mitram de capite suo, imposuit capiti eius: sed & stolam cum manipulo dedit illi, quibus vti inter offerendum solebat, & salutatum in osculo pacis, dimisit eum Apostolica fultum benedictione, & auctoritate.* e an. 1137. Notat Baronius, [e] antiqui moris fuisse, Romanos Pontifices non nisi mitratos ad audientiam admittere, ipsis Pontificalibus insigniis, cæteros reuerentiæ, & subiectionis, seipsos pastoralis officij, atque affectus paterni in filios commonituros. Ast Innocentius dum mitram sibi detrahit, quam Malachiæ capiti imponat, ipsum inter Ecclesiæ Patres viuentem numerat, & cunctis reuerendum proponit, vel sibi ipsi.

5. His fauoribus Sanctus honestatus, Claramvallem reuertitur, socios pro se ibidem relicturos, qui Bernardi præceptis eruditi, Claramvallem ad ipsum reportarent: docendus ipse ab eis Ordinis mores, si quos in transitu haurire non potuisset. Vt ipse Malachias relictis sociis, quod Didacus Oxoniensis assumptis Monachis, perfecturus appareat. Nisi quòd ille sibi tantùm f in vit. S. Malach. c. 11. Cistercium voluit exortem fieri. [f] *Itaque* (& hic etiam assumo Bernardi verba) *alta suspiria trahens, quòd non liceret sibi pro suo desiderio remanere in Claravalle; hos, inquit, interim pro me oro, vt retineatis, qui a vobis discant, quòd nos postmodum doceant. Et intulit: erunt nobis in semen, & in semine isto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum autem non viderunt: & dimissis quatuor à latere suo, abiit; qui probati, & digni inuenti, Monachi facti sunt.* Sic Malachiæ, quod Eboraci Sacerdos prophetauerat, paucos sociorum cum ipso repatriaturos, impletum feliciter, quippe his quatuor relictis in Claravalle: dimissis tamen ad tempus, non amissis, & cum vsura restituendis, sibi, & patriæ.

Tum verò cunctis ex alto lachrymantibus, Malachia, & Bernardo, quia se inuicem, illo, quia filios etiam, quia nouos fratres, quia locum ipsum dilectum destitueret: Claræuallensibus, ex discessu Malachiæ, quem solum amittendum acquisiuissent: quominus siue vltroneus remaneret, vel inuitus ab eis detineretur, solius Dei obsequium in causa fuit. Discessit tamen gaudens inter lachrymas, seu quòd seipsum offerret in holocaustum, seu iam in discessu præsagus futuri reditus. Nos abeuntem, atque miraculis vbique coruscantem fidentiùs, quo sublimiùs prosequamur verbis. 6.

[g] *Malachias* (ait) *profectus à nobis, prosperè peruenit Scotiam, & inuenit Dauid Regem, qui adhuc* 7. g ibid. c. 11. *hodie superest, in quodam castello suo, cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingressus, honorificè à Rege susceptus, & humiliter exhortatus, vt sanaret filium suum, aqua, cui benedixit, aspersit iuuenem, & intuens in eum ait: Confide fili, non morieris hac vice. Dixit hoc, & die sequenti dictum sequuta est sanitas, sanitatem lætitia patris, clamor, & strepitus totius exultantis familiæ. Exiit sermo ad omnes, neque enim quod in domo Regia, & Regis acciderat filio, latere potuit. Et ecce vbique resultans gratiarum actio, & vox laudis, tum pro salute Domini, tum pro miraculi nouitate. Henricus est iste, nam viuit adhuc, vnicus patris sui, miles fortis, & prudens, patrissans (vt aiunt) in sectando iustitiam, & amorem veri. Et amauit vterque Malachiam, quandiu vixit, tanquam qui illum a morte reuocasset. Rogabant eum manere per aliquot dies, sed ille declinans moram non sustinuit, & mane carpebat iter.*

Transeunti igitur per villam nomine Crugeldum, occurrit puella muta. Orante autem illo, solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Dehinc villam ingrediens, quam nominant Ecclesiam sancti Michaelis, oblatam sibi mulierem phreneticam, & vinctam funibus coram omni populo curat, & dimissa incolumi proficiscitur. Sic Malachias, velut Sol oriens ex alto, super Principes æquè, & super infimos extendebat radios suos, à quorum calore non esset, qui se absconderet: sed pertransibat, Christum repræsentans benefaciendo, & sanando omnes oppressos à morbis, fortè & à diabolo. 8.

Sub finem anni (quantum ex rebus, & historiæ serie coniectari licet) Lapasperim peruenit, insulæ partum (ignota nobis cunctorum locorum nomina, nec recensita à Cosmographis neotericis:) nisi quòd ea parte situm credo, qua Hiberniæ vicinior inuenitur. Lapasperi, desæuiente hyeme, nec peruio mari, præ intumescentium fluctuum feritate, detentus per menses aliquot, ne immunificus terram occuparet, cœmeterium in ea benedixit: in quo non solùm miracula patrauit, sed patrandorum, insigniori miraculo, virtutem velut reposuit, capitale redditibus annuis prouenturum. Eundem Sanctum loquentem audiamus. [h] *Perueniens verò ad portum La-* h in vit. S. Malach. c. 15. *pasperi, transitum ibi per aliquot dies præstolabatur: sed mora minimè transiit otiosa. Construitur interim de virgis in sepem textis oratorium, ipso iubente, ipso operante pariter. Consummatum circumdedit vallo, atque interiacens spatium in cœmeterium benedixit. Sanè merita benedicentis miracula satis declarant, quæ vsque hodie ibi actitari feruntur. Inde est quod de finitimis locis infirmos,* 9.

infirmos, & malè habentes illò portare consueuerunt, & sanantur multi.

10. *Mulier totis dissoluta membris plaustro vecta illuc, pedibus suis remeauit domum, vna duntaxat nocte, non frustrà in loco sancto prestolata misericordiam Domini. Alia quadam ibidem pernoctabat in oratione, quam fortè reperiens solam homo barbarus, accensus libidine, & sui minimè compos, irruit rabiosus in eam. Conuersa illa, & tremefacta suspiciens, aduertit hominem plenum diabolico spiritu: & heus tu, inquit, miser, quid agis? Considera, vbi es, reuerere hac Sancta, defer Deo, defer seruo eius Malachia, parce & tibi ipsi. Non destitit ille furiis sagittatus iniquis: & ecce (quod horribile dictu est) venenatum, & tumidum animal, quod bufonem vocant, visum est repens exire de inter femora mulieris. Quid plura? terrefactus resiliit homo, & datis saltibus festinus de oratorio exiit. Ille confusus abscessit, & illa intacta remansit, magno quidem & Dei miraculo, & merito Malachiæ. Et pulchrè operi fœdo, & abominando fœdum interuenit, & abominabile monstrum. Non prorsus aliter decuit, bestialem extingui libidinem, quàm per frigidissimum vermem, neque aliter temerarium frenari ausum, frustrari conatum, quàm per vilem, inutilemque bestiolam. Et hæc de loco sufficiant, pauca de pluribus.* Hactenus Sanctus. Nos Malachiam, dum cedit ventis, & mari, operientem tranquillum, vsque in annum sequentem relinquamus; alios istius euentus prosequuturi.

---

1. Otto Austriacus in Frisingensem sedem promotus. 2. Ratio temporis, 3. & electio successoris. 4. Biuiano Altamcumbam resignanti Amedeus sufficitur, 5. magno incremento futurus eidem domui. 6. Amedeus parens filium statim visitat, 7. & fidem eius viuam admiratus, 8. ad Bonamvallem redit. 9. Sancti Ottonis Babembergensis mors. 10. Quatuor huius anni fundationes notatæ breuiter, 11. & de Dublinio specialius aliquid dictum.

CAPVT X.

1. SVb idem tempus magnum Cistercij lumen Otto sancti Leopoldi Austriaci filius, cùm Morimundi septennio præsedisset, & per se vndecim, per Ecclesias sibi commissas plura adhuc Monasteria propagasset, cùm multos iuuenes literatos, prudentes, nobiles aggregasset Cistercio, atque diuino seruitio mancipasset, in Episcopum Frisingensem electus est, magno filiorum orbandorum luctu, sed maiori totius Germaniæ acclamatione, & bono maximo Ecclesiæ Frisingensis, quam olim dirutam, & collapsam vtrisque bonis, Otonis zelus, & industria reparauit. Audi, quæ de hac promotione, profectuque Ecclesiæ ex ea sequuto, Morimundi legantur in eius vita. *In Monasterio Morimundensi*, inquit, *Abbas ordinatus, in quo multa laudatissima conuersationis suæ documenta relinquens* (scilicet Otto) *ad Eclesiam demum Frisingensem vocatus, Pontificem clarissimum gessit. Distracta prædia vendicauit, collapsa ædificia restituit, religionem, quæ penè interierat, in priorem erexit formam: tantaque illi Ecclesiæ bona contulit, vt fundator eius magis, quàm instaurator esse putaretur.* Hæc ibi. Nec dissimilia Conradus [a] Frisingensis, nisi quòd vtramque Ottonis dignitatem diuersis expressit vocabulis, altero ex prouincia magis, quàm ex Ecclesia, altero ex vulgari idiomate mutuato.

a in lib. 2. de reb. Freder. c. 11.

2. Rationem temporis sobobscuram apud antiquos, insinuare videtur Catalogus Abbatum Morimundensium, quippe Otto septem annorum Abbas dicitur. [b] *Rexit, inquit, hanc Abbatiam annis septem, postea vigesimus tertius Episcopus Frisingensis.* Quare electus anno M. CXXXIX. vt pertrahamus per menses aliquot, hoc anno veniet Frisingam promouendus. Adde (quod idem tempus magis illustrat) decessisse eundem sanctum virum ad annum Christi M. CLIX. (quod suo loco videbimus) idque cùm Frisingensem Episcopum egisset viginti annis.

b apud Claudium Rob. in Gall. Christ.

3. Tum verò Rainardus communis Pater pro Morimundo solicitus, & dignum prouidens Ottoni successorem, de ipsius, & aliorum fratrum consilio, Rainaldum præfecit, Friderici Tullensis Comitis fratrem, virum non minus moribus, & doctrina clarum, quàm genere. Hunc præfuisse lego quindecim annos, post quos cessisse, vacaturum sibi, & Deo: & in ea quiete feliciter consummandum. Antonius [c] Iepius Renardum pro Rainaldo nominat, anticipata per annum electione, in quo non ausim omnino contraire.

c cent. 7. ad an. 1115. c. 5.

Per idem tempus Altæcumbæ Abbas Viuianus angustias terræ, & accolas pertæsus rudes, & barbaros, seu magis quietis, & Bernardi patris cupidus, præfecturam dimisit, priuatam vitam acturus in Claravalle. Tunc Pater sanctus Amedeum de castro Costa, Amedei Altæ ripæ filium præfecit, ætate iuuenem, sed moribus maturum, ac doctrina prouectum, & iam tunc præferentem Ecclesiæ Patrem. De his euentibus in vita Amedei Patris hæc scripta lego. [d] *At vbi honestè, & laudabiliter conuersans* (scilicet Amedeus filius) *transacta pueritia, rosea gena ad virilis ætatis indicium cœperunt pubescere, doctrina, & sapientia plenus, ac merito vitæ, & religionis apud Deum, & homines commendatus, ab Abbate Claraeuallis* (scilicet sancto Bernardo) *laude, & consensu totius Claræuallensis conuentus, Altæcumbæ Cœnobio, Monachis eiusdem loci idipsum petentibus, Abbas præficitur. Quod videlicet Cœnobium non longè antè cœperat construi, & in multis egebat. Nam vicinorum atrocitas, & loci ipsius infœcunda positio eiusdem Monasterij vtilitatibus erat permaximo impedimento.* Hæc de Amedei in Abbatem promotione. Verùm de incrementis sub ipso tenellæ domus, & meritis promoti, hæc quæ sequuntur. 4.

d cap. 8.

[d] *Sed postquam Amedeus illius domus regimen suscepit, Euangelij non surdus auditor, in primis regnum Dei, & iustitiam eius ipse quæsiuit, deinde fratres sibi subiectos verbo simul, & exemplo quærere docuit: Quo facto cœlestes diuitias promerentes, temporalium quoque bonorum affluentiam, egestate exclusa, in aduentu Amedei sentire cœperunt.* Hactenus ibi. Quibus planè videas iam tunc in iuuene prudentiam maturam senis, & zelum feruidum, quem fides promoueret, diuina largitas vel in hac vita remuneraret. Verùm de zelo, & fide, audi, quod sequitur. 5.

d in vita Amedei Patris cap. 8.

6. Viuebat adhuc Amedeus Pater emeritæ militiæ senex in Bonavalle, & post peractam Marthæ solicitudinem, felicem exitum, quamuis non otiosus, quietus in sinu Mariæ præstolabatur. Quietem interrupit noua lætitia, & iudicium Bernardi

nardi de filio tenero adhuc, quem tot prouectis, & Sanctis prætulisset, quippe ex aliis, ab aliove electus, potuisset vel bonorum defectu, minus probus, vel ab improbo, prauus designari. At per Bernardum assumptus ex Claravalle, sanctitas eligentis verè digniorem, eligibilium comprobabat etiam dignissimum. Ergo vt tali filio frueretur, seu profuturus teneræ ætati maturiori consilio senex expertus, decreuit inuisere. [e] *Et petita licentia* (pergit auctor) *ad Altacumba Cœnobium properauit.*

e eodem loco.

7. *Cùm autem gratia filij sui dies nonnullas ibi commoraretur, quadam vice dixit Abbati, cùm mutuo confabularentur: Crede fili mi, quòd hæc congregatio hîc diutius morari non poterit. Nam vt infœcunda tellus diuturnis laboribus fratrum exculta fructum aliquem proferat, vicinorum crudelitas immisericorditer auferet vobis, dissipabitque. Vide ergo, an aliò vobis eundum sit, siue ad Claramvallem redeundum. Ad quem Abbas ait: Etsi nobis Pater temporalia bona auferant, æterna tamen, quæ labore præsentis temporis acquiruntur, auferre minus poterunt. Hæc ergo nobis inquirentibus nulla gens aptior, nullus locus commodior inuenietur.* Sensit senex firmiorem filij fidem solius Dei consiliis gubernari: neque indigere humanis, quantumuis sanis, cui cœlestia tam promptè subuenirent. Nec iam docturus ibidem demorabatur, sed instruendus.

8. [f] *Caterùm* (pergit auctor in hunc modum) *postquam diebus plurimis doctrina, & sapientia filij sui sufficienter fruitus, & qui venerat instruere, instructus inuentus est, accepta benedictione, & orationum participio in Bonamvallem abiit. Vbi beneficiorum Dei non immemor, in diuinis obsequiis, & fraterna charitatis exercitij solito feruentiorem seipsum exhibere studuit: sollicitus valde, ne dies aliquis præteriret, in quo deuotissimè Domini nostri Iesu Christi clementiam non obsecraret, vt filio suo collatam gratiam de die in diem augendo, semper perficeret. Abbas verò Altacumbæ tam Patri sui, quàm propriis orationibus suffragantibus, defectum nullum admittebat, sed quotidie in melius proficere satagens, omnes vndique adiacentes prouincias aromatum suorum fragrãtia reficiebat.* Hactenus ex vtriusque Amedei gestis. Qualiter autem, Patre adhuc viuente, in Ecclesiam Lausanensem promotus filius, nec minus meritis crescens, quàm dignitate, paternum gaudium pleniùs cumulauerit, dicemus in tempore.

f ibidem.

9. Hic idem annus Lamkeimiensibus, Halsbrunensibusque tristis fundatorem vtriusque de medio tulit. Sanctum Ottonem Babembergensem Episcopum, Pomeranorum Apostolum, Religiosorum insignem promotorem, clarum miraculis, sed multo clariorem meritis. Obiit autem, vt Anonymus [g] auctor testatur in eius vita, Kalendas Iulij, Episcopatus ipsius anno septimo supra trigesimum, salutis mundi M. CXXXIX. quarto post obitum die tumulatus, magno procerum, & populi concursu: post quadragesimum à felici morte annum, per Clementem tertium adscribendus Sanctorum numero. Sed de his latiùs [h] Surius in eius vita.

g apud Canisium antiquar. lectionum.

h April. 2.

10. Fundationes huius anni paucæ, & incertæ, & de quibus vix quidquam extra Chronicon. *Anno,* inquit, *M. CXXXIX. octauo Kalendas Aprilis Abbatia de Gratia Dei.*

Eodem anno, nono Kalendas Iunij Abbatia de Gardo.

Eodem anno, sexto Idus Septembris Abbatia de Kingesfvvela.

Eodem anno, Abbatia sancta Mariæ propè Dublinium. Hæc Chronologia. Gratiam Dei in Bisuntinensi diœcesi lego, diuersam ab ea, quam suprà memorauimus, quippe illa Aquitaniam illustrat, hæc Burgundiam: illa in Xantonensi diœcesi sita, hæc, vt modò dicebam, in Bisuntinensi. Denique illa Claræuallis lineam adauget, hæc Morimundi, filia Charitatis, quam in eadem diœcesi Bellæualli recensuimus natam, ante sexennium. Gardum inuenio inter filias Cari loci, eóque pertinentem ad Claramvallem, in diœcesi Ambianensi, vt ait Claudius. [i] Extant ad eius Abbatem litteræ Honorij tertij, de quibus infrà. Fundator domus Gerardus, Guarmundi filius, Vicecomes Ambianensis, qui obiit anno M. CLXXVI. honorificè in eodem loco sepultus. Kingesfvvela, aliàs Kingesfvvuobde, Tinternæ filia, vt video, lineam Cistercij adauget, in Glocestriæ apud Angliam comitatu, de qua Arspheldius. [k] *Monasterium Kingesfvvobde, titulo sancta: fundator Barekle de Busfrestei.* In tabulis Ecclesiarum Cisterciensium de Kingesunda dicitur, fortè ad suauiorem sonum flexo vocabulo.

i in sua Gall.

k in Cat. Monast. Angliæ.

At Dublinij antiquioris Monasterij, & quod ex Benedictinis hoc anno, ad nostros transiit, maiorem aliquam, etsi non omnino lucem, Vareus tradit. [l] *De primo*, ait, *conditore Monasterij Beatæ Mariæ de Dublin varia inualuerunt opiniones. Priuata huius Monasterij historiola, tanquam fundatores nobis obtrusit Malachiam, Regem Midiæ, & Monarcham Hiberniæ, Gillelmonbolmoc, nescio quem, & Roisiam vxorem eius. Constructionis causam ibi memoratam, sciens omitto, quippe quæ fabulæ similior est, quàm vera historia, quod planè perspiciet, qui eam narrationem perlegerit, & sanè iudicij lance perpenderit. Nonnulli Danos posuisse tradunt: anno salutis D. XXXX. XLVIII. Cæterùm diploma Eduardi quarti Regis Angliæ, (cui fidem habeo) fundatum prodit à Donaldo Gillelmoholmoc, à quo genus ducunt, Osbethili, siue Orvoli cum assensu (vti verba sunt chartæ) Dieruergiliæ vxoris, & Dermitij primogeniti. Cœnobium hoc, quod prima institutione Benedictinum erat, in Cisterciense transformatur (si Annalibus eiusdem Cœnobij credamus) anno Domini M. CXXXIX. Huius annui census tempore suppressionis secundum rationes fiscales valebant DLXII. libras, sex sol. Vndecim denarios vltra reprisas.* Hactenus Vareus. Qui etiam infrà, Abbatem Dublinij memorat inter Hiberniæ proceres, qui locum, suffragiumque habere consueuerant, in Comitiis, quas vocant Parlamentarias. Memoratur in linea Claræuallis incertæ matris: sed nec certus omnino annus, vt verum fatear, reclamantibus [m] verbis Malachiæ, quæ Monachos vel post annum Hiberniæ ignotos tradunt. Hoc item anno in aliquibus Chronologiis notatum lego Monasterium Columbæ Semouicense: cuius Robertus Claudius in sua Gallia Christiana memoriam facit, quamuis indifferenter Lemouicensia, aut Bituricensia Diœceseos designet locum. In Notitiis Ecclesiarum Cistercij in regno Galliæ, quas Gaspar Iongelinus nuper vulgauit, memoratur eius loci Abbas Ioannes, dictus de Timar, qui anno Domini M. CCCXLIV. à Philippo Vallesio Galliæ Rege, in Hispaniam missus, eius nomine cum Castellæ Rege Alphonso nouum amicitiæ, & pacis fœdus iniuit. 11.

l inter Cœnobia Hiberniæ.

m Bern. in vit. cap. 11.

IESV CHRISTI ANN. 1140. | CISTERCII ANN. 43.

1. Malachias Hiberniæ restitutus, Benchor visitat. 2. Quale Cœnobium, 3. & quot aliorum parens. 4. Quot item Martyrum, & illustrium Confessorum. 5. Sanctus Pontifex alios discipulos transmittit ad Claramvallem. 6. Bernardi rescriptum. 7. Et legationis Malachiæ fructus per totam insulam.

CAPVT I.

1. ANNVS centesimus quadragesimusque supra millesimum, Cistercij quadragesimus tertius, Malachiam filiis, Malachiæ filios reddidit, nauigabili tandem mari post sæuam hyemem, quæ sanctum Præsulem in Anglia detinuerat. Prima præsentia Benchorensibus exhibita, quos dudum paterno affectu prosequebatur. De his sanctus Bernardus ita scribit. [a] *Ascendit Malachias nauem, & prosperè nauigans, applicuit Monasterio suo Benchorensi, vt primi filij primam perciperent gratiam. Quid enim putas gessisse illos, sano de via tam longa recepto patre, & illo patre? Nec mirum si se tota in gaudium effuderunt viscera eorum in reditu eius, quando & cæteris circumquaque gentibus incredibilem mox lætitiam velox rumor inuexit.* Ita Bernardus.

a in vit. S. Malachiæ cap. 12.

2. Benchorense Cœnobium, cuiuscumque instituti olim institerit, Cisterciensi addictum per hæc tempora, constanter lego assertum à recentioribus. [b] Quin & in genesi Ecclesiarum Claræuallensium, ex Gallia ad me transmissa, satis correcta, Benchor inter Claræuallis filias lego, scriptam inter Reatinum, & Carum locum. *In Hibernia*, ait, *Benchor, diœcesis Lesmoriensis.* Quod si ita est, crediderim referendam in hunc annum: quo vt non perfecerint, saltim proposuerint, ad dilecti sibi Patris imitationem. Illud compertum, solius huius Cœnobij acquisitione, plurimum accessisse Cistercij gloriæ: numero quippe Monachorum, Sanctorumque, ac Cœnobiorum ex ipso procedentium, nulli in Europa secundi, fortè & primi, si ad alia conferatur. De eo vnus pro mille Bernardus Pater, admiranda, & rara, ac penè egentia tanto testimonio. [b] *Nempe (inquit) nobilissimum extiterat antè sub primo Abbate Congello multa multa millia Monachorum generans, multorum Monasteriorum caput. Locus verè sanctus, fœcundusque Sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus Monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, vt ex hoc vno coniiciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo.*

b Iep. cent. 7. ann. 33. c. 2.

c in vit. S. Malachiæ cap. 5.

3. *Denique ita Hiberniam, Scotiamque repleuerunt gemmina eius, vt ea potissimum tempora Dauidici illi versiculi præcinuisse videantur.* [d] *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius. Riuos eius inebrians multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans, & in hunc modum cæteri, qui sequuntur. Nec modò in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi in vndatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus accedens, Lexouiense construxit Monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse, vt succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solennia diuinorum: ita vt ne momentum quidem diei, ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sint Benchorensis Monasterij gloria.* Ita Bernardus, quibus planè videas, non Monasterium, sed multorum Monasteriorum scaturiginem, per quæ vniuersa Europa fœcundaretur.

d Psalm. 64.

4. Verùm ne tot, tantisque Sanctorum millibus Martyrij purpura, reliquos colores exornans, & gradus complens, defuisse putetur, subdit inferiùs. [e] *Hoc olim destructum à piratis, ob antiquæ dignitatis insigne, Malachias veluti quemdam replantaturus paradisum amplexus est, sed quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam, vt taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul vna die à piratis occisos.* Hæc Bernardus de Cœnobio Benchorensi, propinquior tempore, iudicio, & fide pollens, adeóque qui nec falli credendus sit, & multo minus fallere voluisse. Sunt, [f] qui addant, continuatas etiam in eo diuinas preces, atque inde effluxisse morem, primum Lexouium adductum per Columbanum, mox alibi per alios diffundendum. Sanctis Congello, Luanoque, & Columbano, quos recenset [g] Bernardus Pater, annumerandi etiam Columba, Gallus, quin & Brandanus, Chilianus, & plures alij eiusdem penè ætatis, quibus vix multæ prouinciæ suffecissent, (ne dum vnum Cœnobium) vix multa sæcula.

e cap. 5.

f Iep. cent. 7. ann. 1148. c. 1. & cent. 1. ann. 550.

g in vit. S. Malach. c. 5.

5. Hoc ergo tale, & tantum Monasterium aggregatum, Cistercio per Malachiam, vt iam in illo percipere videretur primitias frugum, primum videlicet, & summum Occidentis, si non tempore, saltim dignitate. Tunc sanctus Pontifex fortè ex Benchorensibus, certè ex discipulis, Claramvallem plures, & per eosdem baculum transmisit: hunc, quo Bernardus Pater vteretur, corpori sustentando imbecilli præ morbis, & fracto viribus: illos, multiplicandis operariis ad nouæ segetis multiplicationem. Denique velut impatiens dilationis, duos ad se remitti postulauit, ex quatuor primis relictis in Claravalle, qui locum prouiderent, pararentque, in quo nouum Cœnobium construeretur. Ad quæ Bernardus mellita sanè epistola, nec minus plena obsequij, quàm iudicij, respondisse inuenitur in hunc tenorem.

6. [h] *Venerabili domino, & beatissimo Patri Malachiæ, Dei gratia Hiberniensium Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato, frater Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, inuenire gratiam apud Dominum. Inter multiplices æstus, & curas pectoris mei, præ multitudine quarum anima mea turbata est valde, fratres de terra longinqua venientes, vt seruiant Domino, epistola tua, &* [i] *baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Epistola in ostensione bonæ voluntatis, baculus ad sustentandum corpus infirmitatis, fratres, qui Deo seruiunt in spiritu humilitatis. Omnia suscepimus, omnia placent, omnia pariter cooperantur in bonum. Quòd autem voluistis duos de fratribus mitti vobis ad prouidendum locum, communicato cum fratribus consilio, dignum duximus non eos separandos ab inuicem, donec pleniùs in eis formetur Christus, donec ad integrum doceantur præliari prælia*

h epist. 315.

i Psalm. 22.

Domini. Cùm igitur fuerint in schola sancti Spiritus eruditi, cùm induti virtute ex alto, tunc demum ad Patrem filij reuertentur, vt cantent canticum Domini non iam in terra aliena, sed in sua. Vos autem interim iuxta sapientiam vobis datam à Domino, secundùm habitudinem locorum, quæ vidistis apud nos, prouidete, & præparate eis locum à tumultibus sæculi separatum. Tempus enim propè est, in quo vobis, operante Dei gratia, nouos de veteribus homines producemus. Sit nomen Domini benedictum in sæcula, de cuius munere venit, vt communes habeam filios vobiscum, quos vestra prædicatio plantauit, nostra exhortatio rigauit, Deus autem incrementum dedit. Sanctitatem vestram rogamus, vt verbum Domini prædicetis, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Duplex enim vobis incumbit necessitas, & ex officio legationis, &
k Iacob. 5. *Episcopali negotio. De cætero,*[k] *quoniam in multis offendimus omnes, & inter homines sæculi frequenter positi, multum de puluere mundi contrahimus, vestris, & vestrorum orationibus me commendo, vt in fonte misericordiæ suæ nos lauare, & emaculare dignetur ipse fons*
l Ioann. 13. *pietatis Iesus Christus, qui dixit Petro:* [l] *Nisi lauero te, non habebis partem mecum. Sed & hoc ipsum non solum precibus, verùm etiam quasi ex debito requiro, cùm ego clament ad Dominum pro vobis, si quid possit peccatoris oratio. In Domino valete.* Sic sanctus Pater operarios nouos admittens, priores adhuc retinens, vtrorumque profectum meditabatur, cùm adolescant, virosque transmissurus. De his in vita
m cap. 11. Sancti pressiùs dictum. [m] *Post aliquod tempus, cùm Malachias iam esset in Hibernia, misit & alios,* (scilicet probandos in nouo Ordine,) *& factum est de illis similiter.* Sed nos ad gesta Sancti reuertamur.

7. Malachiam reducem excepit cunctorum iubilus, vicinis locis vndique occurrentibus, vndique gratulantibus, communem Patrem sibi restitutum, per quem saluti filiorum consuleretur. Nec fraudati à desiderio animæ suæ, cùm ipse multus in noua legatione, & suauiter pro ingenio suo disponens, sed fortiter pro zelo etiam attingens, confestim omnia in melius reformauerit. [n] *Denique de* n cap. 12. *ciuitatibus* (ait sanctus scriptor vitæ ipsius) *& Castellis, & vicis occurrunt ei, & quocumque diuertat, suscipitur exultatione vniuersa terra. Verum tamen non sapit honor, opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conuentus multi, ne qua regio, seu portio regionis, legationis fructu, & vtilitate fraudetur. Seminatur super omnes aquas: non est, qui se abscondat ab opera solicitudinis eius, non sexus, non ætas, non conditio, non professio reputatur. Vbique semen spargitur salutare, vbique intonat tuba cœlestis. Vbique discurrit, vbique irrumpit euaginato gladio linguæ, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis,* &c. Pergit Sanctus plura recensere, quæ Malachias exercebat munia veri pastoris, vt tunc primum, non omnia perfecisse videri posset, cùm noua semper inueniret, quæ superadderet. Sed nos Pontificem in Hibernia fructificantem, dum ad Gallias redimus, relinquamus: atque vt hactenus Sanctorum vitas descripsimus, qui Cistercio adhæsere, sic nouatorum initia, progressusque, cum quibus hoc anno Bernardo agendum fuit, breuiter, sed dilucidè scribamus.

1. Arnaldi Brixiani professio, erroresque. 2. Abailardi patria, ingenium, mores: 3. Concubinatus, castratio, professioque, & libellus de Trinitate flammis traditus. 4. Recidiua dogmata, à Bernardo, Norbertoque impugnata olim: 5. tunc per solum Bernardum desuasa, si non Abailardus ab Arnaldo peruerteretur. 6. Berengarij mendacium. 7. Prouocatus Bernardus ab hæretico, 8. & certamen indictum apud Senonas.

CAPVT II.

1. ARnaldum patria Brixianum, (ciuitate Italiæ) habitu religiosum, austerum vita, studiis Theologum, Petri Abailardi Parisiis quondam discipulum, Ecclesiasticis omnibus infestum infensumque, sæcularibus gratum, quòd omnia illorum iuris esse, si non putabat, saltim prædicaret, Concilium generale Lateranense proximo anno celebratum ab Innocentio hæreticum factiosum
a de gest. Frid. 1. l. 3. declarauerat. Extant de ipso [a] Gunteri Legurini perpulchra carmina, quæ tam in ipso, quàm apud [b]
b ad ann. 1139. Baronium lector inueniet. Capita hæresum de
c de reb. gest. Frid. lib. 2. cap. 20. Sacramentis altaris, & baptismi, vt [c] Otto Frisingensis ait: sensus impuri, sed de Ecclesiasticis abdicandis omni dominio plausibiliora dogmata, quibus & Principes, & vulgus (vtrumque auidum genus) solicitabat: adeò vt vrbem Romanam concitauerit aduersùs Innocentium, abiiciendo Pontificis Imperio, & pristino senatui reuocando.

2. Hic per Concilium Italia tota pulsus (leuiori pœna, quàm pro qualitate criminum, atque eo forsan periculosiori, vt probauit euentus) Abailardum Magistrum suum adiit, dissimulantius fortè, subtiliusque, sed non puriùs sentientem de rebus fidei. Is patria Nannetensis, &, vt ipse scripsit, animo leuis, ingenioque seu facilis, seu promptus, Guillelmum Campellensem (Præsulem Catalaunensem, de quo suprà) & Anselmum Laudunensem, notabilem vtrumque Principem illius æui, magistros habuit: primò fauentes, & gratos, mox infensos, seu præuolantis ingenij æmulatione, quod ipse ait, seu leuitatis, & vanitatis odio, quod credibilius, præcipuè de viris probis. Igitur Magistrorum suorum æmulus, & doceri impatiens, vt sibi videbatur, doctior ipse, ex discipulo repentè Magister factus, multos in breui discipulos collegerat: homo audax, ac sapientiæ suæ ostentator, cuique etsi res aliquando deessent, at nunquam verba.

3. Discipulorum frequentiam, communis plausus, plausum superbia, superbiam maior audacia, & dissolutio vitæ sequuta sunt: homine per libidines effuso, atque inhonesta propriæ turpitudinis & promouente, & velante sub Philosophia. Docta in perniciem suæ castitatis, & supra muliebrem sexum, literata puella, Eloisa nomine, conciliante vtrinque, vt fit, amorem honestiori in speciem sapientiæ titulo, atque offerente secessus magisterio, corrupta primum, mox grauida, & mater, demum coniux occulta: dum ne hæc satisfactio propinquis placet, turpis deinceps, nec voluntariæ continentiæ occasio fuit. Quem priùs concubinarium passi fuerant, non tulere maritum, saltim non virum, quippe castratus ab eis truci facinore, charis amplexibus dilectæ puellæ frui tunc primum desiit posse, cùm potuit licitè. Inde monasticem vterque professi, illa Abbatissa Monasterij Paracleti (id Cœnobio nomen, quod Abailardus eidem ædificauit) ipse per varios casus eò deuenit,

vt

vt Theologiam nunc docens, nunc ſcribens, librum, quem de Trinitate compoſuerat, Philoſophicis, humaniſque rationibus myſterium (vt præfabatur) explanaturus, in Concilio Sueſſionenſi ante viginti & eis amplius annos, propria manu comburere, inde Athanaſij ſymbolum legere, & profiteri coactus ſit, poſtmodum in Monaſterio recludendus.

4. Verùm hac recluſione relaxata, ſeu commutata potiùs in ſolitudinem, cùm per deſertum traheret diſcipulos (quæ erat viro facundis, opinioque) quos ſuſpecta, damnata imò doctrina, inter ambages, inuolucraque imbueret, ſanctiſſimis illius ſæculi viris, beatis nimirum Bernardo, atque Norberto enixè dudum laborandum fuerat, quominus homines per eum ſedocerentur. Nam de vtroque intelligendum cenſeo, quod ante conuerſionem ipſe ſcribit, tumidè ſatis pro more nouatorum.[d] *Hoc autem loco me corpore latitante, ſed fama tunc vniuerſum mundum perambulante, & illius poetici figmenti, quod Echo dicitur, inſtar penitus recinente, quòd videlicet plurimum vocis habeat, ſed nihil ſubeſt, priores æmuli, cùm per ſe iam minus valerent, quoſdam aduerſum me nouos Apoſtolos, quibus mundus plurimum credebat, excitauerunt. Quorum alter regularium Canonicorum vitam, alter Monachorum ſe reſuſcitaſſe gloriabatur.* Hæc ipſe. Quibus videas veritatis teſtes concordes, & longam ſatis pertinaciam impuri hominis: qui longo antè tempore damnatus, iterum recidiuus, ante ſexennium, quo Norbertus obierat, reſiliens, nihilominus denuo pullularet. Interrupta tamen perfidia per tempos aliquod, ſeu vlterioris damnationis metu, ſeu compeſcentibus Sanctorum exhortationibus. Atque Abailardus promotus in Abbatem omittebat diſcipulos, cùm per domeſticæ œconomiæ curas diſtraheretur. Mox dimiſſa Abbatia, doctrinæ redditus, eoſdem rurſus errores ſuſcitauit. Hæc Petri vita ante præſentem annum, ambitione fœdatior, an libidine.

[d] in epiſt. Heloiſa 1. c. 12.

5. Ergo Abailardo ad vomitum reuerſo, & Norberto ad Superos tranſlato, vnus Bernardus Pater relictus eſt, per quem reflammeſcens ignis extingueretur. Et commotus eſt zelus Patris ſancti in hæreticum turbidum, & qui nullis cenſuris, nullis damnationibus, admonitionibuſve, corrigeretur. Non tamen illico credere rumoribus, non hominem, quantumuis relapſum, condemnare insuditum, aut auditum ad tribunal ſtatim deferre, fraternè priùs cenſuit admonendum. Et profeciſſet induſtria pij Patris, ſi nõ Arnaldi Brixiani recèns aduentus, iam iam ſurgentem denuo reuocaſſet. Audi Gaufridum Altiſſiodorenſem, eiuſdem Petri Abailardi quondam diſcipulum.[e] *Fuit in diebus illis Petrus Abailardus, magiſter inſignis, & celeberrimus in opinione ſcientia, ſed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cùm blaſphemiis plena grauiſſimis volitare vndique ſcripta cœpiſſent, profanas nouitates vocum, & ſenſuum, viri eruditi, atque fideles, ad Dei hominem* (ſanctum Bernardum) *detulerunt. Qui nimirum ſolita bonitate, & benignitate deſiderans errorem corrigi, hominem non confundi, ſecreta illum admonitione conuenit. Cum quo etiam tam modeſtè, tamque rationabiliter egit, vt ille quoque compunctus, ad ipſius arbitrium correcturum ſe promitteret vniuerſa.* Hactenus Gaufridus.

[e] ſuper Apoc.

6. Quibus planè videas mendaciſſimum Berengarium in Apologia (quæ tamen meritò per ſanctæ Inquiſitionis tribunal legi prohibita) impudenter Bernardum condemnaſſe, quòd correctionem hominis neglexerit, facile emendaturi, ſi moneretur. Certè Bernardus multa charitatiuè, multa fraternè cum eodem Abailardo agere ſolitus, ipſius etiam ſcripta manifeſtant. Extat reſcriptum Petri ad ſanctum Patrem, cùm ipſum per Eloiſam admonuiſſet, de verbis orationis Dominicæ mutatis præter morem Eccleſiæ, longum ſatis, & verboſum pro ſuo more, ſed familiare ſatis, amicumque, atque Bernardi in ipſum charitatem non ſemel prædicans. Atque ecce initium.

[f] *Venerabili, atque in Chriſto dilectiſſimo fratri Bernardo Claræuallenſi Abbati, Petrus Compreſbyter. Cùm nuper Paracletum veniſſem, quibuſdam compulſus negotiis ibi peragendis, filia veſtra in Chriſto, & ſoror noſtra, quæ illius loci Abbatiſſa dicitur, cum ſumma exultatione mihi retulit, vos illuc diu deſideratum cauſa ſancta viſitationis aduenisse, & non tanquam hominem, ſed quaſi Angelum, tam eam, quàm ſorores ſuas, ſacris exhortationibus corroboraſſe. Secretò verò mihi intimauit, vos ea charitate, qua me præcipuè amplectimini, aliquantulum commotum eſſe, quod in oratorio illo oratio Dominica non ita ibi in horis quotidianis, ſicut alibi recitari ſolet, & cùm hoc per me factum crederetis, me ſuper hoc, quaſi de nouitate quadam notabilem videri. quo audito ſcribere vobis decreui, noſtram ſuper hoc qualemcunque excuſationem, maximè cùm veſtram minus, quàm cæteras omnes dolerem, vt decet, offenſionem,* &c. Nam multa ibi proſequitur in defenſionem ſuæ nouitatis. Hæc Abailardus ad Bernardum Patrem ſatis amicè, vt conſtet planè ab eo ſæpiùs correptum, vnde & eius offenſionem minus timeret, à quo ſe ſciret fraternè corrigendum: ſed nec immeritò iſdem cenſeretur hoc idem ad ipſius conſilium correcturus.

[f] inter opera Abailardi epiſt. 5. lib. 2.

Verùm ſeu retinens, quo ſemel imbutus erat, 7.
odorem falſi, ſeo opinionem veritati præferens, & malens continuare errorem, quàm confiteri: ſeu tandem Arnaldi aduentu reuocatus, quod prauorum in malis conſortium eſt, qui correctionem Bernardo antè promiſerat, ne quid, quod correctione dignum eſſet, aliquando admiſiſſe conuinceretur, Bernardum maluit ad certamẽ prouocare. Et ſe iam diu expetitum illius telis, aliorum etiam calumniis ſubiacuiſſe: ſenſus Catholicos ſecus interpretari, deprauatè intelligi: alios velut hæreticos damnati, cùm ſint Catholici. In opinionis ſuæ præiudicium, tolerabilius: ſed in Eccleſiæ ſcandalum, & veritatis ipſius offenſionem, intolerabile omnino quibuſque bonis. Congregari Concilium Epiſcoporum, acciri Patres, conuocari Theologos, & coram ipſis diſcuti articulos, de quibus per Bernardum, & alios incuſabatur. Congrediantur, diſceptent vterque ſimul, vel ſiquis alius impingit in ſuis ſcriptis, paratum ſe emendare, ſi conuincatur, ſin minus, veniat immunis decernendus, nec ſubiaceat calumniis æmulantiũ.

Igitur (pergit Gaufridus, vbi ſuprà) *cùm receſſiſſet ab eo* (ſcilicet à Bernardo) *Petrus idem,* 8.
conſiliis ſtimulatus iniquis (nempe Arnaldi Brixienſis, & ſimilium) *& ingenij ſui viribus, plurimoque exercitio diſputandi infeliciter fidens, reſiliit à propoſito ſaniori. Expetens denique Senonenſem Metropolitanum, quod in eius Eccleſia celebrandum foret in proximo grande Concilium, Claræuallenſem cauſatur Abbatem ſuis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum ſe eſſe in publico ſua defendere ſcripta, rogans vt prædictus Abbas dicturus, ſi quid haberet, ad Concilium vocaretur.* Hactenus ibi de prouocatione Bernardi per Abailardum. Verùm quæ ipſam, tam ante congreſſum, quàm in ipſo congreſſu ſequuta ſint, quo magis, magiſque Bernardum admiretur, ac Deum in ipſo laudet, accipiat lector.

s. Bernardus

1. Bernardus Pater congressum prius detrectans, 2. sed mox admittens, 3. ad Episcopos Senonis congregandos scribit. 4. Ingens concursus: 5. atque Abailardus obmutescens in ipsa Synodo, 6. deficientibus verbis, memoriaque. Tum verò ipse Pontifici remissus, quem appellauerat. 7. Diuersa causa interiectæ appellationis, 8. *& Gilbertus Porretanus ex tunc ab eo præmonitus.*

CAPVT III.

1. ANnuit Pontifex Abailardi petitioni, operæ pretium se facturum reputans, si virum celebrem, ac nominatissimum magistrum Ecclesiæ filium aut faceret, aut inueniret: inuentum à calumnia vendicaret, factum ab hæresi. Et indictus Bernardo Concilij dies, in quo cum Abailardo congrederetur. At sanctus Pater detrectare pugnam, & certamen omnino detrectare, nec se in duello æqualem profiteri, rudem magistro, rusticum Philosopho, inter fagos, & quercus enutritum, versatissimo scholarum professori. Quid sibi cum scholasticis quæstionibus? Quid cum disputationibus subtilibus? Quid cum argutiis? in quibus tamen, vt quicquam profecisset, quis pauper Monachus, cui causa fidei, & Ecclesiæ committeretur? Esse in ipsa Magistros insignis nominis, esse & in Parisiensi Academia Victorinos Hugonem, Richardumque, quibus id posset securiùs demandari. Se orationibus promoturum, qua posset, partem Catholicam, quod Monacho familiarius, quàm disputare.

2. His, & similibus, humilior, quo sapientior, non se Ecclesiæ negabat, sed sibi gloriam. Verùm cùm vota omnium in eum conuersa, solum Bernardum pugnæ postularent, ne tam ipsi præsumptio, quàm causæ Christi propugnatores deesse videretur: tandem consensit, ab ipso Deo accepturus, quod illi redderet. Tum verò ad Episcopos omnes suffraganeos Archiepiscoporum Remensis, & Senonensis (vtrique namque ad Synodum vocati) breuem, & supplicem epistolam scripsit, cuius hic tenor.

3. a epist. 187. [a] *Ad Episcopos Senonas conuocandos contra Petrum Abailardum. Exiit sermo inter multos, & credimus ad vos peruenisse, quomodo videlicet apud Senonas in octauis Pentecostes vocamur, & prouocamur ad litem pro* b 2. Tim. 2. *defensione fidei, cùm seruum* [b] *Dei non oporteat litigare, sed magis patientem esse ad omnes. Si mea propria causa esset, posset non immeritò fortassis puer sanctitatis vestræ in vestro patrocinio gloriari. Nunc autem, quia & vestra est, imò plus vestra, fidentiùs moneo, & obnixiùs rogo, vt amicos vos in necessitate probetis. Amicos dixerim non nostros, sed Christi, cuius sponsa clamat ad vos in sylua hæresum, & in segete errorum, quibus sub tutela, & custodia vestra pullulantibus, pene iam suffocatur. Amicus sponsæ non deseret eam, in opportunitatibus, in tribulatione. Nec miremini, quòd ita de subito, & in arcto temporis vos inuitamus: quoniam hoc quoque aduersa pars in sua versutia, & calliditate prouidit, vt improuidos inuaderet, & congredi cogeret immunitos.* Ita Bernardus ad Episcopos vtriusque Metropolis, quos iudices, quos patronos præstolabatur.

4. Vulgatum statim duellum per totam Galliam, ex conuentu celebre, celebrius ex certantibus, sed ex materia longè celeberrimum, quippe concionem insignes duæ prouinciæ, certamen insigniores Europæ viri, alter cœlesti sapientia, terrena alter, demum fides materiam ministrabat. Conuenit vtriusque plebis multitudo, conuenere & Ecclesiæ, & Regni proceres: nec conuocati tantùm, sed vltronei, & multi zelo, plures nouitate, magnitudinéque, plurimi cæterorum exemplo congregabantur. Quin & ipse Ludouicus iunior Rex, & post Regem secundus Theobaldus interfuere actioni, & qui non iudices, quippe in causa fidei, maluere spectatores, quàm nihil agere, executores etiam peracturi, si res exposceret.

Hunc apparatum duo prodigia sequuta sunt, 5.
quæ Abailardo salutem præparabant, Bernardo gloriam. Qui prouocauerat victus, ante congressum, aut saltim fugiens, atque eò solùm non victus, quia non congrediens, Innocentij tribunal appellauit. Et qui modò exprobrabat aliis timorem, timidus ipse declinauit conflictum, antequam aduersarium opperiretur. Sed illud maius, quod in eadem hora verbosum hominem, & facillimi, promptique discursus, adeò ingenium, memoriaque reliquerint, adeò verba, vt nihil vnquam prorsus à se dictum, nihil scriptum, & nec materiam, nec vocabula rerum recordaretur. Gaufridum Altissiodorensem, qui fortè præsens, hæc referentem in medium proferamus. [c] *Affuit,* inquit, c super Apoc.
dies, & Ecclesia copiosa conuenit, vbi à Dei famulo Petri illius in medio scripta prolata sunt, & errorum capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi, si posset, obiiciendis sibi rationibus, pariter & sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, vt tempus redimeret, sedem Apostolicam appellauit.

Sed & postea ab egregio illo Catholicæ fidei Aduocato monitus, vel iam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam liberè, quàm securè, audiendus tantùm, & ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus: hoc quoque omnimodis recusauit. 6.
Nam & confessus est postea suis, vt aiunt, quod ea hora maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit sensus. Hactenus ille. Sic diuina prouidentia factum est, vt qui confidens in virtute sua, & in multitudine argutiarum suarum gloriabundus aduenerat, confusus abiret, & pro victoria, quam dudum præcecinerat, pudorem, & ignominiam reportaret. Verùm non in personam actum est, seu opinioni viri, quæ magna erat, seu interpositæ deferentes appellationi: sola doctrina à Patribus damnata, & notati errores, de quibus per Innocentium prouocaretur. Hæc conclusio Concilij Senonensis, hic conflictus indicti exitus fuit.

Otto Frisingensis, Abailardi quondam auditor, 7.
eidemque, ac Gilberto Porretano plus nimio fauens, quod moriens ipse doluit, ac retractauit, vt suo loco dicemus, aliam interpositæ appellationis causam assignat, honestiorem, sed nescio an veriorem. [d] *Ab Episcopis* (ait) *Abbateque Bernardo* d lib. 1. de reb.
dennò ad audientiam apud Senonas euocatur, (scilicet Frider. c. 48.
Abailardus) *præsentibus Ludouico Rege, Theobaldoque Palatino Comite, & aliis nobilibus, de populoque innumeris. Vbi cùm de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, Apostolicæ sedis præsentiam appellauit.* Hæc ille. Ego certiorem appellandi causam iudico, quam Bernardus expressit, ad Iuonem

Cardinalem

e epist. 193. Cardinalem scribens, dum ita ait. [e] *Securus est tamen, quoniam Cardinales, & Clericos curiæ se discipulos habuisse gloriatur, & eos in defensionem præteriti, & præsentis erroris adsumit, a quibus iudicari timere debuit, & damnari.* Ergo Romanam curiam appellauit, quòd ibidem discipulos haberet, viros illustres, qui doctrinam erroneam, vt non hausissent, saltim assuetudine audiendi minus horrerent, doctorem reuerentia,& amore, quæ semel coocepissent, prosequerentur.

8. Haud tamen potuit fauori aliorum fidere, qui Deum offensum sciens, vindicem sentiens, vel se sibi deesse expertus fuerat. [f] Aiunt, adstanti Gilberto Porretano Pictauiensi Episcopo, quem errorum consortem dudum nouerat, similem prædixisse condemnationem, vulgari versu in aurem insusurrato, f in vit. S. Bern. lib. 3. cap. 5.

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Sicque effectum, vt aliorum memor, immemor sui, iudicium Dei vel inuitus confiteretur. Sanè Gilbertum, Bernardo Patre agente, eamdem in Remensi Concilio sententiam subiisse suo tempore historia ipsa docebit. Sed de his aliàs. Nunc Abailardi causam prosequamur.

---

1. Littera Episcoporum ad Pontificem. 2. Alia Bernardi continentes historiæ seriem. 3. Impugnati errores à sancto Patre: 4. iidemque ex ipso, & aliis recensiti. 5. Eiusdem de Petro Abaelardo iudicium. 6. Epistolæ ad Iuonem, 7. Guidonemque, 8 & cæteros Ecclesiæ Cardinales. 9. Rescriptum patens Innocentij ad Patres Synodi, 10. atque item ad eosdem clausa epistola.

CAPVT IV.

1. SOluto Concilio [a] (ait Otto Frisingensis) *Episcopi simul, & Abbas missa ad Romanam Ecclesiam legatione, ac eis, pro quibus impetebatur Capitulis, damnationis eius sententiam in litteris remiserunt, quarum exemplar hoc est. Reuerendissimo Domino, & dilectissimo Patri Dei gratia Summo Pontifici Innocentio, S. Remensis Archiepiscopus Iozelinus Suessonis. Guillelmus Catalaunensis, A. Ambianensis Episcopi, debitæ subiectionis voluntarium obsequium. Actibus occupatis ad plurima verbum facimus breue de prolixo negotio, pro eo maximè, quod id ipsum plenius, & diffusius continetur, in litteris domini Senonensis. Petrus Abailardus Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totum, quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere, ascendit vsque ad cælos, & descendit vsque ad abyssos. Nihil est, quod lateat eum, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis, & mirabilibus super se. Scrutator maiestatis, hæresum fabricator: iam dudum fecerat librum de sancta Trinitate, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ igne examinatus est, quia inuenta est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hierico. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses, quæ dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis. Denique iam extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in curia Romana habet, vbi caput reclinet, hinc confortatus, & confirmatus est error illius. Proindè cum fiducia prædicat verbum iniquitatis vsquequaque. Propterea cùm in conspectu Episcoporum super his eum argueret Abbas Clareuallensis, zelo iustitiæ, & fidei armatus, ille nec confessus est, nec negauit, sed a die, à loco, & iudice, quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine grauamine, vt prolongaret iniquitatem, sedem Apostolicam appellauit. Episcopi, qui propter hoc vnum conuenerant, vestræ reuerentiæ deferentes, nihil in personam eius egerunt, sed tantummodo capitula à sanctis olim Patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, adiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum, qui sibi credat, habet: necesse est, vt huic morbo celeri medicina occurratis.*

a de reb. gest. Frider. lib. 1. cap. 48

b Ex Ouidio de rem. amor. lib. 1.

[b] —Serò enim medicina paratur
Cùm mala per longas conualuere moras.

Processimus nos in hoc negotio, quo vsque ausi sumus. Tuum, beatissime Pater, est de cætero prouidere, ne aliqua hæretica prauitatis macula decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est sponsa Christi, ò amice sponsi. Tuum est eamdem vni viro Virginem castam exhibere Christo. Hactenus litteræ Archiepiscopi Remensis, suffraganeorumque, quas à sancto Bernardo dictatas, inde constat, quod inter [c] epistolas eius recensentur, paucis admodum mutatis, siue demptis. Inter quæ etiam correctus error tituli, & pro Guillelmo Catalaunensi, qui dudum obierat, Gaufridus suffectus, qui Ebalo mediante, illi successerat. Periere litteræ Senonensis Archiepiscopi, prætermissæ ab antiquis, an non inuentæ: vt non immeritò dicere possimus, vni Bernardo deberi, quæcumque maneot. c epist. 191.

Egerit ne Legatum Concilij nomine, an solius Bernardi, in dubio est: compertum, Sanctum, per Nicolaum Monachum, tunc sibi familiarem, mox etiam filium, demum Apostatam vilem, de quo infrà (adeò nullus deceptionis in hac vita immunis) rem totam latiùs Innocentio Papæ scripsisse, acri, & ignea epistola, in hunc tenorem. 2.

[d] *Amantissimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, Bernardus Clareuallis vocatus Abbas, modicum id quod est. Necesse est, vt veniant scandala. Necesse, sed non suaue, & ideo dicit Propheta:* [e] *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Et* [f] *Apostolus cupit dissolui, & cum Christo quiescere. Et alius quidam Sanctorum?* [h] *sufficit mihi Domine, ait, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm Patres mei. Est mihi nunc aliquid commune cum Sanctis, in voluntate duntaxat, non immeritò. Nam vellem & ipse modò de medio fieri, victus, fateor, à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Vereor autem, ne non sic pariter affectus, ita pariter & paratus inueniar. Tædet viuere, & an mori expediat, nescio, & ideo fortè etiam in votis distem à Sanctis, quòd ipsi prouocantur desiderio meliorum: cùm ego scandalis, & ærumnis compellar exire. Denique ait, dissolui, & cum Christo esse, multo melius. Ergo & in Sancto appetitus, & in me praualet sensus, & in hac miserrima vita nec ille habere, quod appetit bonum, nec ego quod molestum patior, non habere valemus. Et ob hoc exire quidem ambo pari cupimus voluntate, sed non pari intentione. Stultè dudum mihi requiem promittebam, siquidem leonina rabies quieuisset, & pax Ecclesiæ redderetur. Nam ecce illa quieuit, sed non ego. Nesciebam me esse in valle lachrymarum, aut oblitus fueram me habitare in terra obliuionis. Non attendebam terram, in qua habito, spinas, & tribulos germinare mihi, succisis succedere nouas, & rursum illis alias sine fine, sine intermissione succrescere. Audieram hæc, sed meliùs vt nunc experior, ipsa vexatio dat intellectum auditui. Innouatus est dolor,*

d epist. 189.
e Psalm 54.
f Philipp. 1.
g 3. Reg. 19.

non

non exterminatus, lachrymæ inundauerunt, quia inualuerunt mala, & expertus pruinam, irruit super eos nix. Ante faciem frigoris huius, quis sustinebit? Hoc frigore refrigescit charitas, vt abundet iniquitas. Leonem euasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quanquam non iam in insidiis, cuius virulenta folia vtinam adhuc laterent in scriniis, & non in triuiis legerentur. Volant libri, & qui oderant lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Vrbibus, & castellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur. [l Psalm. 104.] [l] *Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Nouum cuditur populis, & gentibus Euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur, præter id quod positum est. De virtutibus, & vitiis non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter, nec sobriè disputatur: sed cuncta nobis in peruersum, cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque eius armigero Arnoldo de Brixia. Squama squamæ coniungitur, & nec spiraculum incedit per eas. Siquidem sibilauit apis, quæ erat in Francia, api de Italia, & venerunt in* [k Psalm. 10.] *vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius.* [k] *Intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. In victu autem, & habitu habentes formam pietatis, sed virtutem eius abnegantes, eo decipiunt plurimos, quo transfigurant se in* [l 1. Reg. 17.] *Angelos lucis, cùm sint Satanæ.* [l] *Stant ergo Golias vnà cum armigero suo inter vtrasque acies, clamat aduersùs phalangas Israel, exprobratque agminibus Sanctorum, eò nimirum audacius, quod sentit Dauid non adesse. Denique in suggillationem Doctorum Ecclesiæ, magnis effert laudibus Philosophos, adinuentiones illorum, & suas nouitates Catholicorum Patrum doctrinæ præfert, & fidei, & cum omnes fugiant a facie eius, me omnium minimum expetit ad singulare certamen. Denique scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis quo ille in præsentia eius, & Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere praua dogmata sua, contra quæ ego ausus mutire fuissem. Abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia, tum quia iudicarem indignum rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa, ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta eius ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset ministerij de dogmatibus iudicare. Ille nihilominus, imò amplius leuauit vocem, vocauit multos, congregauit complices. Quæ de me ad discipulos suos scripserit, dicere non curo. Disseminauit vbique se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, & non potuit me latere. Dissimulaui primùm, nec enim satis rumore populari mouebar. Cedens tamen (licèt vix ita vt flerem) consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia, & scandalum populo, & cornua crescerent aduersario, & quia error magis confirmaretur, cum non esset qui responderet, aut contradiceret: occurri ad locum, & diem, imparatus quidem, & immunitus, nisi quòd illud men-* [m Matth. 10.] *te voluebam.* [m] *Nolite præmeditari, qualiter respondeatis, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* [n Psalm. 117.] *Et illud:* [n] *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Conuenerant autem præter Episcopos, & Abbates, plurimi viri religiosi, & de ciuitatibus magistri scholarum, & clerici literati multi, & Rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium aduersario stante, ex aduerso producta sunt quædam capitula de libris eius excerpta. Quæ cùm cœpissent legi, nolens audire exiuit, appellans ab electis iudicibus, quod non putamus licere. Porrò capitula iudicio omnium examinata, inuenta sunt fidei aduersantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne leuitate, aut certè temeritate vsus in tanto negotio putarer. Verùm tu ô successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium ad sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquã, amice sponsi prouidebis, quomodo liberes sponsam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Sed, vt paulo audaciùs loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipsi amantissime Pater, & gratia Dei, quæ in te est. Nonne cùm esses paruulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes, & Regna? Ad quid? nisi vt euellas, & destruas, & ædifices, & plantes? Qui ergo tulit te de domo Patris tui, & vnxit te vnctione misericordiæ suæ, attende, quæso, ex tunc, & deinceps, quanta fecit animæ tuæ, quanta per te Ecclesiæ suæ, quanta in agro Dominico, cælo, & terra testibus, tam potenter, quam salubriter euulsa sunt, & destructa, quanta rursum bene ædificata, plantata, propagata. Suscitauit Deus furorem schismaticorum, in tuo tempore, vt tuo opere contererentur. Vidi stultum firma radice, & statim maledictum est pulchritudini eius.* [o] [o Psalm. 36.] *Vidi, inquam, vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecco non erat.* [p] [p 1. Cor. 11.] *Oportet autem, ait, hæreses, & schismata esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Et in schismate quidem iam (vt dictum est) Dominus probauit te, & cognouit te. Sed ne quid desit coronæ tuæ, en hæreses surrexerunt. Itaque ad consummationem virtutum, & ne quid minus fecisse inueniamini a magnis Episcopis antecessoribus vestris,* [q] *capite nobis, Pater amantissime, vulpes quæ* [q Cant. 2.] *demoliuntur vineam Domini, donec paruulæ sunt: ne crescant, & multiplicentur, quidquid talium per vos, non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Quanquam non iam paruulæ, nec paucula, sed certè grandiusculæ, & multæ sint, nec nisi in manu forti vel à vobis exterminabuntur. Iacinctus multa mala ostendit nobis, nec enim quæ voluit, fecit. Sed visus est mihi patienter ferendus de me, qui nec personæ vestræ, nec curiæ incuriæ illa pepercit: quod melius Nicolaus iste meus, imò & vester, viua referet voce.* Hæc latiùs ad Innocentium Bernardus Pater.

Sed & rursus latissimè ad eumdem, recensens, 3. confutansque præcipuorum errorum capita, libello edito potius, quàm epistola, in quo hæc inter alia statim ab initio. [r] *Habemus in Francia nouum de* [r epist. 190.] *veteri magistro Theologum, qui ab eunte ætate sua in arte dialectica lusit, & nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata, & sopita dogmata, tam sua videlicet, quàm aliena suscitare conatur, insuper & noua addit. Qui dum omnium, quæ in cælo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum, nescio quid, nescire dignatur, ponit in cælum os suum, & scrutatur alta Dei: rediensque ad nos, refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Et dum paratus est, de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem.* Ita Bernardus, alludens manifestè ad id quod idem Petrus de se scribit. [s] [s epist. ad Helou. cap. 9.] *Accidit autem mihi, vt ad ipsum fidei nostræ fundamentum, humanæ rationis similitudinibus disserendum primò me applicarem, & quemdam Theologiæ tractatum de Vnitate, & Trinitate diuina scholaribus nostris componerem, qui humanas, & Philosophicas rationes requirebant, &c.* Ergo qui ex ratione metiebatur, quæ supra ipsam, contra rationem, vt Bernardus Pater [t] [t epist. 189.] ait, & quod plus est, contra fidem, multa miscebat.

Pergit Bernardus Pontifici referre errores Petri, quos ex eodem Sancto, Ottoneque, & magis ex ipsius Petri confessione, Franciscus Amboësius redegit in hanc summam.

Quòd

a inter opera Abailardi Apolog. pro ipso. [a] *Quòd Pater sit plena potentia, filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia.*

Quòd Spiritus sanctus non sit de substantia Patris, aut Filij.

Quòd Christus non assumpsit carnem, vt nos à iugo Diaboli liberaret.

Quòd neque Deus, & homo, nec hæc persona, quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate.

Quòd liberum arbitriũ per se sufficit ad aliquod bonũ.

Quod ea solummodo possit Deus facere, vel dimittere, vel eo modo tantùm, vel eo tempore, quo facit, & nõ alio.

Quòd Deus nec possit, nec habeat mala impedire.

Quod non contraximus culpam ex Adam, sed pœnam tantùm.

Quòd non peccauerunt, qui Christum ignorantes crucifixerunt, & quòd non culpæ adscribendum est quidquid fit per ignorantiam.

Quòd in Christo non fuerit Spiritus timoris Domini.

Quòd potestas ligandi, atque soluendi Apostolis tantùm data sit, non successoribus.

Quod propter opera nec melior, nec peior efficiatur homo.

Quòd ad Patrem, qui ab alio non est propriè, & specialiter, pertineat operatio, non etiam sapientia, vel benignitas.

Quòd Diabolus immittat suggestiones per operationem lapidum, vel herbarum.

Quod aduentus in fine sæculi possit attribui Patri.

Quod anima Christi per se non descendit ad inferos, sed per potentiam tantùm.

Quod nec opus, nec voluntas, nec concupiscentia, nec delectatio cùm mouet eam, peccatum sit, nec debemus eam velle extingui.

5. Hæc Abailardi errorum præcipua capita, vt non immeritò Bernardus Pater, ad Cardinalem Guidonem de Castello scribens, dixerit, eumdẽ [x] *Petrum, cùm de Trinitate loquitur, sapere Arrium: cùm de gratia, Pelagium: cùm de persona Christi, Nestorium.* quippe cum Arrio filium, & Spiritum sanctum Patri inæquales, cum Pelagio eneruabat gratiã Dei, & cum Nestorio derogabat meritis Christi. Sed de his alibi. Non me latet quædam ex his capitibus, in libris Petri Abailardi, qui vulgò circumferuntur, non inueniri, quin & ab eo negata, quod pòst videbimus: alia à Bernardo Patre prætermissa, sed certa vtraque. Hæc quia confessa ab eodem Abailardo, atque eo fortassis solùm non impugnata, quia non defensa: illa obiecta per sanctum, indubitata: & exemplaria Abailardi, aut minus certa, aut fortè minus integra, sine correcta ex illius confessione, nec ipse idoneus testis pro seipso, & cuiuscumque fides adstruatur, inferior est, nec apta comparari Bernardi scriptis.

x epist. 192.

6. Epistolis ad Innocentium Papam datis, tres item alias adiecit sanctus Doctor, duas, ad duos Ecclesiæ Cardinales, [y] Guidonem, [z] Iuonemque, quibus plus fidere Abailardus gloriabatur: tertiam ad reliquos, acres sanè, quod pro tempore expediret: nec solùm in errores, sed in personam. Atque ecce exemplaria.

y epist. 192. z epist. 193.

[a] *Dilectissimo suo Iuoni sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia, Presbytero Cardinali, Bernardus Claræuallis Abbas, diligere iustitiam, & odire iniquitatem. Magister Petrus Abailardus sine regula Monachus, sine solitudine Prælatus, nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine. Homo sibi dissimilis est, intus Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen, & habitum. Sed quid ad me?* [b] *Vnusquisque onus suum portabit. Aliud est, quod dissimulare non possum, quod pertinet ad omnes, qui diligunt nomen Christi. Iniquitatem in excelso loquitur, integritatem fidei, castitatemque Ecclesiæ corrumpit. Transgreditur terminos, quos posuerunt Patres nostri, de fide, de sacramentis, de sancta Trinitate disputans, & scribens: singula pro sua voluntate mutat, auget, & minuit. In libris, & in operibus suis ostendit se fabricatorem mendacij, & cultorem peruersorum dogmatum, hæreticum se probans nõ tam in errore, quàm in pertinacia, & defensione erroris. Homo est egrediens mensuram suam, in sapientia Verbi euacuans virtutem crucis Christi. Nihil nescit omnium, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt, præter seipsum. Damnatus est Suessione cum opere suo corã Legato Romanæ Ecclesiæ. Sed quasi non sufficeret ei illa damnatio, iterum facit, vnde iterum damnetur, & iam nouissimus error peior est priore. Securus est tamen, quoniam Cardinales, & Clericos curiæ se discipulos habuisse gloriatur, & eos in defensione præteriti, & præsentis erroris adsumit, à quibus iudicari timere debuit, & damnari. Si quis Spiritum Dei habet, illius versiculi recordetur:* [c] *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Liberet Deus per vos, & per cæteros filios suos Ecclesiam suam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Hæc ad Iuonem. Ad Guidonem verò de Castello, non longè pòst Innocentio successurum, cui Abailardus potissimum confideret, hæc, quæ sequuntur.

a epist. 193. b Galat. c Psalm. 138.

7. [d] *Venerabili Domino, & charissimo Patri, Magistro Guidoni, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia Presbytero Cardinali, Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, non declinare ad dexteram, neque ad sinistram. Iniuriam facio vobis, si aliquem a vobis ita diligi credam, vt cum eo pariter eius errores diligatis. Quisquis enim sic aliquem diligit, nondum nouit, quemadmodum oporteat eum diligere. Talis namque dilectio terrena est, animalis, diabolica, nocens æquè diligenti, ac dilecto. Existiment alij de aliis, pro vt volunt, ego adhuc de vobis æstimare non possum, nisi quod vicinum est rationi, quod ad lineam pertinet æquitatis. Quidam priùs iudicant, & postea probant: ego de potione, vtrùm dulcis sit, an amara, ante gustum non iudicabo. Magister Petrus in libris suis profanas vocum nouitates induit, & sensuum, disputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat. Nihil videt per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis, & in mirabilibus super se. Melius illi erat, si (iuxta titulum libri sui) seipsum cognosceret, nec egrederetur mensuram suam, sed saperet ad sobrietatem. Ego non eum accuso apud patrem, est qui eum accuset, liber suus, in quo sibi malè complacuit. Cùm de Trinitate loquitur, sapit Arrium: cùm de gratia, sapit Pelagium: cùm de persona Christi, sapit Nestorium. Minus de vestra æquitate præsumo, si diu vos rogauero, vt in causa Christi nullum Christo præponatis. Illud autem scitote, quia expedit vobis, quibus potestas data est à Domino, expedit Ecclesiæ Christi, expedit illi etiam homini, vt ei silentium imponatur, cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo.* Hactenus ad Guidonem. Sed hæc ad reliquos, perstringens breuiter errorum omnium capita, & notans libros, in quibus inuenirentur.

d epist. 192.

8. [d] *Dominis, & Patribus reuerendis, Episcopis & Cardinalibus, qui sunt de Curia, puer sanctitatis eorum. Nulli dubium quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses, cùm montem subiit: Habetis, inquiens,* [e] *Aaron, & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos. Illum loquor Moysem, qui venit per aquam, & non in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine. Et ideò plusquam Moyses, quia & in sanguine venit. Et quoniam pro Hur, & Aaron stat zelus, & auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populum Dei, ad ipsam meritò referimus,*

d epist. 188. e Exod. 24.

non quæstiones, sed læsiones fidei, & iniurias Christi, Patrum probra atque contemptum, præsentium scandala, pericula posterorum. Irridetur simplicium fides, euiscerantur arcana Dei, quæstiones de altissimis rebus temerariè ventilantur, insultatur Patribus, quòd eas magis sapiendas, quam soluendas censuerint. Inde fit, quòd Agnus paschalis contra Dei statutum aut aqua coquitur, aut crudus discerpitur more, & ore bestiali. Quod residuum est, non igne comburitur, sed conculcatur, ita omnia vsurpat sibi humanum ingenium, fidei nil reseruans. Tentat altiora se, fortiora scrutatur, irruit in diuina, sancta temerat magis, quam reserat, clausa, & signata non aperit, sed diripit, & quidquid sibi non inuenit peruium, id putat nihilum, credere dedignatur. Legite, si placet, librum Petri Abailardi, quem dicit Theologia, ad manum est enim: cùm, sicut gloriatur, à pluribus lectitetur in curia, & videte qualia ibi de sancta Trinitate dicantur, de genitura filij, de processione Spiritus sancti, & alia innumera Catholicis auribus, & mentibus dissueta. Legite & alium, quem dicunt sententiarum eius, necnon & illum, qui inscribitur: Scito te ipsum, & animaduertite quanta & ibi syluescant segetes sacrilegiorum, atque errorum, quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de Sacramento altaris, de potestate ligandi, atque absoluendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et si quidem iudicatis me iustè moueri, mouemini & vos, ac ne frustra moueamini, agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro potestate, quam accepistis, quomodo qui ascendit ad cœlos, descendat vsque ad inferos, & opera tenebrarum ausa prodire in lucem, arguatur à luce in lucem, vt dum qui publicè peccat, publicè arguetur; comprimant se se etiam alij, ponentes tenebras lucem, disputantes in triuiis de diuinis, qui loquuntur mala in cordibus suis, & in codicibus suis scribunt, & sic obstruatur os loquentium iniqua. Hæc Sanctus Pater: quibus non solùm errores cunctos notat superiùs tactos, sed addit alium de Sacramento altaris, cuius ne in Apologia sua Abailardus meminit.

9. Ast Innocentius veritate rei perspecta, & compertis erroribus, quos nullus actus tegere, nullus fauor potuisset dissimulare, Senonensi, Remensique Archiepiscopis, atque Bernardo Patri, patentes primum, easque longiores, mox clausas, & breuiores litteras dedit: illas doctrinam Petri condemnantes, has, personam. Et patentium litterarum tenor hic erat.

f apud Bern. epist. 194. [f] *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Senonensi, Sampsoni Remensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & charissimo in Christo filio Bernardo Clarevallis Abbati, salutem, & Apostolicam benedictionem.* g Ephes. 4. [g] *Testante Apostolo, sicut vnus Dominus, ita vna fides esse dignoscitur, in qua tanquam in immobili fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inuiolata consistit. Inde est quòd beatus Petrus Apostolorum Princeps pro eximia huius fidei confessione, à Domino, ac Saluatore nostro audire meruit:* h Matth. 16. [h] *Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, petram vtique firmitatem fidei, & Catholicæ vnitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam diuidere minimè potuerunt. Contra quam in initio* i Psalm. 2. *fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.* [i] *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum. Verùm Apostoli duces dominici gregis, & eorum successores Apostolici viri, ardore charitatis, & zelo rectitudinis succensi, fidelem defendere, & eam in cordibus aliorum proprij sanguinis effusione plantare non dubitarunt. Denique cessante persequutorum rabie, imperauit Dominus ventis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit,* [k] *quærens quem deuoret, ad impugnandam synceri-* k 1. Pet. 5. *tatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit. Contra quos viri Ecclesiarum pastores viriliter insurgentes, eorum praua dogmata, cum ipsorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicena Synodo Arrius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana Synodus Manichæum hæreticum debita sententia condemnauit. In Ephesina Synodo Nestorius condignam sui erroris damnationem excepit. Chalcedonensis Synodus Nestorianam hæresim, & Eutychianam cum Dioscoro, & eius complicibus iustissima sententia confutauit. Marcianus præterea licèt laicus, Christianissimus tamen Imperator Catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo Papæ Ioanni scribens, aduersùs eos, qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Christiana publicè tractare conetur in posterum. Nam iniuriam facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, & rectè disposita resoluere, & iterum disputare contendit, & in contemptores huius legis tanquam in sacrilegos pœna non deerit. Igitur si Clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio Clericorum remouebitur. Dolemus autem, quoniam sicut litterarum vestrarum inspectione, & missis à vestra fraternitate nobis errorum capitulis, cognouimus in nouissimis diebus, quando instant tempora periculosa, in Petri Abailardi perniciosa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia peruersa dogmata Catholicæ fidei obuiantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitauit, & tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui nouis hæretici calumniis studeant obuiare, & immaculatam* [l] *sponsam in viro vir-* l 2. Cor. 11. *ginem castam exhibere Christo. Nos itaque, qui in beati Petri cathedra (cui à Domino est dictum:* [m] *Et tu ali-* m Luc. 22. *quando conuersus confirma fratres tuos) licèt indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri peruersa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnauimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque erroris sui sectatores, & defensores à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani decimo septimo Kalendas Augusti.* Hæc Innocentius Papa, damnans errores, de quibus Petrus Abailardus accusabatur. At in personam illius, Arnaldique breuiores, & clausas ad eosdem scripsit in hunc tenorem.

[n] *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Sansoni Remensi, Henrico Senonensi Archiepiscopis, & charissimo in Christo filio Bernardo Clareuallis Abbati, salutem, & Apostolicam benedictionem. Per præsentia scripta fraternitati vestræ mandamus, quatenus Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia, peruersi dogmatis fabricatores, & catholicæ fidei impugnatores, in religiosis locis, vbi vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, & libros erroris eorum vbicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani decimo octauo Kalendas Augusti.* & adiectum, *Transcripta ista nolite ostendere cuiquam, donec ipsæ litteræ in Parisiensi colloquio, quod propè est, præsentatæ fuerint ipsis Archiepiscopis.* Priores litteræ circumferuntur cum Bernardi epistolis. Posteriores [o] Amboesius adducit

n inter opera Abailardi epist. 26. ad alios.

o in Apolog. pro Abail.

[p hoc anno.] adducit, p Baroniusque, decerptas, hic ex Bibliotheca Vaticana, ille ex veteri exemplari Claræuallensi, vt liceat coniectari Bernardo missas, per quem Præsulibus in Parisiensi colloquio præsentarentur. Hactenus vtræque Innocentij Papæ litteræ. Verùm quid interim de Abailardo factum sit, quid item de Arnaldo, paucis expediam: illud vt eiuus mala plura diximus, pœnitentiam, & bona non sileamus, maiori etiam ex parte Cistereio debita, quippe sanctis Rainardo, Bernardoque cooperantibus Petro venerabili: hoc, vt ex his faciliùs percipiantur, quæ de eodē inferiùs referemus.

---

1. Abailardus Cluniacum diuertit, 2. vbi & sanctus Rainardus hospitio habitus, 3. simul cum Petro Mauritio hominem monet. 4. Retractationes variæ, 5. sed diminuta. 6. Tum ab eodem Claramvallem deductus, Bernardi tandem consilij resipiscit. 7. Redit Cluniacum, & scribit pro eo Petrus.

CAPVT V.

1. ERgo Abailardus, qui Romam appellauerat, cùm sciret se damnatum ab Innocentio, nec sibi suos, quibus nimium confidebat, Cardinales discipulos profuisse, Cluniacum diuertit, consilium, an auxilium, nam vtroque indigebat, à venerabili Petro Mauricio cōsequuturus. Certè vtrumlibet à sancto viro quæreret cōuersionis illius præsagium fuit. Nam sanctus Abbas, quo pollebat ad omnes zelo, maximè autem ad domesticos regulæ, quā Abailardus, etsi minus seruarat, profitebatur: vtrumque offerens, vtrumque etiam impendens, resipiscentiæ consilium instillabat, pro pœnitente apud Summum Pontificem efficaciter, & fidenter intercessurus. Quin & Cluniaci, si vellet, permaneret, vbi & prodesse per sapientiam aliis posset, nec desipere, ex Sanctorum consortio, permitteretur.

2. Inter hæc venerabilis Rainardus Cisterciensis Ecclesiæ Archimandrita, & totius Cistercij communis parens, dū filias visitat, Cluniaco appropinquat, non Petro insalutato pertransiturus, quem virum sanctum, doctum, prudentemque, atque eximia apud omnes auctoritate, ipse cū aliis, sed præ multis, venerabatur. Siue ergo visitandi amici cupidus, siue hospitis ab eo suscepti conscius, nec minus auidus lucrandi animam senis, qui tot naturæ, ter artis egregia dona, ab ipsa iuuētute dissipasset, imò, & in donatorem conuertisset, Cluniacum intrare deliberauit, vtrique Petro opportunus affuturus Mauritio, vt persuaderet, quod optabat Abailardo, vt quod expediebat, persuaderetur, quippe ex consortio Rainardi, ille potentior, & huic duobus cessisse facilius fuit. Ergo communicato consilio vterque Sanctus, quamuis primo proteruum fidentiùs aggredi, efficaciùs commonere: & nunc Bernardi cōsilia olim admissa, sed turpiter reiecta, recensentes, nunc cœlestem vindictam cōmemorantes, qua homo eloquēs, exercitatusque, elinguis effectus, pro victoria ignominiā reportasset: postquam, quid aliud, quàm iustam damnationem, impœnitens, & proteruus præstolaretur? Condēnatos errores, quos docuisset, nec reuocandam sententiam condemnationis, quam nō homo, sed Deus fulminasset. In personam statim procedendum, & si non procedatur, instare mortem, senio, & morbis iam properam, & fortè ex ipsa infamia accelerandam. Expertum satis delictorum suorum pœnas, dum lasciuiret, spado per libidinem, dum superbiret, confusus per arrogantiam: diuinæ vtrūque gratiæ eximiū munus, quæ velit ab æternis liberare, purgans simul, & monens per temporales: sed si abutatur, vtrasque luiturum. Satis iam, superque datum terrenæ gloriæ, vel si non reliquisset, relinquendæ, quo cœlestem, atque adeò mansuram, operiretur.

3. His, & similibus homo, seu verè pœnitens, seu pœnitenti similis, primum quidem confessionem fidei fecit, lubricam satis, & magis suorum errorum excusationem; dum quædam dixisse negans, & quædam damnans, in vtrisque pudori suo plus nimio parcit, atque innocentem potius repræsentat, quàm pœnitentem. Extat inter opera ipsius quædam confessio, sub nomine Apologiæ, quo aliquatenus velatet retractationē, quam hoc tempore factam inde coniector, quòd media inter superbam, humilemque, nec sapiat hominem omnino pertinacem, nec pœnitentem. Partem procemij prolixi, ex quo reliqua appareant, hîc subiungo.

a *Vniuersis Ecclesiæ sanctæ filiis, Petrus Abailardus, ex his vnus, sed in eis minimus. Notum prouerbium est,* 4. [a inter opera Abail. inter epist. sui, & aliorum 20.] *Nil tam bene dictū, quod non possit deprauari: &, vt beatus meminit Hieronymus, Qui multos scribit libros, multos sibi querit indices. Ego quoque cum pauca scripserim, & parua, vel ad cōparationem aliorū, nullam reprehensionis notam effugere non potui: cùm tamē in his, de quibus grauiter accusor, nullam (sciat Deus) meam cognoscam culpam, nec, si qua fuerit, procaciter defendam. Scripsi fortè aliqua per errorem, quæ non oportuit, sed Deum testem, & iudicem in animam meā inuoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam, aut per superbiam, præsumpsi. Multa in scholis multis loquutus sum, nec vnquam aquas furtiuas, vel panem absconditum habuit mea doctrina. Palam loquutus sum ad ædificationem fidei, siue morum, quod mihi salubre visum fuit: & quæcumque scripsi, libenter omnibus exposui, vt eos iudices, non discipulos haberem. Quòd si vspiam per multiloquium excessi, vt scriptum est:* b *In multiloquio non effugies peccatū, nunquam* [b Prou. 10.] *importuna defensio me efficit hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de maledictis meis corrigendis siue delendis: in quo certè proposito vsque in finem perseuerabo.* Pergit plura inculcare super hoc ipso, excusans, & retractans, sed, neutrum plenè.

Meminit huius Apologiæ Otto Frisingensis Episcopus, quamuis, dum prima verba diuersa refert, plures ab eo editas insinuat. 5. Fortè nulla adæquate satisfaciente, aliæ, & aliæ ab eodē exigebantur. c *Petrus, inquit, damnationem sui dogmatis à Romana Ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacensē Cœnobium se contulit, Apologeticum scribens prædictorum capitulorum, partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit. Ne iuxta Boetianū illud, procemiis nihil afferentibus tēpus teratur, ad rem ipsam veniendum est, vt innocētiam meam potius rerum veritas, quàm verborum excuset prolixitas.* [c lib. 1. de reb. gest. Frideric. c. 49.] Hæc Otto de Abailardi cōfessione. Crediderim incōstantis, & supra modum elati animi hominem, dum nunquam satis, sæpiùs retractasse, & pœnitentem facilius, quàm confessum sub his initiis, sic veritatem Catholicam sequutum, vt semper affectaret videri non defecisse.

Restabat operi imponenda vltima manus, quæ 6. soli Patri Bernardo reseruabatur: nec dubitabat vterque sanctus Præsul, quod reliquum, ab ipso perficiendum. Ergo vtroque Abbate consulente, Rainardo etiam comitante, patrocinanteque, Claramvallem deducitur, per eum sancto Doctori reconciliandus. Et facilis indulgentia Sancti fuit,

non vnquam in personam offensi, sed in doctrinam: neque tam intendentis defecisse, quàm ne deficeret. Nam quanto leuius Bernardus de Abailardo, quam Abailardus de Deo malè sensisset? Resipiscant vterque si quid erratum, non vnquam vltrà ad offensam redituri. Et sibi quidem in promptu prosequi virum, cuius doctrinam, cuius canos veneraretur. At Petro solicitiùs agendum fore, quem multiplex damnatio, esto immerita, reddidisset suspectum, eoque non solùm veritati obnoxium, sed opinionibus. Non sine nutu Dei Suessionis primum, mox Senonis, demum Romæ damnatos errores illos, qui eius nomine circumferebantur, si consensisset in emendationem: secus, in exercitium, & in cautelam. Hanc ante omnia sibi prouidendam, homini celebri, & cui plures trahenti post se discipulos, plus fortè noceat videri hæreticum, quàm aliis esse. Credat se venerabili Mauricio, credat Cluniaco, quorum consortio, & interiùs reficiatur, si quid infirmum, & exteriùs, si quid lubricum famæ, purificetur.

7. His, & similibus hominem luctatus, & fidelem, dum patitur, efficiens, dum culpæ adiũgitur, etiam pœnitentem, remisit Cluniacum, quod vitæ reliquum ibidem peracturum. Tum venerabilis Petrus, non solùm charitatiuè suscipiens, sed honorificè, quo humiliorē, ex honore ipso efficeret, hanc de eo, & pro eo epistolam scripsit ad Innocentium.

d lib. 4. ep 4. [d] *Summo Pontifici, & nostro speciali Patri, Domino Papæ Innocentio, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas obedientiam, & amorem. Magister Petrus sapientiæ vestræ, vt credo, optimè notus, nuper a Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit: quæsiuimus, quò tenderet, grauatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant, maiestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere velle respõdit. Laudauimus propositum, & vt ad notum, & commune refugium cõfugeret, admonuimus: iustitiam Apostolicam, quæ nulli vnquã etiam extraneo, vel peregrino defuit, sibi non defuturã diximus. Misericordiam ipsam, vbi ratio postularet, sibi occursuram promisimus. Venit interim dominus Cisterciensis Abbas, & de pace ipsius, & domini Claræuallensis, cuius causa appellauerat, nobiscum, & cum ipso pariter egit. Dedimus & nos operam paci eius, & vt ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, vt si qua catholicas aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset, hortatu eius, & aliorum bonorum, & sapientum, & à verbis suis amoueret, & a libris abraderet. Et factum est ita. Iuit, rediit, cum domino Claræuallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis se pacificè conuenisse reuersus retulit. Interim a nobis admonitus, magis autẽ à Deo, vt credimus, inspiratus, dimissis scholarum, & studiorũ tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectuti eius, debilitati eius, religioni eius congruere putantes, & scientiam eius vobis ex toto non incognitam magnæ fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati eius assensimus, &, si sic benignitati vestræ beneplacitum esset, benigne, & cum gaudio nobiscum, vestrus, vt nostis, per omnia remanere consensimus. Rogo igitur ego qualiscumque, tamen vester, rogat deuotissimus vobis Cluniacensis Conuentus, rogat ipse, per se, per nos, per præsentium latores filios vestros, per has, quas vt scriberem, rogauit litteras, vt reliquos dies vitæ, & senectutis suæ, qui fortasse non multi sunt, in Cluniaco vestra eum consummare iubeatis, & ne à domo, quam velut passer, ne à nido, quem velut turtur inuenisse se gaudet, aliquorum instantia aut expelli, aut commoueri valeat, more quo omnes bonos colitis, & etiam istum dilexistis, scuto defensionis Apostolicæ protegatis.* Hactenus Petrus Mauricius ad Innocentium, à quo impetrasse euentus demonstrauit.

---

1. Berengarij Apologia pro Abailardo, contra sanctum Doctorem. 2. Itemque alia Ioannis Diuionensis. 3. Sed contra Petrum scripsere Gaufridus eius discipulus, 4. cuius verba adducuntur, ex Helinando: 5. & Guillelmus Abbas sancti Theodorici, 6. atque item alius nigri Ordinis Abbas, 7. à Guillelmo diuersus. 8. Sancta conuersatio Abailardi apud Cluniacum, 9. & post biennium mors.

CAPVT VI.

1. PEtro Abailardo Cluniaci commorãte, discipuli eius in partes, vt fit, diuisi, & quibusdam doctrinam execratoribus, alij in fide Magistri permãsere. Quin & Bernardo, & Cistercio propter Bernardũ, à quibusdam ex eis detractam plurimum Vincentius refert, atque eius transcriptor [a] Antoninus.

a 3. part. 17. cap. 1. §. 7. Constat Berengarium Pictauiensem impudenter inuectũ in sanctum Patrem, edita Apologia, quam mox cunctis inuisam, damnatamque, sola iuuenta, atque ignorãtia tueretur. Meminit eius Franciscus

b in Apolog. Petrarcha modestè nimis. [b] *Damnauit* (ait) *Bernardus Claræuallensis Abbas Petrum Abailardum literatum quendam virum. Huic iratus Berengarius Pictauiensis, vir & ipse non infacundus, ac discipulus Petri, contra Bernardum librum vnum scripsit, non magni quidem corporis, sed ingenii acrimoniæ. De quo postmodum à multis increpatus, se excusauit, quòd adolescens scripsisset, & quòd sibi viri sanctitas nondum penitus nota esset.* Hactenus ille. Hanc Apologiam, à Francisco Amboësio inter opera Abailardi Parisiis editam, anno Christi M. CXVI. nouissimè abradendã censuit sacræ, & generalis Inquisitionis tribunal apud Hispanos, in indice librorum prohibitorum Hispali apud Franciscum Liram, anno M. DCXXXII. idque ex censura Doctorum Parisiensium, qui in notis Abailardo subiunctis hæc habent verba. [c] *Apologeticus Berengarij scholastici pro Abailardo præceptore suo, cum sit contumeliosus in diuum Bernardum, & Concilium Senonense, lucem non commeruit, sicut nec duæ sequentes eiusdem epistolæ, quarum priore Apologetici sui maculas eluit, sed alias inurit sibi. Posteriori Carthusianus (ne vllis bonis parceret) scurriliter insultat.* c in fine oper. Abail. Hæc Parisiensium Theologorum censura de Apologia: & quidem digna. Ne qui ex cæteris scriptis ignotus latet, ex impudentia sola nosceretur: & quæ dicteria, ne dicam blasphemias, euomuerat scribens, quoties perlegeretur, toties repeteret.

Eiusdem argumenti crediderim libellum, à quodam Ioanne, sancti Stephani Diuionensis Monacho scriptum, de quo ab Abbate loci Bernardus 2.
monitos, tale inuenio responsum tradidisse. [d] *Si* d epist. 233.
frater Ioannes dixit in nos, vel scripsit, quod non decuit, vel quomodo non decuit, non tam nos læsit, quam seipsum: magis namque ita scribendo suam prodidit leuitatem, quàm nostrum deprehendit errorem: quanquam etsi læsisset in aliquo, nostrum tamen non erat reponere malum. Attendens proinde non quid ille mereatur, sed quid me deceat, donari ei vel etiam à vobis hanc culpam rogo, & supplico, quæ magis gloriolam, quàm malitiam redolere videtur: ita tamen, vt manum deinceps inhibeat à scribendis, tractandisue, quæ supra ipsum esse constiterit. Nam, vt liquidò satis paret,

paret, in hoc exiguo quod præsumpsit, opus erat stylo, & animo maturiori. Certum enim sit vobis, hominem, licèt in breui pagina aut non scripsisse, vt sensit, aut non sensisse, vt debuit. Hactenus Sanctus à vindicta temperans, sed nihilominus cauens à recidiuo: & qui indulgentiam taliter præferret, vt correctioni nequaquam derogaret, iustus, & pius.

3. Verùm vt Berengarius, & Ioannes pro Abailardo, sic multò plures contra ipsum scripserunt. Inter quos primus, vel inter primos Gaufredus fuit, patria Antissiodorensis, ingenio acer, eiusdem Abailardi quondam auditor, quem Bernardus non solùm ab erroribus, sed à sæculo etiam reuocauit, hoc ipso anno. Nam tertiodecimo ante viri Sancti mortem eidem adhæsisse, ipse testatur, haud aliter ab ipso separandus. [e] *Videtur autem* (ait, cùm scribere pararet vitam sancti Doctoris) *nonnullis, quod multo minus eum silere debeat puer sanctitatis ipsius, dignatione filius, benignitate alumnus: quem ab eius vberibus, post annos circiter tredecim, quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo, sola tandem, quæ sola potuit mors, auulsit.* Ergo Gaufredus [f] per Bernardum conuersus hoc ipso anno, contra Abailardum scripsit: quod ex ipso Helinandus synchronos auctor, ex Helinando [g] Vincentius etiam refert.

e in proœmio. lib. 3. vit. S. Bern.

f apud autor. not. ad histor. calam. Abael.

g in specul. hist. lib. 21. cap. 17.

4. Legitur adhuc fragmentum huius Gaufredi, inter alia scribentis in hæc verba. [h] *Ego mihi aliquando recolo, Magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ euacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, & amoris incentiuum. Quod enim Scripturæ perhibent, de potestate Diaboli, pretioso illo sanguine, humanum genus esse redemptum, in eo solùm constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est, vsque ad mortem pro veritate, & iustitia certandi, & adhibitum est, velut quoddam incentiuum amoris, cum ex immenso amore data est occasio redamandi. Et quidem magna sunt hæc, & vera, sed non sola. Benedictus Deus, qui mihi simul & vobis magisterium dedit postea meliorem* (scilicet sanctum Bernardum) *per quem prioris redarguit ignorantiam, & insolentiam confutauit: secundùm quem tria specialia in passione sua nobis Christus exhibuit, exemplum virtutis, incentiuum amoris, & sacrificium redemptionis. Quod tertium euacuanti hæretico nihil prodesse reliqua potuerunt. Hæc, & alia multa dictus Gaufredus, contra Magistrum suum fortiter, & catholicè scripsit.* Hæc de Gaufredo.

h inter opera Abael. in not. ad hist. calamit.

5. Scripsit etiam contra eundem Abailardum venerabilis, atque inter Patres dignè numerandus Guillelmus sancti Theodorici Remensis tunc quidem Abbas, pòst Signiaci Monachus, cuius superiùs fecimus mentionem. Hic cùm explanationem in Cantica, quam dudum conceperat, tandem parturiret, atque ad illum vsque locum continuasset: paululum cùm pertransiissem, inueni, quem diligit anima mea, &c. tamen cùm primum damnatas olim hæreses iterum reuocari ab orco tristis agnouit, fortiter pro veritate (neque enim pro Bernardo) dimicaturus, interrupit opus, non vltrà iam ab ipso resumendum. Scripsit autem contra Petrum Abailardum libros tres, quos ipse memorat, ad fratres de Monte Dei ita scribens: [i] *Sunt præterea, & alia opuscula nostra, libellus de Sacramento altaris, Meditationes Nouitiis ad orandum formandis spiritibus, non vsquequaque inutiles, & super Canticum Canticorum ad illum locum: Paululum cùm pertransiissem, inueni quem diligit anima mea. Nam contra Petrum Abailardum, qui prædictum opus, ne perficerem, effecit, neque enim mihi integrum fore arbitrabar tam delicato intus vacare ocio, ipso foris fines fidei nostræ nudo, vt dicitur, gladio tam crudeliter depopulante.* Hactenus ipse. De his porrò Andreas Quercetanus in notis ad historiam calamitatum Petri Abailardi, ita subiungit. *Composuit autem tres libros, (scilicet Guillelmus,) sub nomine disputationis Catholicorum Patrum contra dogmata Petri Abailardi, quos sapientissimo Præsuli Hugoni Rothomagensi Archiepiscopo dedicauit.*

i inter opera Bern.

6. Demum habemus, contra eundem scripsisse Abbatem quendam nigrorum Monachorum, cuius meminit Gaufridus suprà relatus in epistola ad Henricum Albanensem, dum ita ait. [k] *Inueni tamen in Claravalle libellum cuiusdam Abbatis nigrorum Monachorum, quo errores eiusdem Petri notantur, quem & olim me vidisse recordor: sed à multis annis, vt custodes librorum asserunt, studiosè quæsitus primus quaternio non potuit inueniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare, ad Monasterium, cuius Abbas extitit, qui eundem librum composuit, & si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim, quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, vt cognoscatis, quæ quem ad modum, quare sint condemnata.* Hactenus Gaufredus in ea epistola. Addit verò Andreas Quercetanus, hæc ipsa verba referens. [l] *Ac ne quis miretur, quod de primo quaternione illius libri dicit, habeo nunc ipsissimum exemplar, dono viri docti, & humani, Nicolai, Camusatij Canonici Ecclesiæ Trecensis, in cuius capite scriptum adhuc legitur. Deest vnus quaternio, qui tenueris obedientiam scriptorum, illum requiras.* Hæc Quercetanus.

k apud And. Querceta. in not. ad calamit. Abaelar.

l vbi suprà.

7. Verùm quod putat hunc Abbatem nigrorum eumdem esse cum Guillelmo suprà posito, non satis probo, quippe Gaufredus nec sanctissimum virum, ac beato Patri Bernardo summè amicum, quendam tantum Abbatem nominaret, nec scriptum in illa solùm Abatia quærendum duceret, in qua auctor scripsisset: sed multo magis in illa, in qua permansit, & in quam asportasse sua scripta, aut eorum transumpta compertum foret. Alius ergo à Guillelmo hic Abbas fuit. Nec dubito scripsisse plures contra Abailardum, qui ad nostram notitiam non peruenerint. Sanè in Papyrio Masonio [l] scriptum lego *aduersùs Abailardum Aluricum Remensem, Bernardum, atque alios magnæ auctoritatis Theologos scripsisse.* Sed de his satis.

l Ann. lib. 3.

8. Ast Abailardus, dum Cluniaci manet, hæc minus curans, adeò in breui ex consortio Sanctorum creuit, vt non solùm fidelis, verùm & humilis, quod in hæreticis difficilius adhuc est, biennio, quod superuixit, comprobaretur. Extat epistola Petri venerabilis ad Eloisam quondam illius coniugem, hæc inter alia de ipso testificantis, planè sublimia. [m] *De illo, inquam, sæpe, ac semper cum honore nominando seruo, ac veri Christi Philosopho, magistro Petro, quem in vltimis vitæ suæ annis eadem diuina dispositio Cluniacum transmisit, & eam in ipso, & de ipso super omne aurum, & topazion munere chariori ditauit. Cuius sancta, humili, ac deuota inter nos conuersationi, quod quantumue Cluniacum testimonium ferat, breuis sermo non explicet. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu, & gestu similem, in tantum, vt nec Germanus abiectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in magna illa fratrum nostrorum congregatione, me compellente, gradum superiorem teneret, vltimus omnium vestitu incultissimo videbatur.* Hæc Petrus Abbas Cœnobij Cluniacensis de Abailardo ad Deum verè conuerso. Vt non immeritò sequutus tantum ducem, Auctor supplementi Chronicorum de eo dixerit. *Itaque non solùm ab his dubiis, aut erroribus liberum se præstitit, sed arcta deuotione in vero Monachatu, reliquo vitæ*

m apud Baron. hoc ann.

spatio permansit, vixitque, & obiit in magna sanctitate. Hic felix Abailardi exitus fuit, meritò annumerandi Bernardi filiis, quippe quem genuit verbo veritatis, siue cùm accusauit, siue cùm monuit.

9. Ergo Cluniaci biennio superuiuens, demum ægrotans, dum Cabilonem consultum Medicos abit, ibidem decessit, vigesima prima die mensis Aprilis, anni M. CXLII. corpus eius in Paracletense Monasterium, quod ipse fundauerat, translatum, cura Eloisæ dilectæ quondam coniugis, & largitate benigna Petri Mauricij. Verùm quod legitur in historia [a] Turonensi, eamdem Eloisam defunctam post multos annos, in eodem sepulchro sepeliendam, expansis brachiis susceptam ab Abailardo, mox strictis amplexam, vt fabulosum censeo reiiciendum. Nam qui illi amores vtriusque coniugis, per flagitium concepti, per scelus habiti, & vt coniugio ad tempus honestati, mox sectione impediti, ac demum votis; at si epistolas consulas vtriusque, huius dum scribit, illius dum dissimulat, nulla impotentia, nullis Sacramentis omnino expertes inuenias à libidinibus. Qui, inquam, hi amores, aut qui amores, quos Deus commendaret tanto miraculo? Sed de Abailardo satis nobis dictum, & fortè super. Nunc ad Arnaldum de Brixia transeamus.

[a] habetur in not. ad histor. calamitat. Abailar.

---

1. Arnaldus de Brixia Constantiæ delitescens, 2. à Bernardo impetitus, descriptusque. 3. Acta eius anteriora recensentur, 4. & ne Constantiæ manere permittatur. 5. Prophetia Sancti de ipso: 6. & contra ipsum epistola ad Guidonem, 7. prudens, & prouida. 8. Demum Arnaldus occultus vsque ad Eugenium.

CAPVT VII.

1. ARnaldus Abailardo longè nocentior, austerior vita, moribus comptior, seuerior habitu, & doctrina periculosior, quippe qui pro quæstionibus subtilibus (quamuis ne in his à Petro dissentiret) possessiones, & agros, nec dissipabat veluti in incertum, sed largiebatur, Ecclesiæ adimens, quæ in sæcularium iura transirent, ex eius monitis. Is cùm Petri doctrinam damnatam videt, ac causam ad Pontificem delatam, à quo non dubiè vterque condemnaretur: occultari priùs, & conuentus publicos fugere, mox à priuatis etiam abstinere. Demum cùm se includendum in Monasterio, ex Innocentij mandato didicisset, & contra non inuentum, exilio actum, nam id (fortè in colloquio Parisiensi) prouisum fuerat, duos sibi asylos elegit, adeundum vtrumque, dubium quem priùs, alterum Constantiensem Episcopum, in cuius Ecclesia minus adhuc notus distantia loci, exerceret Magistrum, austerum vita, seuerum præceptis, eoque cunctis bonis, quandiu virus lateret, commendatiorem: Guidonem alterum, Cardinalem de Castello, Petri Abailardi cum eo quondam discipulum, & tum Legatum agentem in regno Galliæ, sub cuius vmbra, si non docere in publico, daretur saltim ad tempus delitescere: vt qui inclusionem occultus euasisset, exilio etiam, auctoritate Legati, eximeretur. Verùm Bernardus vtrimque illum exagitans (latrator strenuus, atque ex vtero natus, & matri præostensus ad tantum munus) acres sanè ad vtrumque litteras dedit, & priores, vt credo, etiam propheticas, quod paulo pòst euentus comprobauit. Atque ecce exemplar priorum litterarum, quas ad Episcopum Constantiensem scripsit, saltim quæ aliis priores numerantur inter epistolas Sancti, quas nunc habemus.

2. [a] *Si [b] sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Scitis quia fur de nocte irruperit domum, non vestram, sed Domini, vobis tamen commissam? Sed dubium esse non potest, scire vos, quod apud vos fit, quando id vsque ad nos vtique tam remotos potuit peruenire. Nec mirum si non horam præuidere, aut nocturnum furis ingressum obseruare quiuistis. Mirum autem si deprehensum iam non agnoscitis, non tenetis, non prohibetis exportare spolia vestra, imò pretiosissimas Christi exuuias, animas videlicet, quas sua imagine præsignitas, suo cruore redemit. Adhuc forsan hæretis, & miramini quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia, qui vtinam tam sanæ esset doctrinæ, quàm districta est vita. Et si vultis scire, homo est neque manducans, neque bibens, solo cum diabolo esuriens, & sitiens sanguinem animarum. Vnus de numero illorum, quos Apostolica vigilantia notat, [c] habentes formam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes. Et ipse Dominus. [d] Venient (inquiens) ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

[a] epist. 95. [b] Math. 24. [c] 2. Timot. 3. [d] Matth. 7.

3. *Is ergo vsque ad hanc ætatem vbicumque conuersatus est, tam fœda post se, & tam sæua reliquit vestigia, vt vbi semel fixerit pedem, illuc vltrà omnino redire non audeat. Denique ipsam, in qua natus est, valdè atrociter commouit terram, & conturbauit eam. Vnde & accusatus apud Dominum Papam schismate pessimo, natali solo pulsus est, etiam & abiurare compulsus reuersionem, nisi ad ipsius Apostolici permissionem. Pro simili deinde causa, & à regno Francorum exturbatus est schismaticus insignis. Execratus quippe à Petro Apostolo, adhæserat Petro Abailardo, cuius omnes errores ab Ecclesia iam deprehensos, atque damnatos, cum illo etiam, & pro illo defendere acriter, & pertinaciter conabatur. Et in his omnibus non [e] est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Nam etiam ita vagus, & profugus super terram, quod iam non licet inter suos, non cessat [f] apud alienos, tanquam leo rugiens, circuiens, & quærens quem deuoret.*

[e] Isaiæ 7. [f] 1. Petr. 5.

4. *Et nunc apud vos, sicut accepimus, operatur iniquitatem, & deuorat plebem vestram sicut escam panis. [g] Cuius maledictione, & amaritudine os plenum est, veloces pedes eius ad effundendum sanguinem. Contritio, & infelicitas in viis eius, & viam pacis non cognouit. Inimicus crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator schismatum, turbator pacis, vnitatis diuisor. Cuius dentes arma, & sagittæ, & lingua eius gladius acutus. [h] Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Vnde & solet sibi allicere blandis sermonibus, & simulatione virtutum, diuites, & potentes, iuxta illud: [i] Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Demum cùm fuerit de illorum captata beneuolentia, & familiaritate securus, videbitis hominem apertè insurgere in clerum fretum tyrannide militari insurgere in ipsos Episcopos, & in omnem passim Ecclesiasticum Ordinem desæuire. Hoc scientes, nescio an melius, salubriusve in tanto discrimine rerum agere valeatis, quam (iuxta [k] Apostoli monitum) auferre malum ex vobis. quanquam amicus sponsi ligare potius, quàm fugare curabit, ne iam discurrere, & eo nocere plus possit. Hoc enim & Dominus Papa, dum adhuc esset apud nos, ob mala quæ de illo audiebat, fieri scribendo mãdauit: sed non fuit qui faceret bonum.*

[g] Psalm. 13. [h] Psalm. 54. [i] Psalm. 9. [k] 1. Cor. 5.

[l Cant. 2.] *bonum. Denique si capi vulpes pusillas demolientes vineam* [l] *scriptura salubriter monet: non multo magis lupus magnus, & ferus religandus est, ne Christi irrumpat ouilia, oues mactet, & perdat?* Ita Bernardus ad Episcopum Constantiæ.

5. In qua epistola, quod sanctus Doctor ait, *Demum cum fuerit, de illorum captata beneuolentia, & familiaritate securus, videbitis hominem aperte insurgere in Clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos Episcopos, & in omnem pariter Ecclesiasticum Ordinem desauire.* Baronius censet prophetice scriptum, quippe ipso post euentu comprobatum. [m ad ann. 1140.] [m] *Cum post obitum* (ait) *Innocentij Romam se contulit, sub Eugenio Papa, vt suo loco dicturi sumus.* Certè in Pontificem etiam debacchatum, quem populi fauore Roma expulerit, quia Eugenium concernit Bernardi filium, nostri etiam Annales inferiùs reddent.

6. Constantia abactum, Bernardi Patris litteris, cùm Gallias rursum occultus remeasset, & crederetur latere apud Guidonem, ne quicquam intentatum reliquisset, imò ne infectum, quæ erat auctoritas eius apud omnes, quæ efficacia, constantiaque in negotiis, illis præcipuè, quæ ad fidem pertinebant, has Pater sanctus ad eum litteras misit.

7. [n epist. 196.] [n] *Arnaldus de Brixia, cuius conuersatio mel, & doctrina venenum, cui caput columba, cauda scorpionis est: quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominabitur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum. Videte, quæso, ne vestra auctoritate plus noceat: nam cum & artem habeat, & voluntatem nocendi, si accesserit fauor vester,* [o Eccles. 4.] *erit* [o] *funiculus triplex, qui difficile rumpitur, supra modum (vt vereor) nociturus. Et vnum existimo de duobus, si tamen verum est, quod vobiscum hominem habeatis, aut minus scilicet notum vobis esse illum, aut vos (quod est credibilius) de eius correctione confidere, & vtinam id non frustra. Quis det de lapide hoc suscitare filium Abrahæ? Quam gratum munus susciperet mater Ecclesia de manibus vestris vas in honorem, quod tandiu passa est in contumeliam? Licet tentare, sed vir prudens cautus erit non transgredi præfinitum numerum ab Apostolo, qui ait:* [p ad Tit. 3.] [p] *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus: alioquin familiarem habere, & frequenter admittere ad colloquendum, ne dicam ad conuiuendum, suspicio fauoris, & inimici hominis fortis armatura. Secure annunciabit, & facile persuadebit, quæ volet domesticus, & contubernalis Legati Apostolicæ sedis. Quis à latere Domini Papæ mali quippiam suspicetur? Sed etsi in manifesto peruersa loquitur, quis se facile opponere audeat vestro collaterali? Deinde videtis qualia post se, vbicumque habitauit, reliquit vestigia? Non sine causa vigor Apostolicus hominem Italia ortum transalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis verò extraneorum ad quos eiectus est, non eum omnimodè cupere suis reddidisse? Et certè sic se habere ad omnes, vt omnibus odio habeatur, approbatio iudicij est, quod portat, ne quis dicat subreptum fuisse Domino Papæ. Quale est ergo Summi Pontificis suggillare sententiam, cuius rectitudinem eius ipsius, in quem data est, etsi lingua dissimulat, vita clamat? Itaque fauere huic, Domino Papæ contradicere, est etiam Domino Deo. Per quemcumque enim iusta sententia iustè detur, ab illo certum est processisse, qui loquitur in Propheta.* [q Esaiæ 63.] [q] *Ego qui loquor iustitiam. Confido autem de vestra prudentia, & honestate, quia visis his literis de veritate certus, non abdutemini a modo quippiam adsentire in hac re, nisi quod vos deceat, & Ecclesia Dei expediat, pro qua legatione fungimini. Diligimus vos, & ad vestrum obsequium parati sumus.* Hactenus Sanctus ad Guidonem de Castello, haud dubiè pariturum ipsius monitis.

Certè Arnaldus non vlteriùs serpsit sub Innocentio, sed neque sub eodem Guidone, pòst Cœlestino, quem Innocentius habuit successorem: vt liqueat facile, denegatum fauorem homini, qui nec prodierit sub illius pontificatu. Atque has literas diuersis annis datas, quia vtrarumque certus ignoretur, simul congessimus: tomo sequenti plura de Arnaldo, Vrbem, & orbem turbante, continuaturi. Nunc ad domestica ab exteris transeamus. 8.

1. Innocentius Monasterium sancti Anastasij Claravallensibus ædificat. 2. Bernardus eorumdem missionem differt, 3. sed missos ad Abbatem Farfensem Papa praeoccupat. 4. Initia domus, Nomina, 5. antiquitas. 6. Capella scala cæli. 7. reliquia, etymon, 8. Ordinis auctoritas, 9. per multos adhuc annos perseuerans. 10. Petrus Bernardus, ex Præfecto Calefactorij Abbas effectus. 11. Farfensis pro condendo alio Cœnobio pecuniam erogat prædonibus obnoxiam. 12. Moritur, Gerardum socium ad Claramvallem mittit. 13. Bernardi de amissa pecunia ingens contemptus.

CAPVT VIII.

1. Conuenerat cum Abbate Farfensi (Benedictinorum Cœnobium in Sabinis, longè opulentum, & si [a in regul. S. Ben. dial. 2.] [a] Bertelio credimus, à solis Gallis, siue Germanis inhabitatum) conuenerat, inquam, cum eo Bernardo Patri, dum Romæ moraretur, Monachos mittere, Monasterio per ipsum ædificando, & viro pio vrgente promissionem, Petrus Bernardus, ex Pisis olim adductus à sancto Patre, cum debito Monachorum collegio transmittebatur. Cùm Innocentius, qui Romanæ curiæ Bernardi sobolem dudum concupierat, atque sancti Anastasij ad Aquas saluias, olim Cœnobium, tunc Ecclesiam tantùm, ædificiis, & rebus præparauerat, Monachos æquè à sancto Patre petit, qui Claramvallem ad Curiam transportarent: [b lib. 2. c. 7.] [b] *Dato tempore* (ait Abbas Bonævallis) *Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exules, Ecclesiis antiqua seruitia, depopulatas colonias expulsis restituit, insuper & congrua dona largitur. Monasterium etiam apud Aquas saluias, in sancti Anastasij Martyris honore constituit. Quod quidem ibi priùs fuerat: sed hoc tempore sola Ecclesia, deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, & reformata Ecclesia, assignatis etiam ad alimoniam domus agris, & vineis, à Claravalle Abbatem, & conuentum fratrum sibi mitti, Dominus Papa petiit, & obtinuit.* Hæc ille.

Non tamen illico, aut facile obtinuit, exhausto penè Monachorum numero, præ multitudine prodeuntium, ad fundationes. Extat rescriptum Sancti ad Innocentium, promittens quidem, sed retardans missionem, in hunc tenorem. 2.

[c epist. 184.] [c] *Ad Dominum Papam Innocentium. Fratrem Andream lætum, incolumemque suscepimus, & læta nunciantem de vestra incolumitate, & gloria de pace, & prosperitate Ecclesiæ, de Curiæ statu florente, & valente, postremò de gratia, & beneuolentia, qua nobis apud*

 vos

vos perseuerat. Bene sua misericordia Deus dignatus est facere nobiscum: facti sumus laetantes. Verùm quod vobis de mittendis ad vos fratribus placet, difficile adimplebitur, praesertim cùm non sit copia personarum, quae esse solebat. Siquidem praeter illos qui bini, aut trini ad diuersa destinati sunt loca, tria ex eis noua Monasteria, ex quo à vobis discessimus, integrè ordinata sunt, & adhuc restant alia proxime ordinanda. Curamus tandem vndecumque vocare, quos vobis mittamus, cupientes per omnia vestris obedire mandatis. Haec sanctus Pater.

3. Ast Innocentius impatiens dilationis conuentum alio transmissum praeoccupauit, & quem Abbas Farfensis obtinuerat, praeueniens ipse, locauit ad Aquas saluias. Per hos ambages, per hos euentuum, rerumque circuitus, Petrus Bernardus, qui pòst Eugenius tertius, ad supremum Ecclesiae solium destinabatur. [d] *Mittitur* (pergit Arnaldus eodem loco) *igitur Bernardus Pisana olim Ecclesiae Vicedominus, & religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti regulam in eodem loco Domino deseruirent.* Verùm non illuc missos ex intentione, sed Abbati Farfensi destinatos, & Monasterio per eum aedificando, habemus ex Gaufredo Antissiodorensi in vita sancti Doctoris, dum ita ait. [e] *Abbas Farfensis conuentum fratrum à Claraualle vocauerat, Monasterium eis aedificaturus. Sed Romanus impediuit Antistes, & sibi tollens eos, in loco altero ordinauit.* Hoc Monasterij olim perillustris ab Innocentio erecti initium fuit.

d lib.2.c.7.

e lib.3 cap.6.

4. Nec defuere felices progressus faustis initiis. [f] *Citò* (ait Arnaldus Carnotensis, citato loco) *profecit illa plantatio, & associatis sibi viris indigenis, seruorum Dei multiplicatus est numerus, & pascua congrua nutrimentis, multiplex in breui produxere peculium.* Atque haec quidem temporalia sub Innocentio. Nam sub Eugenio ex primo eius Abbate, in Romanum Pontificem assumpto, maiora adhuc in vtrisque bonis, quae suis loco, & tempore reddemus. Idem Coenobium sanctorum Vincentij, & Anastasij frequenti nomine, quin ad Tres fontes etiam nuncupatur, ex totidem ibidem ebullientibus, in locis, quae Apostoli Pauli praecisum caput tribus, vt ferunt, saltibus sacrauit, visuntur hodieque in veneratione, salutaribus aquis, quibus fideles vtantur pellendis morbis.

f lib.1.cap.7.

5. Porrò de eiusdem Ecclesiae antiquitate, & fundatore, atque restauratore, etiam ante Innocentium, haec ab Onufrio Panuino scripta lego. *Ecclesiam & Monasterium ad Aquas saluias, primus construxit Honorius Papa circa annum salutis DC. XXV. in massa quae iuris Monasterij S. Pauli erat. In qua basilica recondidit caput S. Anastasij Monachi, à Persis martyrio coronati, cùm Heraclius Imperator id cum corpore, quod in basilica sancti Pauli conditum fuit, Romam transmisisset. Celebris autem erat locus iste, ob X. millium Martyrum ibidem occisorum, & dormientium memoriam. Hoc Monasterium cum Ecclesia, Leo III. à fundamentis restituit, Monachos in eo locauit. Carolus verò Magnus Imperator, illud amplissimo patrimonio dotauit: siquidem ei XII. oppida in maritima Etruria agri nunc Senensis donauit, scilicet, Orbitellum, Caparbium, Ansidoniam, Gilium, Montem argentarium, Altrecostam, Aquapitem, Montem acutum, Serpenam, Marsilianum, Sciapilascium, & ..... ad Monachorum sustentationem. quae oppida etiam nunc iuris eiusdem Monasterij existunt, Senensibus tamen beneficiario iure à superioribus Pontificibus concessa. Hoc Monasterium Monachis ferè destitutum, Innocentius II. Papa circiter annum Christi M. CXL. S. Bernardo magno Abbati Clareuallensi donauit.* Haec ille.

Visitur etiam in eodem Monasterio deuota, neque inelegans Capella sanctorum Martyrum Zenonis, & sociorum dotata exuuiis, in qua beatus Bernardus (nec tempus adhuc certum) dum pro defunctis feruens celebraret, scalam lucidam, atque Angelos ascendentes, & descendentes videre visus est, purgatas animas ad coelestem beatitudinem, illos iam referentes, hos relaturos. Cuius rei testimonium non contemnendum ipsius Capellae nomen, quae Scala coeli hodie etiam nuncupatur. Vnde reliquae ante centum ferè annos extractae, atque ad Hispaniam missae in Monasterio Montis saluris, quod suprà memorauimus, venerari noscuntur, sub authentico scripto, cuius hic tenor Litabulatio Montis saluris. *Nouerint vniuersi & singuli praesentes publici instrumenti seriem, & tenorem inspecturi, lecturi, & audituri, quòd à natiuitate Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, indictione secunda, die verò sexta mensis Augusti, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Pauli, diuina prouidentia Papae III. anno decimo in Capella sanctae Mariae de Scala coeli nuncupata, Monasterij sancti Anastasij ad Tres fontes, propè, & extra muros vrbis Romae, quae vt inibi legitur, est secunda Capella, quae in toto mundo ad honorem beatae Mariae virginis fundata fuit: in qua diuus Pater Bernardus, dum Missam celebraret in altari maiori, meruit videre scalam erectam ad coelum vsque tendentem, atque Angelos ascendentes, & descendentes per eandem*, &c. quae ibidem latè prosequitur. 6.

De hac Capella idem qui suprà Panuinus, haec rursus habet. *Eidem Ecclesiae, nempe sancti Anastasij, imminet paruus collis cum exiguo fonte, qui locus Gutta iugiter manans vocabatur, in quo pro Christi fide septimo Idus Iulij caesi sunt S. Zeno martyr, & cum eo decem millia ducenti tres Christiani: quorum ossa in proximo coemeterio sub sacello rotundo & deuotissimo, quod sanctae Mariae scala coeli modò dicitur, requiescunt. Cuius dedicatio celebratur VI. Kalendas Februarij, vbi est altare cum operculo marmoreo quatuor pretiosis columnis sustentato, sub quo iacent corpora sanctorum Martyrum. In oratorij absida musiuea, extant signa beatae Virginis Mariae, & sancti Zenonis. In hac aedicula saepe sanctus Bernardus dum in Vrbe moraretur, sacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur, in mentis ecstasim raptus, scalam vidisse fertur, qua è purgatorij igneis poenis anima eius suffragiis liberata, in coelis ab Angelis deducebantur. Hinc sacrae illi aediculae, Scala coeli nomen inditum.* Crediderim ob huius Capellae antiquitatem, & visionem in ea recenter habitam, motum Pontificem ad reparationem Ecclesiae, & Monachorum, quibus veneranda committeretur, adductionem. Plura alia illustrant hoc Coenobium, de quibus infrà. 7.

Interim notatione dignum censeo, quod vel rigorem illius seuerum nimis, vel nostri temporis damnare videtur indulgentiam, cùm Monachi prae nouitate aëris, atque insalubris regionis habitatione, morbis vltra consuetum distinerentur, consultum per recentem Abbatem parentem sanctum, liceret sibi medicos accire, vel per pharmaca morbis obuiare? Porrò verum eremi professorem auersarum vtrumque, vtrumque etiam filiis denegauisse. Audi epistolam debitam Annalibus, quae sanctitatem nouellae plantationis, simul & austeritatem commendat illius saeculi. 8.

[g] *Ad fratres de sancto Anastasio. Testem habeo in coelis, quam multum omnes vos cupiam in visceribus Iesu Christi, quamque si fieri posset, desiderio desiderarem videre vos, non propter vos tantùm, sed propter me, cui* g epist.321.

magnum

magnum certè solatium, & pergrandis esset lætitia amplecti viscera mea, gaudium meum, & coronam meam, quod estis vos. At quia id nondum conceditur (concedetur enim, sicut bene confido de misericordia Dei, & erit, quando videbimus vos, & gaudebit cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis) interim certè magna est mihi consolatio, & lætitia multa in his, quæ de vobis audiui per dilectissimum fratrem, & Coabbatem nostrum venerabilem Bernardum vestrum. Multa enim vobis habeo gratiam, quòd iam bene sibi complacet in vobis pro disciplina vestra, & Ordinis zelo, pro obedientia, & voluntaria paupertate, pro quibus sine dubio merces vestra multa est in cœlis. Vnde rogo vos fratres, & multum obsecro, sic agite, & sic state in Domino dilectissimi, sollicitì semper circa custodiam Ordinis, vt Ordo custodiat vos:
h Ephes. 4. [h] *solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, mutuam in vobis metipsis, maximéque ad Prælatos charitatem humilem habentes, quæ est vinculum perfectionis. Humilitatem ante omnia, super omnia pacem sectamini, propter inhabitantem spiritum Dei in vobis, qui non nisi*
i Esai. 66. *super quietum,* [i] *& humilem requiescit. Cæterùm vnum quidem petiit à me venerabilis Abbas vester, quod mihi minime bonum videtur. Credo autem quòd & ego spiritum Dei habeam, & consilium Dei in hoc. Scio equidem, quòd in regione habitatis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus, sed mementote*
k 1. Cor. 12. *quis dixerit:* [k] *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Et cùm infirmor, inquit, tunc fortior sum. Compatior vtique, & multum ego compatior doloribus, & miseriis, & infirmitatibus humanorum corporum, sed timenda multo magis, ampliusque cauenda infirmitas animarum. Propterea minimè competit religioni vestræ, medicinas quærere corporales, sed neque expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At verò species emere, quærere Medicos, accipere potiones, religioni indecens est, & contrarium puritati, maximéque Ordinis nostri, neque honestati congruit, nec*
l Matth. 6. *puritati.* [l] *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* [m] *Scimus*
m Rom. 8. *autem, quia qui in carne viuunt, Deo placere non pos-*
n 1. Cor. 2. *sunt.* [n] *Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & quærenda potiùs humilitatis, & clamandum in toto corde:*
o Psalm. 40. [o] *Sana animam meam Domine, quia peccaui tibi. Huic sanitati, fratres dilectissimi, operam date, hanc sectamini, hanc seruate, quia vana salus hominum.*

9. Hactenus Sanctus ad filios sibi charissimos, quæ vt Prælatis vsurpanda negem, hoc nostro æuo nimis delicato: sic subditis æternum recolenda, cùm infirmantur, ne cuncta sibi debita arbitrentur, etiam quæ supra statum paupertatis, aut plus æquo grauentur, si quid defecerit. Certè à pharmacis Monachos abstemios multo tempore Cistercium conseruauit. Inde enim auctor Exordij magni, qui non eodem, sed sequenti sæculo scripsit, cùm exemplum de fratre illo Medico, cui beata Virgo electuarium denegasset, cunctis aliis concessum, retulisset, cùm in similes, zelo religionis accensus, inueheretur, non in vtentes arrefactis medicinis, quales tunc nulli inueniebantur, inuectus est: sed
p lib. 5. c. 19. herbis tantùm agrestibus, & vilibus. [p] *Vbi sunt,* inquit, *fratres illi, qui nimis affectuosè diligentes sanitatem moriturae carnis, tota curiositate, atque intentione occupantur ad quærendas, & colligendas quaslibet viles, & agrestes herbulas, vel radices, & nihilominus hyeme solliciti sunt, easdem exsiccando, terendo,* &c. Viles, inquam, & agrestes herbulas, vel radices, quibus solis eis vti permittebatur. Sed de his satis. Pro Abbate, & Monachis sancti Anastasij extat in iure Decretalis Gregorij IX. *in cap. graue gerimus* 19. de officio iudicis ordinarij.

Petrum Bernardum accendendo igni præfectum 10.
in Claravalle, quo hyeme seminudi fratres, post decantatas vigilias reficerentur, tabella hodieque appensa insinuat, in ipso calefactorij (sic vocant) limine, posteros in hæc verba commonefaciens. *Hoc in Claustri calefactorio Monachus se calefaciat sine voce, sed cum silentio, & decore omnia faciat. Talis fuit Pater Eugenius calefactor Clarevallensium, quem præclara virtutis genius Romæ vexit ad Pontificium.* Hactenus Tabella. Humilitate vsque ad hæc ministeria deprimente virum, quem propria merita postmodum extollerent, etiam vsque ad summum Ecclesiæ Pontificatum. Sed de his aliàs.

Nunc ad Abbatem Farsensem redeamus, suæ 11.
deuotionis effectu defraudatum, iterumque fraudandum, sed nunquam merito. Is cùm videret præoccupatos fratres, quos sibi sanctus Pater transmisisset, atque Innocentio summo omnium pastori, nec licere resistere, nec posse: quod Monasterium in Italia non potuerat, trans Alpes saltim decreuit ædificare, & Gerardo Monacho ex suis secum assumpto, viro prouectæ ætatis, verùm virtutis longè prouectioris, Claramvallem aduenit, Bernardum Patrem deuotus visitauit, nec non sexcentas argenti marchas obtulit, de quibus domus ædificaretur. Inde suscepta Sancti benedictione, ad Germaniam perrexit, hæc & alia cum Imperatore Conrado (nam locus in illius ditione electus fuerat) pro maiori domus augmento pertractaturus. Cæterùm Deus, cuius inscrutabilia iudicia, bonos etiam conatus sæpe eludunt, quo virtus vel in ipsa frustratione magis, ac magis defæcata purificetur: vt olim Monachos præceptis Summi Pontificis, sic tunc prædonum rapinæ marchas exposuit, quo vir deuotus semel iam fraudatus, iterum suo desiderio defraudaretur.

An resciuerit, omnino incertum habeo: con- 12.
stat, cùm ad Moguntiam peruenisset, ad cœlestia vocatum, quod par est credere, præsentem vitam cum morte commutasse, transmisso antè Gerardo ad Claramvallem, ibidem vsque ad mortem permansuro. De his in libro sepulchorum Claræuallis hæc scripta lego. *Tertium locum obtinuit diuus Gerardus Farfensis Cœnobij Monachus, vir grandæuus ætate, sed moribus sic excellens, vt potius omnibus admirabilis videretur, quàm imitabilis. Hunc Abbas suus plurima generositate præditus, sed multo magis religione præcellens, & beati Bernardi specialis amator, ad eum veniens, dum adhuc viueret, secum adduxit, in sua, vel in nostra regione nouam ex filiis eius construere cupiens Abbatiam. Cumque huius rei gratia præsentiam excellentis Principis Conradi Romanorum Regis adiisset, in ciuitate Moguntina, Domino vocante, decedens, ipsum venerabilem dominum Gerardum ad charissimum omnibus beatum Bernardum, & ad Cœnobium Clarevallensem transmisit,* &c. Hactenus ibi. Sed de Gerardo plura à nobis statim. Farfensem Abbatem Berardum fuisse constat, huius nominis tertium, cui Adenulphus successit hoc ipso anno.

At sanctus Pater (nam neque hoc silentio præ- 13.
teribo) cùm accepisset amissum argenti pondus,
[q] *Nihil aliud respondit* (ait Gaufridus) *quam Bene-* q lib. 3. c. 6.
dictus Deus, qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui tulere leuius indulgendum, sunt enim Romani, & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ipsa tentatio. Hactenus ille. Qui etiam addit, plura loca fundandis

fundandis Monasteriis, per vim, aut fraudem Abbati sancto ablata, non solùm æquo, sed gratanti tulisse animo, dum contendere nollet, & vinci gloriosius haberet, quàm litigare.

1. Gerardi in Farfa visio de seipso, 2. non multo pòst adimpleta in Claravalle. 3. Frequentes aliæ eiusdem consolationes. 4. Creatio Stephani in Cardinalem Prænestinum. 5. Hugonis Victorini mors. 6. Liber Richardi ad Bernardum Patrem de appropiatis personis: 7. itemque alius de Incarnatione: 8. & tandem variæ aliæ quæstiones. 9. Ottonis pietas, atque in Præmonstratenses munificentia. 10. S. Baldumi Reatini Abbatis mors, & sepulchrum.

Capvt IX.

1. Gerardum iam provectæ ætatis virum, Farfensem Monachum à proprio Abbate in Claramvallem missum, cùm in extremis ageret, præcedenti capite tradidimus. Reliquum est, vt quæ pauca de sancto viro habemus, vsque ad hanc diem, & si qui alij huius anni euentus fuit, proferamus in medium: nam de sancta, & pretiosa morte eius in proprium tempus plura reseruabimus. Cæterùm de Gerardo, quantus vir fuerit, & qualem aduentum ipsius in Claramvallem reuelatio præcesserit, dum adhuc in Monasterio Farfæ demoraretur, non aliunde securius hauserimus,
a lib. 3. c. 15. quàm ex verbis Exordij magni, quæ ita habent.[a] *Dilectus à Deo, & hominibus Gerardus de Farfa, cuius memoria in benedictione est, quemque pro sua singulari puritate, & sanctimonia, beatus Bernardus singulari gratia præ cæteris honorabat, & ipse amicabilem, atque amabilem nimis vniversitati congregationis in omni forma religionis exhibebat: dum adhuc esset Monachus in Farfa (quæ est Tusciæ nobilis Abbatia) reuelante Domino, vidit in spiritu se transpositum in Claravalle, officiumque gerentem, vt cum duobus vaccinis singulas officinas circumiens, fratrum manibus abluendis aquam infunderet. In quo nimirum designatum fuisse, rei exitus docuit, quòd ipse futurus esset, qui fratrum Claravallensium excessus quotidiana, imo fere continua oculorum inundatione quasi duobus infusoriis ablueret.*

2. *Cùm itaque hac dulci reuelatione futurum præsagium accepisset, exarsit continuo in præcordiis eius vehemens ignis sacri desiderij. Neque enim omnino quiescere poterat spiritus eius, donec pauperum Christi, quorum se seruitio deputatum fuisse diuinitus cognouerat, consortio iungeretur. Cumque cæteris floresceret virtutibus, sacra tamen compunctionis pietas specialis prærogatiua pectus eius repleuerat, ita vt columbina pupilla oculorum eius rarò quiescerent, sed tanquam gemini fontes ferè vbique, præsertim in celebratione diuini mysterij, maximo lachrymarum imbre faciem eius madidarent. Habebat autem gratiam singularem tam apud Deum, quàm apud homines, quam vniversi mirabantur,*
b Actor. 6. [b] *& intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli stantis inter illos, at-*
c Mach. 15. *que dicebant,* [c] *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniversa societate nostra.*

3. *Huic autem Dominus multas (quod dubium non est) consolationes in abscondito faciebat, ipse tamen vt verecundus, & humilis, virtutes suas latere malebat. Et nullus ei super huiusmodi, propter sanctitatis illius reuerentiam, molestus fieri audebat. Nouitius autem quidam Iulianus nomine, honesta vita Sacerdos, qui de Ordine Regularium Clericorum Claramvallem se contulerat, vidit aliquando spiritum immundum in choro ad instar hædi petulanter peruagantem. Qui cùm venisset ante ipsum, aliquandiu substitit, & cœpit eum rictu patulo subsannare, obscœnum caput contra eum exagitando, & dentes adinuicem mouissime concutiendo. Cumque recessisset ab eo, venit, & stetit ante hominem Dei Gerardum, & cœpit eum similiter petulcam animal fœdis gestibus irridere, à quo magis irrisus, atque exsufflatus illico tanquam fumus euanuit, & vltra eum Nouitius non vidit. Qui mox accepta colloquendi licentia, percunctatus est eum, vtrùm in choro in illa tali hora aliquid conspexisset. Perpendens autem senior eum secreti illius conscium fuisse, confessus est ei, phantasmaticum hædum se vidisse, qui ludicris motibus se & illum pariter subsannasset. Quod audiens Nouitius ille, miratus est valde, atque per hoc intellexit, quod multa huiusmodi cerneret, licet secretum suum Deo, & sibi teste conscientia celaret.* Hactenus in Exordio de sancto viro. Cæterùm mortem eius pretiosam, quæ post obitum Bernardi Patris contigit, coruscantem miraculis, atque illustrem reuelationibus (nam reliqua caligo, vt alia obtexit) in proprium locum ex more reseruamus.

Hoc ipso anno venerabilis Stephanus, ingentis gloriæ vir, discipulus Bernardi in Claravalle, Cardinalis Episcopus Prænestinus (ex Cistercio tertius, secundusvè, nam de Martino nunquam affirmauerim) mense Decembri creatur ab Innocentio. 4.
Is patria Catalaunensis, genere nobilis, atque Pontifici, ob egregias animi dotes, eximiè charus, cum aliis nouem renunciatus est, si credimus[c] Ciacconio, primus omnium Monachatum confirmat Arnoldus Abbas, simulque viri dotes, nominati inter plures Bernardi filios.[d] *Præneste,* inquit, *Stephanum habuit totius gloriæ virum.* At patriam, gratiamque apud Innocentium, sancti Bernardi epistola testatur, ad eumdem Stephanum scripta, quæ ita ait.[e] *Vestra Catalaunensis Ecclesia fecit quidem electionem, sed qui electus est, ecce iam diebus multis debito honore fraudatur.* Et paulo inferiùs. *Ipsum* (idest, Innocentium Summum Pontificem) *duxi necessarium in magno Ecclesiæ labore, & periculo compellare, & per nullum dignius, quàm per vos, qui eius lateri, & spiritui adhæretis,* &c. Ergo Stephanus Innocentio Papæ charus, successoribus magno semper in pretio fuit. Extant ad ipsum, & alios duos Cardinales Episcopos, Hostiensem nimirum, & Tusculanum, plures Bernardi epistolæ, quas nos etiam inferiùs adducemus.[f] Ciacconius subscriptum affirmat diuersis bullis, Innocentij secundi, ad Ecclesiam Parmensem, anno M. CXLI. ad sanctum Benedictum Mantuanum, anno M. CXLII. Cœlestini ad sanctum Fridianum Lucensem, anno M. CXLIII. Lucij secundi ad sanctum Benedictum item de Mantua, anno M. CXLIV. Ferdinandus Vgellus in suis Tabulis, vsque ad annum M. CLVIII. venerabilis viri vitam productam adstruit, sed dum auctorem aut non habet, aut non producit, vacillat fides.

c sub Inn. 2.
d lib. 2. vit. S. Bern. c. 8.
e epist. 223.
f In Innoc. 2.

Hoc eodem anno, vt habet Robertus[g] Montis, præsentem cum meliori vita commutauit æquè pius, ac doctus, atque ex vtroque celebris Magister Hugo de sancto Victore: summus quamuis Philosophus, & Theologus, vt ex eius operibus habemus: adeò vt *secundus Augustinus* 5.

g continuat. Sigibert. ad hunc ann.

Thomæ

(Thomæ [h] Cantipatrani verba adſumo) *hoc eſt, ſecundus ab Auguſtino in ſcientia dictus ſit*; Bernardum tamen ſolitus conſulere in grauioribus Theologiæ difficultatibus, quod ſuperiùs à nobis eſt notatum. Viſitur hodieque ſepulchrum viri in ſuo ſancti Victoris Monaſterio, ſuperpoſita honorifica inſcriptione, quam Baronius [i] inſeruit ſuis Annalibus. Cæterùm, quod Baronius omiſit, hîc ſubiungam, in exemplum monaſticæ obſeruantiæ, perfectiſſimis etiam formidandum, cùm in extremis ageret, *à quodam Canonico ſuo* (eiuſdem Cantipatrani tempore ſubæqualis verba tranſcribo [k]) *qui eum in vita valde dilexerat, adiuratus eſt, quatenus ei poſt obitum appareret. Libenter, inquit, ſi hoc mihi per vitæ, & mortis Dominum concedatur. His conditionibus mediis Magiſter Hugo defungitur, nec multo poſt redit ad ſocium præſtolantem, dicens: Ecce ego, quære, quod vis, morari non poſſum. Tunc ille, etſi cum timore, non tamen modicè gratulatus: Quomodo, inquit, dilectiſſime, tibi eſt? Bene ait, nunc mihi eſt: ſed quia dum viuerem, accipere renui diſciplinam, vix vllus dæmonum in inferno remanſit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium tranſeunti.* Hæc de Hugone Thomas, & nos ex ipſo.

h l. 2. apum. cap. 26. pag. 5.

i ad ann. Chriſt. 1140.

k Cantipatr. vbi ſuprà.

6. Verùm, vt Hugo ætate fortaſſe iunior conſulere Bernardum, ſic Bernardus Richardum conſueuit: conſummatiſſimum æquè virum eiuſdem ſæculi, atque eiuſdem Cœnobij, & cuius ſcripta hodie æquè leguntur. Extat in his tractatus ſatis elegans de tribus appropiatis perſonis in Trinitate, ad diuum Bernardum ſcriptus, ſub hoc initio. *Quæris à me mi Bernarde, quid mihi videatur de illa Auguſtini ſententia, in qua attribuitur Patri vnitas, filio æqualitas, Spiritui ſancto vtriuſque concordia. Libenter aperio mihi alteri, quod ſentio, communicare volens, ſi quid rectè, vel ex quantulacumque parte ſapio: ſimul & corrigi ambiens, ſi quid aliter ſentio. Propria, ſi placet, ſingulorum conſideremus, & fortè eluceſcet, quod quærimus.* Ita planè vterque eximiè docens, vterque docibilis, cùm charitate omnimodis vnirentur, vnde & ſe alterum Richardus Bernardum vocat, ſolo amore ſapientiæ diuidebantur, inuicem correctores, & corrigendi.

7. Extat & alius de incarnato Verbo tractatus, ſub tali titulo. *Richardi ſancti Victoris, doctoris præclariſſimi liber de Verbo incarnato . . . ad diuum Bernardum Abbatem Claravallenſem.* Initium tamen capitis primi tale eſt. *Ad me clamat ex Seir,* [l] *cuſtos: Quid de nocte? cuſtos: Quid de nocte? Venit manè, & nox, ſi quæritis, quærite: conuertimini, & venite. Hæc ſunt, quæ mihi exponenda proponis, & fatuitatem meam fatigare non erubeſcis.* Ita Richardus, per ſeptendecim capita accuratè, & exactè myſterium verborum explicans. In fine verò capitis poſtremi, alloquens item Sanctum, ita concludit. *Ecce de materia modica, ſed multum profunda, dixi quod potui, & quomodo potui, ſi inſipiens factus ſum, tu me coëgiſti.*

l Eſaiæ 21.

Denique extant variæ aliæ quæſtiones propoſitæ à Bernardo, de quibus peculiarem item tractatum Richardus edidit, nempe ſub hoc titulo. 8.
Declarationes nonnullarum difficultatum Scripturæ ad Bernardum Claravallenſem. Porrò in his adeò amicè ludit, colluditque, vt non ſolùm propoſitis reſpondeat, ſed alias excitet, de quibus ipſe facetè, & familiariter. *Fateor, iam non poſſum exactionis tuæ importunitatem æquanimiter tolerare, qui me cogis non ſolum mihi à te, verum etiam tibi à me propoſitas quæſtiones ſoluere.* Vt non immeritò Cardinalis [m] Baronius aſſerat, in his libellis planè demonſtrari magnam inter vtrumque familiaritatem interceſſiſſe. Hæc de amicitia Bernardi cum Richardo, & variis huius ad eum ſcriptis opuſculis: quæ, quia certus annus nondum ſubeſt, occaſione Hugonis Victorini, huic potius, quàm alteri adſcripſimus.

m ad hunc ann.

Hoc ipſo anno Friſingenſis nouus Epiſcopus, 9.
illuſtris Otto Auſtrianus, ſui Pontificatus ſpecimen prælaturus, complura Monaſteria, quæ dudum Hungari, & Arnaldus Bauariæ Dux impiè vaſtauiſſent, religiosè reſtituit, dotauitque, ex quibus duo, Scheftleim, & Schliers, Præmonſtratenſibus Canonicis inhabitanda tradidit, quod à Virgulæo Hundio notatum lego. [n] *Anno*, ait, *M. CXL. Otto magnus, Friſingenſis Epiſcopus, erexit, & renouauit Clauſtrum prædictum, ſcilicet Scheftleim, & poſuit ibi Canonicos regulares, de Ordine Præmonſtratenſi, in perpetuum duraturum.* Et paulo inferiùs. *Schliers. Hoc Monaſterium, cum aliis pleriſque, circa annum 907. per Hungaros vaſtatum, per Ottonem Epiſcopum, cum fratre Henrico Duce Bauariæ ex familia Leopoldorum, Auſtriacorum Marchionum, vna cum aliis Monaſteriis Bauariæ, circa annum 1140. reſtauratum eſt, tranſlatis Canonicis regularibus (intellige Præmonſtratenſibus) pro Monachis Benedictinis, qui idem olim Cœnobium inhabitauerant.* Has Ottonianæ pietatis, poſt infulas acceptatas, primitias ſacras, ſilentio præterire, nefas duceren.

n in catalog. Monaſt. lit. S.

Hoc item anno miraculis illuſtris, meritis cla- 10.
rus, ſanctus Balduinus ad Superos transfertur, Bernardi filius, quem in primum Reatini Monaſterij patrem, atque paſtorem, ante decennium ab eodem ſancto Patre promotum diximus. De eo Philippus Ferrarius, & ex eo Ferdinandus Vghellus, ex monumentis Eccleſiæ Reatinæ, hæc habent verba. [m] *Multis operibus, & miraculis clarus, obiit anno M. CXL. & in Cathedrali Reatina humatus eſt, ibique ſumma cum veneratione, Auguſti vndecima die colitur.* Nobis aliunde nec acta ſcire datum, neque miracula, imò nec qua occaſione in Cathedrali Reatina, & non in propria S. Paſtoris ſepultus iaceat, quamuis vrgentem non liceat dubitare. In Menologio die quinta decima Iulij commemoratur, ſed nulla maiori notitia, quam ea, quæ ex epiſtola Bernardi hauriri potuit, cuius nos etiam fragmentum ſuprà adduximus.

n ſub Inn. 2.

---

1. Series Monaſteriorum præſentis anni. 2. Caſemarij antiquitas: 3. & dictum de ſancto Dominico Sorano, ſed remiſſiuè. 4. Illius ſub Ciſtercio eximia ſanctitas. 5. Viri illuſtres, memoria, & ſitus loci. 6. Ripatorij Alanus primus Abbas, 7. ab Alano Doctore vniuerſali longè diuerſus. 8. Dotatio prima ex multorum largitionibus, 9. augmentum Villarduinæ familiæ largitas fuit.

CAPVT X.

1. RECenſendæ iam nobis fundationes, non paucæ numero, nec qualitate infimæ, quarum notitiam Chronologia miniſtrat ſub hoc tenore.

Anno M. CXL. pridie Nonas Aprilis fundata eſt Abbatia Caſemarij.

Eodem anno, quarto Idus Aprilis Abbatia de Ripatorio.

Eodē anno, Kalendas Martij Abbatia Clarimariſci.

Eodem

Eodem anno, septimo Kalendas Iunij Abbatia de Alta sylua.

Eodem anno, quinto Kalendas Augusti, Abbatia de Hersuvitusem.

Eodem anno, Kalendas Augusti, Abbatia de Cogesalem.

Eodem anno, pridie Idus Augusti, Abbatia de Chemerens.

Eodem anno, quarto Kalendas Septembris, Abbatia Veteris villa.

Eodem anno, & die, Abbatia de Keseriaco.

Eodem anno, decimo sexto Kalendas Octobris, Abbatia Obacine.

Eodem anno, & die Abbatia de Blanca landa.

Eodem anno, octauo Kalendas Nouembris Abbatia sancti Anastasij.

Eodem anno, Kalendas Nouembris Abbatia de Newotel.

Eodem anno, quarto Nonas Decembris Abbatia de Trappa.

Eodem anno, duodecimo Kalendas Ianuarij, Abbatia Campi.

Eodem anno, quinto Kalendas Februarij Abbatia Frigidi montis.

Eodem anno, Abbatia de Vrsaria.

Eodem anno .... Abbatia de Prato benedicto.

Eodem anno, decimo Kalendas Martij Abbatia de Stanlegia. Hactenus Chronicon. Circa quas domos hæc breuiter notanda.

2. Celebre Casemarij Monasterium, quod anno M. XXXVI. orbi exortum, [a] si Baronio credimus, hoc ipso Cistercientia iura suscepit, sub disciplina Cœnobij Claræuallis. Eius initia, ex antiquo MS. Cardinalis Baronius adstruit in hunc modum. [b] *Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M. XXXVI.* (sic ipse corrigit) *indictione quarta, erant in ciuitate Verulana quidam boni meriti Clerici, qui seruantes præcepta Dominica, diuinaque iudicia meditantes, ac dicentes: Væ nobis, qui nomine Clericatus habentes officium, vitam neque canonicam, neque monasticam ducimus. Quid de nobis erit? Quid in extremo dicturi sumus examine? ad cuius auxilium confugiemus?* [c] *Faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum ab hac vita migrauerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Talia animo voluentes, atque dicentes, adiunctis quibusdam laicis fidelibus eiusdem ciuitatis, venerunt ad fundum, qui dicitur Casemarij, in territorio Verulano. Videntesque ibi antiqua ædificia, vbi dicitur Templum fuisse Martis, distans ab eadem ciuitate milliaribus tribus cum dimidio, ibidem commorari cœperunt in eodem loco, & adiuuante misericordia Dei, Ecclesiam in honorem sanctorum Ioannis, & Pauli condiderunt, & non post multum quatuor ex ipsis, scilicet Benedictus Presbyter, Ioannes Presbyter, Vrsus Presbyter, & Azo Presbyter, euntes ad venerabilem virum Ioannem Abbatem sancti Domini, susceperunt ab eo habitum sanctæ religionis. Indeque in locum iam dictum redeuntes, Abbatem vnum de suis sibi elegerunt, Benedictum, virum religiosum, qui fuit natus in dicta ciuitate Verulana, & sub eo in dicto loco Christo Domino seruierunt.* Hactenus ex antiquo MS. Pergit Baronius. *Hæc sunt nobilissimi Monasterij primordia, quæ dicto anno contigerunt trigesimo sexto post millesimum, quo indictio quarta currit, cum & Ioannes iam præerat, vt dictum est, Monasterio sancti Dominici.*

a ad ann. 1030.

b ibidem.

c Lucæ 16.

3. *Ita Baronius certius tempus notans. Verùm quod attinet ad Monasterium sancti Dominici, ex quo Casemarium religiosam vitam hausit, celebre satis sub eodem Sancto (à primo namque Abbate nomen accepit, qui anno M. XXXI. conscendit Superos) & sub Ioanne illius successore, quia frigescente obseruantia post tempus aliquod, Casemario vnitum, ac Cisterciensis iuris effectum est, qua, & qualia illius initia fuerint, qui progressus, & casus, nam vtrosque expertum, suo & loco & tempore dicemus.*

Itaque Casenarij Cœnobium satis celebre, atque ante centum annos mundo exortum, quo sanctæ regulæ firmiùs adhæreret, Cisterciense institutum amplexum est, magistros, itaque suscepturum ex Claraualle. An Ioannes statim præfectus à sancto Patre, affirmare non ausim. Certum, eundem virum planè sanctissimum, & spiritu pollentem prophetiæ tenuisse clauum domus circa annum Christi M. CXLIX. quo tempore ad Bernardum Patrem scripsit, mortem illi prædicens, vt pòst videbimus. Interim adnoto, ad eiusdem viri laudem, & sanctæ domus illius venerationem, sub his reformationis eius initiis, visitatam frequenter a sanctis Ioanne, Pauloque, quos cœlo mirabiliter delapsos, atque ad se venientes, Monachi veros patronos experiebantur: quod idem ipse Abbas Bernardo scribit. [d] *Sed ne* (inquit) *in dubium veniat, quod dico, quasi Patri meo spirituali aperio, quòd patroni nostri beati Ioannes, & Paulus sæpius nos visitare dignati sunt.* 4.

d inter epist. S. Bern. epist. 333.

Habuit & Casematium alium Ioannem, virum illustrem sub Innocentio tertio, atque eiusdem Legatum ad Calojoanem, magnum Vulgariæ Principem, de quo nos infra: sed & de aliis, quos aloit, viris sanctissimis. Distat ab vrbe Verulaoa, vt dictum est, milliaribus tribus cum dimidio, à Sora septem: insigni patria Cæsaris Baronij, Ecclesiasticæ historiæ parentis hoc nostro sæculo. Extat Monasterij ipsius in iure mentio, discussa causa, & Cœnobio adiodicata per Innocentium tertium, *in cap. in præsentia*, de probationibus; licèt nonnulli codices mendosi, vt in locorum nominibus frequenter, Caseu, pro Casemario scriptum habeant. Filias, & reliquos progressus eiusdem domus, nam certè plures habuit, reddemus in tempore. Cæterùm incrementa Cassæmarij per Honorium III. cui domus in delitiis à prima adolescentia, in Pontificatu eximiè chara fuit, sub eodem Pontifice dicemus. 5.

Casemarium sequatur Ripatorium hoc ipso anno ex Claraualle genita, in diœcesi Trecensi, cui primus Abbas Alanus designatot, post annos aliquot Hugoni successurus in Antissiodorensi præfectura. Is patria Belga, in Flandriæ insulis ortus, vnde Insulensis cognomen sortitus est, ante annos aliquot Bernardum Patrem sequens, nempe, cum Godefrido de Perona, & Roberto de Brugis, Monachum dudum agebat in Claraualle. *Postea verò* (ait liber sepulchrorum Claræuallensium) *Abbas primus factus est Monasterij, quod Ripatorium nominatur, cui per annos duodecim præsidens, Domino cooperante, satagis, vt personis vtilibus, & possessionibus necessariis, videlicet grangiis, syluis, agris, pratis, & pascuis, idem Monasterium ditaretur.* Hactenus ibi. Nam quæ de promotione eius Antissiodorum, Bernardo adhuc viuente, subiunguntur, suis venient locis referenda. 6.

Robertus Holcot, & quod magis mireris, multi ex Flandris, Alanum hunc cum Alano magno confundunt, prorsus immeritò: quippe ille conuersus, iste Monachus, ille in Cistercio, hic in Claraualle, ille multa, & præclara scripta edidit, hic vitam tantùm Bernardi compilauit, ille aliis Hispanus, quibusdam Gallus, hic cunctis Belga: denique ille sæculo tertiodecimo sub finem, hic duodecimo florens, omnibus penè circumstantiis diuersus fuit. Extat ad nostrum Alanum 7.

Insulensem

e tom. 12. Biblioth. p. 2. pag. 351. col. 2. Insulensem epistola familiaris Petri Cellensis, e qua mirè virum colit, & reueretur. Sic & Cœnobium Ripatorij memorant Tornacensis Episcopus Stephanus, & alij graues auctores illius æui.

8. Cæterùm quod ad fundationem ipsius attinet, ex largitionibus plurium coaluisse, quos Attonis Trecensis tunc Episcopi pietas, & industria solicitabant, ob quod etiam à multis fundator dicitur, habemus ex litteris eiusdem deuoti Præsulis, quibus & Monachos adductos à se ait, in suam, & Trecensis Ecclesiæ tuitionem (egregium sanè encomium nascentis domus, & singulares singularium fidelium donationes latè recenset, & prouidè confirmat sub hoc initio. f *In nomine sanctæ, ac indiuiduæ Trinitatis. Hatto miseratione diuina Trecensis Ecclesiæ humilis minister, Catholicæ matris Ecclesiæ filiis, tam posteris, quàm præsentibus in perpetuum. Si commissum nobis officium, dignè Deo administrare satagimus, pauperes Christi benignè colligere, & res eorum vsibus profuturas pia sollicitudine tueri, ac protegere debemus. Quapropter religiosum Cœnobium de Ripatorio, & fratres ibidem Deo militantes intuitionem Ecclesiæ Trecensis, & nostram non sine multa deuotione suscepimus, & res ei attributas Ecclesiastica libertate communimus, singula nominatim determinantes suis distinctionibus. Dominus Gerardus Abbas sancti Lupi assensu totius Capituli sui donauit Monachis de Ripatorio locum illum, qui dicitur Busejacus, cum omnibus appendiciis suis, videlicet quæ ibi habebant. Testes dominus Gaufridus Carnot Episcopus, domnus Bernardus Abbas Claræuallis. Guillelmus Abbas sancti Martini. Odda Præpositus. Manasses Archidiaconus, Gibuinus Cantor, dominus Guido Arremarensis Abbas pari assensu fratrum suorum donauit eisdem locum illum, qui dicitur Brusiliacus, cum omnibus appendiciis suis.* Hactenus ex litteris Attonis, quæ latè plures alias donationes à fidelibus factas prosequuntur. Extant ad hunc Attonem plures epistolæ venerabilis Petri Cluniacensis: atque item elegans alia Bernardi g Patris, g epist. 304. cum erogatis cunctis, quæ possidebat in vsus pauperum, nuper instantem mortem euasisset, cùm penitus de ipsius salute desperaretur. Atque hæc quidem primordia huius Cœnobij.

f apud Camuzat. in miscel. fol. mihi 317.

Sed nihilominus Nicolaus Camuzatius, vir eruditus, & de Ecclesiastica antiquitate optimè meritus, vlteriùs addit. 9. h *Ripatorium amplissimis prouentibus, vberrimisque redditibus copiosissimè tandem locupletatum insigni liberalitate, & munificentia dominorum de Villa Harduini, & de Capis: quorum aliqui in eodem postremam sepulchri sedem elegerunt. Quin & idem Cœnobium gentilitia Villarduinæ familiæ insignia præ se ferre.* Hactenus ille. Distat Ripatorium ab vrbe Tricasina duabus leucis, in libris Cameræ prætermissa domus, quæ ab aliis, vt i Robertus Claudius notat, Artiparotium, vulgò *Earicur*, consueuit nuncupari. In litteris Innocentij Papæ IV. idem Cœnobium Androvorium vocatum olim traditur, indultumque à Ludouico Rege Monachis, & Conuersis eiusdem domus, vt ab omnibus in victu, & vestitu ad eorum vsus spectantibus, per terram suam pietatis intuitu, liberi omninò, & exempti esse deberent. *Monachos*, inquit, *& Conuersos Monasterij vestri, quod nunc Ripatorium, tunc verò temporis Androvorium vocabatur.* Cæterùm prioris illius nomenclaturæ non vllam alibi mentionem fieri video. Ripatorium inter alia plura illustrat corpus beatæ Ioannæ, cognomento Reclusæ, quod anno M. CCXLVI. in eodem Cœnobio tumulatum, in die S. Iacobi Apostoli dicitur multis miraculis claruisse.

h vbi suprà.

i in sua Gall.

1. Claromarisci illustres fundatores. 2. Primus Abbas ex Priore Claræuallis. 3. Posteriores aliorum donationes, 4. mirandus situs, 5. & nonnulli viri præclari. 6. Quid de Alta sylua? 7. Hersuuithusen fundator, & primi, aut ex primis illius Abbatis zelus. 8. Mos Ordinis in morientes cum proprietate. 9. Dicta de Chemeron pauca, & in dubio, de Cogeshala tantùm remissiuè.

CAPVT XI.

1. SVccedat Abbatia Claromarisci tenuibus initiis præconcepta, necdum formata, sed hoc anno erumpens, atque eo validior, quo detentior. De ea Ioannes Iperius hæc habet verba. a *Anno sequenti* (scilicet M. CXL.) *Theodericus Comes, & Sibylla eius vxor, in hereditate sua propria, iuxta villam sancti Audomari, inter paludes, & nemora Monasterium ædificauerunt, in honorem B. Virginis Mariæ, & B. Bernardo tradiderũt. Qui locum in Marisco situm Monachis Cisterciẽsibus instituit, & propter religionis puritatem Clarum mariscum nominauit, Abbatem eis præficiẽs dominum Gaufridum Monachum Claræuallis. Postquam verò rexerat annis ferè octo, subrogatus est Abbas Guillelmus, qui viginti annis præfuit. Iste Guillelmus Ecclesiam, Claustrũ, & cæteras religionis officinas transtulit de loco illo, qui adhuc propter hoc vocatur Vetus curia, ad locum vbi nunc sunt.* Hactenus Iperius. Porrò seriem Abbatum Claromarisci Ferreolus Locrius adducit hoc ipso anno, & nos etiam ex ipso in appendice.

a apud Ferreol. Locr. in Chronic. hoc anno.

2. Cæterùm quod ad primum Abbatem attinet, sciat Lector, eum fuisse Gaufridum, seu Gũfridum (sic enim alij nominant) qui assumpto Lingonas antecessore, officium Prioris exercebat in Claraualle. Sic enim in Catalogo eorum lego. *Quartus Prior Claræuallis Gaufridus, postea primus Abbas Claromarisci.* Porrò de ipso, & missione eius in Flandriam, Philippus Seguinus Gallus hæc habet verba. b *Gaufridus claro sanguine ortus, Monachus & discipulus sancti Bernardi, vir totius religionis exemplar, & decus, vita & conuersatione præclarus, humilis, doctus, & verus obedientiæ filius à sancto Bernardo in Flandriam, cum duodecim aliis fratribus missus, primus Claromarisci Monasterij, in territorio Morinensi institutor fuit.* Hæc ille. Verùm de meritis, sanctitateque Gaufridi, atque eius pretiosa morte, infrà dicemus. In Claraualle Gaufridus alius successit, dictus de Perona, quem ex partibus Flandriæ adductum à sancto Patre, cum aliis pluribus superiùs cõmemorauimus.

b lib. 3. viror. illustr. c. 3.

3. Auxere dotem Monasterij Claromarisci Arnulfus, & Matildis, Gisnensium Comites, vnà cum Balduino vtriusque filio, donatione Gaufrido Abbati facta, anno salutis M. CXLV. quam Milo Morinorum Episcopus, anathemate in contrauenientes indictu confirmauit, eodem anno. Nec multis pòst, Christi nimirum M. CLXXIV. idem ipse Balduinus, & Christiana eius vxor, quæ Marchisieosem vicecomitatum, & dominium Ardense, secum tulerat, eamdem Abbatiam locupletarunt, pluribus possessionibus concessis, sub dotis nomine. Circumferuntur, leguntur que instrumenta, quæ Aubertus Miræus in lucem dedit, tum in libro c donationum Belgicarum,

c lib. 1. c. 56.

rum, tum in [d] Noritia Ecclesiarum Belgij, quam exteris non sine proprio labore, industriaque, sed multo cum maiori nostro fructu communicauit. Taxatur Claromariscus io libris Cameræ octingentis florenis, estque, vt Aubertus Miræus adnotauit, iu limites Arresiæ pronior, quamuis Meie- rus, [e] aliique nonnulli Flandriæ assigneot.

d fol. mihi 317.

e in Annal. Fland.

4. Cæterùm quod ad Monasterij situm attinet, celebres sunt paludes conuicinæ in natantibus insulis, quæ varia pecora, arbustaque sustentant. Verùm de his Iacobum Marchantium, scriptorem Belgam, rem à se sæpiùs visam, audiamus. [f] *Est*, inquit, *Abbatia Claromarisci, vbi lacus prodigiosus, cui nimirum parua insula, boum, ouiumque pascua, & arbusti consita innatant, qualem Plinius iunior describit pro soceri sui Fabati, nomine Vadimonis, in prædiis amerinis: in quo se pro miraculo vidisse scribit, innatare insulas herbidas, pascuasque, & interdum iunctas, copulatasque ire, interdum discordantibus ventis digestas, nonnunquam destitutas tranquillitate, singulas finitare.* Hæc ille, quibus consonant, quæ alij receotiores.

f in Braband. lib. 1.

5. Floruit Claromariscus viris illustribus, è quibus aliquos accepit, plures dedit. Certè, vt Aubertus Miræus adnotauit, [g] *Viri etiã summi sacra ibi militia nomẽ dedere. Fecit id anno Christi M. CCXXXIV. Iacobus quadragesimus septimus Abbas Bertinensis: & anno M. CCLXIV. Guillelmus quadragesimus nonus eiusdem loci Antistes, teste Iperio in Chronico Bertinensi.* [h] Iacobus Marchaotius inter Flandrus illustres, memorat Hubertum Rodulfum Abbatem Claromarisci, qui panegyrico Alexandrum Farnesium Ducem Parmæ, & Placentiæ, dum ageret Flandriæ Protegem, condecorauit. De aliis nos in sequeotibus dicemus.

g in Chronic. Cisterc. ann. 1234.

h in Braban. l. 1.

6. Altam syluam filiam Teoloci memoriæ produnt, eoque ortam de linea Morimundi, in diœcesi Tullensi; quamuis in libris taxarum prætermittatur, & quod mireris, à Roberto Claudio in Ecclesiarum Galliæ descriptione: nisi fortè confundit cum Siluanesio, quod Monasterium assignat eidem diœcesi. Eius mentio in iure semel & iterum, in cap. *cùm Bertoldus*, 18. de sententia, & te iudicata: & in cap. *cùm accessissent*, de constitutionibus. Abbati, & Conuentui Monasterij Altæ syluæ Cisterciensis Ordinis, Tullensis diœcesis scribit Nicolaus Papa quartus, confirmans donatiooem eisdem factam à Burchardo Metensi, *quod redditus, & prouentus Monastery propter hostiles incursus, adeò essent diminuti, vt personæ degentes in ipso, non possent ex eis commodè sustentari.* Verùm qui isti hostiles incursus fuerint, suo tempore à nobis dicendum erit.

7. Hersvvirhusao Cœnobium est in Germania, cuius nun semel meminit Cæsarius. de eo Miræus in Chronico Campensi. [i] *Anno M. CXL. in diœcesi Paderbornẽsi in VVestphalia fundata est Abbatia dicta Hersvvithusen, vulgò Hardenhausen, sumptibus domini Bernardi ab Ozede, Episcopi Paderbornensis, & à Veteri campo Monachi illuc traducti.* Hæc paucis ille. Primus Cœnobij Abbas nobis ignotus, ex primis Nicolaus ille fuit, ingentis zeli vir, neque iodiscreti. [k] *Qui fratrum suum carnalem* (Cæsarij Heistetbacensis verba sumo) *suæque domus Monachum, propter vnum obolum, qui inuentus est circa eum, cùm moreretur, extra cœmeterium sepeliri fecit, atque eundem obolum super ipsum iactari, cunctis clamantibus: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Cumque ab aliquibus de hoc facto argueretur, utpote de inhumanitate, respondit: Si saluatus est, vel saluandus, non poterit ei hæc iniuria nocere, sed magis fortasse proderit: quòd si damnatus est, cœmeterium nihil illi proderit. Ad terrorem aliorum hoc feci.*

i in Chronic. ann. 1140.

k lum. 10. Dom. in sexages.

8. Ita proprietatis olim vitium detestabantur Sancti illi Cistercij primi parentes. quibus etiam, eodem auctore, in more fuit: [l] *Cùm aliquid propry ad lectum Monachi alicuius repertum fuisset, non tolli, vt reseruetur, sed in ignem mitti, vel mortuo consepeliri.* Nempe vt non tantùm sacrilegium detestarentur, fugerentque, sed materiam, qua possent, & per materiam, memoriam, ac memoriæ incentiuum, de medio tollerent. Hæc occasione Monasterij *Hardenhausen*, in quo insignem conuersionem cuiusdam Clerici, ex horrenda visione ortam, infrà narrabimus. Cæterùm de Bernardo fundatore hæc habet Bruschius. *Fuit Romæ cum Lothario Imperatore, & ibi à Romano Pontifice consequutus est pro se, & suis successoribus vsum Rationalis, quæ dignitas alioqui solis Archiepiscopis conceditur. Construxit, & fundauit Cœnobium Herhausense, Ordinis S. Bernardi. Vicit ingenti prælio multoties sibi iniurium Henricum Comitem Arnspergensem. Obiit anno 1159. sepeliturque in Monasterio suo Hershausensi.* Hactenus ille.

l ibidem.

9. Sequitur Monasterium Cogeshaleu, sed, quod sub Sabigniaco fundatum, & perseuerans, (sicut & Vetus villa) cum aliis nobis veniet referendum. Sic Chemetens ignota hactenus domus: nisi fortè Cheminon, siue Cheminlum, Catalaunensis diœcesis, de qua in Roberto Claudio hæc pauca lego. [m] *Cheminon diœcesis Catalaunensis, filia Triumfontium, sub Claravalle. Meminit Iongelinus cap. 28.* Verùm Cheminium surgens ante trienuium in Chronologia, haud iterum hîc foret repetenda.

m in sua Gal.

1. Keseriacum floruit sub Lamberto, 2. itémque per Rolandum virum sanctissimum, 3. cuius acta periisse Auctor deplorat. 4. De Neubotle, & Dauid Rege Scotorum. 5. Inde de Trappa dubiè. 6. Decedentibus etiam in peccato beata Virgo assistit, vt resipiscant. 7. Mos Ordinis de inungendis infirmis, ante viaticum, 8. Ols in tota Ecclesia etiam communis. 9. De Campo incertum. 10 Quid Frigidus mons, 11. demum de Prato benedicto, & Melobrone. 12. Addita Egena, vbi floruit sanctus Conradus. 13. Et Monasterium Monialium sanctæ Crucis.

CAPVT XII.

1. KEseriacum celebre satis Cœnobium inter nostrates, Robertus Claudius Keriacum appellat, diœcesis Laudunensis: neque ausim dicere de alio ne loquatur, ex Abbate Lamberto, dubium an primo, Petri Tarantasieusis fratre, quem idem sanctus Bonamvallem secum adduxerat. [a] *Lambertus* (ait Abbas Altæcumbæ) *quoque Germanum suum, ab eodem conuersionis suæ initio secum traxit, qui nimirum & ipse laudabiliter conuersatus, in Cœnobio, quod Keseriacum dicitur, Abbatis officio strenuè functus est, & defunctus in eo.* crediderim de linea Cistercij domum, quæ Abbatem sibi delegit ex Bonavalle.

a in vit. S. Petri apud Sur. May 8. c. 2.

2. Idem Cœnobium sub his eisdem initiis, illustrauit Rolãdus meritis clarus, & miraculis gloriosus, quem inter Sanctos indices annumerant. *In Keseriaco, Rolandus Monachus.* Eius festum celebratur per annos singulos, officio proprio, atque indulgentiis concessis à Pontifice, solicitãtibus fidelium

deuotio

deuotionem. de eo Philippus Seguinus hæc habet verba. [b] *Rolandus Keseriacensis Monachus, vir doctus, & facundus, in summa religione, & asperitate vitæ apud præfatum Monasterium vixit. Hinc factum, vt per eius manus Dominus multa signa sanitatum dignatus sit operari. Proinde eius memoria apud suos nunquam intermoritura, respõsoriis, collectis, & antiphonis, atque indulgentiis quotannis illustratur.* Hactenus Seguinus. Breuiùs Ioannes Molanus in Appendice ad suum Martyrologium. *Rolandus* (ait) *in Keseriaco (quiescit) responsoria, & collecta habentur ibidem, & indulgentia.* Neuter anniuersarium diem designat. Nec satis video, vnde hauserit Henriquez, qui decimumsextum Ianuarij præfixit in Menologio.

b lib. 3. c. 72.

3. Testatur [c] Seguinus Rolandi gesta, & vitam, auctore Anonymo eiusdem Cœnobij, sanctitate, & doctrina præcellenti, memoriæ prodita; sed quæ dum non declarat, vbi extent, iniuria temporum, & incuria Monachorum (nam id etiam fatebor) periisse censenda sunt, vt pleraque hos Annales illustratura. Sanè qui possemus ex immensa penè segete, vberiores eligere spicas, communes spernere, nunc colligendis granis deputamur, iisque casu sparsis, & decidentibus magis, quàm repositis, & post messionem à tempore peractam; ad spicilegium vocamur vastati agri, si quid falcem euasit, collecturi. Verba Seguini in sua Bibliotheca accipiat lector, vbi tamen Rolandum Abbatem nominat, quod hactenus non video ab alio dictum. [d] *Monachus quidam in Keseriaco Cisterciensis Ordinis, vir sanctitate, doctrina; & stylo clarus, sancti Rolandi eiusdem Cœnobij Abbatis historiam aperto stylo complexus est.* Hæc ille, quæ sumpta, ait, ex archiuiis Keseriacensibus. Blancha Randa inter filias Claræuallis connumeratur, Mellifonte posterior, sed Prior S. Anastasio, adeoque haud dubiè concernens hoc idem tempus. In genesibus in VVallia sitam inuenio, notata Angliæ prouincia suppressa diœcesi. Protulit breui quatuor alias filias, Cumhir, siue Cumhira, stratam floridam, & stratam Marcelli, aliàs de Pola: Struten etiam in Anglia, & in Hibernia, de quibus suis locis, & tempore dicemus.

c vbi suprà.

d litt. M.

4. De Neubothle, aliàs de Neubothel (nam Obacinam transeo, quia recentiorem) liber taxarum meminit, & domum, ait, in regno Scotiæ sitam Santandreanæ diœcesis, centum, non ampliùs florenorum taxa præfixa. De eo Nicolaus Arspheldius hæc pauca scribit. [e] *Neubotel (aliàs Neubotle) in Laudonia (alij in Lothiania) Ordini Cisterciensi fundat sanctus Dauid Rex. Mentio in litteris Clementis Papa tertij.* Hæc ille. At de Dauid Scoto Macolmipij, & Margaritæ sanctæ filio, Hector Boëtius ista quæ sequuntur. [f] *Cœnobia quindecim partim in regni initio, partim vbi bellum, quod cum Anglis gessit, sedatum fuit, extruxit, magnisque dotauit redditibus, tum Ecclesiasticis, tum vrbanis. Ea verò hæc sunt, Calco, Lodburgum, Meilros, Neubotel, Alcurcustrain, Dundrenam, sancta Crucis Monasterium, Campus Keneti, Kilos, Dumfermelin, Holme in Vmbria. Vestaliumquoque Monasteria duo, vnum in Carleim, ad Berbicum alterum. Duo item Cœnobia ad Nouum castrum, vnum Præmonstratensium, & alterum regula diui Benedicti professorum.* Hactenus ille. Cui per omnia concordant Ioannes Lesleus, & cæteri Scotorum scriptores. Porrò ex his quinque Cistereiensi familiæ tribuit, Meiltos, Neubotle, Dundrenam, Kilos, & Hulme: sunt qui addant Macline: de quibus singulis dicendum suis temporibus. Neubotle Monachi missi ex Meiltos, vnde & spectat ad lineam Claræuallis. De Neubotheléſi excidio post annos fermè ducentos quadraginta, plus minúsve, & Monachis martyrio coronatis sub Principe Richardo dicam in tempore.

e in apparat. n. 26.

f lib. 12.

Sequitur Trappa diœcesis Sagiensis, Sabigniaci pronepos, per vallem Satnaij, & Brolium Benedicti. Vnde cum ipsis nobis dicenda erit. Promotor domus, Robertus, Drocarum Comes, Ludouici Pij, Franciæ Regis, ex fratre nepos, cum vxore Iolenda, vt habet Andreas Duchesne in sua genealogica historia eorundem Comitum: nisi quòd Trappæ Cœnobium ab hoc authore in diœcesi Carnotensi locatum dicitur. Notat & Claudius [g] Trappam Senonensem, quam tamẽ, credo, natu posteriorem. Verùm, quia semel in nomen hoc incidimus, libet proferre Trappæ Monasterium in prouincia Partica, Adamo Abbate celebre, cuius vix alia nobis notitia subest: nisi quòd tamen prouinciæ nomen facilè vel Auctoris errore, aut amanuensium, librariorumve inscitia, vel oscitantia potuit deprauari: & fortè alterum ex his duobus est, inuerso titulo loci, seu regionis. Vtcumque fuerit, non alibi narrandum, si hîc omittam, scribam euentum, quo beatæ Virginis fauor in nostrates, præcipuè morientes, & antiquæ sponsionis fides manifestatur. 5.

g in sua Gal. Christ.

[h] *In prouincia Partica domus Ordinis Cisterciensis sita est, quæ Trappa vocatur, in hac, sicut mihi retulit dominus Henricus Abbas de Sitenim, asserens sibi recitatum ab Abbate prædicta domus, contigit quod dicturus sum, tunc temporis recenter gestum. Infirmatus est ibi Monachus vsque ad mortem, deputati sunt ei duo Monachi ad seruiendum, qui dum simul exiissent, & æger solus iaceret, ingressi sunt duo tetri spiritus in angulo domus stantes: complosis autem manibus cachinnantes dicebant ad inuicem: Cras hora tertia deducemus cum gaudio magno animam huius ad infernum. Mox infirmus tremere cœpit, atque pallescere, maximè propter remorsum conscientiæ, commiserat enim ante conuersionem peccata quædam grauia, quæ vetante erubescentia, confiteri non potuit, neque Clericus in sæculo, neque Nouitius, neque Monachus in Monasterio. Pauens verò, & circũspiciens contemplatus est in angulo opposito matronam pulcherrimam, in hæc verba Dæmonibus cachinnantibus respondentem: Nolite nimis gaudere, ego illi dabo consilium, qualiter dentes vestros euadat. Post quod verbum visio omnis, ministris intrantibus, disparuit. Consilium autem intelligens confessionem, matronam verò sanctam Mariam Dei genitricem, quam in tanto periculo, vt opinor, inuocauerat, Priorem vocari fecit, cui omnia sua peccata, meritis beatæ Mariæ Virginis adiutus, plenè ac deuotè confitens, & vt eadem Abbati, qui tunc præsens non erat, reuelaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & Dominici corporis sacramento munitus, hora à Dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exhalauit.* Ita Cæsarius, vt manifestum fiat, quanto fauore Sanctos prosequeretur, quæ vel rebelles, etiam & sacrilegos (quod manifestũ est) Cistercianæ familiæ non deserebat. 6.

h lib. 7. c. 9. in Cæsario.

Verùm quod in vltimis verbis Cæsarius ait, Monachum oleo sancto inunctum primo, mox Dominici corporis sacramento munitum decessisse, quia sæpiùs nobis erit repetendum, elicit consuetudinem antiquam, non solùm nostris, sed cunctis familiarem, qua vnctione Eucharistia post sacræ vnctionis ritus expressos, absolutosque, de Eucharistia subiungitur. [i] *Quibus expletis* (vnctionibus nimirum cunctorum sensuum) *exeant omnes, & si statim communicare debuerit infirmus, eat cum ministris ad Ecclesiam, qui eum inunxit, aut alius pro eo,* &c. nempe vt illi deferant sumendum cœleste viaticum. Vnde etiam videas, cùm sanctus Malachias, quod suo loco dicemus, ex hac vita migrauit in Claravalle, [k] *Vngitur* (ait Bernardus in eius 7.

i cap. 99.

k cap. 16.

eius vita) *& sumpto viatico, fratrum se orationibus, & fratres commendat Deo.* Vngitur, inquam, primò, mox viaticum sumit ex more Ordinis.

8. At non solius, sed totius etiam Ecclesiæ habemus in iure, canone tradito a Cantuariensi Archiepiscopo Theodoro, & relato in cap. *ab infirmis*, el primero. 26. q. 7. ibi, *ideo secundùm auctoritatem canonicam, ne illis pietatis clausa ianua videatur, orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis, sacra vnctione olei inuncti, secundùm statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Cardinalis Robertus Bellarminus *lib. 2. de arte benè moriendi, cap. 7.* ritum agnoscit Ecclesiæ familiarem, adducitque in illius comprobationem illud sancti Guillelmi Bituricensis

l Ianuar. 10. apud Surium, quando videlicet [l] *accepta extrema vnctione, sacramentum Eucharistiæ sibi porrigi instantissimè postulauit, vt tanto itineris duce munitus, posset hostium cuneos penetrare securus.* Sed redeamus ad seriem fundationum.

9. In Campi Monasterio dubius hæreo, quippe inter plura ferè eiusdem nominis. Nam præter Coloniensem, de quo superiùs, inuenio Campum, aliàs sacrum locum in diœcesi Pragensi, Campum liliorum in Austria, & Campum Principis à Ludouico quarto structum: sed omnes tempore longè posteriores, vt suis locis dicemus. Extat & Campus dictus S. Mariæ, Monasteriensis diœcesis, Monachis ex Hersubithusen missis, vt habent tabulæ Ecclesiarum Morimundensium.

10. Sequitur Abbatia Frigidi montis in diœcesi Belluacensi, VValerani senis proles vltima, atque eò fortè charior, Monachis illuc directis ab Vrsicampo, queis in Abbatem Manassem præfecit, virum sanctissimum. De ea Robertus Montis hoc

m in supplement. Sigeber. ipso anno. [m] *Cœnobium sanctæ Mariæ de Frigido monte, à pia memoria VValerano primo Abbate Vrsicampi fundatum est, sub electo Patre Manasse.* Fundatores habuit dominos de Bulles, quorum præcipui sunt, Aleydis de Bulles, & eius filij, Lancelinus, & Manasses, cũ sorore Beatrice, vt ex diplomate, ab eisdem cõfecto, in Notitiis Ecclesiarum Cistercij, nuper in lucem datis, videre licet. Amplificauere etiam eundem locum Radulphus, & Catherina, Comites Claromontani, necnon & Philippus Pulcher, Franciæ Rex, vt in eiusdem domus monumentis satis apparet. Verùm vt Manasses Pater nascentem domum, sic iam adultam Helinandus nobilitauit, sui sæculi ingens ornamentum, imò miraculũ, & alij, quos reddemus suis temporibus. Memoratur Frigidus mons in litteris Innocentij Papæ tertij, atque Gregorij noni, de quibus infrà.

11. Vrsariam in Galleciæ regno insignem domum, quia Hispanam concernit obseruantiam, seorsim referam. De Prato benedicto hæc pauca habeo: filiam Dalone de linea Pontigniaci, sitam in territorio Lemouicensi, quorum alterum geneseos tabulæ perhibent, alterius auctor mihi [n] Robertus

n in Catalog. Monast. Claudius. Neque maior notitia Melobroni, nisi quod in aliquibus genesibus hæc notata inuenio, nescio an certa. *Melobronus filia Noui castri, diœcesis Spirensis.* Vnde & pertinet ad lineam Morimundi. In genesibus Stanleias tres inuenio, duas in Anglia, alteram Londinensis, filiam Sauigniaci, Eboracensis aliam, filiam Carreriæ: in Gallia vnam Senonensis Diœcesis, quam Fontanetum video produxisse, omnes angentes lineam Claræuallis. Verùm duæ priores, cum altera filia Sauigniaci, altera neptis, simul cùm ipsa subdidere collum Cistercij iugo, adeoque non ante annum M. CXLVIII. vt tomo sequenti latiùs memorabo. Nec Senonensem reperio in libris Cameræ, & nomen Anglicum sonat magis, quàm Gallum. Mihi res in dubio, nec quam earum Chronologia notet ad hunc annum ausim determinare.

Hoc ipso anno Monasteriũ de Egena in Hassia fundatum lego, sancto Conrado Monacho insignitum, Monachos ex Hersubithusen ascitos produnt tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. De Monasterio, & eius fundatoribus hæc Aubertus Miræus in suo Chronico. [o] *Eodem quoque anno* (scilicet M. CXL.) *constructum est in Hassia Monasteriũ Hegena, à Popone, Bertáque Comitibus.* At de Conrado miraculis illustri sub his minis, immediatè subiungit. *Floruit Conradus medicus, & archigrammaticus, miraculis clarus.* Et de miraculis quidem tabulæ Ordinis antiquiores hæc habent verba. *Conradus in Egena Monasterio Hassiæ Monachus, multa miraculorum gloria continuè fulgens.* Verùm quod asserit Miræus archigrammaticum, vnde hauserit, non potui inuenire. Sed neque Philippus Seguinus artis meminit. [p] *Cõradus* (ait) *Cœnobij in partibus Hassiæ Monachus, vir nobilis secundùm carnem, & in sacris litteris eruditus, moribus quoque, & vita conuersatione percelebris, qui diuina charitate succensus, tanta pietatis, & compassionis extitit erga languidos, & miseros, tanta apud Deum potentia, meritique, vt suis precibus cæcos illuminauerit, Dæmones ab obsessis corporibus eiecerit, surdis auditum, claudis gressum, ægris beneficia salutis præstiterit. Denique viros eruditos amauit plurimum, pauperes iuuit, afflictos verbo, & consolatione erexit, discordes ad pacem reduxit, errantibus viam, qua ire debebant, ostendit. Tandem virtutibus, & meritis illustris obdormiuit in Domino. Ad cuius sepulchrum innumera Deus per eum miracula patrare non desinit.* Ita Seguinus, inuolutè satis, si clariùs nouit, sed puto non distinctior, quia non gnarior. Vt virtus Dei in eo præcipuè splendet, quod nunquam tot producat, quin plura possit: sic Cistercienfium Sanctorum, & gestorum per ipsos scaturigo, vt & cùm putaueris cuncta collegisse, vincent omissa, nunquam exhaurienda. Addit Miræus [q] hoc eodem anno Amedeum secundùm Sabaudiæ Comitem construxisse Abbatiam supra montem Bicugeum, vulgò de Bicugeors. Cætera tacet, nec nominat auctorem, vnde id hauserit. 12.

o ad ann. 1140.

p lib. 3. c. 58.

q vbi suprà.

Claudat agmen Monasterium illustre virginum, vicissitudinem temporum expertum, inter belli tumultus, sed hodieque illustre perseuerans, sub disciplina Abbatis Salemitani, de quo hæc Bruschius. [r] *In Germania, in diœcesi Constatiensi virginum Cœnobium visitur, quod olim Aquarum haustus, vulgò VVasserschopffen, fortè ab innumerabilibus in vicinia fonticulis, dictum, postea à sancta Crucis particula, ex Augia diuite, illuc, vt dicitur, allata, vallis sanctæ Crucis est appellatum. Fundatum legitur circa annũ M. CXL. equite quodam Alsbano, vt tradunt, locum, fundumque donante. Post bellicis tumultibus euersum ab Hugone Comite Laudaunensi instaurari cœptum est, anno circiter M. CCXXX. illustre hoc Monialium nobili stemmate natarum Cœnobiũ apud Riedlingam, in Sueuia situm, Salemitani Abbatis visitationibus subest.* Hæc Bruschius pluribus. Primum fortasse Monialium in Germania: certè ante quod Auctores non aliud produnt. Verùm quod ait de virginibus nobilibus, nec aliis suscipiẽdis in ea domo, Cisterciensibus obseruatum in multis aliis demõstrabunt Annales: nõ quasi virtus ex genere pensetur, quæ cunctis patet, sed quod semel admissam altiùs foueat, latiùs diffundat: & quod in aliis etiam experimur, faciliùs descendat exemplum ad minus nobiles. 13.

r in Chronol. Monast. German.

1. Vrsaria

1. Vrsariæ situs, 2. & quatuor primi Monachi. 3. Donatio Imperatoris, 4. & vicinorum, 5. Correcta illa, & certum tempus præfixum, 6. non sub Cistercio: 7. quod tamen illuc statim inductum fuit. 8. Ingentia eiusdem domus incrementa: 9. orta, vt creditur, ex continuis eleemosynis. 10. Epistola Regis Catholici ad Abbatem. 11. Vrsariæ encomia, 12. & alia remissiuè.

CAPVT XIII.

1. INsignis domus inter alias hoc anno natas, Claramvallem Vrsaria nobilitauit, inter abrupta montium, loco perhorrido, & qui fortasse Vrsaria dictus est, quòd solis vrsis peruius iudicaretur. Nec abnuo impositum nomen à peruio flumine, quod antiqua instrumenta manifestant, sed fortè flumini vocabulum à brutis, quòd nullis aliis paterent illius aquæ. Confirmant etymon insignia antiqua domus, hæc inter animalia quercus assurgens, quam vtrimque aut insiliunt, aut sustentant. Sita ea in corde Regni Gallaici (Galliciam hodie dicunt) & Lusitanis propinquior, quàm Asturibus. His, velut terminis Gallecia vtrimque cingitur: nam anteriorem partem mare abluit, posteriorem circumstat Legionis Regnum. Auriensem diœcesim per se ipsam latè occupat, per membra transcendit. Genita, an adoptata, non satis notum, sed si adoptata, ab ipsis incunabulis, quippe solo triennio antè exorta, vix infantiam complexuot alieni lares.

2. Initium habuit per sanctos quatuor Monachos, Garciam, Didacum, Ioannem, Petrumque, quos solus amor diuinæ contemplationis, & monasticæ vitæ desiderium illuc adduxit. Donauit locum Alfonsus Imperator, intercessit Ferdinandus Galleciæ Comes, & consensere adiacentis terræ domini, imò & si quid ipsorum, concessere. Extant authentica vtriusque largitionis, quæ non pigebit ad litteram transcribere: atque ecce exemplar indulti Imperatoris, in quo & Ferdinandi instantia continetur.

3. a *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Catholicorum Regum officium esse dignoscitur, sancta loca, & eorum cultores diligere, ac venerari, atque in hereditatibus, & possessionibus ampliare, & contra pravorum militias manutenere, & defendere, vt dando terrena, recipere mereantur æterna. Eapropter ego Aldefonsus (gratia Dei) Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea domna Berengaria, grato animo, voluntate spontanea, nemine cogente pro Dei amore, pro mea, parentumque meorum remissione peccatorum, facio chartam donationis Domino Deo, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Vrsaria, domnoque Garciæ eiusdem loci electo in Abbatem, cæterisque Monachis præsentibus, & futuris, qui in eodem loco Monasterium construere, atque religionem, atque regulam beati Benedicti obseruantes, manere voluerint: de illa mea hereditate, & monte, in quo nunc ædificatur, & construitur Monasterium prædictum, iuxta fluuium, cui nomen est Vrsaria, & iacet inter terminos de Castella, & de Cambia, & de Buual, & de Asma, subtus montem Nauego, & Penabicho, & montem Engeuua, & Pena Pelagij. Dono itaque vobis prædictam hereditatem, & montem illum, qui vocatur Vrsaria cum omnibus suis terminis, & pertinentiis, cum ingressibus, cum montibus, & vallibus, cum terris & aquis, & pascuis, & cum omnibus suis directuris, quocumque loco fuerint, & potuerint inueniri: & quodcumque ab heredibus, quæ in circuitu vestro sunt, potueritis acquirere. Vt autem domnus Garcias electus, cæterique fratres, tam præsentibus, quam futuris, Deo, in Monasterio sanctæ Mariæ de Vrsaria seruientes, ipsum Monasterium, & locum cum suis hereditatibus, & terminis tranquilli possideant, cauto illud, & omnia quæ ad ipsum pertinent, & præsenti scripto communio, vt nullus homo in locum illum, & hereditates eius intrare causam malefaciendi, vel pignorandi præsumat. Præcipio ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut collectam in eo facere, seu tributum, vel censum petere, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt. Hanc autem donationem, quam domno Garciæ electo, aliis quoque fratribus in eodem Monasterio existentibus, successoribusque eorum, de ipso, eodemque Monasterio facio, Deo auctore confirmo, & omni tempore firmam esse, & stabilem concedo. Si quis autem in posterum hoc meum factum infregerit, de quocumque genere sit, anathemate feriatur perenni, & in inferno cum Iuda proditore semper damnetur, nisi resipuerit, & pro temerario ausu Regiæ potestati, & Ecclesiæ prædictæ pectet mille marchas argenti, & duplatum insuper restituat quidquid violenter abstulerit. Facta charta Toleto anno tertio, quo idem Imperator coronam Imperij primum in Legione suscepit, & in anno primo, quo præfatum Monasterium construere cœperunt. Æra millesima centesima septuagesima tertia, & .... quarto Nonas Septembris, eodem Imperatore Aldefonso imperante in Toleto, Legione, Cæsaraugusta, Najara, Castella, Gallecia. Ego Aldefonsus Imperator hanc chartam, quam iussi fieri, confirmo, & manu mea roboro, & firmam omni tempore manere concedo. Ego Fernandus Comes Galleciæ, qui precibus meis apud dominum Imperatorem, vt prædictum montem, & hereditatem prædictæ Ecclesiæ daret, & cauto, scriptoque muniret, obtinui, confirmo. Ego Raimundus Toletanus Archiepiscopus confirmo. Ego Didacus Compostellanensis Archiepiscopus confirmo. Ego Berengarius Salmanticensis Episcopus confirmo. Ego Guido Lucensis Episcopus confirmo. Ego Martinus Auriensis Episcopus confirmo. Comes Ramirus Florez confirmat. Comes Rodericus Velez confirmat. Comes Rodericus Petrem velo Pedrem confirmat. Fernandus Ioannis confirmat. Pelagius Curuus confirmat. Munio Tacum confirmat. Didacus Monion Maiordomus Imperatoris confirmat. Didacus Florez Alferiz confirmat. Almaricus tenens Toletum confirmat. Lop Lopez confirmat. Guterrus Fernandiz confirmat. Menendus Faiseolus confirmat. Fernandus Odariz confirmat. Petrus Ioannis de Monterroso confirmat. Gunsaluus Fernandiz confirmat. Aluarus Rodriguez confirmat. Arias Caluus confirmat. Ego Petrus Baccacus, qui præfatum locum iussu domini Imperatoris cautaui, confirmo. Gerardus scripsit iussu Magistri Hugonis Cancellarius Imperatoris.* Hactenus Imperator ad quatuor Monachos, cùm Monasterium construere cœpissent, & Garciam præfecissent sibi Abbatem.

a *ex monum. Vrsariæ.*

Verùm tunc primum eos illuc appulsos, nec locum antè peruium humanis gressibus, insuper & cunctorum circum finium, si quid in loco haberent, donationem, sequens aliud confirmat instrumentum, æque antiquum, quod ita habet. 4.

b in scrinio Vrsariæ.

b *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Ego Garsias Monachus, ego Didacus Monachus, Ioannes Monachus, Petrus Monachus, introiuimus in locum desertum, scilicet qui vocatur Vrsaria, & cœpimus (Deo adiuuante) construere, magnæ solitudinis locus, & ex antiquis temporibus erat, nemine sciente, ibi aliquando vllam habitationem hominum. Cùm itaque aduerteremus post aliquot dies, & sciremus intus, & per circuitum locum ita incultum, & incognitum humanæ habitationis esse, ad habitationem Monachorum Deo seruire volentium aptum esse probauimus. Itaque consilio amicorum à Domino Rege Aldefonso postulauimus, vt nobis iuberet cautari locum per circuitum, vt ab incursione exterorum securi effecti quietam (vt decet Monachos) vitam ducere possemus. Concedente igitur Domino piissimo Rege Aldefonso ad petitionem nostram locum cautari: nos insuper necessarium duximus, vt omnes per circuitum habitantes ad confirmationem huius facti vocaremus, ne fortè aliquis in posterum inuidia, vel odij, aut cupiditatis causa molestare tentaret, diceretque aliquid sibi competi intra cautum iure auiorum suorum. Ad petitionem itaque nostram omnes per circuitum, qui habitabant, nobis concesserunt, & tradiderunt, si quid ex parte auiorum eis in illo cauto debebatur.* Hactenus ibi.

5\. Primam Imperatoris largitionem biennio per errorem antè signatam, argumento est, quòd factam asserit *anno tertio, quo idem Imperator coronam imperij primum in Legione suscepit.* Quam tamen constat non anno M. CXXXIII. sed M. CXXXV. in festo Pentecostes suscepisse: vt ab eodem festo anni millesimi centesimi trigesimi septimi, tertius inciperet, intra quem charta dàta mense Septembri. Extat donatio eiusdem Imperatoris eidem Monasterio sub tali data. c *Facta charta in illo Castello nouo, quod fecit Imperator Alfonsus iuxta Aurileum, dum eam tenebat obsessam, anno quoque quinto, quo isdem Imperator coronam Imperij primum in Legione suscepit. Æra M. C L X X V I I. octauo Kalendas Augusti.* hoc est, anno Christi M. C X X X I X. intra quem in festo Pentecostes, quarto completo, quintus deinceps à suscepta corona, numerabatur.

c ex monimentis domus.

6\. Igitur anno Christi M. C X X X V I I. qui incidit in Æram M. C L X X V. incepisse Vrsariam compertum est. At non statim sub Cisterciensi reformatione, sequentibus coniecturis videtur innui. Quòd nullæ tabulæ Cistercio adscribant domum ante annum Christi M. C X L. Quòd sub Cistercio incipiens, non per quatuor, sed per duodecim Monachos inciperet, saltim per plures. Quòd ipsa nomina, præcipuè Abbatis Garsij Hispaniam potius, quàm Galliam præseferant, vt non illinc transmissos per sanctum Patrem, sed istinc congregatos faciliùs credas. Quòd Imperator in ipsa fundationis, & dotationis charta Cistercium taceat, semel admissum, nequaquam supprimendum. Quòd denique Honorius Papa tertius, qui Ecclesiæ præsedit proximo sæculo, in quodam priuilegio expressum habeat, extitisse aliquando Monasterium sine Cistercio. d *Quæ omnia,* ait, *bona quadam confirmans eidem domui, quæ omnia,* inquam, *idem Monasterium, antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat.* Scio his omnibus euasiones quæri, solutiones non video reperiri.

d ex scriniis Vrsariæ.

7\. Crediderim, constructo iam Cœnobio, atque aliquibus admissis ad professionem, Garsiam Abbatem, fauente Imperatore, fortè & impellente, qua pietate Cistercium prosequebatur, adiisse Capitulum, se ac domum Cistercio traditurum, sub Claræuallis Abbatis visitatione. Inde duobus, aut tribus ex Claravalle assumptis, remeasse in Vrsariam, nouis extunc imbuendam per eos legibus. Quod item Casemarij hoc anno factum, Bernardus expressisse videtur ad Innocentium, cùm dixit. e *Præter illos, qui bini, aut trini ad diuersa destinati sunt loca, tria ex eis noua Monasteria, ex quo à vobis defecimus, integrè ordinata sunt.* Quasi diceret: tria ex integro, de nouoque constructa, adeóque competenti donata numero fratrum: reliqua præerecta, præordinataque, duobus aut tribus contenta velut doctoribus.

e epist. 184.

Tum verò Garsiæ confirmata præfectura, quod satis frequens, reliqua ad normam Cistercij transiere. Benedixit autem Deus Vrsariæ ex illa die, & multiplicauit eam, adeò vt à tempore Alfonsi Imperatoris vsque ad hæc nostra per quingentos circiter annos nullum non Regem munificum experta, nullum non Principem, creuerit velut in immensum possessio eius, inexhauribilis commendarum luxu, quì minus distrahere potuerit, quàm illi contulisse, & conferre dignoscerentur. 8.

Creditur is eleemosynæ fructus in terra sterili, & gente nimium paupere, qui semper suppetant subsidia Monasterij. Antiqui temporis multa commemorantur, multa leguntur, ego præsentia tantùm, & visa referam: ingrauescente per Prouinciam fame, collatam genti annonam excreuisse, ad pretium decem millium ducatorum per annos singulos. quod nos intra sexennium, quo hæc scribimus, dum eam domum ex officio visitaremus, non solum in rationum libris legimus, sed in pauperibus. Extat Philippi secundi Regis verè Catholici non multo antè ad Abbatem Vrsariæ venerandæ sanctitatis virum, fratrem Ambrosium Lopez, scripta epistola, qua peste & fame simul ingruentibus, atque vniuersam Prouinciam depopulantibus, circa annum Christi M. D X C V I I I. congratulatur de ingenti largitate, benignitateque, qua pauperibus Christi prouidisset. Nec grauabor monumentum pietatis, & prouidentiæ (quantumuis dispar, haud tamen inæquale Regis, & Præsulis) per anticipationem hîc subiungere. Quod præcipuè, si in proprium tempus reseruaretur, vix aut ne vix à me scribendum foret: cui iam vergens in senium prolixior ætas, & diuersorum studiorum sæua prolixitas breuiores vitæ terminos proponunt, atque ô vtinam! dignè peragendæ. Eius epistolæ ipsissimum exemplar, ne peruersionem ei quicquam derogetur, accipiat lector. 9.

EL REY.

FRay Ambrosio Lopez Abbad del Conuento de Osera. Don Luys Carrillo de Toledo mi gouernador de ese Reyno me ha escrito el amor, y charidad, conque acudis à remediar las necessidades, que las gentes del padecen: y aunque es muy conforme a vuestra religion, y a lo que siempre se entendio de vuestro buen zelo, me ha parecido conueniente aduertiros, que el cuydado que en esta buena obra aueis puesto, le tengo en particular seruicio, y lo sera, que asi lo continuys, haciendo el esfuerzo, que la necesidad, y vuestra charidad ospiden. Y asi os lo encargo, y encomiendo mucho. De Madrid, y diez de Março de mill y quinientos y nouenta y ocho. Yo el Principe. Por mandado del Rey nuestro Señor su alteza en su nombre, Estevan de Iuarra. 10.

Hactenus

Hactenus ad Abbatem Vrsarij Rex Catholicus, si non dedisset, iterum daturus, quæ Deus pauperibus suis multiplicaret.

11. Ergo Vrsaria, vt Tabita, plena eleemosynis, atque eo plus accipiens, quo plus insumens, oliuas, olei, hoc est, possessiones pingues, liberalitatis, & misericordiæ filias [f] experta est, Abbatia alia, & tredecim Prioratibus aucta satis opimis: quin & portu maritimo (haud ignobili) & multis circum oppidis subiectis, multis item Ecclesiis, quibus præsideat. Nec tacendum, quòd ex ædificiis æquè, ac possessionibus crescens, hoc nostro sæculo, Gallaicum Scoriacum (vulgo *el Escurial de Gallicia*) nominetur: quasi non minus præmineat in eo regno, quàm in Castella diui Laurentij ædes (superbè Regiæ ad oppidum Scoriacum) miraculum octauum totius orbis, quod Philippus secundus proximo sæculo, septimo a Mantua lapide construxit. Certè in Vrsaria ingenti templo marmoreo, similia reliqua, vel infimæ officinæ, & opere certante cum materia, singulæ inter se certant: spernunt reliquas, quæ in eo tractu Cœnobia plura illustrant.

f Zach. 4.

Vixit Garsias, & præfuit, profuitque ad annum M. CLXVI. charus Imperatori Alfonso, charus & Ferdinando Legionensi, à quibus multa, ingentiaque suscepit, quæ hodie possidet. Nec mansit sterilis, inter plures filios, sancto Famiano ad habitum suscepto post biennium, mox prole edita, & transmissa in Lusitaniam, quæ sanctos etiam viros parturiret. Sed hæc, & plura, quæ insignẽ concernunt domũ, suis temporibus reddẽda reseruamus. 12.

IESV CHRISTI ANN. 1141. | CISTERCII ANN. 44.

1. *Monachi Hiberniam missi, ex Claravalle, 2. quibus Malachias locum præparauerat. 3. Epistola Bernardi ad sanctum Præsulem, 4. fragmentum alterius pro suis filiis. 5. Mellifontis sub Christiano Patre incrementa. 6. Monachi (in Benchor fortè) inde deducti, 7. sed resilientes, pro quibus alÿ à Bernardo sunt remissi.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus quadragesimus primus, Cistercij quadragesimus quartus, quo Malachiæ discipulos instructos, & iam Magistros, Bernardus in Hiberniam destinauit. Præfectus eis Christianus vir sanctissimus, & qui Malachiæ olim Archidiaconus, mox ab ipso dimissus in Claravalle Bernardi Monachus vtriusque spiritum altiùs ebibisset: additi etiam alij complendo numero, quo integra Abbatia conficeretur. De his Bernardus in vita sancti Pontificis. [a] *Quibus* (his scilicet, quos Malachias dimiserat) *per aliquod tempus instructis, & eruditis corde in sapientiam, dato eis in Patrem sancto fratre Christiano, qui erat vnus ex ipsis, emisimus eos, adiungentes ex nostris, quanti sufficerent ad numerum Abbatiæ.* Igitur anno probationis peracto, & secundo completo in Monachismo, tertio ab ingressu suo, sociorumque Christianus in Hiberniam destinatur, vtriusque Patris votis satisfacturus, & qui Bernardum, Abbas, ad viuum redderet, Pontifex, Malachiam (nam illi successurus) repræsentaret. Scio Mellisontem (id nomen imponendum nouo Cœnobio) in tabulis Claræuallis ante annum, in Cisterciensibus etiam ante septennium connumerari. Verùm vtrasque conuincunt habitatores, admissi ad probationem intra biennium: nempe in reditu ab vrbe Malachiæ: sed & detenti ab ipsa professione, ac denegari, petenti sancto Pontifici, quo mores Ordinis pleniùs instruerentur: quod vtrumque ex Bernardo parente superiùs vidimus.

a cap. 12.

2. Interim loco electo, atque disposito, in diœcesi Armachana, qui iam habitatores præstolaretur: Malachias, cùm primum filios reddi, atque optatum diei conuentum transmitti videt, Claramvallem in cunctis, licèt exiguam, in Christiano Bernardum veneratus, & primum obuius, dein etiam deducens, collocat domo, & Mellifontem nominat: præsagiente iam tunc sancto Pontifice, inde erupturos riuos mellis, & lactis, qui totam insulam ociùs irrigarent. Dederint ne, ex selecta nobilitate, in ipso primo ingressu Cistercio nomina, an omnes circum, exemplo Monachorum vitam, & mores in melius reformauerint, in dubio est. Certum ab ipso aduentu nouæ familiæ insulam renouatam. Primum probat quina concepta proles intra septennium: secundum magis sonant Bernardi verba, seu potiùs Malachiæ ad ipsum scribentis, in illo semine benedictas gentes Hibernas, quod nisi Dominus illis prouidisset, Sodomæ potiùs, & Gomorrhæ compararentur. Extat rescriptum Bernardi ad Malachiam, cùm primum Monachos in Hiberniam appulsos nouit, cuius hæc verba.

3. [b] *Malachiæ Dei gratia Episcopo, sedis Apostolicæ Legato, frater Bernardus Clarævallensis vocatus Abbas, si quid potest peccatoris oratio, & si quid pauperis deuotio prodest. Fecimus quod præcepit sanctitas vestra, etsi non vt dignum, profectò vt possibile pro tempore fuit. Tanta apud nos vbique malitia grassatur, vt vix id tantillum quod factum est, fieri licuerit. Misimus tamen exiguum seminis, quod videtis, ad seminandum, vel modicam partem agri illius, in quem verus Isaac* [c] *quondam exierat ad meditandum, cùm primum adducta est ei Rebecca per puerum Abraham perenni coniugio feliciter copulanda. Nec contemnendum semen, de quo illud in patribus vestris experimur impletum hoc tempore:* [d] *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes essemus. Itaque ego seminaui, rigate vos, & Deus incrementum dabit. Sanctos omnes, qui apud vos sunt, per vos salutamus: humiliter ipsorum nos, & vestris sanctis orationibus commendantes. Valete.* Ita Bernardus ad sanctum Malachiam.

b epist. 316.
c Genes. 24.
d Rom. 9.

4. Qui etiam alibi eidem gratulatur de vtrisque incrementis recentis domus, communes filios enixiùs ei commendans. [e] *Filios nostros, imò & vestros tanto obnixius commendamus vobis, quanto amplius remoti sunt à nobis. Vos scitis, quoniam tota post Deum fiducia nostra fuit, vt mitteremus eos, quoniam sanctitatis vestræ precibus non acquiescere illicitum videbatur. Facite quod vos decet, vt totis visceribus charitatis amplectamini eos, & foueatis. Nequaquam occasione aliqua circa eos solicitudo, & diligentia tepescat, & pereat,*

e epist. 317.

quod plantauit dextera vestra. Iam quidem quia bene proficis domus, & ex vestris litteris, & ex fratrum nostrorum relatione didicimus. Multiplicatur tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. Vnde & congratulamur plurimum, & toto animo gratias agimus Deo, & paternæ solicitudini vestræ. Et quoniam multa adhuc opus est vigilantia, tanquam in loco nouo, & in terra tam insueta, imò & inexperta monasticæ religionis, obsecramus in Domino, ne retrahatis manum vestram, sed quod bene incepistis, optimè perficiatis. Hæc sanctus Pater pro filiis amantissimis, quos communes habebat cum Malachia.

5. Extat in iure mentio Mellifontis *in cap. cùm sicut in litteris* 18. de electione, & electi potestate, Desiderato præfecti illius suffragio in electione Episcopi Armachani, cuius defectu cassa iudicaretur, ibi. *Si autem Mindensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, contempti fuerunt.* Et rursus in integra. *Tertium, quia Mindensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, ad electionem minimè conuenerunt. Vnde si contempti fuerunt, vel ambo, vel alter, plus eorum contemptus, quàm multorum contradictio prædictam electionem debuit impedire.* Numerantur Mellifontis filiæ plusquam duodecim, & ex ipsis innumeræ, quæ totam ferè Hiberniam occupauerunt. Cæterùm intra septennium sub sancto Abbate Christiano susceptas quinque, inde mihi efficaciter deduco, quòd Malachia ad Superos translato anno M. C X L V I I I. quo sanctus Pater illius scripsit vitam, hic numerus ab ipso designatur. [f] *Quæ concepit* (ait) *& peperit filias quinque.* Nec potuerunt sub alio Abbate (f cap. 11.) nasci, quando Christianus præfuit Mellifonti, quo vsque Malachiæ in Episcopatu Dunensi substitueretur, de quo inferiùs. Hæc nunc de Mellifontis faustis initiis: sed iam ad Benchorensem transeamus.

6. Id, Mellifonte primum stabilito, atque ex Nouitiis aucto, qui superuenerant, ex Monachis trāsmissis à Claravalle accepisse Magistros, coniectari potius licet, quàm affirmare. Certè ex illis nonnullos alio appulsos, reformando Cœnobio, quod priùs laxiora instituta profiteretur, in confesso est, indeque Claramvallem rediisse, Malachia dolente, nec impediente, quod difficilius qui reformabantur, austeriorem viuendi normam primò admitterent, quod sanctus Doctor scripsisse videtur ad Malachiam. [g] *De fratribus nostris, qui redierunt à loco illo,* (g epist. 317.) *nobis bene placuisset, si remansissent. Et fortasse nonnullam occasionem præbuerunt eis fratrum, qui de terra sunt, minus disciplinati mores: in eo maximè, quòd minus facile acquiescere videntur eorum consiliis in his rebus, quarum priùs fuerant inexperti.* Hæc sanè verba, vt non de Mellifonte, in quo omnes experti, fuetique: sic de alio Cœnobio intelligenda, quod ex laxiori vita, ad Cistercij rigorem recèns transierit: nec de facili aliud occurrat, si Benchor demas.

Ergo cùm Benchorenses sub his initiis gemerent potius, quàm recalcitrarent sub nouo onere, 7.
seu potiùs desiderio Claræ vallis, & ne diutiùs Bernardo fraudarentur, paucis animosioribus relictis, cæteri in Claramvallem rediere. Verùm pro illis remissi alij duo, alter Christianus, qui ex Hibernia venerat, sanctitate, & doctrina priori similis, nec dissimilis futurus in dignitate, & Robertus secundò illuc remissus, de quibus sanctus Pater pergit scribere. [h] *Charissimum filium nostrum Christianum,* (h ibidem.) *& vestrum, remisimus ad vos, quantum potuimus instructum pleniùs in his, quæ ad Ordinem pertinent, & de cætero circa obseruantias eius solicitiorem futurum, vt speramus. Nec miremini, quòd non plures cum eo misimus fratres, quoniam nec idoneos inuenimus, qui facile acquiescerent, nec inuitos cogere consilium fuit. Dilectissimus filius noster Robertus precibus nostris acquieuit etiam hac vice, tanquam filius obedientiæ. Vestrum erit iuuare eum, vt possit iam & in ædificiis, & in cæteris necessariis promoueri domus vestra. Illud quoque paternitati vestræ suggerimus, vt viris religiosis, & quos speratis vtiles fore Monasterio, persuadeatis, quatenus ad eorum Ordinem veniant. Quoniam hæc erit summa vtilitas domus, & vobis facilius acquiescent.* Hactenus Sanctus per vtrumque reparaturus, si quid priorum discessu deferbuisset, sed interim insinuans Malachiæ, qualiter renouata plantatio promoueretur.

---

1. Malachias marmoreum templum molitur, 2. præcedente visione, 3. & Deo impensas ad opus prouidente. 4 quod omnino exemplari concordauit. 5. Commota gens, ex ædificij apud ipsos nouitate, 6. & diuina vindicta sumpta de commouente. 7. Cuius pater blasphemus in virum Dei, 8. eadem die sacrilegij admissi pœnas luit.

CAPVT II.

1. AT sanctus Pontifex, occasione arrepta, & ex tunc iam insistens Bernardi verbis, cùm disciplinam per Christianum augeri indies, & reliquis, quæ grauia priùs reputerent, adsuetudine leuia, ex gratia etiam suauia, contemplaretur, indeque plures eandem viam capessere: vt ædificiis, quod solùm reliquum erat, tertio iam renascentem Benchor augeret, templum lapideum, illatenus in Hibernia nequaquam visum, decreuit struere, quod vel in ipsis primordiis nouæ fabricæ multis, ac miris prodigiis illustre fuit. Singula, conciliandis gratiæ fideique, Bernardi Patris verbis prosequamor. [a] *Visum est* (ait) *Malachiæ deberi construi* (a in vit. c. 14.) *in Benchor Oratorium lapideum, instar illorum, quæ in aliis regionibus constructa conspexerat. Et cùm cæpisset iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdum eius modi ædificia inuenirentur.* Hæc prima nascituri templi velut conceptio.

2. Quod tamen qua fiducia primum, mox & quo exemplari cœptum sit, demum quibus expensis continuatum, idem qui suprà Sanctus ita prosequitur. [b] *Contulerat primum de opere illo cum fratribus,* (b eodem cap.) *& multi præ inopia minus libenter assentiebant. Inde anxius, dubiusque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquerere, quænam foret voluntas Dei. Et die quadam dein regrediens, cùm iam loco appropiaret, prospexit eminus, & ecce Oratorium apparuit magnum lapideum, & pulchrum valde. Et intuens diligenter situm, formam, & compositionem, cum fiducia arripit opus, priùs quidem indicata visione senioribus fratribus, paucis tamen.* Hactenus Sanctus.

Tali visione firmatus Malachias, instructusque, 3.
solæ deesse expensæ videbantur, quibus conceptum opus parturiret. Nec aliter cœlestis visio comprobaretur, si non qui dedit velle, daret & posse, subsidiaque, queis cuncta iuxta exemplar ostensum perfici possent. Non multo pòst marsupium pecuniis plenum à Malachia inuentum, vel

Malachiæ

Malachiæ diuinitus oblatum, nouæ fabricæ necessaria suppeditauit. Audi quod sanctus Doctor antè tradiderat. [c cap. 14.] [c] *Et quidem non erat Malachiæ, non dico vnde perficeret, sed ne vnde faceret quicquam. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino: Dominus verò prouidit, vt etsi non sperauit in pecunia thesauris, pecunia non deesset. Quis enim alius fecit, vt thesaurus eo loci reponeretur: repositus, non reperiretur, vsque ad tempus, & opus Malachiæ? Inuenit Dei famulus in Dei marsupio, quod defuit suo, & meritò quidem. Quid enim iustius, quam vt cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret consortium, & marsupium vnum esset amborum? Fideli denique homini totus mundus diuitiarum est, & quid est ille, nisi quoddam marsupium Dei. Denique ait:* [d Psalm. 49.] [d] *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Inde est quod Malachias repertos argenteos multos non reposuit, sed exposuit: nam totum manus Dei in Dei opus iubet expendi. Non suas, non suorum considerat necessitates: sed iactat cogitatum suum in Domino, ad quem vtique recurrendum non dubitat, quoties necessitas postularit.* Ita Bernardus. Vt eisdem subsidiis materialia in Benchor surgerent, quibus creuerant ædificia spiritualia, atque æquè vtraque ex Deo per Malachiam renouatio perfecta comprobaretur.

4\. Ceterùm qualiter totum opus perfectum sit, iuxta exemplar ostensum Malachiæ, non multo pòst subiungit, dum ita ait. [e cap. 14.] [e] *Sanè totum, quod attentè notauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obseruauit, vt peracto opere, factum viso simillimum appareret, ac si & sibi cum Moysi dictum audierit.* [f Exod. 25.] [f] *Vide vt omnia facias secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Hæc de fabrica Oratorij Benchorensis, certantibus miraculis, reuelationibusque, quo opus vndequaque perfectum consummaretur.

5\. At ne quod signum deesset cœlestis gratiæ, ne quod meritum, aut gloria Malachiæ, permissi etiam insurgere in fabricam, qui mox vindicem Deum experirentur. Illi nimirum, quibus cesserat possessio, cùm Malachias contentus antiquo loco, primitus Monasterium instauraret. Hi pater, filiusque, vterque sacrilegus, atque vterque ausus in Malachiam, filius etiam in fabricam, temeritatis præsumptæ pœnas luere. Hic immatura ad Sancti vaticinium præuentus morte, ille arreptus à Dæmone, & nisi Malachias intercessisset, æterno Dei iudicio condemnandus, quippe insania anteuertens pœnitentiam, peccatum vsque ad mortem prolatasset. De his Bernardus vtramque vindictam referens. [g cap. 14.] [g] *Cùm cœpisset* (ait) *iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdum eiusmodi ædificia inuenirentur. Verùm ille nequam* (scilicet filius) *sicut erat præsumptuosus, & insolens, non solùm miratus est, sed indignatus. Ex qua indignatione concepit* [h Psalm. 7.] [h] *dolorem, & peperit iniquitatem. Et factus susurro in populis, nunc secretò detrahere, nunc blasphemare palam, notare leuitatem, nouitatem horrere, sumptus exaggerare. Huiusmodi venenatis sermonibus sollicitans, & inducens multos ad prohibendum: Sequimini me, inquit, & quod non nisi per nos fieri debet, contra nos fieri non sinamus. Itaque cum pluribus, quibus suadere valuit, descendit ad locum: repertum, conuenit hominem Dei, primus ipse dux verbi, qui erat principium mali. O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus nouitatem? Scoti sumus, non Galli. Quænam leuitas hæc? Quid opus erat opere tam superfluo, tam superbo? Vnde tibi pauperi, & inopi sumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid illud præsumptionis, inchoare quod non queas; non dico perficere, sed nec videre perfectum? Quanquam amentis magis est, quàm prudentis conari, quod modum excedit, vincit vires, superat facultatem. Cessa, cessa, desine a vesania hac: alioquin nos non sinimus, non sustinemus.*

6\. *Hæc dixit, prodens quid vellet, non quid posset considerans. Nam de quibus præsumebat, & secum adduxerat, viso viro, mutati sunt, & iam non ibant cum eo. Ad quem vir sanctus tota libertate vtens, Miser, inquit, opus, quod inchoatum vides, & inuides, sine dubio perficietur, perfectum videbunt multi. Tu verò, quia non vis, non videbis, & quod non vis, morieris. Attendito tibi, ne in peccato tuo moriaris. Ita est. Ille mortuus est, & opus completum est. Sed ille non vidit, quia, vt præfati sumus, anno eodem mortuus est.* Hactenus de filio: dextera Dei Malachiæ causam agente, implente prophetiam, & vindicante insolentiam audacis iuuenis, aliis inde, si sapiant, compescendis.

7\. At non compescuit parentem ferocem animo, & super insitam alioqui atrocitatem, tum vesanum dolore, de morte filij, quippe ipse Deo ita permittente, quo repetita vindicta pro Malachia mentibus omnium altiùs inhæreret: atque hæc secunda lenita precibus Sancti, sed perseuerans, benignitatem etiam commendaret. Pergit Bernardus scribere in hunc modum. [i ibidem.] [i] *Interim pater, audito mox quod de filio vir sanctus prædixisset, sciens verbum eius viuum, & efficax esse: interfecit, inquit, filium meum. Et instigante Diabolo, tanto furore exarsit in illum, vt coram Duce, & Maioribus Vlydiæ, falsitatis, & mendacij arguere non vereretur hominem, qui veracissimus esset, veritatis discipulus, & amator, & conuitium intulit, Simiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto,* [k Psalm. 38.] [k] *obmutuit, & non aperuit os suum, dum consisteret peccator aduersùs eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat,* [l ad Rom. 12.] [l] *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

8\. *Eadem die domum reuersus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipso vltore, quo instigatore laxarat. Arreptum in ignem proiecit Dæmon, sed mox manibus assistentium abstractus est, adustus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum insaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum, spumantia ora torquentem, horrendis vocibus, & motibus terrentem omnia, & toto corpore agitatum, vix posse teneri à pluribus, & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus est, sed ex parte. Nam illico quidem, Sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit: relictus est autem ei spiritus Domini nequam, qui eum colaphizet, vt discat non blasphemare. Credimus eum viuere vsque adhuc, & vsque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccauit in Sanctum. Certis temporibus tamen ferunt lunaticum esse.* Huc vsque Bernardus. Qui etiam addit hominem compunctum, & vexatione intellectum dante auditui, tandem Pontificis sancti obsequentiorem, possessiones Cœnobio reddidisse, quas Malachias tandem acceptauerit. Hæc Benchorensis Ecclesiæ recentem fabricam, admiranda, pauendaque prodigia, sub ingressu Cistercij, consecrarunt. Quo præsentia præteritis certantia, primis nouissima, idem prorsus Benchor repræsentarent: nec minus quid haberet sub Malachia, quàm sub tot millibus Sanctorum habuisset: dum instauratur, illustre primo miraculo, dum renouatur, illustrius multorum cumulo.

fundandis Monasteriis, per vim, aut fraudem Abbati sancto ablata, non solùm æquo, sed gratanti tulisse animo, dum contendere nollet, & vinci gloriosius haberet, quàm litigare.

1. Gerardi in Farfa visio de seipso, 2. non multo pòst adimpleta in Claravalle. 3. Frequentes aliæ eiusdem consolationes. 4. Creatio Stephani in Cardinalem Prænestinum. 5. Hugonis Victorini mors. 6. Liber Richardi ad Bernardum Patrem de appropiatis personis: 7. itemque alius de Incarnatione: 8. & tandem varia alia quæstiones. 9. Ottonis pietas, atque in Præmonstratenses munificentia. 10. S. Balduini Reatini Abbatis mors, & sepulchrum.

Capvt IX.

1. GErardum iam prouectæ ætatis virum, Farfensem Monachum a proprio Abbate in Claramvallem missum, cùm in extremis ageret, præcedenti capite tradidimus. Reliquum est, vt quæ pauca de sancto viro habemus, vsque ad hanc diem, & si qui alij huius anni euentus fuerit, proferamus in medium: nam de sancta, & pretiosa morte eius in proprium tempus plura reseruabimus. Cæterùm de Gerardo, quantus vir fuerit, & qualem aduentum ipsius in Claramvallem reuelatio præcesserit, dum adhuc in Monasterio Farfæ demoraretur, non aliunde securius hauserimus, quam ex verbis Exordij magni, quæ ita habent.[a] *Dilectus à Deo, & hominibus Gerardus de Farfa, cuius memoria in benedictione est, quemque pro sua singulari puritate, & sanctimonia, beatus Bernardus singulari gratia præ cæteris honorabat, & ipse amicabilem, atque amabilem nimis vniuersitati congregationis in omni forma religionis exhibebat: dum adhuc esset Monachus in Farfa (quæ est Tusciæ nobilis Abbatia) reuelante Domino, vidit in spiritu se transpositum in Claravalle, officiumque gerentem, vt cum duobus vaccinis singulis officinis circumiens, fratrum manibus abluendis aquam infunderet. In quo nimirum designatum fuisse, rei exitus docuit, quòd ipse futurus esset, qui fratrum Claravallensium excessus quotidiana, imo ferè continua oculorum inundatione quasi duobus infusoriis ablueret.*

[a] lib. 3. c. 15.

2. *Cum itaque hac dulci reuelatione futurum præsagium accepisset, exarsit continuo in præcordiis eius vehemens ignis sacri desiderij. Neque enim omnino quiescere poterat spiritus eius, donec pauperum Christi, quorum se seruitio deputatum fuisse diuinitus cognouerat, consortio iungeretur. Cumque cæteris floresceret virtutibus, sacra tamen compunctionis pietas speciali prærogatiua pectus eius repleuerat, ita vt columbinæ pupillæ oculorum eius rarò quiescerent, sed tanquam gemini fontes ferè vbique, præsertim in celebratione diuini mysterij, maximo lachrymarum imbre faciem eius madidarent. Habebat autem gratiam singularem tam apud Deum, quàm apud homines, quam vniuersi mirabantur,*[b] *& intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli stantis inter illos, atque dicebant,*[c] *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa societate nostra.*

[b] Actor. 6.
[c] Mach. 15.

3. *Huic autem Dominus multas (quod dubium non est) consolationes in abscondito faciebat, ipse tamen vt verecundus, & humilis, virtutes suas latere malebat. Et nullus ei super huiusmodi, propter sanctitatis illius reuerentiam, molestus fieri audebat. Nouitius autem quidam Iulianus nomine, honesta vita Sacerdos, qui de Ordine Regularium Clericorum Claramvallem se contulerat, vidit aliquando spiritum immundum in choro ad instar hædi petulanter peruagantem. Qui cùm venisset ante ipsum, aliquandiu substitit, & capit cum rictu paruulo subsannare, obscœnum caput contra eum exagitando, & dentes adinuicem minutissimè concutiendo. Cumque recessisset ab eo, venit, & stetit ante hominem Dei Gerardum, & cœpit eum similiter petulcum animal pudendis gestibus irridere, à quo magis irrisus, atque exsufflatus illico tanquam fumus euanuit, & vltra eum Nouitius non vidit. Qui mox accepta colloquendi licentia, percunctatus est eum, vtrùm in choro in illa tali hora aliquid conspexisset. Perpendens autem senior eum secreti illius conscium fuisse, confessus est ei, phantasmaticum hædum se vidisse, qui ludicris motibus se & illum pariter subsannasset. Quod audiens Nouitius ille, miratus est valde, atque per hoc intellexit, quod multa huiusmodi cerneret, licet secretum suum Deo, & sibi teste conscientia celaret.* Hactenus in Exordio de sancto viro. Cæterùm mortem eius pretiosam, quæ post obitum Bernardi Patris contigit, coruscantem miraculis, atque illustrem reuelationibus (nam reliqua caligo, vt alia obtexit) in proprium locum ex more reseruamus.

4. Hoc ipso anno venerabilis Stephanus, ingentis gloriæ vir, discipulus Bernardi in Claravalle, Cardinalis Episcopus Prænestinus (ex Cistercio tertius, secundusvè, nam de Martino nunquam affirmauerim) mense Decembri creatur ab Innocentio. Is patria Catalaunensis, genere nobilis, atque Pontifici, ob egregias animi dotes, eximiè charus, cum aliis nouem renunciatus est, si credimus[e] Ciacconio, primus omnium Monachatum confirmat Arnoldus Abbas, simulque viri dotes, nominati inter plures Bernardi filios.[d] *Præneste*, inquit, *Stephanum habuit totius gloriæ virum.* At patriam, gratiamque apud Innocentium, sancti Bernardi epistola testatur, ad eumdem Stephanum scripta, quæ ita ait.[e] *Vestra Catalaunensis Ecclesia fecit quidem electionem, sed qui electus est, ecce iam diebus multis debito honore fraudatur.* Et paulo inferiùs. *Ipsum* (idest, Innocentium Summum Pontificem) *duxi necessarium in magno Ecclesiæ labore, & periculo compellare, & per nullum dignius, quàm per vos, qui eius lateri, & spiritui adhæretis*, &c. Ergo Stephanus Innocentio Papæ charus, successoribus magno semper in pretio fuit. Extant ad ipsum, & alios duos Cardinales Episcopos, Hostiensem nimirum, & Tusculanum, plures Bernardi epistolæ, quas nos etiam inferiùs adducemus.[f] Ciacconius subscriptum affirmat diuersis bullis, Innocentij secundi, ad Ecclesiam Parmensem, anno M. CXLI. ad sanctum Benedictum Mantuanum, anno M. CXLII. Cœlestini ad sanctum Fridianum Lucensem, anno M. CXLIII. Lucij secundi ad sanctum Benedictum item de Mantua, anno M. CXLIV. Ferdinandus Vgellus in suis Tabulis, vsque ad annum M. CLVIII. venerabilis viri vitam productam adstruit, sed dum auctorem aut non habet, aut non producit, vacillat fides.

[c] sub Inn. 2.
[d] lib. 2. vit. S. Bern. c. 8.
[e] epist. 223.
[f] In Innoc. 2.

5. Hoc eodem anno, vt habet Robertus[g] Montis, præsentem cum meliori vita commutauit æquè pius, ac doctus, atque ex vtroque celebris Magister Hugo de sancto Victore: summus quamnis Philosophus, & Theologus, vt ex eius operibus habemus: adeò vt *secundus Augustinus*

[g] continuat. Sigibert. ad hunc ann.

Thomæ

h l. 2. apum. cap. 26. pag. 5.

(Thomæ [h] Cantipattani verba adſumo) *hoc eſt, ſecundus ab Auguſtino in ſcientia dictus ſit*; Bernardum tamen ſolitus conſulere in grauioribus Theologiæ difficultatibus, quod ſuperiùs à nobis eſt notatum. Viſitur hodieque ſepulchrum viri in ſuo ſancti Victoris Monaſterio, ſuperpoſita honorifica inſcriptione, quam Baronius [l] inſeruit ſuis Annalibus. Cæterùm, quod Baronius omiſit, hîc ſubiungam, in exemplum monaſticæ obſeruantiæ, perfectiſſimis etiam formidandum, cùm in extremis ageret, *à quodam Canonico ſuo* (eiuſdem Cantipatrani tempore ſubæqualis verba tranſcribo [k]) *qui eum in vita valde dilexerat, adiuratus eſt, quatenus ei poſt obitum appareret. Libenter, inquit, ſi hoc mihi per vitæ, & mortis Dominum concedatur. His conditionibus mediis Magiſter Hugo defungitur, nec multo poſt redit ad ſocium præſtolantem, dicens: Ecce ego, quære, quod vis, morari non poſſum. Tunc ille, etſi cum timore, non tamen modicè gratulatus: Quomodo, inquit, dilectiſſime, tibi eſt? Bene ait, nunc mihi eſt: ſed quia dum viuerem, accipere renui diſciplinam, vix vllus dæmonum in inferno remanſit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium tranſeunti.* Hæc de Hugone Thomas, & nos ex ipſo.

l ad ann. Chriſt. 1140.

k Cantipatr. vbi ſuprà.

6. Verùm, vt Hugo ætate fortaſſe iunior conſulere Bernardum, ſic Bernardus Richardum conſueuit: conſummatiſſimum æquè virum eiuſdem ſæculi, atque eiuſdem Cœnobij, & cuius ſcripta hodie æquè leguntur. Extat in his tractatus ſatis elegans de tribus appropiatis perſonis in Trinitate, ad diuum Bernardum ſcriptus, ſub hoc initio. *Quæris à me mi Bernarde, quid mihi videatur de illa Auguſtini ſententia, in qua attribuitur Patri vnitas, filio æqualitas, Spiritui ſancto vtriuſque concordia. Libenter aperio mihi alteri, quod ſentio, communicare volens, ſi quid rectè, vel ex quantulacumque parte ſapio: ſimul & corrigi ambiens, ſi quid aliter ſentio. Propria, ſi placet, ſingulorum conſideremus, & fortè elucescet, quod quærimus.* Ita planè vterque eximiè docens, vterque docibilis, cùm charitate omnimodis vnirentur, vnde & ſe alterum Richardus Bernardum vocat, ſolo amore ſapientiæ diuidebantur, inuicem correctores, & corrigendi.

7. Extat & alius de incarnato Verbo tractatus, ſub tali titulo. *Richardi ſancti Victoris, doctoris præclariſſimi liber de Verbo incarnato... ad diuum Bernardum Abbatem Claræuallenſem.* Initium tamen capitis primi tale eſt. *Ad me clamat ex Seir,* [l] *cuſtos: Quid de nocte? cuſtos: Quid de nocte? Venit manè, & nox, ſi quæritis, quærite: conuertimini, & venite. Hæc ſunt, quæ mihi exponenda proponis, & fatuitatem meam fatigare non erubeſcis.* Ita Richardus, per ſeptendecim capita accuratè, & exactè myſterium verborum explicans. In fine verò capitis poſtremi, alloquens item Sanctum, ita concludit. *Ecce de materia modica, ſed multum profunda, dixi quod potui, & quomodo potui, ſi inſipiens factus ſum, tu me coegiſti.*

l Eſaiæ 21.

8. Denique extant variæ aliæ quæſtiones propoſitæ a Bernardo, de quibus peculiarem item tractatum Richardus edidit, nempe ſub hoc titulo. *Declarationes nonnullarum difficultatum Scripturæ ad Bernardum Claræuallenſem.* Porrò in his adeò amicè ludit, colluditque, vt non ſolùm propoſitis reſpondeat, ſed alias excitet, de quibus ipſe facetè, & familiariter. *Fateor, iam non poſſum exactionis tuæ importunitatem æquanimiter tolerare, qui me cogis non ſolum mihi à te, verùm etiam tibi à me propoſitas quæſtiones ſoluere.* Vt non immeritò Cardinalis [k] Baronius aſſerat, in his libellis planè demonſtrari magnam inter vtrumque familiaritatem interceſſiſſe. Hæc de amicitia Bernardi cum Richardo, & variis huius ad eum ſcriptis opuſculis: quæ, quia certus annus nondum ſubeſt, occaſione Hugonis Victorini, huic potius, quàm alteri adſcripſimus.

m ad hunc ann.

9. Hoc ipſo anno Friſingenſis nouus Epiſcopus, illuſtris Otto Auſtrianus, ſui Pontificatus ſpecimen prælaturus, complura Monaſteria, quæ dudum Hungari, & Arnaldus Bauariæ Dux impiè vaſtauiſſent, religiosè reſtituit, dotauitque, ex quibus duo, Schefftleim, & Schliers, Præmonſtratenſibus Canonicis inhabitanda tradidit, quod à Virgulæo Hundio notatum lego. [n] *Anno*, ait, *M. CXL. Otto magnus, Friſingenſis Epiſcopus, erexit, & renouauit Clauſtrum prædictum, ſcilicet Schefftleim, & poſuit ibi Canonicos regulares, de Ordine Præmonſtratenſi, in perpetuum duraturum.* Et paulo inferiùs. *Schliers. Hoc Monaſterium, cum aliis pleriſque, circa annum 907. per Hungaros vaſtatum, per Ottonem Epiſcopum, cum fratre Henrico Duce Bauariæ ex familia Leopoldorum, Auſtriacorum Marchionum, vna cum aliis Monaſteriis Bauariæ, circa annum 1140. reſtauratum eſt, tranſlatis Canonicis regularibus (intellige Præmonſtratenſibus) pro Monachis Benedictinis, qui idem olim Cœnobium inhabitauerant.* Has Ottonianæ pietatis, poſt infulas acceptatas, primitias ſacras, ſilentio præterire, nefas ducerem.

n in catalog. Monaſt. lit. S.

10. Hoc item anno miraculis illuſtris, meritis clarus, ſanctus Balduinus ad Superos transfertur, Bernardi filius, quem in primum Reatini Monaſterij patrem, atque paſtorem, ante decennium ab eodem ſancto Patre promotum diximus. De eo Philippus Ferrarius, & ex eo Ferdinandus Vghellus, ex monumentis Eccleſiæ Reatinæ, hæc habent verba. [o] *Multis operibus, & miraculis clarus, obiit anno M. CXL. & in Cathedrali Reatina humatus eſt, ibique ſumma cum veneratione, Auguſti vndecima die colitur.* Nobis aliunde nec acta ſcire datum, neque miracula, imò nec qua occaſione in Cathedrali Reatina, & non in propria S. Paſtoris ſepultus iaceat, quamuis vrgentem non liceat dubitare. In Menologio die quinta decima Iulij commemoratur, ſed nulla maiori notitia, quàm ea, quæ ex epiſtola Bernardi hauriri potuit, cuius nos etiam fragmentum ſuprà adduximus.

o ſub Inn. 2.

---

1. Series Monaſteriorum præſentis anni. 2. Caſemarij antiquitas: 3. & dictum de ſancto Dominico Sorano, ſed remiſſiuè. 4. Illius ſub Ciſtercio eximia ſanctitas. 5. Viri illuſtres, memoria, & ſitus loci. 6. Ripatorij Alanus primus Abbas, 7. ab Alano Doctore vniuerſali longè diuerſus. 8. Dotatio prima ex multorum largitionibus, 9. augmentum Villarduina familia largitas fuit.

CAPVT X.

1. RECenſendæ iam nobis fundationes, nec paucæ numero, nec qualitate infimæ, quarum notitiam Chronologia miniſtrat ſub hoc tenore.

Anno M. C X L. pridie Nonas Aprilis fundata eſt Abbatia Caſemarij.

Eodem anno, quarto Idus Aprilis Abbatia de Ripatorio.

Eodē anno, Kalendas Martij Abbatia Clarimariſci.

Eodem

Eodem anno, septimo Kalendas Iunij Abbatia de Alta sylua.

Eodem anno, quinto Kalendas Augusti, Abbatia de Herfervitensem.

Eodem anno, Kalendas Augusti, Abbatia de Cogesalem.

Eodem anno, pridie Idus Augusti, Abbatia de Chemerens.

Eodem anno, quarto Kalendas Septembris, Abbatia Veteris villa.

Eodem anno, & die, Abbatia de Keseriaco.

Eodem anno, decimo sexto Kalendas Octobris, Abbatia Obacine.

Eodem anno, & die Abbatia de Blanca lauda.

Eodem anno, octauo Kalendas Nouembris Abbatia sancti Anastasij.

Eodem anno, Kalendas Nouembris Abbatia de Newotel.

Eodem anno, quarto Nonas Decembris Abbatia de Trappa.

Eodem anno, duodecimo Kalendas Ianuarij, Abbatia Campi.

Eodem anno, quinto Kalendas Februarij Abbatia Frigidi montis.

Eodem anno, Abbatia de Vrsaria.

Eodem anno .... Abbatia de Prato benedicto.

Eodem anno, decimo Kalendas Martij Abbatia de Stanlegia. Hactenus Chronicon. Circa quas domos hæc breuiter notanda.

2\. Celebre Casemarij Monasterium, quod anno
a ad ann. 1030. M. XXXVI. orbi exortum, [a] si Baronio credimus, hoc ipso Cistercensia iura suscepit, sub disciplina Cœnobij Claræuallis. Eius initia, ex antiquo MS. Cardinalis Baronius adstruit in hunc
b ibidem. modum. [b] *Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M. XXXVI.* (sic ipse corrigit) *indictione quarta, erant in ciuitate Verulana quidam boni meriti Clerici, qui seruantes præcepta Dominica, diuinaque iudicia meditantes, ac dicentes: Væ nobis, qui nomine Clericatus habentes officium, vitam neque canonicam, neque monasticam ducimus. Quid de nobis erit? Quid in extremo dicturi sumus examine? ad cuius auxilium con-*
c Lucæ 16. *fugiemus?* [c] *Faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum ab hac vita migrauerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Talia animo voluentes, atque dicentes, adiunctis quibusdam laicis fidelibus eiusdem ciuitatis, venerunt ad fundum, qui dicitur Casemarij, in territorio Verulano. Videntesque ibi antiqua ædificia, vbi dicitur Templum fuisse Martis, distans ab eadem ciuitate milliaribus tribus cum dimidio, ibidem commorari cœperunt in eodem loco, & adiuuante misericordia Dei, Ecclesiam in honorem sanctorum Ioannis, & Pauli construxerunt, & non post multum quatuor, ex ipsis, scilicet Benedictus Presbyter, Ioannes Presbyter, Vrsus Presbyter, & Azo Presbyter, euntes ad venerabilem virum Ioannem Abbatem sancti Dominici, susceperunt ab eo habitum sanctæ religionis. Indeque in locum iam dictum redeuntes, Abbatem vnum de suis sibi elegerunt, Benedictum, virum religiosum, qui fuit natus in dicta ciuitate Verulana, & sub eo in dicto loco Christo Domino seruierunt.* Hactenus ex antiquo MS. Pergit Baronius. *Hæc sunt nobilissimi Monasterij primordia, quæ dicto anno contigerunt trigesimo sexto post millesimum, quo indictio quarta currit, cum & Ioannes iam præerat, vt dictum est, Monasterio sancti Dominici.*

3\. *Ita Baronius certius tempus notans. Verùm quod attinet ad Monasterium sancti Dominici, ex quo Casemarium religiosam vitam hausit, celebre fuit sub eodem Sancto (à primo namque Abbate nomen accepit, qui anno M. XXXI. conscendit Superos) & sub Ioanne illius successore, quia frigescente obseruantia post tempus aliquod, Casemario vnitum, ac Cisterciensis iuris effectum est, quæ, & qualia illius initia fuerint, qui progressus, & casus, nam vtrosque expertum, suis & loco & tempore dicemus.*

Itaque Casemarij Cœnobium satis celebre, atque ante centum annos mundo exortum, quo sanctæ regulæ firmiùs adhæreret, Cisterciense institutum amplexum est, magistros, iuraque suscepturum ex Claraualle. An Ioannes statim præfectus à sancto Patre, affirmare non ausim. Certum, eumdem virum planè sanctissimum, & spiritu pollentem prophetiæ tenuisse clauum domus circa annum Christi M. CXLIX. quo tempore ad Bernardum Patrem scripsit, mortem illi prædicens, vt post videbimus. Interim adnoto, ad eiusdem viri laudem, & sanctæ domus illius venerationem, sub his reformationis eius initiis, visitatam frequenter à sanctis Ioanne, Pauloque, quos cœlo mirabiliter delapsos, atque ad se venientes, Monachi veros patronos experiebantur: quod idem ipse Abbas Bernardo scribit. [d] *Sed ne* (inquit) *in dubium* d inter epist. S. Bern. epist.
veniat, quod dico, quasi Patri meo spirituali aperio, quòd patroni nostri beati Ioannes, & Paulus sæpius nos 333.
visitare dignati sunt. 4.

Habuit & Casemarium alium Ioannem, virum illustrem sub Innocentio tertio, atque eiusdem Legatum ad Calojoanem, magnum Vulgariæ Principem, de quo nos infrà: sed & de aliis, quos aluit, viris sanctissimis. Distat ab vrbe Verulana, vt dictum est, milliaribus tribus cum dimidio, à Sora septem: insigni patria Cæsaris Baronij, Ecclesiasticæ historiæ parentis hoc nostro sæculo. Extat Monasterij ipsius in iure mentio, discussa causa, & Cœnobio adiudicata per Innocentium tertium, *in cap. in præsentia,* de probationibus; licèt nonnulli codices mendosi, vt in locorum nominibus frequenter, Caseu, pro Casemario scriptum habeant. Filias, & reliquos progressus eiusdem domus, nam certè plures habuit, reddemus in tempore. Cæterùm incrementa Casæmarij per Honorium III. cui domus in delitiis à prima adolescentia, in Pontificatu eximiè chara fuit, sub eodem Pontifice dicemus. 5.

Casemarium sequatur Riparotium hoc ipso anno ex Claravalle genita, in diœcesi Trecensi, cui primus Abbas Alanus designatur, post annos aliquot Hugoni successurus in Antissiodorensi præfectura. Is patria Belga, in Flandriæ insulis ortus, vnde Insulensis cognomen sortitus est, ante annos aliquot Bernardum Patrem sequens, nempe, cum Godefrido de Perona, & Roberto de Brugis, Monachum dudum agebat in Claravalle. *Postea verò* (ait liber sepulchrorum Claræuallensium) *Abbas primus factus est Monasterij, quod Ripatorium nominatur, cui per annos duodecim præsidens, Domino cooperante, sategit, vt personis vtilibus, & possessionibus necessariis, videlicet grangiis, syluis, agris, pratis, & pascuis, idem Monasterium ditaretur.* Hactenus ibi. Nam quæ de promotione eius Antissiodorum, Bernardo adhuc viuente, subiunguntur, suis venient locis referenda. 6.

Robertus Holcot, & quòd magis miteris, multi ex Flandris, Alanum hunc cum Alano magno confundunt, prorsus immeritò; quippe ille conuersus, iste Monachus, ille in Cistercio, hic in Claravalle, ille multa, & præclara scripta edidit, hic vitam tantùm Bernardi compilauit, ille aliis Hispanus, quibusdam Gallus, hic cunctis Belga: denique ille sæculo tertiodecimo sub finem, hic duodecimo florens, omnibus penè circumstantiis diuersus fuit. Extat ad nostrum Alanum 7.

Insulensem

[e tom. 12. Biblior. p. 2. pag. 251. col. 2.] Insulensem epistola familiaris Petri Cellensis, [e] qua mirè virum colit, & veneretur. Sic & Cœnobium Ripatorij memorant Tornacensis Episcopus Stephanus, & alij graues auctores illius æui.

8. Cæterùm quod ad fundationem ipsius attinet, ex largitionibus plurium coaluisse, quos Attonis Trecensis tunc Episcopi pietas, & industria solicitabant, ob quod etiam à multis fundator dicitur, habemus ea litteris eiusdem deuoti Præsulis, quibus & Monachos adductos à se ait, in suam, & Trecensis Ecclesiæ tuitionem (egregium sanè encomium nascentis domus, & singulares singulatium fidelium donationes latè recenset, & prouidè confirmat sub hoc initio. [f] *In nomine sancta, ac indiuidua Trinitatis. Hatto miseratione diuina Trecensis Ecclesia humilis minister, Catholica matris Ecclesia filiis, tam posteris, quam præsentibus in perpetuum. Si commissum nobis officium, dignè Deo administrare satagimus, pauperes Christi benignè colligere, & res eorum vsibus profuturas pia solicitudine tueri, ac protegere debemus. Quapropter religiosum Cœnobium de Ripatorio, & fratres ibidem Deo militantes in tuitionem Ecclesia Trecensis, & nostram non sine multa deuotione suscepimus, & res ei attributas Ecclesiastica libertate communimus, singula nominatim determinantes suis distinctionibus. Dominus Gerardus Abbas sancti Lupi assensu totius Capituli sui donauit Monachis de Ripatorio locum illum, qui dicitur Busejacus, cum omnibus appendiciis suis, videlicet quæ ibi habebant. Testes dominus Gaufridus Carnot. Episcopus, domnus Bernardus Abbas Claræuallis. Guillelmus Abbas sancti Martini. Oddo Præpositus. Manasses Archidiaconus, Gibuinus Cantor, dominus Guido Arremarensis Abbas pari assensu fratrum suorum donauit eisdem locum illum, qui dicitur Brusiliacus, cum omnibus appendiciis suis.* Hactenus ex litteris Attonis, quæ latè plures alias donationes à fidelibus factas prosequuntur. Extant ad hunc Attonem plures epistolæ venerabilis Petri Cluniacensis: atque item elegans alia Bernardi [g] Patris, [g epist. 104.] cum erogatis cunctis, quæ possidebat in vsus pauperum, nuper instantem mortem euasisset, cùm penitus de ipsius salute desperaretur. Atque hæc quidem primordia huius Cœnobij.

[f apud Camuzat. in miscel. fol. mihi 317.]

Sed nihilominus Nicolaus Camuzatius, vir eru- 9.
ditus, & de Ecclesiastica antiquitate optimè meritus, vlteriùs addit. [h] *Ripatorium amplissimis prouentibus, vberrimisque redditibus copiosissimè tandem locupletatum insigni liberalitate, & munificentia dominorum de Villa Harduini, & de Capus: quorum aliqui in eodem postremam sepulchri sedem elegerunt. Quin & idem Cœnobium gentilitia Villarduina familia insignia præ se ferre.* Hactenus ille. [h vbi supra.] Distat Ripatorium ab vrbe Tricasina duabus leucis, in libris Cameræ prætermissa domus, quæ ab aliis, vt [i] Robertus Claudius notat, [i in sua Gall.] Arripatorium, vulgò *Earicar*, consueuit nuncupari. In litteris Innocentij Papæ IV. idem Cœnobium Androvotium vocatum olim traditur, indultumque à Ludouico Rege Monachis, & Conuersis eiusdem domus, vt ab omnibus in victu, & vestitu ad eorum vsus spectantibus, per terram suam pietatis intuitu, liberi omninò, & exempti esse deberent. *Monachos*, inquit, *& Conuersos Monasterij vestri, quod nunc Ripatorium, tunc verò temporis Androvotium vocabatur.* Cæterùm prioris illius nomenclaturæ non vllam alibi mentionem fieri video. Ripatorium inter alia plura illustrat corpus beatæ Ioannæ, cognomento Reclusæ, quod anno M. CCXLVI. in eodem Cœnobio tumulatum, in die S. Iacobi Apostoli dicitur multis miraculis claruisse.

---

1. Claromarisci illustres fundatores. 2. Primus Abbas ex Priore Claræuallis. 3. Posteriores aliorum donationes, 4. mirandus situs, 5. & nonnulli viri præclari. 6. Quid de Alta sylua? 7. Hersvvithusen fundator, & primi, aut ex primis illius Abbatis zelus. 8. Mos Ordinis in morientes cum proprietate. 9. Dicta de Chemeron pauca, & in dubio, de Cogeshala tantùm remissiuè.

CAPVT XI.

1. SVccedat Abbatia Claromarisci tenuibus initiis præconcepta, necdum formata, sed hoc anno erumpens, atque eo validior, quo detentior. De ea Ioannes Iperius hæc habet verba. [a] *Anno sequenti* (scilicet M. C X L.) *Theodericus Comes, & Sibylla eius vxor, in hereditate sua propria, iuxta villam sancti Audomari, inter paludes, & nemora Monasterium ædificauerunt, in honorem B. Virginis Mariæ, & B. Bernardo tradiderūt. Qui locum in Marisco situm Monachis Cisterciēsibus instituit, & propter religionis puritatem Clarum mariscum nominauit, Abbatem eis præficiēs dominum Gaufridum Monachum Claræuallis. Postquam verò rexerat annis ferè octo, subrogatus est Abbas Guillelmus, qui viginti annis præfuit. Iste Guillelmus Ecclesiam, Claustrū, & cæteras religionis officinas transtulit de loco illo, qui adhuc propter hoc vocatur Vetus curia, ad locum vbi nunc sunt.* Hactenus Iperius. Porrò seriem Abbatum Claromarisci Ferreolus Locrius adducit hoc ipso anno, & nos etiam ex ipso in appendice.

[a apud Ferreol. Locr. in Chronic. hoc anno.]

2. Cæterùm quod ad primum Abbatem attinet, sciat Lector, eum fuisse Gaufridum, seu Gūfridum (sic enim alij nominant) qui assumpto Lingonas antecessore, officium Prioris exercebat in Claravalle. Sic enim in Catalogo eorum lego. *Quartus Prior Claræuallis Gaufridus, postea primus Abbas Claromarisci.* Porrò de ipso, & missione eius in Flandriam, Philippus Seguinus Gallus hæc habet verba. [b] *Gunfridus claro sanguine ortus, Monachus & discipulus sancti Bernardi, vir totius religionis exemplar, & decus, vita & conuersatione præclarus, humilis, doctus, & verus obedientiæ filius à sancto Bernardo in Flandriam, cum duodecim aliis fratribus missus, primus Claromarisci Monasterij, in territorio Morinensi institutor fuit.* Hæc ille. [b lib. 3. viror. illustr. c. 3.] Verùm de meritis, sanctitateque Gunfridi, atque eius pretiosa morte, infrà dicemus. In Claravalle Gaufridus alius successit, dictus de Perona, quem ex partibus Flandriæ adductum à sancto Patre, cum aliis pluribus superiùs cōmemorauimus.

Auxere dotem Monasterij Claromarisci Arnul- 3.
fus, & Matildis, Gisnensium Comites, vnà cum Balduino vtriusque filio, donatione Gaufrido Abbati facta, anno salutis M. C X L V. quam Milo Morinorum Episcopus, anathemate in contrauenientes indicto confirmauit, eodem anno. Nec multis pòst, Christi nimirum M. C L X X I V. idem ipse Balduinus, & Christiana eius vxor, quæ Marchisiensem vicecomitatum, & dominium Ardense, secum tulerat, eamdem Abbatiam locupletarunt, pluribus possessionibus concessis, sub dotis nomine. Circumferuntur, leguntur que instrumenta, quæ Aubertus Miræus in lucem dedit, tum in libro [c] donationum Belgica- [c lib. 1. c. 36.]

deuotionem. de eo Philippus Seguinus hæc habet b lib. 3. c.72. verba. [b] *Rolandus Keseriacensis Monachus, vir doctus, & facundus, in summa religione, & asperitate vitæ apud præfatum Monasterium vixit. Hinc factum, vt per eius manus Dominus multa signa sanitatum dignatus sit operari. Proinde eius memoria apud suos nunquam intermoritura, respōsoriis, collectis, & antiphonis, atque indulgentiis quotannis illustratur.* Hactenus Seguinus. Breuiùs Ioannes Molanus in Appendice ad suum Martyrologium. *Rolandus* (ait) *in Keseriaco (quiescit) responsoria, & collecta habentur ibidem, & indulgentiæ.* Neuter anniuersarium diem designat. Nec satis video, vnde hauserit Henriquez, qui decimumsextum Ianuarij præfixit in Menologio.

3. c vbi suprà. Testatur [c] Seguinus Rolandi gesta, & vitam, auctore Anonymo eiusdem Cœnobij, sanctitate, & doctrina præcellenti, memoriæ prodita; sed quæ dum non declarat, vbi extent, iniuria temporum, & incuria Monachorum (nam id etiam fatebor) periisse censenda sunt, vt pleraque hos Annales illustratura. Sanè qui possemus ex immensa penè segete, vberiores eligere spicas, communes spernere, nunc colligendis granis deputamur, iisque casu sparsis, & decidentibus magis, quàm repositis, & post messionem à tempore peractam, ad spicilegium vocamur vastati agri, si quid falcem euasit, collecturi. Verba Seguini in sua Bibliotheca accipiat lector, vbi tamen Rolandum Abbatem nomi- d litt. M. nat, quod hactenus non video ab alio dictum. [d] *Monachus quidam in Keseriaco Cisterciensis Ordinis, vir sanctitate, doctrina; & stylo clarus, sancti Rolandi eiusdem Cœnobij Abbatis historiam aperto stylo complexus est.* Hæc ille, quæ sumpta, ait, ex archiuiis Keseriacensibus. Blancha Randa inter filias Claræuallis connumeratur, Mellifonte posterior, sed Prior S. Anastasio, adeoque haud dubiè concernens hoc idem tempus. In genesibus in VVallia sitam inuenio, notata Angliæ prouincia suppressa diœcesi. Protulit breui quatuor alias filias, Cumhir, siue Cumhira, stratam floridam, & stratam Marcelli, aliàs de Pola: Struten etiam in Anglia, & in Hibernia, de quibus suis locis, & tempore dicemus.

4. De Neubothle, aliàs de Neubothel (nam Obacinam transeo, quia recentiorem) liber taxarum meminit, & domum, ait, in regno Scotiæ sitam Santandreanæ diœcesis, centum, non ampliùs florenorum taxa præfixa. De eo Nicolaus Arspheldius hæc e in apparat. n. 26. pauca scribit. [e] *Neubotel (aliàs Neubotle) in Laudonia (alij in Lothiania) Ordini Cisterciensi fundat sanctus David Rex. Mentio in litteris Clementis Papæ tertij.* Hæc ille. At de Dauid Scoto Macolmipij, & Margaritæ sanctæ filio, Hector Boëtius ista quæ se- f lib. 12. quuntur. [f] *Cœnobia quindecim partim in regni initio, partim vbi bellum, quod cum Anglis gessit, sedatum fuit, extruxit, magnisque dotauit redditibus, tum Ecclesiasticis, tum vrbanis. Ea verò hæc sunt, Calco, Lodburgum, Meilros, Neubotel, Alcurcustrain, Dundrenam, sanctæ Crucis Monasterium, Campus Keneti, Kilos, Dunfermelin, Holme in Vmbria. Vestalium quoque Monasteria duo, vnum in Carleim, ad Berbicum alterum. Duo item Cœnobia ad Nouum castrum, vnum Præmonstratensium, & alterum regulæ diui Benedicti professorum.* Hactenus ille. Cui per omnia concordant Ioannes Leslæus, & cæteri Scotorum scriptores. Porrò ex his quinque Cisterciensi familiæ tribuit, Meilros, Neubotle, Dundrenam, Kilos, & Hulme: sunt qui addant Macline: de quibus singulis dicendum suis temporibus. Neubotle Monachi missi ex Meilros, vnde & spectat ad lineam Claræuallis. De Neubotheleñsi excidio post annos fermè ducentos quadraginta, plus minúsve, & Monachis martyrio coronatis sub Principe Richardo dicam in tempore.

5. Sequitur Trappa diœcesis Sagiensis, Sabigniaci pronepos, per vallem Sarnaij, & Brolium Benedicti. Vnde cum ipsis nobis dicenda erit. Promotor domus, Robertus, Drocarum Comes, Ludouici Pij, Franciæ Regis, ex fratre nepos, cum vxore Iolenda, vt habet Andreas Duchesne in sua genealogica historia eorundem Comitum: nisi quòd Trappæ Cœnobium ab hoc authore in diœcesi Carnotensi locatum dicitur. Notat & Claudius [g] Trappam g in sua Gall. Christ. Senonensem, quam tamē, credo, natu posteriorem. Verùm, quia semel in nomen hoc incidimus, libet proferre Trappæ Monasterium in prouincia Partica, Adamo Abbate celebre, cuius vix alia nobis notitia subest: nisi quòd tamen prouinciæ nomen facilè vel Auctoris errore, aut amanuensium, librariorumve inscitia, vel oscitantia potuit deprauari: & fortè alterum ex his duobus est, inuerso titulo loci, seu regionis. Vtcumque fuerit, non alibi narrandum, si hic omittam, scribam euentum, quo beatæ Virginis fauor in nostrates, præcipuè morientes, & antiquæ sponsionis fides manifestatur.

6. h lib. 7. c. 9. In Cæsario. [h] *In prouincia Partica domus Ordinis Cisterciensis sita est, quæ Trappa vocatur, in hac, sicut mihi retulit dominus Henricus Abbas de Sittenim, asserens sibi recitatum ab Abbate prædictæ domus, contigit quod dicturus sum, tunc temporis recenter gestum. Infirmatus est ibi Monachus vsque ad mortem, deputati sunt ei duo Monachi ad seruiendum, qui dum simul exiissent, & æger solus iaceret, ingressi sunt duo tetri spiritus in angulo domus stantes: complosis autem manibus cachinnantes dicebant ad inuicem: Cras hora tertia deducemus cum gaudio magno animam huius ad infernum. Mox infirmus tremere cœpit, atque pallescere, maximè propter remorsum conscientiæ, commiserat enim ante conuersionem peccata quædam grauia, quæ vetante erubescentia, confiteri non potuit, neque Clericus in sæculo, neque Nouitius, neque Monachus in Monasterio. Pauens verò, & circumspiciens contemplatus est in angulo opposito matronam pulcherrimam, in hæc verba Dæmonibus cachinnantibus respondentem: Nolite nimis gaudere, ego illi dabo consilium, qualiter dentes vestros euadat. Post quod verbum visio omnis, ministris intrantibus, disparuit. Consilium autem intelligens confessionem, matronam verò sanctam Mariam Dei genitricem, quam in tanto periculo, vt opinor, inuocauerat, Priorem vocari fecit, cui omnia sua peccata, meritis beatæ Mariæ Virginis adiutus, plenè ac deuotè confitens, & vt eadem Abbati, qui tunc præsens non erat, reuelaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & Dominici corporis sacramento munitus, hora à Dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exhalauit.* Ita Cæsarius, vt manifestum fiat, quanto fauore Sanctos prosequeretur, quæ vel rebelles, etiam & sacrilegos (quod manifestū est) Cisterciansæ familiæ non deserebat.

7. Verùm quod in vltimis verbis Cæsarius ait, Monachum oleo sancto inunctum primo, mox Dominici corporis sacramento munitum decessisse, quia sæpiùs nobis erit repetendum, elicit consuetudinem antiquam, non solùm nostris, sed cunctis familiarem, qua vnctione Eucharistia post sacræ vnctionis ritus expressos, absolutosque, de Eucharistia subiungitur. [i] *Quibus expletis* (vn- i cap. 99. ctionibus nimirum cunctorum sensuum) *exeant omnes, & si statim communicare debuerit infirmus, eat cum ministris ad Ecclesiam, qui eum inunxit, aut alius pro eo,* &c. nempe vt illi deferant sumendum cœleste viaticum. Vnde etiam videas, cùm sanctus Malachias, quod suo loco dicemus, ex hac vita migrauit in Claravalle, [k] *Vngitur* (ait Bernardus in k cap. 16. eius

eius vita) *& sumpto viatico, fratrum se orationibus, & fratres commendat Deo.* Vngitur, inquam, primò, mox viaticum sumit ex more Ordinis.

8\. At non solius, sed totius etiam Ecclesiæ habemus in iure, canone tradito a Cantuariensi Archiepiscopo Theodoro, & relato in cap. *ab infirmis*, el primero. 26. q. 7. ibi, *ideo secundùm auctoritatem canonicam, ne illis pietatis clausa ianua videatur, orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis, sacra vnctione olei inuncti, secundùm statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Cardinalis Robertus Bellarminus *lib. 2. de arte benè moriendi, cap. 7.* ritum agnoscit Ecclesiæ familiarem, adducitque in illius comprobationem illud sancti Guillelmi Bituricensis apud Surium, quando videlicet [l] *accepta extrema vnctione, sacramentum Eucharistiæ sibi porrigi instantissimè postulauit, vt tanto itineris duce munitus, posset hostium cuneos penetrare securus.* Sed redeamus ad seriem fundationum.

l Ianuar. 10.

9\. In Campi Monasterio dubius hæreo, quippe inter plura ferè eiusdem nominis. Nam præter Coloniensem, de quo superiùs, inuenio Campum, aliàs sacrum locum in diœcesi Pragensi, Campum liliorum in Austria, & Campum Principis à Ludouico quarto structum: sed omnes tempore longè posteriores, vt suis locis dicemus. Extat & Campus dictus S. Mariæ, Monasteriensis diœcesis, Monachis ex Hersubithusen missis, vt habent tabulæ Ecclesiarum Morimundensium.

10\. Sequitur Abbatia Frigidi montis in diœcesi Belluacensi, VValerani senis proles vltima, atque eò fortè charior, Monachis illuc directis ab Vrsicampo, queis in Abbatem Manassem præfecit, virum sanctissimum. De ea Robertus Montis hoc ipso anno. [m] *Cœnobium sanctæ Mariæ de Frigido monte, à pia memoria VValerano primo Abbate Vrsicampi fundatum est, sub electo Patre Manasse.* Fundatores habuit dominos de Bulles, quorum præcipui sunt, Aleydis de Bulles, & eius filij, Lancelinus, & Manasses, cũ sorore Beatrice, vt ex diplomate, ab eisdem cõfecto, in Notitiis Ecclesiarum Cistercij, nuper in lucem datis, videre licet. Amplificauere etiam eundem locum Radulphus, & Catherina, Comites Claromontani, necnon & Philippus Pulcher, Franciæ Rex, vt in eiusdem domus monumentis satis apparet. Verùm vt Manasses Pater nascentem domum, sic iam adultam Helinandus nobilitauit, sui sæculi ingens ornamentum, imò miraculũ, & alij, quos reddemus suis temporibus. Memoratur Frigidus mons in litteris Innocentij Papæ tertij, atque Gregorij noni, de quibus infrà.

m in supplement. Sigebert.

11\. Vrsariam in Galleciæ regno insignem domum, quia Hispanam concernit obseruantiam, seorsim referam. De Prato benedicto hæc pauca habeo: filiam Dalone de linea Pontigniaci, sitam in territorio Lemouicensi, quorum alterutro geneseos tabulæ perhibent, alterius auctor mihi [n] Robertus Claudius. Neque maior notitia Melobroni, nisi quod in aliquibus genesibus hæc notata inuenio, nescio an certa. *Melobrone filia Noui castri, diœcesis Spirensis.* Vnde & pertinet ad lineam Morimundi. In genesibus Stanleias tres inuenio, duas in Anglia, alteram Londinensis, filiam Sauigniaci, Eboracensis aliam, filiam Carreriæ: in Gallia vnam Senonensis Diœcesis, quam Fontanetum video produxisse, omnes augentes lineam Claræuallis. Verùm duæ priores, cum altera filia Sauigniaci, altera neptis, simul cum ipsa subdidere collum Cistercij iugo, adeoque non ante annum M. CXLVIII. vt tomo sequenti latiùs memorabo. Nec Senonensem reperio in libris Cameræ, & nomen Anglicum sonat magis, quàm Gallum. Mihi res in dubio, nec quam earum Chronologia notet ad hunc annum ausim determinare.

n in Catalog. Monast.

Hoc ipso anno Monasteriũ de Egena in Hassia fundatum lego, sancto Conrado Monacho insignitum, Monachos ex Hersubithusen ascitos produnt tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. De Monasterio, & eius fundatoribus hæc Aubertus Miræus in suo Chronico. [o] *Eodem quoque anno* (scilicet M. CXL.) *constructum est in Hassia Monasteriũ Hegena, à Popone, Bertáque Comitibus.* At de Conrado miraculis illustri sub his initiis, immediatè subiungit. *Floruit Conradus medicus, & archigrammaticus, miraculis clarus.* Et de miraculis quidem tabulæ Ordinis antiquiores hæc habent verba. *Conradus in Egena Monasterio Hassiæ Monachus, multa miraculorum gloria continuè fulgens.* Verùm quod asserit Miræus archigrammaticum, vnde hauserit, non potui inuenire. Sed neque Philippus Seguinus artis meminit. [p] *Cõradus* (ait) *Cœnobij in partibus Hassiæ Monachus, vir nobilis secundùm carnem, & in sacris litteris eruditus, moribus quoque, & vita conuersatione percelebris, qui diuina charitate succensus, tantæ pietatis, & compassionis extitit erga languidos, & miseros, tanta apud Deum potentia, meritisque, vt suis precibus cæcos illuminauerit, Dæmones ab obsessis corporibus eiecerit, surdis auditum, claudis gressum, ægris beneficia salutis præstiterit. Denique viros eruditos amauit plurimum, pauperes iuuit, afflictos verbo, & consolatione erexit, discordes ad pacem reduxit, errantibus viam, qua ire debebant, ostendit. Tandem virtutibus, & meritis illustris obdormiuit in Domino. Ad cuius sepulchrum innumera Deus per eum miracula patrare non desinit.* Ita Seguinus, inuolutè satis, si clariùs nouit, sed puto non distinctior, quia non gnarior. Vt virtus Dei in eo præcipuè splendet, quod nunquam tot producat, quin plura possit: sic Cisterciensium Sanctorum, & gestorum per ipsos scaturigo, vt & cùm putaueris cuncta collegisse, vincent omissa, nunquam exhaurienda. Addit Miræus [q] hoc eodem anno Amedeum secundùm Sabaudiæ Comitem construxisse Abbatiam supra montem Bicugeum, vulgò de Bicugeors. Cætera tacet, nec nominat auctorem, vnde id hauserit. 12.

o ad ann. 1140.

p lib. 3. c. 58.

q vbi suprà.

Claudat agmen Monasterium illustre virginum, vicissitudinem temporum expertum, inter belli tumultus, sed hodieque illustre perseuerans, sub disciplina Abbatis Salemitani, de quo hæc Bruschius. [r] *In Germania, in diœcesi Constatiensi virginum Cœnobium visitur, quod olim Aquarum haustus, vulgò VVasserschapffen, fortè ab innumerabilibus in vicinia fonticulis, dictum, postea à sancta Crucis particula, ex Augia diuite, illuc, vt dicitur, allata, vallis sanctæ Crucis est appellatum. Fundatum legitur circa annũ M. CXL. equite quodam Alebano, vt tradunt, locum, fundumque donante. Post bellicis tumultibus euersum ab Hugone Comite Laudamensi instaurari cœptum est, anno circiter M. CCXXX. illustre hoc Monialium nobili stemmate natarum Cœnobiũ apud Riedlingam, in Suecia situm, Salemitani Abbatis visitationibus subest.* Hæc Bruschius pluribus. Primum fortasse Monialium in Germania: certè ante quod Auctores non aliud produnt. Verùm quod ait de virginibus nobilibus, nec aliis suscipiẽdis in ea domo, Cisterciensibus obseruatum in multis aliis demõstrabunt Annales: nõ quasi virtus ex genere pensetur, quæ cunctis patet, sed quod semel admissam altiùs foueat, latiùs diffundat: & quod in aliis etiam experimur, faciliùs descendat exemplum ad minus nobiles. 13.

r in Chronol. Monast. German.

1. Vrsariæ situs, 2. & quatuor primi Monachi. 3. Donatio Imperatoris, 4. & vicinorum, 5. Correcta illa, & certum tempus præfixum, 6. non sub Cistercio: 7. quod tamen illuc statim inductum fuit. 8. Ingentia eiusdem domus incrementa: 9. orta, vt creditur, ex continuis eleemosynis. 10. Epistola Regis Catholici ad Abbatem. 11. Vrsariæ encomia, 12. & alia remissiuè.

CAPVT XIII.

1. INsignis domus inter alias hoc anno natas, Claramvallem Vrsaria nobilitauit, inter abrupta montium, loco perhorrido, & qui fortasse Vrsaria dictus est, quòd solis vrsis peruius iudicaretur. Nec abnuo impositum nomen à peruio flumine, quod antiqua instrumenta manifestant, sed fortè flumini vocabulum à brutis, quòd nullis aliis paterent illius aquæ. Confirmant etymon insignia antiqua domus, hæc inter animalia quercus assurgens, quam vtrimque aut insiliunt, aut sustentant. Sita ea in corde Regni Gallaici (Galliciam hodie dicunt) & Lusitanis propinquior, quàm Asturibus. His, velut terminis Gallecia vtrimque cingitur: nam anteriorem partem mare abluit, posteriorem circumstat Legionis Regnum. Auriensem diœcesim per se ipsam latè occupat, per membra transcendit. Genita, an adoptata, non satis notum, sed si adoptata, ab ipsis incunabulis, quippe solo triennio antè exorta, vix infantiam compleuit alieni lares.

2. Initium habuit per sanctos quatuor Monachos, Garciam, Didacum, Ioannem, Petrumque, quos solus amor diuinæ contemplationis, & monasticæ vitæ desiderium illuc adduxit. Donauit locum Alfonsus Imperator, intercessit Ferdinandus Galleciæ Comes, & consensere adiacentis terræ domini, imò & si quid ipsorum, concessere. Extant authentica vtriusque largitionis, quæ non pigebit ad litteram transcribere: atque ecce exemplar indulti Imperatoris, in quo & Ferdinandi instantia continetur.

3. [a] *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Catholicorum Regum officium esse dignoscitur, sancta loca, & eorum cultores diligere, ac venerari, atque in hereditatibus, & possessionibus ampliare, & contra prauorum militias manutenere, & defendere, vt dando terrena, recipere mereantur æterna. Eapropter ego Aldefonsus (gratia Dei) Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea domna Berengaria, grato animo, voluntate spontanea, nemine cogente pro Dei amore, pro mea, parentumque meorum remissione peccatorum, facio chartam donationis Domino Deo, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Vrsaria, domnoque Garciæ eiusdem loci electo in Abbatem, cæterisque Monachis præsentibus, & futuris, qui in eodem loco Monasterium construere, atque religionem, atque regulam beati Benedicti obseruantes, manere voluerint: de illa mea hereditate, & monte, in quo nunc ædificatur, & construitur Monasterium prædictum, iuxta flumen, cui nomen est Vrsaria, & iacet inter terminos de Castella, & de Cambia, & de Bunal, & de Asma, subtus montem Nauego, & Penabicho, & montem Eugenua, & Pena Pelagij. Dono itaque vobis prædictam hereditatem, & montem illum, qui vocatur Vrsaria cum omnibus suis terminis, & pertinentiis, cum ingressibus, cum montibus, & vallibus, cum terris & aquis, & pascuis, & cum omnibus suis directuris, quocumque loco fuerint, & potuerint inueniri: & quodcumque ab heredibus, quæ in circuitu vestro sunt, potueritis acquirere. Vt autem domnus Garcias electus, cæterique fratres, tam præsentibus, quam futuris, Deo, in Monasterio sanctæ Mariæ de Vrsaria seruientes, ipsum Monasterium, & locum cum suis hereditatibus, & terminis tranquilli possideant, cauto illud, & omnia quæ ad ipsum pertinent, & præsenti scripto communio, vt nullus homo in locum illum, & hereditates eius intrare causam malefaciendi, vel pignorandi præsumat. Præcipio ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut collectam in eo facere, seu tributum, vel censum petere, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt. Hanc autem donationem, quam domno Garciæ electo, aliis quoque fratribus in eodem Monasterio existentibus, successoribusque eorum, de ipso, eodemque Monasterio facio, Deo auctore confirmo, & omni tempore firmam esse, & stabilem concedo. Si quis autem in posterum hoc meum factum infregerit, de quocumque genere sit, anathemate feriatur perenni, & in inferno cum Iuda proditore semper damnetur, nisi resipuerit, & pro temerario ausu Regiæ potestati, & Ecclesiæ prædicto pectet mille marchas argenti, & duplatum insuper restituat quidquid violenter abstulerit. Facta charta Toleto anno tertio, quo idem Imperator coronam Imperij primum in Legione suscepit, & in anno primo, quo præfatum Monasterium construere cœperunt. Æra millesima centesima septuagesima tertia, & .... quarto Nonas Septembris, eodem Imperatore Aldefonso imperante in Toleto, Legione, Cæsaraugusta, Najara, Castella, Gallecia. Ego Aldefonsus Imperator hanc chartam, quam iussi fieri, confirmo, & manu mea roboro, & firmam omni tempore manere concedo. Ego Fernandus Comes Galleciæ, qui precibus meis apud dominum Imperatorem, vt prædictum montem, & hereditatem prædictæ Ecclesiæ daret, & cauto, scriptoque muniret, obtinui, confirmo. Ego Raimundus Toletanus Archiepiscopus confirmo. Ego Didacus Compostellanensis Archiepiscopus confirmo. Ego Berengarius Salmanticensis Episcopus confirmo. Ego Guido Lucensis Episcopus confirmo. Ego Martinus Auriensis Episcopus confirmo. Comes Ramirus Florez confirmat. Comes Rodericus Velez confirmat. Comes Rodericus Petrem velo Pedrem confirmat. Fernandus Ioannis confirmat. Pelagius Curuus confirmat. Munio Tacum confirmat. Didacus Monion Maiordomus Imperatoris confirmat. Didacus Florez Alferiz confirmat. Almaricus tenens Toletum confirmat. Lop Lopez confirmat. Guterrus Fernandiz confirmat. Menendus Faiseolus confirmat. Fernandus Odariz confirmat. Petrus Ioannis de Monterroso confirmat. Gunsaluus Fernandiz confirmat. Aluarus Rodriguez confirmat. Arias Caluus confirmat. Ego Petrus Baccacus, qui præfatum locum iussu domini Imperatoris cautaui, confirmo. Gerardus scripsit iussu Magistri Hugonis Cancellarius Imperatoris.* Hactenus Imperator ad quatuor Monachos, cùm Monasterium construere cœpissent, & Garciam præfecissent sibi Abbatem.

[a] in monum. Vrsariæ.

Verùm tunc primum eos illuc appulsos, nec locum antè peruium humanis gressibus, 4.
insuper & cunctorum circum finium, si quid in loco haberent, donationem, sequens aliud confirmat instrumentum, æquè antiquum, quod ita habet.

b in scrinio Vrsariæ.

b *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Ego Garsias Monachus, ego Didacus Monachus, Ioannes Monachus, Petrus Monachus, introiuimus in locum desertum, scilicet qui vocatur Vrsaria, & cæpimus (Deo adiuuante) construere, magnæ solitudinis locus, & ex antiquis temporibus erat, nemine sciente, ibi aliquando villam habitationem hominum. Cùm itaque aduerteremus post aliquos dies, & sciremus intus, & per circuitum locum ita incultum, & incognitum humanæ habitationis esse, ad habitationem Monachorum Deo seruire volentium aptum esse probauimus. Itaque consilio amicorum à Domino Rege Aldefonso postulauimus, vt nobis iuberet cautari locum per circuitum, vt ab incursione exterorum securi effecti quietam (vt decet Monachis) vitam ducere possemus. Concedente igitur Domino piissimo Rege Aldefonso ad petitionem nostram locum cautari: nos insuper necessarium duximus, vt omnes per circuitum habitantes ad confirmationem huius facti vocaremus, ne fortè aliquis in posterum inuidiæ, vel odij, aut cupiditatis causa molestare tentaret, diceretque aliquid sibi competi intra cautum iure auiorum suorum. Ad petitionem itaque nostram omnes per circuitum, qui habitabant, nobis concesserunt, & tradiderunt, si quid ex parte auiorum eis in illo cauto debebatur.* Hactenus ibi.

5. Primam Imperatoris largitionem biennio per errorem antè signatam, argumento est, quòd factam asserit *anno tertio, quo idem Imperator coronam imperij primum in Legione suscepit.* Quam tamen constat non anno M. CXXXIII. sed M. CXXXV. in festo Pentecostes suscepisse: vt ab eodem festo anni millesimi centesimi trigesimi septimi, tertius inciperet, intra quem charta data mense Septembri. Extat donatio eiusdem Imperatoris eidem Monasterio sub tali data. c *Facta charta in illo Castello nouo, quod fecit Imperator Alfonsus iuxta Aurileam, dum eam tenebat obsessam, anno quoque quinto, quo isdem Imperator coronam Imperij primum in Legione suscepit. Æra M. CLXXVII. octauo Kalendas Augusti.* hoc est, anno Christi M. CXXXIX. intra quem in festo Pentecostes, quarto completo, quintus deinceps à suscepta corona, numerabatur.

c ex monimentis domus.

6. Igitur anno Christi M. CXXXVII. qui incidit in Æram M. CLXXV. incepisse Vrsariam compertum est. At non statim sub Cisterciensi reformatione, sequentibus coniecturis videtur innui. Quòd nullæ tabulæ Cistercio adscribant domum ante annum Christi M. CXL. Quòd sub Cistercio incipiens, non per quatuor, sed per duodecim Monachos inciperet, saltim per plures. Quòd ipsa nomina, præcipuè Abbatis Garsij Hispaniam potius, quàm Galliam præseferant, vt non illinc transmissos per sanctum Patrem, sed istinc congregatos faciliùs credas. Quòd Imperator in ipsa fundationis, & dotationis charta Cistercium taceat, semel admissum, nequaquam supprimendum. Quòd denique Honorius Papa tertius, qui Ecclesiæ præsedit proximo sæculo, in quodam priuilegio expressum habeat, extitisse aliquando Monasterium sine Cistercio. d *Quæ omnia,* ait, *bona quadam confirmans eidem domui, quæ omnia,* inquam, *idem Monasterium, antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat.* Scio his omnibus euasiones quæri, solutiones non video reperiri.

d ex scriniis Vrsariæ.

7. Crediderim, constructo iam Cœnobio, atque aliquibus admissis ad professionem, Garsiam Abbatem, fauente Imperatore, fortè & impellente, qua pietate Cistercium prosequebatur, adiisse Capitulum, se ac domum Cistercio traditurum, sub Claræuallis Abbatis visitatione. Inde duobus, aut tribus ex Claravalle assumptis, remeasse in Vrsariam, nouis extunc imbuendam per eos legibus. Quod item Casemarij hoc anno factum, Bernardus expressisse videtur ad Innocentium, cùm dixit. e *Præter illos, qui bini, aut trini ad diuersa destinati sunt loca, tria ex eis noua Monasteria, ex quo à vobis defecimus, integrè ordinata sunt.* Quasi diceret: tria ex integro, de nouoque constructa, adeóque competenti donata numero fratrum: reliqua præerecta, præordinataque, duobus aut tribus contenta velut doctoribus.

e epist. 184.

Tum verò Garsiæ confirmata præfectura, quod satis frequens, reliqua ad normam Cistercij transiere. Benedixit autem Deus Vrsariæ ex illa die, & multiplicauit eam, adeò vt à tempore Alfonsi Imperatoris vsque ad hæc nostra per quingentos circiter annos nullum non Regem munificum experta, nullum non Principem, creuerit velut in immensum possessio eius, inexhauribilis commendarum luxu, qui minus distrahere potuerit, quàm illi contulisse, & conferre dignoscerentur. 8.

Creditur is eleemosynæ fructus in terra sterili, & gente nimium paupere, qui semper suppetant subsidia Monasterij. Antiqui temporis multa commemorantur, multa leguntur, ego præsentia tantùm, & visa referam: ingrauescente per Prouinciam fame, collatam genti annonam excreuisse, ad pretium decem millium ducatorum per annos singulos. quod nos intra sexennium, quo hæc scribimus, dum eam domum ex officio visitaremus, non solum in rationum libris legimus, sed in pauperibus. Extat Philippi secundi Regis verè Catholici non multo antè ad Abbatem Vrsariæ venerandæ sanctitatis virum, fratrem Ambrosium Lopez, scripta epistola, qua peste & fame simul ingruentibus, atque vniuersam Prouinciam depopulantibus, circa annum Christi M. DXCVIII. congratulatur de ingenti largitate, benignitateque, qua pauperibus Christi prouidisset. Nec grauabor monumentum pietatis, & prouidentiæ (quantumuis dispar, haud tamen inæquale Regis, & Præsulis) per anticipationem hîc subiungere. Quod præcipuè, si in proprium tempus reseruaretur, vix aut ne vix à me scribendum foret: cui iam vergens in senium prolixior ætas, & diuersorum studiorum sæua prolixitas breuiores vitæ terminos proponunt, atque ô vtinam! dignè peragendæ. Eius epistolæ ipsissimum exemplar, ne per versionem ei quicquam derogetur, accipiat lector. 9.

EL REY.

FRay Ambrosio Lopez Abbad del Conuento de Osera: Don Luys Carrillo de Toledo mi gouernador de ese Reyno me ha escrito el amor, y charidad, conque acudis à remediar las necessidades, que las gentes del padecen: y aunque es muy conforme à vuestra religion, y a lo que siempre se entendio de vuestro buen zelo, me ha parecido conueniente aduertiros, que el cuydado que en esta buena obra aueis puesto, le tengo en particular seruicio, y lo sera, que asi lo continuys, haziendo el esfuerzo, que la necesidad, y vuestra charidad os piden. Y asi os lo encargo, y encomiendo mucho. De Madrid, y diez de Marco de mill y quinientos y nouenta y ocho. Yo el Principe. Por mandado del Rey nuestro Senor su alteza en su nombre, Estevan de Iuarra. 10.

Hactenus

Hactenus ad Abbatem Vrsarij Rex Catholicus, si non dedisset, iterum daturus, quæ Deus pauperibus suis multiplicaret.

11. Ergo Vrsaria, vt Tabita, plena eleemosynis, atque eo plus accipiens, quo plus insumens, oliuas, olei, hoc est, possessiones pingues, liberalitatis, & misericordiæ filias [f] experta est, Abbaria alia, & tredecim Prioratibus aucta satis opimis: quin & portu maritimo (haud ignobili) & multis circum oppidis subiectis, multis item Ecclesiis, quibus præsideat. Nec tacendum, quòd ex ædificiis æquè, ac possessionibus crescens, hoc nostro sæculo, Gallaicum Scoriacum (vulgo *el Escurial de Gallicia*) nominetur: quasi non minus præmineat in eo regno, quàm in Castella diui Laurentij ædes (superbè Regiæ ad oppidum Scoriacum) miraculum octauum totius orbis, quod Philippus secundus proximo sæculo, septimo a Mantua lapide construxit. Certè in Vrsaria ingenti templo marmoreo, similia reliqua, vel infimæ officinæ, & opere certante cum materia, singulæ inter se certant: spernunt reliquas, quæ in eo tractu Cœnobia pluta illustrant.

f Zach. 4.

12. Vixit Garsias, & præfuit, profuitque ad annum M. C L X V I. charus Imperatori Alfonso, charus & Ferdinando Legionensi, à quibus multa, ingentiaque suscepit, quæ hodie possidet. Nec mansit sterilis, inter plures filios, sancto Famiano ad habitum suscepto post biennium, mox prole edita, & transmissa in Lusitaniam, quæ sanctos etiam viros parturiret. Sed hæc, & plura, quæ insigné concernunt domű, suis temporibus reddẽda reseruamus.

IESV CHRISTI ANN. 1141. — CISTERCII ANN. 44.

1. Monachi Hiberniam missi, ex Claravalle, 2. quibus Malachias locum præparauerat. 3. Epistola Bernardi ad sanctum Præsulem, 4. fragmentum alterius pro suis filiis. 5. Mellifontis sub Christiano Patre incrementa. 6. Monachi (in Bencher fortè) inde deducti, 7. sed resilientes, pro quibus alij à Bernardo sunt remissi.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus quadragesimus primus, Cistereij quadragesimus quartus, quo Malachiæ discipulos instructos, & iam Magistros, Bernardus in Hiberniam destinauit. Præfectus eis Christianus vir sanctissimus, & qui Malachiæ olim Archidiaconus, mox ab ipso dimissus in Claravalle Bernardi Monachus vtriusque spiritum altiùs ebibisset: additi etiam alij complendo numero, quo integra Abbaria conficeretur. De his Bernardus in vita sancti Pontificis. [a] *Quibus* (his scilicet, quos Malachias dimiserat) *per aliquod tempus instructis, & eruditis corde in sapientiam, dato eis in Patrem sancto fratre Christiano, qui erat vnus ex ipsis, emisimus eos, adiungentes ex nostris, quanti sufficerent ad numerum Abbatia.* Igitur anno probationis peracto, & secundo completo in Monachismo, tertio ab ingressu suo, sociorumque Christianus in Hiberniam destinatur, vtriusque Patris votis satisfacturus, & qui Bernardum, Abbas, ad viuum redderet, Pontifex, Malachiam (nam illi successurus) repræsentaret. Scio Mellifontem (id nomen imponendum nouo Cœnobio) in tabulis Claræuallis ante annum, in Cistercienſibus etiam ante septennium connumerari. Verùm vtrasque conuincunt habitatores, admissi ad probationem intra biennium: nempe in reditu ab vrbe Malachiæ: sed & detenti ab ipsa professione, ac denegati, petenti sancto Pontifici, quo mores Ordinis pleniùs instruerentur: quod vtrumque ex Bernardo parente superiùs vidimus.

a cap. 16.

2. Interim loco electo, atque disposito, in diœcesi Armachana, qui iam habitatores præstolaretur: Malachias, cùm primum filios reddi, atque optatum diei conuentum transmitti videt, Claramvallem in cunctis, licèt exiguam, in Christiano Bernardum veneratus, & primum obuius, dein etiam deducens, collocat domo, & Mellifontem nominat: præsagiente iam tunc sancto Pontifice, inde erupturos riuos mellis, & lactis, qui totam insulam ociùs irrigarent. Dederint ne, ex selecta nobilitate, in ipso primo ingressu Cistercio nomina, an omnes circum, exemplo Monachorum vitam, & mores in melius reformauerint, in dubio est. Certum ab ipso aduentu nouæ familiæ insulam renouatam. Primum probat quina concepta proles intra septennium: secundum magis sonant Bernardi verba, seu potiùs Malachiæ ad ipsum scribentis, in illo semine benedictas gentes Hibernas, quod nisi Dominus illis prouidisset, Sodomæ potiùs, & Gomorrhæ compararentur. Extat rescriptum Bernardi ad Malachiam, cùm primum Monachos in Hiberniam appulsos nouit, cuius hæc verba.

[b] *Malachia Dei gratia Episcopo, sedis Apostolicæ Legato, frater Bernardus Claravallensis vocatus Abbas, si quid potest peccatoris oratio, & si quid pauperis deuotio prodest. Fecimus quod præcepit sanctitas vestra, etsi non vt dignum, profectò vt possibile pro tempore fuit. Tanta apud nos vbique malitia grassatur, vt vix id tantillum quod factum est, fieri licuerit. Misimus tamen exiguum seminis, quod videtis, ad seminandum, vel modicam partem agri illius, in quem verus Isaac [c] quondam exierat ad meditandum, cùm primum adducta est ei Rebecca per puerum Abraham perenni coniugio feliciter copulanda. Nec contemnendum semen, de quo illud in patribus vestris experimur impletum hoc tempore: [d] Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes essemus. Itaque ego seminaui, rigate vos, & Deus incrementum dabit. Sanctos omnes, qui apud vos sunt, per vos salutamus: humiliter ipsorum nos, & vestris sanctis orationibus commendantes. Valete.* Ita Bernardus ad sanctum Malachiam. 3.

b epist. 316.

c Genes. 24.

d Rom. 9.

Qui etiam alibi eidem gratulatur de vtrisque incrementis recentis domus, communes filios enixiùs ei commendans. [e] *Filios nostros, imò & vestros tanto obnixius commendamus vobis, quanto amplius remoti sunt à nobis. Vos scitis, quoniam tota post Deum fiducia nostra fuit, vt mitteremus eos, quoniam sanctitatis vestræ precibus non acquiescere illicitum videbatur. Facite quod vos decet, vt totis visceribus charitatis amplectamini eos, & foueatis. Nequaquam occasione aliqua circa eos solicitudo, & diligentia tepescat, & pereat,* 4.

e epist. 317.

quod plantauit dextera vestra. Iam quidem quia bene proficit domus, & ex vestris litteris, & ex fratrum nostrorum relatione didicimus. Multiplicatur tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. Vnde & congratulamur plurimum, & toto animo gratias agimus Deo, & paternæ solicitudini vestræ. Et quoniam multa adhuc opus est vigilantia, tanquam in loco nouo, & in terra tam insueta, imò & inexperta monasticæ religionis, obsecramus in Domino, ne retrahatis manum vestram, sed quod bene incepistis, optimè perficiatis. Hæc sanctus Pater pro filiis amantissimis, quos communes habebat cum Malachia.

5. Extat in iure mentio Mellifontis *in cap. cùm sicut in litteris* 28. de electione, & electi potestate, Desiderato præfecti illius suffragio in electione Episcopi Armachani, cuius defectu cassa iudicaretur, ibi. *Si autem Mindensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, contempti fuerunt.* Et rursus in integra. *Tertium, quia Mindensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, ad electionem minimè conuenerunt. Vnde si contempti fuerunt, vel ambo, vel alter, plus eorum contemptus, quam multorum contradictio prædictam electionem debuit impedire.* Numerantur Mellifontis filiæ plusquam duodecim, & ea ipsis innumeræ, quæ totam ferè Hiberniam occupauerunt. Cæterùm intra septennium sub sancto Abbate Christiano susceptas quinque, inde mihi efficaciter deduco, quòd Malachia ad Superos translato anno M. CXLVIII. quo sanctus Pater illius scripsit vitam, hic numerus ab ipso designatur. [f] *Quæ concepit* (ait) *& peperit filias quinque.* Nec potuerunt sub alio Abbate nasci, quando Christianus præfuit Mellifonti, quo vsque Malachiæ in Episcopatu Dunensi substitueretur, de quo inferiùs. Hæc nunc de Mellifontis faustis initiis: sed iam ad Benchorensem transeamus.

f cap. 52.

6. Id, Mellifonte primum stabilito, atque ea Nouitiis aucto, qui superuenerāt, ex Monachis trāsmissis à Claravalle accepisse Magistros, coniectari potius licet, quàm affirmare. Certè ex illis nonnullos alio appulsos, reformando Cœnobio, quod priùs laxiora instituta profiteretur, in confesso est, indeque Claramvallem rediisse, Malachia dolente, nec impediente, quod difficilius qui reformabantur, austeriorem viuendi normam primò admitterent, quod sanctus Doctor scripsisse videtur ad Malachiam. [g] *De fratribus nostris, qui redierunt à loco illo, nobis bene placuisset, si remansissent. Et fortasse nonnullam occasionem præbuerunt eis fratrum, qui de terra sunt, minus disciplinati mores: in eo maximè, quòd minus facile acquiescere videntur eorum consiliis in his rebus, quarum priùs fuerant inexperti.* Hæc sanè verba, vt non de Mellifonte, in quo omnes experti, fuetique: sic de alio Cœnobio intelligenda, quod ea laxiori vita, ad Cistercij rigorem recèns transierit: nec de facili aliud occurrat, si Benchor demas.

g epist. 317.

Ergo cùm Benchorenses sub his initiis gemerent potius, quàm recalcitrarent sub nouo onere, seu potiùs desiderio Claræ vallis, & ne diutiùs Bernardo fraudarentur, paucis animosioribus relictis, cæteri in Claramvallem rediere. Verùm pro illis remissi alij duo, alter Christianus, qui ex Hibernia venerat, sanctitate, & doctrina priori similis, nec dissimilis futurus in dignitate, & Robertus secundò illuc remissus, de quibus sanctus Pater pergit scribere. [h] *Charissimum filium nostrum Christianum, & vestrum, remisimus ad vos, quantum potuimus instructum pleniùs in his, quæ ad Ordinem pertinent, & de cætero circa obseruantias eius soliciciorem futurum, vt speramus. Nec miremini, quòd non plures cum eo misimus fratres, quoniam nec idoneos inuenimus, qui facile acquiescerent, nec inuitos cogere consilium fuit. Dilectissimus filius noster Robertus precibus nostris acquieuit etiam hac vice, tanquam filius obedientiæ. Vestrum erit iuuare eum, vt possit iam & in ædificiis, & in cæteris necessariis promoueri domus vestra. Illud quoque paternitati vestræ suggerimus, vt viris religiosis, & quos speratis vtiles fore Monasterio, persuadeatis, quatenus ad eorum Ordinem veniant. Quoniam hæc erit summa vtilitas domus, & vobis faciliùs acquiescent.* Hactenus Sanctus per vtrumque reparaturus, si quid priorum discessu deferbuisset, sed interim insinuans Malachiæ, qualiter renouata plantatio promoueretur. 7.

h ibidem.

---

1. Malachias marmoreum templum molitur, 2. præcedente visione, 3. & Deo impensas ad opus prouidente, 4. quod omnino exemplari concordauit. 5. Commota gens, ex ædificij apud ipsos nouitate, 6. & diuina vindicta sumpta de commouente. 7. Cuius pater blasphemus in virum Dei, 8. eadem die sacrilegij admissi pœnas luit.

CAPVT II.

1. AT sanctus Pontifex, occasione arrepta, & ea tunc iam insistens Bernardi verbis, cùm disciplinam per Christianum augeri indies, & reliquis, quæ grauia priùs tenuerent, adsuetudine leuia, ex gratia etiam suauia, contemplaretur, indeque plures eandem viam capessere: vt ædificiis, quod solùm reliquum erat, tertio iam renascentem Benchor augeret, templum lapideum, illatenus in Hibernia nequaquam visum, decreuit struere, quod vel in ipsis primordiis nouæ fabricæ multis, ac miris prodigiis illustre fuit. Singula, conciliandis gratiæ fideique, Bernardi Patris verbis prosequamur. [a] *Visum est* (ait) *Malachiæ deberi construi in Benchor Oratorium lapideum, instar illorum, quæ in aliis regionibus constructa conspexerat. Et cùm cœpisset iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdum eius modi ædificia inuenirentur.* Hæc prima nascituri templi velut conceptio.

a in vit. c. 14.

2. Quod tamen qua fiducia primum, mox & quo exemplari cœptum sit, demum quibus expensis continuatum, idem qui suprà Sanctus ita prosequitur. [b] *Contulerat primum de opere illo cum fratribus, & multi præ inopia minus libenter assentiebant. Inde anxius, dubiusque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquerere, quænam foret voluntas Dei. Et die quadam dein regrediens, cùm iam loco appropiaret, prospexit eminus, & ecce Oratorium apparuit magnum lapideum, & pulchrum valde. Et intuens diligenter situm, formam, & compositionem, cum fiducia arripit opus, priùs quidem indicata visione senioribus fratribus, paucis tamen.* Hactenus Sanctus.

b eodem cap.

Tali visione firmatus Malachias, instructusque, solæ deesse expensæ videbantur, quibus conceptum opus parturiret. Nec aliter cœlestis visio comprobaretur, si non qui dedit velle, daret & posse, subsidiaque, queis cuncta iuxta exemplar ostensum perfici possent. Non multo pòst marsupium pecuniis plenum à Malachia inuentum, vel 3.

Malachiæ

Malachiæ diuinitus oblatum, nouæ fabricæ necessaria suppeditauit. Audi quod sanctus Doctor
c cap. 14. antè tradiderat. [c] *Et quidem non erat Malachie, non dico vnde perficeret, sed ne vnde faceret quicquam. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino: Dominus verò prouidit, vt etsi non speranti in pecunia thesauris, pecunia non deesset. Quis enim alius fecit, vt thesaurus eo loci reponeretur: repositus, non reperiretur, vsque ad tempus, & opus Malachiæ? Inuenit Dei famulus in Dei marsupio, quod defuit suo, & meritò quidem. Quid enim iustius, quàm vt cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret consortium, & marsupium vnum esset amborum? Fideli denique homini totus mundus diuitiarum est, & quid est ille, nisi quoddam marsu-*
d Psalm. 49. *pium Dei. Denique ait:* [d] *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Inde est quod Malachias repertos argenteos multos non reposuit, sed exposuit: nam totum munus Dei in Dei opus iubet expendi. Non suas, non suorum considerat necessitates: sed iactat cogitatum suum in Domino, ad quem vtique recurrendum non dubitat, quoties necessitas postularit.* Ita Bernardus. Vt eisdem subsidiis materialia in Benchor surgerent, quibus creuerant ædificia spiritualia, atque æquè vtraque ex Deo per Malachiam renouatio perfecta comprobaretur.

4. Cæterùm qualiter totum opus perfectum sit, iuxta exemplar ostensum Malachiæ, non multu
e cap. 14. pòst subiungit, dum ita ait. [e] *Sanè totum, quod attentè notauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obseruauit, vt peracto opere, factum viso simillimum ap-*
f Exod. 25. *pareret, ac si & sibi cum Moysi dictum audierit.* [f] *Vide vt omnia facias secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Hæc de fabrica Oratorij Benchotensis, certantibus miraculis, reuelationibusque, quo opus vndequaque perfectum consummaretur.

5. At ne quod signum deesset cœlestis gratiæ, ne quod meritum, aut gloria Malachiæ, permissi etiam insurgere in fabricam, qui mox vindicem Deum experirentur. Illi nimirum, quibus cesserat possessio, cùm Malachias contentus antiquo loco, primitus Monasterium instauraret. Hi pater, filiusque, vterque sacrilegus, atque vterque ausus in Malachiam, filius etiam in fabricam, temeritatis præsumptæ pœnas luere. Hic immatura ad Sancti vaticinium præuentus morte, ille arreptus à Dæmone, & nisi Malachias intercessisset, æterno Dei iudicio condemnandus, quippe insania anteuertens pœnitentiam, peccatum vsque ad mortem prolatasset. De his Bernardus vtramque vindictam
g cap. 14. referens. [g] *Cùm cœpisset* (ait) *iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdum eiusmodi ædificia inuenirentur. Verùm ille nequam* (scilicet filius) *sicut erat præsumptuosus, & insolens, non solùm miratus est, sed indignatus. Ex qua indi-*
h Psalm. 7. *gnatione concepit* [h] *dolorem, & peperit iniquitatem. Et factus susurro in populis, nunc secretò detrahere, nunc blasphemare palam, notare leuitatem, nouitatem horrere, sumptus exaggerare. Istiusmodi venenatis sermonibus solicitans, & inducens multos ad prohibendum: Sequimini me, inquit, & quod non nisi per nos fieri debet, contra nos fieri non sinamus. Itaque cum pluribus, quibus suadere valuit, descendit ad locum: repertum, conuenit hominem Dei, primus ipse dux verbi, qui erat principium mali. O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus nouitatem? Scoti sumus, non Galli. Quænam leuitas hæc? Quid opus erat opere tam superfluo, tam superbo? Vnde tibi pauperi, & inopi sumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid illud præsumptionis, inchoare quod non queas, non dico perficere, sed nec videre perfectum? Quanquam amentis magis est, quam prudentis conari, quod modum excedit, vincit vires, superat facultatem. Cessa, cessa, desine à vesania hac: alioquin nos non sinimus, non sustinemus.*

6. *Hoc dixit, prodens quid vellet, non quid posset considerans. Nam de quibus præsumebat, & secum adduxerat, viso viro, mutati sunt, & iam non ibant cum eo. Ad quem vir sanctus tota libertate vtens, Miser, inquit, opus, quod inchoatum vides, & inuides, sine dubio perficietur, perfectum videbunt multi. Tu verò, quia non vis, non videbis, & quod non vis, morieris. Attendito tibi, ne in peccato tuo moriaris. Ita est. Ille mortuus est, & opus completum est. Sed ille non vidit, quia, vt præfati sumus, anno eodem mortuus est.* Hactenus de filio: dextera Dei Malachiæ causam agente, implente prophetiam, & vindicante insolentiam audacis iuuenis, aliis inde, si sapiant, compescendis.

7. At non compescuit parentem ferocem animo, & super insitam alioqui atrocitatem, tum vesanum dolore, de morte filij, quippe ipse Deo ita permittente, quo repetita vindicta pro Malachia mentibus omnium altiùs inhæreret: atque hæc secunda lenita precibus Sancti, sed perseuerans, benignitatem etiam commendaret. Pergit Bernardus scribere in hunc modum. [i] i ibidem.
Interim pater, audito mox quod de filio vir sanctus prædixisset, sciens verbum eius viuum, & efficax esse: interfecit, inquit, filium meum. Et instigante Diabolo, tanto furore exarsit in illum, vt coram Duce, & Maioribus Vlydiæ, falsitatis, & mendacij arguere non vereretur hominem, qui veracissimus esset, veritatis discipulus, & amator, & conuitium intulit, Simiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, [k] *obmutuit,* k Psalm. 38.
& non aperuit os suum, dum consisteret peccator aduersùs eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat, [l] *Mihi vindictam, & ego re-* l ad Rom. 12.
tribuam.

8. *Eadem die domum reuersus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipso vltore, quo instigatore laxarat. Arreptum in ignem proiecit Dæmon, sed mox manibus assistentium abstractus est, adustus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum insaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum, spumantia ora torquentem, horrendis vocibus, & motibus terrentem omnia, & toto corpore agitatum, vix posse teneri à pluribus, & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus est, sed ex parte. Nam illico quidem, Sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit: relictus est autem ei spiritus Domini nequam, qui eum colaphizet, vt discat non blasphemare. Credimus eum viuere vsque adhuc, & vsque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccauit in Sanctum. Certis temporibus tamen ferunt lunaticum esse.* Huc vsque Bernardus. Qui etiam addit hominem compunctum, & vexatione intellectum dante auditui, tandem Pontificis sancti obsequentiorem, possessiones Cœnobio reddidisse, quas Malachias tandem acceptauerit. Hæc Benchotensis Ecclesiæ recentem fabricam, admiranda, pauendaque prodigia, sub ingressu Cistercij, consecrarunt. Quo præsentia præteritis certantia, primis nouissima, idem prorsus Benchor repræsentarent: nec minus quid haberet sub Malachia, quàm sub tot millibus Sanctorum habuisset: dum instauratur, illustre primo miraculo, dum renouatur, illustrius multorum cumulo.

1. Bernardus iactis talis lucratur clericum. 2. Alium data pecunia, qua pro se ludat. 3. Facinorosum hominem addictum furcæ 4. liberat, & conuersum facit in Claravalle. 5. Habitus Nouitiorum iam tunc in vsu, qualis, & quo mysterio? 6. Regularem conuersioni instantem non admittit, 7. à quo & alapa ictus, patienter tulit.

CAPVT III.

1. IAm Claravallis repetenda nobis, & læta quædam tristibus miscenda. Euacuato conuentu per annos singulos ad nouas fundationes Monasteriorum, plures ac plures Bernardus sufficiebat, partim prædicatione conuersos, partim miraculis, resistentes vel per propria vitia pertrahebantur. Celebre illud de Clerico lusore, seu illusore, dum captat equum, captato meritis Sancti. Id quia iocundum simul & mirabile, à Cæsario Heisterbacensi memoriæ proditum, eisdem verbis libet hic transcribere. [a] *Cùm die quadam per viam equitaret* (scilicet sanctus Bernardus) *eique vagi Clerici, quos Euerandinos vocant, occurrerent, ad conuersionem illos monuit. ad quem vnus: Ego ludam vobiscum tesseribus. Si fors pro me responderit, detis mihi equum vestrum, si pro vobis, sequar vos in Monasterium. Respondente Sancto, fiat voluntas Domini: mox ille taxillos falsatos extrahens, decem & octo puncta iactauit. Monachis turbatis, & Dei consilium ignorantibus, vir Beatus spem habens in Christo, pro hominis salute tesseras leuauit, & deposuit. Et ecce in duobus apparuerunt oculi duodecim, tertius verò, in duas partes diuisus, in vno latere sex, in altero quinque puncta declarauit. Quo viso territus Clericus secutus est hominem Dei ad Claramvallem, factusque est Monachus probatus. Hoc factum vsque hodie valde celebre est in scholis Magistrorum Parisiensium.* Ita Cæsarius post octuaginta ferme annos scribens.

a homil. 5. in Domin. 5. post Pentecost.

2. Haud aliter abeuntem alium clericum, nec sustinentem Ordinis rigorem, reuocauit per ludum, ministrans pretium, quod pro vtroque ad aleam reuocaret. habemus id ex Vincentio Bellvacensi, graui & antiquo auctore, ita scribente. [b] *Legitur in vita sancti Bernardi, quod quendam in Monachum acceperat, qui lusor fuerat, qui cùm omnino vellet exire Ordinem, quæsiuit Sanctus, quid facere sciret, vnde victum suum acquireretur? At ille ait, se nihil scire facere, nisi cum talis ludere. Ad hæc sanctus Bernardus: Et si tibi capitale commisero, volo, vt singulis annis venias computare mihi, & lucrum diuidere. Esto, inquit, & accipiens triginta solidos lætus abiit. Post modicum tempus perdidit, & confusus ad portam rediit. Quod audiens beatus Bernardus, lætus illuc perrexit, & gremium suum extendit, vt lucrum simul diuiderent. At ille ait, nihil lucratus sum, sed solidos vestros amisi. Sed si vultis me recipere, potestis me habere pro vestro capitali. Ad quem Sanctus: Melius est, vt te recipiam, quàm totum simul perdam. Et recepit eum, gaudens de eius recuperatione.* Huc vsque Vincentius. Sic sanctus Pater velut alter Paulus omnibus omnia factus, omnes qua poterat, Christo lucrabatur.

b in specul. Mor. part. 4. dist. 13.

3. Cæterùm qualiter per hoc idem tempus hominem flagitiosum, damnatumque, simul à morte, & flagitiis vendicauerit, sanctissimè victurum in Claravalle, ne quod hominum genus prætermitteret, ne quod captionis, ex Anonymo Exordij auctore accipiat lector. [c] *Contigit aliquando, eundem Dei famulum Bernardum pro aliquibus negotiis adire Comitem Theobaldum, cumque appropinquaret populo, vbi ille erat, obuiam habuit turbam hominum copiosam, qui iubente domino Comite latronem quendam facinorosum, atque famosum ad supplicium pertrahebant. quo viso clementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser adstrictus, ait tortoribus eius: Dimitte mihi sicarium istum, ego enim volo manibus meis suspendere illum. Audiens autem Comes aduentum hominis Dei, festinauit illico occurrere illi: miro namque deuotionis affecta semper eum dilexit, atque honorauit. Cumque videret funem in manu eius, quo latronem post se trahebat, exhorruit vehementer, & dixit: Heu venerabilis Pater, quid est quod facere voluisti? Vt quid enim furciferum istum millies condemnatum à porta inferi reuocasti? Nunquid eum saluum facere poteris, qui iam totus Diaboli factus est? Desperata est vtique correctio illius, neque vnquam benefacere poterit, nisi moriendo. Sine ergo domine Pater, sine perditionis hominem perditum ire, quoniam de pestifera vita eius multorum vita periclitatur. Melius est per eius mortem multorum vitam saluari, quam per eius vitam multos in mortem incidere.*

c lib. 2. c. 15.

Respondens autem Pater sanctus dixit: Scio quidem virorum optime, scio hunc esse latronem sceleratissimum, 4.
omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes, huiusmodi peccatorem impunitum velle relinquere, quin potiùs cum tortoribus cogito tradere, & dignam de eo capere satisfactionem, quæ vtique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu furcis appensum, per vnum, vel per plures dies mortuum in patibulo manere permittes: ego cruci affixum per annos plurimos, faciam in pœnis iugiter viuere, & pendere. quo audito Princeps Christianissimus siluit, nec ausus est vltrà contradicere sermonibus Sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta tunica sua, induit ex ea captiuum suum, & attonsa coma capitis eius, sociauit illum ouili Dominico, de lupo faciens agnum, & de latrone conuersum. Qui veniens cum eo ad Claramvallem factus est deinceps obediens vsque ad mortem: pulchrè nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui, Constantius, alias enim Constantinus vocabatur. Itaque triginta (ni fallor) vel eo amplius annos in Ordine superuiuens, migrauit ad Dominum: qui eum per merita beatissimi Patris nostri à duplici morte, corporis videlicet, & animæ misericorditer eripere dignatus est. Hæc in Exordio. Sic Sanctus nunc ex culpis, & nunc ex pœnis animarum captionem auspicabatur. Porrò Constantius, Constantinusvè, quàm piè, ac sanctè in Domino obdormierit, memoriam sui in benedictione, & veneratione relinquens, suo loco dicemus.

Interim, nam & hoc obiter dicam, notandum 5.
censeo, antiquum illum, de quo suprà diximus, morem, retinendorum Nouitiorum in veste sæculi, iam per hæc tempora transiisse in eum, qui hodie permanet, nempe vt excepto Monachali habitu, quem cucullam dicimus, reliquæ vestes, & tonsura capitis, ab ipso ingressu Nouitiis concederentur, earumdem incommoditates, & abiectionem, non secus ac alias obseruantias, experturis. Inde tunc Constantinus & comam tonsus, & tunicam Bernardi Patris indutus, deductus est: quod ab hoc tempore factum quibusvis aliis, neque id semel Annales demonstrabunt. Constat Cæsarij tempore receptum habitum Nouitiorum ad normam Ordinis, nisi quòd cappam induebant pro cuculla, ipso explicante sacramentum vtriusque vestis: quod

lib. dial. c. 13. 14. & sæpe alibi.

quod quia semel de eis incidit sermo, non pigebit ad litteram transcribere. [d] *Cappa Nouitij* (ait) *quæ clausa est, & brachia constringit, significat pudicitiam, & verecundiam, quam Nouitius habere debet, maximè tempore probationis, & est cappa vestis desponsationis, sicut cuculla traductionis. Cuculla, quæ formam crucis habet, vestis est nuptiarum. Decet enim, vt vxor crucifixi, triumphum viri sui repræsentet in vita sua*, &c. Ergo Nouitiis peculiaris præscriptus habitus, lege ne, an consuetudine, incertum. Quodcumque fuerit, Rainardi Patris tempore introductum, ex ipsa historia licet coniectari. Sed de his satis. Nunc ad Bernardum Patrem redeamus, vndique conquirentē operarios, per quos Domini vinea excoleretur.

d hom. 22. post Pentec.

6. Sed non tam conquisiisse, quàm exquisiisse, iudicio claro, atque illustrato donis prophetiæ, & discretionis spirituum, quibus mirè pollebat, ipse etiam euentus manifestabat, quippe inter perditos homines vocatos, lucratosque, repulsi sunt, quos status religiosior, quos tituli illustriores commendabant. Audi cuiusdam Regularis Clerici facinus execrandum, à quo alapa inflicta sancto Abbati, in repulsæ vindictam, repellentis iudicium comprobauit, extulit patientiam, quam Principes, quam Reges venerarentur, dehonestata facie, manu sacrilega, nec solùm rubore, doloreque percussa, verùm tumore. [a] *Veniens aliquando Claramvallem* (Gaufridi Altissiodorensis verba adsumo) *clericus quidam ex his, quos Regulares vocant, importunè satis instabat, vt in Monachum reciperetur; suadente Patre sancto, vt ad suam reuerteretur Ecclesiam, nec acquiescente recipere eum. Vt quid ergo (ait ille) in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti, opem renuis exhibere? Et maligno spiritu iracundia vehementer instigatus, sicut postmodum euidenter apparuit: Iam (inquit) si illos tenerem, discerperem libros. Cui vir Domini: Puto, ait, in nullo illorum legisti, non posse te in tuo Claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendaui.*

e l. 3. vit. c. 6.

Tum verò impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam eius, idque tam grauiter, vt succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Iam qui aderant, in sacrilegum insolabant: sed preuenit eos seruus Domini, clamans, & adiurans per nomen Christi, nullatenus eum tangere: sed educere cautè, & curam eius habere, ne ab aliquo, vel in aliquo noceretur. Quod tam districtè præcepit, vt miser ille timens, & tremens, sed absque omni iniuria eductus sit, & deductus. Hactenus Gaufredus. Ego hæc omnia eiusdem argumenti, cùm certus annus singulis non subsit, in vnum congerenda esse putaui. quo videat lector Bernardum rimantem corda, scrutantem secreta cogitationum, nec territum flagitiis, nec seductum affectibus, Claræuallì, & Cistercio prouidisse: nec miretur tot Sanctos generasse, qui sic conciperet. 7.

1. Sancta Humbelina ad mortem ægrotat, 2. Bernardus cum fratribus adest. 3. Mutua vtrinque colloquia, discessusque: 4. sed Angeli ministerio reducti omnes, 5. felici obitui sororis interfuere. 6. Tabula solita pulsari pro morientibus, 7. ostensa ex multis locis. 8. Sororis funus, & gloria fratri ostensa.

CAPVT IV.

1. PEr idem tempus, aut certè non longè distans (nam Guillermo scribente Bernardi vitam anno præterito, viuebat adhuc, non tamen diu victura) sancta Humbelina Bernardi Patris secundùm carnem soror, in religione filia, nec dissimilis vitæ perfectione, sextodecimo conuersionis suæ anno, plus, minusvè, meritis clara, miraculis coruscans, præsentibus Bernardo, Andrea, Nibardoque, piè obdormit. Felicem oos, & gloriosum illius transitum, interuentu Angelorum, primum Priori loci, Bernardo mox, & cæteris nunciatum, ex [a] Anonymo Gallo referemus.

a lib. 1. vita S. Bern. c. 16. apud Silu.

2. Præerat Monasterio Prioris titulo, egregiè pius senex, nomine Petrus, vnus fortasse relictus ex primis Patribus, qui de Molismo ad Cistercium transuolauerant. Inde, vt credo, de Molismo cognominatus, seu reuerentiæ causa, seu quo faciliùs ab aliis dignosceretur. Hic cùm videret sanctissimam matronam, ingrauescente morbo, defectam viribus, atque extenuato colore naturali, per longam abstinentiam, vigiliasque, febrilem desperatè præualere: Bernardum accersitum mittit in Claramvallem. Veniat, assistat sorori proficiscenti: fruatur dulcis filiæ felici exitu, & post mutua mandata claudat oculos, quos melior lux à morte præstolabatur. Tum Pater sanctus, assumptis duobus fratribus, Andrea, Nibardoque, atque aliis religiosis viris ex Claravalle (nam Bartholomæus, Firmitatis Abbas remotior loco, Guido, Gerardusque ad cœlos translati, & præcesserant magis, quàm decesserant) Iuleium properat, Humbelinam in extremis agentem inuenit: & soror, ait, huc vsque laboratum, huc vsque victum: quies ex tunc, & merces subsequuntur. Felix, cui pugna breuior, causa securior, & sponsus sponso cœlesti commutatus, conciliat iudicem, & auget materiam meriti. Nos serui inutiles, relinquimur periculis, relinquimur miseriis, vtinam aliquando terminandis! Tu sponsa Christi in gaudium introduceris, indotata fortassis meritis propriis, verùm paraphernalibus ditata: pretioso sanguine agni immaculati, quem sponsalitio iure tibi vendicas, & cui nil possit vnquam denegari.

Illa ad amicam vocem velut euigilans, & quod summè exoptauerat, adepta, Bernardum fratrem, vt olim auctorem vitæ, sic tunc exitus habere propugnatorem, à quo, & per quem contra hostiles insidias confirmaretur. Viximus, ait, Bernarde monitis tuis, viximus Dei gratia, vtinam satis, ad redimendum tempus, quod deuiximus. Te frater, vtilem gerendis Ecclesiæ rebus, maiora adhuc pro ea manent certamina: nos sexus fragilis subtrahimur leuioribus, ne vel ipsis socordes succumbamus. Tibi salutem credidi, dum vixi, tibi animam credo moritura, vt per te vanitatibus subtracta, sic, vt spero, gehennæ subtrahenda. Dixit, & statim conuersa ad alios fratres, & se cunctorum commendans orationibus, si quid valuerit, cunctia obnoxium iubet, ipsi quia valent, sibi suffragentur, in exitu muniendæ Sanctorum precibus. Tum Patrem sanctum secretiùs alloquuta, secretiùs audiens, atque ex ipsius verbis fidentior spiritu, corporis etiam vires recreauit. Crederes per Bernardum fugatum morbum, saltim remissum, nec desperares de salute fœminæ, quæ ferè ab ipsa morte retrocessisset. 3.

Ergo

4\. Ergo his induciis aliquantulum securi Bernardus, sociique cubitum eunt. Petrus, post quemque locatum in propria sede, ad infirmam reuersus, & quietam vegetemque inueniens, ac valedicens, per Claustrum domus dormitum propetabat. Cùm ecce Angelus obuius: Quò pergis Petre? reuertere, ait, quantociùs ad Humbelinam, animam exhalantem, & quidem te inexpectato, nisi festines. Obstupuit, qui valentem penè reliquerat, non aliter ab ipsa discessurus. Sed Angelo fidentior, quàm propriis oculis: Et quis Bernardum, quis fratres conuocabit, qui sorori assistant, qui muniant exitum, qui fruantur felici dormitione? Ad quem cœlestis nuncius, Reuertere, ait. Cætera nobis integra relinque, ad Dei præceptum cuncta peracturis. Tunc obsequente Petro, reuersoque, Angeli ministerio pulsata tabula, & omnes vndique ad locum conuenere. Haud aliter Angelorum subsidio congregati Apostoli, cùm Virgo mater ad filium euolaret. Nisi quòd illis longè constitutis peruium aër, his propè positis sola mortis noritia necesse fuit.

5\. Et iam iam cuncti lectum circumstabant, cum Humbelina, serenis adhuc oculis, & vultu integro, singulos respiciens, singulos salutans: [b] Lætatus sum, ait, in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Dixit, atque oculos rursum ad cœlos leuans, obeuntem spiritum adspectu ipso, vel prosequi, vel ostendere aliis visa est, vt non exanimis, imò nec obdormiens, sed quasi in duas diuisa videretur, quarum altera in lecto remaneret, gloriosior altera cœlos penetraret. Migrauit fœmina prima vigilia noctis, & sunt qui [c] mensem, diemque designent, decimosecundo Kalendas Septembris: antecedentem Bernardo Patri cedens, post duodennium in ipsa consummando. Hic felix Humbelinæ exitus fuit, ætatis anno, ad summum, quinquagesimo: quippe Bernardus frater, qui natu maior, quinquagesimum primum agebat, cùm ipsa obiit.

b Psalm.121.

c Brit. lib.4. c.6. Enriq. in Menol.

6\. Cæterùm quod de tabula pulsata, signo morientis fratris, sororisvè, ne lector hæreat, vsitatissimum in omni Ecclesia olim, in Cisterciensi etiam hodie perseuerat, significato decedentium exitu, per crebros, raucosque tabulæ ictus; quæ eadem præcipitur pulsari ad memoriam Dominicæ passionis: nempe his diebus hebdomadæ pœnosæ, quibus silent campanæ, ob tanti Sacramenti venerationem. Porrò quid hæc significet coniunctio, docuit Rupertus Tuitiensis Abbas, dum ita ait. [d] *Tabula, & malleolo ligneo, quo mortem Christi, & sepulturam celebramus, eodem fratres nostros hortamur, & ea docemus, cum Christo illos mori, & consepeliri: adeòque & omnes Christo consurrecturos.* Ita Rupertus. Quibus similia [e] Amalarius Fortunatus, [f] Durantus, & qui alij de his mysteriis.

d lib 5. de diuinis officiis cap.29.

e lib.4. de Ecclesiast. officiis cap.21.

f lib. 5. Rat. cap.27.

7\. De tabula pulsata pro morientibus extant Cæsarij loca non vulgaria. [g] *Nocte beati Stephani, quæ proxima est natali Domini, pulsata est tabula defunctorum pro eo* (scilicet pro beato Oberto, de quo infrà) *& surgentes festinanter aduenerunt fratres, orationibus munientes fratris exitum.* Et iterum. [h] *Dum in extremis ageret frater Hildebrandus, tabula pulsata, Conuentus accurrit.* Et de quodam alio Sacerdote Ordinis nigri. [i] *Dein strata matta, se in ea reposuit, & per tabulam Conuentum aduocari fecit.* Et sæpe alibi. Extant in Regio Hortensi Monasterio, cui nomen, Deo auctore, ante quadraginta annos dederamus, quando hæc scribimus, huiusce tabulæ versus superscripti, ministerium functum significantes.

g lib.11. c.6.

h ibid. cap.8.

i ibid. c. 25.

Signa fero mortis, & sum prænuncia luctus,
Et me clangente, turbantur corda repentè.

8\. Ergo Humbelina ad cœlos migratura, non solùm socios viæ Angelos habuit, verùm ministros, per quos Conuentus, & fratres congregarentur. Obiit, vt par est credere, Guidone, Gerardoque è cœlo transmissis, atque alternantibus choris in ipso exitu, vt tribus iam victoribus triumphantibus (Humbelina ternarium adimplente) tres alij militantis Ecclesiæ duces, Bernardus, Andreas, Nibardus, responderent. Corpus sanctæ sepulturæ traditum fertur, celebrante Bernardo officium funeris, atque inter congaudentem, & lachrymantem: sed præualente gaudio, maximè cum gloriosa illi apparuit, gratulans de mercede, quam ipsius hortatu promeruisset. De ea plures, antiqui, moderniquе, quotquot de fratre. Martyrologium, Menologiumque Sanctis annumerant, Cisterciense, & Monasticum, vtrumque vigesima prima die mensis Augusti. Miræus item in suo Kalendario die sequenti.

1. Bernardus pro Guidone Cariloci Abbate scribit ad Innocentium. 2. Remissa causa ad Ioannem Valentinum, & Gratianopolitanum. 3. Cistercienses vel in propriis causis iudices. 4. Hæc ad Pontificem iterum relata, 5. iterum litteras à Bernardo Patre extorquet. 6. Pietas sancti in quoscumque oppressos.

Capvt V.

1\. Per idem tempus venerabilis Guido Abbas Cariloci Bisuntinensis, cùm à vicini Conuentus pseudo Præposito, homine alias perdito, & profuso, per omnem iniustitiam opprimeretur, summum Ecclesiæ Præsulem appellat, Romam ad illius audientiam perrecturus. Extat epistola Bernardi ad Innocentium affectuosa pro ipso, in offensorem acris, & quæ ita vnius causam commendet, vt describat vtriusque qualitates.

a epist. 198.

[a] *Ad Dominum Papam Innocentium. In causa actione, quæ per charissimum fratrem nostrum Guidonem Cariloci Abbatem vestro conspectui præsentatur, puto satis apparet, & lacessentis iniuria, & innocentia patientis, & iniuria iudicis. Denique violentia calumniantis, & inopia iustitiæ compulsus est pauper confugere ad vestram præsentiam, non reputans laborem viæ, non expensas, non periculum temporis. Dedit manus morti, ne viuat in perturbatione quietis amator. Clementer, quæso, respicite super egenum, & pauperem, ne frustrà vestris paternis auribus intimatus sit tam illorum virium tantus labor, & dolor. Olim per epistolas semel, & secundò testificatus sum vobis de homine illo, qui hunc modò calumniatur, quòd sui esset, & præuaricator propositi, & Monasterij dissipator. Nunc autem & flens dico inimicum crucis Christi, Sanctorum, qui in circuitu eius sunt, violentissimum oppressorem, & calumniatorem pauperum. Qui propria iam penè non habens, quæ deuoret, in proxima passim more tyrannico debacchatur. Monachum habitu mentiens, re exhibet vnum de prædonibus, omnino immemor regularium obseruationum,*

legum,

legum, canonumque contemptor. Frontosus ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram preceps, audax ad facinus, pronus ad iniurias. Et miror, quomodo vir religiosus Abbas Casæ Dei, in Monacho suo tot, & tanta vitia aut ignorare possit, aut dissimulare. Sed de hoc quid ad nos? ipse viderit. Ipse suo Domino stat, aut cadit. Nobis sufficit liberari de manibus eius. A vobis id omnimodis flagitamus, quod aliunde frustrà tentatum est. Circumspeximus, & non erat auxiliator. Ventum est ad commune refugium, illò confugimus, vbi confidimus liberari. Tantùm adsit pietas, nam facultas non deest. Et quidem ex priuilegio sedis Apostolicæ constat summam rerum ad vestram potissimum respicere summam authoritatem, & plenariam potestatem. Verum hoc inter cætera vestri singularis primatus insignia, specialius, illustriusque nobilitat vestrum, & inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum eius. Nulla, meo iudicio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consueuistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem iustorum.

b Psal. 124. *Nimirum propter illud quod sequitur:* [b] *Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: vel propter illud,*

c Psalm. 9. *quod alibi dicitur. Quia* [c] *dum superbit impius, inceditur pauper, & vnde alter torquetur in corpore, inde alter grauius in anima perit. Est item Monasterium de nostro Ordine vicinum huic, quod malorum similiter hominum graui infestatione vexatur, & non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Et pro hoc quoque puer vester paterna vestra viscera lachrymosis precibus commouere non veretur. Qui illi sint homines, quæve occasio calumniandi, præsentium lator Abbas veraci, & viua voce referet vobis. Deus omnipotens vos nobis conseruet longis temporibus ad nostram omnium protectionem, qui in habitu, & proposito pœnitentiæ pauperem vitam ducimus, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* Ita Bernardus pro filiis, quos diligebat. Nam quod subiungit de vicina domo, forte ad Balernam referendum sit, ante quinquennium in eadem prouincia satam ex Claravalle.

2. His litteris, atque ipsa iustitia causæ munitus Guido, Romam, & Romæ Innocentium Papam adit, à quo, vt à patre communi defenderetur, & impetrassent sine dubio Bernardi preces, atque obtinuisset veritas, si non oppressor calumniis, potentiaque, nouos iudices in Galliis extorsisset; certus raptorem toties obtinere, quoties differt spoliari, nec multum interesse per vnum annum, an per reliquum tempus manu teneatur, vero Domino interim patiente, nec solùm spoliato, sed litigante. Commissa tamen causa beato Ioanni Valentino Episcopo, qui simul cum Gratianopolitano determinaret.

3. Tunc primum lego Cisterciensi Monacho Cisterciensis Ecclesiæ causam commissam, veneratâ in Ioanne integritate, quæ nulli suspicioni esset obnoxia. Exinde familiaris toti Cistercio, vulgatem nimis, sed satis honorificam exceptionem apposuit communi regulæ: [d] *Eiusdem classis est* (ait Tiraquellus) *quod per dictum §. à Barbaris, dicit Speculator, in tit. de iudicio delegato. §. superest, versic. Quid si non est consanguineus. quòd licet quis non possit esse iudex, non modo in sua, sed neque in suorum causa. l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Tamen si persona iudicis est huiusmodi, quòd omnis suspicio verisimiliter cesset, vt si sit Monachus Cisterciensis, hoc non procedere: neque talis posset recusari, atque etiam allegat alia quædam iura.* Hæc Tiraquellus. Cui consonant [e] Vincentius, [f] Ioannes Andreas, [g] Iason, [h] Felinus, [i] Cassaneus, & plerique alij: vt videas primitiui Cistercij sanctitatem ab omni humano, & terreno affectu liberam, quantum in vita datur, vel charitatis nomine vallatam, quæ non sibi, sed fratribus prouideat, exclusisse auaritiam, nec cupidinem tantùm relegasse, sed cupidinis notam, quæ paupertatem, & contemptum rerum dehonestaret: nullus omnino hominibus suspectam, non ipsis partibus.

d tractat. de pœnis temp. aut remiss. 15. num. 60.
e Sup. cap. postremo, de appellat.
f sup. eodem.
g in auth. item. C. de iudæis.
h in cap. super his, de accus.
i in Catal. 2. p. 3sid. 38.

Ergo Ioannes Valentinus Præsul, per Innocentium iudex designatus, vnà cum Gratianopolitano Episcopo, qui acceptata ab vtraque delegatione, ac rei veritate indagata, compertáque, pro Charo loco sententiam pronunciarunt. Cùm ecce oppressor, qui Innocentium priùs refugerat, Innocentium appellans, & quos elegerat iudices, declinâs, nouis calumniis iustitiam retardabat. Verùm Bernardus acriùs pro Deo zelans, nec impudentem hominis audaciam dissimulandam vlteriùs censens per Innocentium, acriores adhuc ad eum litteras dedit. 4.

[k] *Vsquequò, & superbit impius, & incenditur pauper? Vsquequò à tanta impudentia, innocentia tanta vexatur, & hoc viuo Innocentio? Peccata sine dubio nostra hoc faciunt, quod Dominus meus tam serò aduertit mentientes sibi, tam lentè exaudit clamantes ad se in hac causa duntaxat. Nam alias quidem scimus familiare esse Domino meo, & citò intelligere, & facilè misereri. Propter eum qui elegit vos, & posuit vos refugium oppressorum, ponite iam tandem finem & malitiæ oppressoris, & laboribus afflictorum, quia satis vtraque res venit in lucem, & manifestationem. Denique ad mandatum beneplaciti Domini mei causa discussa, & terminata est, superest vt ipsius authoritate data sententia confirmetur. Ergo ne si venerit homo mendax aduersùs tantorum virorum testimonium (Valentinum loquor, & Gratianopolitanum) audietur? Iterum supplico, & ad pedes Domini mei ea qua possum mente anxia descendo, ne ab homine iniquo, & doloso religiosum Monasterium destrui patiatur. Etenim nō parcet nostro, qui suum penè destruxit. Vnde addo solita præsumptione. Si puero vestro crederetis, hominem hunc, qui beneficio pietatis vestræ abutitur, in claustrum suum remitteretis, & domino Abbati Casæ Dei mandaretis, vt in Monasterio, quod ille inutiliter occupat, virum religiosum promoueret, & regularem ordinaret conuentum. Hoc planè dignum Apostolatu vestro, hoc beneplacitum Deo, hoc honor Domino Abbati Casæ Dei, suoque Monasterio. Sic etiam liberetis animam prædicti hominis, & ipsum cui incubat Monasterium.* Hactenus Sanctus in spiritu consilij, & fortitudinis: nec dubiè quod iustè petebat, impetraturus, vt exinde & Guidoni optata quies, & Charo loco pax concederetur.

5.
k epist. 199.

Porrò in Bernardo, vt hoc obiter dicam, mirum esse non debet, si filios, quos tam arctè prosequebatur, non pateretur vexari à potentioribus: cui adeò inopum, à natura indita, sed per gratiam perfecta protectio fuit, vt ne animalia bruta, se præsente, opprimi pateretur, atque id frustrà ab aliis tentari diceret, per se, quandiu posset, impediendum. Audi Gaufridum de his ita scribentem. [l] *Cu-ius* (loquit, id est, Bernardi Patris) *tanta erat humanitas, vt non modò hominibus, sed irrationalibus etiam animantibus, auibus compateretur, & feris. Nec compatienti deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, vt iter agens, fugientem, & vt videbatur protinus capiendam, vel lepusculam à canibus, vel auiculam ab accipitribus, signo crucis edito, mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus, frustrà sese conari: nec vllatenus se præsente, eiusmodi exercere posse rapinam.* Hæc ille. Vt non sit mirum filiis compassum ire, & sanctis filiis, qui brutis etiam tam affectuosi, imò tam efficaciter compatiebatur. 6.

l lib. 3. vit. c. 6.

1. Ludouicus rebellis in Pontificem, 2. Bituricensem electum, cui Theobaldus fauebat, non admittit. 3. Bernardus pro Ecclesia, & Theobaldo primùm cum Rege, 4. mox pro Rege laborat apud Pontificem. 5. Eius epistola ad quatuor Cardinales. 6. Pax Archiepiscopo absolutè data; Theobaldo, per arbitros composita. 7. Verùm hæc caduca, nec multum duratura.

CAPVT VI.

1. HOc eodem anno Ludouicus iunior, ætate, an moribus indisciplinatus, potentia ferox, inobedientiæ in Ecclesiam fræna relaxans, Innocentio rebellis, etiam Theobaldum auersatus, infestabat, antiqua simultate in virum, quantumuis sanctum, an quia Ecclesiæ, Innocentioque fauentem, adeoque sibi contrarium experiebatur. Ea Bernardi, & totius Cistercij causa duplici titulo, primùm, quia Ecclesiæ, mox quia Theobaldi per Bernardum & nostros pertracta, his Annalibus venit inferenda. Vix vlla grauior, vix vlla difficilior, aut laboriosior, lubrica semper voluntate Regum, sed lubriciori quoties ira, aut vindicta præcipitantur, Bernardus æquè in Regem, & pro Rege, post longum licèt tempus, iris fuit.

2. Prima dissidiorum occasio Petrus, Bituricensi Ecclesiæ dudum viduæ, nempe à morte Alberici, à Pontifice datus in pastorē, quem sine assensu suo consecratum, Rex, indecorum, si admitteretur, iniuriosum reputabat. Nec deerant aulicorum consilia, pro more curiæ, non vt dirigerent, sed vt sequerentur, atque ipsu obsequio impellentes, præcipitarent. Vnus Theobaldus Comes constantior cæteris, dum contradicit, fidelior inueniebatur, sed quò fidelior, eò magis inuisus, Regis in se vindictam solicitabat. De his Robertus Sigeberti continuator. [a] *Hoc eodem anno* (scilicet M. CXLI.) *orta est dissensio inter Papam Romanum, & Francorum Regem Ludouicum, vnde Ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico Bituricensi Archiepiscopo, missus est Petrus à Papa Innocentio, eiusdem Ecclesiæ pastor consecratus. Sed a Rege Ludouico repudiatus, eò quòd sine eius assensu fuerit consecratus, in ciuitate minimè recipitur. Cuius partes, quia propter reuerentiam, seu voluntatem Papæ, Comes Theobaldus fouere crederetur, simultas, quæ sopita videbatur, inter Regem, & ipsum, cæpit repullulare.* Ita Robertus. Addidit Ludouicus iuramentum ira præcipiti, non se viuente, inconsulto ipso sacratum, ad Pontificiam sedem ascensurum. Et erat superstitio ea Francigenis, vt quodcumque firmassent sacramento, non perficere infamiam reputarent.

a ad hunc an.

3. His Bernardus permotus, anxiusque, ac maioribus adhuc malis præcauens, integro anno, conatu primùm irrito, mox fructuoso, paci insudauit, inter sacerdotium, & regnum restituendæ. Id quod anno sequenti, ipsemet Sanctus ad Ludouicum scribens fidenter loquitur. [b] *Vos scitis quanto labore, quanta solicitudine, toto anno præterito, quærendæ paci vestræ attendi.* Igitur primum Regem, vt resipisceret, mox Innocentium, vt parceret, aggrediens, cùm neque ille ab inobedientia resiliret, obtendens iuramenti religionem, & hic claues Ecclesiæ contemptas dolens, anathema in Regem comminaretur: quod erat reliquum ad quatuor Episcopos Cardinales curiæ (inter quos Stephanus dilectus ipsius filius) litteras dedit, consulturos reipublicæ Christianæ, atque Innocentium, si possent, emollituros. Indulgeat Pater filio, senex iuueni, Ecclesiasticus sæculari, demum Sacerdos Regi, qui vellet quidem, sed non satis auderet præ verecundia, sacramenti violati probrum incurrere. Atque ecce exemplar litterarum sancti Patris, quæ dictis, obiicet etiam, fidem faciant.

b epist. 221.

4. [c] *Ad quatuor Episcopos curiæ, Albericum Hostiensem, Stephanum D. Prænestinum, Igmarum Tusculanum, & Gerardum Cancellarium. Quantum malum schisma in Ecclesia sit detestandum, & omnimodis deuitandum, euidenter quondam ostendis famosa, & horrenda mors virorum illorũ, quos ob istiusmodi pestem terra degluriens viuos transmisiis ad inferos. Ostendis & illa persequutio Guibertina, siue Burdini temeritas, quod nostra iam tempora experta sunt inter regnum, & sacerdotium diuidentes plaga plenè incurabili, & castigatione crudeli. Ostendis & illa quæ nuper adhuc post multam, & multifariam Ecclesiæ vexationem, & vastationem, tandem Deo miserante finem accepit rabies leonina. Meritò proinde Saluator in Euangelio:* [d] *Væ, inquit, homini illi, per quem scandalum venit. Væ nobis, qui viuimus, plangere quæ pertulimus, dolere quæ sentimus, timere quæ expectamus. Et quod eius est, ad tam malum habitum humanæ res deuenerunt, vt nec rei humiliari velint, nec iudices misereri. Dicimus iniquis:* [e] *Nolite iniquè agerē. & delinquentibus: Nolite exaltare cornu: & non audiunt nos,* [f] *quia domus exasperans est. Supplicamus his, quorum est peccata arguere, peccantes seruare,* [g] *ne calamum quassatum conterant, & linum fumigans non extinguant: & magis in spiritu vehementi conterunt naues Tharsis. Si denunciamus filiis cum Apostolo,* [h] *vt obediant patribus per omnia, quasi aerem verberamus. Si patribus loquimur ne ad indignationem prouocent filios, in nos potiùs eorum indignationem prouocamus. Nec delinquentes satisfacere, nec rectores, seu correctores condescendere vllatenus acquiescunt. Omnes suum stomachum sequuntur, & totis viribus funem in diuersa trahentes, rumpunt.*

c epist. 219.
d Lucæ 17.
e Psalm. 74.
f Ezech. 2.
g Isaiæ 42.
h Ephes. 6.

5. *Heu, necdum recenti Ecclesiæ plagæ cicatrix occalluit, & rursum scindere parant, rursus corpus Christi affigere cruci, rursus fodere latus innoxium, rursus vestimenta diuidere, atque ipsam, quod in ipsis est, tunicam inconsutilem (quamuis frustra) dirumpere satagunt. Si qua in vobis sunt viscera pietatis, tantis vos opponite malis, ne in illa præcipuè terra scissura fiat, in qua solent, (sicut optimè nostis) scissuræ aliæ resarciri. Nam si auctor scandali, ore singulariter iudicis tremendo addicitur maledicto, quibus putamus benedictionibus dignos huius nequitiæ fugatores, & propugnatores? De duobus non excusamus Regem. Nam & iurauit illicitè, & perseuerat iniustè. Veriùm id non voluntate, sed verecundia. Nam probro ducitur, sicut optimè nostis, apud Francigenas iuramentum soluere, quamlibet malè publicè iuratum sit: quamuis nemo sapiens, dubitet illicita iuramenta non esse tenenda. Veruntamen ne in hoc quidem excusari posse fatemur. Neque enim excusare nos, sed veniam postulare suscepimus. Vos videte, an excusare aliquatenus eum possit ira, ætas, maiestas. Poterit sine dubio, si misericordiam iudicio superexaltandam decernatis, quatenus videlicet talis aliqua consideratio in Rege, & puero habeatur, vt hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cætero non præsumat. Parcatur sanè dixerim, si fieri possit, salua in omnibus Ecclesiæ libertate, simul & Archiepiscopo debita veneratione seruata, quem manus Apostolica consecrauit. Hoc ipse Rex humiliter petit, hoc vestra vniuersa citra montana nimium iam af-*

flicta

flicta Ecclesia suppliciter deprecatur. Alioquin damus manus morti, tabescentes, & arescentes præ timore, & expectatione, quæ superuenerunt vniuerso orbi. Si quidem deprecatio mea super hoc ab anno priore, & peccatis meis exigentibus deprecationem meam non exaudiuit, sed indignatio, indignationem autem desolatio penè vniuersæ terræ sequuta est. Si quid zelo vrgente erupit, quod non fuit, aut secus quàm fuit, dicendum sit, quæso, apud vos, quasi non dictum. Vbi verò dixi, quod oportuit, & vbi oportuit dici, sit non frustrà dictum. Ita Bernardus. Quibus planè videas, iustitiæ zelum oleo misericordiæ delibatum, misericordiam iustitia roboratam, atque vtramque stateram, immotam loco: vt seueritas verecundiæ Regiæ parceret, nec nimia indulgentia maiestati Ecclesiæ præiudicaret.

6. Obtinuisse Bernardum compertum est, nec tunc in Regem anathema indictum. Quin & eumdem conuictum Sancti monitis, consensisse Pontifici, vt Petrus in Bituricensi sede collocaretur. Sed & Theobaldo firmata Regis gratia certis pactionibus, quibus pro Rege selecti duo viri, Ioslenus scilicet, Suessionensium Pontifex, & Sugerius Abbas sancti Dionysij Parisiensis, quem sanctus Doctor ad meliorem frugem dudum conuerterat, vt suo loco notauimus. Pro Theobaldo item alij duo, Episcopus, & Abbas, Cisterciensis vterque, Hugo nimirum Altisiodorensis, Bernardusque, qui conditiones vtrimque diffinirent, vtrimque componerent. Sed inter alias præcipuè illud sancitum, quod sanctus Pater, turbata postea pace, ad vtrumque Aduocatum Regium commemorauit. [i] *Vt si quæ de conuentionibus illis controuersia, aut dissensio nasceretur, nihil mali sibi inuicem facerent, aut quærerent, donec coram nobis tribus (Bernardo scilicet, Iosleno, atque Sugerio) pariter & domino Altisiodorensi, ventilata res esset, atque discussa, qui & tunc mediatores fuimus, & si quid emergeret controuersia, debuimus esse reconciliatores.* Ita firmata ad tempus vtrimque pax, ni resilirent, perpetuò permansura.

i Bern. epist. 222.

Verùm qualiter vix adhuc stabilita, nouis dissidiis denuò perturbata, maiori adhuc totius Galliæ 7.
periculo, maiori damno, quo detensius, atrocius bellum eruperit, & quid in eo Altisiodorensis Præsul Hugo, quid Bernardus reipublicæ præstiterint, singulis annis dicenda nobis erunt, prout ipsa historiæ series postulauerit.

1. Sanctus Robertus Pipam bellam in Anglia fundat. 2. Suis, à Deo edoctus, mira prouidit, 3. nec minus exteris, 4. viuis, & defunctis. 5. Clericus Bonamvallem Pictauiensem frequentans, sed vitæ lubrica, 6. liberatur oratione Prioris ab æternis suppliciis semel, 7. & iterum. 8. Tandem damnatur, visibili ante mortem experimento, 9. quod multis potuit, etiam post sepulturam.

CAPVT VII.

1. PEr idem tempus prophetiæ dono illustris, atque animarum zelo plurimum feruens, sanctus Robertus Noui Monasterij in Anglia primus Abbas, primam ea propria domo produxit prolem, quam Pipinellam (Pipam bellam alij dicunt) voluit appellari. De ea breuiter Arspheldius pro suo more, in Comitatu Northamptoniæ. *Monasterium Pipa bella, titulo sanctæ Mariæ. FF. Guillelmus, & Robertus Botevillei, & Ramulphus.* Hæc ille. Cætera ignota: de Abbate sancto plurima narrantur, ex quibus in exemplum quædam subiungam: & quidem qua attentione, & qua item illustratione cœlesti suis prouiderit, vltra ea, quæ superiùs dicta sunt, sequentia etiam pleniùs declarabunt.

2. [a] *Nocte quadam vir sanctus vidit malignum hostem ad chori aditum consistere, & conari quidem sæpius ingredi, sed frustrà tamen. Habebat formam rustici præcincti, longis, iisque nudis tibiis, ferentis à tergo sportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Cœpit porrò producto collo circumire chorum, oculos in fratres attentè coniicere, si quid forsitan posset sibi gratum in aliquo cernere. At viro Dei instantiùs orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diu frustrà expectans, cùm nihil se proficere videretur, indignabundus ad chorum fratrum conuersorum se contulit. Adiit quoque et lectos curiosè contemplans, si quos videret somnolentos, cachinnans, sprevit, si noxiis cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applausit. Tandem inter Nouitios reperit iuuenem quemdam animo ad illicita euagantem: nec nisi solo illi corpore præsentem, imò etiam clandestinam fugam meditantem. Animaduertens igitur illum suæ sortis esse, fuscinula apprehensum in fiscellam suam coniecit, & celeriter inde se proripuit. Cernens id vir sanctus, multum pro illius salute anxius, & solicitus, manè diligenter eum iussit inquiri. Sed ille ante auroram vagus, & profugus, excusso suaui iugo Christi, sequutus erat inimicum. Adiunxit autem se hominibus sceleratis, deditusque latrociniis, non diu post captus est, & capite plexus, miserrimè de vita decessit.* Hæc acta viri de cura circa filios. Nam & extraneis etiam prouidisse, eius imperio obsequente communi hoste, quem subiungam, euentus declarauit.

a apud Sur. Iuny 7.

[b] *Per Nouum castrum quandoque iter agens vir Dei,*
in multam iuuenum turbam incidit. Inter quos vidit hominem mirabili curiositate huc, atque illuc discurrere, procaci illis vultu blandiri, & quasi ad rem arduam illos adhortari, & exstimulare. Animaduertens autem non esse hominis illud officium, sed mali dæmonis ludibrium, multa vi verborum imperat illi, vt ab eis è vestigio recedat. Heus tu, inquit, Calamistrate, non indigent viri illi opera tua: recede velociter, & sequere me. Confestim ille, demisso vultu, Abbatis vestigia per lutum platearum, tanquam ad caudas equorum alligatus, cunctis ad eam rem valdè attonitis, sequitur. Vbi autem extra Vrbem, ad semitarum diuerticula ventum est, dixit ei vir Dei. Quisnam es tu? & quid tibi cum illis rei erat? Respondit ille, quis ego sim, non te latet, & conatus meos probè nosti. Nuptiæ à diuitibus cum magna pompa in vice illo celebrantur: ego verò in eam curam intentus eram, vt sponsus ab æmulis suis in conuiuio caderetur. Porrò conuiuæ ira permoti, eam sponsi cædem vlcisci properarent, sicque ira, ebrietateque obcæcati, mutuis se se vulneribus conficerent. Denique, vt intra Vrbem, seditione concitata, multorum animæ, trucidatis corporibus, in nostras manus peruenirent. Iamque mihi persuaseram, me de parta victoria gaudium ingens allaturum Principi meo. At nunc per te dissipato consilio, & machinationibus meis, vacuus, & inanis abscedo. His auditis, vir dominus nequitiam eius execrans, præcepit in nomine Domini, vt ad loca deserta se conferret, nec vnquam deinceps auderet hominibus illudere. Ad eam iussionem nequam spiritus euanuit: sed tantum post se reliquit horrorem, vt equi hinnitu, fremitu, & vngularum fossione sæuientes, vix à sessoribus possent contineri. Ita Anonymus Roberti vitam scribens, vt verè Sanctus communis omnium Pater, atque omnium gerere curam comprobaretur.

3. b ibidem.

4. Verùm vt viuis, compescendo communem hostem, sic & defunctis, arcendo per suffragia, atque Ecclesiastica donando sepultura, vtrumqua à Deo edoctum, extitisse beneficium, eadem acta declarant, dum ita pergunt. [c] *Die quodam sub Missa sacrificio vidit in spiritu mare multiplicatis fluctuum voluminibus intumescere, & sursum, deorsumque iactari. Porrò nauim quandam fracto gubernaculo, & dirutis rudentibus, incerta vagatione ferri, & tandem ad scopulos allisam à compage sua penitus dissolui, vndisque hiantibus, homines, qui in ea erant, absorberi. Sacrificio peracto, misit fratres, qui die quarto in littore, & loco à viro Dei designato, submersorum corpora inuenerunt, eaque ecclesiastica sepulturæ mandarunt.* Hactenus acta. Atque hæc obiter de sancto viro dicta, occasione Pipæ bellæ hoc anno per ipsum conditæ, quam duæ aliæ inferiùs subsequentur.

c vbi suprà.

5. Circa hoc tempus, quantum ex serie ipsius narrationis licet coniicere, cùm Monasterium Bonæuallis Pictauiensis floreret viris sanctissimis, vicini clerici abutentis Sanctorum monitis, horrenda sanè, sed comprobata nimium mors, Priore domus præsente, atque impediente, dum licuit, semel & iterum, vniuersam prouinciam concitauit. Rem planè miram euentu ipso compertam, expertamque, atque ab auctore scriptã graui, & synchrono, venerabili Petro Cluniacensi, nefas duxi silentio præterire. Is ergo libro primo de miraculis, cap. 25. ita scribit. *Apud castrum Liziniacum, quod in Pictauiensi pago situm est, nuper quidam Presbyter erat, qui sacerdotalis Ordinis super cœlestem dignitatem, miserrimæ vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat, curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam, sacro ministerio vtebatur. Cumque vt sus immunda multo tempore in cæno luxuriæ versaretur, & sui ipsius fœtoribus delectaretur, territus conscientia malo, sicut aliquando & mali ad horam compunguntur, familiaritatem quorundam bonorum virorum expetiit, & Abbati Bonæuallis ac fratribus eiusdem Monastery se in amicitia, specie tenus copulauit. Qui longo tempore eum de vitæ emendatione commonentes, & vt sæculo renunciaret assiduè exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt. Nam libenter quæ dicebant audire se fingens, & semper eos de conuersione suspendens, & societate Sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione, vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his itaque aliis perdita, atque perdenda vitæ suæ actibus perdurans, & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizans, in morbum incidit, quo post aliquot dies ingrauescente, ad extrema peruenit.*

6. *Adierat eum visitationis gratia Prior iam dicti Monasterij, atque cum eo per aliquantum diei spatium, ipso quoque rogante permanserat. Et ecce nocte superueniēte, cùm cunctis discedentibus solus lecto eius assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: Succurre, ait, succurre. Ecce duo supra omnem feritatem expauescendi leones in me impetum faciunt, hianti ore, ac rictu feroci per frusta discerpturi, me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hic, & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retrocedebat. Prior verò vocis illius, ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat. Ad preces tamen, ipsa necessitate impellente, conuersus, pro misero illo, vt poterat, Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger: Benè, inquit, benè. Recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltrà nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper compos sui extitit, nec vt quidam morientium solent, vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti sanissimus cœpit.*

Cumque tam de his, quàm de aliis multa inter se verba conferrent, horæ ferè vnius spatio elapso, rursum inclamare longè terribilius, quam primò exorsus est. En, inquit, en ignis de cœlo, vt torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, iam iamque me in fauillam vsque comburet. Festina, adiuua, ora, si fortè & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus, & brachiis opertoria subleuabat, eaque velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat. Sed ne quicquã. Non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendiis tegere poterant, quem cœlestis vindicta impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuò ad orationem conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo vt suprà orationi instante, post paululum patiens gratulationis vocibus preces eius interrupit, dicens: Quiesce, iam ab igne tutus sum. Nam dum super me (vt dixi) cum impetu descenderet, interpositum est linteum, vsque ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousque quis istorum finis futurus sit, agnoscas. Tunc Prior qui tam timore, quàm hospitandi necessitate recedere volebat, substitit, & ab oratione surgens, rursum ei assedit. 7.

Cumque eum tantis terroribus anxium consolaretur, & vterque adinuicem vt priùs colloqueretur, subitò ægrotus ad inuisibilia raptus obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur. Cùm ecce post multum noctis spatium, homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens, ait: Ha, ha, ad iudicium æternum raptus sum, & heu miser, æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igni inextinguibili cum diabolo, & Angelis eius perpetuo cruciandus. Ecce, ecce ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamque ad me frigendum vndique succenderunt. Et cùm Prior orationi, sicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare, nec pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente, Frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require, ille adiecit: Putas, ait, me vt insanum loqui? Non insanio, sed sana mente, quæ dixi, confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens, eum interrogauit: Nonne hoc quod manu teneo, cuculla tua est? Quo respondente, est, adiunxit. Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est, palea est, sic & hoc quod coràm cerno ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa, quam dicebat, sartagine exiens, in manum eius, Priore vidente, cecidit, & mirabile dictu! cutem, & carnem vsque ad intima ossis consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu: En, inquit, indubia rei probatio. Nam sicut ista, quam vides de sartagine prolapsa gutta, carnis partem consumpsit, sic confestim totum me ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente, iterum dixit: Ecce sartaginem ipsam ministri infernales propiùs afferunt, & vt me in illam iniiciant, iam iamque manus adaptant. Et post modicum: Ecce linteum, in quo iaceo, vndique concurrentes accipiunt, & me igneam sartaginem, æternum frixuram proiiciunt. Hoc velut vltimum vale, mox vt Priori, atque his, qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant, dixit, substracta voce, ac reflexa ceruice puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. 8.

Tantus verò terror omnes inuasit, vt illicò vniuersi aufugerent, neque aliqui in domo vbi cadauer mortui remanserat, remanere auderent. Facto manè, miserum cadauer sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cùm ad vniuersos circà positos hæc tam terribilis fama peruenisset, rei veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque fossam illam quam in manu adhuc viuentis 9.

uentis

uentis Presbyteri guttapraeuncia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt. Hactenus ex sancto Petro Clniacensi. Nunc ad Cœnobia constructa ttanseamus.

---

1. Alfonsus ab Abbate Scala Dei, Castella, Toleto, & Riuogia Monachos petit. 2. in Castellam Conuentus integer missus, 3. cui Ioannes Eremita nomen dedit. 4. Eiusdem sancti viri mors, & miracula. 5. Donatio Imperatoris: 6. quem probabile non solum dotasse, sed construxisse. 7. Ioannes extunc recensitus inter Beatos, 8. etiam nunc religioso cultu veneratur. 9. Largitiones diuersa Cœnobio factæ. 10. Obseruantia domus, 11. qua prima in Hispania erecta pro Cisterciensibus. 12. Scalæ Dei filiatio, 13. comprobata antiquo instrumento. 14. Demum alia notitia eiusdem domus.

CAPVT VIII.

1. HOc ipso anno Scalam Dei filiam Morimundi, sub Abbate Bettrando breui adultam, quippe vix adhuc ætate quadriennem, in Hispania trina proles illustrauit, solicitante Alfonso Imperatore, petenteque, nempe, vt nulla imperij sui prouincia careret Cistercio: & sicut regna Legionis, & Galleciæ iam dudum tribus, Moterola, & Bellofonte illud, hoc Vrsaria, sic vtraque Castella, Riuogiaque singulis saltim Cœnobiis Cisterciensibus, velut virtutum seminibus iactis, fœcundarentur. Non tamen suberant fundata Monasteria, quæ in Cisterciense transirent institutum: & fundandis Alfonso minor quies, præpedientibus bellis, quibus iugiter domesticos hostes Mauros, nec dum Hispania pulsos, insectabatur. Claræuallenses longiori spatio dissitos, dignitate maiores, quàm vt ad sedes incertas asciscerentur, esse in Vasconia Cœnobia viciniora religionis eximiæ, sed inferioris tamen reuerentiæ, adeunda honestiùs. Et Scalæ Dei præfectum Bertrandum, vt nomine ad Bernardum accedentem, sic religione, & zelo, quem facilliùs adire, & à quo Monachi breuiùs transmitti possent. Veniant, considerent terram, eligant loca, &, se fauente, disponant Monasteria, fratrum Conuentus statim suscepturα.

2. Relata hæc per nuncium à pio Principe, placuere Bertrando, & veteri Castellæ Conuentum continuò mittit, seu fide feruidus, seu illustris prophe-
a ex tabular. Sagramen. tia. Duabus aliis prouinciis binos destinat, [a] lustraturos vtramque, & loca fratribus opportuna quæsituros. Conuentui Raimundus præfectus est, ex primis Scalæ Dei habitatoribus. Hic siue in incertum à Bertrando Patre missus, seu fortè veriùs destinatus ad eremum, quam vnctione magistra præcognouerat; dum terram lustrat, in virũ quemdam incidit lõga senecta grauem, intonsum crinibus, debilem macie, & malè rectũ corpus ægrè valentem mouere defectu virium. Is Ioãnes nomine pariter ac zelo, & vitæ solitariæ imitatione, cubator terræ, & antri exigui incola, furfureo pane, famem, & sitim, gelida dudũ tolerabat. Vnde cognomen ab esu, potuque, panis, & aqua, opinio per vicina loca celebris, annosa virtus, eoque securior, & quamuis minus mitãda, venerabilior, commendauerant virum supra mortalem. Nec deerãt miracula virtuti, queis plus deferebatur, pro more vulgi.

3. Ergo cùm primum inuentus Sanctus à Sanctis, seu hi quæsiissent, seu ille præstolaretur, conformes animis: illi sedes locant, hic sedibus adhærens, virisque, nouæ militiæ dat nomen senex emeritus. Videres virum à Deo datum hominibus, ignaris prorsus linguæ, locorumque, quo auspice, quo duce, cuncta peragerẽt: nec minus ipsi cœlitus transmissos perfectionis Magistros, per quos in omni virtute consummaretur. Et permansere vtrisque mutua subsidia, quandiu opus, cùm non eguerint, statim dissoluenda. Tunc nouum agmen seipso venerendum, & Sancti senis accessione venerabilius, sacratis Virgini mœnibus exiguis, Sacta mœnia dixere nouum Cœnobium, mole, & structura paruum, humileque: sed sanctitate habitantium immensum opus, & quod, contemplatione cœlum tangeret, fragrantia odoris, vsquequaque diffunderetur, Domus in Segouiensi diœcesi sita, non longè à Fontidona, oppido insigni Comitatus titulo, cui hodie lunarum familia dominatur.

Vidit Ioannes suo modo perfectam vtramque 4.
fabricam, sed vidit tantùm, quippe ante expletum annum probationis, vita concessit. Sed tanta tunc frequentia miraculorum, tot signis illustratus in sepultura, vt Monasterium Mariæ primò dicatum, intra biennium ipsi etiam concederet: nec minus sancti Ioannis diceretur, quàm beatæ Virginis, populo deferente honorem viro, ad cuius tumulum beneficia, & salutem experiretur. Extat donatio Alfonsi Imperatoris sub hoc triennium, quæ simul locum fratribus confirmat in hunc tenorem.

[b] *In nomine Domini. Cùm Scriptura nos omnibus bene-* 5.
facere iubeat Ecclesiæ, & ecclesiasticis viris Dei cultori- b ex scriniis
bus, & eleemosyna præcipuè faciẽda, iuxta illud Aposto- Sacramenia.
li: Facite bonũ ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Eapropter egò Alfonsus Imperator Hispaniæ vnà cũ vxore mea Berengaria, grato animo, voluntate spõtanea, nemine cogente, pro Dei amore, pro mea, parentumque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, Ecclesia sanctæ Mariæ, & sancti Ioannis de Sagramenia, dominoque Raimundo, eiusdem Ecclesiæ Abbati, cæterisque fratribus in eodem loco sub regula sancti Benedicti in perpetuum mansuris, & modò manentibus, omnem hereditatem, quam in Sagramenia habeo, & mihi iure regio pertinet, hereditariam dono, & hereditario modo semper eis habendam concedo. Dono, inquam, eis meam sernam, de illa aldea Falconis, &c. Facta charta in Arebalo, decimo primo Kalendas Martij, anno nono Imperij præscripti Alfonsi Imperatoris. Æra M. CLXXXII. ipso prædicto Imperatore imperante in Toleto, Legione, Saragocia, Nagera, Castella, Gallecia.

Ego Alfonsus Imperator hanc chartam, quam iussi fieri, confirmo, & manu mea roboro.

Ego Sanctia Infans præsens confirmo.
Ego Petrus Segouiensis Episcopus præsens confirmo.
Ego Petrus Palemitinus Episcopus præsens confirmo.
Ego Berengarius Salmãtinus Episc. præsens confirmo.
Ego Rodericus Fernandez præsens confirmo.
Ego Lupus Lopez de Carrione præsens confirmo.
Ego Didacus Munoz Maiordomus Imper. confirmo.
Ego Põtius de Minerua Alferez Imperatoris cõfirmo.

Gerardus Vicecancellarius Imperatoris scripsi iussu eiusdem, & iussu Magistri Hugonis maioris Cancellarij. Hactenus priuilegium Imperatoris: cuius subscriptiones adiungendas censui, quo series Episcoporum, Procerumque eo tempore viuentium, qui sæpiùs in Annalibus occurrunt, percipiatur.

Verùm ex ipso priuilegio videas primò, eam- 6.

dem donationem erectæ Ecclesiæ factam, non erigendæ, adeóque satis concordare tabulis, quæ hoc anno erectam præ se ferunt. Et fortè priuilegio alio concesso, quod interierit. Namque Alfonsum structorem sacrorum mœnium, Illustres Ferdinandus, Alfonsusque, eius filius, & nepos adseuerāt, ille Salmanticæ, diplomate expedito æra M. CCXXI. hoc est, anno M. CLXXXIII. [b] *Dono* (inquit) *Deo, & Monasterio de Sacramenia, quod Pater meus Imperator ædificauit* hic Fontidonæ, & quidem ante nouennium. *Pro salute aui mei Imperatoris, qui idem Monasterium ædificauit.* Crediderim ergo non solùm dotatorem constructæ domus, sed construendæ impensas tradidisse, licèt exiguas pro more illius sæculi, & parsimonia ipsius instituti.

b ibidem.

7. Videas secundò Sanctissimi conuersi, neque enim Ioannes Monachum induerat, ab ipso die mortis florentem famam, quæ nomen intra biennium Ecclesiæ dederit *sancta Mariæ, & sancti Ioannis de Sagramenia.* vt non immeritò gloriosus Athleta Christi communi acclamatione totius populi, & conhibentia Episcopi, nam Segobiensis subscribit primus omnium, censeatur velut adscriptus Sanctorum numero. Certè extunc veneratur cultu publico, erecta ædicula, & dicata sub eius nomine, inuocato in publicis litaniis eius auxilio, visitata, venerataque frequentia populi, reuerenda spelunca, quam incoluerat. Sed, quod caput est, post constructam nouam Ecclesiam, erecto super corpus eius altari, qui erat ritus canonizationis illius temporis. Audi [c] Baronium agētem de eo ritu. *Constat autem ipsum* (id est, sanctum Romualdum) *in Sanctorum numerum adscriptum, quinquennio post eius obitum, eo tantùm ritu, qui tunc erat in vsu, nempe vt petentibus cōcederet Apostolica sedes, super corpus eius altare construere, vt idē Petrus* (scilicet Damianus) *affirmat, dum ait. Post quinquennium verò à sancti viri obitu, data Monachis ab Apostolica sede licentia, vt super venerabile corpus eius altare construerent, &c.* Sic *& idem Petrus in epistola ad Henricum Archiepiscopum Rauenatem, de aliis sanctis viris refert, miraculis coruscantibus, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora altaria sunt erecta, atque desuper sacrosancta sacrificia immolata, vt fuere Romaldus, Camerinensis, Amicus Ratisbonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Formensis, & alij plures.* Ita Baronius. Quod occasione Ioannis semel adductum, non semel nobis occurret commemorandum, cùm alios tali ritu cultos produxerimus. Qui nondum reseruatus Romanæ sedi, sed permissus Episcopis, arguit vt minimum beatificationem illius temporis. Sed de his latiùs Franciscus Biuarius, multis titulis noster, de Ecclesiastica historia satis superque, verùm de Hispania præcipuè optimè meritus, breui sanè Apologia, sed erudita pro eodem beato Ioanne edita, cum sacrum illud cœnobium inhabitaret.

c tom. 11. an. 1027.

8. Permanent hodie Sancto iidem honores, & pro priori ædicula dilapsa, substituta recentior, ad quam concursus populorum frequens, beneficia, nec frustrà postulantium. Hæc fundamenta sacris illis mœnibus, quæ tanto semine veluti fœcundata, geminam prolem in breui conceperunt. Maram planam & Rutem, pòst à sancto Prudentio cognominandam, hanc Calagorritanæ diœcesis, Palentinæ illam, sub sancto viro Roberto faustè inchoandam: vtramque hodie inter primas congregationis. Sed de his suo loco erit dicendum nunc matris primordia prosequamur.

9. Legitur aliud priuilegium Imperatoris post sexennium concessum sacris mœnibus, anno videlicet M. CXLVII. vbi inter alia. [d] *Insuper dono eis & concedo Pinare, pro Ecclesia sua, & domibus faciendis, vsque in perpetuum, & defendo, quod nemo vnquam illud eis contradicat, &c.* Quo item anno Antistes Segouiēsis cum suo Capitulo, decimas liberaliter relaxat (nolentibus fortè vti priuilegio) Raimundo, & fratribus: addita causa satis honorifica. [e] *Non enim rectum, sed post hanc vitam valdè periculosum cognoscimus, sudoris eorum decimas percipere, qui minima parte diei corporaliter laborant, ad suam sustentationem; & reliqua maiori Deum contemplantes mente ad æternam tendunt refectionem ... Facta charta duodecimo Kalendas Decembris, æra M. C L X X X V.*

d in scrinis Sacramenÿ.

e ibidem.

Horum exemplar æmulari plures fideles, pietate in Monachos, & religione in corpus B. Ioannis, Monasterium in breui locupletarunt, obseruantiæ rigore pariter aucto, quem æquè excessus, defectusque remittunt, vt per illum frequentiùs relaxandum, sic per hunc neque rarò, defecturum. Ergo ab vtroque extremo æquè recedens, vtrisque bonis multiplicabatur, vt non immeritò Sixtus Papa quartus, ante ducentos annos de eo dixerit. [f] *Monasterium B. Mariæ de Sagramenia Cisterciensis Ordinis, Segouiensis diœcesis, per præclaræ memoriæ Reges Castellæ, & Legionis decenter fundatum, & dotatum, antiquis temporibus copioso Religiosorum numero, & laudabili, atque exemplari vita, & religiosa, deuotaque conuersatione floruisse.* 10.

f in tabular. domus.

Hoc primum in Hispania Cœnobium fuit, Cisterciensibus primitus erectum: duobus aliis, Moterola, Vrsariaque, per Benedictinos nigri Ordinis Monachos, Valle paradisi, per confratres in communi viuentes, ante susceptum Cistercium, inhabitatis. Vnde etiam videas, Alexandrum tertium loquētem de sacris mœnibus nequaquam vti consueta illa clausula, pro Monasteriis Cistercio incorporatis, siue vnitis. *Quæ idem Monasterium antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat.* Sed alia æquè frequenti, vulgarique, pro his, quæ primitus sub Cistercio instituebantur. [g] *Vt ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & B. Benedicti regulam, atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus obseruetur.* Quas duas clausulas aptas inueniemus, discernendis Monasteriis vtriusque generis, quamuis, vt verum fatear, hæc secūda non adeò certa, & aliquando aggregatis aptari soleat. 11.

g ibidem.

Ergo Bertrandus Scalæ Dei Abbas primus fuit, qui Monachos duxerit in Hispaniam, Cisterciense Cœnobium constructuros, primus Raimundus, qui Conuentū secum adduxit, & prima Sacra mœnia quæ surrexere. Visitur in Archiuiis eiusdem domus instrumentum authenticum, ante trecentos annos exaratum paternæ curæ auctoritatem præferens. Quo Raimundus Scalæ Dei Abbas Sacrameniēsibus fratribus indulget, vt de beato Ildefonso, & Conceptione immaculatæ Virginis festa quotannis celebrent, quod ad paternæ potestatis exemplum, atque sacrorum mœniū filiationis cōfirmationem, tum ob memoriā Conceptionis Mariæ Virginis, non pigebit ad litteram transcribere. 12.

Venerabili, & in Christo sibi charissimo Coabbati suo de Sacramenia, totique Conuentui eiusdem loci, frater Raimundus dictus Abbas Scalæ Dei, salutem, & post præsentis vitæ stadium, ad vocationis æternæ brauium feliciter peruenire. Quia humani generis hostis diabolus, illos præcipuè sedulè insidiis persequitur, qui diuinis obsequiis mancipati, Christo per religionis arma fortissima pro viribus militare conantur, & gloriosis triumphare virtutibus. Igitur ne propter eius versutias nos in via 13.

Domini

Domini oporteat retardari, supplicationi vestræ humili, & deuotioni speciali, quam de sancto Ildefonso in cordibus vestris geritis, piè inclinari, vobis auctoritate Ordinis, & paterna, tenore præsentium concedimus, vt cum duodecim lectionibus, & responsoriis eius festum anno quolibet solemniter celebretis. De conceptione autem beatæ Mariæ consimile vobis concedimus festum celebrare, sicuti in sua annuntiatione. Tandem vt eius meritis, & intercessione hic à malis protegi, & in futuro mereamini in æterna tabernacula feliciter introduci. Nosque, si placet, in istis, & aliis vestris orationibus velitis recommendatos habere. Datum Scala Dei, sub sigillo nostro, die sabati ante festum beati Gregorij Papæ, anno Domini M. CCCXXX. Hactenus instrumentum. quò clarè videas matrem in filias veluti ordinariam iurisdictionem, nec visitationis legibus arctatam, conclosamvè, cui talia, vel extra ipsam permitterentur.

Extat in iure mentio sacrorum mœnium, eius, & Vallisoletano Abbati causa commissa, *in cap. licet dilectus*, de testibus, & attestatiobus. Atque hæc dicta de initiis huius Cœnobij. Nam varios casus, incrementa, & decrementa, quibus subiacuit: atque vltra geminam prolem, de qua suprà, accessionem duorum Monasteriorum, alterum Monachorum (de Sotos albos) alterum fœminarum (de Con todo) illud prope Segouiam, hoc prope Cuellar, & si quæ alia relatu digna occurrent, suis temporibus, & locis reseruamus. 14

1. Incertiora initia Montis salutis, 2. per duos Monachos post biennium mutatis sedibus. 3. De Clotilde Regina vetus traditio, 4. iuxta quam Virginis effigies summè antiqua. 5. Comprobata filiatio Scalæ Dei. 6. Monachi in Riuogiam missi primò Tergam, 7. mox NuenZabas, accito Conuentu, habitauere. 8. Donatio loci. 9. & Raymundi subrogatio. 10. sub quo translata domus ad Fiterium. 11. quod alio nomine dicebatur de Castellione.

CAPVT IX.

1. INcertiora primordia Montis salutis, &, si tabulas demas, prorsus ignota. Creuisse constat, ab anno M. CLXVII. quo locum dono accepit à propriis dominis. Cætera dubia. Chronologia, quam sequenti capite proferam, hunc annum signat: alumni domus etiam præcedentem, tali inscriptione ornantes sacellum maius.

Ildefonsus septimus Rex, ac Hispaniarum Imperator, ob ingentia Montis salutis miracula, Deiparæ, humilem, & antiquam domum insigni hoc Cœnobio illustrauit, donauitque familiæ Cisterciensi, tunc mira sanctitate, ac religione florenti anno Domini M. CXL. quarto Idus Nouembris.

Hactenus inscriptio, sed recèns opus, miréque depictum, ostentui potius, quàm fidei esse videtur. Nos in re dubia sequemur traditionem, quæ vtinam certioribus indiciis confirmaretur.

2. Imperatori petenti conuentum fratrum, qui vt dudum Legionem, & Gallæciam, nuper item Castellam, sic Toletanum regnum illustraret, duos Monachos ab Scala Dei transmissos ferunt, Fortunium donatum, atque Heimelinum bonum, illustraturos terram, electuros locum, & Monasterium, vtcumque dispositures. His datam sedem, quam olim Villa franca, & nunc ab Imagine per eos ibi relicta, & vicinis arbustis, sumpto vocabulo, *Nuestra Senora del Madronal*, incolæ dicunt. Nec discessisse, nisi erecta domo, cuius vestigia hodie etiam appareant. Sed loco incommodo deserto intra biennium, dum commodiorem quærunt, inter fagus, & quercus inculti montis, inuenisse ædiculam annosam, atque intus venerandam, erecta ara, quæ Virginis effigiem suscipiebat, in qua (quod rarum) vetustas cum pulchritudine, atque ex vtraque reuerentia, & deuotio conciliabatur. Hunc sibi locum petitum, concessumque, sub Virginis auspiciis militaturis. Tunc ascitis, qui numerum complerent, nec paucis item admissis ad probationem, erexisse Abbatiam (cui primus Fortunius Donatus præfectus sit) ac Montem salutis appellasse. Hæc de Conuentu. De imagine maiora, atque eo minus certa, quo antiquiora.

3. Clotildem Clodouei Regis filiam Amalarico Gothorum Regi nuptam cùm multa à viro propter fidem Christi, (nam is Arrianus erat) pateretur, siue fugientem impias tyranni manus, siue falsò accusatam de adulterio, feris expositam, implorasse fauorem Virginis, per quem iam iam discerpenda, liberaretur. Tum verò matrem totius misericordiæ visibiliter illi apparuisse, atque promissa optata sospitate, imperasse feris, vt vice versa, earum ministerio quandiu ibi lateret, sustentatam, conseruarent incolumem, fratribus, cùm venirent ex Gallia, restituendam. Venisse fratres, atque Amalrico deuicto, occisoque, reducendam ad propria piam fœminam, erexisse ædiculam, ac Virginis effigiem collocasse, eodem loco, ac forma, vt potuit, simili illi, per quam salutem, & vitam conseruauisset: addita inscriptione ex beneficio, qua totius matrem salutis profiteretur. Sacellum hoc siue hactenus incognitum, media quippe Maurorum inundatione, siue inter syluas à paucis veneratum, tunc à Fortunio, Heimelinoque inuentum, electum in Oratorium noui Cœnobij, cui reliquæ officinæ subiicerentur. Hactenus traditio.

4. Certè Amalarici, & Clotildis historia comperta satis, cui Isidorus, Gregorius Turonensis, Ado Viennensis, & alij fidem [a] faciunt, sed nec feris expositam affirmant matronam Regiam, nec per Virginem à feris liberatam. Equidem si eius opus imago fuit, constat inuentam post sexcentos annos à sanctis Monachis, Amalarico per Clotildis fratres interfecto circa annum Christi D. XXVI. vt hodie veneranda illa effigies millesimum centesimum septimum expleuerit, ex quo locum illum sacrauit sua præsentia. Materia incorruptibilis ex marmore, forma perelegans, nec indigeos ornatu superiniecto, quamuis vsus contrarium

[a] apud Mar. lib. 5. de reb. Hispan. c. 7.

obtinuerit: statura naturam imitatur, procerior tamen, atque in media luce (nam altare maius occupat) seipsa venerabilis, neque vllis egens obscurioris aëris, aut retardati visus incitamentis. A prima hac inuentione clara miraculis, & iuxta nomen verè salutifera: quod in hunc vsque diem perseuerans, donaria, & fugatorum morborum exuuiæ restificantur. Et plurimis ignoratis incuria veterum, multa ad nos peruenere incapacia obliuionis, præ magnitudine. Celebrius illud, quod in obsidione Valeriæ (Quencam hodie appellant) traditione, quàm historiis acceptum, salutem homini, repentinam mortem feris, stragem Mauris, atque vrbem Alfonso tradidit, circa annum Christi M. CLXXVII. Sed de his suo tempore dicemus.

5. Visuntur adhuc in Cœnobio Montis salutis antiqui libri, subscripti ad calcem hac nota. *Hic liber est Monastery Scalæ Dei.* Illiminirum, quos ex more asportarunt, qui fundatum venerunt: vt nequeat dubitari inde transmissos. Quin & litigio inter F.... Bugediensem (Cœnobium est in diœcesi Burgensi, eadem matre natum, de quo infrà) & Raimundum Montis salutis Abbates otto, circa annum Christi M. CLXX. Petrus Sacramentiæ, & Guillelmus Fiterij Præsules, à G.... Scalæ Dei præfecto signati iudices: vt causa fratrum per fratres decideretur. [b] Extat hodie instrumentum, legiturque, adiudicata causa Monti salutis. De diœcesi, ad quam locus pertinebat, cùm surgeret Cœnobium, incertum adhuc, certum Valeriam à Mauris post receptam, donatam sede, quæ totam illam ditionem hodie possidet. Terra opima, abundans vino, & oleo, nec pane carens, nec pascuis opportunis, alendis gregibus. Inde in confinio non ignobilia oppida, & frequens ex eis concursus ad matrem Virginem. Memoratur taxata in libris Cameræ florenis sexaginta, & sex. Itemque in litteris Gregorij Papæ noni, de quibus infrà. Hactenus Monachi ad tractum Toletanum.

b in tabular. Monis salu.

6. [c] Riuogiam missi ad montem Yergam primùm, secundo ab Alfaro lapide applicuere: nec quasi ibidem sedes locaturi, sed lustraturi loca, finesque, donandi quolibet, quem ipsi prælegissent. Visitur hodie in monte parua ædes, & in æde Deiparæ imago (anniuersario concursu satis celebris) *Nuestra Senora de Yerga*, monumentum hospitij, & annuæ sanctorum virorum habitationis. Intra id tempus præparatus locus non longè dissitus (Nienzauas illi nomen) & conuentus transmissus è Scala Dei, quem armis æquè potentem, atque orationibus (inclyta Calatrauæ militia, ex ipso orta) Hispania, intra paucos annos expeteretur.

c ex tabular. Mon. Fiter.

7. Durandus primus Abbas destinatus plantationi tenellæ, addito Raimundo viro Hispano, ex Canonico Ecclesiæ Turiasonensis (natali eiusdem solo) pridem conuerso, & tunc quidem Priore designato, sed postmodum Durando successuro. Hæc initia illustrissimi Cœnobij (si fas est dicere) totius Christiani orbis, nouo, atque hactenus inaudito exemplo, Monachatui militiam coniuncturi. Hæc prima semina inclytæ militiæ, sub qua tot viri, tot Principes, tot Duces, tot etiam aliæ religiosæ militiæ profiterentur. Sed qua ratione hoc ipsum perfectum sit, qualiterque Raimundus Fiterium primùm, mox Calatrauam desertam à Templariis, ab ipso propugnatam, se transtulerit, vnde sacra militia ortum habuerit, suis locis ex more referemus. Cæterùm quod ad patriam Raimundi attinet, non me latet in antiquis MSS. quæ in Fiterio, atque alibi feruntur, ipsum sancti Gaudentij ciuem dici. Certè vndecumque ortus vir sanctissimus, ingens Castellæ nostræ decus fuit.

Cæterùm quod ad fundationem Fiterij attinet, 8.
extat, & legitur donatio loci de Nienzabas Durando, & sociis ante annum facta cùm Yerge eremitorium inhabitarent. Cuius hic tenor:

Ego Alfonsus Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea Berengaria, in æternum cum Christo regnare desiderans grato animo, & spontanea voluntate, pro mea maxime, parentumque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, dono iure hæreditario Deo, & Ecclesiæ B. Mariæ semper Virginis, in monte, quem dicunt Yerga, fundatæ, domno Durando, eiusque sociis in ipso loco, & Ecclesia Deo regulariter, & B. Mariæ seruientibus, eorumque successoribus, illam villulam desertam, & locum, quem dicunt Nienzabas, cum omnibus eiusdem loci terminis, introitibus, & exitibus, montibus, & vallibus, terris, aquis, pascuis, hortis, & solaribus, & cum omnibus aliis suis pertinentiis, quocumque loco sint, supra memoratum locum, scilicet Nienzabas. Si quis autem de mea, vel aliena progenie huic meæ donationis paginæ contrarius venerit, vel infregerit, anathemate percussus, in inferno cum Iuda proditore damnetur, nisi resipuerit, insuper pro temerario ausu pectet Ecclesiæ, & regiæ potestati mille marauitinos. Et quod inuaserit duplum reddat. Facta charta in ripa Iberi inter Calagurribiam, & Alfarum, tempore quo Imperator cum Rege Garcia pacem firmauit, & filium suum cum eius filia desponsauit. Octauo Kalendas Nouembris. Æra M. CLXXVIII. Hactenus, donatio Imperatoris, quam inter alios, confirmatam lego à Michaele Muniz de Finojosa patre S. Martini Abbatis Hortæ, de quo plurimus nobis sermo tomis sequentibus.

Quanto tempore vixerit Durandus, in dubio est. 9.
Constat anno M. CXLVIII. subrogatum Raymundum, ipsius loco, ad quem Eugenius summus Ecclesiæ pastor, priuilegio concesso Nienzabensibus sub hoc initio.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Raymundo Abbati S. Mariæ de Nienzabas, eiusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod religioni, & honestati congruere dignoscitur, animo nos decet libero concedere & petentium desideriis congruum impertire suffragium. Ea propter dilecti domini filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum de Nienzabas, in quo, diuino estis mancipati obsequio, sub B. Petri, & nostra potestate suscipimus, &c. Datum apud Cistercium per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis agentis vices domini VVidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarij XV. Kal. Octob. indictione X. Incarnationis Dominicæ anno M. CXLVIII. Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ tertij, anno III.

Sicut incertus annus mortis Durandi, sic & 10.
translationis conuentus ex Nienxabas ad Fiterium, siue ad Castellionem, binomia enim domus in initio, quamuis nomen Fiterij præualuerit. Id vnum constat anno M. CLII. priori loco deserto, iam Raymundum Fiterium habitasse, quippe in alio Eugenij priuilegio iam Fiteriensis Abbas nuncupatur. *Datum Signiæ quinto Idus Maij. Incarnationis Dominicæ anno M. CLII. Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ tertij anno VIII.* Ergo intra id quadriennium translata domus sub Abbate Raymundo, atque Fiterium cœptum inhabitare.

Verùm

11. Verùm idem Fiterij Monasterium, de Castellione dictum eodem tempore, plura alia confirmant instrumenta sancti Regis, cognomento, Desiderati, sub Æra M. C X C V. *donantis Deo, & S. Mariæ Castellionis, & vobis domno Raymundo eiusdem loci Abbati*, &c. Itemque Alfonsi Regis eius filij rem totam clariùs exprimentis, occasione eiusdem donationis, quam fundationem vocat, siue quia opimam seu simul ædificium consummauerit. *Authenticum* (inquit) *priuilegium illustris memoriæ genitoris mei Regis Sancij quod ipse olim Monasterium de Castellione, quod nunc dicitur de Fitero, condidit, præsentis pagina innouatione restituo, ac confirmo*, &c. *Facta charta apud Concham Æra M. C C X X V I I.* Verùm hæc omnia latiùs suis locis, interim tetigisse satis, pro instituto.

---

1. Chronologia fundationum, 2. de Bullencuria, 3. & Sikem, & sancto Vulchino illius primo Abbate. 4. De Boëriis, & Bono loco. 5. De Pinu, & Caricampo, 6. & de hoc plura. 7. De Cliente, & Recluso. 8. De Monte sancti Georgij, 9. cuius primus Abbas Ebrardus, & Portu gloriæ. 10. Demum de Paungartamberg, ex VVolphango.

CAPVT X.

1. HIs quatuor delibatis fundationibus, quarum prima extra Ordinem fecit fundator sanctus, tres alias amor patriæ separauit: Chronologia transcribenda nobis ex more, & reliquæ summatim perstringendæ.

Anno M. C X L I. septimo Idus Aprilis fundata est Abbatia de Berlancurte.

Eodem anno, Nonas May, Abbatia de Sikem.

Eodem anno, tertio Kal. Sept. Abbatia de Boëriis.

Eodem anno, Idus Septembris, Abbatia de Pipinela.

Eodem anno, septimo Kalendas Nouembris, Abbatia de Bono loco.

Eodem anno, quarto Kal. Nou. Abbatia de Fitero.

Eodem anno ..... Abbatia de Pinu.

Eodem anno, quarto Idus Nouembris, Abbatia Montis salutis.

Eodem anno ..... Abbatia Chari campi.

Eodem anno, quarto Kalendas Decembris, Abbatia de Cliente.

Eodem anno, sexto Idus Ianu. Abbatia de Recluso.

Eodem anno, tertio Kalendas February, Abbatia de Sagramenia.

Eodem anno ..... Abbatia Montis sancti Georgij.

Eodē anno ..... Abbatia de Portugloria. Hactenus Chronologia. Sed nos de singulis aliquid dicamus.

2. Berlancurte, aliàs Bullencuria in diœcesi Trecensi nota domus, numerata inter filias Claræuallis: de qua Nicolaus Camuzarius in suis Miscellaneis late, & grauiter. Nisi quòd tamen fundatam domum perhibet anno salutis M. C X L I X. quo item anno eiusdem nominis domum in Chronologia lego. Eamdem, an diuersam? non audeam dicere, & diuersam nullatenus inuenio, sed si eamdem, præstat reseruare.

3. Sikem, VValkenrode filiam video, eoque augentem lineam Morimundi, in diœcesi Alberstadensi, in qua non parum Cistercium illustrauit. Extant epistolæ Innocentij Papæ tertij ad Abbatem Sikem, siue Sichem, Cisterciensis Ordinis, Alberstadiensis diœcesis: Itemque aliæ Gregorij Papæ noni, de quibus suis locis erit agendum. Primus Abbas Vulchinus, inter ingentia Cistercij luminaria: nisi quòd tamen Bernardus illi pro sole, aut antiquitas ipsa pro nube fuit. [a] Meminit eius Ioannes Cistercij Abbas, & tabulæ Sanctorum Cisterciensium, ex quibus hæc Seguinus, breui compendio. [b] *Vulchinus, vir honestis moribus præditus, monastica vita studio addictus, VValkenrode, Saxoniæ Cœnobio se tradidit, ex quo pòst in Sikem transiit, vbi Abbatis officio functus, suæ sanctitatis magna posteris reliquit indicia. Nam pauperum, & infirmorum Xenodochia, vinctorum cellas, viduarum, & pupillorum tuguriola visitabat, & eis necessaria singulari charitate subministrabat. Peregrinos quoque, & aduenas libenter suscipiebat, eorumque pedes, Christi exemplo, humilis, & deuotus abluebat. Huius sancti viri plurima opera miraculis comprobata leguntur.* Ita Seguinus. Qui tamen quæ, aut qualia ea miracula, quis mortis annus, quis cultus sepulturæ, aut scribere contempsit, aut non inuenit. Ioannes Abbas de eo hæc tantùm habet. [c] *In VValkenrode, Vulkinus, primus Abbas in Sikem.* Quibus an innuat obiisse VValkenrode, ibique eius exuuias obseruari, lectori meo relinquo discernendum.

a in catalog. SS. Ordinis.

b l. 3. SS. Cist. c. 53.

c vbi suprà.

De Boëriis in Campania, Laudunensis diœcesis tabulæ demonstrant, atque inter filias Fusniaci commemorant, adeóque neptem domus Claræuallis: omissam tamen à [d] Roberto Claudio, quod satis miror. Fundatio creditur Comitum Blesensiū, aut saltim promotio: nam plures eorumdem donationes anni M. C C L X I X. & M. C C X C I. aliorumque, hodie etiam extare perhibentur. Dies consecrationis Ecclesiæ de Boëriis, Cisterciensis Ordinis, Laudunensis diœcesis, illustratur ab Alexandro IV. multis indulgentiis, anniuersario cultu venerandus, litteris datis Viterbij pridie Kalendas Septembris, Pontificatus eius anno III. Boni loci Abbatias duas inuenio (Cisterciensem vtramque) notatas in libris Cameræ, alteram in Burdegalensi diœcesi, alteram in Lemouico: illam quingentorum & octo notatam taxa, hanc centum. Bonus locus Lemouicensis, Dalone filia, Burdegalensis ex Iojaco nata, adeoque vtraque neptis Pontigniaci. Robertus Claudius vtramque æquè præteriit. Nos quænam prior, adhuc ignoramus. 4.

d in catalog. Monast.

Sequuntur duæ filiæ eiusdem domus (Pontigniacum dico) sancta Maria de Pinu, & Caricampus, quam Ceruicampum alij etiam appellant, illa fundata in Pictauiensi diœcesi, hæc in Ambianensi. Vtramque in libris Cameræ inuenio, Pinu florenis tribus, & triginta, Caricampum notatam, sed sine taxa. Abbatiæ de Pinu mentio habetur in litteria Gregorij Papæ noni. Itemque in Bibliotheca veterum Patrum Coloniæ edita. In eodem VVillelmus Eliensis Cancellarius Angliæ sepultus est, cùm per Pictauiam Romam pertransiret. Ceruicampi notitiam superiùs dedimus, quippe ædificiis cœptis à quadriennio: verùm hoc anno, cunctis iam dispositis, Conuentus illuc transmissus ex Pontigniaco, cui venerabilis Pater Iordanus præfectus legitur, breui periodo vitæ consummandus, quippe Pontigniaci obiit, sequenti anno, cùm matrem visitaret, ex more Ordinis. Quo item anno Hugo campus Hsuenæ, cū suo iam Conuentu fruitus esset, scelerum pœnitens, tandem mortuus est, In eodem Cœnobio sepeliendus, vt intra annum vtroque fundatore domus caruerit, vix adhuc nata, & penè vtrique posthuma. Iordano in Abbatia 5.

tom. 12. p. 2. fol. 489.

successit

successit Hugo, e cuius tempore (inquit Ferreolus Locrius) inchoatum fuit Cœnobij templum, quod longè est amplissimum. Subiecit seriem Abbatum Cerui-campensium, quo nos etiam vtemur, si opus fuerit.

e In Annal. Vland. ad ann. 1137.

6. Duo inter alia Cœnobium hoc illustrant, disciplinæ Monasticæ obseruantia, quæ vel militarem licentiam, imò hostilem, inter ipsos belli tumultus in officio, religioneque continuit, vsque ad hæc tempora, & multorum Principum, Paulinatum præcipuè Comitum illustria Mausolea, quæ etiam faciunt ad illius venerationem. Vtrumque notant non inelegantia carmina, quæ ibidem leguntur, & Ferreolus Locrius inseruit suis Annalibus.

f ibidem.

f *Clara domus multos condit tellure sepultos*
Paulinos Comites, Vendomiosque Duces.
Et licèt extremis patriæ sita finibus extet,
Tuta tamen quouis semper ab hoste fuit.
Nominis id pietas facit, & clementia Regum,
Pro quibus assiduas fundit agitque preces.

g Claud. in Gallia. h in catalog. Eccl. Belgij.

g Claudius Robertus insignia domus memorat, cernitauteum in campo viridi, quæ nomen alterû exprimere videntur. Diœcesim in h Miræo variatam, lego, & olim ad Morinensem spectasse, nunc ad Boluniensê. Domus meminit i Innocentius Papa tertius, aliique, & ferè omnes Belgici scriptores.

7. Sequitur Abbatia de Cliente in Lombardia, quã Claræuallis Mediolanensis prope se genuit. In litteris Nicolai Papæ III. vocatur Claravallis de Cliente, atque in diœcesi Camerinêsi sita commemoratur. Reclusum item in Campania, Trecensis diœcesis, filia vallis Claræ, adeoque ipsa de linea Claræuallis. Reclusi dominum, quam donum Comitis etiam appellarunt, vt ex litteris Henrici Campani planè colligitur, non multo pòst, cùm ad summam veniret paupertatem, nec satis cômodo loco esset fundata, Henrici eiusdem, Theobaldi Comitis filij beneficentia dotatam, ac loco in quem commodiùs transferretur, donatam circa annum salutis M. C XL IV. dicam in tempore.

8. Sequitur Mons sancti Georgij, quod Zizzo Comes, Gisselaque coniunx, in partibus Thuringiæ, interuentu Ebardi, ex Comite Monteosi, iam dudum Monachi, qui primus eidem Cœnobio præfectus legitur. De his in antiquis actis eiusdê Sancti. k *Proinde* (inquit) *multum exhilaratus*; scilicet venerabilis Ebrardus, loquitur autem de coostructione Cœnobij Aldembergensis, de quo nos suprà) *gratias Deo persoluens, quia ita sui fuisset congruum voluntati, venit ad Thuringiæ partes visitare consanguineos suos, nobilem videlicet Zizzonem Comitem, & Gisselam Comitissam coniugem suam. Cumque salutaribus monitis cælestis vitæ ipsis multa pabula ministrasset, tandem consilium dedit, vt fundarent Abbatiam Ordinis nostri. Comes verò, diuina gratia sic volente, de petitione vxoris suæ Gisselæ per omnia acquiescens, tradidit Montem sancti Georgij cum omnibus pertinentiis suis. Ebrardus hæc audiens, Dominum in omnibus benedixit, & gratias eis persoluens, in Morimundum cum gaudio est reuersus, & Abbati, & Conuentui omnia, quæ egerat, exposuit: qui eum in factis suis omnimodo commendauerunt. Tunc Abbas inito consilio, & assumpto fratrum suorum consensu, emissis de Morimundo probabilis vitæ tam Monachis, quam conuersis, virum admodum religiosum, ac boni testimonij iam dictum Ebrardum, memorati Comitis Zizzonis cognatum, vnanimi voto, pariique eorum fratrum consensu, in Patrem spiritualem elegerunt. Qui a venerabili Henrico, Moguntino Archiepiscopo, in Abbatem per Pontificalem benedictionem est promotus. Proinde præfatus Comes Zizzo cum coniuge sua Gissela, Deo, à quo bona cuncta procedunt, gratias exoluentes, locum ipsum cum consensu filiorum suorum Henrici, & Gunthi legitimorum hæredum, omnipotenti Iesu Christo, eiusque sanctissimæ genitrici Mariæ, sanctoque Georgio Martyri, & beato Benedicto in odorem suauitatis obtulerunt.* Hactenus historia illa MS.

k apud Henriquez Menol. Martij 20.

Floruisse l legitur idem sanctus Abbas, & per eum, quos multos genuit filios, miris virtutibus: vt Mons sancti Georgij Sanctis abundans, nulli alteri cessurus videretur, si vt multos habuit, qui scribêda facerent, habuisset aliquem, qui facta ab aliis scriberet: verùm in cœlis scripta in libro vitæ, non vlla poterit obliuio obliterare, non vllus error. Facit etiam ad gloriam beati viri (nam sic Ebrardum authores omnes appellant) quod sancti Engelberti, Archiepiscopi Coloniensis, & Martyris, de quo nos plura infra, auunculus fuit. Memoratur inter illustres Cisterciij viros, Menologio adscriptus, ad vigesimam diem mensis Martij: vbi & progenies eius recêsetur, à Christophoro Butquero cooquisita, atque ad nostra vsque tempora perducta satis industriè. De consecratione Ecclesiæ huius Cœnobij tomo III. dicemus, si Deus dederit. 9.

l ibidem.

Portus gloriæ ignota nobis domus, nisi quòd numeratur in linea Claræuallis (Porta gloriæ in quibusdam exemplaribus) incerta matre. Est & aliud Cœnobium eius nominis, scilicet Portæ gloriæ, diœcesis Auxitanæ, quod per Scalæ Dei Monachos fundatum ad Morimundum spectat. Sed an diuersum, vel idem, aut quod nam certius, vsque adhuc non potui inuenire.

Cæterùm quod de Paumgartemberg Abbatia pingui, hoc item anno narrat m VVolphangus tradit, nequaquam duxi silentio prætereundum, siue genuina ea aliqua ex recensitis in Chronologia sit, binomia, vt solet, siue eadem cum Bengartemberg, anno sequenti, ex ipsa recensenda. *Otto* (inquit) *secundus, primus Machlandiæ Comes circa annum Domini M. C X L I. Paumgartemberg Cisterciensem, in Austria superiori diuitê Abbatiam fundauit.* Hæc tantùm ille: nec plura nos habemus, quæ possint addi. 10.

m in lib. 7. de genuinis miraculis.

Iesu Christi Ann. 1142. — Cistercii Ann. 45.

1. Repudiata à Comite Radulfo Theobaldi soror. 2. Bernardus Innocentio Papæ scribit. 3. Iuo Legatus, anathemate indicto, retractat factum. 4. Rex à Theobaldo extorquet iuramentum impetrandæ ab Innocentio absolutionis. 5. Bernardi alia ad Pontificem epistola. 6 Recidiuum anathemas 7. pro quo Sanctus scribit ad Ludouicum, 8. sed sine fructu. 9. secunda alia epistola liberior, 10. qua se pro Ecclesia pugnaturum semper indicit.

Capvt I.

1. Annus erat millesimus centesimus quadragesimus secundus, Cistercij quadragesimus quintus, cùm vix adhuc sopitæ dissensiones inter Pontificem, Theobaldumque, & Ludouicum Regem,

Regem, nouis dissidiis denuò recruduere. Et fortè quod non potuit in Innocentium, in Theobaldum irrupit violentior ira. Radulfus Viromandorum Comes, materiam fecit, repudiata vxore, & Petronilla Guillelmi Ducis filia, ac Reginę sorore superinducta. Diuortio consanguinitatis quæsitus color, nec defuere testes Regiæ cupidini, & tres Episcopi inuenti inter primores, qui pro Radulfo sententia pronunciarent. Secretò tamen, ac veluti per tenebras, quasi ipsorum conscientia reclamante, nec ferente inter nota flagitia, Solis adspectum. Tunc Theobaldus pro sorore zelans, zelans pro matrimonio, Bernardum adiit, consilium simul & auxilium imploraturus. At sanctus Pater comperta veritate, & læsi Sacramenti vicem primùm, mox amantissimi Principis iniuriam dolens, Innocentium appellans vtriusque vindicem, tales ad eum pro Comite Theobaldo litteras dedit.

2. [a] *Scriptum est:* [b] *Quos Deus coniunxit, homo non*
a epist. 216. *separet. Surrexerunt viri audaces, qui non timuerunt*
b Matth. 19. *coniunctos à Deo contra Deum disiungere. Neque id solum, insuper & adiecerunt coniungere non coniungendos, addentes præuaricationem. Lacerantur sacra Ecclesia, scinduntur (proh dolor!) vestes Christi, idque (ad cumulum doloris) ab his, a quibus resarciri debue-*
c Psalm. 37. *rant.* [c] *Amici tui Deus, & proximi tui aduersum te appropinquauerunt, & steterunt. Nam qui mandatum tuum transgrediuntur, non sunt alieni, non sunt extranei a sanctuario tuo, sed eorum locum tenent, quibus dixisti:*
d Ioann. 14. [d] *Si diligitis me, mandata mea seruate. Comitem Radulfum, & vxorem eius Deus coniunxerat per ministros Ecclesiæ, & Ecclesia per Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Quomodo quos Ecclesia coniunxit, disiunxit camera? In quo facto illud solum conuenienter prouisum est, quod in tenebris facta sunt opera tenebra-*
e Ioann. 3. *rum.* [e] *Qui enim malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius à luce. Quid meruit Comes Theobaldus? Quid peccauit homo ille? Si peccatum est, quod diligit iustitiam, & odit iniquitatem, non potest excusari. Si Archiepiscopum Bituricensem suscepit ad imperium vestrum, hoc est, maximum, & primum*
f Psalm. 37. *peccatum. Et sanguis iste de manu eius exquiritur.* [f] *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniam sequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde suo, vt iniuriam filij vestri, & oppressionem Ecclesiæ digna animaduersione vindicetis, & artifices huius sceleris cum ipso eorum capite, cui quidquid libuit, licuit Apostolico vigore corrceatis, vt in verticem ipsius iniquitas eius descendat.* Huc vsque ad Innocentium sanctus Bernardus.

3. His litteris acceptis, Innocentius Iuonem Presbyterum Cardinalem in Gallias mittit, plenaria potestate, per quem diuortij causa decideretur. Hic veritate indagata, compertaque, Rodulfum Comitem percussum anathemate, nouam nuptam dimittere compellit, inobedientem extra communionem fidelium factum declarat, terram illius interdicto subiicit, ac tres Episcopos, quorum auctoritate res tota gesta, sacris Ordinibus, atque Ecclesiæ ingressu suspendit, cuncta ex iustitia, & mente sacrorum canonum. De his Robertus Sige-
g hoc anno. berti continuator. [g] *Radulfus Viromandorum Comes vxorem suam dimittit, & sororem Reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia Comitis Theobaldi mittitur Romanæ sedis Iuo Legatus, qui & Radulfum Comitem excommunicauit, & Episcopum Laudunensem Bartholomæum, Nouiomensem Simonem, Petrum Siluanectensem, qui diuortium illud fecerant, suspendit.* Hæc ibi. Legatus interim viam vniuersæ carnis ingressus, per propriam mortem sententiam confirmauit, quippe ipso de medio iam sublato, cùm fortè zelo efferuescente, mitigaretur, solus restabat adeundus Romanus Pontifex, qui non de facili posset exorari.

At Ludouicus, dum se frustratum videt, atque ignominiam, quam Comiti intulerat, ex sororis 4.
repulsa, in Reginæ sororem recidisse, quam non vxorem, sed pellicem conuictam, damnatamque, tandem Rodulfus foret expulsurus, suspensos Præsules vindictæ suæ ministros, & tandem cuncta in contrarium sibi succedere, dum causa cadit, quod reliquum in præcipiti ira est, ad arma confugiens, & classicum canens, contra fas, contra ius, contra pactiones, inexpectatis, & inconsultis arbitris, Theobaldum Comitem hostiliter infestat, in omnem eius ditionem grassatus ferro, & igne. Et eo vsque atrocitas peruenit, vt pius Comes, vitandis fidelium cædibus, rapinis, stupris, & aliis belli malis, quæ victores, & victos æquè inuoluunt, iuramentum præstare compulsus sit, absolutionis à Pontifice impetrandæ, seu proprium dedecus postponens saluti ciuium, seu tempus redimens promissa absolutione, quæ vel negari ab Innocentio posset, vel si concederetur, reuocari. Rem totam produnt Bernardi Patris literæ ad Innocentium datæ, quæ ita habent.

[h] *Tribulatio, & angustia inuenerunt nos. Commota* 5.
est, & contremuit terra in mortibus hominum, in exiliis h epist. 217.
pauperum, diuitum quoque vinculis, & carceribus. Ipsa religio venit in opprobrium, & contemptum. Probro ducitur apud nos saltem mentionem facere pacis. Nusquam fides, nusquam innocentia tuta. Amator innocentiæ, & pietatis cultor Comes Theobaldus penè traditus est in animam inimicorum eius. Impulsus est, vt caderet, sed Dominus suscepit eum, & gaudet quòd iustitia, & vestra obedientia in causa sit, Apostolo acquiescente, qui ait: [i] i 1. Petr. 3.
Si quid autem patimini propter iustitiam, beati. Et in Euangelio: [k] *Beati, qui persecutionem patiuntur pro-* k Matth. 5.
pter iustitiam. Vo nobis, hæc omnia præsentare, sed minimè præcauere potuimus. Quid plura? Vt non penitus desolaretur terra, & omne regnum in seipsum diuisum concideret, compulsus est ille deuotissimus filius vester, & Ecclesiasticæ libertatis defensor, sub iureiurando promittere, quatenus, sententiam excommunicationis, à Legato vestro bonæ memoriæ Magistro Iuone datam in terram, & personam adulteri tyranni, qui caput, & auctor extitit omnium horum malorum, & dolorum, atque in ipsam adulteram faceret amoueri. Quod sanè tamen præfatus Princeps fecit, prece, & consilio nonnullorum fidelium, sapientumque virorum. Dicebant namque id à vobis facilè, & absque læsione Ecclesiæ impetrari, dum in manu vestra sit, eamdem denuò sententiam, quæ iustè data fuit, in continenti statuere, & irretractabiliter confirmare, quatenus & abs arte deludatur, & pax proinde obtineatur, & qui gloriatur in malitia, & potens est in iniquitate, nihil inde lucretur. Multa habeo dicere vobis, sed non est opus de omnibus scribere, cùm præsens sit, qui omnia scit, & viua voce planiùs potest, & pleniùs aperire. Hactenus sanctus Doctor ad Innocentium.

Tum Summus Pontifex Theobaldo morem 6.
gerens pro suis meritis, sed nihilominus feruens iustitiæ zelo, quin & Bernardi mente penetrata, relaxauit anathema, ni resipiscant, diuidanturque adulteri, cùm primum noscat, statim renouaturus. Sensit potentia se iterum delusam, atque iterum euanuisse vindictam, qua se denuò irretitam experiretur. Atque id totum Bernardo acceptum referens, nam quis alius potuisset apud Pontificem querulas nimium ad eum literas dedit, quibus

Bernardus

Bernardus liberè pro more, sed veneranter respondit in hunc tenorem.

7. l epist. 220. [l] *Libenter quidem, sicut ipsi fateri dignamini, etiam propria attestante conscientia, quæ ad honorem vestrum, & regni vestri vtilitatem spectant, pro nostro exiguo posse, & quæsiuimus, & quæremus. Cæterùm quod nostræ humilitati querimini super anathemate mox innouando in Comitem Radulphum, & vultis me dare operam omnimodis, vt non fiat, ob multa mala, quæ sequutura inde putatis: prorsus non video quomodo implere possim, & mandato obuiare Apostolico. Quod etsi possem, non video quòd rationabiliter possem. Doleo quidem de malis si inde prouenient, sed non ideò tamen debemus facere mala, vt veniant bona. Satius, tutiusque hoc totum profectò omnipotentis Dei iudicio, & dispositioni relinquimus, qui potest facere, vt & bona, quæ ipse vult fieri, fiant, & maneant, & mala, quæ mali moliuntur, non veniant, aut certè in eos ipsos potiùs, qui volunt, & quærunt, veniant. Valde autem contristat me vnum, quòd in litteris vestræ celsitudinis continetur, quòd videlicet debeat obuiare res ista paci factæ inter vos, & Comitem Theobaldum. An nescitis vos grauiter offendisse in eo, quòd Comes Theobaldus violentia guerræ vestræ contra Deum, & iustitiam iurare compulsus est, non solùm quia quæreret, sed etiam quia efficeret, vt prædictus Comes Radulphus, & terra eius tam indebitè, imò tam illicitè absolueretur? Quid? iterum vultis peccatum peccato addere, & iram Dei super vos (quod absit) accumulare. Quid peccauit Comes Theobaldus, vt iram vestram rursum incurrere mereatur, qui & absolutionem Comitis Radulphi, licèt iniustam (sicut scitis) tanto labore, & difficultate obtinuit, & rediuiuam excommunicationem, quamuis iustissimè redeuntem nec quæsiuit, nec quærit, vtpote quod timore vestro etiam abiurauit? Nolite, quæso, nolite Domine mi Rex Regi vestro (imò omnium conditori) tam euidenter in suo regno, & in sua possessione audere resistere, & manum extendere tam frequenti, & temerario ausu aduersum terribilem eum, [m] qui aufert spiritum Principum,*
m Psalm. 75. *terribilem apud Reges terræ. Acriter loquor, qui acriora vobis formido: quod non ita vehementer timerem, nisi vos vehementer diligerem.* Hæc tunc ad Regem paterna auctoritate, quam in Bernardo Ludouicus Rex, percitus quamuis ira, venerabatur.

8. Verùm cùm neque ex his adhuc proficeret, sed indies magis, ac magis induratus, in Comitem atrociùs, irreligiosus in Ecclesias (quæ bellorum vbique conditio est) atque in omnes violentiùs debaccharetur, acriori adhuc epistola corripiendum vir sanctus duxit, quam in exemplar Christianæ libertatis (non tamen omnibus, sed Sanctis tantùm concessæ) simul & ad historiæ texendam seriem, nec nos scribere, nec lectorem putamus, pigebit legere. Exemplar autem epistolæ est huiusmodi.

9 n epist. 221. [n] *Scit Deus quantum vos ex quo noui, dilexi, & vestrum honorem volui: scitis vos quanto labore, quantáque solicitudine, toto anno præterito quærenda paci vestræ intendi vnà cum aliis fidelibus vestris. Timeo autem ne sine causa laborauerimus in vobis. Vos namque (vt manifestum est) à bono, & sano consilio, quod acceperatis, nimium citè, nimiumque leuiter resilitis, & ad mala priora, quæ dudum non immeritè perpetrasse vos plangebatis, adhuc recentibus illis plagis, rursum, vt audio, nescio quo diabolico consilio festinatis. A quo enim nisi à Diabolo procedere hoc consilium dixerim, per quod fit vt incendiis incendia, homicidiis homicidia addantur; clamor demùm pauperum, & gemitus compeditorum, & sanguis interfectorum, auribus personent patris orphanorum, & iudicis viduarum? Planè his hostiis hostis ille antiquus nostri generis oblectatur, quoniam ipse* [o] o Ioan. 8. *homicida est ab initio. Et nolite frustra occasionem sumere de Comite Theobaldo ad excusandas excusationes in peccatis: cum vir ille paratum se dicat, & hoc omnimodis deprecetur, venire ad conuentiones, quæ inter vos occurrerunt, quando facta est pax, & secundum iudicium diligentium tamen vestrum (eorum scilicet, qui mediatores inter vos extiterunt) per omnia satisfacere velis, vt si præuaricationis fortè ab ipsis argui poterit, quod non existimat, continuò ad honorem vestrum corrigere non cunctetur. Verùm vos nec verba pacis recipitis, nec pacta vestra tenetis, nec sanis consiliis acquiescitis: sed nescio quo Dei iudicio, omnia vobis ita vertitis in peruersum, vt probra honorem, honorem probra ducatis, tuta timeatis, timenda contemnatis, & quod olim sancto, & glorioso Regi Dauid [p] Ioab legitur expro-* p 1. Reg. 19. *brasse, diligitis eos, qui vos oderunt, & odio habetis, qui vos diligere volunt. Neque enim qui vos instigant priorem iterare malitiam aduersùs non merentem, quærunt in hoc honorem vestrum, sed suum commodum: imò nec suum commodum; sed Diaboli voluntatem: vt Regis (quod absit) potentiam concepti furoris habeant effectricem, quem suis se posse adimplere viribus non confidunt, inimici coronæ vestræ, regni manifestissimi turbatores. At quicquid vobis de regno vestro, de anima, & corona vestra facere placeat, nos Ecclesiæ filij matris iniurias, contemptum, & conculcationem omnino dissimulare non possumus, quæ illi præter illa, quæ in eam iam processisse miserabiliter plangimus, iterum de nouo partim inferri, partim imminere sentimus.*

Profectò stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, 10. *si ita oportuerit, pro matre nostra, armis quibus licet: non scutis, & gladiis, sed precibus, fletibusque ad Deum. Et ego quidem qui me memini præter quotidianas preces, quas pro pace, & salute vestra, atque regno coram Domino supplex ipso teste fundebam, etiam apud sedem Apostolicam literis, & nunciis causam vestram egisse (fateor) vsque penè ad propriæ conscientiæ læsionem, & ipsius Summi Pontificis iustam (quod diffiteri non debeo) contra me indignationem. Ego, inquam, assiduis vestris, quæ innouare quotidie non cessatis, excessibus prouocatus, dico vobis, incipio pœnitere super insipientia mea priori, quæ plus iusto vestræ adolescentiæ huc vsque faui, & de cætero pro mea exiguitate non deero veritati. Non tacebo, quòd cum excommunicatis iteratò fœdus, & societatem inire satagitis: quod in necem hominum, combustionem domorum, destructionem Ecclesiarum, dispersionem pauperum, raptoribus, & prædonibus (sicut dicitur) adhæretis, iuxta illud Prophetæ: [q] Si videbas* q Psalm. 49. *furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Quasi non satis per vos mala facere valeatis. Non silebo quod illicitum illud, maledictumque iuramentum inconsultissimè vsurpatum à vobis contra Bituricensem Ecclesiam (pro quo, heu, tot & tanta mala iam nunc meritò prouenerunt) non ita tandem corrigitis, vt Christi ouibus, apud Catalaunum pastorem præfici non sinatis: insuper & fratri vestro, eiusque militibus, sagittariis, ballistariisque domos Episcopales contra ius, & fas inhabitandas, & res Ecclesiæ in huiusmodi nefarios vsus profligandas, audacter nimium exponitis. Dico vobis: non erit diu inultum si hæc ita facere pergitis. Et ideo Domine mi Rex, amicabiliter moneo vos, & fideliter consulo vobis, vt citius ab hac malitia desistatis: si fortè iam ferire paratis manum, Niniuitæ Regis exemplo, pœnitentia, & humilitate præuenire possitis. Durò loquor, quia duriora vobis formido: sed mementote à Sapiente [r] dictum, meliora esse verbera amici, quàm frau-* r Prou. 27. *dulenta oscula inimici.* Hæc Pater sanctus acriùs, quàm ad Regem.

1. Ludouicus Bernardo Patri scribit. 2. Rescriptum Sancti ad Ioslenum, Suggeriumque purgans Theobaldum à iuramento promissæ absolutionis, 3. à suspicione pactorum matrimoniorum, 4. & fœderis initi cum Radulpho. 5. Incusat Regem præuaricationis, 6. neque solum in Theobaldum, sed in Ecclesiam. 7. Responsio Iosleni in Sanctum iniuriosa. 8. Sancti ad ipsum epistola humilis sanè, 9. nectamen minus Zelans pro causa Dei. 10. Pacatus animus, atque amor in Episcopum.

CAPVT II.

1\. AT non exasperatus Ludouicus, quod satis mitum, atque io iuuene, indicium melioris aoimi, nec dedignatus responso virum Dei, qoin potiùs longam ad eum dedit epistolam, excusationes texens, & querimonias, queis Theobaldum de multis, de quibusdam etiam Bernardom insectaretur. quod iuramentum per fraudem ludificasset, cùm terra adhuc maneret sub interdicto, quod matrimoniis sibi deuinciret Flandrensem Comitem, Suessionemque, quorum auxilio in Regem rebellaret. Quòd Radulphus ab eo solicitatus, Bernardo conscio, & complice, vt qoi eidem peccatorum veniam polliceretur, si Theobaldo vellet adhærere. Hæc & similia Rex cùm rescripsisset, Bernardus duos eius Consiliarios pactiooom arbitros, Ioslenum, ac Suggerium interpellauit, per quos, vt conscios totius veritatis, longè efficaciùs, vt amicos, faciliùs reduceretur. Atque ecce exemplar epistolæ Bernardi ad vtrumque scriptæ satis amice.

2\. a epist. 222. [a] *Ad Ioslenum Suessionensem Episcopum, & Suggerium Abbatem sancti Dionysij. Scripseram Regi, arguens eum super malis, quæ fiunt in regno eius, ipsius (sicut dicitur) assensu. Et quod rescripsit, dignum duxi vobis, qui de consilio eius estis, insinuandum. Miror enim, si ita credit, vt loquitur: & si non credit, quomodo conscio mihi vtique omnium (sicut scitis) quæ ad pacem reformandam facta fuerunt, ista persuadere conatur. Ait enim, sicut potestis videre in literis eius, cum malè seruata ex parte Comitis pacta conaretur ostendere, adhuc suspensi manent Episcopi nostri, adhuc terra nostra interdicta est. Quasi verò cuiusquam Ecclesiastici absolutio interdicti ad Comitem Theobaldum pertineat: aut hoc ipse aliquo modo pepigerit se facturum. Illusus est (ait) Comes Radulphus, & iterum religatus est. Et hoc quid ad Comitem Theobaldum: Nonne quid de hac re promisit, fideliter elaborauit, & efficaciter adimpleuit? Ille vero deprehensus est in astutia sua, & cecidit [b] in foueam, quam fecit. An est hoc totum, cur irrita faceret Rex pacta sua, quæ distinxerunt labia vestra? An propter hoc decuit incandescere iram Regis contra Deum, & Ecclesiam eius, contra seipsum, & regnum suum? Ita ne propter hoc debuit obliuisci honoris sui, vt ad debellandum hominem suum, quem non dico diffidauerat, sed nec submonuerat, vel posuerat ad rationem, mittere fratrem suum, idque per Catalaunum, de qua potissimum ciuitate scitis, quid Rex cum Comite Theobaldo pepigerit?*

b Psalm. 7

3\. *Sed Rex adhuc aliud addit, quòd matrimoniis sibi molliatur coniungere contra eius fidelitatem Comitem Flandrensem, & Suessionensem. Et de fidelitate quidem suspicio est, non certitudo. Porrò inanes suspiciones certis pactionibus præiudicare, quale sit, vos videritis. Quanquam id omnino credendum non fuerit de tali viro. Nuquid enim hostes sunt Regis, quibus alligatur Comes, & non magis homines eius, & eius amici? Nonne consanguineus Regis, & sicut fatetur, baculus regni Comes Flandrensis est? Quid ergo contra Regis fidelitatem facit eius homo, & fidelis ipsius, si alius eius amicis, suorum matrimoniis copulatur? Non ne si quis simplici oculo rem, vt est, consideraret, magna potius pax regni, magnumque robur, & magna posset putari securitas?*

4\. *Illud autem miror, quomodo Rex dicere non timuerit, cognoscere se, quia mouerim ego Comitem Theobaldum in partem suam contra Regem, Comitem Radulphum trahere attentasse. Nam & viua voce nuncio nostro plus dixit, quam scripserit: quod mandauerim sæpius dicto Radulpho maximam partem peccatorum eius me suscipere, si vellet Comiti Theobaldo adhærere. Si natus est homo ille, per quem ista mandauerim, veniat, & arguat me palam. Si scripsi litteras, proferantur in medium. Viderit ipse, cui crediderit: certus ego sum, quia nunquam nouerim, quod imponit. Idem arbitror & de Comite Theobaldo, quia & ipse omnimodis diffitetur. Videat proinde Deus, & iudicet quòd nunc de suspicione Comes Theobaldus arguitur ab eo, qui manifestè contra pactiones suas ipsum sibi attrahit Comitem Radulphum, contra Dei præcepta, contra sententiam Summi Pontificis adultero, & excommunicato communicans.*

5\. *Ait quoque Rex: Penè habuimus duos grauissimos oppugnatores. Et Propheta subsannans respondet: [c] Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Ecce, inquit, oppugnamur, qui non oppugnauimus: persequutionem patimur, qui non persequuti fuimus. Quis oppugnat, obsecro? quis oppugnat? quisve persequitur? Nonne Comes obsecrat, & humiliatur: honorare paratus vt Regem, seruire, & obsequi, tanquam domino suo, obnixè pro pace supplicans, & bonam Regis, quod in se est, sibi conciliare satagens voluntatem? Esto, quod non sit ita, sed magis Comes Regi mala omnia moliatur: nonne ad id, quod statutum fuisse scitis, fuerat recurrendum? Sic enim inter se pepigerunt, vt si qua de conuentionibus illis controuersia, aut dissensio nasceretur, nihil mali sibi inuicem facerent, aut quærerent, donec coram nobis tribus, pariter & domino Altisiodorensi ventilata res esset, atque discussa, qui & tunc mediatores fuimus, & si quid emergeret controuersiæ, debuimus esse reconciliatores. At id modò omnimodis Comes flagitat: sed rex abnuit.*

c Psalm. 13.

6\. *Denique esto, quod omnino malè meruit Comes, sed Ecclesia Dei quid meruit? Quid, inquam, meruit non iam sola Bituricensis Ecclesia, sed & Catalaunensis, etiam & Remensis, etiã & Parisiensis? Habeat Rex aduersus Comitem ius: sed de quo iure, obsecro, de quo iure præsumit, vt Ecclesiarum possessiones, & terras deuastet, vt Christi ouibus Pastores præfici non permittat, vt his quidem electorum promotionem prohibeat: aliis verò (quod hactenus inauditum est) dilationem electionis indicat, donec vniuersa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus desoletur terra? An vos ei consulitis talia? Mirum valde, si contra vestrum consilium fiunt hæc: mirum magis, & malum, si vestro consilio fiunt. Etenim consulere talia, manifestè schisma fabricare est, Deo resistere, Ecclesiam ancillare, & nouam in seruitutem Ecclesiasticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, si quis Ecclesiæ filius est, profectò stabit, & opponet se, quoad poterit, murum pro domo Dei. Nam & vos ipsi, si pacem desideratis Ecclesiæ, sicut oportet filios pacis quomodo non dicam, tractatis ea, sed vel interestis consiliis tam malignis? Quicquid enim mali fecerit, meritò non Regi iuueni, sed consiliariis senibus imputatur.* Hactenus Sanctus ad duos proceres Curiæ, Regi fidissimos, & conscios pactionum, quo nihil intentatum maneret quæreodæ paci.

7. At cùm epiſtolam aut caſu apertam mitteret, (ex quo ſumpta occaſio, velut feciſſet per irreuerentiam,) vel ex conſcientia mordaciorem Ioſlenus reputans, & quo reprehenſibilior, impatientior, mordaciſſimum ei reſponſum reddidit. Adeò vt nequaquam vereretur dicere, Sanctum loquutum in ſpiritu blaſphemiæ, quod Godefridus affirmat in eius vita, atque ipſius Sancti reſcriptum teſtatur. Godefridum in primis ad hoc proferam: mox epiſtolam ipſam ſatis modeſtam, & dignam Bernardo Patre. [d] *Scripſerat* (inquit) *aliquando Dei famulus ad Epiſcopum aliquem de Curia, & conſilio Regis, monens eum ſuper quibuſdam verbis Regi ſuadere, & conſulere meliora. At ille vehementer exacerbatus amariſſimam ei reddidit epiſtolam, dicens in ipſa ſalutatione prima, ſalutem, & non ſpiritum blaſphemiæ. tanquam videlicet vir ſanctus (quod horror eſt dicere) ex blaſphemiæ ſpiritu illa ſcripſiſſet. Ad quod verbum manifeſtiſſimus Chriſti ſeruus, memor Dominicæ reſponſionis:* [e] *Ego dæmonium non habeo, ſicut hodieque extans eius epiſtola continet, minime quidem ait, ſpiritum blaſphemiæ habere me credo: ſed neque maledixiſſe cuiquam, aut maledicere velle me ſcio, præſertim principi populi mei. Nec minus poſtea charum, nec minus familiarem eumdem Epiſcopum habuit, ſed eloquium illud prædictum apud eum ſic fuit, quaſi non dictum.* Hæc de Godefridus. At ipſam Sancti epiſtolam videamus.

d lib. 4. vitæ c. 6.

e Ioan. 8.

8. *Ad Epiſcopum Sueſſionenſem duriſſimè ei reſcribentem, ita vt hæc fuerit prima ſalutatio: ſalutem in Domino, & non ſpiritum blaſphemiæ. Minimè quidem ego ſpiritum blaſphemiæ habere me arbitror, ſed nec cuiquam maledixiſſe, aut maledicere me velle ſcio, principi præſertim populi mei. Cæterum quicquid illud ſit, quo ſe læſam veſtra dignitas indicat, peto veniam. Scio enim qui dixit:* [f] *Blaſphemamur, & obſecramus. Dico ergo cum beato Iob:* [g] *Quæ loquutus ſum, vtinam non dixiſſem, & vltra non addam. Iam domino Abbati ſancti Dionyſij pro communi querimonia ſcribens, vtrique veſtrûm reſponderam, & putaueram me feciſſe ſatis. Et quoniam, vt video, nondum quieuit indignatio veſtra, quæ forſitan aduerſus Eccleſiæ conculcatores iuſtius incanduiſſet, etiam vobis dico, ſchiſmaticos vos, aut fomitem eſſe ſcandali, nec dixi, nec ſcripſi, nec credidi, & dico ſecurus: nec vereor, quod me mea pagina arguat mendacij. Scrutamini eam, ſi placet, & ſi ita inueneritis, reum me fatebor grandis ſacrilegij, & reuera ſicut notatis, ſpiritu blaſphemiæ agitatum illa ſcripſiſſe.*

f 1. Cor. 4.

g Iob 39.

Ne tamen humilis ſatisfactio ſpiritum videatur excludere libertatis, dolui, fateor, & doleo, quod nondum ea vos libertate, qua deceret, comperimus Chriſti vlciſci iniurias, Eccleſiæ defendere libertatem. Dolor iſte compulit me ſcribere dura: non tamen illa, quæ impingitis. Putaueram ſiquidem, & adhuc putarem, niſi timerem vobis in hoc eſſe moleſtus, nequaquam ſufficere, quod ſchiſmatis non eſtis authores: niſi & eos, qui ſunt, cuiuſcumque dignitatis ſint, tota libertate pro viribus coerceatis, & eorum conſilium, atque conſortium execretis. Putarem, inquam, gloriam vobis eſſe, ſi dicere poſſetis & vos. [i] *Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Nunquid ſolum decebat zelus ille Prophetam, & non hodie quoque a Domini Sacerdote requiritur, de quo dicebat:* [k] *Nonne qui oderant te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam: Optarem ſanè (& ſalua veſtra ſerenitate id quoque eloquar) hunc zelũ vos exercuiſſe in puerum regem, qui non tam pueriliter, quam crudeliter ſine cauſa irrita fecit, & ſana veſtra conſilia, & ſua pacta, ſine cauſa regnum ſuum conturbat, bella vbique cælis, terriſque ſuſcitat, Eccleſias vaſtat, ſacra temerat, exaltat iniquos, bonos perſequitur, perimit innocentes. Hæc, inquam, vellem vos dolere, his contradicere, & reſiſtere, quod in vobis eſt. Sed meum non eſt docere Magiſtrum Ioſlenum, minus autem reprehendere Epiſcopum, qui magis me, & alios peccantes redarguere, & errantes corrigere debet. En quantum vos timeo. Clauſam habetis epiſtolam, qui de priore aperta malè ſuſpicati eſtis. Nam ego quidem nihil in hoc aliud cogitaui, niſi quòd ad diuerſos ſcribentem neceſſe eſt iuxta conſuetudinem epiſtolam cera non claudere. Iam & pro hoc quoque veniam peto.* 9.

i Pſalm. 25.

k Pſal. 138.

Hactenus Sanctus per omnia paci inſiſtens, ipſe pacificus, quo cæteros ſuo exemplo, non minus quàm conſiliis pacificaret. Verùm quod ait [l] Gaufridus, eumdẽ Epiſcopum tam charum, tam familiarem Bernardo habitum, ac ſi nihil in ipſum ſcripſiſſet, ſequentes, quas ad eum dedit, epiſtolæ, anno ſequenti adducendæ teſtificantur. Hæc de geſtis in cauſa præſentis anni, per quæ tamen nequaquam profeciſſe, niſi priùs (proh dolor!) multorum innocentium effuſo ſanguine, pollutis aris, templiſque violatis, atque tunc demum Rege compungendo Bernardi monitis, in ſequẽti, quo euenit, dicemus. 10.

l lib. 3. c. 6.

---

1. Illuſtria initia regni Luſitaniæ. 2. Teſtimonium Alfonſi de viſione per ſomnum ſibi oſtenſa, 3. comprobata euentu ſubſequenti, 4. & mirabili Chriſti apparitione. 5. Eiuſdem Principis preces, & teſtificatio. 6. Inſtrumenti auctoritas. 7. Alfonſus Dux in Regem acclamatus, 8. ſuper titulo cum Imperatore auo contendens.

CAPVT III.

1. HOc ipſo anno, ſi Luſitanis hiſtoriis plena fides, Luſitanorum regnum orbi percelebre, quippe Africam, Aſiamque ex Europa occupans, ſancti Bernardi auſpiciis initium habuit, annuo cenſo ſtatuto Claræualli, quo beneficium à ſancto viro acceptum, ſimul & regiam pietatem atteſtaretur. Id quia exteris fortè minus notum, altiùs repetito principio proſequemur. Strage multa accepta per Ildefonſum, Saracenorum reguli indignati, coniurauerant quinque, collectis vndique copiis, quibus illuſtrem Ducem aggrederentur. Ille vt erat in Deum fidenti animo, atque ex ipſis periculis fortiori, obuius primùm, dein etiam laceſſans, & tandem pugnans, longè inæquali licèt præliantium manu, vnam de cunctis victoriam reportaret. Ad id ſolum ſociari viſi ſunt, vt poſſent vno prælio debellari. Tunc acclamatum Regem hiſtoriæ produnt, anno ſalutis M. CXXXIX. compacta ex multis victis vna corona, quæ tempora victricia redimiret. Quam eam gloriam à Chriſto ante prædictam, conceſſamque, apparente in Cruce deuoto Principi, atque extunc etiam ex ſigno Crucis, crucem, ex numero plagarum, quinas, vt vocant, ex pretio puncta quinis deſignata, inſignia noui regni ualuiſſe. Adſtipulatur inſtrumentum perantiquum, recèns licèt inuentum, anno noſtrorum M. DXCVI. inter plurima alia MSS. quæ regiam Bibliothecam exornant

exornant Alcobaciensem. Eius transumptum, illustre monumentum antiquitatis, historiis suis à [a] Bernardo Brito primùm, mox ab [b] Antonio Brandaonio, regio vtroque historiographo, insertum, vt per omnes nationes diffundatur (nam vterque Lusitanis tantùm scribit) simul historiæ fusiùs aperiendæ, non pigebit ad literam transcribere. Barbatum sanè, & incomptum pro more sæculi, sed dictatum à Principe Christiano, & cui maior cura piè, quàm apti loqui.

a lib. 3 cap 1. b tom. 3. lib. 10 cap. 3.

2. *Ego Alfonsus Portugallia Rex, filius illustris Comitis Henrici, nepos magni Regis Alphonsi, coram vobis bonis viris Episcopo Bracharensi, Episcopo Colimbriensi, & Theotonio, reliquisque magnatibus, officialibus, vasallis regni mei, in hac cruce area, & in hoc libro sanctissimorum Euangeliorum iuro cum tactu manuum mearum, quod ego miser peccator vidi hisce oculis indignus verum Dominum nostrum Iesum Christum in cruce extensum, in hac forma. Ego eram cum mea hoste in terris vltra Tagum, in agro Auriquio, vt pugnarem cum Ismaele, & aliis quatuor Regibus Maurorum, habentibus secum infinita millia, & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata, & multum tristis, in tantum vt multi dicerent esse temeritatem inire bellum. Et ego tristis de eo, quod audiebam, cœpi mecum cogitare, quid agerem. Et habebam vnum librum in meo papilione, in quo erat scriptum testamentum antiquum, & testamentum Iesu Christi. Aperui illum, & legi victoriam Gedeonis, & dixi intra me: Tu scis Domine Iesu Christe, quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra tuos inimicos, & in manu tua est dare mihi, & meis fortitudinem, vt vincamus illos blasphemantes tuum nomen. Et sic dicens, dormiui supra librum, & videbam virum senem ad me venientem, dicentemque: Aldefonse confide, vinces enim, debellabisque Reges istos infideles, contereſque potentiam illorum, & Dominus noster ostendet se tibi.*

3. *Dum hæc video, accedit Ioannes Ferdinandus de Sousa vasallus de meo cubiculo, dixitque: Surge Domine mi. Adest homo senex, vultque te alloqui. Ingrediatur, dixi, si fidelis est. Ingressus ad me, cognoui esse illum, quem in somno videram, qui dixit mihi: Domine, bono animo esto. Vinces, & non vinceris. Dilectus es Domino, posuit enim super te, & super semen tuum post te oculos misericordiæ suæ, vsque in sextam decimam generationem, in qua attenuabitur proles: sed in ipsa attenuata ipse respiciet, & videbit. Ipse me iubet indicare tibi, quod dum audieris sequenti nocte tintinnabulum eremitorij mei, in quo viri sexaginta sex annis inter infideles, seruatus fauore Altissimi, egrediaris extra castra solus sine arbitris, ostendere tibi pietatem suam multam. Parui, & reuerenter in terra positus & nuncium, & mittentē veneratus sum, & dum in oratione positus sonitum expectarem, secūda noctis vigilia tintinnabulum audiui.*

4. *Et ense, & scuto armatus egressus sum extra castra, vidique subitò à parte dextra, Orientem versùs micantem radium: paulatim splendor crescebat in maius, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipso radio clariùs sole signum crucis adspicio, & Iesum Christum in eo crucifixum, & ex vna & altera parte multitudinem iuuenum candidissimorum, quos sanctos Angelos fuisse credo. Quam visionem dum video, deposito ense, & scuto, relictisque vestibus, & calceamentis, pronus in terram me proiicio, lachrymisque abundè missis, cœpi prorogare pro confortatione vasallorum meorum. Dixique nihil turbatus: Quid tu ad me, Domine? Credenti enim fidem vis augere: melius est, vt te videant infideles, & credant, quàm ego, qui à fonte baptismatis te verum Deum filium Virginis, & Patris æterni, agnoui, & agnosco. Erat autem crux miræ magnitudinis, & eleuata à terra, quasi decem cubitos. Dominus suaue vocis sono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi: Non vt tuam fidem augerem, hoc modo apparui tibi, sed vt corroborem cor tuum in hoc conflictu, & initia regni tui supra firmam petram stabiliam. Confide Alfonse: non solum enim hoc certamen vinces, sed omnes alios, in quibus contra inimicos crucis pugnaueris. Gentem tuam inuenies alacrem ad bellum, & fortem, petentem, vt sub Regis nomine in hac pugna ingrediaris. Nec dubites: sed quidquid petierit, liberè concede. Ego enim ædificator, & dissipator imperiorum, & regnorum sum, volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire, vt deferatur nomen meum in exteras gentes. Et vt agnoscant successores tui datorem regni, insigne tuum, ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo ego à Iudæis emptus sum, compones, & erit mihi regnum sanctificatum fide purum, & pietate dilectum.*

Ego vt hæc audiui, humi prostratus, adoraui, dicens: 5.
Quibus meritis, Domine, tantam mihi annuncias pietatem? Quicquid iubes, faciam, & tu in mea prole, quam promittis, oculos benignos pone, gentemque Portugallensem saluam custodi, & si contra eos aliquod parauerit malum, verte illud potius in me, & in successores meos, & populum, quem tanquam vnicum filium diligo, absolue. Annuens Dominus, inquit, non recedet ab eis, neque à te vnquam misericordia mea, per illos enim paraui mihi messem multam, & elegi eos in messores meos in terris longinquis. Hæc dicens, disparuit: & ego fiducia plenus, & dulcedine, redij in castra, & quòd taliter fuerit, iuro ego Aldefonsus Rex per sanctissima Iesu Christi Euangelia hisce manibus tacta, & idcirco præcipio successoribus meis in perpetuum futuris, vt scuta quinque in cruce partita, propter crucem, & quinque vulnera Christi in insigne ferant, & in vnoquoque triginta argenteos, & super serpentem Moysis, ob Christi figuram, & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra, & si quis aliud attentauerit, à Domino sit maledictus, & cum Iuda traditore in inferno maceratus. Facta charta Colimbriæ, tertio Kal. Nouembris, anno M. CLII.

Ego Aldefonsus Rex Portugalliæ.
Ioannes Colimbricensis Episcopus.
Ioannes Bracharensis Metropolitanus.
Theotonius Prior.
Ferdinandus Petri Curiæ dapifer.
Petrus Pelaz Curiæ signifer.
Velascus Sanctij.
Alfonsus Menen. præfectus Vlisip.
Gundisaluus de Sousa procurator Imin.
Pelagius Menen. procurator Visen.
Suer. Martin. procurator Colim.
Menendus Petri pro Magistro Alberto Regis Cancellario.

6. Hactenus iuramentum Regis Alfonsi post tertium decimum annum ab eo factum, notatumque contra morem ex anno Christi, & fermè post quingentos in lucem editum. In quo vt non negem quædam reperiri, quæ fidem instrumenti nonnihil eleuant, atque ipsam futurorum prædictionem, tunc primum notam, cùm omnia iam transierant, in suspicionem posse reuocari: sed neque ausim contra ire viris grauissimis, qui originali attentè considerato, vetusta charta, & literis corrosis, ac sigillis ex serico pendentibus, aliis antiquis, chartisque collatis (inter quos etiam non solùm maiestate, sed iudicio, & prudentia, vnus pro mille, Philippus secundus numeratur à Brandaonio) computandum censuerunt inter authentica. Adde idem Regis iuramentum, testimonium memoratum nec semel ab antiquis, longè anteaquam in Alcobatia reperiretur. Quod in Duartio

Galbano, qui sub Emmanuele Rege scripsit, compertum est, in aliis MSS. Brito aduertit.

7. Vtcumque fuerit, conuenit inter omnes, Alfonsum acclamatum Regem in eo prælio, extunc sibi vsurpasse regni insignia, petita etiam ab Innocentio secundo confirmatione, cui Imperator Alfonsus obuiauerit, quasi inde minuendo eius imperio, si Rex, adeóque exemptus confirmaretur. Nam Lusitania in dotem Tatasiæ cesserat, titulo comitatus, sic ab Henrico Patre possessa olim, sic ab ipso Alfonso: at si ex Comite in Regem pertransiret, nullius vltrà imperium suscepturam. Nihil æquè rebus publicis nocere, quàm plures Reges, dum nulli subsunt, quotidie dissensuros, nec nisi ab vno regantur, coërcendos. Id suprà modum Hispaniæ conuenire pellendis Mauris, ne si fideles mutuis armis cadant, neutri sibi, sed vtrique paganis vincant. Se Lusitaniam concessam semel filiæ, nepoti etiam libenter conseruaturum, sed concessam tamen, non vsurpatã, & nepoti subiecto, non rebelli.

8. E cõtra Lusitanus Princeps angustias terræ, cùm primum Henrico data, dignam Comitis titulo ditionem: nunc iam illius, & suis armis extensam, debellatis prouinciis, quæ regno, neque exiguo correspondeant. Ius aliquod in illam auo: sed in has nullum. Quo enim titulo terrã sibi vendicet, quam propriu sanguine vterque coëmisset? An ipse tantùm præliis deputatus, vt vincat, quibus auus dominetur? Se Reges deuicisse, fugasseque, in quotũ locũ succendere, quis vetet? An euanuissent regna, quia sub ipso, quæ eo honore gauderẽt sub infidelibus? Per Deum Reges regnare, non per homines, à quo dudũ accepisset, quod negabant. Nec timendũ de bellis à se mouẽdis, præcipuè in auũ, quem summè venerabatur. Quin iũctis viribus, opprimerent paganos, quos vel seiuncti vterque debellasset.

1. Legatus missus componendis auo, & nepoti. 2. Noui Regis ad Bernardum Patrem litera, 3. aliaque ad Innocentium Summum Pontificem. 4. Gerardum non potuisse Romam mitti. 5. Innocentij rescriptum ad Alfonsum. 6. Varia opiniones de regno Lusitania. 7. quod Baronius recentius putat. 8. Rescriptum sancti Bernardi ad Ildefonsum.

CAPVT IV.

1. HIs, & similibus pro se, & pro suis agens apud Legatum (nam Legatum Innocentius Papa miserat, inter nepotem, & auum iudicaturum) quo regnum sibi à Christo dudum collatum, ab ipsius Vicario confirmaret, feudatarium constituit Petro Apostolo, & duas auri marcas, vectigal offert, Summis Præsulibus soluendum per annos singulos, tum Innocentio sibi propitiando, Bernardum Patrem compellat intercessorem; & misso Petro Alfonso fratre, cuius suprà meminimus, & cum eo Rolando Taroucæ Monacho, qui venerat fundatum ex Claravalle, Bernardum primò mandat adeundum, mox ab eodem literis obtentis, Innocentium fidentiùs exorandum. Itaque vtroque itineri accincto, has ad Doctorem sanctum literas scripsit.

2. [a] *Alfonsus Dei gratia Rex Portugallorum, Bernardo Abbati Claræuallensi, bonum animum, bonam voluntatem, & memoriam iuncta necessitudinis. Notum est, quod mihi contigit parum tempus est in meas terras, contra Mauros inimicos meos, qui venerunt contra me, in tota sua virtute. Et ego totos vici per voluntatem Dei, & de bono iudicio vasallorum meorum nomen Regis accepi, quia Deus sic voluit. Querimoniam multam de hoc iam misit Rex Castella ad dominum Papam, & ille per Legatum suum voluit me proiicere de nomine Regis, vel ad minus facere, quòd dem pretium Regi Castella. Hoc nolunt mei vasalli, qui sua fortitudine meam terram liberauerunt de domino alieno. Et quia melius erat dare tributum Deo, quàm hominibus, in manus Legati promissi quatuor vncias auri, singulis annis beato Petro Apostolo, tanquam eius miles. Rex Castella contradicit hoc, & Dominus Papa est in dubio. Peto, vt faciatis ista omnia, quòd veniant ad finem bonum; & ipse nos confirmet Regium nomen, & suscipiat me in militem diui Petri. Reliqua dicet vobis frater meus Petrus, quem mitto ad hoc.* Hactenus ad Bernardum Alfonsus Rex, impolito stylo, etiam vltra consuetum, vt non immeritò suspecta videatur affectata barbaries, à qua propterea Brandaonius abstinuerit. Nobis damnare, aut omittere indecorum, non aduertere inconsultum iudicaretur. Non ita incompta epistola ad Pontificem, nisi quòd nomen illius suo postponit, quod satis mirum, quippe aut barbarum nimis, aut irreuerens.

a apud Brito l.b.3.c 4.

3. [b] *Alfonsus Dei gratia Rex Portugallie, sanctissimo, & beatissimo Domino Domino Innocentio Papa oscula pedum. Claues regni cælestis beato Petro, à Domino nostro Iesu Christo concessas esse cognoscens, ipsum in patronum, & Aduocatũ apud Deum habere disposui, vt in vita præsenti opem illius, & consiliũ in meis opportunitatibus sentiam, & præmia felicitatis æterna valeam peruenire. Quocirca ego Alfonsus Rex Portugallie, per manus domini G. Cardinalis Apostolica sedis Legati Domini nostri Innocentij Papa, terram meam beato Petro, & sancta Romana Ecclesia offero sub annuo censu, videlicet quatuor vnciarum auri, ea conditione, atque tenore, vt omnes qui terrã meam post decessum meũ tenuerint, prædictum censum beato Petro persoluant, vt ego tanquam proprius miles beati Petri, & Romani Pontificis, tam in me ipso, quàm in mea terra, & in his, qua ad dignitatem, & honorem terra mea pertinent, defensionem, & solatium sedis Apostolica habeam. Vt nulli in posterum alicuius Ecclesiastici, vel sacularis dominij, nisi tantum sedis Apostolica, vel à latere eiusdem missi, vnquam in terra mea recipiam. Facta huius donationis firmitudine Idibus Decembris. Æra M. CLXXX.*

b vbi suprà.

Ego suprà dictus Alfonsus Reg Portugallie. qui hanc chartam fieri iussi, libenti animo coram idoneis testibus propria manu confirmo.

Ego Ioannes Bracharensis Archiepiscopus confirmo.

Ego B. Conimbricensis Episcopus confirmo.

Ego Dominicus Portugallensis Episcopus confirmo.

Hactenus vtraque epistola Alfonsi, huc ex Brito transcripta integra fide. Addit & aliam Abbatis Aldeberti ad Bernardum scriptam super hoc ipso.

4. Verùm quod subdit, eumdem sanctum Patrem, acceptis litteris, detinuisse in Galliis Petrum Alfonsum, Gerardo fratre misso cum Rolando, qui Innocentium adirent, & super regni confirmatione deprecarentur, dum constat obiisse Gerardum ante triennium, id quod non potest in dubium reuocari, quippe à Bernardo expressum, dum eum plãgeret, magis adhuc suspecta reliqua reddit. Nisi fortè Gerardus alius missus, religione, non carne Bernardi frater, Vtcumque fuerit, qui Romam

pertexe

petrexerunt, impetrasse dicuntur, tali à Pontifice diplomate accepto, quod Brandaonius [e] alia prætermittens, ex Brito etiam transcripsit in hunc tenorem.

e tom. 5. lib. 10. cap. 10.

5. *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, Illustrissimo Regis Portugalliæ, eiusque heredibus, & successoribus, in perpetuum salutem, & Apostolicam benedictionem. Proinde nos attendentes personam tuam, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & Regem Portugalliæ integritate honoris, regnique dignitate, quæ ad Reges pertinet, & alia loca excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apostolica confirmamus, quæ ipsa præfatis heredibus tuis duximus concedenda, eosque sub his, quæ concessa sunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis Apostolatus officio defendimus. Ad indicium autem, quod prædictum regnum nostri iuris existat, duas auri marchas, singulis annis nobis, nostrisque successoribus statuisti persoluendas. Qui vtique census Bracharenses Archiepiscopi, qui pro tempore fuerint, Romano Pontifici annuatim transmittant.* Hactenus priuilegium: si fortè fictum, cautè sine Data, ne ex tempore, aut loco cognosceretur. Sed quòd in illo verba minus constent, incautè factum, quippe non Regem inter hostes armatum, sed Pontificem doctum deberet reddere.

6. Cæterùm quod ad initia regni attinet, Ioannes Mariana, antiquitatum Hispaniæ indagator non contemnendus, titulum regium Alfonso Lusitano ratum magis, quàm datum tradit post annos aliquot, quod non parum insinuat præcessisse, dubium an vsurpatum, an obtentum. Eius, quia vel sic debitus Cistercio, imò & Bernardo, cuius filius Eugenius, qui ratum habuit, verba subiungo. [d] *In Lusitania* (ait) *Eugenius Pontifex Alfonso Lusitano hoc tempore (scilicet circa annum Christi M. CLII.) Regium nomen, & auctoritatem rata habuit, & eius exemplo post aliquot annos, Alexander eo nomine tertius diplomate, quod ab Alberto Cardinali, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellario est promulgatum. Ab vtroque Pontifice annuum vectigal imperatum, ab Eugenio quidem quatuor auripendo, ab Alexandro libra cum triente. quod tributum an primis temporibus Lusitania soluerit, in incerto est. Nostra, & maiorum ætate immunis prorsus est habita.* Ita Mariana, dum ratum titulū ab Eugenio docet, non parum fauens præuiæ concessioni, quæ tamen potuit per Lucium secundum fieri, cui dicitur vectigal primò oblatum. Certè solutum per Reges Lusitanos, quod Mariana dubitat, [e] Brandaonius probat, producta charta, in qua sex & quinquaginta marchæ auri solutæ, viginti & octo annis correspondent, idque anno Christi M. CCXIII. instrumento authentico inter regia diplomata seruato in turri, quam *do Tombo* incolæ dicunt.

d lib. 10 cap. vlt. in fine.

e lib. 10. c. 11.

[f] Baronius recentiorem adhuc titulum putat (nam neque id tacebimus) quippe concessum ab Alexandro tertio, anno M. CLXXIX. producta etiam Innocentij tertij bulla, qua id satis expressè testificatur. Nobis hæc indicasse satis sit, queis Lusitani, si volent, satisfaciant. Bernardo nulla minor gloria est, quòd Lusitania sub hoc, aut illo titulo cesserit vectigalis Claræualli, dum constet censum mansisse post coronam: maior, si prius illi, quàm Ecclesiæ, nec ante Petro, & eius successoribus designatum vectigal, quàm Bernardo solutum comprobetur, quod anno sequenti factum iam ostendo, si tamen priùs historiam, vt cœpi, prosequar. 7.

f tom. 12. ad ann. 1179.

Regio titulo obtento ab Innocentio, reuersi Monachi, & voti compos Abbas venerabilis, has per Rolandum ad Regem literas dedit. 8.

[g] *Alfonso illustri Regi Portugallorum, Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, si quid potest peccatoris oratio. Litteras, & salutes celsitudinis vestræ suscepimus, gaudentes in eo, qui mandat salutes Iacob. Quid in hoc fecerimus, & exitus pro nobis, & vos per exitum comprobabitis. Animi promptitudinem ex iniuncta solicitudine, vel saltim ex memorata necessitudine colligetis. Petrum celsitudinis vestræ fratrem, & omni gloria dignum, à vobis iniuncta retulit, & Gallia armis peragrata, in Lotharingia militat, proximè militaturus Domino exercituum. Frater Rolandus filius noster Apostolica largitionis literas defert. Ipsum, & fratres nostros vobiscum degentes, & me ipsum commendatos habete.* Hæc sanctus Pater rescripsisse fertur Alfonso Principi, quæ nos eadem fide, qua alia tradimus. Extant [h] apud Brandaonium Lusitanum, amicum nobis auctorem, & cuius veritati constanter fidimus, noui regni comitia, legesque, ac noui item Regis coronatio, quæ quamuis ab eodem dubiè producta, concordare videntur, eoque dictis fidem conciliare.

g apud Brito lib. 3. c. 5.

h lib. 10. c. 14.

---

1. Regnum Lusitaniæ feudatarium Claræualli. 2. Litera Regis, & regni designantes vectigal. 3. Protectio Monachorum Claræuallensium: 4. & eorum preces pro regno Lusitano. 5. Perpensa pietas. 6. Instrumentum acceptis lationis feudi, 7. atque item aliud, & aliud satis constantia.

CAPVT V.

1. HActenus actum de regno Lusitano confirmato interuentu Cisterciensium. Siue enim Innocentio confirmauerit, intercessit Bernardus, siue Eugenius, Cisterciensis & ipse fuit. Nunc maius aliquid, Cistercioque gloriosius proferamus in medium, haud dubiis instrumentis comprobandum. Quòd pius Princeps seu beneficio gratus, seu deuotione feruidus, Claræualli vectigal constituerit, quasi suscepta in feudum Lusitania, per se, & per suos soluendum per annos singulos. Visitur adhuc in archiuiis Alcobaciensibus monumentum antiquum, Alfonsi Principis sigillo munitum, & curiæ procerum subscriptione firmatum, quod ita habet.

2. [a] *In Dei nomine, quoniam decet quidem vnumquemque fidelem de bonis sibi collatis à superno largitore, Dei ministros participes efficere, vt per eos cœlestium bonorum particeps efficiatur. Ideo ego Alfonsus, miseratione diuina Portugallensium Rex, nouiter Deo iubente creatus, quia me plus omnes debitorem sentio, cupio me, & omnia mea Altissimo offerre, vt tam ego, quàm successores mei in perpetuum regnaturi agnoscant habere regnum de manu Domini, qui præsemialiter tradidit eum mibi, vt corde firmo, & charitate perfecta fidem Christianam ab infidelium iniuriis defenderem, & sanctam Ecclesiam de regni redditibus ditarem, vt sic esset regnum sanctum, Deo charum, & in perpetuum stabilitum. Et quia iam me, & omnia beato Petro, & eius successoribus vectigalem constitui, cupiens & nunc beatam Dei Genitricem apud Deum aduocatam habere, de consensu vasallorum meorum, qui absque externo adiutorio me in regium solium constituerunt, meipsum, regnum meum, gentem meam, & successores meos sub beata Maria de Claraualle tutelam, protectionem, defensionem, & patrocinium constituo, & constituta fore decerno, ordinando, & mandando omnibus, & singulis successoribus meis in hereditatem huius regni legitimè intrantibus, vt singulis annis eidem sanctæ Ec-*

a apud Brandaonium lib. 10. cap. 12.

clesia sanctæ Mariæ de Claravalle, quæ est Cisterciensis Ordinis, posita in regno Franciæ in diœcesi Lingoniensi, tribuens in modum feudi, & vassalitij quinquaginta marabitinos auri probati, boni, & digni, quod recipiatur.

3. *Si verò contigerit per nostrum dominium aliquem eiusdem Monasterij, & Ordinis præfati intrare, vel transire, vel Monasterium inibi construxerit, personæ, & res talis Monasterij sub tutela, & patrocinio Regis erunt, taliter quòd à nullo possint molestari, inquietari, perturbari, vel a suis bonis defraudari, quod si contingat, in pristinam libertatem restituantur quacumque hora temporis, vel momenti, in quo maiori commoditate id fieri quiuerit: quapropter bona talium Monasteriorum, & personarum erunt tanquam bona regalia, & de illis erit Regi eadem cura, quam de suis debet habere. Si verò Rex aliquis, vel tyrannus (quem de lumbis nostris futurum non credimus) præfatas personas molestauerit, seu illarum bona surripuerit, non meam, aut earum, sed Virginis hereditatem vsurpare se credat, & tanquam domino suo infidelis, sub cuius tutela regnum constituimus, eodem priuetur, & semen eius non elucescat super terram.*

4. *Fratribus verò in dicto Monasterio de Claravalle, & in aliis sui Ordinis Domino famulantibus, cura erit statum regni nostri Deo deuotè commendare, & animam meam, & parentum meorum Missis, & vigiliis adiuuare, & de feudo, seu vassalitio altare beatæ Mariæ reparabunt. Abbas verò dominus Bernardus, & eius successores in perpetuum huiusmodi feudum annuatim habebunt in die Annunciationis beatæ Mariæ Virginis. Et ideo Virgo Mater Domini mei Iesu Christi, in cuius laudem hic Ordo constitutus micat, ego humilis seruus tuus Aldefonsus Rex Portugalliæ peto quatenus regnum meum defendas à Mauris inimicis crucis filij tui, & coronam hanc ab omni externo dominio liberam conserues, & de prole mea fideles seruos, & feudi largitores in regni sede corrobores. Si quis verò contra hoc vassalitium, & feudi testimonium aliquid attentauerit, si vassallus fuerit, a regno nostro expellatur, si verò (quod Dominus non consentiat) Rex fuerit, sit a nobis maledictus, & in stirpe nostra non numeretur, & à Domino Deo, qui nobis regnum dedit, omni dignitate spoliatus, & à suis inimicis victus, & cum Iuda traditore in inferno sepultus. Facta charta in Ecclesia Lamecensi, quarto Kalendas Maij. Æra M. CXLIII.*

Ego Aldefonsus Rex.
Egas Curia Præses confirmo.
Petrus Pelaidez Curiæ signifer confirmo.
Fuas Ropinius Colimbriæ præfectus confirmo.
Pelagius de Sausa confirmat.
Gundisaluus de Sausa pro test.
Vascus Sanctius pro test.
Alfonsus Egea pro teste.

Hactenus monumentum Alphonsi Regis, insigne Lusitaniæ pietatis, nec minus illustre stemma Cistercij gloriæ, si Annales consulas, fortè sine exemplo. Sic olim regna Cœnobiis vectigalia, hodie Cœnobia vectigalia regnis, aut minor pietas, aut maior indigentia, atque hæc fortè maior, quia illa minor. Hoc instrumentum sequenti anno expeditum, in hunc congessi, vt illustris historiæ fragmentum integrum darem, & prioribus dubiis certa annecterem, per quæ & priora redderentur minus suspecta. Consonant in aliis archiuiis Lusitaniæ acceptilationes, siue apochæ per centum annos, & vltrà continuatæ, soluti census illustria monumenta, quas in maiorem veritatis confirmationem operæpretium hîc censui transcribendas. Et primæ quidem, quæ Loruanij adhuc seruatur ab anno M. CCXXX. per Claræuallis Abbatem Radulfum datæ, hoc est exemplar. 5.

[b] *Nos frater Radulfus, dictus Abbas de Claravalle, notum facimus præsentes litteras visuris, quòd nos recepimus à procuratore domini Sanctij illustris Regis Portugallensis hoc anno salutis M. CCXXX. quinquaginta marabitinos auri optimi, boni, probati, & digni quod recipiatur, pro reparatione altaris sanctæ Mariæ Virginis, quos annuatim solent persoluere pro sua pietate Reges Portugallenses in vigilia Annunciationis B. Virginis Mariæ, & quia hoc anno illos recepi à procuratore suo, sicut & cæteris annis receperunt prædecessores mei, ideò do illi hanc chartam testimonij, actam anno salutis M.CCXXX. mense Martio.* Sic prima apocha, quæ non præsentis tantùm anni censum acceptum fert, sed præcedentium. Ibi, *sicut & cæteris annis receperunt prædecessores mei.* Extat & in eodem Cœnobio alia consimilis post viginti annos, data in ipso Monasterio Claræuallis, cuius hic tenor. 6.

[b] Brito lib. 5. c. 6.

[c] *Nos Prior Bernardus, & Conuentus Monasterij Claræuallis damus vobis procuratori domini Regis Portugalliæ, & Algarbij quitationem de quinquaginta marabitinis, quod annuatim solent nobis condonare pro sua pietate Regis Portugalliæ, quod nos recepimus hoc præsenti anno M. CCL. in absentia domini Abbatis, & in testimonio fidei præsentem chartam fecimus anno M. CCL. mense Septembrio.* Hactenus apocha. Cui similis Taroucæ alia seruatur, cuius transumptum [d] Brito etiam adducit. Sed de his satis: iam ad alios euentus procedamus. 7.

[c] ibidem.

[d] ibidem.

1. Beatus Stephanus hactenus eremita ebibit Monachatum à Dalonensibus. 2. Quis auctor vitæ eius, & quantæ fidei. 3. Genus, patria, & primordia viri sancti. 4. Adiunctus socius, & quæsita solitudo. 5. Inde discipulis aucto, 6. vita austerior, 7. incursus Dæmonum, 8. Et confluente multitudine mutandæ sedes, & quærendus locus capacior.

CAPVT VI.

1. SVb idem tempus Obacinæ Cœnobium iam tunc celebre, & monasterio Monialium vicino auctum, quibus nulli adhuc regulæ subiectis, solus Stephanus Abbas pro lege foret: Dalonenses accepit in Magistros, per quos sancti Benedicti instituta, & Monachatum hactenus ignotum, edoceretur. Eius initia, & sancti Abbatis vitam vsque ad hunc annum, quia nunc primum occurrunt, post quadriennium Cistercio tandem cessura, nobis ex more hîc veniunt referenda.

2. Auctor Anonymus eiusdem Sancti discipulus, iudicio acti, & affluentia orationis non contemnendus, sed præstantiori adhuc notitia rerum, quippe à puero educatus sub beato viro: nec nisi per bienniũ separatus, quo sub S. Rainardo Cistercij vixit. Cætera Stephano indiuiduus Comes hæsit, adeoque aut testis omnium ocularis, aut qui ab his, qui interfuerũt, hausit, quæcumque scribit. Quod ipse etiam testatur, dum ita ait. [a] *Nam cùm puer in quodam Monasterio Casa Dei traditus essem, post aliquos annos, quorundam factionibus, inde auulsus, & ad sæculum sum deuolutus. Cumque ibi multis calamitatibus detinerer,*

[a] lib. 1. c. 4.

detineret, à benignissimo Patre Stephano susceptus sum pro Dei amore, & parentum meorum gratia, quos vir sanctus charissimos habebat. Inde me ad Cistercium ire precepit, ubi sumpto habitu Monachi, post duos annos à predicto Abbate Stephano Obacinam sum reuocatus, atque ab ipso regulariter in Monachum benedictus. Et ex tunc vsque ad præsentem diem cum ipso, vel eius successoribus conuersatus, quicquid memoriâ dignum de eo vidi, vel ab his, qui viderunt, audiui, hîc inserere aliquantulum prolixius, propter deuotos, & simplices non neglexi, vt studiosus lector quod voluerit eligat, & quod noluerit non repellat, sed aliis legendum relinquat. Et alibi.

b in prol. l.1. b *Aggredimur itaque beati vitam describere, in qua descriptione nihil penitus nos scripturos promittimus, nisi quod vel ipsi vidimus, vel certa virorum fidelium, qui viderunt, narratione probauimus verum esse.* Et rursus.

c in prol. l.2. c *Sciat lector, me nihil hic posuisse, nisi quod ipse propriis oculis vidi, aut fidelibus, & veracibus viris, qui viderunt, referentibus, audiui.* Hæc auctor vitæ Sancti de seipso, cum iussu Gerardi Robertique, Stephani successorum, eiusdem actus, gestaque describeret. Vt non immeritò eum sequuti ducem, quæ diximus, hausisse comprobemur ex ipso fonte.

3. Igitur Stephanus honestis magis, quàm nobilibus parentibus, Stephano Patre & Gauberta matre dictis, in territorio Lemouicensi natus, ab ipso vtero mancipatur diuino cultui, quippe matri prægnanti visus est nunc sub agniculi, nunc sub specie catuli, cui ingens grex ouium custodiendus committeretur. Adultus liberalibus studiis, mox regimini domus admouetur, parentum quieti: parens ipse orphanorum, pauperumque, nec minus his, quàm illis consulturus. Tum ad altiora tendens, & primum Diaconus, dein Sacerdos effectus, dignum se Deo ministrum exhibuerat, corpore castus, mente deuotus, victu, & vestitu austerus magis, quàm parcus, conuersatione exemplisque

d lib. 1. cap. 1. proficuus, cæteris mitis, sibi adeò durus, d *vt media hyeme,* (actorum verba sumo) *quando gelu, & frigore cuncta constringebantur, securi glaciem effringeret: ibique vsque ad ceruicem demersus tandiu permaneret, donec ad interiora etiam ipsius vis algoris penetraret.* Atque hæc quidem perdomandæ sensualitati. Nam de reliquis pœnitentis vitæ & sanctæ conuersationis insignibus, pergunt eadem acta ita scri-

e ibidem. bere. e *Erat in ieiuniis præcipuus, in vigiliis assiduus, in orationibus promptus, quas non composito verbo, sed lachrymarum profluuio diuinis auribus offerebat. Sermo eius sale conditus, diuini amoris incendium auditoribus, & sapientiæ condimentum infundens, tantaque docendi gratia ei a Domino data fuerat, vt audiendi verbum de ore eius nulla vnquam satietas sequeretur. Quòd si illo absente, quis alius loqueretur, velut rusticanus à populo spernebatur.* Hactenus acta de vita Sancti in sæculo.

4. Verùm cùm hæc inferiora viderentur aspiranti ad summa, nec satis sæculum in sæculo deserere, quandiu non se à sæculo alienaret: consilio prius prudenter communicato, atque socio propositi assumpto, venerandæ simplicitatis consacerdote (Petro viro nomen) sub initium intrantis Quadragesimæ, relictis omnibus, etiam calceamentis, per quæ voluntas, & affectus significantur, in eremum tandem secedunt. Vbi quæsitus, & tandem inuentus locus per syluas opacos, sed præ veprium densitate prorsus imperuius, prominentibus scopulis desensus, nec inaquosus, præterlabente fluuio, qui animantibus potum, herbis & plantis alimenta ministraret, egressis de Lomouico ante cineres, feria sexta in Parasceue terminus fuit. Nec

f cap. 4. tamen continuò fixæ sedes. f *Erat haud procul modica planicies, inter conualles depressa dumorum, ac veprium vastitate condensa, paruo riuulo per medium decurrente. In quam post multos anfractus, & deuexos circuitus, per concaua vallium, & montium abrupta ingressi, ipso & sequenti die absque cibo ibi manserunt. Tertio autem die, qua est Dominica Resurrectionis, ad vicinam Ecclesiam perrexerunt, & acceptis mutuo calceamentis, vnus eorum Missam cantauit, & socium communicauit. Quo facto, redditis calceamentis, cùm nullus eos ad prandium inuitaret, non absque mæstitia ad meatum redibant. Sed cum montis iuga paulatim conscenderent, & in summitate eius lassitudine, inediaque confecti, paululum requiescerent: matrona quadam ex vicinio loco, qui Pauliacus dicitur, ad eos accessit, deferens vix dimidiam tortam panis, & vas lactis, quæ ipsi cum tanto gaudio susceperunt, vt testaretur postmodum vir sanctus, nihil se in vita sua quantum ad cibum delectabilius percepisse. Ad meatum ergo reuersi, & cibo illo refecti cùm à nullo adhuc, vel qui essent, vel vbi essent, agnoscerentur, multos ibi dies absque humano cibo fecerunt, exceptis herbarum radicibus, vel arborum fructibus, quales in eremo poterant reperiri.* Hactenus acta. Quibus planè videas initia Stephani, & sancti illius socij, nihilminus à magnis illis viris Antonio, & Paulo, primis eremi, & syluarum habitatoribus. Quin & vt sancto Patri Benedicto, cui tandem parabantur, per Presbyterum olim, sic per matronam illis subuenisse, Dominicæ Resurrectionis mysteria lautiùs vltra consuetum celebraturis.

Inter hæc aberrante primum homine, mox à vicinis pastoribus deprehensi, pane & lacte cibantur ad breue tempus. 5. Sed his subsidiis etiam deficientibus, seu tepescente, vt solet, deuotione, siue quia illusi à pseudo anachoreta, pastores sibi ab eis etiam timerent: iterum ad radices herbarum ventum, rursus ad gelidam, fragmine testæ haustam, & pro molli cubili, nuda humus, arcendo, quàm conciliando somno commodior, superiniecto lapide strata, singulæ vestes, quoties abluerentur, vix dum expressa aqua, resumendæ, demum, ex vepribus constructum tuguriolum, prius dolorem, quam subsidia vitæ ministrabant. Tum tertio socio (Sacerdote item) adiuncto, vita communis, & impetrata ab Episcopo licentia, discipulorum numerus adauctus, tugurium velut in Cœnobium commutauit, nouis sedibus paululum disiunctis, vt maius spatium responderet maiori tecto. Verùm quam vitæ normam, quam disciplinæ rigorem instituerint, non vllis aliis, quàm ipsorum actorum verbis exactiùs referam.

g *Ad vesperam* (aiunt) *modico cibo refecti, incum-* 6.
bente iam nocte paululum quiescebant, vsque quò surge- g lib.1. c.7.
rent ad Matutinorum officia persoluenda. Quibus vigilias beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum adiungentes, nec non etiam officium defunctorum, cum familiaribus Psalmis, non minimum noctis spatium consumebant: sed & illius, quod post vigilias interuallum restabat, non quieti, aut somno deputabatur, sed peculiaribus orationibus, aut operibus manuum inseruiebat. Nam quæcumque domi necessaria erant, & sedendo cum lumine fieri poterant, in nocte fiebant, maioribus laboribus in diem reseruatis. Post primam, dictis septem Psalmis cum litania, statim sequebatur Missa, qua cantata, mox egrediebantur ad manuum opera, viro Dei nonnunquam in Monasterio remanente. Hæc norma vitæ ab Stephano indictæ discipulis. Ast ipse domi, dum fratres laborabant, h *coquinæ officium nō segniter peragens, quæ* h cap. 5.
ad refectionem necessaria videbantur, diligentius procurabat. Ipse pulmenta colligebat, & præparabat, ipse ligna deferebat, & incidebat, & aquam propriis humeris

deportabat. Hæc imitator Christi beatus Stephanus, non veniens ministrari, sed ministrare.

7. Videbat antiquus hostis, & inuidebat, atque in hominem Dei conuersus crudeli rabie, præscius, an timidus imminentium sibi malorum, velut alteri Antonio nunc illudebat, nunc comminabatur. Nam audi, quod sequitur. [l] *Cùm in eremo primùm habitare cœpisset (scilicet beatus Stephanus) tanta eum instantia Diabolus persequebatur, vt non per noctem quiescere permitteret, non verberibus parceret: vnde eius clamoribus excitati fratres, è stratis exiliebant, & orationibus, & vigiliis totam noctem insomnem cum eo ducebant. Cumque iterum maligni spiritus impetum adesse sentiret, arreptis spiritalibus armis, oculis, ac manibus in cælum porrectis, impugnantes se fortiter impugnabat, cum fiducia clamans, & dicens cum Propheta:* [k] *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi,* &c. *Metuebat quippe Diabolus, quod euenit, ne eius exemplo, deserta Monachorum choris stiparentur, & ipse amissis tot, quos sperabat, velut in solitus line remaneret.* Hactenus acta.

l lib. 1. c. 13.

k Psalm. 34.

Interea tamen crescebat filiorum numerus, atque ipsa norma vitæ, quod in his frequens, audientibus horrida, videntibus mirabilis, tolerantibus, cooperante gratia Christi, suauis etiam, & grata videbatur, adeò vt in breui non caperet locus habitatores, comperto intra vires hominum esse, quòd tot homines tolerando peruicissent. Tunc verò sanctis viris mutandæ sedes, & locus spatiosior adeundus. Nam prioris electi, talis mensura, vt neque tecta superessent habitatoribus, nec tectis terra, aut spatium ædificandi. Hic primus Stephano paupertatis gradus fuerat, & contemptus terrenarum possessionum, vt præscriberet terminum cupidini, & non solùm superfluum nihil haberet, sed neque posset. 8.

1. Stephanum ad Paganos ire cupientem 2. dissuadet Petrus. 3. Nouum opus surgit. 4. Magister operis à Diabolo percussus, sanitati per Sanctum restituitur. 5. Inge miraculum. 6. Sancta contentio inter Petrum, & Stephanum, 7. per Gaufridum Carnocensem tandem direpta. 8. Dalone à sancto viro frequentata, 9. de cuius instituto suscipiendo, consultum pergens, per miraculum exoneratur lorica ferrea.

CAPVT VII.

1. VRgebat itaque venientium multitudo, & capaciorem exposcebat habitationem. Cùm Pater Stephanus, seu noui operis tædio, seu superata vita solitaria, communique, maiora adhuc suspirans, ad martyrij coronam anhelabat. Se iam ibidem discipulos fecisse, in quos posset transferre magisterium, nec cessaturum seminarium perfectionis, quod, Deo auspice, iam altiùs radicasset. Multos in Gallia Monachos existere, qui fidem prædicent inter infideles vix inueniri vnum, alterumvè, & multæ messi operarios paucos, aut nullos, vnde tot pereant animæ, quibus per Euangelium consuleretur. Non eo fructu euacuandum sanguinem Christi, non eo gaudio Angelos priuandos, quos si peccator pœnitens exhilarat, quantò magis infidelis conuersus lætificabit? Lubrica omnia, dum sumus in hac vita: id opus, si quod aliud, fermè securum, si præualeat, lucraturo multorum animas, si non audiatur, martyrio coronandus, eoque propriæ æternum prouisuro.

2. Hæc, & similia Petro frequenter suggerens, eius tantùm consensum præstolabatur. Sed venerabilis Sacerdos multa opponens, permanendum in propria vocatione, nec ab incepto opere cessandum, quibus poterat neruis disceptabat. Nam quis oues relinquat, vt lupos quærat? Quis proprios filios orphanos patiatur, vt alienis prouideat? aut certæ, & optimæ messi, quam ipse seuit, anteponat incertam plantationem? Breuius fortè compendium, si illuc pergat: at hoc securiùs, & dum variantur viæ, transiri deuia, in quibus nihil facilius, quam aberrare. Non se de Turcis rationem redditurum, non de paganis, sed de paruo illo grege, cuius si detrimentum pateretur, nulla extraneorum lucra prouentui fore. Tenellam adhuc eam congregationem, & facilè adulturam sub eius manu, si aliam sentiat faciliùs euellendam. Fortè eam suggestionem communis hostis, non paganorum quærentis conuersionem, non Stephani coronam partam martyrio: sed obuiantis profectui nouæ familiæ, cùm id peregerit, & illa impedituri.

3. Ergo qui Petrum trahere cogitauerat, retractus ipse, & desistens à proposito, mutare locum, dilatare sedes, Oratorium capacius priori struere, & in planicie montis editiori continuas cellulas, atque officinas communes maturabat. Inuidit operi diutiùs permansuro communis hostis, qui priora despexerat, & quæ olim in Sanctum machinatus, iam tunc in fabricam, & artifices eius, sed non fructuosiori conatu, machinabatur. Audi insolentem dæmonum audaciam, Sancti virtutem, potentiamque admirandam: illam ad percutiendum, hanc ad sanandum. [a] *Quadam die artificem quemdam lignarium mercede conductum, qui tectum Oratorij ligneum tabulis intrinsecus vestiebat, in similitudine nigrorum hominum est aggressus. Idem tunc vir vespertina hora ferramenta sua recolligens, à tecto descendere, & domum redire volebat. Quem vnus ex eis, qui cæteris eminentior, & truculentior apparebat, ita affatur. Quis tu, inquit, es? & quid hoc agis in loco? Respondente illo, Religiosorum ibidem manentium iussu prædictum opus se exercere. Diabolus rursus. Non vt tu asseris, ita est, sed sunt irreligiosi, ac peruersi simulatores, & callidi, qui idcirco huc venerunt, vt hominum captantes laudem multis possessionibus, ac diuitiis accumulentur. Quin potiùs acquiesce consiliis nostris, & cuncta, quæ hic constructa sunt, igne succende: ne vltra humanam quærentes laudem, simplices decipiant. Ad hæc vir ille respondit: Nunc cognoui vos malignos, & omni malitia plenos, & filios Diaboli, qui vias Sanctorum rectas tanta malignitate subuertere nitimini. Propter quod non acquiescam diabolico consilio vestro, sed Sanctorum iussis obsequentius, quam cœpi, parebo, & in eorum seruitio deuotior permanebo.* a cap. 12.

4. *Tunc maligni spiritus rapido furore succensi de scala illum præcipitant, ac tantis verberibus affecerunt, vt totus liuidus, turgens iaceret, capite grauiter colliso. Demum paululum recuperato flatu surrexit, & incumbente iam nocte ad hospitium cum multo labore peruenit, clamans, & dicens: Heu me! heu me miserum, & infelicem! Cuius vocibus permoti fratres, citiùs cum viro Dei accurrunt, & inuenientes hominem sanie, & tumore deformem,*

deformem, & quasi amentem præ pauore nimio effectum, in stratum illum reponunt, ibique aqua benedicta aspersum, & Dominica cruce signatum Deo commendant. Tum verò imposita manu viri Dei, breui integram membrorum omnium adeptus est sospitatem. Hactenus ibi. Quibus planè videas per Stephanum elusas versutias Dæmonum, qui victi ab ipso, confusique discedant, dum timent vinci.

5. Ædificia crescebant per manus fratrum, quorum labori diuinus fauor aderat, comprobatus iugi miraculo, quod non pigebit ad literam transcribere.

b lib. 1. c. 15. b *Sed & habitacula ipsi sibimet construebant, lapides ex monte præcisos malleis confringentes, & ad ædificij locum propriis humeris deportantes. Eratque mirum videre lapides prægrandes, qui à multis hominibus portari nequibant, à quatuor tantùm fratribus portari, eisque adeò leues apparere, vt nullum onus ferre se existimarent.* Sic deponentibus propriam grauitatem ipsis lapidibus, surgebant parietes, & velut ex se ipsis attollebantur. Monasterio ex loco nomen inditum, nempe Obacina: quod ad doctrinam modicè torquentes, flectentesvè, obedientiæ officinam declararunt.

6. Tum inter Stephanum & Petrum orta dissensio charitatem adauxit contra consuetum, quippe neutro ambiente sibi imperium, sed vtroque pro altero conante, vt nouo Monasterio præficeretur, & Stephanus hactenus grauatus aliorum cura, iam tandem sibi quietem postulabat. Indignum religioso viro non obedire, maximè in eo loco, qui ab ipsa obedientia nuncuparetur, & se hoc merito, cùm cæteris careret, sine causa fraudari, quo solo compensaret defectus cæteros. Petrum prudentia, & moribus præstantem, ac sacris literis etiam instructiorem, præfuturum vtilius, & promoturum Monasterium vtrisque bonis. Partiantur onera, partiantur item merita, & quod alter incepit, alter adaugeat, se iam dimidium facti peregisse, dimidium reliquum à Petro perficiendum. Petrus è contra indignum prorsus esse discipulum Magistro superponi, nec præficiendum cæteris in ducem, qui indigeret ducatum ab alio quærere. Se doctum hactenus obedire, non imperare, inuerso ordine obedientiam abiecturum, vt imperium assumat, cui impar, quia ignarus, nedum quia minus capax, inueniatur. Non tanti esse, quòd Stephanus obediat, vt ideò alij fraudentur eius regimine. Quid quòd imperia auctoritate egent, quæ non aliter melius habetur, quàm imperando. Facile cunctos obedire, cui obedierint, quem habuerint socium spreturos. Nec id credendum de Stephani discipulis, sed de se deteriora adhuc timenda.

7. Venerat illuc Præsul Carnotensis, magnus ille Gaufridus, Apostolicæ sedis tunc Legatus, cuius suprà meminimus, viros iam sanctitatis fama celebres, & nouam pariter domum visitaturus. Hic ex iniuncta sibi legatione, ceu arbiter constitutus inter vtrumque, dũ Petro fauet, Stephanũ condemnat, iniuncto illi munere Prioris, in quo cæteris aliis præsideret: approbãte sententiã cœlesti numine, quod non aliunde melius comprobatur, quàm ex prouentu. Creuit Obacina sanctitate, virisque, creuit continuis fidelium eleemosynis, per quas ne fratres in cupidinem diffluerent, aut pro delitiis oblatorum ciborum dissoluerentur, prouidè satis à viro Dei cautum, recentia fercula nunquam degustari, donec antiqua, nec vltra, aut supra mensuram, absumerentur. Sic & insipidis semper vescebantur, nec vlla erat de aliis acquirendis solicitudo, quippe quò pluribus, diutiùs detinendis, adeóque edentes grauiùs molestaturis.

Inter hæc Stephanus Dalonense Monasterium in eadem Lemouicensi diœcesi situm, cuius superiùs meminimus, & eius venerabiles fratres frequentabat deuotus: multa exempla virtutum illic relinquens, multa in vicem ad suos item reportans. Quibus, cùm sub nulla adhuc lege tenerentur, sed solius magistri præcepta, & exempla pro lege forent: quod frequens olim, vsuque receptum, tunc præualentibus Benedicti Patris institutionibus, desuetudine abolitum, nec nisi rarò, & à paucis vsurpabatur. Cùm, inquam, nulla lege tenerentur, quod idem auctor, qui suprà diserè tradit, c *Cumque nulla alicuius Ordinis lex posita haberetur, instituta Magistri pro lege erant*, atque anteactæ vitæ similitudine, ac perfectione florentis disciplinæ, Cisterciense institutum arrideret: non tamen suo, aut suorum iudicio fidit, nec Dalonenses, quasi in causa propria suspectos, adeũdos putauit, sed Carthusiẽses, & quidquid suaserint, proposuit exequendum. 8. c lib. 1. c. 16.

Tum itineri accinctus in media hyeme, atque indutus ad carnem ex more lorica ferrea, dum simul frigori, & ponderi succumbit, immensam Dei clementiam expertus est, qua nouæ vitæ consilium auspicaretur. Scissa ad medium lorica, repentè cecidit, & semel atque iterum ligatam, resumptamque, secundo & tertio ruptam, atque ad pedes cadentem Sanctus inuenit, innotescente diuina voluntate, quæ hominem expeditum volebat ad tantum opus. Quod miraculum narrans, eius discipulus præcedens aliud innuere videtur, dum ita ait. d *Ita hoc onere quanquam inuitus, diuino nutu releuatus est, nam antequam hanc loricam haberet, circulos ferreos ad carnem gestasse perhibetur, qui cum breui tempore etiam tertiò essent confracti, hanc sibi loricam aptauit, quæ præter pondus ita aspera erat, vt carnem non solùm premeret, sed plurimum laceraret.* Verùm de circulis incerta adhuc res est, an per miraculum fuerint confracti. Lorica, ex quo miraculosè ruptam inuenit, prorsus abstinuit, nec quid aliud (quod sciamus) substituit illius loco. 9. d lib. 1. c. 24.

1. Guido Carthusiæ consultus per Stephanum, 2. Cisterciense institutum illi proponit. 3. In noua Ecclesiæ structione ingens miraculum. 4. Additum & Cœnobium Sanctimonialium. 5. strictioris clausura, 6. quàm cæteræ, aliæ plus, aliæ minus imitarentur. 7. Cuiusdam nobilis eximia virtute prædsti 8. cum suis omnibus familia, bonisque admiranda conuersio. 9. Noua Abbatia, 10. instituenda per Dalonenses.

CAPVT VIII.

1. TAli fauore expeditior Pater Stephanus, Carthusiam peruenit, Guigonem virum sanctum vocari iubet, atque pedibus eius prouolutus, pandit propositum, nec prodit vocationem, quo liberiùs quæsitis responderet, se vitam hactenus regularem, sed sine regula, eremiticam egisse, sed in Cœnobio: tolerabile id forsan ad breue tempus, atque adhuc informi Monasterio, quo viris, ædificiis

ædificiisque iam dilatato, norma vitæ præfixa quærenda foret, & messem adhuc copiosam in agris esse, quæ in horrea tutò colligatur, certis præceptis si veniat custodienda. In domo Dei mansiones plures esse, plures familias, quas laudare, mirarique in promptu, conferre difficile: quamcumque solam amplectendam cuicumque bono, collatis omnibus, iudicium arduum fore, Cluniacenses antiquitate graues, probatosque, discretione præcipuos: sed quibus rigor vitæ paulum tepescat. Cistercienses insignes disciplina, atque austera obseruantia suarum legum, sed ipsa iam multitudine suspectos, & gliscente fauore vulgi, & Principum, implicari negotiis, quæ rata sine ipsis pertractentur. Carthusianos secessu ipso probandos, atque arctiori clausura supra rigorem, nisi quod tamen quod illi multitudine, hi raritate peccent, nec multorum saluti satis aptos, ad quam ipse agebatur internis stimulis. Præmonstratenses canonicam agere vitam perfectam satis, sed se, & suos in Monachos vocatos, non in Canonicos, facile sibi sequi quamcumque, sed aptiorem eligere, difficile, nisi ab ipso Guigone dirigatur, eius consilio per omnia obsequuturum. Hæc Pater Stephanus altiora instantiùs adpetens, sed quæ Guigonis ad ipsum responsio fuerit, quo maior fides dictis, actorum Sancti verbis prosequamur.

2. [a] *Cistercienses nuper exortos, regiam viam tenere, eorumque instituta ad omnem perfectionem largè sufficere. Nobis enim ait, & in personis numerus, & in possessionibus terminus est præfixus. Tu verò qui plures ad Dei seruitium congregasti, & adhuc plures suscipere decreuisti, Cœnobialem magis expetere debes professionem, quæ & multis patet æquè, ac paucis, neque enim numero, sed religione pensatur.* Hactenus Guigo Cisterciensem familiam ita præferens, vt nullam postponeret, de suo Carthusiano Ordine loquens, de aliis tacens. Vtrumque modestè, nec supereffluens, aut vagus vltra quæsitum. Vnde vir Dei [b] *responsum illius audiens, gratanter accepit, & consilium Prioris, vt cæleste oraculum accipiens, ad propria remeauit.*

[a] lib.3. c.14.

[b] ibidem.

3. Reuersus Obacinam, & iam consilij certus, se & domum suam Cistercio subiectum iri, non tam moratus, quam præparans donanda, Ecclesiam primùm in honorem Mariæ Virginis, ex more Cisterciensi, sed ad formam Carthusiæ, qua consilium à Guigone datum attestaretur, mox etiam Monasterium ampliauit. Nec defuere miracula incrementis, quæ olim initiis, quibus propositum viri confirmaretur. Vicinus potens amoliri opus conatus, suadente Diabolo, viro Dei persuadente mutatus, compunctusque, & veniam petiit, & impensas ministrauit. Quin & tabularia cum fratribus recentia, edito signo crucis, firmata in medio aere, Deo gloriam, fratribus lætitiam, Stephano famam, vicinis admirationem, ac cunctis reuerentiam incussere surgentis fabricæ. quæ omnia in actis latiùs recitata, vt omittere illicitum, sic ad verbum transferre, ad alia properanti, prolixiùs foret.

4. Interea Stephanus nihil omissurus, quo salus animarum, atque ipsum, quod præparabat, donum, promoueretur: nec satis viris consultum esse reputans, nisi fœminis etiam prouideret, Cœnobium virginum non longè à suo erexit, Obacinensium cura administrandum. Atque id quidem Cisterciensi instituto, quod suspirabat, contrarium nouerat, prohibita per Cistercienses leges fœminarum, quamtumuis Deo sacrarum, intra certum spatium, habitatione. Sed vir sanctus dum Dei causam ageret, cuncta de Deo sperans, hoc etiam prouidentiæ eius commisit, prouisis interim strictioris clausuræ legibus, per quas periculis posset obuiari. Verùm has leges frequentes hodie in vsu, tunc, vt credo, inauditas, & forrassis ab Stephano repertas, certè obseruatas, conuincendis nostri temporis hæreticis, qui recèns calumniantur inuentum, antiquo hoc quingentorum annorum testimonio, simul in gloriam, & laudem sancti viri, atque ipsius collegij, totidem verbis subscribam, quot habent acta.

[c] *Ædificauit Monasterium Sanctimonialium, non longè a Monasterio Obacinæ, in quo fœminarum collegium constituit adunari, quatenus in vtroque sexu Deo seruire, se omni tempore Obacinensis Ecclesia gratularetur. Hoc autem Monasterium ita constructum est, vt aditus eius nemini vnquam pateat, nisi cùm intromittitur aliqua tunc in Sanctimonialem recipienda, aut cùm foras emittitur post mortem, sepultura in Ecclesia commendanda. In rebus necessariis, à fratribus maioris Monasterij ita sufficienter eis in omnibus administratur, vt clausis illis, nec omnino volentibus exire, nulla sit necessitas aliquid postulare: ipsa verò necessaria ita prouidè, ac religiosè ministrant eis, vt neque ad ipsas procuratoribus pateat accessus. Extant in parte quadam fenestræ duæ ad confessiones recipiendas, siue etiam ad loquendum constitutæ, quæ artificiosè nimis, ferro hinc inde parietibus inclusæ, circumtexuntur vndique, ac muniuntur, immobiliter persistentes. Vbi cauta Magistri prouidentia, & famularum Christi maxima disciplina deprehenditur. Nam cùm ad eas accesseris loquuturus, audire quidem eas poteris, videre non poteris. Vt noueris eis concessum verbo prodesse, sed non visu nocere. Sed & ipsæ non minus cauent, ne homines adspiciant, quàm ne ab hominibus conspiciantur. A parte superiori ipsius Monasterij parua constructa est Ecclesia, obice fortis materia à tecto vsque ad fundamentum, ab eodem diuisa, ad quam fratres accedunt quotidie, diuina officia peracturi..... In hac Ecclesia sunt duæ fenestræ, ad Capitulum tenendum prouisæ, ad confessiones audiendas, & ad sorores communicandas, quæ ferro lapidibus firmiter inserto circumseptæ vndique, & munitæ, parietibus immobiliter coaquantur, in quarum vna angustus aditus est prouisus, per quem Sacerdos manum cum sacra Eucharistia possit efferre communicaturis.* Hactenus ibi. 5.

[c] lib.1. c.16.

Quibus elatè videas clausuræ hodie iniunctæ præscriptas leges, nec tantùm communis, sed strictioris. Conclusas fores, & nulli extraneo peruias, nec Monialibus viuis aggrediendas: aditus ad loquendum obseratos cancellis ferreis, hisque duplicibus, qui vtrumque muro hærerent. Diuisum ab Ecclesia chorum, interiecto pariete, per quem solùm pateret accessus sacris mysteriis, & morum informationi. Atque hæ quidem communis clausuræ notæ: nam & arctiores facile obserues, non cancellos, sed crates (*rallos* dicimus) recollectis, vt vocant, hodie in vsu, per quas verbis accessus ita pateat, vt nullus oculis. Vt non immeritò dicere possimus, quo Cistercienses reformandis viris normam, eodem modo virginibus claudendis, celandisque, Stephanum per Obacinenses tradidisse. Et superesse adhuc, quod imitentur, Monialibus sepeliri consuetis extra clausuram, arcendis viris, per quos hodie intra claustra sepeliuntur. Certè hæc tunc vsurpata sine exemplo, sed in exemplum cæteris proposita, idem auctor subiungit disertis verbis. [d] *Descriptionem*, inquit, *huius* (scilicet clausulæ) *fecimus latiorem, quatenus cunctis Dei dicatis mulieribus ad imitandum, sancta istarum conuersatio, & status conclusus pateat innotescat,* 6.

[d] vbi suprà.

Nam

Nam scribere me sancè vera confido, quod domus hæc mulierum manet sub cælo sola sine exemplo, asperitate regulæ rigore disciplinæ, & super omnia perennis, & inuiolabilis clausuræ. Hactenus ille. Sed nos ad vlteriora transeamus.

7. Creuit exinde vtrumque Monasterium, familiis integris in vtroque conuersis, & quæ habebant oblatis, per quæ personis, & bonis ampliaretur. Extat in eisdem actis conuersio celebris, quam præterire nefas, nec aliis grauiùs, aut exactiùs narranda verbis. [e] *Tunc (ait) cœperunt ad virum Dei de sæculo nobiles, & ignobiles viri, pariter & mulieres vndecumque concurrere, & suaui iugo Christi mitia colla submittere. In quibus præterire silentio non debemus, quendam nobilem virum cum omni domo sua ad Dei seruitium miro modo conuersum. Qui cum adhuc in sæculo militaret, tanta morum honestate pollebat, vt multis in religioso manentibus habitu imitabilis haberetur. Iustitia insignis, nullius in iudicio personas accipiens, cùm in forensibus causis sæpius iudex eligeretur, ab amicis frequenter arguebatur, quod nec sua causam habentibus, nec quibusque domesticis in negotiis aliquid deferret, sed totum iustitiæ condonaret. Et quamuis in temporalibus sapientia simul, atque potentia adeò præpolleret, in spiritualibus tamen multo magis studiosus erat, atque deuotus. Hospitalitatem cunctis peregrinis largiter exhibebat, præcipuè tamen religiosis, & pauperibus Clericis, quos etiam voluntate discendi retinebat, & vestimenta, vel quæ erant eis necessaria, suppeditabat.*

e lib. 1. c. 27.

8. *His & talibus bonis cum esset intentus, accidit, vt venerabilis Pater Stephanus illis in partibus iter faceret, cumque eum hospitio gratanter suscepisset, in tantum conuersatione, & sermonibus eius delectatus est, vt omissa intentione, qua ad aliud Monasterium ire decreuerat, statim se ei cum suis omnibus daret. Itaque statuto die, fratribus ad se missis, paruulos vehiculis impositos, cum vxore, & familia vtriusque sexus, omnique supellectili, cum animalibus, & iumentis, & quæ ad victum verumque pertinebant, ad Monasterium præmisit. Fratres verò, qui conuenerant, ipso præsente, munitiones, & quæ ædificata erant, deponentes, ex sæculari habitatione, religiosa, & seruis Dei opportuna habitacula construxerunt, quæ permanent vsque ad præsentem diem. Quidquid armorum fuit, quibus locus instructissimus habebatur, aut commutatum, aut venundatum est, aut minutatim concisum, igne absumptum, exceptis his, quæ in meliores vsus redigi potuerunt. Ita vir prædictus cum suis omnibus Monasterium ingressus est, & religioso habitu mox induto, tantum doctrina, moribusque profecit, vt cùm in senectutem vergeret, nihilominus per singulos gradus, ad presbyteratus ordinem perueniret. In quo gradu per multos annos feliciter militauit, sicque optimo fine conclusus, migrauit ad Dominum.* Hactenus acta, nouo, & vt ibidem etiam obseruatur, hactenus inaudito conuersionis exemplo, quippe Bernardus, & Petrus suos, non sua: atque eos non simul, sed tractu temporis, Amedeus vnicum tantùm filium secum adduxerant.

9. His incrementis parabatur Cistercio locus, quem vbi Stephanus multiplicatam videt vtramque domum, Lemouicensem Episcopum, simul & Dalonensem Abbatem accersit, per quos Obacina in Abbatiam regularem erigeretur. Tunc Eremitæ in Monachos mutati, atque ipse ex Priore, Abbas effectus, ex veterano tyro nouæ militiæ; Dalonenses elegit in ministros, per quos cum sociis Monachatum edoceretur. Non tamen adhuc adstricti Cisterci; legibus, quippe vt se Stephanus, & suos Cistercio traderet, maiora adhuc incrementa præstolabatur, quæ suis locis venient inserenda, sed vt per gradus veluti ascenderent, atque ipsa professione Monachatus, sub beati Patris Benedicti regula, veluti proximiores inuenirentur. Cæterum quæ hoc anno gesta sunt, auctor actorum eius his verbis narrat.

10. [f] *Igitur anno ab Incarnatione Domini M. CXLII. Dominica ante Pascha, quam Palmarum vocamus, verus Dei cultor Dominus Stephanus, à quodam Abbate, qui cum Episcopo Lemouicensi Obacinam venerat, Monachus est effectus, statimque promotus, atque ab eodem Episcopo in Abbatem sublimatus, omnes quos habebat Clericos, ipse iam Abbas, & dux Monachorum in Monachos benedixit, cæteros in pristino habitu (ad instar conuersorum) manere constituit. Monachi ergo ex eremitis effecti, nouis legibus, nouisque institutionibus quotidie informabantur, & quamquam essent in cælesti militia veterani, tyrones agebant, & noui Monachi, qui dudum fuerant in religione perfecti. Instituebantur autem ad disciplinam Dalonensium Monachorum, qui eos vitam, & conuersationem monasticam docebant, & regularibus præceptis erudiebant.* Hactenus ibi. Atque hæc hoc anno gesta occasionem præbuerunt narrationis, quam suis locis inferiùs prosequemur: at nunc ad alia ex more transeamus.

f lib. 2. c. 2.

---

1. Sancti Quardi peregrinationes, & vita eremitica. 2. Tum Monachatum in recèns nata Vrsaria, 3. quod probabilius, quàm in Superato. 4. Nostrorum, & Præmonstratensium fraterna pax. 5 Literarum exemplar de mutua vtrorumque fratrum susceptione, 6. de ædificiis, 7. de exactione decimarum, & querelarum emergentium compositione: 8. tandem de mutuu suffragiis. 9. Quarum item Bernardus Pater meminit.

CAPVT IX.

1. HOc ipso tempore recentem Vrsariæ domum (namque id certius) sanctus Quardus (Famianum alias vocant) monasticem professus, illustrauit, [a] celebris hodie Gallesij patrocinio, & fama crebrescentium miraculorum. Is patria Germanus, genere nobilis, Gotescalio Patre, & Guimara matre natus, studiis primò mediocriter imbutus, inde paternis opibus, quin & parentibus, patriaque spretis, decimo octauo ætatis suæ anno, qui fuit Christi M. CVIII. Romam profectus, Apostolorum limina deuotus, & sancta loca Italiæ visitauerat. Tum sexennio completo per hæc opera, circa annum Christi M. CXIV. Bernardo tyrocinium adhuc agente, sancti Iacobi peregrinationem aggressus, ac Galleciam perueniens, eam prouinciam per triennium inhabitauit, sub moderamine cuiusdam sancti senis, per quem altiùs in omni virtute radicaretur. Errat [b] Philippus Ferrarius in eius vita, qui Cisterciensem Eremitam facit his tribus annis, quippe Cistercium in principio adhuc sterile, in fine propagatum tantum per quatuor filias, nondum Hispaniam sua prole nobilitauerat. Ergo hoc triennio veluti purgatus, formatusque, quo religiosiùs inclytum Hispaniarum patronum veneraretur, tunc primum Compostellam tandem ingressus, visitauit. Apostolum,

a in vit. eius manu script. apud Gallesi.

b de S. Steallis Aug. 8.

ad sanctum corpus excubias peracturus. Inde ad deuia, syluasque reuersus, pane non nisi raro, cætera herbis, & aqua reficiebatur. Addictus tamen cuidam Monasterio sanctorum Martyrum Cosmæ, Damianique (ignota hodie domus) in quo doctrinam,& diuina mysteria participaret.

2. Quinque supra viginti annos compleuit hoc vitæ genere, & iam agebat ætatis quinquagesimum secundum, hoc anno Christi M. CXLII. cùm recèns in eo regno fundatæ domus, recentius reformatæ, fama celebris, virum Vrsariam traxit, retinenda, si permitteretur, vita eremitica, secus, vt iuberetur, commutanda, sed in quacumque habitum monachalem, ac regularem professionem exoraturus. Lætatus Garsias in aduentu tanti hospitis, lætati fratres, quippe Quardus longa sanctimonia,& vitæ solitariæ probatione, fecerat sibi nomen venerandum,& quod appeterent sibi quicumque boni. Itaque hoc anno susceptus in Nouitium, ædiculæ sancti Laurentij addictus est, ad ripas Mynij tyrocinia peracturus. Delatum id sanctitati hominis Dei, delatum notæ, & annosæ probationi. Non quòd eremus Monachis prohibita, sed quòd ex regula vita Cœnobitica semper præcedere debeat anachoreticam. Aliàs Cistercio Eremitæ olim in vsu, quòd in Cæsario facile est videre. [c] *Retulit mihi* (ait) *Sacerdos quidam Eremita habitum habens Cisterciensem*, &c. Ergo Quardus in Eremitam susceptus est, pristinam vocationem, quantum sub iugo religionis liceret, conseruaturus. Ferrarius statim ad Ordines promotum, alij iam Sacerdotem admissum ferunt, quod mihi verius, atque inde faciliorem viam stratam ad solitudinem.

c serm. 2. de infant. salu.

3. Sunt qui Quardum Superado tribuant, insigni domui, longéque antiquæ, hoc anno reformatæ, de qua inferiùs. Res dubia vtrimque, atque vtrimque fortè probabilis, aliis quàm nobis antè diffiniatur. Nisi quòd tamen Ecclesia sancti Laurentij inter Vrsariæ annexas recensita, & præcedens fundatio saltim per annum, iam mihi domum persuadent præferendam, & vt in neutra notitia clara viri, in Vrsaria aliqualis, siue ab antiquis (vt solet) deriuata, siue ex indiciis his nuper desumpta. Certè vbicumque susceptus mirè floruit, biennio & vltra in illa Ecclesia permanens. Sed quæ exinde per ipsum gesta sint, & qualiter Gallesium tandem peruenerit, mortalitatis ibidem debitum, meliori vita obtenta, soluturus, singula suis annis reseruamus. Res eius gestas, antiquior Ferrario, edidit auctor Anonymus, breui quidem compendio, sed mediocri stylo, & ea solùm narrans, quæ certæ fidei. In vita Sancti, quæ Gallesij prodiit anno 1626. delineata figuris, & Margaritæ Madrusiæ Ducissæ Gallesij dedicata, paulo aliter anni distribuuntur. Et prima peregrinatio Romam versùs, inde per quindecim annos eremi cultus, mox versùs Compostellam iter, & Hierosolymam, vnde reuersus Cistercium ingressus sit, atque ibidem pro vita consecratus. Romam deinde de licentia sui Abbatis non multo ante mortem profecturus discordantia parua, atque ea in accidentibus magis, quàm in re ipsa: nos cætera in sequentibus dicemus.

4. Hoc eodem anno, cùm multi è Præmonstrato ad Cistercium, aliqui etiam ex Cistercio ad Præmonstratum transitum facerent. Idque vltra promissæ stabilitatis dispendium, non sine mutuæ charitatis graui periculo, vtrisque se postpositos dolentibus, nec mutuis damnis satis, vt putabant, mutuas iacturas hinc inde compensantibus: Rainardus, Hugoque, Patres vtriusque Ordinis, consilio vterque cum suis communicato, iniere concordiam, vt neutris alteros admittere liceret sine propriorum Abbatum commendatione. Nec solam hanc scandali occasionem curauerunt euellere, sed & quaslibet alias, etiam leuissimas. Cæterùm vt in eo, quod semel cœperant, fraterni amoris glutino persisterent, & si quid hactenus diminutum, repararetur: mutua etiam componendis quibusque litibus vtrorumque comitia, mutua inter viuos, amicaque consortia, mutua pro mortuis suffragia stabilierunt. Concordiam ipsam, dilectionis fraternæ indicem, vindicem offensionum, si quæ emerserant, ab vtrisque compactam, firmatamque, atque primorum ex eis subscriptam nomine, nequid quod ad rem faciat, omittamus, non pigebit ad literam subscribere.

[d] *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Confirmatio societatis, & pacis inter Cistercienses, & Præmonstratenses. Igitur ad custodiam pacis, & charitatis vtriusque Capituli assensu, inter vtrumque Ordinem constitutum est, & confirmatum, vt nullus Cisterciensium Canonicum, vel Nouitium, seu conuersum Præmonstratensis Ordinis, nullus Præmonstratensium Monachum, vel Nouitium, seu conuersum Cisterciensis Ordinis, nisi ex pari consensu recipiant.* 5.

d apud Mir. in Chronic. Præmonstrat. hoc ann.

Nullus in vtroque Ordine locum ad Abbatiam ædificet, circa alterius Ordinis Abbatiam, infra quatuor leucas ad mensuram vniuscuiusque prouinciæ, præterquam in Anglia, vbi duæ leucæ pro vna computentur, & in Lombardia duo milliaria pro vna leuca, nisi fortè antiqua loca sint, quorum redditus & possessiones ad tenendum Conuentum sufficiant. De grangia ad grangiam, siue de grangia ac Abbatiam ad minus semper vna intersit leuca. Mansio vero sororum ab Abbatia distet duabus leucis. Veruntamen terræ illæ, quæ ante annum Incarnationis, & diem, qui subscriptus est, susceptæ fuerant, hac lege non tenebuntur, siquidem singulæ terræ ad integram carrucam sufficerint, vel ad ædificandam Abbatiam susceptæ fuerint. 6.

Nullus in vtroque Ordine alter ab altero tam de nutrimentis, quàm de laboribus decimas exiget, vel accipiet. Si aliquis in vtroque Ordine, de qualibet re emenda, vel acquirenda loco suo, præsens tractare, vel aliquem conuenire inceperit, antequam sponte dimiserit, nullus de alio Ordine sibi præoccupare, vel impedire præsumat. Si forte in aliquibus locis inter aliquos vtriusque Ordinis aliquid querimoniæ emerserit, & inter eos familiariter per aliquos Religiosos mediatores componi non poterit, sine maiori audientia differetur, & ad audientiam alterutrius Generalis Capituli referetur. Quisquis in eodem Capitulo reus esse claruerit, quod intulit damnum, priùs restituat, & postmodum in Capitulum Abbatis, quem offendit, veniens, vsque ad satisfactionem ante pedes eius se humiliet. Reliquum vero pœnitentiæ in dispositione Generalis Capituli sui Ordinis permaneat. 7.

Commemorationem, & plenarium officium pro omnibus defunctis suis, singulis annis, inuicem faciant. Quod vt firmum deinceps, & in æternum quandiu vtriusque Ordinis status viguerit, inconuulsum permaneat, ego Rainardus Cisterciensis Abbas, Generalis nostri Capituli conuentus, ego quoque Hugo Præmonstratensis Abbas, & Generalis nostri Capituli Conuentus, præsenti charitatis chirographo firmamus, & sigillis nostris pariter consignamus. Sigillum Rainardi Cisterciensis Abbatis, sancti Bartholomæi Abbatis de Firmitate sancti Bernardi Clarauallensis Abbatis, 8.

Abbatis, S. VVichardi Pontigniacensis Abbatis. Sigillum Hugonis Præmonstratensis Abbatis, VValteri Laudunensis Abbatis. S. Gernaldi Floreciensis Abbatis. S. Henrici Viriacensis Abbatis. Actum est hoc anno Incarnationis Domini M. CXLII. Epacta XX. indictione quinta, concurrente tertio, quinto Idus Octobris. Hactenus instrumentorum fraternitatis inter vtramque familiam, à sanctis illis Patribus exaratum, memoriale æternum, vtriusque alumnos deuinciens aurea zona. Meminit eius inter alia Bernardus Pater in epistola ad Abbatem Præmonstrati, his fermè verbis. [d] *Quasi verò vel in mutua nostra conuenientia id prohibitum fuerit, vel emancipatio filij ad Capitulum* (scilicet Generale,) *& non potiùs ad solum spectet Abbatem.* Sed de his infrà, cùm ne hac quidem concordia, obuiata satis, eadem occasione orta dissidia inter vtramque familiam describamus. d epist.252.

---

1. Petri Moreroleusis pretiosa mors, 2. qui & plures sanctos discipulos reliquit. 3. Miracula, & reuelationes ab eius obitu. 4. Nec dissimilia de sancto VValerano Vrsicampi Abbate: 5. & de beato Andrea Kalisiano. 6. Obiit Iordanus, 7. & alius quidam frater satis gloriosè. 8. Descensus Christi, ascensioque morientis. 9. Duplici reuelatione confirmata. 10. B. Simonis in Rieualle mors. 11. Ailredi dolor. 12. ostensa ratio temporis. 13. Epistola Bernardi ad Melesendam.

Caput X.

1. SEquuntur illustrium sanctitate virorum gloriosi obitus, quibus hic idem annus insignis fuit. In Morerola prima Hispaniæ domo, venerabilis Petrus primus item sub legibus Cistercij illius Abbas, cùm multis signis, & virtutibus claruisset, ac dono prophetiæ etiam excelleret, sanctissimorum filiorum stipatus corona, feliciter obdormiuit in Domino. De eo in additis ad Exordium magnum hæc lego. [a] *Erat autem prædictus Petrus defunctus, magna sanctitatis homo, & gratia miraculorum, & spiritu prophetiæ insignis. Miracula eius nesciunt, qui adhuc in eodem Monasterio supersunt. Per spiritum prophetiæ prædixit Reginæ Hispaniæ, quòd paritura esset filium. Nam cùm sine liberis esset, & præfato Abbati mandasset, rogans vt pro hac re Dominum precaretur, respondit, eodem anno concepturam, & parituram: quod ita contigit.* Hactenus ibi. Verùm quæ hæc Regina Hispaniæ fuerit, ex tempore licebit coniectari. Nam Berengaria Imperatoris vxor à multis annis, intra quos nulla alia Hispaniæ Regina fuit. Vt non immeritò credere possimus, sancto viro annunciante, conceptum Sanctium, qui Castellæ successit, à desiderio sui cognominatum, non solùm quod reliquit, cùm decessit, sed quod præmisit, cùm tardiùs conciperetur.

a lib.7.cap.2.

2. Reliquit sanctus Petrus Moretolæ viros sanctissimos, e quibus perierunt multorum nomina, iniuria temporum, an incuria successorum. Manet tamen memoria Petri Dei, id cognomen viro, sacristæ domus, Mariæ Virgini religione summa addicto, atque ab ipsa suscepto in Capellanum. Nec satis notum, an sub eo floruerit Conuersus ille (Hilarium [b] Miræus vocat) miraculis illustris, quem fluuium Ezlam cappa velut nauigio tranare solitum, non paucæ antiquæ effigies repræsentant. Et, quod mireris, traditione acceptum velut per manus, id miraculi nequaquam contigisse, cùm ab Abbate vocatus adueniret: sed quoties, nimium fame prægrauante, consuetam refectionis horam non sustineret. De Petro Dei auctor Appendicis ad Exordium, visionem narrat, in qua ex multis eiusdem Conuentus fratribus ante quadraginta annos vita functis, & gloria coronatis, Missam de Virgine [c] *nullus cantare poterat* (ait) *nisi quidam Sacrista loci illius, Petrus Dei nomine. Quod ideo meruerat, quia dum adhuc viueret, quoties vacabat, Missam de beata Virgine cantabat, ob quod ab ipsa in suum Capellanum susceptus fuerat.* Nec multum his posterior Rodericus iuuenis verè sanctus, de quo inferiùs.

b orig. Monaster. l.5. c.15.

c lib.7.c.2.

Post obitum, sanctissimi Abbatis seruatæ vestes, & pro sacris exuuiis adseruatæ, reuelantibus Angelis, octauo & tricesimo anno elapso, claruere miraculis, quæ suo tempore fusiùs enarrabimus. Ipse etiam in magna gloria visus periclitanti nouitio subuenit. Vtrumque Petrum Menologio inseruit Henriquez: Abbatem ad primam diem mensis Augusti; Sacristam ad Septembris tertiam decimam. Ratio temporis ex tabulariis domus, & antiquis illius monumentis frequenti ante hunc annum memoria Petri: sed in sequenti subscribente successore. Is Gondisaluus nomine, nec contemnendus doctrina, moribusque, Moretolam suscepit administrandam, cui duo de viginti annis non sine fructu, & laude imperitauit. 3.

Petro Abbati subiungam VValeranum, Vrsicampi præfectum, de quo Robertus Montis hoc ipso anno. [d] *Obiit Pater VValeranus Abbas Vrsicampi, fundator duarum Abbatiarum, excepta tertia, quam sibi adoptauit in filiam.* De Abbatiis superiùs à nobis dictum. Hic ille est, qui Herueum de Baugentio illustrem iuuenem Vrsicampi susceperat in Monachum (eidem successurum in præfectura) iuxta Patris Bernardi prophetiam. Nec tacendum, quòd idem sanctus Pater, dum hæc prædixit, VValeranum sub specie Angeli vidit. In quod Vincentius Præsul Beluacensis, his verbis tradit. [e] *Siquidem videbatur sibi tanquam in Missarum celebratione, Angelo cuidam, pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de reuelatione eundem Herueum renunciaturum sæculo, & futurum aliquando deuotum Christi famulum promittebat. Quem postea venerabilis VValeranus primus Abbas Vrsicampi Monachum fecit, & Angelico functus officio, pacem, quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicauit Herueo.* Post mortem eidem Herueo visus est, valentique, & nil tale speranti obitus sui diem reuelauit, quod idem etiam auctor ita prosequitur. *Herueus prædicto VValerano in regimine Vrsicampi successit, qui & nouissimè obitum suum imminentem, sanus adhuc, & incolumis, eodem VValerano sibi per reuelationem indicante, præsciuit, atque prædixit.* Hactenus Vincentius. Cui alij etiam concordant antiquiores. VValeranum inter illustres sanctitate viros Cistercij memorant Seguinus, [f] Henriquez, ille in Catalogo, hic in Menologio. [g] Hugo Menardus, & alij recentiores. 4.

d in Chronic. hoc ann.

e specul. hist. l.27.cap.5.

f in Menolog. Sept.12.

g in Appendice 2. ad Martyrolog.

His tertio loco addendus beatus Andreas primus Kalisij Abbas, minori, quod dolendum est, ad- 5.

huc notitia, sed satis certa, quippe hausta ex Seguino, eius domus alumno, adeoque gnato illius antiquitatum. [h] *Sanctus Andreas* (ait) *de Baumontio, ex Pontigniaco, primus Kalisij Abbas, nomen Sancti sortitus est, anno Domini M. C X L I I. quo ad Superos euolauit.* Non quia statim adscriptus Sanctorum albo, sed qoia statim à populo acclamatus, vt de beato Ioanne ad sacta mœnia Hispaniæ superiùs diximus. De beato Andrea Henriquez etiam meminit, & Menologio adscribit, ad decimam diem mensis Nouembris. Quis sancto viro in Abbatia successerit non constat, & probabile Almaticum successisse, qoi post aliquos annos peractos in præfectura Siluanitensi, domesticæ Ecclesiæ præfectus, tandem anno salutis M. C X L V I I. obiisse legitur, vt suo loco dicemus.

[h] apud Henriq. in Menol. Sept. 10.

6. Cessit item è viuis hoc ipso anno vir pietate insignis, doctrináque, Iordanus primus Abbas Caricampensis, dum Pontigniacū Caricampi matrem, vnde ipse exierat, visitaret. De eo Ferreolus Locrius in suo Chronico. [i] *Iordanus primus Caricampensis Cœnobij Abbas, Pontigniaci in solo natalitio, pedum, & vitam ponit, succedente Hugone, qui dignitatem in annum duodecimum protraxit.* Ita Ferreolus. Verùm cùm omnes Belgicarum rerum scriptores, Hugonis cognomento Campus auenæ, Comitis sancti Pauli mortem huic anno tribuant, per quem Caricampi domum fundatam diximus: liquet, funestum illi, lugubremque, intra quem vtrius parentis damna mœruerit.

[i] in Chronico Belgico hoc ann.

7. Succedat obitus cuiusdam sancti iuuenis feliciter consummati circa hæc tempora, quem auctor Exordij magni ita describit. [k] *Monachum quemdam de collegio Clareuallis spiritalem, & bonis moribus pollentem, Dominus (secundum quod in Apocalypsi ait: [l] Ego quos amo, arguo, & castigo,) ad decoquendum in eo scoriam peccati, grauissima valetudine quadam vice laborare permisit. Sed antequam ad diem peruenisset supremum, diuino nutu raptus est in quemdam excessum mentis, & dimidium ferè noctis spatium quasi extra se fuit, multa videns, & audiens, quæ nunc replicare nostri propositi non est. Eadem verò nocte defunctus est ibi religiosus quidam adolescens, miræ mansuetudinis, & patientiæ Monachus, qui languore maximo cruciatus, quàm plurimis annis, diurnum, ac diurnum martyrium duxit. Hic itaque moriens, & flatum nouissimum diutius trahens, præ acerbitate doloris crebros gemitus plangendo emittebat. Porrò prædictus æger, cùm eum plangentem audiret, dicebat intra se: Planctus iste citiùs conuertetur in cantum, & doloris istius extrema iam nunc occupabit gaudium sempiternum. Cùm hæc & his similia cogitaret, en quasi persona quædam inuisibilis ante lectum eius assistens, ac ditissime commanens, ad singulos illius planctus, quos ille moriens emittebat, mirabili, atque inexperta quadam fragrantia, ac suauitate nares eius, & fauces vberiùs indulcorabat. Tunc verò sentiebat, quasi cælestem quamdam virtutem sensibiliter, & manifestè in semetipsum introeuntem, & penetralia cordis eius suauissimè perungentem.*

[k] lib. 3. c. 31.

[l] Apocal. 3.

8. *Cumque hac mirabili vnctione recreatus, & totus quodammodo renouatus fuisset, ecce repentè apparuit ei apertura quædam in cælo, per quam videbatur sibi quasi vsque ad tertium cælum oculorum aciem tendere. Et facta est in auribus eius vox clamans de excelso, & dicens: Sileat omnis terra, discedat omnis malignitas, Christus venit. In ipsa hora visum est ei, quod Dominus Iesus Christus pauperum, & humilium consolator de cælo descenderet, ac totam domum illam sua benedictione repleret. Ipse verò frater, cui hoc videre concessum est, tanta alacritate, & gratia perfusus est, vt se in paradiso Dei esse reputaret, & in iubilo cordis exultans, diceret: Domine Deus noster, en ista est vita æterna, quam promisisti nobis. Et nunc si reuelatis oculis bonum istud, quod sentio, mihi videre, ac semper habere liceret, iam gaudium meum plenum, ac perfectum esset. Mox igitur, imminente exitus hora Monachi illius adolescentis, pulsata est tabula, & conuenientibus fratribus, vt animam illius Domino commendarent, liberata est continuò de corpore mortis huius, & æterna lætitia subintrante, fugit ab eo dolor, & gemitus. Credimus enim, & piè confidimus, quia non dedignatus est eam tam bonis moribus pollentem introducere in requiem suam, qui propter eam ad terram descendere dignatus est Iesus Christus Dominus noster.*

Dum autem corpus eius sepulturæ traderetur, alius quidam frater bonæ conuersationis reuelante Domino, apertis oculis (sicut ipse protestatus est nobis) vidit quasi quoddam feretrum de monumento procedere, & sursum in æthera tendere. Porrò prædictus æger ab ægritudine sua, Domino miserante, conualuit, & ex his, quæ in obitu fratris viderat, & audierat, seu etiam experiri meruerat, magnificè consolatus, gratias egit Deo. Cæterùm benedictionis illius suauitas, quam velut manna absconditum in odore eximio, seu sapore præstantissimo expertus erat, postmodum per annos plurimos, non quidem continuè, sed tamen frequenter, atque copiosè eum sequuta est, prout ille benignus, ac suauis spiritus, qui vbi & quando, & quantum vult, spirat, pauperi suo infundere misericorditer dignabatur. Nec modo per somnium, aut per excessum mentis, sopitis, vel attonitis sensibus corporis, vt in illa forsitan agonia contigerat, sed corpore vigilante, sensuque vigente, orando, psallendo, legendo, seu quidpiam aliud agendo, eamdem suauitatis gratiam diuinitus sentiebat. Hactenus in Exordio de sancto viro: imò de Sanctis, qui gloriam eis cernere meruerūt. 9.

Hoc ipso anno, quippe antequam Ailredus in Abbatem Rieuallis assumeretur, ipso absente, nec præsente Hugone Priore, qui iam defunctus, aut aliò missus fuerat, illustris ille Simon Rieuallensis, cuius suprà meminimus, cùm annos fermè octo, id est, à suæ conuersionis initio, præter austeritates vitæ monasticæ, aliasque voluntarias, longa ægritudine coronam præuenisset sibi repositam: tandem placido fine defunctus est, felicius post mortem, securiusque inter Angelos sanctos conuersaturus. Instante hora migrationis eius, cùm cæteris pausatoribus, adstantem fratrem moribundus alloqueretur, in eam ferrur vocem prorupisse iocundus, & hilaris, quæ audientem aut terruit, aut stupefecit: *Misericordiam, Misericordiam, Misericordiam.* Putat Ailredus [m] inceptum ab eo vers. Ps. 88. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine*; sed primi verbi, id est, Misericordiæ, reuocatum dulcedine omisisse sequentia, nec quicquam aliud vlteriùs pronuntiasse. Et *cernens* (ait) *fratrem quodā quasi stupore suffundi, velut indignatus tantam eius insensibilitatem, quòd videlicet simili non perfunderetur dulcedine, frueretur sapore, cœpit manu quasi velle excitare sopitū, expressiori, altiori, altiorique voce ingeminans; Misericordiam, Misericordiam.* Non multo pòst (prosequitur Ailredus) *qui lectulo accubabat infirmi, nullum in eo apprehendens indicium vicinæ mortis, quippe vultus hilarior, sermo facilior, spem magis salutis arguebant, cùm caput suauiter reclinans spiritum reddidisset, obdormisse eum credidit, non obiisse.* Cæteri Sancti mori videri solent, Simon dormire magis, aut soporari. 10.

[m] lib. 1. spec. cap. 34.

Peruenit tristis nuntius ad Ailredū, cunctis omissis Rieuallem festinus properat, corpus calidum adhuc leuat, lauat; lotum tunica, cocullaque induit; imponit feretro, & propriis humeris portat ad sepulturam: assistit funeri, ac tandem terræ mandat, 11.

&

& terra operit. Porrù hæc omnia adeò ſiccis oculis, vt pene poſſet marmoreas exiſtimari. Tantus quippe ſtupor (vt ipſe ait) mẽtem eius inuaſerat, vt etiam nudatis ad lauacrum membris, etiam terræ mandatis, nihilominus nó ctederet obiiſſe. At poſtquam ſtupor affectui ceſſit, & dolor acer ex imo cordis erumpens ſenſus omnes inuaſit, tunc verò lachrymæ ad terram vſque fluentes, ſuſpiria, & gemitus cœlum penetrantes, aliorum lachrymas, gemitus, ſuſpiria, etiam vltrò ebullientia, præcipitabant. Scribebat eo tempore ſpeculum charitatis, & perueniebat ad finem libri primi, in qoo de tribus illis, quæ mundum occupant, concupiſcentia nimirum oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ agere diſpoſuerat: ſed præualente fletu, cuncta præteriens, Simoné ſolum luget, Simonem loquitur, & toto capite illo 34. (quod præ cæteris aliis lõgius eſt) nihil omninò tradit niſi Simonem. *Vlteriùs* (inquit) *progredi dolor prohibet, & ad flendi magis negotium recens mors Simonis mei violenter impellit. Miramini lachrymantem, imò magis miramini viuentem. Quis enim non miretur Ailredum ſine Simone viuere, niſi is, qui neſcit, quàm dulce fuit ſimul viuere, quàm dulce foret ſimul in patriam ire.* Et infra. *Sed quid ego erubeſco? an ſolus ploro? Ecce quot vndique lachrymas, quot ſuſpiria. Ecce quomodo amabatur ab omnibus, amplectebatur ab omnibus, ab omnibus colebatur.* Pergit plura de illo, cui tamen congaudendum eſſe non dubitat, ſe ſolùm, atque alios fratres flendos, quibus ſine Simone viuendum foret.

12. Simonis conuerſionem mirandam ſuperiùs dedimus: conuerſationem cunctis æmulandam idem ſanctus Ailredus paucis deſcribit. *Suſcepit quidem iugum diſciplinæ tuæ, Domine Ieſu, floreſcente ætate, eligens illam arctam viam, quæ ducit ad vitam, in ſudore vultus ſui veſci pane ſuo, & alieno iudicio ſuam ſubdere voluntatem. Portauit etiam graue iugum infirmitatis ab ipſa adoleſcentia, quæ eum vſque ad extrema eius per octennium, vt reor, ſine vlla penè interpolatione paterno flagitaſti affectu. Et ideo exteriùs nihil penè inueniens, quo oblectaretur, in interiorem ſuæ mentis ſolitudinẽ ſeſe recluſerat, ſolus ſedens, & tacens, non tamen otio torpens. Scribebat enim, vel legebat, vel meditationi Scripturarum, quippe cui erat vigil ſenſus, ſecretius intendebat. Vix cum Priore ſaltem de neceſſariis loquebatur. Incedebat tanquam ſurdus non audiens, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, factus ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Verùm ſi quis eum, accepta occaſione, quolibet conueniret affatu, tanta mox redolebat in eius ſermone ſuauitas, tanta in vultu, ſine omni diſſolutione, apparebat hilaritas, vt quàm fuerit ſilentium eius vacuum amaritudinis, plenum dulcedinis, & modus loquendi, & humilitas proderet audiendi.* Non alia vita conuerſionem illam decebat, non alia mors hanc vitam ſequi poterat. De tempore, obiiſſe ad hunc annum, compertum eſt, quippe Speculum Ailredus ante vulgauit, quàm in Abbatem Rieuallis promoueretur: promotus autem M. CXLIII. vt ibidem oſtendam, hoc, aut proximo mortuum conuincit, qui, antequam vulgaret, iam obierat. Porrò ſpeculum ab Ailredo vulgatum nondum Abbate, epiſtola præfixa illi oſtendit, in qua Geruaſius, ſeu quis ille fuit, qui editionem iniungit, Monacho ab Abbate contendit præceptum iri. *Non poteris præſumptionis argui, qui Monachus Abbati paruiſti.* Denique raptum ſibi B. Simonem antequam ad paſtoralem curam aſſumeretur, ipſemet Ailredus alibi tradit. [n] *Et illum quidem* (ſcilicet Simonem) *nullo adhuc cura paſtoralis onere preſſus, nulla rerum tempo-* n lib. 3. de amicit. ad fin.
ralium ſolicitudine diſtentus, Clauſtralium deliciarum, & ſpiritualium dulcedinem, quibus tunc initiabar, ſocium, conſortemque delegeram. Ergo qui octo annorum ægritudinem in primordiis Ailredi iam incurrerat, hoc fermè anno ab eadem ſolutus obiit, æterna gloria in cœlis coronandus.

Per idem tempus, ne quidquam omittamus hi- 13.
ſtoriâ dignum, Fulco Hieroſolymorum Rex equo præceps actus, cerebróque grauiſſimè colliſus, poſt biduum ſpirauit. Tum Meleſendam viduam regno potitam, atque apud aliquos infamia laborantem, quaſi muliebri impotentia diſtraheretur, Bernardus Pater & meliora oſtendens, & deteriora pro viribus diſſuadens, dum laudat, inſtruit hortaturque efficaciter, graui admodum ſtylo, epiſtola ſcripta in hunc tenorem.

[o] *Dilecta in Chriſto filiæ M. Reginæ Hieroſolymitanæ,* o epiſt. 289.
Bernardus Clareuallis vocatus Abbas, miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Miror quòd à multo iam tempore non vidimus literas tuas, non ſolitas ſalutationes habuimus, quaſi nos obliti ſimus antiquæ tuæ erga nos deuotionis, quam in multis probauimus. Audiuimus fateor, neſcio, quæ ſiniſtra: quæ etſi non pro certo credimus, doluimus tamen ſiue veritate; ſiue mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sanè interuenit Andreas chariſſimus auunculus meus, cui in nullo decredere poſſumus: ſcripto ſuo nobis ſignificans meliora, quòd ſcilicet pacificè, & manſuetè te habeas, ſapienter ſapientum conſilio te, & tua regas, fratres de templo diligas, & familiares habeas: periculis imminentibus terræ ſecundùm ſapientiam tibi à Deo datam, ſalutaribus conſiliis & auxiliis prouidè & ſapienter occurras. Talia prorſus, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, ſublimem Reginam. Neque enim quia Regina es, indignum tibi viduam eſſe: quod ſi voluiſſes, non eſſes. Et poſt pauca. *Beata es, ſi ſalutarem ponas tibi murum ad protectionem conſcientiæ, & antemurale ad repulſionem infamiæ. Beata, inquam, ſi velut deſolatam, & viduam totam te Deo regendam commiſeris. Alioquin benè non reges, ſi benè non regeris.* Hæc ſanctus Pater, nihil omiſſurus, quo cunctorum profectus promoueret.

---

1. In Chronologia fundationum plures ignotæ. 2. Dictum de Victoria, 3. & de Fonte vino, ac Berthuſen. 4. Melonem Imperator Alfonſus fundat. 5. Dotatio loci: 6. atque item augmentum dotis. 7. Mutata ſedes ſub Giraldo primo Abbate. 8. Priuilegium Ferdinandi Legionenſis, 9. à quo plura obtenta. 10. Dictum de Dundrena, 11. & de Cicador, aliis prætermiſſis.

CAPVT XI.

1. SEquuntur fundationes, atque etiam vniones præſentis anni, inter quas duæ nobis celebriores, ſeu ipſa Cœnobiorũ magnificentia, ſeu maiori notitia, quippe vtrumque in Gallecia ſitum, inter prima congregationis Hiſpanæ commemoratur. Chronologiam in hunc modum cõtextam video.

Anno M. CXLII. decimo ſecundo Kalendas Maij, fundata eſt Abbatia de Victoria.

Eodẽ anno tertio Nonas Maij Abbatia de Fõte vino.

Eodem anno octauo Kal. Iunij Abbatia de Melono.

Eodem anno .... Abbatia de Bonitate Dei, aliàs de Coetmaloen.

Eodem anno pridie Kalendas Augusti Abbatia de Dundrena.

Eodem anno pridie Idus Martij Abbatia de AltocreSto in Sabaudia.

Eodem anno nono Kalendas Aprilis Abbatia de Superato in Hispania.

Eodem anno Abbatia de Bongartbbert, aliàs de Bongatimberg.

Eodem anno . . . Abbatia de Eusbela.

Eodem anno . . . . Abbatia de Cicador, aliàs de Cicardo. Hæc Chronologia, ex quibus plura ignota, maiori duorum notitia compensabuntur.

2. Victoriam Cistercienſem domum duplicem lego, alteram de linea Cistercij, Morimundi alteram: & vnam quidem in Aprucio sitam, atque in Marsicanensi parochia, quam libri cameræ memorant, & taxant, octuaginta florenis, aliam in Atrebatensi, cuius meminit Claudius Robertus in sua Gallia. Vtra earum hoc anno fundata sit, compertum non habeo. Nisi quòd genesis Cisterciensium Ecclesiarum apud Henriquez, Aprucinam recenset tempore proximam, natam nimirum anno M. CXLIV. quo nullam video notatam in Chronologia. Vt facilè persuaderi possimus eandem domum nunc ab ædificiorum præparatione, nunc à Conuentu, & fratribus susceptis computari.

3. Fons viuus item duplex, alter in Anglia, vel in Hibernia, alter in Lombardia Parmensis diœcesis, quem libri Cameræ taxant florenis centum, & hunc puto in hunc annum referendum. Monachi ex Columba illuc transmissi. Cætera ignota, nisi quòd eius non infrequens memoria in literis Innocentij Papæ tertij, atque Gregorij noni, de quibus infrà, creuisse breui Fons viuus inde coniicitur, quod quatuor infra annos in vltimos Hispaniæ nostræ fines aquas transfudit, adoptata in Gallecia Ecclesia non contemnenda, quæ à Benedictinis Monachis dudum inhabitata, sub sanctorum Iusti, & Pastoris aduocatione, Cistercium tandem hausit ex hoc Fonte. Verùm cùm filiæ non posset prouidere præ locorum distantia, cessisse legitur: & quod mireris, succedente matre æquè, aut magis distanti, quod suo nos loco, & tempore dicemus. Berthusen mihi domus prorsus ignota, eóque ab alio commodiùs scribenda.

4. Venio ad Meloncin, Monasterium Galleciæ celebre, duabus leucis distans a Ripa Auiæ in diœcesi Tudensi, qua Minius fluuius disterminat Gallecos à Lusitanis. Fundator domus Imperator Alfonsus fuit, solita in Cisterciensem familiam munificentia. Monachi à Bernardo Patre petiti, transmissique, quales decebant mittentem, & suscepturum. Primus Abbas Giraldus, vir strenuus, & qui non minus industria, quàm pietate plurimum incrementa promouit tenellæ domus. Locus primò electus, cui nomen Barcena (hodie *la Barcia*) Monasterio sub his initiis nomen dedit, & creditur donatus hoc ipso anno, quod aliquæ antiquæ memoriæ testificantur: quamuis, quod extat, primum instrumentum, non construendum, sed constructum dudum Cœnobium dicet, aut dotet aliis possessionibus, nec ante elapsum annum tertium decimum, à prima eiusdem Cœnobij fundatione. Eius exemplar non pigeat hîc describere.

IESVS CHRISTVS.

5. a in tabulas Meleniis. b Lucæ 11. [a] *IN Dei nomine, amen. Inter cætera virtutum, & misericordiæ opera, eleemosyna maxime commendatur, Domino attestante, qui ait:* [b] *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et alibi:* [c] *Date, & dabitur vobis.* c Lucæ 6. *Quapropter ego Aldefonsus Dei gratia totius Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea Imperatrice Dona Rica, & cum filiis Sanctio, & Ferdinando Regibus, Deo, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Barcena, & vobis Domino Giraldo eiusdem Ecclesiæ Abbati, & omnibus successoribus vestris, pro animabus parentum meorum, & peccatorum meorum remissione, facio chartam donationis, & textum firmitatis de illo monte, qui vocatur Vedrugo, & Vaisti, dono, & concedo vobis ipsum montem cum pratis, & pascuis, cum ingressibus, & egressibus suis, & cum omnibus suis terminis, directuris, & pertinentiis, & cum suis aquis. Quomodo dividitur de Corcores, & inde per Penedum, & per Taboazas: & inde quomodo dividitur de sancto Pelagio de Lodo. Et inde quomodo dividitur de montes per illam Forcam de Girazga, & inde per Viariz, & est in terra de sancto Ioanne de Pena cornera. Et hoc facio vobis, vt ab hac die habeatis, & possideatis, & omnes successores vestri, iure hereditario in perpetuum, & faciatis de illo, quidquid vestra fuerit voluntas. Et hoc meum factum semper sit firmum. Si verò aliquis homo ex meo genere, vel alieno hoc meum factum rumpere tentauerit, sit maledictus à Deo, & excommunicatus, & cum Iuda Domini traditore in inferno damnatus, & cum Datan, & Abiron, quos terra viros absorbuit, pœnas inferni patiatur. Facta charta in Palencia, sexto Kalendas Ianuarij, era M. C X C I I I. imperante ipso Adefonso Imperatore, Toleto, Legione, Gallesia, Castella, Nazara, Saragosia, Baetia, Almeria, Andeujar, Petrochia, & sancta Eufemia. Ego Adefonsus Dei gratia totius Hispaniæ Imperator hanc chartam, quam fieri iussi, propria manu mea confirmo, atque roboro, & signum proprium impono. Et si aliquis hanc chartam fregerit, pectet vobis mille marabetinos. Signum Imperatoris. Rex Fernandus filius Imperatoris confirmat. Rex Sanctius filius Imperatoris confirmat. Comes Almanricus tenens Baetiam confirmat. Comes Pontius Maiordomus Imperatoris confirmat. Nuñus Petriz tenens Montem Rosum confirmat. Gusaluus de Marañon Alferiz Imperatoris confirmat. Ioannes Toletanus Archiepiscopus confirmat. Martinus Obetensis Episcopus confirmat. Pelagius Tudensis Episcopus confirmat. Martinus Auriensis Episcopus confirmat. Petrus Astoricensis Episcopus confirmat. Ioannes Legionensis Episcopus confirmat. Petrus Mindonensis Episcopus confirmat. Ioannes Lucensis Episcopus confirmat. Nauarro Salmantinus Episcopus confirmat. Enricus Abulensis Episcopus confirmat. Comes Rodericus Petriz Gallesiæ confirmat. Comes Gundisaluus Ferdinandiz confirmat. Vela Gutierrez confirmat. Aluarus Rodericus confirmat. Adrianus Notarius Imperatoris per manum Ioannis Fernandiz Imperatoris Cancellarij, & Ecclesiæ beati Iacobi Archidiaconus hanc chartam scripsit.* Hactenus Imperator largus, & pius.

Eodem anno, etsi non eadem, sequenti die, vnde & locus, & testes omnino iidem, quasi prior donatio exigua esset, adiecit secundam castri sancti Cypriani de Monte Regis, quod iure hæreditario illis attribuit. *Facta charta in Palentia, quinto Kalendas Ianuarij, era M. C X C I I I.* Verum est tamen vtramque donationem confirmationem potiùs apparere, nempe iam possessorum à Monasterio. Nam & sanctum Cyprianum ita donat. *Cum directuris suis, & terminis, quos habuit antiquitus, & sicut eam tenet Monachus vester Martinus Germundiz.* vt liqueat possessiones ante concessas illo anno firmatas regio diplomate, firmiores inde Cœnobio permansuras. 6.

Hinc constat perseuerasse domum in primo loco, 7.

ce, annis vt minus tredecim, qui præterierunt à prima fundatione. Verùm mutatas sedes non multo pòst, & cum sedibus nomen Monasterij, idque vtrumque sub eodem primo Abbate, videre est ex alio priuilegio à Ferdinando Legionis, & Gallecię Rege, Imperatoris filio, illis concesso anno millesimo centesimo sexagesimo, quo possessiones à parente datas firmat, non iam Côuentui sanctæ Mariæ de Barcena, sed de Melone, quò domus translata fuerat, & alias denuò largitur, sub hoc tenore:

8. [d] *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, quæ à fidelibus in vna deitate colitur, & adoratur. Quoniam ea quæ à Regibus, siue Principibus donantur, literarum vinculis sunt alliganda, ne temporum vetustate vadantur. Eapropter ego Fernandus Dei gratia Rex Legionis, & Gallesiæ dominator, facio textum, & scriptum firmitudinis, in perpetuum valiturum de sancto Cypriano Montis Regij cum omnibus directuris suis, & terminis suis, quos habuit antiquitus, & sicut tenuit Martinus Gemendi de Barcena, de Canalibus, cum omnibus directuris suis, de sancta Eugenia Ripe maris, cum tanta largitate terræ, quantum vnum iugum boum laborare potuerit, tibi Giraldo Abbati de Melone, & omnibus successoribus tuis, canonicè substituendis, vt loca ista prædicta habeas, possideas, vendas, & cambies, & de eis facias omne quod ad honorem & vtilitatem tui spectat Monastery. Nulli igitur hominum liceat, &c. Data charta sub era M C. X C V I I I. in Monasterio Cellanoue, quinto Kalendas Ianuary, die sanctorum Innocentium, in discessu iunctæ, quam præfatus Rex habuit cum Rege Portugalensi.* Hactenus instrumentum.

[d] ubi suprà.

9. Ergo ante decimum octauum, vt multum differamus, annum, mutatæ sedes: idque sub Giraldo. Qui tamen non diu superstes mutationi, Martinum venerandæ sanctitatis virum (sic eum Reges appellant) habuit successorem. Hic multa à Ferdinando Rege obtinuit, multa ab aliis: inter quæ Castrum, portumque maritimum (*Vigo* incolæ vocant) & totam terram versùs Ripam Auiæ, oppidum Comitatus illustre titulo, adeò, vt eius suburbia versùs Melonem intra ditionem Cœnobij contineantur. Ædificia vltra loci patientiam sumptuosa, quippe palustris, & qui moles, quantumuis aliàs firmas, absorbeat longè facilius, quàm sustentet: prouentus pingues, obseruantia disciplinæ, miranda, & imitanda sub his initiis, & cui se alia subdiderint Cœnobia, quod suis locis veniet referendum. Habet Melon (sic nostris vulgò dicitur) intra terminos proprios Seraphicæ familiæ duo collegia, alterum in suburbio Ripæ Auiæ, ac Castrum Vigo aliud, loco à nostris concesso, quæ domum alias illustrem satis extollunt.

Bonitatem Dei prorsus prætereo: nisi quòd tamen S. Mariæ de Coetmaloen domum in Britan- 10.
nia, & Corisopitensi diœcesi, qua parte respicit Episcopatum Trecorensem per Monachos ex Begardo adductos, fundatam lego in Notitiis Abbatiarum Britanniæ, nuper vulgatis, vbi & eadem domus esse dicitur cum ea, quæ Sylua Melonum vocari solet Duudreua domus Scotiæ inter alia fundata à Dauid Rege, de qua Thomas Demsterus in Apparatu. *Dundenam in Galubeja fundat Cisterciensi Ordini sanctus Dauid Rex. Ex hoc sanctus Richardus sacrista fuit, & Thomas Abbas Pontificis elector in Concilio Constantiensi, anno M. C D X X X I X. qui Dondumo malè ab Omphrio dicitur*, &c. Hæc ille, quibus concordat Hector Boëtius, & quique alij Scotici scriptores. Vnde satis miror, eumdem auctorem in ipso historiæ opere, cùm de Iosepho Dundranensi Monacho sermonem instituat, Dundrenam non Dauidis Regis opus, sed Fergusij dicere, dum ita ait. *Celebris Dundrena Monastery in Galouidia, quod Fergusius Comes fundarat, alumnus Iosephus, Cisterciensis Ordinis Monachus, & postea Prior*, &c. Fortè Comes imperfectum opus perfecit, auxitve: ideoque etiam habetur pro fundatore. Numeratur Dundrena inter filias Rievallis, vltima VVillelmi parentis proles, quàm iam senex concepit, & parturiuit, non multo pòst ad cœlestia transferendus. Porrò de viris illustribus, quos protulit, qui plures numero, suis locis, & temporibus agemus.

Ex reliquis duæ penitus ignotæ, Altum crestum, 11.
& Euthela, de Bongattemberg dictum per coniecturam: & probabile domum Austriæ, de qua superiùs. [e] Superadum seorsim pertractabo: de Cicador hæc pauca accipiat Lector. Vngariæ domum, in diœcesi Quinqueecclesiensi, ad quam Monachi ex sancta Cruce Austriæ transmissi, adeóque pertinentem ad Morimundum. Memoratur in literis Innocentij Papæ tertij, & Gregorij noni, non contemnendis causis commissis eius Abbati. At nunc insigne Cœnobium Superadum, antiquumque, Imperatoris industria ad nos translatum, altiùs repetito principio prosequamur.

[e] ann. 1141. cap. 10. n. 10.

---

1. Superadum antiquissimum Cœnobium, 2. olim duplex: 3. per Hermenegildum, Paternamque translatum, 4. & dotatum. 5. Sisnandi Compostellani Præsulis laudes, 6. cui à parentibus (induta sacra veste) commendata fundatio, 7. in qua & ipse cum fratre Roderico Monachus fuit. 8. Donationes à Regibus firmata: 9. & tredecim Cœnobia, ex quibus sex duplicia, sub Superado.

CAPVT XII.

1. VEtustissimum Superadi Cœnobium in Compostellana diœcesi situm, atque itinere vnius diei distans à Compostella, iam penè ad solitudinem redactum, instaurationem suam Cistercio debuit, quam abundè seipso compensauit. Fundatum id ad ripas fluuij Tambre, in valle de Presares, olim Comitatu, non secus ac Superadi ipsum commissum, nunc titulos religiosa modestia fugit, si non spernit. Æternitatem æmulatur antiquitas, si cuius rei principium ignoratur: Superadi primordia adhuc ignota loci nobis incutiunt reuerentiam. Sanè anno DCCLXXXII. nô multo post inuasá à Mauris Hispaniam, iam extare, nec simplex tantùm, sed duplex more antiquo, nimirum & virorum, & mulierum, publicis tabulis videmus esse sculptum. Sic enim in quadam donationis charta scriptû extat.

[a] *In Dei nomine, amen. Ego Munia, quamuis indigna,* 2.
confessa, vnà cum consensu fratrum, & sororum permanentiû in cœmeterio Superadi: & ego Gutier Abbas cum omni collegio Clericorû, & Monachorum normâ sanctitatis obseruantium in eodem Monasterio, tibi Trasuario Oserez, & vxori tuæ Animiæ, salutẽ in Domino, &c. *Facta charta firmitatis, & concessionis pridie Kal. Iuny, era octogies dena, & decies bina.* Hæc Superadi, vt minimum antiquitas, sed neque potuit tûc primum incepisse, cùm iam habebat de suo, quod aliis daret.

[a] in manum. Supera.

Fundasse nihilominus dicuntur Cœnobium hoc 3.
illustres Comites Hermenegildus, & Paterna, anno

Christi nongentesimo quinquagesimo secundo, quo desertis prioribus incommodis, nouas erexere sedes vtrique sexui. Addita etiam pingui dotatione, cui totius Comitatus prouentus respondebant. Fundata domus ad templum sancti Iacobi, iam olim in eadem valle situm, vnde etiam sacrandam censuerũt illius nomini. *In honorem* (inquiunt) *S. Iacobi Apostoli, & aliorum Sanctorum, quorum reliquia recondita venerantur in Aula, quæ sita esse dignoscitur in hoc loco, qui vocatur de Superado.* prima Ecclesia sancti Saluatoris etiam dicta. Vnde Superadum, in antiquis instrumentis gaudet promiscuè vtriusque aduocatione.

4\. Duodecim, & eis amplius villæ, quibus vallis tum temporis constabat, dotatio fuit, adiũctis aliis non paucis possessionibus. *Quæ omnia* (subdunt) *donamus, & concedimus, vt per manus Gelobræ Abbatissæ, vel quæ ei successerit, existat expẽsum in necessariis Virginum in loco ipso viuentium, necnon & fratrum, qui in vita sancta ibidem leue Christi iugum portauerint, &c. Facta charta in loco sancti Iacobi, pridie Idus May, æra nongentesima nonagesima.* Vt videas, non duplex tantùm Monasterium, quod tunc frequens, sed & præcipuam rationem œconomiæ totius domus, penes Sanctimoniales extitisse. Vnde etiam in priori illo instrumento Abbatissa præponitur Abbati, quod idem in sequentibus aliis planè inuenies.

5\. Fuerunt Hermenegildo, atque Paternæ filij plures satis illustres illo tempore. Sed in his illustrissimus Sisnandus Iriæ Flauiæ Episcopus, vulgò *del Padron*, qui nunc Archiepiscopus est Compostellanus. De huius egregiè factis multi multa, sed qui meliùs, successor eius Didacus. [b] *Antistes* (Iriæ Flauiæ, de quibus loquitur) *post Theodemirum, Ataulfus, & item Adaulfus sanctam duxere vitam. Post quos Sisnandus quartus à primo, vir religiosus, scientia plenus, eloquio clarus, dignitate summus, annuente Domino, in Apostoli Iacobi sede initius eligitur. Is basilicam beatissimi Iacobi Apostoli pro posse suo mirabiliter à fundamento ædificauit, adiuuante Rege domino Aldefonso & Semena Regina, & filiis suis, & vocatis de diuersis sedibus Pontificibus, & vniuerso Hispaniæ, & Gallesiæ populo, secundò consecrauit. Ille prior ordinauit familias, & Decanias, vnamquamque suo seruitio congruam, ad honorem, & excellentiam Clericorum intra tam dignam deseruientium aulam: ita vt qui postea relicta dignitatis potentia, tantùm Deo secretior vellet famulari, vnusquisque secundum sui gradus officium haberet & quietis ocium, & sustentationis subsidium. Maioribus Monasterium ante altare cum titulo sancti Petri, sub Abbate Ataulfo: secundis, & æqualibus Asceterium de Pinario sub Abbate Guto (quod Monasterium sub inuocatione sancti Martini Compostellani, & regula sanctissimi Patris Benedicti hodie perseuerat) ac minoribus lonium, verùm etiam minimis ædificauit turrim competentibus locis, & de sua Ecclesiæ bonis partem tribuit.* Huc vsque Didacus, quibus nec potuit breuiùs, nec disertiùs Sisnandum nobis ante oculos proponere.

b in histor. Compostell.

6\. Huic tanto viro, & in tantis occupato, nouæ ad Superadum fabricæ cura, à parentibus commissa, ipsos, relicto sæculo, Deo se se tradidisse in eodem loco, argumento est, quòd Ordonius, & Vrraca inclyti Reges Legionis, & Gallesiæ, anno CM. LVIII. quo primùm tempore prædicta omnia firmarunt suo diplomate, Sisnandum filium appellant fundatorẽ. *Vobis Patri, & Domino Sisnando Episcopo, qui hunc locum sub diuina virtute ædificastis.* Et tamen anno proximè sequenti, scilicet nongentesimo quinquagesimonono Hermenegildus, & Paterna adhuc superstites, inter Monachos, Monialesque in aliis chartis subscripti reperiuntur. Quin & Sisnandus Patrem suum Cõfessum nominat, quod ferè sonabat idem, quod nunc cõuersus.

Anno CM. LIX. Dux Rodericus (sic enim scripta appellant eorumdem Hermenegildi, & Paternæ illustris proles, vnà cum Geloira, ipsius coniuge, cùm filios, matrimonij fructum, non haberent, Superadum hæredem instituerunt: sub ea tamen lege, & conditione, vt quilibet priùs alteri succederet, & vtrique, qui filius nasceretur. [b] *Facta charta in Conuentu sancti Iacobi artis marmoricæ, Idus Nouembris, æra CM. XCVII.* Cæterùm anno à natiuitate Christi CM. XLVI. prædicti Rodericus, & Geloira, cùm iam à spe filiorum cecidissent, vnà cum fratre suo Sisnando Episcopo, patrum suorum sequuti pia vestigia, in eodem Superadi Monasterio, & sua omnia, & seipso Deo dicarũt. [c] *Damus* (inquiunt N. N. N. & plures nominant ibi possessiones) *vt sint communia desuper notata pro victu, atque vestitu tam nostrûm trium, quàm cæterorum omnium, qui in seruitio Dei in eodem Monasterio, quarto Idus Decembris, æra millesima quarta.* Sic Superadum in his duobus fratribus vterque gladius simul illustrauit, Ecclesiasticus nimirum, & sæcularis. Sic magnus ille Pontifex Sisnandus, post tot pietatis suæ egregia monumenta, relictis, quæ priùs condiderat, Cœnobiis, postremum hoc elegit sibi in sedem, imò vt ex eo, pro terrena, quam tamen certum omninò, an deseruerit, sedem sibi cœlestem præpararet. 7.

b in Archiuo Superadi.

c ibidem.

Factum Sisnandi, & Roderici fratrum serenissimus Rademirus Rex Legionis confirmauit Geloiræ post duos annos. [d] *Fœmina* (inquit) *confessa, & continenti* (haud dubium, quin Roderici olim vxori) *& Petro Abbati, atque eorum congregationi vtriusque sexus. Facta charta in Legione, decimo secundo Kalendas Octobris, æra millesima sexta.* Quæ incidit in annum CM. LXVIII. Anno autem CM. LXXVIII. similem confirmationis chartam exhibuit Petro, & Muniæ Abbati, & Abbatissæ. Et tandem anno CM. LXXXVII. Sisnando, vt credo, & Roderico iam defunctis, Alfonsus Rex ad Superadum veniens, sub finem Quadragesimæ, vt ibi Dominicæ Passionis & deuotiùs, & quietiùs officia celebraret, in die Cœnæ Domini cœmeterium ingressus, vt tali die, talium virorum manibus litaret, in eorundem piam recordationem, prædicta omnia tertiò adhuc sanciuit expedito diplomate: quod Fulgentius Presbyter postea stylo mandauit, ipsius iussu. 8.

d vbi suprà.

Vigebat Superadi Cœnobium per hæc tempora, valdè opulentum, si quod aliud, in Hispania. Nempe vltra immensam fundatorum dotationem, vltra Regum donaria, & priuilegia, tredecim, neque exilia Monasteria, intra non multos annos sibi subiecit. Vtriusque sexus sex, siue duplicia; simplicia totidem, vtraque Benedictina, æquè ac ipsum, vnum Canonicorum Regularium. Confundit [e] Yepes potius, quàm enumerat, sibi etiam ipsi contrarius, si spectes tempora. Canonicorum Regularium Conuentus, de Curtimatio dictus, sub cuius regula, aut vocatione adhoc nescitur. Reticent multa instrumenta illius temporis, nec si veritas propinanda est, eoque solida, alios inuenias fontes, è quibus haurias. Sex duplicium vocabula hæc erant, sancta Eugenia de Gaudioso, S. Martinus de Baudogia, S. Maria de Mosantio, S. Ioannes de Mera, siue de Quarto, S. Maria de Bellio, & sanctus Vincentius de 9.

e cent. 5. ann 922.

Bisaquis,

Bisaquis, seu Visocos. Simplicium ista, sanctus Vincentius de villa Vstulata, SS. Vincentius, & Ioannes de Almerezo, sanctus Ioannes de Prauio, sanctus Saluator de Coua, sancta Eulalia de Curtis, & S. N. de Reneta. Scio quædam alia ab aliis numerari, sed quæ Ecclesiæ fuerint regulares, hoc est, & regularibus vnitæ, & per eos administratæ, non Monasteria.

1. Monachi, ob nimiam opulentiam, prædæ expositi. 2. Vnde & fugam iniere: 3. conseruata Cœnobitica vita in solitudine. 4. Et Monasterium à diuersis possessum, 5. primis tyrannis denuò restitutum, 6. & confirmatum. 7. tandem agente Alfonso Imperatore, 8. redit ad Monachos, 9. instituta Cistercij suscepturos. 10. Restitutio, 11. & primordia Cisterciÿ in ea domo.

CAPVT XIII.

1. HÆc Superadi opulentia per ea tempora: sed faciles dare summa Deos illuc vsque expertum, eadem tueri difficiles inuenit. Nescit stare diu fortuna inconstans, neque hanc legem communem rebus omnibus, voluit Deus subterfugere sacras, sub hac luce, Ecclesias incrementis suis decreuisse, expertum pluries: Superadum penè defecit præ abundantia. Nec diuitiæ eneruarunt disciplinam: sed concupitæ à tyrannis illius temporis, auaritiæ materiam ministrarunt. Inuasere Monasterij possessiones Comites Sugeredus, & Adosinda: primum maiori interuallo ab ipso dissitas, post modum proximas etiam, & vicinas: Cœnobium ipsum tandem deprædantes (nam demoliri inconueniens visum fuit, iterum ad eamdem prædam redituris) seruos Dei afflixerunt, vsque ad fugam. Monialium fortè custodia omnes abegit, quæ difficilior solet esse in his tumultibus.

2. Sic circa annum Christi M. L. Superadum redactum ad eremum, testantur instrumenta quædam vicini temporis. Nam anno M. CCII. quo dudum sub Cisterciensi instituto refloruerat, quidam Martinus Clericus quamdam illi restituens possessionem, quam auus eius violenter vsurpauerat, in hæc verba prorumpere inuenitur.

a l. 1. fol. 83. a *Facio vobis chartam de Villare de S. Saluatore, quod erat de S. Maria de Superado, antequam Superadum veniret ad eremum. Et qui tulit, in morte sua, dixit filiis suis, quod ipsum Villare erat de Superado, & quod quitabat se de peccato,* &c. *Facta charta decimo quarto Kalendas Maij, æra M. CCXL.* Hæc ille. vt videas tyrannorum impietatem impietates aliorum post se trahere, nec posse solum delinquere eum, cuius alij delictum spectant, vt imitentur.

3. Et Monachi quidem ad montes confugientes, monasticam, vt potuerunt, disciplinam in communi degentes conseruarunt: quod series Abbatum nunquam interrupta, & plura etiam instrumenta palam faciunt. De Monialibus incertum, quid acciderit. Crediderim remeasse ad domos parentum, vel per alia Cœnobia diuertisse. Certè ex hoc tempore notitia earum deficit, nec Superado instaurato per Cistercienses, potuerunt ipsæ cum Monachis redire: nam nec duplicia Cœnobia vnquam sub hoc Ordine.

4. Difficile conseruantur malè parta, nec quid sine Deo mortalibus proficuum. Quidquid Sigeredus, & Adosinda abstulere Cœnobio, Rex Ferdinandus adiecit fisco Regio. Incertum nobis, quo tempore obtinuerint: certè ante annum M. LVII. aut ad summum M. LX. quo Ferdinandus obiit, amiserunt. Sic Superadum Regij iuris factum, rediisset sine dubio per Reges, ad veros dominos, si non Vrraca Alfonsi sexti filia, Imperatoris Alfonsi indigna mater (si qua fides historiis illius temporis) in sede Legionensi successisset. Sed quæ ab aliis locis piis nunquam abstinuit, haud mirum, si minus pia fuit in Superadum. Rodericus Palentinus de ea loquens, hanc nobis vitæ, mortisque historiam reliquit. b *Ferunt* (inquit) b part. 3. cap. 30. *Hispanorum Annalia, hanc Vrracam irreuerentem fuisse Ecclesiis, & piis locis, sæpe sacra templa spoliando, & Ecclesiæ ministros vituperando, & capiendo: quare iustissimas suorum sacrilegiorum pœnas soluit. Cùm enim bellum gereret contra Alfonsum Imperatorem filium suum, ingressa est Monasterium sancti Isidori Legionensis, atque à Monachis importunè petebat pecunias. Cùm verò illi dicerent se non habere, iussit militibus, vt Ecclesiam spoliarent ornamentis, & calicibus. Illi non sunt ausi. Quare ipsa indignata, templum cunctis iocalibus spoliauit. Cùm verò egrederetur limen templi, media crepuit, cunctis videntibus, & iudicia Dei laudantibus.* Huc vsque Episcopus. Hæc ergo in pios locos semper impia, Superadi omnia bona, & possessiones Comitibus Ferdinando, & Beremundo, Segeradi, & Adosindæ nepotibus (nam ipsi, & filij iam è viuis excesserant) quin & Monasterium ipsum nominatim, nouo, & penè inaudito largitionis, seu potiùs sacrilegij genere largita, (Alfonso de his præ puerili adhuc ætate nil curante) tale fecit transcribi priuilegium.

c *Ego Vrraca Regina Hispaniæ, bonæ memoriæ* 5.
Regis Domini Adefonsi filia, vnà cum filio meo Rege c lib. 2. fol. 6.
Adefonso, Comitis Raimundi filio, vobis Beremundo Petri, & fratri vestro Ferdinando Petri, damus Monasterium de Superado, quod iacet inter Montem rosum, & terram de spelunca, quod possedit auus meus Ferdinandus Rex, & vxor eius Regina Domina Sancia, de auo vestro Segeredo Aloisi, & vxore eius Adosinda, violenter, & sine omni directo. Et damus vobis supradictum Monasterium per hanc scripturam donationis, vt eum vlteriùs habeatis hereditario iure, & hoc facimus pro bono seruitio, & maxima fidelitate, quam nobis semper exhibuistis, videntes nos, vos iniustè amisisse. Et damus vobis illud supradictum per suos cautos, & terminos antiquos, sicut tenuit auus vester Segeredus, cum omnibus adiunctionibus, videlicet cum omnibus Monasteriis, parochiis, & laicalibus villis, & hominibus suis, &c. Ne autem dicamus, ea intentione ab ea fuisse donatum his duobus fratribus, vt Monachis per eos restitueretur, subdit statim, paucis interpositis. *Et hoc tenore damus vobis ad faciendum, quòd vestra extiterit voluntas, donandi, vendendi, cambiandi, vos & filij vestri, & posteritas vestra ano perenni. Facta charta quarto Kalendas Augusti, æra M. CVI.* Hæc priuilegium. In quo tamen, vt id obiter notem, æra referenda est ad annum Christi, quod non infrequens in scriptis illius temporis. Aliàs anno Christi M. LXVIII. qui incidit in æram M. CVI. regnabat Alfonsus sextus huius nominis, Vrracæ

 pater,

Vrracam eiusdem Tarasiæ, & Henrici Comitis filiam, sororem Alfonsi: atque ea mortua, Monachum etiam ibidem induisse, noui instituti primordia illustraturus. Sed de his latiùs [c] Yepes in Annalibus, confirmans pluribus vtrumque matrimonium. Nec de secundo dubitari ab aliis video: de primo integrum reliquimus lectori, in quam maluerit partem inclinare.

c cent. 5. ad ann. 922.

IESV CHRISTI ANN. 1143. — CISTERCII ANN. 46.

1. Miserandus status rerum Galliæ. 2. Impeditæ electiones Episcoporum. 3. Commissa, & spoliata Ecclesia. 4. Violata pacta. 5. Admissi ad consortium excommunicati. 6. Ac demum Rex matrimonia iusta impediens. 7. Hugo, & Bernardus de remedio omnium soliciti, 8. cùm in Conuentu Corbolij non profecissent, 9. liberiùs Regi scribunt. 10. Alia epistola ad Episcopum Suessionensem. 11. Impium facinus Regis in Deum ipsum. 12. Paulus Æmilius emendatus, aut intellectus.

CAPVT I.

1. RVEBANT in deterius Galliæ res, & Ludouicus, pietatis vinculis ruptis, quotidie irreligiosiùs, in Theobaldum atrociùs debacchabatur. Idque hoc anno millesimo centesimo quadragesimo tertio, Cistercij quadragesimo sexto, quo Bernardus ad Curiæ Cardinales, maximè autem ad dilectum sibi filium Stephanum Prænestinum Episcopum, mœrens, & dolens, hanc scripsit epistolam, miserum Galliæ statum continentem.

a epist. 223. [a] *Ad Stephanum Prænestinum Episcopum. Loquitur Hieremias ad Deum pro aduersariis suis, ita*

b Hierem. 18. *dicens: [b] Recordare Domine, quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Et infert: Propterea, inquit, da filios eorum in famem, & deduc eos in manibus gladij. Et adhuc alia in hunc modum æquè grauia imprecatur illis. Quod propterea nunc apud vestram reuerentiam memorandum putaui, quoniam simile mihi aliquid cum Propheta video accidisse. Vos enim scitis, quomodo ego quoque pro Rege steterim in conspectu Domini mei, corpore quidem absens, sed præsens spiritu, vt loquerer pro eo bonum. Bona siquidem pollicebatur. Nunc autem, ipso reddente pro bono malum, cogor contraria scribere. Pudet erroris, & falsæ spei, quam de eo conceperam, & gratias ago, quod pro eo simpliciter supplicans, non fuerim exauditus.*

2. *Putabam me deferre Regi pacifico, & ecce inuenio grauissimo hosti Ecclesiæ assensisse. Conculcantur apud nos Sancta, Ecclesia turpiter ancillatur. Nam & electiones Episcoporum prohibentur fieri, & sicubi id præsumptum à Clericis fuerit, electus episcopari non finitur. Denique sedet in tristitia Ecclesia Parisiensis, proprio destituta pastore, & nemo est, qui de substituendo alio mutire audeat. Non sufficit spoliari bonis præsentibus, domos Episcopales: etiam in terras, & in homines manus sacrilega circumquaque desæuit, totius insuper anni ex eis sibi redditus vendicando. Vestra Catalaunensis fecit quidem electionem, sed qui electus est, ecce iam diebus multis debito honore frustratur, & scitis, quàm non absque graui greges Dominici detrimento.*

3. *Commisit Rex germano suo Roberto vices Episcopi, & ille in cunctis terris, rebusque Ecclesiæ potestatiuè versans, & pro vice sua vbique haud segniter agens, infert cœlis quotidianas hostias, non planè pacificas, clamores pauperum, lachrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, & sanguinem interfectorum. Verùm angustus est malitiæ eius ille Episcopatus. Remensem inuadit, atque in terra Sanctorum inique gerit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus parcens. Denique sanctæ Mariæ, sancti Remigij, sancti Nicasij, sancti Theoderici terras fructiferas, & villas populosas ita in ore gladij deuastauit, vt penè in solitudinem redegerit vniuersas. Frequens in omnium auribus vox, [c] Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Sic Rex emendat, quod in Ecclesiam Bituricensem Herodiano iuramento commisit.* c Psalm. 82.

4. *Præterea Rex, nobis quidem non paruum laborantibus, pacem cum Comite Theobaldo fecerat, firmo, vt putauimus, amicitiæ fœdus inierat, & ecce occasiones quærit, quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod impingitur Comiti, quia cum Baronibus Regis de liberis suis contrahit matrimonia. Suspecta est illi dilatatio charitatis, nec se putat Regem, si se amauerint Principes. Conijcias prudentia vestra, quid animi erga subditos gerat, qui de odio, atque discordia si fuerit inter suos, se æstimat fortiorem. Videat, & perpendat, si est hic homo à Deo, qui in suorum magis mutua simultate, quàm charitate confidit, cùm charitas [d] sit Deus. Quod minimè faceret, si sapientiam illius haberet, qui ait: [e] Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Præterea ergo pacis conuentiones, & constitutiones manifestè transgreditur, nec tenet pacta sua, quæ distinxerunt labia sua.* d 1. Ioann. 4. e Cant. 8.

5. *Denique reuocauit in domum suam, & ad consilium suum virum adulterum, & excommunicatum, quem ex constituto eiecerat, & pro exercenda maiori malitia, aliis multis nequam æquè excommunicatis, periuriis, incendiariis, homicidis, Rex & Aduocatus Ecclesiæ, aduersùs Ecclesiam (quod non est dubium) amatorem, & defensorem denuò sortiatur, iuxta illud Prophetæ, [f] Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Ad hæc cogit suo more Episcopos ad maledicendum benedicendos, & iterum benedicendum maledicendos, & quoniam non obtemperatur pro suo libito sibi, circuit mare, & aridam, vt inueniat iuratores, quorum periuriis, quos fortasse Deus coniungit, per homines separentur. Qua fronte, obsecro, tantopere aliis præscribere de consanguinitate laboras, homo cum sua (quod palàm est) tertio consanguinitatis gradu fermè permanens consobrina?* f Psalm. 49.

6. *Et quidem inter filium Comitis Theobaldi, & Comitis Flandrensis filiam, & item inter Comitem Suessionensem, & filiam Comitis Theobaldi, si consanguinitas sit, nescio (scienter enim illicita matrimonia nec laudaui vnquam, nec laudo,) sed sciatis vos, & sciat Dominus meus, prohiberi horum nuptias. Si quomodo coniungi fas fuerit, exarmare Ecclesiam est, & multam illi subtrahere fortitudinem. Nec aliam puto aduersantium ipsis nuptiis intentionem,*

nisi

nisi vt in terris præfatorum Principum non possint habere refugium, quicumque audebunt contradicere schismati, quod minantur. Huc vsque zelus meus. Non possum enim ego emendare, quod potui redarguere: potui & commonere eum, qui possit. Zelus Domini mei faciat hoc. Ipsum duxi necessarium in magno Ecclesiæ labore, atque periculo compellandum, & per nullum dignius, quam per vos, qui eius lateri, & spiritui adhæretis. Apud quem, quæso, habete me excusatum, quod Rege mutato mutaudine stylum, qui ad ipsum Deum Dei Prophetam dixisse g Psalm. 17. *scitis:* [g] *Cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris.* Hæc ad Stephanum. Nec dissimilia ad cæteros Episcopos, quos sciebat Pontifici adhærere, tantis malis, qua possent, obuiaturos. Cur autem ad Innocentium tunc non scripserit, hoc ipso anno inferiùs declarabimus.

7. Interim ipse Sanctus, Hugoque, qui arbitri pactionum pro Theobaldo, quique quærendæ paci Ecclesiæ Gallicæ, ab Innocentio dati, id quod Bernardus non leuiter insinuat in epistola ad ipsum, quam mox subiungam: ne quid omnino intentatum remaneret, conuenire Regem, interponere proceres, diuina humana iura protestari, belli damna proponere, & quocumque vincente, perire regnum, quo sine neque Rex possit consistere. Nam cuius illa terra quæ vastabatur? cuius homines, in quos desæuiebat? Nonnè ex eius Ærario restituenda? Nam quando pateretur interire, quæ eius progenitores ædificassent? Distracta tunc per bellum, aliis cedere: cùm perierint, per ipsum restauranda. Atque hæc quidem de lucris temporalibus: nam de fama, & honore adhuc maiora, maxima de salute declamabant. An regnum Galliæ Ecclesiæ hactenus fidum, hactenus obsequens, sub Ludouico excutiat annosum iugum? An schismatici nomen infame subeat, per quod schismata semper euanuissent? An non se tantùm, ac suos aspernabitur, sed Christum etiam, in Vicario eius contemnet? h Psalm. 75. Denique metuat rebellis inueniri [h] terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribilique apud Reges terræ.

8. His & similibus Regem nunc per litteras, nunc coram aggressi, & reuerenter, constanterque arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina perseuerabant. Et iam Conuentus Carbolij destinatus promittebat meliora, si non Rex, vix auditis Sanctorum placitis, & nihil sibi deferri, quandiu non omnia, tenaciter contestans pro more Principum, indignatus, ac furens recessisset, impatiens æqui, nec solùm non obediens, verùm non audiens. Tunc sancti viri confusi fœda repulsa: sed nihilominus constantes pro pace regni, per fratrem Andream, sibi inter charissimos, & vt apparet, Regi familiarem, talem ad eum epistolam scripserunt.

9. i epist. 22. *Ludouico Dei gratia illustri Regi Francorum, & Duci Aquitanorum, Hugo Altisiodorensis qualiscumque minister, & Bernardus Claræuallis Abbas, diligere iustitiam, & iudicare in terra sapienter. Diu est, quòd egressi de domibus nostris, postpositis propriis vtilitatibus, pro pace vestra, & regni, fideliter (sicut Deus nobis est testis) laboramus. Tristamur autem quod aut nullum, aut exiguum nostri laboris fructum adhuc tenemus. Adhuc pauperes clamant post nos, adhuc terra vadit quotidie in desolationem. Quæritis quæ terra? Vestra, non alia. Intra regnum enim, & contra regnum vestrum, ista omnia mala perpetrantur. Nam siue amici, siue inimici vestri sint, qui de guerra ista pauperantur, capti-uantur, conteruntur: non aliunde, quàm de regno vestro sunt. In quo manifestè imminere iam iamque videtur sermo Saluatoris dicentis:* [k] *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* k Matth. 12. *Huc accedit, quod ipsi diuisores, & desolatores vos constituerunt sibi huius nequitiæ caput, & Principem, quem præcipuè debuerant metuere defensorem, & sentire vltorem. Nos tamen credebamus tactum à Deo, & illuminatum tantam illorum nequitiam aduertisse, & errorem vestrum agnouisse, & cupere omnino consiliis sanioribus à laqueo isto retrahere pedem. Cæterùm ab hac spe penè deiecit nos colloquium illud habitum nuper inter nos apud Corbolium. Scitis enim quomodo, & quàm irrationabiliter (vt pace vestra dixerimus) à nobis tunc recessistis. Vnde factum est, quod sermonis illius qui vobis in dicto nostro displicuit, reddere ad liquidum rationem pro vestra nobis turbatione non licuit. Quam si expectare placido corde dignaremini, forsitan cognouissetis & vos, quod nil vobis indecens, aut importabile dictum fuisset, secundum quod iam res vestra processit. Nunc autem sine causa turbatus, turbatos nos, & confusos, & quid faciamus, dubios, anxiosque tenetis homines, qui vobis bona cupiunt, & quærunt. Quod non est aliud, nisi quia fraus iniquorum, & remusculi parum scientium hominum, dicentium malum bonum, & bonum malum, conturbant vos. Verùm nos etsi conturbati, non tamen omnino desperati de auxilio spiritus, quem vestrum animum salubriter super malis præteritis concussisse persensimus, adhuc stamus, & expectamus, vt redeatis ad cor, & quod prudenter cœpistis, efficaciter compleatis. Huius rei gratia misimus fratrem charissimum nobis Andream de Baldemento, qui vobis ista plenius viua voce insinuet, & quidquid ad hæc respondere placuerit, fideliter renunciet nobis. Si autem persistitis (quod absit) non acquiescere sanis consiliis, mundi nos sumus a sanguine vestro: Deus non permittet Ecclesiam suam, a vobis, siue à vestris diutius conculcari.* Hæc vterque sanctus ad Regem satis constanter.

At ad Ioslenum Suessionensem Episcopum, 10. Bernardus solus, iniuriæ acceptæ immemor, vel potiùs ideò amantior, quia memor, hanc familiarem, & amicam scripsit epistolam, eo breuiorem, quo confidentiorem.

[l] *Ad Episcopum Suessionensem pro pace.* l epist. 224. *Laborauimus: sed de profectu adhuc est quæstio. Seminauimus multum, sed intulimus parum. Fatemur nos eguisse vestra opera, & præsentia. Verùm quod eam non requisiuimus in tanta necessitate, per amicum communem sancti Dionysij Abbatem docebimini. Nunc itaque ne de cætero dissimuletis, sed secundùm sapientiam vobis à Deo datam studeatis, quæ ad pacem sunt, monemus sanctam solicitudinem vestram. Nam rogandus non estis pro tali re, quæ vtique constat non modò valdè honorificari ministerium vestrum, sed & turpari admodum si negligitis. In indicta celebritate apud sanctum Dionysium speramus videre vos.* Hæc ad Ioslenum. Ad Sugerium nihil, quippe quem propiùs Bernardus consalutauerat.

Nil obtentum apud Regem per literas, cœ- 11. ca ira Principum antequam erumpat, cum desæuierit, statim oculanda. Ergo hoc anno, piaculo insigni, ad Vitoriacum, Vitriacum

alij

alij dicunt, quod oppidom ditionis Theobaldi erat, Rex primùm muros, mox Ecclesiam ipsam, in quam fermè oppidani omnes confugerant, incendio vastat, sacra profana, viros, fœminas, puberes, & impuberes comburit. Mille & trecentæ animæ interiere, plures alij numerant, quæ sanctitate loci velut munitæ, salutem ex religione præstolabantur. Tunc demum Rex pœnitentia sera correptus, plorasse dicitur, sed non adhuc peccatum emendatutus.
m ad hunc ann. De his Robertus Sigeberti continuatur. [m] *Ludouicus Rex Vitriacum Castrum Comitis Theobaldi capit, vbi igne admoto, Ecclesia incensa, & in ea mille trecentæ animæ diuersi sexus, & ætatis, igne consumptæ sunt. Super quo Rex Ludouicus misericordia motus, plorasse dicitur, & hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus, à quibusdam existimatur.* Ita Robertus.

12. Cuius, vt credo, verborum occasione, Paulus Æmilius tempora confundeos, Bemardum Patrem ascitum à Rege tradit, clementiam Dei per ipsum, quasi iam pœniteret, implo-
n in Ludouic. iuniore. raturo. [n] *Qui (inquit) intromissus, & benignissimè à Rege susceptus, cùm eius fletum conspiceret, causamque doloris didicisset: Hæ (ait) lachrymæ, nisi citò exarescant, extinguere possunt Vitoriacensis incendij memoriam. Tantum adde illis constantiam, roburque, & ne sit velut muliebris ploratus, viriles, ac verè regios animos gere. Antequam læsi numinis ira in te se armet, quas templo, arisque intulisti faces, in templorum hostes, barbaramque religionem conuerte*, &c. Quæ plurima prosequitur, quasi Bernardus Ludouicum hoc ipso anno, atque hac occasione, ad Hierosolymitanam expeditionem bortatus fuerit. Verùm hæc tribus, vt minimum, annis interiectis, longè distantia: atque alterum sub Innocentio, alterum sub Eugenio, mediis duobua aliis Pontificibus, breuis licèt ætatis, contingentia, sine causa in historia confundaotur. Potuit prioris sceleris memoria Regem impellere: potuit & à Bernardo commemorari, etiam si a[nte] biennium patratum foret. Et Ludouicus adhuc Theobaldo discors, nec illi pacandus nisi post annum, vt suo etiam loco (nam interuentu Bernardi) commemorabimus.

---

1. Innocentius indignatur Bernardo, quòd bona Inonis Legati distribuisset, 2. & ob frequentes ipsius intercessiones. 3. Sanctus vtrique querelæ facit satis. 4. Grauia Baronij verba super hoc ipso. 5. Schisma Eboracensis Ecclesiæ, 6. à Rogerio confusè, 7. clariùs à Neubricensi, 8. sed à neutro exactè descriptum hactenus, quod ex Bernardi epistolis hauriendum.

Capvt II.

1. MOErebat sanctus Pater hæc mala publica, cùm subitò priuata etiam expertus, vnde minus timebat, dolori dolor, & tristitia tristitiæ superadditur. Amissa, ipso ignaro, gratia Innocentij, quam tot laboribus, tot obsequiis promeruisset. Inonis Cardinalis Legati bona in causa, distributa pauperibus, quæ Pontifici forent reseruanda, & distributio imputata Bernardo, duplici titulo: quòd distributor designatus in testamento, & quòd pauperum causæ promotor, vel vltroneus seipsum ingessisset. Affuerant extremè laboranti duo Abbates, per quos, Bernardo adiuncto, legata bona, in pauperum transirent possessionem. Et adiere vterque Claramvallem, Bernardum, vt par erat, requisitori: sed Sancto in pacis negotiis occupato, nec inuento, ne testamentum diutiùs morarentur, quæ suo iusserat, soli peregerunt. Difficile Innocentio visum est, inconsulto Bernardo, patratum quicquam, & erat eo ea causa suspectus Sanctus, propria, quia pauperum, aut propriis præferenda.

2. Iam verò gratia vtcumque semel amissa, quæ hominum plerumque conditio est, quæ antè placuerant, insensa esse cœperunt. Nihil ferè in Ecclesia agi sine Bernardo, atque eius frequentibua epistolis, intercessionibusque, vix vnicum Pontificem sufficere, qui tamen vniuersæ Ecclesiæ datus, non posset vni viro morem gerere. Contineret se Abbas intra Cœnobium, contineret vel saltim intra Galliam, & esset aliquid, quod non peragereter eius arbitrio. Ita ne Principes, ita ne! Pontifices, atque ipse totius Ecclesiæ Præsul, nihil agere posset, nisi per ipsum: Ita ne nihil sanctum, perfectumvè, nisi quod per Bernardum dirigeretur? Sic qui olim firmandæ sibi Tiaræ, in omnes mundi plagas Bernardo vsus, postquam firmauerat, damnat, quod elegit, & qui pro se rogaturum solicitabat, non patitur rogantem, sibi pro aliis.

3. Hæc de Pontificis in ipsum indignatione, vbi accepit Bernardus, Apologeticam, vt [a] *a ad ann.*
Baronius ait, ad eum scripsit epistolam: qua *1143.*
suam causam defendens, & potenter excusans, ostendit se nihil in eo peccasse, vt eius indignationem commereretur. Sed ipsum Sanctum loquentem audiamus.

[b] *Domino, & Patri Reuerendissimo Innocentio,* *b epist. 218.*
Bernardus nihilum id quod est. Putabam me aliquando aliquid vel modicum esse, sed nunc, vt sentio, prorsus ad nihilum redactus sum, dum nesciui. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuisse, cùm oculi Domini mei super puerum suum essent, & aures eius ad preces meas, cùm omne quod scriberem, obuiis manibus accepisset, & vultu hilari perlegisset, benignissimè, atque plenissimè ad omnia postulata respondens. Modò autem meritò non modicum dico, sed nihilum: quoniam ab heri, & nudius tertius auertit faciem suam à me. Cur hoc? Quid peccaui? Multum fateor, si pecunia Cardinalis Inonis bonæ memoriæ meo arbitrio distributa fuit, & non ad nutum ipsius, quod vtique ad aures Domini mei fuisset perlatum, mihi relatum est. Sed confido, quia nunc huius rei veritatem cognoscetis, & veritas liberabit me. {Non sum tam hebes, vt ignorem Ecclesiæ esse, quidquid ille rerum suarum' non dederit. Sed iam audite simpliciter veritatem. Si inuentum fuerit in ore meo mendacium, ipsum os meum condemnabit me. Quando homo exuit hominem, absens eram, imò & valdè remotus. Audiui autem ab his, qui affuerunt, quòd ipse fecerit suum testamentum, & quod fecit, fecit, & scribi, & de rebus suis quæ voluit, quibus voluit, ipse diuisit: quod residuum fuit, duobus Abbatibus assistentibus, tunc sibi, & mihi pariter, qui absens eram, diuidendum commisit: oo quo nobis nota essent
loco

loca pauperiora Sanctorum. Porrò Abbates illi demum venientes, & non inuenientes me (detinebar enim tunc temporis ex vestro mandato pacis quærendæ negotiis;) nihilominus pecuniam, si iam, si placet, manifesta indignatio veritati: nec mihi deinceps frons rugetur, aut supercilium deponatur, sed solita redeat solemnitas blando, & benigno vultui, ac suo denuo læta facies induatur. Nam quod item comperi displicuisse me id multis scripitationibus meis, hoc me iam metuere non oportebit, quoniam facilè emendabo. Scio, scio, præsumpsi plus, quàm oportuit, parum attendens quis cui scripitare præsumerem: sed ad id quidem audendum vestra me armarat benignitas, non negabitis. Vrgebat deinde charitas amicorum: etenim perpauca pro me scripsi, si benè memini. Sed ne quid nimis. Dabo, si potero, zelo meo de cætero temporamentum, scientiam, & ponam digitum meum super os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quam multis precibus defatigem Christum Domini. Et nunc quoque non sum scribere ausus vobis de imminentibus Ecclesiæ periculis, & graui schismate, quod timemus, ac plurimis, quæ sustinemus, incommodis. Scripsi autem sanctus Episcopus vestro lateri adhærentibus: ab ipsis audire poteritis, si scire placuerit, quæ scripserim ego. Hactenus ad Innocentium Bernardus Pater, & verè hactenus, quippe hanc vltimam ad eum scripsit epistolam.

4. Subdit Baronius, eandem ad verbum referens. [c] *Accidit planè secundum illud Sapientis:* [d] *Calumnia conturbat sapientem. Vt sanctus Bernardus ob calumniatores apud Innocentium Papam æstimatione minueretur, adeoque vt tot, tantisque exhibitis per eumdem Sanctum officiis, & beneficiis, obliuioni traditis, iam nulla eorum habita ratione, exciderit ipse a gratia eius: an autem acceptis his literis, Innocentius æquiori erga eum animo fuerit, haud nobis compertum habetur. At si in terra aruerunt sata Bernardi, flante vento vrenti, certi alibi quidem collegit ad vitam æternam, quæ non humano, sed diuino intuitu ab eo sunt iactata semina in terra viuentium. Sic discant homines non sperare in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Ita Baronius. Certè Innocentius non diu pòst superstes, aut pacatus, aut pacandus credatur, si diutiùs viueret.

c hoc ann.
d Eccles. 7.

5. Hoc eodem anno venerabilis [e] Trustinus Eboracensis in Anglia Præsul, cuius suprà meminimus, In Monasterio ad Pontem fractum decedens, quamuis & se præsulatu antè abdicauerat, diuturniori dissidij occasio fuit. Quibusdam venerabilem Henricum, iam tunc Abbatem Fontium, si qua fides [f] Pitsæo, de quo superiùs, quibusdam VVillelmum eligentibus, eiusdem antea Ecclesiæ Thesaurarium: nobilem, & potentem secundùm sæculum, atque ob agnatam ingenij facilitatem satis amabilem, sed degenerem moribus, & quem Pontificem ægrè paterentur quicumque boni. Et illi quidem electorum qualitas, & propriæ vitæ merita, huic numerus, & potentia suffragabantur. Sed VVillelmo solicitè ambiente, quod Henricus modestè recusabat, dum ille præualet, vterque potitur votis, alter dignitatem adeptus, alter euadens. Sunt qui affirmant Trustinum ætate grauem, cum Archiepiscopatum designasset, Cistercium ingressum, ibique peregisse reliquum vitæ: idque a Ioanne Pitsæo notatum lego. *Trustanus, vel Trustinus Clericus Anglus, & ob merita virtutum successu temporis ad Archiepiscopatum Eboracensem assumptus, de quo alibi fusius. Vir grandis ingenij, miræ constantiæ, mediocris doctrinæ, summus Doctorum hominum fautor. Scripta, quæ edidit, laudabilia, pleraque dicauit Guillelmo Corboile Archiepiscopo Cantuariensi. Senex Archiepiscopatum resignauit, Cisterciensem Ordinem intrauit, & in eo vsque ad mortem perseuerauit.* Hactenus ille, quæ, vt omnino certa, nequaquam adstruam, maximè cùm in antiquis nihil tale legam: sic à graui auctore propalata, & qui semper antiquos sequi solet, non putaui silentio prætereunda. Henriquez, si non transcribens, insignem virum Cisterciensibus annumerat. Ast ego, vt verum fatear, Pontem fractum non Cisterciensium, sed Cluniacensium Monachorum Cœnobium lego, in quod secessisse Trustinum antiqui tradunt. Hæc indicasse nobis satis sit. Sed iam ad successores, namque reuera plures, deueniamus.

e Guillelm. Neubricens. lib. 1. cap. 14.
f in catalog. scriptor. Brit. ann. 1130. in Richardo.
in catalog. script. Britan. ann. 1140. in Trustano.
in suo Phen.

De hoc schismate hæc Rogerius in Annalibus. *Anno M. C X L. obiit Trustinus Eboracensis Archiepiscopus. Quo defuncto, statim fit schisma in Eboracensi Ecclesia de electione Pontificis. Quidam enim elegerunt VVillelmum Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarium, quem Henricus Ouintoniensis Ecclesiæ Episcopus, Romanæ sedis Legatus consecrauit. Cæteri verò Canonicorum elegerunt sibi Archiepiscopum Henricum Murdach, qui præualuit, & Archiepiscopatum tenuit, quandiu vixit.* Hactenus Rogerius, trium annorum acta confundens, & si eius computum sequamur, etiam quinque, quippe Henricus nequaquam sublimatus ante annum M. C X L V. sub Eugenio condiscipulo eius in Claravalle, quod pòst videbimus. Nos sigillatim processum litis tradentes, singula suis annis disterminabimus. 6.

Electus, an intrusus VVillelmus, nam de valore etiam electionis dubitabatur, Legatos ad Romanam Curiam mittit, confirmandus, & pallio donandus ab Innocentio. Verùm cùm multi viri religiosi, non reclamante Henrico, reclamarent, atque electioni, & electo se opponerent, & illam irritam, indignum illum arguerent: Innocentius de vtraque causa iudicaturus, VVillelmum audiendum ad se vocauit, mox auditum remisit, negato pallio. Narrat hæc paucis Guillelmus Neubricensis. [g] *Venerabili Trustino defuncto, Eboracensis Ecclesiæ Pontificatum suscepit VVillelmus, eiusdem Ecclesiæ Thesaurarius, vir planè secundum carnem nobilis, & ingenita lenitate amabilis. Qui cùm ad sedem Apostolicam responsales idoneos, pro petendo solemniter pallio direxisset, emergentibus aduersariis, & multa contra eum proponentibus, negatum est.* Ita Guillelmus Rogerio paulo distinctior, sed paulo tamen: nec explicans triennij possessionem, VVillelmo permissam, etiam post pallium negatum ab Innocentio. Vtrumque Nicolaus [h] Arspheldius contexit proximo sæculo, in sua historia Ecclesiastica Anglicana, nisi quòd tamen, nam id etiam notabo, electioni Guillelmi nimium defert: nec Henricum promotum, nisi per turbas, prælatum, nisi per fauorem Eugenij, nec scio, quam ex fide, testificatur. Nos ex variis epistolis Bernardi, actores primum, mox rei defensionem: inde sententiam velut impendenti. Demum morte Innocentij, turbata omnia, atque inde ortam violentiam, declarabimus, quæ per Eugenium venit rescindenda. 7.

g lib. 1. c. 17.
h sæculo 12. c. 41.

Interim

8\. Interim quod ad rationem temporis attinet, admoneodus Lector, Guillelmum Neubricensem, Rogeriumque scriptores Anglos, inter se magis, quàm à nobis dissentientes; tempus, illum differre, hunc anteponere, quippe Rogerius anno quadragesimo, quod modò dicebamus, Guillelmus quadragesimo quarto factum recensent. Sed hoc conuicto ex tempore Innocentij, sub quo res cœpta, & quem constat hoc anno decessisse: ille ex progressu causæ confutatur, quippe in ipsis initiis interrupta morte Pontificis.

1. Guillelmo Eboraci intruso, reclamat Theobaldus, 2. Guillelmus ipse, & duo Cistercienses Abbates vocati Romam: 3. & sententia sub conditione prolata. 4. Mox absoluta, sed intercepta morte Pontificis. 5. Clamores varij, & res interim dilata. 6. Sancti Guillelmi Rieuallensis Abbatis mors, 7. & laudes. 8. Emendatus Picardus. 9. Guillelmi gloria ostensa semel, 10. & iterum.

CAPVT III.

1\. ERgo electione Eboraci celebrata sub Henrico Vintoniensi Episcopo, qui tunc Legatum agebat Romanæ sedis, iure ne, an iniuria, Guillelmus compos, confirmationem, & pallium præstolabatur. Cùm Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, Anglorum Primas, atque inter primos religione, & iustitiæ zelo, Ecclesiæ illustris causam miseratus, & propriis nunciis Guillelmi nuncios præueniens, electionem, vt cassam, irritamque, atque eo solùm non infirmandam, quia prorsus nullam, & electum indignum proclamauit: modicum scientia, prudentiaque inexpertum; sed, quod longè deterius, fœdum moribus, & non occultis vitus diffamatum. Nec præferendum Henrico homini sancto, docto, prudentique, atque eo digniori, quo magis recusanti Pontificatum. Ipsum vix compellendum, vt consentiret, ne dum vt litigaret: sed iustitiam pro eo litigaturam, & communem Ecclesiæ Anglicanæ, maximè Eboracensis, vtilitatem. An carituram eam digno Pontifice, vt tradatur ambienti prorsus indigno, immò vel eo indigno, quia ambienti? Id proprium munus Vicarij Christi, & successoris Petri, si hæc scandala de regno Dei tollat, nec oues veris pastoribus exemptas, lupis exponi permittat, aut raptoribus.

2\. Talibus tanti viri dictis permotus Pontifex, queis ex se grauibus, auctoritas scribentis, & legentis integritas, pondus addebant: VVillelmum audiendum ad se vocauit, neminem inauditum, quamuis infamem, quamuis à grauissimis viris accusatum, condemnaturus. Sed nihilominus (nam Henrico per omnia parcendum censuit) quo neque veritas inaudita præteriretur, duos Cisterciensis Ordinis Abbates asciri iussit, per quos Capitula accusationis obiecta, probataque, tanquam per veritatis, & iustitiæ propugnatores, instruerent animum, & si quando opus, zelum prouocarent. Atque hæc omnia ab auctoribus omissa, epistola Bernardi patefaciunt. Nam Religiosos ascitos ad accusandum, ad Cœlestinum non multo pòst scripsit. [a] *Si se exitus* (inquit) *imminebat, cur à longinquo Romam est pertracta causa spurcissima, vmbra magis, & angulo digna? Cur tanta mari, terraque à multis assumpta fatigatio? Cur à finibus terræ euocati, viri religiosi, qui eum accusarent, & pauperum Christi marsupia, longi itineris expensis exhausta sunt?* Porrò hos non Religiosos tantùm, sed Abbates, paulò inferiùs declarat, dum ita subdit. *Alioqui quod consilium datis miseris Abbatibus illis, quos ad accusandum eum* (scilicet VVillelmum) *vocatio Apostolica Romam traxit?* Et item ad Romanam Curiam scribens. [b] *Si non vos viris scandalum graue, quo scandalizantur, non pusilli, sed magni, & perfecti viri: si non compatimini pauperibus Abbatibus, quos à finibus terræ vocatio Apostolica Romam traxit.* Demum Abbates fuisse Cistercienses, ex aliis ad Eugenium scriptis literis constat. Vbi sic habet. [c] *Nónne Eboracensis* (scilicet VVillelmus) *ipse est, cui te præsente, cum adhuc esses, quasi vnus ex nobis, fratres tui restiterunt in faciem, eò quod reprehensibilis erat?*

a epist. 234.

b epist. 235.

c epist. 237.

3\. Igitur Romæ vtrisque comparentibus, Abbatibus nimirum, VVillelmoque, cùm illi modestè satis in personam, pro qualitate causæ, in electionem grauiùs perorassent, ille è contrario, vnius viri testimonio, neque præsentis, VVillelmi alterius Eboracensis Decani se tueretur, quem fauorabilem sibi cognouisset: eò, præualente iustitiæ misericordia, an delata pro more potentiæ gratia, deuentum est, vt si Decanus Iuramento firmaret ea, de quibus testis producebatur, vel Abbatibus ipsis consentientibus, adiudicatum illi, secus abiudicatum decerneretur. Habemus id ex eisdem Sancti epistolis: nec grauabor referre Bernardi verba. [d] *Cùm in multis accusaretur is, qui sibi vendicare electionem in præfata Ecclesia impiè cupiebat, tandem omnis controuersia ad testimonium viri illustris VVillelmi, ipsius Ecclesiæ tunc Decani, conquiescere iussa est, vt nisi Capitulum intrusionis, quod huic inter cætera obiiciebatur, ille propria manus iuramento amoueret, suis omnino conatibus tanta frustraretur ambitio. Hoc autem non ex iudicio, sed ex misericordia: sic enim rogauerat ipse. Mitissima sanè sententia, quippe cùm de plurimis, & pessimis pulsaretur, quæ nullatenus propulsare valebat. Sed vtinam vel ipsa stet. Quid enim si non sufficit iuri, dummodo sufficiat Ecclesiæ liberationi.* Hæc ad Pontificem. Nec dissimilia ad Cardinales. [e] *Non ignoratis prolatam esse sententiam à Domino Papa bonæ memoriæ Innocentio, cum vestro, & Romanæ Curiæ generali assensu, irritam esse VVillelmi Eboracensis electionem, immò intrusionem, nisi VVillelmus alter tunc Decanus, quod obiectum ei fuerat, propria manus iuramento depelleret. Nec vos latuit, quàm plena esset sententia non iudicij, sed misericordiæ, nimirum cum hoc VVillelmus ipse quæsiisset.* Hactenus Sanctus.

d epist. 234.

e epist. 235.

4\. Sic veluti sub conditione decisa causa, nam Decanus Eboraci demorabatur, reuersi vtrique literas ad Legatum reportarunt, quibus res tota testimonio Decani remittebatur. Et ille quidem iuraturus ascitus est: sed nequaquam inductus, vt peieraret. Ex quo in VVillelmum dudum sententia lata Henricum consectandum præstolabatur. Sed ecce interim, Innocentio Papa, secundo Kalendas Octobris, de viuis rapto, turbata omnia, & qui dudum conuictus, confessusque, quippe eius ore, cui causam suam crediderat, prætendere moras,

negare sententiam, & litem indecisam adhuc relictam, fauere sibi, vt quasi possessori: demum defuncti Innocentij, eóque non comprobandas literas fingere, tempore posteriores, quibus se confirmandum præcepisset, aut proferebat, aut saltim iactitabat. Incerta omnia, neque minus ipsa varietate suspecta, quàm ex auctore.

5. Præualuit tamen potentia in rebus turbidis, Rege, & Legato adnitentibus pro viro, & illo quidem regalia concedente, hoc in sede Eboraci sublimante, fortè Abbatibus non contradicentibus, quippe cessante præcepto cum præceptore, & eos aliàs Henrico retardante, quo minus ab amica quiete diuelleretur. Verùm cùm statu mutatò, manerent mores, nec dignitas meliorem comprobaret, quem minus probum arguebat priuata vita: Cantuariensis Præsul, aliique Bernardum Patrem, Bernardus Romanam curiam solicitabant, vt de regno Dei scandalo amoto, Eboracense idolum per violentiam intrusum deiiceretur. Hæc raptim modò sufficiat tetigisse: nam Sancti epistolas ad Cœlestinum scriptas, sub ipso ex more commodius adducemus.

6. Sed antequam ab Anglia discedamus, sanctus Guillelmus honor Riuallis, & primus Abbas, plangendus, an pangendus, ad Superos translatus felici obitu. Is post duodecimum annum præfecturæ, post dilatatum Cistercium per duo regna, Angliam, Scotiamque, post Ailredum ad Ordinem susceptum, & potenter instructum, quippe sibi in officio successurum: post multas animas vtcumque Deo lucratus, multas etiam mancipatas diuino cultui, quasi nil iam residuum superesset, peracta via, ad terminum peruenit, cum sanctis Angelis gloria coronandus. Sacræ corporis eius exuuiæ tandiu in honore filiis, quandiu aliorum Sanctorum in eo regno: hodie (proh dolor!) prostant, & conculcantur, sed si in contemptum fidei, maiori gloria. De eo Rieuallensis Nicolaus hæc inter alia.

7. [f] *O nimium dilecte Deo, primus Patriarcha*
Noster, & insignis pastor, communa beati
Patris, adesto tuis, tibi supplico, cælicus hæres.
Viuis in æternum gestans diadema supernum.
Tu nec obis, nec abis vnquam, non es procul: immò
Semper hic, & eris; non hospes, at incola, cuius
Nos penes est dulcedo recens, sacra gleba sepulchri
Gratia. Defuncti cineres venerantur abunde.
Vir sacer, & sapiens, & ab omni parte beatus,
Mundus ab hoc mundo, sublatus fine secundo
Lætior ante Deum, degustans nunc, & in æuum
Dulcis aroma melli, quod inebriat atria cæli.
Tu Rieuallis honor, Dux inclyte, flos sine spina,
Te duce, ditior est, & tanto flore beata.
Anglia te genuit, Vallis clarissima mores
Sacros instituit, tua nos doctrina beauit.
Alme Pater salue, loca nostra tuere, quibus tu
Es prior architectus es, & fundator, & auctor.

[f] apud Henr. in Menol. 2. August.

8. Hæc de sancto Guillelmo Nicolaus, subæqualis antiquitatis auctor, quantum ex carminibus eius licet colligere. Ioannes Picardus hæc eadem adducit in notis ad epistolam primam sancti Bernardi, sumpta occasione ex Notario, aut exceptore, quem hunc sanctum Guillelmum fuisse diximus. Verùm quod ait, eundem etiam esse Rieuallis Abbatem, cuius laudes prosequitur Gilbertus sermone quadragesimo secundo in Cantica, indulgendum ad alia properanti, nec nimium attendenti rationem temporum. Namque Gilbertus, qui inde continuauit Canticorum mysteria declarare, vnde Bernardus morte præuentus desiit, nequaquam potuit ad quadragesimum secundum expositionis sermonem peruenire, decennio, antequam Sanctus consummaretur. Non ergo loquitur Gilbertus de Guillelmo, sed de Ailredo, qui anno M. CXLVI. tertio decimo à Bernardi morte obiit, adeóque tempore satis opportuno, & respondenti Gilberti continuationi. Mirabilius quod Chrysostomus Henriquez eidem etiam errori succenturietur, sequutus indiscussa causa, Picardum, dum celebrat Guillelmum in Menologio, idque ad secundam diem mensis Augusti.

Extant de gloria VVillemi visiones celebres sancto VValeno factæ, de quo statim, cùm post ingressum eius in Rieuallem Matricem domum ex more visitaret, quarum cum annus certus non habeatur, hîc consequenter duxi transcribendas. Referam autem verba Ioscelini in vita sancti VValeni, quæ ita habent. [g] *Alia vice (ait) iuxta Cisterciensis Ordinis instituta Rieuallem visitauit, & sua præsentia in Deo lætificauit. Cumque post Completorium, cæteris egressis de more in dormitorium, solus demoraretur in Oratorio, extulit manus suas in sancta, effundens sicut* [h] *aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Postquam direxerat orationem suam sicut incensum in conspectu Domini egressus est de Ecclesia in Capitulum, vt ante sepulchrum amicissimi sui VVillelmi Abbatis preces pro anima eius funderet. Cùm autem attentiùs oraret, talis, tantaque melodia suis auribus insonuit, qualem, quantamque antea nunquam audiuit. Stans itaque aliquantulum collum extendit, aures attonitas erexit, auscultando diligentiam magnam adhibuit, &, vt sibi videbatur, totum illud Melos in Ecclesia reboabat. Volens ergo ire ad videndum, & citiùs cognoscendum super hac re, de Capitulo exiuit, & ecce cœtus magnus candidatus cœlesto neuma concinens, & gradatim procedens obuiam venit. In prima huius fronte beatæ processionis, Abbas VVillelmus, pro quo orauerat, locum, & officium Abbatis tenuit, grandisque turba Monachorum, & Conuersorum, qui iam dormierant in Domino, sequebatur. Eorum plures Dominus VValenus, dum adviueret, benè nouit. Intrauit cum illis viuus cum mortuis, imò cum Christo, & in Christo viuentibus. Oratione facta ante memoratam tumbam, & cunctis in ordine suo sedentibus, iubente Abbate VVillelmo, VValenus quasi coactus, priùs benedicite dixit. Quid verò ibidem postea dixerint, vel fecerint, nemini reuelauit, quia forsitan, vt datur intelligi, arcana quædam ibi audiuit, quæ homini loqui non licuit. Erant vultus singulorum perlucidi, habitus candidus super albedinem niuis, & lilij. Verba cantionis Conuentus illius fuit antiphona, quam solemnitate omnium Sanctorum sancta canere consueuit Ecclesia, scilicet,* [i] *Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti eius: & qui timetis eum pusilli, & magni, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* Hæc prima visio, secunda eidem facta adhuc gloriosior. 9.

[g] lib. 2. c. 19.
[h] Psalm. 21.
[i] Apocal. 19.

[k] *Visitauit Abbas Sanctus (VValenus) Rieuallem, matrem Melrosensis Monasterij æstiuo tempore, venitque in Claustrum, cùm conuentus lectulis quiesceret in meridie. Oratione de more ante ostium Oratorij obseratum, facta nullum in dormitorio excitare voluit, sed in partem secedens, Monacho suo alibi recedente, iuxta parietem in Claustro residens, affectauit dormire, nec potuit. Cumque sic sedisset psalmus intendens, vidit virum venientem, quemdam clarissimum,* 10.

[k] ibid. c. 28.

Angelico

Angelico adspectu, vestitu deaurato, circumamictum diademate aureo, innumeris gemmis coruscantibus adornatum, & pracedentem maximam multitudinem dealbatorum dispositò subsequentium. Assurgens Abbas, dicto Benedicite, venientem salutauit, & quis esset humiliter interrogauit. Ille verò gratissimo vultu, quasi subridens ait: Nonne me cognoscis specialem amicum tuum, VVillelmum huius loci Abbatem primum? Cœtus verò sequentium est Monachorum, atque Conuersorum sub mea cura in ordine nostro in Christo quiescentium. Quos & in corona mea, & veste vides coruscare gemmas, tot Deo per ipsius gratiam verbo, & exemplo acquisiui animas. Et quoniam in isto loco Domino in sanctitate perseueranter seruientes requiem æternam promeruimus, ter in anno locum istum visitamus. Hac dicentis visio, & alloquutio disparuit. At Abbas visa diu zelans, ea tandem Confessori suo, & quibusdam viris religiosis, qui erant ei à secretis, reserauit. Hæc de gloria Guillelmi manifestata, & de totius Rieuallensis cœtus sub ipso militantis commendatione.

1. Status Rieuallensis Monasterij. 2. Ailredi successio, dotesque, 3. Monachi sancti ab eo conuersi virtutes, & ingenuitas: 4. in Subpriorem Rieuallis electus renuit. 5. Sed tandem acquiescit. 6. Vera amicitia cum Ailredo patre exemplar. 7. Reuelatis ad inuicem secretis, 8. & quanto tandem vsui illi extiterit.

CAPVT IV.

1. HAbuerat Guillelmus in Rieualle trecentos fermè subditos Monachos, & Conuersos, ex vno illius ore pendentes omnes, quibus cor vnum, & voluntas vna Patris, quæ filiis semper pro lege fuit: de his vnus ex ipsis ita scribit. [a] *Vbique (inquit) pax, vbique tranquillitas, & à mundalium tumultuum mira libertas. Inter fratres tanta vnitas, tantaque concordia, vt singula videantur omnium, & omnia singulorum. Et, quod me miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio, sola necessitas paris diuersitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur ab omnibus, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus, aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit. Quàm illud quoque mirandum, quòd trecentis, vt reor, hominibus, vnius hominis voluntas est lex: Adeò, vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta cura seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint.*

[a] Ailred. l. 2. specul. c. 17.

2. Hic rerum tunc status in Rieualle, nec percusso pastore dispersæ oues, sed congregatæ, Bernardi Patris ductu insignem pietate, & scientia sanctum sibi Ailredum subrogarunt, de cuius successione versus loquuntur.

Primitias cœpit Guillelmus, proximus illi
Ailredus maiora tulit.

Verè maiora, si licet Sanctos conferre, quem ipsi etiam Ecclesiæ hostes summè extollant. [b] Audi Balæum sectarium nostri sæculi, quantumuis aliàs Monachis infensum. *Solitaria vitæ amore totus inflammatus* (scilicet Ailredus) *talis, ac tantus euasit, vt breui socios, suæ professionis omnes, omnibus vitæ ornamentis superaret.* Et paulò inferiùs. *Vix idem, atque alter Bernardus, ingenio mitis, actione pius, & consilio modestissimus.* Hæc de virtutibus. Nec minora de doctrina. *Accessit (ait) ad hæc literarum cognitio, quæ illi tanto ad omne genus doctrinæ incremento fuit, vt nullum scientiæ genus intactum relinqueret ..... in omni scribendi genere diuo Bernardo simillimus hic fuit.* Hæc de Ailredo vel ipsi Ecclesiæ hostes, & Monachatus perpetui insectatores. Sed de virtutibus, & scriptis Ailredi plura inferiùs. Nunc præfecturæ initia prosequamur.

[b] cent. 2. scriptor. Britan. num. 99.

3. In Abbatem promoto sancto viro, prima cura eligendi coadiutores, per quos commissi sibi gregis oues & portaret securiùs, & pasceret fructuosiùs. Nec satis notum quem elegerit Priorem, de Subpriori certum elegisse alterum è duobus amicis, quorum superiùs fecimus mentionem, illum nimirum, quem ab ipso conuersum olim, diligebat vt filium, sed non minus vt Sanctum venerabatur: de eo ipse in libris de amicitia. [c] *Et primum quidem virtutum eius contemplatio illi meum inclinauit affectum, quem meo olim ab Australibus partibus in Aquilonarem hanc solitudinem duxi, ego regularibus disciplinis primus instituj. Extunc ipse victor corporis, laboris etiam, & inediæ patiens, plurimis exemplo fuit admirationi multis, mihi gloria, & delectationis. Ex iam tunc eum in amicitiæ principiis nutriendum putaui, vtpotè quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur, & egrediebatur pergens ad imperium seniorum humilis, mansuetus, grauis moribus, sermone gratus, indignationis nescius, murmuris, & rancoris, & detractionis ignarus, incedebat quasi surdus non audiens, & sicut mutus non [d] aperiens os suum, [e] vt iumentum factus est sequens obedientiæ frenum, & iugum disciplinæ regularis, mente, & corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquando adhuc puer cellam, correptus est à sancto Patre, & prædecessore meo, quòd tam citò puer, se quieti, inertiæque dedisset: sic erubuit, vt mox egressus, tam feruenter corporalibus se subderet exercitiis, vt multis annis, nec cum graui ægritudine vrgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxauerit. Hæc cum mihi inuiscerauerant miris modis, & ita in animum induxerant meum, vt mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico amicissimum facerem.* Ita laudes discipuli Magister, & Sancti Sanctus pluribus prosequitur.

[c] lib. 3. parum ante fin.
[d] Psal. 37. 14.
[e] Psalm. 72.

Hunc ergo virum in partem solicitudinis assumendum putauit nouus Abbas, quem sibi adeò fidelem iam dudum nouerat: nempe ne gregem vel diuisi ambo distraherent, vel nimium consentientes, quod peius est à crimine illo proferentes præcipitarent. Errant qui solum attendunt amicitiam, sed nihilominus errant, qui non attendunt, quippe nec pax secura sine Deo, nec Deus sine pace conseruabantur. Itaque pergit sanctus Doctor. 4.

Videns enim eum in quosdam canos virtutis, & gratiæ profecisse, fratrum vsus consilio, onus ei supprioratus imposui. Quod quidem inuitus, sed quia tamen obedientiæ se se deuouerat, modestè suscepit. Hactenus ille, quibus planè videas erumpentem affectum, sed iudicio, & consilio moderatum, illo dum ad virtutis, & gratiæ respexit canos, hoc dum ad fratres censuit referendum, quod soli ipsius arbitrio promittebatur. Ast nouus Sup- 5.

prior non detrectans onus, sed morem refugiens. *Egit* (ait) *mecum multum secretò, vt dimitteretur, prætendens ætatem, iustitiam, prætendens amicitiam, quam iam initiabamur, ne fortè hac occasione vel minus diligeret, vel minus diligeretur. Sed hic nihil proficiens cœpit libera voce quicquid timebat vtrisque, quidquid sibi in minus placebat, humiliter, & modestè proferre in medium, sperans, vt postea confessus est, hac me quasi præsumptione offensum, ad id posse, quod petebat, faciliùs inclinari. Sed hæc eius mentis, vocisque libertas amicitiæ nostræ cumulum addidit, quia volebam eum amicum habere, non minimum.* Ita vtriusque Sancti probata mens, atque humilitas ingens comprobata. Alterius dum honorem, qua potest, refugit; alterius dum non respuit correctionem; etiam à filio. Nam audi quod sequitur.

6. [f] *Cernens tunc ille me gratum habere quod dixerat respondisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, si non modò nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse: cœpit me & ipse arctiùs diligere, habenas relaxare affectui, & meo se pectori totum infundere. Ita & mihi eius libertas, & mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione duriùs obiurgandum putaui, nec quibusdam quasi comitiis parcens eum libertati meæ, nec impatientem reperi, nec ingratum.* Ita se mutuo vterque corripiebat, vterque iuuabat, dum neuter corripientem aspernaretur, quin altiùs sibi inhærere, ipsa experientia magistra comprobaret. Hinc cumulus amicitiæ perfectioris, atque ad secretiora consiliorum arcana aditus patuit. Nam pergit Sanctus scribere in hunc modum.

f ibidem.

7. *Cœpi deinde consiliorum meorum ei reuelare secreta, & fidelis inuentus est. Ita inter nos amor creuit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, vt esset nobis cor vnum, & anima vna, idem velle, & idem nolle: essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhonestè blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda, & aperta, qui meum pectus quodammodo suum putarem, & eius meum ipse que similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat.* Hæc veræ amicitiæ spiritualis pulchra effigies, quam non immeritò idem sanctus Pater in libris suis præferendam, & veluti in exemplum ostentandam existimauit.

Cæterùm cum quanto fructu? Audi quod se- 8.
quitur. [g] *Vnde se amicum in omnibus probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis obiiciebat, scandalis emergentibus obuiabat. Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia iam infirmabatur, præbere solatium: sed ille prohibebat, cauendum dicens, ne amor noster secundùm hanc carnis consolationem metiretur, ne id magis carnali affectui meo, quàm eius necessitati adscriberetur, & sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium, cuius amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cuius consilium recreabat tristitia, vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratum. Quidquid minus lætum emergebat, referebam ad eum, vt quod solus non poteram, iunctis humeris faciliùs sustinerem.* Hactenus sanctus Pater de sancto filio, quem in veræ amicitiæ exemplum cæteris imitandum ideò proposuit, vt amicitias, queis ipse summè deditus, ab statu religionis non excludere, sed ordinare, & metas charitatis æquare comprobaretur. Nec nobis id silentio prætereundum, tum, vt Ailredi gesta, virtutesque, tum, vt sancti illius Supprioris, quamuis anonymi, sanctitatem, & zelum describeremus: indeque qualis sub Ailredo parente filij in Rieualle educati palam fiat. Nunc de VValeno, qui longè aliis præcelluit, genus, vitam, & mores vsque ad hunc annum, quo Cistercium ingressus, paululum stylo describamus. Hic ille sanctus VValenus est, Prior in Kirkeham, de quo in vita sancti Malachiæ, & cuius equum deuotum ipsius donum insigni Deus miraculo illustrauit.

g ibidem.

1. Sancti VValeni pueritia, adolescentia: 2. iuuentus casta, 3. & ingressus in religionem. 4. Sacerdotium, præfectura, ac mirus cultus in Missæ sacrificium. 5. Puer Iesus in hostia illi apparet, 6. quod non sine ingenti lachrymarum imbre recordabatur. 7. Miraculum de aranea immersa calici, 8. & de equo donato Malachiæ. 9. Cùm in Pontificem eligi timeret, Cistercium cogitat. 10. Ailredum consulit, & tandem Monachum induit in VVardonia.

CAPVT V.

1. ERgo VValenus Regio sanguine ortus, Simone patre, & Matilde matre natus, sancti Martyris VValeni ex filia nepos, nec minus nominis hæres, quàm sanctitatis, parentem Comitem, genitricem Reginam habuit, quippe Simone in fata concedente, post duplicem ex Matilde susceptam prolem (nam VValeno frater, de patris nomine) ipsa Regi Scotorum Dauid nupsit, digna vel vidua, quæ tanto viro collocaretur. Is VValenum non vitricus, sed pater, educauit à puero: & mediocriter literarum studiis tinctum, sed non mediocre ingenium, indolem supra modum ingenuam præ se ferentem, reuocauit ad aulam, auidum magis secessus, & solitudinis. [a] Ferunt, cùm Rex ex more venatum iret, arcum, & pharetram VValeno tradere solitum, quo illi ex munere propinquior adhæreret. Sed puerum alienum ab his actibus, cuicumque alteri exuuiis commendatis, Ailredo frequentius, quàm Regi, vt sibi, charum non dubitabat: per densa veprium, & nemorum opaca secreta quærere, quibus insisteret lectioni, & orationi. Adeò vt Rex inde haud dubiè conjectaret virtutem iuuenis, quæ nullis ludicris, aut terrenis oblectamentis implicaretur.

a Joscelin. in eius vit. lib. 1. c. 4.

Virginitatem in deserto conseruare, minus dif- 2.
ficile, difficilius in vrbe, sed difficillimum in aula semper fuit. Vrbanum negant, quem vident circumspectum, nec comis æstimatur, qui sibi cautus. Denique exempla, illecebræ, occasiones, sola fuga vincenda, vel senes captant, nedum

ætatem

ætatem lubricam, & vel nullo impellente, tuitutam. Sentit periculum iuuenis deuotus, ni cautiùs viueret, damnum perpessurus. Amore capta, an formæ ostentatione, & muliebri impotentia puella nobilis, oculis primum, mox nutibus, & verbis, demum fauoribus Regium iuuenem procax solicitabat, & annulum splendenti gemma coruscum, pignus amoris, obtulerat, lasciua. Cùm VValenus ignem ex gemma sentiens, & ingrediens per speciem gratitudinis, incentiuum amoris minus honesti, ab igne se per ignem liberauit. Anulum, gemmamque tradidit flammis, nec parum proprij cordis in ipso anulo, quod tunc primum aduertit, cùm cremaretur.

3. Tum verò vlteriùs fugam meditatus, haud aliter pericula euasurus, quæ cum ætate, & Regij animi dotibus crescebant magis, quo magis obsistebantur. Nec ausus intra Scotiam detineri, paternam, aut Simonis fratris (hominis iam prouecti, & patris obtinentis ditionem) violentiam timens; in Monasterio sancti Osvvaldi Regis, & Martyris, quod extra vtriusque terras fundatum erat, spretis omnibus, quæ sibi offerebantur, Canonicum Regularem professus est, ingenti vtriusque Regni admiratione. Nisi quod tamen Scoti dudum præuiderant, Deo magis, quàm sæculo educari, quem nullis sæculi laqueis præpeditum, vel inter ipsos laqueos vnquam nouerant. Ibi quo generosior, eo humilior, & nullo speciali vitio ex aula tracto, ingenua mens adspirabat solis virtutibus.

4. Non multò pòst Sacerdos ordinatus, cùm Sacristæ exerceret officium in eo loco; vacante Prioratu de Kirkeham, non ignobili Ecclesia eiusdem Ordinis, communi consensu in Priorem electus est, ambientibus cunctis lumen, ex eius lumine. Extunc crescente feruore deuotionis, & rigore obseruantiæ, vt decebat Magistrum, & ducem omnium, cœpere singulares Dei fauores, cœpere miracula: illi per totam vitam permansuri, hæc vltra mortem etiam continuanda. Multa in promptu: sed duo tantùm referam, Missæ vtrumque concernens sacrificium, cuius mira deuotio in sancto viro. Referam autem Ioscelini Furnesij verbis, tempore subæqualis, & loco proximi, qui VValeni acta memoriæ prodidit, iussu Patricij Abbatis Meilroensis, sed quo, ante opus perfectum, per mortem rapto, VVillelmo Scotorum Regi, & Alexandro filio consecrauit: eosdem Principes ad virtutem sibi agnatam, sanctissimi patrui exemplis prouocaturus. Igitur ille insignem planè fauorem VValeno inter celebrandum exhibitum, his narrat verbis.

5. [b] *Quadam die sanctissimi natalis Domini celebrans* b lib. 2. cap. 8. *Missam* (scilicet VValenus) *in magna cordis contritione, & deuotione, necnon & consueto lachrymarum feruore, cùm infra secretam Canonis, hostiam eleuaturus, deprompsisset verba, quibus panis transsubstantiatur in corpus Christi, inuenit in Sacramentum, quod conficiebat, inuenit in manibus suis, non hostiam, sed infantulum, speciosum forma præ filiis hominum, coronam quasi auream in manibus gestantem, gemmis stelliferis coruscantem. Videbatur puerulus ille omni niue candidior, & dulcissimo luminum risu, vultuque sereno, blandoque, manuum tactu faciem, & caput eius tangens, & contrectans, inenarrabili suauitate mulcebat. Ille verò inebriatus a torrente voluptatis domus Domini, vtpotè in cellam vinariam dulcissimi animarum sponsi introductus, pedibus, ac manibus, & singulis membris cælestis infantis oscula numerosa libauit, ac dilectum suum sibi totum desiderabilem, dulcem, & admirandum feliciè sensit experimento. Tum deposita hostia, diuinus infantulus, eleuatis manibus, cum crucis impressione benedixit ei, & ab oculis eius disparuit, nihilque ante se, nisi hostiam consecratam conspexit.* Hæc de admiranda, & cœlesti illa visione.

Pergit autem vlteriùs idem auctor, & de eius fructu, inter alia, ita commemorat. [c] *Quoties vir* c ibidem. 6.
Dei huius visionis recordabatur, inæstimabili cordis sui iubilo, lachrymarum placido profluuio, velut si denuo inspiceret, profundebatur. Hæc vir Dei per multum tempus zelans, postea loquens de secretis animæ suæ, cuncta confessori suo reuelauit, & ne hoc se superstite cuiquam propalaret, in virtute obedientiæ præcepit. Ille verò imperanti obtemperans, viuente viro Dei, verbum istud abscondit. Sed post eius depositionem, viris religiosis sub iuramenti attestatione patefecit. Hæc à viro venerabili Euerardo primo Abbate de Kalencontran narrante didici, nec minus ex ore confessoris eius accepi. Quæ item eadem à Siniano Monacho religioso, subcellerario in Meilros, & aliis viris religiosis, & boni testimonij relata pluries audiui. Hactenus Ioscelinus. Qui etiam pergit VValenum Simeoni seni conferre, vtrumque puerum accipientem in vlnas suas, sed hunc mortalem, illum gloriosum, hunc coronandum spinis, & illudendum, illum stellis dudum coronatum, nec vlteriùs passurum: denique hunc naturali ætate paruulum, illum miraculo, & gratia singulari.

Huic fauori miraculum subiungam cunctis 7.
perspicuum, ortum ex eiusdem Sacramenti veneratione. Id in quodam Canonico patratum, cùm venenosum animal, araneam, in calicem immersum, VValeno iubente, consumpsisset, eiusdem Ioscelini verbis, quo maior fides dictis, placet describere. [d] *Die quadam Canonicus quidam* d lib. 1. cap. 9.
de Kirkeham, cum Missam celebraret, in Prioris sui VValeni præsentia aranea quædam in sanctum calicem circa Agnus Dei cecidit, metumque ingens sacrificanti, ob periculum vitæ, ex venenoso verme, incussit. Et quid ageret ignorans, tussi, ac nutibus, quibus modeste potuit, Priorem accersiuit, & quod contigerat, ostendit. Prior parumper secum deliberans, fusa oratione, ac data benedictione, feruens fide, & zelo diuini cultus, vt araneam cum sacro libamine confidenter sumeret, in nomine Domini præcepit, promissa vitæ, & salutis indemnitate. Sacerdos statim Prioris imperio paruit, & quidquid in calice continebatur, fideliter, ac fiducialiter sumens, id tantummodo tunc expertus est, quod fœdum animal visu, nedum tactu, & gustu, nullum illi horrorem incussit, nullam nauseam, cætera ac si nihil tale sumpsisset, at id ipse miraculo attribuit, quippe supra naturæ consuetum ordinem. Verùm manifestiora Deus parabat. Eadem die Canonicis post prandium sedentibus in claustro, Canonicus ille residens cum cæteris, digitum fricare cœpit, & post modicam morulam tumor turgens in digito apparuit. Et ecce aranea, rupta cute, viua egreditur, quæ coram omnibus assistentibus, & mirantibus, iubente Priore, flammis comburenda tradita est. Hactenus ibi, miraculo certante cum prophetia, & fide Magistri cum obedientia discipuli.

Inter hæc sanctus Malachias Romam pertransiens, & iterum per Claramvallem ab vrbe rediens, confirmauerat virum: nec minus ipse confirmatus inde discesserat equi miraculo, quod superiùs à nobis traditũ. Iam verò Eboracensi sede vacante, quod modò dicebamus, nec consentientibus electuris de successore, id vnum ferè omnium con- 8.

filium fuerat, vt VValenum in Prælatum sibi præficerent, genere clarum, moribus sanctum, ingenio mitem, nec defectum doctrina, prudentiaque, quibus ouibus Christi prouideret. Et præualuissent suffragia postulantium, si non Rex Stephanus, Scotorum Regi infensus, timeret priuignum, quem vitricus vt filium suum amasset, & de quo inuicem, vt parer veneraretur.

9. Ast VValenus quacumque se occasione gaudens subductum oneri, & præcauens periculo imminenti, si diutiùs permaneret velut in publico, cogitare secessum, quærere syluas, arctiorem vitam, & Cistercij solitudinem, vt vnicum asylum meditabatur, eam vitam in votis semper habuisse, quam sibi etiam sanctus Malachias verbo, & exemplo dudum commendasset. Nam cur quam vocationem experiebatur, præteriret immunem? Cur ad altiora tractus, non conscenderet ad cubiculum interius sponsi recalcitraret? Fragiles sibi vires, quod fatebatur, sed spiritus feruore solidandas: nec supra vires debere iudicari, quidquid in Dei obsequium conciperetur. Posse Satanæ consilium illud esse, qui se in Angelum [a] lucis transfiguret, minus discretis cœptis illusurus, sed non se deterrendum eo timore, cui si succumbat, nil magnum aggrediatur. Ailredum secum in Curia olim nutritum, in aula, & eius deliciis educatum, suffecisse labori, quem iam sapientiæ, & virtutis fama pollentem Rieualli præfectum intellexisset. Et quid sibi timendum ab ea vita, cui alij pares, quibus ipse non impar esset? Tum eumdem Ailredum, si consulatur, suasurum meliora, qui & amicus, & Sanctus non velit fallere: nec expertus, & doctus falli possit.

[a] 2. Cor. 14.

Ergo dum hoc feruore actus suspirat, [f] *consuluit* (Ioscelinus ait) *virum vita, moribus, & doctrina venerabilem Ailredum Abbatem, coalumnum, & amicissimum sibi ..... a iuuentute in Curia Regis David, cum Henrico filio Regis, & eodem VValeno nutritum.* Et post pauca. *Huius itaque tanti viri fretus consilio, & hortatu, VValenus VVardoniam se transtulit, & ingressu petito, & impetrato, pro reuerentia viri, habitum mutauit, & probatorium intrauit.* Hæc de prima VValeni susceptione, quæ contigit hoc anno. Reliqua, quæ spectant ad probationem, qualiterque, cùm grauiùs tentaretur, per miraculum à Deo sit confirmatus, & translationem eius ad Rieuallem, sequenti, quo euenerunt, anno declarabimus. 10.

[f] lib. 1. c. 12.

1. Monachi ad Engolismensem Comitem missi, grauati exactionibus, 2. de quibus ad eundem Bernardus Pater scribit, 3. & litibus Monachorum sancti Amantij, 4. sola nostrorum cessione componendis. 5. Mors Innocentij, 6. & successio Cælestini; 7. ad quem Bernardus pro Henrico de Murdach, 8. itemque ad Cardinales, 9. sed sine fructu.

CAPVT VI.

1. HOc ipso anno, vt iam tandem ad Gallias reuertamur, quantum ex literis inferiùs adducendis licet colligere, Bernardus ad instantiam Engolismensis Comitis Guillelmi, & cuiusdam Petri Austensij, Monachos ex Claravalle misit, in Buxia, Engolismensis prouinciæ tractu, constructuros Cœnobium: Comite concedente locum in sylua, non longè à Monasterio sancti Amantij, atque vtroque necessaria in sumptus ministrante. Et quidem Monasterium fundatum constat, & Monachos honorificè susceptos, deducente Episcopo Lamberto, quod ex statim dicendis apparebit. Sed locus quidem alienus inuentus est, pertinens ad Conuentum sancti Amantij, nec sumptus ipsi innocui prouenerunt, quippe pro quibus iniuncta annua pensio, quam à Cistercio à prima releuato per largam Ducis Ottonis munificentiam, cuius suprà meminimus, [a] nunquam alibi nostri persoluissent. Et de pensione quidem iam acceptata, & à Bernardo patente, ægrè licèt, permissa pro modo temporis, extat epistola eiusdem Sancti ad Comitem, breuis, sed exprimens rei dignitatem, quæ ita habet.

[a] an. 1132. c. 1. num. 4 & 5.

2. [b] *Comiti Engolismensi, pro fratribus de Brixia. Nolite mirari, si grauis nobis videtur tam grandis redditus, qui de terra illa Brixiæ à fratribus nostris exigitur, quia tale aliquid non consueuimus. Nam multas fecimus Abbatias, & nulla illarum tali subiacet exactioni. Sed quia vos ita vultis, & Deus plus acceptat voluntarium bonum, quàm coactum: sustinemus iuxta conuentionem, quam fratres nostri vobis fecerunt, donec Deus vobis meliorem inspiret voluntatem: quod non diffidimus. De cætero diligite eos, fouete, defendite, manutenete: quia tunc securiùs stabitis ante tribunal Christi, si pauperes eius habueritis vestri dilectores, & pro vobis intercessores.* Hactenus Sanctus. In quam epistolam notauit Ioannes Picardus, malè pro *Buxia*, *Brixia* scriptum esse, quippe Buxia in Engolismensi Comitatu, eoque spectans ad Comitem, Brixia Italiæ vrbs, & constat in Buxia Claræuallensium Monachorum extitisse Cœnobium, viuente Sancto, sed non in Brixia.

[b] epist. 299.

Hac exactione grauatæ nouæ domui, additæ lites, & iurgia multò grauiora: quæ tandem viros abegerunt à propriis sedibus, Monachis sancti Amantij, vt veris fundi dominis, contradicentibus, ac minantibus domus euersionem, si non ab ædificando desisterent. Extat in tabulariis eiusdem domus (sanctum Amantium loquor) instrumentum antiquum rem testificans, quod idem Ioannes Picardus euulgauit. Nos primam eius partem, quæ hunc annum concernit, hîc inseremus, posteriorem in proprium reseruabimus. Igitur instrumentum sic se habet. *Notum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, Monachos Claræuallenses, cuidam loco, qui Buxia vocatur, aduenisse, ibique domos, & cætera ædificia construere velle. Quod statim vt Monachi sancti Amantij perceperunt, prædictum locum, qui iure hereditatis, Ecclesiæ sancti Amantij adiacebat, illis interdixerunt. Iterum dominus Petrus Abbas sancti Amantij apud Varmum in Ecclesia sancti Dionysij, præsidente domino Lamberto Engolismensi Episcopo, ex parte Dei omnipotentis, & ex parte sancti Amantij illis interdixit, vt nulla inibi amplius ædificia facerent, & inchoata relinquerent. Monachi siquidem sancti Amantij, Lamberto Episcopo cum ipsis Monachis Claræuallensibus inde prædictum locum primò adeuntibus, & per vicum sancti Amantij transeuntibus, prædictumque locum illis calumniantes, ædificia, & cætera ab eisdem constructa se dissipare adstruxerunt.* Hactenus ibi, de producta in longum lite, nec nisi cedentibus nostris, cessatura.

in notis ad epist. 299. D. Bernardi.

4. Manserunt nihilominus in loco per decem annos, quippe Eugenio in Pontificem promoto intra biennium, oppugnatio leuior, victoria in dubio, & nostris multo facilior defensio fuit. Ratio temporis ex eo planè deducitur, quòd in eodem instrumento perhibentur possedisse decennio, & tamen Claramvallem reuersos constat, anno M. CLIII. vltimo vitæ Bernardi, Eugeuiique, qui decimus à præsenti computatur. Cæterùm qualiter lis tandem sedata sit, & quibus conditionibus vtrimque composita, Bernardo Patre pro vtrisque arbitratore, ipso, quo euenit, anno pronunciabimus. Interim adnoto, neque in Chronologia, neque in genesi Ecclesiarum Claræuallensium memorari Buxiam, quippe Abbatiam multo antè extinctam, quàm vtraque Cœnobiorum series contexeretur. Nunc breuiter Innocentij Papæ mors, & Cœlestini electio, pro vt nostri instituti ratio postulat, libandæ potius veniunt, quàm referendæ.

5. Innocentium præ tædio, & anxietate decidisse in febrem, adseuerant Auctores. [c] Portò (c apud Bar. hoc anno.) eiusdem angoris occasionem, quia ad tempora vsque Eugenij perdurauit, per ipsum magna ex parte reprimenda, non pigebit referre, quæ talis fuit. Romanis cum Tiburtibus intestina bella, mutuæ iniuriæ acceptæ, illatæque, & vindictæ libido dominabatur. Nec distulisset vltionem Romanus eques, si non Innocentius, obsidibus acceptis, atque obsequio firmato per iuramentum, accepisset Tiburtes in deditionem, & præterita omnia condonasset. Ea clementia Romanis iniqua visa, quòd neque hostes, à quibus læsi essent, punire possent, nec quam aliam habere compensationem, qua hactenus acceptæ damna, vt non reficerent, saltim subleuarent. Itaque tumultu in vrbe concitato, cùm quisque pro se ferocissimè, atque superbissimè loqueretur, eò tandem furentis plebis deuenit audacia, vt veterem Romanæ libertatis statum restituendum, priscos Ordines, Magistratusque reipublicæ reponendos, Pontifici vnam sacrorum administrationem relinquendam, vno animo, & ore proclamarent. Portò Innocentius blanditiis primò allicere, mox minis terrere, demum anathemate indicto in contumaces, dum nihil proficeret, nec populum compesceret, tædio & labore, in febrem primùm incidit, mox morbo ingrauescente cum seditione, in his pressuris diem clausit extremum, octauo Kalendas Octobris, cùm sedisset annos tredecim, (d lib. 7. c. 27.) & menses septem. Atque hæc ex Othone [d] Frisingensi, & aliis in breuem summam redacta, nobis sufficiant, pro his, quæ sub Eugenio infrà dicemus.

6. Mortuo Innocentio, intta diem ab eius obitu, adeóque septimo Kalendas Octobris Guido de Castello Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci creatus est, & Cœlestinus secundus appellatus, ipso timore concordante Cardinales, quo citiùs vrbi dominum præficerent, qui populum compesceret, & lasciuientem furorem coërceret. Cæterùm quàm paucorum mensium Pontifex fuerit, sequenti anno, quo obiit, declarabimus. Ad hunc recèns electum Bernardus scripsit pro filio sibi charissimo Henrico, electo Eboracensi, vt Guillelmo iuxta Innocentij mandatum deturbato, pro meritis in sede sublimaretur. Literarum exemplar en produco.

[e] *Ad Dominum Papam Cœlestinum. Oportet vos secundùm iustitiam, quæ ex lege est, suscitare semen fratris vestri defuncti. Quod dignè implebitur, si Papa Innocentij, cui in hæreditate Domini successistis, & defenditis benè gesta, & minus adimpleta perficitis.* 7. (e epist. 234.) *Præ manibus est, in quo id liceat experiri. Causam Eboracensis Ecclesiæ per eum fuisse decisam, quis nesciat? At quomodo executioni mandatum sit, quod egressum est de labiis tanti viri, vtinam nesciretur. Quis det, vt non annuncietur [f] in Geth, nec in compitis Ascalonis?* (f 2. Reg. 1.) *Sed vt verbum abbreuiatum faciam auribus occupatis, audiat paucis dominus meus, quid dictum fuerit, & quid factum teneamus. Cùm in multis accusaretur is, qui sibi vendicare electionem in præfata Ecclesia impiè cupiebat, tandem omnis controuersia ad testimonium viri illustris VVillelmi, ipsius Ecclesiæ tunc Decani conquiescere iussa est: vt nisi Capitulum intrusionis, quod huic inter cætera impingebatur, ille propria manu iuramento amoueret, suis omnino conatus tanta frustraretur ambitio. Hoc autem non ex iudicio, sed ex misericordia: sic enim rogauerat ipse. Mitissima planè sententia, quippe cùm de plurimis, & pessimis pulsaretur, quæ nullatenus propulsare volebat. Sed vtinam vel ipsa stet. Quid enim si non sufficit iuri, dummodo sufficiat Ecclesiæ liberationi? Non causamur sententiæ remissionem, quæ nil nocuit. Neque enim proficit aduersario, etsi largior indulgentia, qui ne ipsum quod vltrò spoponderat, implere praualuit: nam de quo præsumere visus est, defecit ei, ne sibi ipsi deficeret peierans. Quando enim vir bonus attestaretur homini, quem rumor publicæ opinionis & operis veritas detestaretur? Quid ergo? Ille non iurauit, & iste Episcopus est. O rem ignorantia omnium dignam, & perpetuò, si fieri posset, silentio comprimendam. Verùm id serò: heu, notus est orbi triumphus Diaboli. Vbique personat plausus incircumcisorum, & planctus bonorum, pro eo quòd videatur sapientiam vicisse malitia. Monstratur digito matris Ecclesiæ turpitudo. Patris Innocentij verenda irridentur denudata à seruo nequam, quoniam mortuum putat, sed viuit in vobis. Si is exitus imminebat, cur è longinquo Romam est pertracta causa spurcissima, vmbra magis, & angulo digna? Cur tanta mari, terraque à multis assumpta fatigatio? Cur à finibus terræ euocati viri religiosi, qui eum accusarent, & pauperum Christi marsupia longi itineris expensis exhausta sunt? Non poterat episcopari turpis infamisque persona (quod inuitus, dolensque loquor) nisi quæ in illo horrebat Anglia, & Francia abominabatur, etiam Roma agnosceret? Quam meliùs in Romana curia causa eius minimè ventilata fuisset, & non tangeret vel sacra limina, generalis, atque horribilis fœtor? Quam tolerabilius ignorasset Apostolica sedes tam intolerabile malum, quàm toleras manifestum? Quid istud temeritatis fuit? Publicè infamatus, ante iudicem accusatus, nec purgatus, immò & conuictus, & sic consecratus est. Viderit qui huic manum post ista imposuit, an magis execratus dicere debuerim. Non enim negabit sic ista se habere, non negabit sic se ex literis Apostolicis ad se pro hoc ipso directis eadem comperisse. Dicat fortè aliquis, quia non est datum iudicium non fuisse conuictum. Ego dico, & confessum. Nam qui vt iudicium euaderet, vltrò elegit ad testimonium VVillelmi Decani confugere, illo sibi deficiente, quid nisi suo iudicio à causa decidit, ore proprio condemnatus? Quæ cùm ita sint, vide domine Pater, ne declinet cor vestrum in opus malitiæ, quoniam (secundùm Prophetam) declinantes [g] in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* (g Psalm. 124.) *Alioquin quod consilium datis miseris Abbatibus illis,*

quos ad accusandum eum vocatio Apostolica Romam traxit, sed & aliis quàm pluribus ex illo Episcopatu, viris religiosis, sint ne obedituri huic, & Sacramenta accepturi ab homine bis intruso? Primò quidem per Regem, deinde per Legatum, quippe qui illum in sanctuarium Dei contra ius, & fas, contra mandatum Romani Pontificis, in iniuriam summæ sedis, & totius Romanæ curiæ, cùm non potuit per ostium, fodit argenteo (vt aiunt) sarculo, vnde impudenter intrusit. Ante (nisi fallor) suis sedibus exulabunt, quàm dare acquiescant manus idolo huic, nisi vestra violenta auctoritas obuiarit. Cæterùm quàm sanctiori, vestroque Apostolatu digniori zelo gladium Phinees in confusionem duorum tam turpiter fornicantium stringeretis, quàm tot Sanctos? aut de suis fugere locis permittitis, aut contra conscientias suas cogitis remanere? Hæc sanctus Pater ad Papam Cœlestinum. Ad Cardinales verò Romanæ curiæ aliam eiusdem argumenti scripsit epistolam.

8\. b. epist. 235. [b] *Dominis, & Patribus reuerendis Episcopis, Cardinalibus Curiæ, frater Bernardus Claraeuallis vocatus Abbas, salutem, & nostras qualescumque orationes. Omnibus scribendum fuit de eo quod spectat ad omnes. Nec vereor, ne fortè præsumptionis arguar, quippe qui licèt omnium minimus, tamen Romanæ Curiæ iniuriam a me non iudico alienam. Vrimur assiduè, dico vobis, vrimur grauiter nimis, ita vt nos tædeat etiam viuere. In domo Dei videmus horrenda. Et quia corrigere nos non possumus, saltem suggerimus his, ad quos spectat. Si quidem emendauerint, bene: sin autem non, nos animas nostras liberauimus, vos excusationem non habetis de peccato. Non ignoratis prolatam esse sententiam a Domino Papa bonæ memoriæ Innocentio, cum vestro & Romanæ Curiæ generali assensu, irritam esse VVillelmi Eboracensis electionem, immò intrusionem, nisi VVillelmus alter tunc Decanus, quod obiectum ei fuerat, propria manu iuramento repelleret. Nec vos latuit, quàm plena esset sententia, non iudicij, sed misericordiæ, nimirum cùm hoc VVillelmus ipse quæsiisset. Sed vtinam vel ipsa stet, & quod aduersus eam factum est, stare non possit. Quid enim? Non iurauit ille, & iste in cathedra pestilentiæ sedet. Quis tribuat, vt aduersus fornicationem hanc, Phinees cum pugione procedat, aut viuat in sede sua Petrus, qui spiritu labiorum suorum interficiat impios? Multi clamant ad nos in toto corde suo, vt sacrilegium hoc digna animaduersione vindicare studeatis. Alioquin dico vobis, scandalum magnum nimis erit in Ecclesia Dei, & timeo, ne Romanæ sedis auctoritas grauem admodum iacturam, & detrimentum grande suscipiat, nisi in eum, qui peruertit generalem eius sententiam, vindicta processerit, & taliter, vt cæteri metum habeant. Quid enim de eo dicam, quod occultas, & verè tenebrosas literas habuisse se gloriatur VVillelmus ille, vtinam à principibus tenebrarum, non à principibus Apostolorum? Et ecce audierunt filij incircumcisorum, subsannant Romanam curiam, à qua post datam tam manifestam sententiam, furtim datas esse aiunt contrarias literas. Quid dicam vobis? Si non vos vrit scandalum graue, quo scandalizantur non pusilli, sed magni, & perfecti viri: si non compatimini pauperibus Abbatibus, quos à finibus terræ vocatio Apostolica Romam traxit, si non miseremini magnis, & religiosis Monasteriis, quibus omnino sub incubatore illo destructio imminet, si (quod primum dicere debui) zelus domus Dei non comedit vos: numquid vsque adeò inimici hominis versutia prænalebit, vt proprium quoque contemptum, & infamiam hanc pessimam Ecclesiæ Principes æquanimiter ferant? Quid enim si sacrilegam homo ille consecrationem recepit? Profectò longè gloriosius erit iam eleuatum deiicere Simonem, quàm prohibere conantem. Alioquin quid facietis religiosis viris, qui omninò non inueniunt salua conscientia, vel ipsa communia Sacramenta de leprosa manu suscipere? Ante (ni fallor) eligent fugere, quàm dare manus morti, & exulare priusquam vesci idolothytis. Quòd si contra conscientias suas coegerit eos Romana Curia curuare genua ante Baal, videat Deus, & iudicet, videat Curia illa Cœlestis, in qua nulla poterit ambitione subuerti iudicium. In fine omnium obsecrat vos puer vester per viscera misericordiæ Dei nostri, si quis in vobis est zelus Dei, miseremini Ecclesiæ sanctæ saltem vos amici eius, & quantum potestis, date operam, ne tam detestabili facto detur assensus.*

Hæc ad Curiam Romanam Bernardus Pater. 9.
Per quæ tamen, Cœlestino Pontifice, intra quinque mensium spatium, per mortem rapto, parum profecit. Et quod miremur, nec sub successore. Nisi quod breuis item temporis Pontifex maiora quæque Eugenio reseruauit. Sic Guillelmus Innocentij primum morte, mox Cœlestini, & Lucij, quod perditissimo cuique solet contingere, per crebras rerum, & Pontificum summorum mutationes, obtinuit à tribus, quod à nullo superstite obtinuisset, & multo plus mortui illi contulerunt, quàm viui possent. Qualiter autem sub Eugenio tandem detrusus, atque Henricus suffectus ipsius loco, dicam in tempore.

---

1. Chronologia Ecclesiarum, 2. & dictum de Sturcelburne. 3. Luka sub protectione speciali Mariæ Virginis. 4. Franchævalles, 5. & Aluastra Cœnobium Regium. 6. Nouaevallis initia, & missio Monachorum miraculosa. 7. Bernardi de Gerardo prophetia. 8. Et conuentus illustratus palma martyrij.

CAPVT VII.

1\. QVod attinet ad Cœnobiorum multiplicationem, plura hoc anno lego mundo exorta, quæ hoc ordine recensentur in Chronologia.

Anno M. CXLIII. quinto decimo Kalendas May. fundata est Abbatia de Sturcelburne.

Eodem anno sexto Kalendas May, Abbatia de Luka in Polonia.

Eodem anno tertio Kalendas Iuny, Abbatia Franchærumvallium.

Eodem anno Kalendas Iuny, Abbatia de Meira in Hispania.

Eodem anno, mense Iunio, Abbatia de Aluastra.

Eodem anno & mense, Abbatia de Nouavalle.

Eodem anno vndecimo Kalendas Augusti, Abbatia de Cumbir.

Eodem anno quinto Kalendas Augusti, Abbatia de Aqua frigida.

Eodem anno tertio Nonas Augusti, Abbatia de Bellaportica.

Eodem anno & die, Abbatia de Bello loco.

Eodem anno, sexto Idus Augusti, Abbatia de sancto Laurentio.

Eodem

Eodem anno Kalendas Octobris, Abbatia de Falera.

Eodem anno & die, Abbatia de Vallera.

Eodem anno & die, Abbatia de Bona aqua.

Eodem anno..... Abbatia de Zedeliz.

Eodem anno..... Abbatia de Spina in Hispania.

Eodem anno..... Abbatia de VValrebach. Hactenos Chronicon. Ex quibus tantùm Spina differenda, quia constat incepisse post quadriennium. Nec mihi dubium ob eandem causam complures alias fuisse reseruandas, si instrumenta subessent: sed vbi supperunt, constanter illa sequimur, in cæteris Chronologiæ nos permittimus.

2. Sturcelburne, quæ surrexit hoc anno, ignota domus, & neque in libris Cameræ inuenitur, neque in genesibus. Nam quam [a] Aubertus Miræus illi attribuit, Simonis secundi, Lotharingiæ Comitis opus, qui Matthæo successit filio Simonis primi, de quo suprà, coniector tempore longè posteriorem, quippe Matthæus, vt ipse ibidem ait, & ex antiquis, probatisque Auctoribus constat, vitam cum Lotharingiæ imperio continuauit, vt minimum, vsque ad annum Christi M. CLXIII. vt aliis placet, etiam vsque ad millesimum centesimum septuagesimum sextum: intra quod spatium clarum locum condidit, Cisterciensis instituti etiam Cœnobium, anno M. CLIX. vbi & sepultus cum vxore sua iacet, Iuditha, aut Berta (nam binomiam faciunt) sorore Imperatoris Friderici, vt facilè appareat filij fabricam in subsequentes fore referendam, nisi quis dicat, viuente adhuc parente, construxisse Cœnobium, atque illi in exemplum præiuisse, quod serò licèt fuerit imitatus. Quocumque anno surrexerit Cœnobium, constat in Metensi diœcesi situm, ex literis Innocentij Papæ IV. datis Lugduni, vndecimo Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno IV. De fundatore Miræus hæc pauca habet. [b] *Simon 2. anno millesimo centesimo quadragesimo tertio, Monasterium Sturzemburnense Ordinis Cisterciensis condidit, ibidem postea sepultus. Vxorem habuit Idam, obiitque sine liberis.* Hæc ille. Illud interim notatione dignum est, quocumque anno Monasterium hoc inceperit, Lotharingiæ Ducissam Adelcidem, à Bernardo conuersam, vt ipsa iactabat, non solùm pietatem Cistercium Simoni coniugi, verùm & filiis, nepotibusque, hæreditario velut iure, reliquisse. Vnde maritus Bellum pratum condidit, filius Clarum locum, & nepos Sturcelburne, de quo hæc tantùm. Creditur Sturcelburne filia Maceriarum, de linea Firmitatis, iacetque in extrema Lotharingiæ parte versùs Alsatiam, non procul à ciuitatibus Hagenoa, Molshemio, & Strasburgo.

a in notit. Eccles. Belgij.

b in Vaticano epist. 563.

3. Notior domus Luka, si tamen eadem, de qua Cæsarius pluribus in locis. Namque illa in Saxonia sita dicitur, hæc in Polonia. Sed eandem esse, genesis Ecclesiarum Morimundensium, ad cuius lineam spectat, testificatur. Monachi ex Bolcoldirot illuc transmissi, & templum ex more dicatum Mariæ Virgini, ipsa acceptante patrocinium domus, admiranda visione, quam non longè ab initiis his ostensam, Cæsarius Heisterbacensis memoriæ prodidit. [c] *Et ibi* (ait, idest, in Luka Monasterio) *custos vir bonus, & religiosus, qui cùm nocte quadam Oratorium intraret, ante matutinas, Dominam nostram sanctam Mariam, tanquam Oratorij patronam, super altare, in multa gloria residere conspexit. De qua visione valde lætificatus est, sperans ministerium suum illi placere.* Hæc ibi. Cæterùm & hoc idem patrocinium morientibus in eadem domo exhiberi consuetum ab eadem Deipara Monachus quidam adolescens, sub his eisdem initiis expertus est. [d] *Qui cùm grauiter infirmaretur* (*ait idem Cæsarius*) *deductus ad extrema, in ipsa agonia, sicut mihi retulit Monachus, qui vidit, & præsens fuit, ridere cœpit. Cui cùm diceret vnus de circumstantibus: Paule* (*hoc enim ei nomen erat*) *cur modò rides? Respondit: Cur non rideam? Ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet. Vt verè in eo impleretur ille versiculus,*

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Hactenus Cæsarius de Luka sub his initiis. Verùm de viris sanctis, quibus floruit, Alardo, & Adamo, aliisque meritis, & miraculis gloriosis, plura nobis dicenda suis temporibus.

c lib. 7. mirac. c. 17.

d lib. 7. c. 53

Interim fundatores domus ex Kranzio promam, tempusque fundationis, quod tamen ipse differt per annos quinque. *Mindensem* (ait) *tum Ecclesiam, post Sigewardum, tenuit Henricus, ordine Pontificum vigesimus quartus, assumptus de Cœnobio sancti Mauritij, quod est in insula, translatus primùm de Brusveldia, vbi se Monachum fecit. Quæ magna sunt virtutis testimonia, vt primùm de alieno Monasterio assumeretur Abbas, inde ex eodem Monasterio vocaretur ad regendam Ecclesiam Mindensem.* Et paulo inferiùs. *Ad vltima tempora Imperatoris Conradi tertij, Monasterium quoque in Luka Ordinis Cisterciensium sub honore sancti Martyris Georgij fundatur, coniunctim per Comites de Halremont, & de Aldenborg, nam vtrique erant hæredes nouissimi Comitis de Luka.* Hactenus Albertus. Sequitur Monasterium Francarumvallium in lingua Occitana, si genescos tabulis credimus, filia Morimundi. Memoratur in litteris Gregorij Papæ noni, atque à Roberto Claudio in sua Gallia, vtrobique Neumasensis, vel Nemausensis diœcesis, quam tamen in Cameræ libris non inuenio. Apud Henriquez [e] in Prouincia ponitur, & differtur per annum. Nec quid aliud de ea mihi perspicuum. Nisi quòd tamen sub sua, & Romanæ sedis tutela Cœnobium recipit Innocentius III. non paucis bonis eius commemoratis, diplomate expedito Laterani Kalendis Februarij anno M. CCXCVIII. Meyram Hispanam domum vltimam dabo. Pergo ad reliquas. 4.

Lib. 6. Metrop. cap. 42.

e in Fasciculo. dist. 42. lib. 2.

Albastram Suercherus Rex Suetiæ fundasse legitur, in diœcesi Lincopensi, Monachis illuc [f] missis ex Claravalle. Ioannes Vpsallensis Archiepiscopus. *Eisdem quoque annis* (ait, & differt aliquantulum, nam scribit annum M. CXLVIII.) *Suercherus ad senium vergens, duo clarissima Monasteria instituit, aut consummauit, Albastram, & Bernhem: hoc apud Vestgothos, illud apud Ostrogothos. Vtrique Monachos ex Claravalle adductos imposuit, sepultus in Monasterio Albastra, haud procul à summo altari, sub lapide magno, testimonium Regij funeris referente.* Hactenus ille. Initia domus non parum illustrauit beatus Stephanus, ex Monacho Albastrensi creatus primus Archiepiscopus Vpsallensis, circa annum salutis M. CLXII. vt idem auctor tradit. Sed celebriorem fecit sancta Brigita, post annos aliquot eidem diu adhærens, atque Vlfo maritus, Noriciæ Princeps, & Benedictus filius ibidem Deo sacrati 5.

f in histor. Suecor. l. 18.

sacrati voto solenni. Deinque Albastram plura alia illustrant, quæ suis locis venient referenda. Verùm quod de Bernhem hic auctor ait, cùm non numeretur inter filias Claræuallis, cuicumque alteri relinquo discernendum.

6. Nouamvallem in eodem Suetiæ regno Chronologia subiungit. Verum est tamen, quòd Nouæuallis Suetiæ, in genesi Ecclesiarum Claræuallensium, quadriennio postponitur, & inter ortas anno salutis M. CXLVII. commemoratur. Domus in Lincopensi diœcesi sita, non secus ac Albastra, fundatricem, & primorum Monachorum, non sine præuio miraculo missionem, Auctor Exordij magni memoriæ prodit, cuius verba præstabit hîc transcribere. g *Volens* (ait) *venerabilis Pater* (scilicet sanctus Bernardus) *in populis Aquilonarium partium, sicut & in cæteris gentibus, aliquem fructum habere, petente religiosa fœmina Regina Suenia, conuentum fratrum ad partes illas direxit. Cumque Monachi, & conuersi, qui ad hoc nominati fuerant, vt hominibus rudibus, & indomitis formam religionis, & disciplinæ traderent, nimio mœrore consternati, precibus, quibus valerent, agerent, vt tanti patris præsentia carituri ad exteras, & barbaras mitterentur regiones; sanctus Abbas respondit: Quid est hoc dilectissimi fratres? Quid facitis? Vt quid irrationabilibus fletibus, & precibus affligitis animam meam? Aut nunquid voluntatem meam, & non potiùs voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio? Erant autem coram eo posita vestimenta, & vasa sacra, cæteraque vtensilia ad ministeria diuini officij pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere, quoniam à Domino egressus esset sermo, eleuauit peluim, quæ ad recipiendam aquam Sacerdotis manibus fundendam deputata erat, & digitum fundo eius imprimens, dixit: Ecce hoc vobis erit signum, quòd spiritus Domini miserit vos. Mirum in modum rigor, & inflexibilitas æris teneritudini digiti eius cedere visa est. Adeò, vt cuius quantitatis sacer articulus fuerit, vsque hodie liquidè valeat dignosci. Quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videbatur. In testimonium etiam tanti miraculi, eadem peluis in secretario domus, quam tunc Pater sanctus ordinauit, cum summa reuerentia seruatur. Porrò prædicti fratres videntes perspicuam diuinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edaces tristitiæ reprimentes, gauisi sunt. Et licèt remotissimas, & in vltimo Climate Aquilonaris Prouinciæ abstrusas nationes non sine quodam horrore spiritus adire possent: tamen eandem gratiam Dei, meritis & precibus sancti Patris nostri interuenientibus, se comitaturam, pia confidentia præsumebant.* Hactenus ibi.

g lib. 4. c. 28.

7. Quis primus Abbas fuerit designatus, incompertum est. Constat, Gerardum à Bernardo parente missum successisse in officio, & domum quadraginta annis administrasse. Nec tamen in Nouavalle moriturum, sed ante mortem reducendum ad Claramvallem, quod sanctus Pater Bernardus illi promisit, cùm nondum satis miraculo persuasum consolaretur. At qualiter ea promissio facta sit, eiusdem auctoris verbis describamus. h *Erat verò* (ait) *inter cæteros adolescens quidam honestæ indolis, & Columbinæ simplicitatis, Gerardus nomine, oriundus de Prouincia Germaniæ secunda, ciuitate Traiecto: qui impatientiùs aliis dolens, cum lacbrymis dixit ad virum Dei: Beatissime Pater, ego miserabilis iuuenculus, relicta domo paterna, spretisque omnibus, quæ in hoc sæculo desiderabilia, & amabilia esse poterant, religionis amore paternitatem tuam adij, sperans me tua dulcissima præsentia debere frui, tuis doctrinis, & exemplis informari, tuis meritis, & precibus adiuuari, subque sancta huius multitudinis vmbraculo à turbine tentationum, & ab æstu iuuenilium desideriorum tutari: quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cœmeterio quiescentium, diem expectare nouissimum. Et ecce eijcis me hodie à facie tua, sanctique huius Collegij consortium perdo, & insuper desiderata mihi sepultura priuabor. Hinc prorsus, hinc vehementer doleo, quia cor meum conturbatum est in me. Compassus adolescenti vir beatus, afflictam mœrore animam eius affatu blando mulcere curauit, & quæ post annos quinquaginta futura erant, spiritu prophetico præuidens, & prædicens, ait ad eum: Vade fili charissime, quò te Spiritus sanctus mittere dignatur, & in agro Dominico tanquam strenuus operator operare, & ego tibi in nomine Domini polliceor, & securum te facio, quia sicut desideras, in Claraualle morieris, & cælestis sponsi gloriosum aduentum vnà nobiscum præstolaberis. Hanc ergo tam lætam pij Patris sponsionem frater ille, velut arrham desiderij sui suscipiens, gauisus est valde, sciens vtique neque falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ & veritatis diuinæ secretarium esse manifesta signorum, & prodigiorum declarabant indicia. Iuit itaque, & in domo, ad quam cum cæteris fratribus fundandam mittebatur, Prioris, & Cellerarij administrationes strenuè percurrens, diuina largiente gratia, nomen pariter, & officium Abbatis sortitus est.* Hactenus de missione fratrum ad Nouamvallem, miraculo, & prophetia, quasi gemino radio, satis illustri, nam de Gerardo Abbatiam administrante, atque à Principibus terræ venerato supra mortalem, & tandem Claramvallem restituto, & feliciter ibi consummato, suis temporibus ex more disseremus.

h lib. 4. c. 28.

Illustrant inter alia Nouamvallem, Abbatis, & totius Conuentus gloriosa palma sub Christierno secundo Danorum Rege, cunctis in profluentem proiectis, nec natare permissis, quo inter spem, & metum protracta mors, quos seriùs absorbebat, diutiùs affligeret, & ferrum pariter, aquamque sentirent? dum enatabat, ictibus expositi, si quiescebant, statim submergendi. Sed & de his suo loco erit dicendum. 8.

1. De Cumbir, seu Cumira, 2. de Bella pertica, & de Bello loco. 3. sanctus Laurentius, & Falera, 4. Valleta, & Bona aqua. 5. Zedlizinum. 6. Initia Meyra, 7. situs, 8. & prima constructio. 9. Dotatio Imperatoris, 10. & priuilegium. 11. Plura incrementa, & alia remissiuè.

Caput VIII.

1. Sequitur domus septima huius anni, Cumbir, siue Cumira, sita in Hiberniæ, Meneuensi diœcesi quam Blanca landa triennis protulit. Memoratur à Matthæo Parisio Monacho Albanensi, in sua historia maiori Regni Angliæ. Locum in Montanis situm, valdè siluestribus, atque

atque à frequentia populorum remotis, constat ea literis Innocentij Papæ tertij, qui eo titulo, sæcularibus concedit Monasterio seruientibus, vt propriis Parochis prætermissis, Monachis confiteantur, atque ab ipsis Sacramenta alia suscipiant. Datum Anagniæ, quarto Kalendas Decembris, Pontificatus anno sexto. Fratribus de Cumhira (sic enim corrigendum, quod de Cuman irrepsit per errorem) scripsit idem Alexander III. decretalem epistolam, quæ habetur in cap. *cum Ordinem*, de rescriptis. Cætera ignota, sicut de Aqua frigida. Nisi quòd tamen numeratur in linea Claræuallis, & sunt, [a] qui filiam Columbæ esse affirment. Verùm in Tabulis Ecclesiarum Morimundensium, filia Coronati, in Cumanensi diœcesi ponitur: nec mihi facile de vtraque iudicium ferre.

a Rob. Rusca in quod am MS.

2. Bellampertìcam in Episcopatu Montis Albani, ad quingentos florenos taxatam in libris Cameræ, protulit Claræuallis, Monachis à Bernardo parente missis. Memoratur in cap. *in causis* 30. de electione. Belliloci, vt Ioannes Picardus [b] notat, plures in Gallia *apud Cenomanos, Lemouicos, Matconienses, & Virdunenses.* Vltra quos Claudius Robertus Cisterciensis familiæ tres agnoscit, Rothomagensem, Lingonensem, & Rutinensem. Illud tamen animaduersione dignum est, quòd duos Priores Claræualli tribuit: cùm tamen solum tertium ipsa protulerit, quod ex genesi Ecclesiarum illius palam habemus. Ergo hoc anno surrexit Lingonensis, filia Cari loci, quod ea genesi Ecclesiarum Claræuallensium habemus compertum. Memoratur in literis [c] Gregorij Papæ noni, datis Anagniæ, 13. Kalendas Martij, Pontificatus ipsius anno sexto. De Ruthinensi dicemus anno sequenti.

b in not. ad epist. Bernardi 252.

c tom. 3. Reg. epist. 312.

3. Sancti Laurentij Abbatia ignotior hodie, quippe nec vestigia vlla supersunt. Cæterùm, si res rebus conferamus, coniectari licebit Vrsaria matre, in Regno Galleciæ genitam, ad ripas Minij fluminis, sancti Famiani præuentam, ne dicam consecratam habitatione hanc Abbatiam de linea Claræuallis cuncta exemplaria tradunt, nisi quædam incertæ matri adscribant, Vrsariæ alia, atque ea correctiota, quæ tradunt in diœcesi Lucensi, vt suspicamur Famiani eremitorium, Quardive in Cœnobium creuisse: sed quod non diutiùs foret permansurum. Reliqua ex vita Sancti palàm fiunt. Notior Falera, de linea Pontigniaci, filia sancti Sulpicij, in diœcesi Castellanensi, quæ dicitur de Patrimonio sancti Petri, in qua quinquaginta florenis taxatur in libris Cameræ. In quibus tamen, vt id obiter notem, repetitam per errorem inuenies integram Parochiam, & ipsam Phaleram. Laudatur à [d] Gregorio nono Phaleræ Abbas, vir discretus, & prouidus, qui à Pontifice ad Reginam Nauarræ Legatus mittitur, Pontificatus ipsius anno duodecimo. Cœnobium ipsum item memoratur in literis Innocentij Papæ quarti, & aliorum Romanæ Ecclesiæ Præsulum.

d tom. 1. Reg. epist. 395.

4. Sequuntur Valleta, & Bona aqua, vtraque in Gallia, Lemouicensis diœcesis hæc, illa Tullensis: atque vtraque taxata in libris Cameræ, centum illa sexagintaque florenis, hæc trecentis. Sed cùm vtraque inter Obacinæ filias memoratur, neutra credenda induisse Cistercium ante quàm mater. Claudius Robertus alterius [e] tantùm meminit, memorat tamen duo alia Cœnobia Sanctimonialium Cisterciensium eiusdem nominis: Valletam in Sabandia, Bonam aquam, suppresso Episcopatu.

e in catalog. Monast.

5. Iam Zedelizium, Zedliz alij nominant, Bohemiæ Monasterium, de linea Morimundi, VValdsasum sub Gerlaco Abbate protulit: primo vltra annum sedente in præfectura, quippe Henricus, Vlricus, & Adeodatus, intra triennium per mortem sublati fuerant. *Gerlacus* (ait [f] Bruschius) *sedit annis X X V. qui Monasterium suum* (scilicet VValdsasum) *primus ab exactionibus, & aduocatiis liberauit. Sub eius gubernatione Zedlizense Cœnobium in Bohemia, octo milliaribus à Praga, regni Metropoli, Morauiam versùs situm, fundatum est, Monachis aliquibus ex VValdsaso, ad nouam terram excolendam auocatis.* Hæc pauca Bruschius. Celebre est Zedlizense Monasterium in [g] historiis Bohemicis, proprio excidio, & pietate, & constantia Monachorum. Cùm Carthusiani deturbati ab Husitis, à propriis sedibus, atque à Zedlizensibus charitatiuè suscepti, adeò hæreticos impios concitarunt, vt Monasterium penitus subuerterent, & simul receptores, receptosque, atroci quidem, sed gloriosa ipsius morte coronauerint. Acta sunt hæc circa annum Christi M. CD. XXI. quo latiùs referenda venient, si Deus dederit. Abbati Monasterij de Zedeliz, Cisterciensis Ordinis, Pragensis diœcesis, scribit Nicolaus Papa quartus, apud vrbem veterem, Idibus Martij, Pontificatus ipsius anno tertio. Vltima domus ignota (quod sciamus) ni fortè eadem cum VVallerbach Ratisbonensis diœcesis, cuius meminit Honorius Papa tertius in literis ad Abbatem illius, datis Laterani X I V. Kalend. Martij, Pontificatus ipsius anno 2. Atque item Gregorius nonus in aliis literis, datis Laterani X V I I. Kalend. Maij, Pontificatus ipsius anno X I I I. Cætera incerta, atque adeò prætereunda, expeditiores nos redeunt ad Meyræ initia notiora recensenda.

f in catalog. Abbatum VValdsasen.

g Ioan. Cocl. Paulo Langij, & alij.

6. Hæc Chronologia refert in hunc annum, & intra illum, ad primam Iunij diem: nec video, quid contra eam obiici possit, nisi quòd ante annum M. C L I V. nulla eius mentio in authenticis scriptis, sed quæ eo anno habetur, vt mox videbimus, Monasterium fundatum iam supponit. Monachos à sancto Patre Bernardo è Claravalle missos traditio est, cui Claræuallensium tabulæ concordant. Nec tamen missi ab eo ad certam sedem, siue ad alicuius petentis piam instantiam. Galleciam tantùm amandati à sancto Patre, locum in ea opportunum quæsituri. Crediderim venerabilem Petrum Abbatem, ad Superadum directum anno proximo, siue etiam Barcenensem, aut Vrsariensem, Prouinciam eam commendasse viro sancto, aptam nimirum, ob locorum asperitatem, vitæ Monasticæ, atque aliàs ob barbariem natiuam genti, totius prorsus egentem disciplinæ. Venientibus, viri sancti præfecti sunt, Vitalis, & Rogerius, ille qui Abbatis exercet officium, hic Prioris.

7. Regnum Galleciæ ad Oceani littus positum Lusitanis arctatur, & Asturibus. Partem, quæ Lusitanis vicina est, tenebat Barcena, quæ Melon hodie, vt superiùs notabamus, Medium regni occupabant Vrsaria, & Superadum, Compostellanæ diœcesis hoc, illud Auriensis. Restabat in Lucensi pars, quæ Astures tangit, Cisterciensium præsidio destituta. Illuc Vitalis direxit suum agmen, & loco non incommodo reperto,

paruo

paruo interuallo distanti à fonte Minij (Fuen Miñana, vernacula liogua incolæ vocant) firam sibi, & suis io eo sedem statuit. Meyra loco nomen erat etiam tunc, quem Imperator Alfonsus ante tres annos cuidam Aluaro Roderici, nobili, vt ipse appellat, vasallo, dono dederat. Sic Princeps iste familiæ Cisterciensi nunquam non dabat, etiam cùm nihil dabat. Locum ab Aluaro, Vitali statim traditum, coniectant potius Meyrenses, quàm affirmaot. Certè donatio cuiuscumque fuerit, minus firma euasit, quia non Regia. Quare Ferdinaodus secundus Rex Legionis aono M. CLXXXIV. eundem locum iterum largitus, firmum vult Monachis exinde permanere, ipsius dono, idque ob moriuum satis honorificum, atque expressè notatum in ipsis literis, quod suo loco latiùs adducemus.

8. Vitalis Ecclesiæ de nouo structæ, an ibidem inuentæ? Monachorum adiecit officinas, suorum manibus penè elaboratas: ea frugalitas Monachorum illius temporis. Artifices induxisse videtur ad hæc munera, naturæ non indigentia, sed arrogantia: nihil ibi arrogantiæ datum fuit, necessitati aliquatenus indultum. Sic paruo sumptu ædificium breui creuit, sub sanctæ Virginis consueta aduocatione. Monachi exinde cœlestem vitam ducere, diuinis laudibus indefessè insistere, Angelos imitari, & nihilominus hominem professi, in sudore vultus sui pane non suo vesci, sed simul sibi, & pauperibus communi, incolas verbo vitæ etiam reficere, atque ad meliorem frugem etiam ioformare. Omnia ad oormam primitiui illius Cistercij, seu quæ ipsis proximior, Claræuallis. Sic Christi bonus odor vbique sparsus multos vndequaque attraxit io hanc vitam: inter quos etiam illustris Comes Gomerius, ex prima nobilitate totius Regni, plures forsan suo exemplo pertracturus.

9. Hæc (ex archiuiis eiusdem Monasterij breuiter, sed fideliter relata) nascentis domus initia tenuia satis, Imperator Alfonsus promouit post decennium, solita sibi in Cisterciensem familiam munificentia. Dotauit itaque Monasterium Meyrense duplici, neque exigua donatione, altera vectigalium omnium, Regaliumque prouentuum Ripæ Euij (portus maritimi, qua parte Astures à Gallecis diuiduntur, Riuadeo Hispanè) altera loci dicti de Chaim, in terra Crescendi, atque vtraque firmata regio diplomate, cuius exemplar non pigeat hîc transcribere.

[h] *In nomine Domine. Amen. Quanto diuitiis, & possessionibus abundantiùs quisque videtur affluere, tantò de his, quæ possidet, Deo, & veris Dei cultoribus pro salute animæ suæ, & peccatorum suorum remissione, largiùs debet impendere, iuxta illud Apostoli:* [i] *Facite bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Ea propter ego Alfonsus Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea Imperatrice domina Rica, & cum filiis meis Sanctio, & Ferdinando Regibus, pro amore Dei, & pro animabus parentum meorum, facio chartam donationis, & textum firmitatis, Deo, & sanctæ Mariæ de Meyra Monasterio, & vobis Domino Vitali primo illius Abbati, & omnibus eiusdem Monasterij successoribus vestris, de decimo, & omni redditu de Ripa Euij, & illo villari, quod vocatur de Chain, & iacet in terra Crescendi. Ex hoc facio, vt ab hac die habeatis, & possideatis vos, & successores vestri iure hereditario in perpetuum, &c. Facta charta in Secouia, pridie Nonas Iulij, era M. CXCII. imperante ipso Alfonso Imperatore Toleti, Legione, Gallecia, Castella, Nagera, Zaragoza, Baetia, & Almeria, teste Domino Hyacintho sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Legato in Hispania, & præsente in Segouia.* Hactenus literæ. 10.

h in Tabul. Meyra.

i Ad Gal. 6.

Patris exemplum imitatus Ferdinandus Legionis, & Galleciæ Rex, multa Vitali, Meyræque concessit, reuerentia in vitum, in Monachos ac domum deuotione. Quin & vtriusque exemplum imitati Proceres Regni plura contulere: Sanctia præcipuè, & Tarasia Comitissæ, & Rodericus eiusdem Sanctiæ filius, olim Comes, sed tum Magister militum Montis Gaudij, de quo Ordine inferiùs nos dicemus. Verùm de sancta Vitalis conuersatione, meritisque, & totius Meyrensis conueotus mira flagrantia, qualiterque sub illius visitatione Monasterium Ferrariæ Sanctimonialium, post trigiota plus minus annos cœperit, suis locis ex more referemus. 11.

Iesv Christi Ann. 1144. — Cistercii Ann. 47.

1. Mors Cœlestini, Luciique successio. 2. Ludouici in Theobaldum persequutio: 3. ad quem Bernardi salutaria monita, 4. in admirandum pietatis opus erumpunt. 5. Irrisa illius virtus, pietasque, & desperata salus, quæ mox illuxit, 6. prophetante Bernardo, 7. cuius interuentu tandem pax firmata.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus quadragesimus quartus, Cistercij quadragesimus septimus, quo Cœlestinus semestri nondum completo, Pontificatum, vitamque deseruit, octauo Idus Martij. Cumque vacasset vna tantùm die, Gerardus Camerarius suffectus est, ex Canonico Regulari, Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Crucis in Hierusalem. Lucius secundus nuncupatus post electionem. Sub hoc Pontifice, vt Robertus Montis ait, [a] *mediante Abbate Claræuallis* (scilicet sancto Bernardo) *simultas, quæ inter Regem Ludouicum, & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur.* Digoa Bernardo mediatore pax, & quam summè exoptarant quicumque boni. Sed quibus mediis tandem consequuta, & qua ratione Bernardus constantiam primùm, & magnanimitatem in laboribus, mox etiam vacationem, & libertatem Theobaldo contulerit, alterum Carnotensis Abbatis verbis, alterum Godefridi, qui cunctis aderant, aut saltim ad eodem Sancto nouerant, intemerata fide prosequamur. Et primum quidem Arnoldus ita describit.

a In append. ad Chron. Sigeb. hoc ann.

2. [b] *Aggressus est eum* (scilicet Theobaldus) *iam Rex,*

b L. 2. vitæ. 8.

Rex, quàm Principes, & commota est, & contremuit terra, & quasi iratus esset ei Deus, rapinis, & incendiis ferè omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant, & operuit faciem terræ Regis exercitus, & passim omnia vastabantur. Nec erat ei tutum resistere, vel obuiare persequutoribus. Qui & sui deseruerant eum, manifestè infestantes: & qui remanserant, in insidiis, non subsidia erant. Vndique angustiæ graues, quia nec domi sibi cauere, nec extrà poterat con[...] prouidere, cùm omnino, qui sui essent, nesciret, & tam de perfidia refugarum, quàm de duplicitate suorum prorsus diffideret. Sic quem stantem, & suis, aut Regij fauoris subnixum viribus, omnes sustinerent, omnes susciperent, cadentem impellunt, & sola fortuna mutata pro culpa fuit, quæ meritorum gratiam aboleret. Pergit Arnaldus.

3. c ibidem. [c] *Inter has angustias conuersus ad Dominum, de cælo quæsiuit auxilium, & accito viro Dei (scilicet sancto Bernardo) cuius consilio maximè vtebatur, nec desperans de clementia Dei, hoc ex eius promissione accepit, vt intelligeret, quia flagellat Deus omnem filium, quem diligit, & huiusmodi correctiones vel purgant, vel probant animum, & gloriosiorem fuisse Iob, cùm sederet in sterquilinio, quàm fuisset, cùm, circumstante exercitu, sedisset in solio. Ostendit ei vir sanctus, Salomonem peccasse in ocio, & abusum bono pacis, defluxisse in vitia, cùm Dauid pater eius, Absalon filio persequente, & vniuerso Israele aduersus eum armato, permansisset in gratia. Insinuauit etiam quomodo ipsum Sathanas colaphizaret Apostolum, in qua tribulatione immobiliter perseuerans, meruit audire, quia virtus in infirmitate perficitur, & quia in præsenti vita segniores nos faciunt prospera, & circumspectiores aduersa.*

4. His sanctus Pater firmabat Theobaldi animum, nondum vt liberaret, sed ne deficeret. Verùm quo fructu, demonstrant, quæ sequuntur. [d] *Audiens hæc* d ibidem. *venerabilis Comes magnificè animatus, duo immensi ponderis, & miri operis vasa aurea, in quibus preciosissimæ gemmæ habebantur inclusæ, quæ in solemnitate coronationis suæ Rex Anglorum Henricus auunculus eius, ad ostentationem diuitiarum suarum, & gloriæ suæ, in mensa coram se habere consueuerat, sub omni celeritate proferri iussit in medium, & à corde suo delectationem huiusmodi auellens, gemmas à retinaculis suis iussit abstrahi, & aurum confringi præcepit, vt venderentur, & de pretio eorum dilecta Domino super aurum, & topazion, tabernacula fundarentur.* Hactenus ille. Audiant, & confundantur, quicumque bella ex pauperum marsupiis, ex Ecclesiæ thesauris gerenda putant, nec nisi vtrisque spoliatis, expediri exercitus, quos potiùs forent largitate promerituri. Theobaldus Comes, ingruente bello domestico, coniuratis extraneis, propriis rebellibus, thesauros suos in pauperes expendit, expendit in templa, quo Christum sibi ducem consequatur, eisdem pro militibus vsurus.

5. Verùm quo tandem pacto pax illuxerit, atque in maiori desperatione rerum, prædicente Bernardo, agenteque, post tot labores, optata quies reddita, Ecclesiæ, & Galliæ faciem restaurauerit, Gaufridus Altisiodotensis his verbis narrat. [e] *Fidelissimum Principem Theobaldum Comitem in ma-* e lib. 4. cap. 3. *gna tribulatione probatum, non minus miserabiliter, quàm misericorditer Dominus liberauit. Is nimirum potentissimus in Regno, & secundus à Rege, totus tamen eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omniumque seruorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræuallis Abbatis amator deuotissimus erat. Quem eatenus impugnari, & affligi passus est Deus, vt Rege pariter & vicinis potentibus ferè cunctis, aduersùs eum coniurantibus, vsque adeò de eius euasione desperaretur, vt publicè quoque iam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi, & Conuersi, inutiles eius milites, & balistarij dicebantur. Nec modò apud extraneos, sed in ipsis quoque eius ciuitatibus, & castellis eiusmodi iam blasphemia personabant. Denique congregatis aliquando Episcopis pluribus, aliisque personis, præsente etiam viro Dei, dum super his agerent, & colloquerentur: Episcopus quidam, eo tempore, auctoritate, & opinione prudentiæ celeberrimus, diceret: In manu Regis est Comes Theobaldus, non est qui possit eum eripere. Respondente alio quodam Antistite: Est qui possit liberare eum. Multum ille miratus, quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens, quia potest eum eripere, qui omnia potest, Deus. Non parum substomachatus: Potest, inquit, si manifestus appareat, si clauam teneat, si hinc inde percutiat. Sed hactenus ista non fecit.*

In tanta igitur desperatione, cùm prædictum Principem vehementer vrgerent extranei, grauiùs tamen impugnarent, qui ab eo defecerant, vniuersi penè potentes homines sui, nec minus eum affligerent pauci, qui residui videbantur, ex aliorum defectu, ipsi quoque suspecti, Lingonensis Episcopus Godefridus (scilicet olim Prior Claræuallis) frequenter, & familiariter Dei hominem (Bernardum) consulebat, quidnam sibi Dominus super his manifestaret. Cui ille, cùm iam sæpiùs respondisset, nihil sibi apparere, nisi tribulationem super tribulationem. demum aliquando sciscitanti ait: Quia quinto mense pax erit. Sanè vltima die quinti mensis reformata est pax: ipso quidem orante, & operante, vt non esset ambiguum eius potissimum studio, & merito, piissimum illum Principem, à tam grauibus, imminentibusque periculis liberatum. Ita Gaufridus. Vt non obscure constet, fortunæ claues Bernardo velut permissas, qui & aduersæ terminum præfixerit, nec minus prosperam, cùm libuit, reuocauerit. 6.

Pacta conuenta siluere antiqui Auctores, contenti initæ pacis relatione. Quam tamen adeò firmam, inconcussamque constat permansisse, vt Ludouicus, post diuortium cum Eleonora, Guillelmi Ducis filia, vt consanguinitatis sibi fœdere iuncta, nec dispeosata: & post constantiam ex partu vita functam, integro nondum matrimonij anno peracto, Adelam Theobaldi filiam duxerit, ex qua Philippus cognomento Augustus, natus, qui successit in regno, auum & patrem arctiùs deuincturum. 7.

---

1. Iuuenis Petri cognomento Tolosani mira vocatio. 2. Vita eremitica, & accessus ad Claramvallem. 3. Ratio temporis vtcumque deducta. 4. Aduersùs incentiua carnis, 5. præceps consilium; 6. per miraculum ab Angelo præuentum. 7. Puer Iesus in hostia Sancto apparens, 8. neque id semel.

CAPVT II.

1. INterim Claravallis nouis militibus, nouis Sanctorũ agminibus crescebat, tyrocinium ambiẽtium ex veteranis. Inter quos insigniores duo viri Petrus, Guillelmusque, vterque prouectus, vterque mirabilis, ille ex eremo conuersus, hic ex Cœnobio. Et Petrus quidem cognomento Tolosanus,

fortè à Patria, iuuenis adhuc à Deo præuentus fuerat, ostensa illi diuinitus visione, quam auctor Exordij magni ita describit. [a] *Huic autem, cùm adhuc iuuenis esset, Dominus per visionem apparere dignatus est, residens in throno sublimi, & Sanctorum millia cum eo. Videbatur autem ei, quòd ad iudicium coram Domino duceretur. Cumque tremendæ maiestati præsentatus fuisset, pauidus, atque tremebundus procidit ad pedes sedentis in throno, flagitans, vt sui misereretur. Dixit autem illi Dominus: Quid tibi vis faciam? At ille. Domine, vt saluus fiam. Et Dominus ad eum, Vade, & conuertere ad seruitium meum, & in eo iugiter persevera: sicque non deerit tibi salus, quam postulas. Hanc ergo promissionem, firmissimum pignus habens seruus Dei Petrus, æternæ salutis, & mundum perfectè deseruit, & se totum diuinis obsequiis mancipauit.* Hæc conuersionis Patri occasio fuit. Cæterùm qualis ea conuersio fuerit, & quàm non segniter mandatis obtemperauerit, in fame & siti, in frigore & nuditate promissioni cooperans, & satagens, vt certam expetiretur, idem auctor non multò antè descripserat.

a lib. 3. c. 13.

In iuuenili ætate, ait, antequam Ordinem Cisterciensem ingrederetur, habitauit in solitudine, ieiuniis, & orationibus, & laboribus multis veterem hominem mortificans in se, sacrificium spiritus contribulati quotidie Domino in ara cordis immolans. Denique herbis agrestibus, & pane lixiuia confecto iugiter vtens, multo ibi tempore Christo militauit, & innumera bella tentationum, à spiritibus malignis illata (protegente Deo) fortiter superauit. Hæc de tempore, quo vixit in eremo. At de conuersione eiusdem in Claravalle, hæc quæ sequuntur. [b] *Postmodum autem comperta celebri fama de sanctitate beati Bernardi Abbatis, at ipsius Monastery Claræuallis, cum magno spiritalis desiderij feruore ad eundem locum se contulit, quatenus in tanta congregatione iustorum, velut in tabernaculo Domini, in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia tutior viueret, & sub disciplina prædicti Patris, quod sibi deerat perfectionis, consequeretur. Vbi etiam per multos annos Christo Domino feliciter seruiens, vsque ad exitum vitæ suæ perseuerauit.* Hactenus ibi.

b ibidem.

3. Quod ad hunc annum, vel certè non longè dissitum referendum inde coniector, quòd sub Bernardo in Claravalle militans, tandiu nihilominus vixit post eius obitum, vt auctorem Exordij, ante annum Christi M. C C. scribentem, vt pòst dicemus, senex iuuenem fuerit assequutus, atque hæc, & quæ mox subiiciā, patefecerit, ante eius obitum nequaquam reseranda; sic enim habet. [c] *Hæc ego, sicut iam dictum est, fideliter, atque simpliciter narrare curaui, quemadmodum ipso, cui tanta gratia collata est, referente, cognoui. Nam cùm ei familiari affectu propter sanctitatem ipsius adhærere satagerem, multumque de eius solamine, atque allocutione penderem, hanc ab ipso visionem, sicut & multa alia, precibus magnis, & quasi quadam violentia charitatis extorsi: ea tamen conditione, vt nulli ante obitum eius præsumerem indicare. Quod & facilè potui adimplere: paruo namque postea tempore superstes, felici tandem consummato agone, collectus est ad Patres suos.* Atque hæc de ratione temporis dicta, obiter etiam dicendis concilient fidem, quippe ex ipsius ore hausti, quis frui meruit.

c ibidem.

4. Monachum iam, eoque sibi infensiorem, communis hostis violentiùs impugnabat, per visum, per horrores, per phantasmata: quibus vir Dei supra modum molestabatur. Sed quod atrocius in homine purissimo, atque miro cultore virginitatis, spiritus immundi tentatio vehemens, iugiter ferè infestans resistentem, & vires sumens ab ipsa repressione. Id huic luctæ, præ aliis singulare, vigente vt minus ætate, nunquam deficere, vt nec victo hoste, tutus inoeniaris, nec victore. Ergo cùm vltra vires, vt sibi videbatur, fatigaretur, & pluribus adhibitis remediis, frustratisque, nullum aliud restaret, quod occurreret, virilia sibi amputare deliberauit, præcipiti consilio, atque imprudenti: sed quod ex zelo puritatis, & amore continentiæ promissæ deriuaret. Quasi ibi primum periculum peccandi cessaret, vbi potentia: nec satis continentiæ suæ consuleret, nisi summota omnino incontinentiæ non solùm occasione, sed facultate. Et zelo bono, etsi non secundùm scientiam tale consilium, insigni Deus miraculo præuenit, misso Angelo, qui virum conseruaret, secaret libidinem, quatenus neque fructus zelo deesset, neque piaculum ad effectum perueniret. Eundem Auctorem, quæ ab ore Sancti didicit, hæc eadem referentem audiamus.

[d] *Vnde* (inquit) *quia videbat violentiam tentationis, patientia suæ modum excedere, diffinito consilio statuit sibi ipsi abscindere virilia, malens in hac parte apud seipsum periclitari, quam in barathrum luxuriæ labi. Iamque nihil aliud expectabat, nisi vt nouaculam, vel aliud quodlibet ad hoc idoneum ferramentum reperire posset. Sed interim misericors, & miserator Dominus, ille adiutor [e] in tribulationibus, in opportunitatibus: ille qui solus [f] laborem & dolorem considerat, famulum suum noluit in tanto agone deserere, sed fecit [g] cum tentatione prouentum, vt sustinere posset.* 5.

d lib. 3. c. 13.
e Psalm. 9.
f Psalm. 10.
g 1. Cor. 10.

Itaque dormienti apparuit Angelus Domini in forma iuuenis, dicens se medicum esse peritum, & eius rei gratia aduenisse, vt eum secaret, atque ab illa passione sanaret. Quod ille gratanter accepit, & voluntati eius seipsum incontinenti exposuit. A quo, dum incideretur, tolerabat in omni patientia secantis manum, & doloris acerbitatem. Cumque euigilasset, amputationem illam in se veraciter, & materialiter factam esse putabat. Vbi verò cognouit membra corporis integra quidem sibi permanere, tentationes autem radicitus in se abscissas, ita vt nihil omninò molestiæ ex eis sentiret, diuinæ clementiæ, sicut dignum erat, gratias referens, curauit tanto alacrius viam mandatorum Dei currere, quantò bonitatem ipsius in seipso largius experiri meruerat. Ab hoc itaque tempore, extinctis in eo carnalium passionum incentiuis, cœpit illum Dominus in benedictionibus suæ dulcedinis visitare, & implere splendoribus animam eius. Ita vt ex sententia dicere posset: [h] *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerūt animam meā.* Hactenus Auctor Exordij ex ore Sancti. 6.

h Psalm. 93.

At quæ, & quales postea consolationes fuerint, quibus à Deo meruit visitari, vna in exemplum adducta pro multis erit, semel obtenta, illustris in VValeno, sed in Petro illustrior, quia frequentior. Et primò quidem exhorrere visus est magnitudinem gratiæ vir verè humilis, indignum se cum Apostolo reputans, & dicens: [i] Exi à me, quia homo peccator sum, Domine; sed mox attractus ab ipsa suauitate, importunus exactor intercepturus. Exordium ipsum loqnens præstat proferre. [k] *Igitur, ait, dum sacris altaribus offerens viuifica sacramenta, vir beatus adstaret, in ipsa perceptionis hora, tenenti in manibus super calicem sacrosanctum Domini corpus, apparuit in specie paruuli, paruulus ille speciosus forma præ filiis hominum, verus Deus, & verus homo, Dominus noster Iesus Christus, ille mitis, & humilis corde, qui seipsum sapientibus, & elatis corde abscondere, & paruulis reuelare consueuit. Quod cùm ille cerneret, tremefactus, præ fulgore, atque reuerentia maiestatis, claudebat oculos suos, non enim audebat respicere* 7.

i Lucæ 5.
k lib. 3. c. 13.

tuspicere contra Dominum.) Qui etiam tunc clausis oculis videbat eum, sicut apertis. Cumque declinaret vultum suum in alteram partem, & aliquandiu maneret palpebris obductis, facieque auersa, videbat eum nihilominus, sicut ante se positum; aliquando super manum, aliquando super brachium suum, & miro videlicet, atque ineffabili modo, tanquam si alios oculos haberet in occipitio, vel temporibus defixos, quibus eum intueretur.

8. *Hac autem tam dulci, atque mirabili reuelatione, non semel, aut bis, sed frequenter ille vir Dei à Deo lætificatus est. Plerumque enim per quatuor, aut quinque menses singulis diebus illi apparebat. Quæ si aliquandiu diutiùs interdum tardare videretur, tanta inerat ei cum Deo familiaritas, tanta de eius pietate fiducia, vt ipsius sacrificij consummationem protelaret, nec facilè illud vellet explere, donec reddita sibi lætitia salutaris Dei, consuetam benedictionem mereretur accipere.* Hæc in Exordio. Qualiter autem idem beatus Petrus sancti Fastradi Abbatis Cisterciensis, mortem simul & gloriam prænunciauerit, admiranda visione præcedente, qua vtramque cognouit, dicemus in tempore.

---

1. Guillelmum priùs sancti Albini Monachum, 2. & de licentia sui Abbatis Eremitam, 3. carnes ad hospitis preces comedentem, 4. blandè Angelus increpat. 5. Producto exemplo de Hispana Sanctimoniali, 6. & miraculo vsque ad illud tempus perseuerante. 7. Discessus Angeli. 8. & sancti viri tyrocinium in Claravalle.

CAPVT III.

1. ÆQualis tempore, nec inæqualis gratia Petro Guillermus fuit, de quo idem Exordium ita scribit. [a] *Erat eodem tempore in Claravalle, Monachus quidam venerabilis, nomine Guillermus, ætate pariter, & religione prouectus. Hic annis fermè quinquaginta in habitu Monachali Domino seruiens, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis assiduè crucifigebat, & longum diuino cruciatu Martyrium trahebat. Qui prius quàm Cisterciensium Ordini se contulisset, vixit multo tempore in Monasterio sancti Albini Andegauensis. Vbi religiosè conuersando formam bonorum operum seipsum exhibuit, & magnæ sanctitatis speciem, eiusdem loci fratribus demonstrauit. Vnde etiam tam ab Abbate, quàm ab vniuersitate congregationis in magna reuerentia habebatur, & diligebatur ab omnibus.*

a lib. 3. c. 14.

2. *Erat autem in possessione Monasterij quidam locus, qui magis solitarius, magisque quieti religionis videbatur accommodus. Ad hunc igitur cum paucis fratribus, annuente Abbate, se contulit, & ibi in cellula angusta reclusus, annis plurimis habitauit, vt & arctiori continentia seipsum affligeret, & de austeriori conuersatione infirmioribus fratribus molestiam non inferret. Itaque ieiuniis, & orationibus, dies noctésque congeminans, non modò carnis edulium, & lautiores epulas, quibus interdum fratres illi ex pristina Monasterij consuetudine vtebantur, funditus recusabat: verùm etiam cibo quadragesimali, & ab ipsius aquæ potu sæpius abstinens, parcissimo cibo corpus debile sustentabat. Hanc autem continentiæ virtutem non sine difficultate magna obtinuit: sed post longum inediæ cruciatum, post inenarrabiles gemitus, cooperante gratia Dei, tandem geminas ventris, & gulæ illecebras cum cæteris vitiis à propriis sedibus exturbauit.*

3. *Quadam itaque die cùm venisset ad eum salutandum vnus de senioribus Monasterij, præcepit ei carnis refectionem apponi, eò quòd debilis, & longo itinere fatigatus esse videretur. Senex verò ille respondit, se nullo modo carnis cibum gustare, nisi ipse, qui ministrare iusserat, causa charitatis secum inde reficeretur. Cuius familiari amore, & persuasione quodammodo coactus, atque ipsius (vt postea fatebatur) obsonij quantulacumque auiditate illectus, vt comederet, acquieuit. Finitoque prandio, senex amico, & hospiti suo vale faciens, ad Monasterium redit. Post cuius discessum confestim frater ille ad se reuersus, cæpit à fundo cordis alta suspiria trahere, & ingemiscere grauiter, quod tanti temporis propositum tam friuola occasione fregisset.*

Vix cœperat talia cogitare, & ecce repentè quidam ad cellulæ fenestram pulsabat. Cui cùm aperuisset, tremefactus in illius concursu obstupuit. Erat enim persona reuerendissimi vultus, & habitus, ac supra modum hominum mirabilis, cui similem in omni elegantia, ipse non viderat. Vestimenta eius erant candida, & pretiosa, capilli capitis eius sicut lana alba, & sicut nix, facies illius singulari refulgens venustate. Angelum potius, quàm hominem indicabat. Verba oris eius plena suauitate, & gratia erant, & super cœlestem sapientiam mirabiliter redolebant. Denique quidquid apparebat in illo, super hominem indicabat. Nudis tamen pedibus incedens, dicebat se peregrinum esse, & de remotis partibus gratia visitandi venisse ad illum. Qui blanda salutatione præmissa, cæpit eum super his, quæ mente voluebat, familiari, & amica increpatione, tanquam cogitationum illius cognitor, atque inspector esset, conuenire, & dicere: Meritò quidem ingemiscis, & meritò plangis super excessu tuo, quo nunc diuturnum laudabilis parsimoniæ propositum delitiosa charitate rupisti. Non bona est charitas, quæ destruit charitatem, improbanda est pietas illa, quæ animas lædit, vt corpora foueat. Et nunc audi exemplum, quod tibi propono. 4.

Erat in partibus Hispaniæ Sanctimonialis fœmina reclusa, quæ pane, & aqua, vel semicrudis interdum oleribus vtens, conuersatione sobria, & casta, petulantiam carnis viriliter edomabat. Huic aliquando instinctu diaboli desiderium incidit, vt carnem comedere vellet. Quæ diu, multumque tentationi reluctans, cùm tam violentissimas inimici suggestiones sustinere non posset, manibus illicito desiderio datis ad consensum trahebatur. Iussit itaque sibi carnis edulium præparari. Quo super mensam posito, priusquam gustare præsumeret, prostrata in oratione, voce lachrymarum Dominum supplicabat, vt ei non permitteretur præparatum cibum tangere, si hunc saluti animæ suæ periculosum fore præsciret. Surgens verò ab oratione, ad mensam ingreditur, & data benedictione operculum submouet, quo carnis ferculum velabatur: & ecce pro carnibus, quæ apposita fuerant, tres pulli coruorum in disco vagientes, & sine plumis apparuerunt. Quo viso Sanctimonialis illa vehementer expauit, & accita sorore, quæ illi ministrabat, rei veritatem inquirit. Illa verò sub attestatione tremendi iudicij Dei respondit, se in eodem mensali non implumes auiculas, sed tria carnis frusta cocta apposuisse. 5.

Erat autem cellula ipsius super ripam violenti cuiusdam, & magni fluminis sita, quod de saxeis mon- 6.

tibus erumpens, & confragoso itinere ruens, præcipiti cursu labitur ad inferiora. Igitur ancilla Dei exultans, & gratias agens Deo, quòd exaudita esset eius oratio, iamque multò vehementius abhorrens esum carnium, quem prius desiderabat, præcepit nigredinis, & mala suggestionis pullos, cum catino, in quo continebantur, in præfatum fluuium iactari. Qui proiecti in amnem nullatenus potuere segregari abinuicem, sed fluctuante vasculo super flumine, tandem deuoluti sunt in quendam sinum eidem cellulæ proximum, vbi ingentis saxi concauitas copiosam aquarum congeriem stagnabat. Ibi ergo iam per multa temporum curricula assiduè rotantur, & vsque hodie in testimonium huius miraculi in ipso vasculo super aquas fluctuare videntur.

7. *Hæc, & his similia viro perorante, frater ille compunctus est valdè de gratissima illius sermocinatione. Et cadens in faciem, fusis lachrymis, reatus sui veniam postulabat. Acceptaque pœnitentia non modò absolutionem peccatorum, verùm etiam consolationem plurimam ab eo suscipere meruit. Cumque iam fiducialiter loqueretur illi, percunctari cœpit ab eo, quis esset, aut vnde veniret? Cui ille respondit. Non est tuum scire modò, quis sim ego, neque agnoscere, vnde veniam, aut quò vadam. Tunc ille obsecro (inquit) Domine mi, vt hodie saltim ingrediaris ad nos, vt ministremus tibi. Respondens alter: Et ego, ait, non vestro pane, non veste, non labore, non vlla re indigeo, sed abundo omnibus bonis, & habeo cibum manducare, quem vos nescitis, tantummodo solicitus sum de vestra salute, & vos nihilominus inde soliciti estote. His dictis, cum festinatione recessit, & ita repentè ab oculis intuentis subtractus est, vt magis sit visus euanuisse, quam abiisse. Ille verò quantocius accitis fratribus, qui ei ministrabant, iubet eos instantius prosequi recedentem, & ad hospitium precibus multis cogere. Qui celeberrimè abeuntes, cùm hàc, illac discurrerent, nullum prorsus vestigium ipsius reperire potuerunt. Vnde vir Dei certissimè credidit, Angelum Domini affuisse, qui cordis eius arcana cognoscere, & ipsum pro excessu suo mœrentem tam dulci consolatiqne voluit refouere. De cuius etiam beata præsentia tantum deuotionis, & gratiæ mente concepit, vt post annos fermè viginti, cùm mihi ista referret, præ nimio pietatis affectu etiam tunc a lachrymis abstinere non posset.* Hactenus ibi. Verùm quod ait, ab Angelo absolutum, non de sacramentali absolutione intelligendum venit, sed quia Angelus ei significauit, qualemcumque eius culpam, imperfectionemve, à Deo dimissam, & lachrymis ablutam, quas deplorauit. Pergit de aduentu viri ad Claramvallem.

Processu itaque temporis, cùm beati Bernardi Abbatis celebre nomen, eiusque virtutum fama, necnon & Cœnoby ipsius clarissima religio vbique iam vulgata, ad prædicti viri notitiam peruenisset, non potuit requiescere spiritus eius, donec felicissimo illius magisterio, gubernandum se subderet, vt de feruentiore feruentissimum, de sanctiori sanctissimum redderet. Benignè verò susceptus à beato Bernardo Abbate, & desiderato Claræuallensium collegio sociatus, tanta in eo gratia virtutum radiauit, vt in omni sanctitate mirabilis appareret, etiam quibuscumque perfectis. Huic ergo multas, & magnas consolationes per Spiritum sanctum pius Pater mittebat, multaque illi (quod pro certo comperimus) de secretis cœlestibus reuelabat. Ipse tamen, quia Cenodoxiæ pestem incurrere metuebat, de multis paucissima, ipsaque paucissimis referebat. Hæc ab Auctore Exordij descripta pleniùs, eiusdem verbis censui, nam nec alia graniora, transcribenda. Plura infrà de eodem sancto viro, cùm sanctum Malachiam primum, mox Beatum Bernardum, in magna gloria sibi vtrumque visum, ex eodem Exordio referamus. Quin & sub sancto Roberto quædam alia, quæ suis locis venient describenda. 8.

---

1. Hierosolymis fragmentum ligni Dominici, 2. flammas in hostes vertit, 3. Angelum viæ ducem præbet erroribus. 4. Pars eius à Patriarcha Bernardo Missa, 5. quæ hodie etiam veneratur in Claravalle. 6. Bernardi Patris rescriptum ad Patriarcham, 7. gratulatorium, 8. atque alia etiam inculcans.

CAPVT IV.

1. SEd priusquam discedamus à Claravalle, excellens donum, fragmentum crucis Christi, neque exiguum, ab Hierosolymis ad Bernardum Patrem transmissum, scribendum venit, cùm hoc ipso anno eiusdem salutiferi ligni interuentu, semel & iterum salus impetrata religiosiores fideles effecisset. Miracula [a] Guillelmus Tyrius latiùs, breuiùs ex ipso Baronius in hunc modum. [b] *Erat regio tota (scilicet Hierosolymitana) vepribus, & frutetis humilibus, cardonibus aridis, & sinapis sylua, veteribus stipulis, & frugibus iam maturis obsita. His omnibus igne subiiciunt (Saraceni) vento nostris obuia fomitem, & vires ministrante. Hinc incendij vicinioris afflatu, fumique occurrentis nube densissima nostris ingeminatur molestia. Cùm ecce ad venerabilem virum Dominum Robertum Nazarenum Archiepiscopum, qui crucem Dominicam baiulabat, omnis populus cum clamore, & eiulatu conuersus, postulabat cum lachrymis, dicens: Ora pro nobis Pater: & per hoc viuifica crucis lignum, quod manibus gestas, in quo nostræ salutis Auctorem credimus pependisse, erue nos ab his malis: nam diutiùs sustinere non possumus. Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie, quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor, & tam æstatis, quàm incendiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti, supra vires laborabat.*

[a] Guillel. de bello sacro. l. 16. c. 11. 12. & 13.
[b] Baron. hoc anno.

2. *Ad has itaque gementis populi voces, vir Deo amabilis compunctus corde, & animo valdè compatiens, salutare lignum erigit contra incendia, quæ illi (hostes) totis viribus procurabant. Et inuocato de superiùs auxilio, statim affuit virtus diuina, & in momento conuersis in oppositum flatibus, incendia terræ, simul cum fumi caligine in hostes, qui nostrum præcedebant exercitum, se dirigunt, & quæ in nostram parauerant læsionem, in suam vident retorta perniciem. Stupent hostes nouitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam præsens a Domino Deo suo pro nobis impetret beneficium.* Hæc de primo, & patenti satis miraculo.

3. Sed audi etiam secundum adhuc patentius. [c] *Cùm in alia inuitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina, vt errarent omnes in inuio, & non in via: & angustiis locorum intercludendi, ab ingruentibus hostibus omnes cadendi essent: prætio ignoto duco, nempe cœlesti nuncio, eodemque signifero per alias vias est*

[c] ibidem.

securè

ſecure deductus Hieroſolymam vſque. Qui & admirabili perfunctus miniſterio, ab omnium mox euanuit oculis. Sicque ſacratiſſima Crucis adminiculo, in expeditione omnium periculoſiſſima, cum Rege omnis exercitus diuina virtute eſt liberatus. Hactenus ex Tyrio.

4. His tunc miraculis recens glorioſum lignum Hieroſolymorum Patriarcha, pro beneficio accepto veneraturus, eum Bernardo diuiſit, tranſmiſſo, vt diximus, fragmento in Claramvallem, ſeu pars ſaluris tribueretur illius meritis, qui non ceſſaret orare pro victoria, ſen facto ligno vicem, qua poſſet, redderet, tranſmiſſa parte in eam mundi plagam, vbi religioſiùs reuerentiùſque veneraretur. Viſitur hodie in argentea magna tabula, auro item & gemmis circum diſtincta, atque à Guillelmo Claræuallis duodecimo Abbate, fabricata poſt annos aliquot, cuius inſcriptio talis pro teſtimonio.

5. d *Primo loco eſt tabula cum portis, in quarum ſuperficie ſancti duo Angeli eleuati, quæ factæ ſunt tempore Domini Guillelmi duodecimi Abbatis Claravallis, ex triginta quinque marcis argenti, & duabus marcis auri, continens plures lapides pretioſos, videlicet ſexdecim balages, & ſapphiros triginta & vnum, & alios lapides minoris pretij. In huius tabulæ medio collocata eſt portio Dominicæ Crucis, quæ miſſa fuit beato Bernardo, à Patriarcha Hieroſolymitano, ſicut ipſe ſcribit ad ipſum Patriarcham in quadam epiſtola: a tempore ipſius diu ſola fuit in Claravalle, & ſub pede eiuſdem Crucis habetur portio lanceæ Domini,* &c. Nam pergit numerare plures reliquias, quæ ſacrum lignum circumquaque velut coronant. Et tandem concludit. *Itaque omnes reliquiæ, quæ in ea tabula continentur, ſunt trecentæ, & quadraginta.* Hactenus ibi.

d in inuent. reliq. Clarav.

6. At quam Bernardus de ſacri ligni fragmine accepto, ad Hieroſolymorum Patriarcham ſcripſit epiſtolam, à quo ſæpiùs per literas præuentus ſit, atque inuitatus, vt filios illuc tranſmitteret, oblato loco, quem poſſent inhabitare, quo dictis inconcuſſa fides maneat, illuſtre teſtimonium antiquitatis, non pigebit ad literam tranſcribere.

7. e *Ad Patriarcham Hieroſolymorum. Patriarchalibus ſcriptis ſæpius viſitatus, ingratus iam videbor, ſi non reſcripſero. At ſi ſaluto eum, qui me ſalutauit, quid amplius feci? Tu enim me præuenisti in benedictionibus dulcedinis, tu me prior dignatus es tuis tranſmarinis epiſtolis viſitare, tu mihi primas humilitatis, charitatiſque prærripuiſti partes. Quid condignum iam referam? Nihil mihi denique reliquiſti, quod pari queam rependere vice, qui etiam de theſauro ſæculorum mihi impertire curaſti, id eſt, de ligno Domini. Quid tamen? Debeo ne omittere, quod poſſum, quoniam quod debeo minimè poſſum? Affectum, ſalutem, voluntatemque aperio, reſcribendo duntaxat, atque reſalutando, quod ſolum interim per tot vtique ſpatia terræ, & maris licet. Oſtendam autem, ſi vnquam accepero tempus, me nequaquam diligere verbo, ſine lingua, ſed opere, & veritate. Super Milites Templi ponite, quæſo, oculos veſtros, & tantæ pietatis viſcera tam ſtrenuis Eccleſiæ propugnatoribus aperite. Hoc ſiquidem acceptum erit Deo, & gratum hominibus, ſi feceris eos, qui ſuas animas pro fratribus poſuerunt. De loco autem, ad quem nos inuitatis, frater Andreas dicet vobis voluntatem noſtram.*

e epiſt. 175.

8. Hactenus Sanctus, Templarios etiam commendans, quos nunquam non fouebat, nunquam non charitate paterna proſequebatur. Verùm quod ait, de loco ſibi oblato, ad quem filios miſſurus inuitaretur, non ſatis conſtat, an ipſe ſit, euius meminit ad Abbatem Præmonſtrati. Certè Balduinus hoc anno nondum regnabat, ætate iuuenis; nec matre cedente regno, quod iure hæreditario illi conceſſerat.

---

1. Bartholomæus Bernardi fratris obitus. 2. Cui Guido ſufficitur. 3. Bernardi Patris epiſtola ad ipſum. 4. Petri dicti Monoculi genus, pueritiaque. 5. Et in ipſa oſtenſa viſio mirabilis. 6. Conuerſio in Ignìaco. 7. Cæleſtis ſpiritus Comes datus à Virgine (8. à qua & ſuſceptus) 9. ſenſibiliter illi affuit, 10. viſu pariter, audituque perceptus.

CAPVT V.

1. Hic idem annus, ſi a Iepio habenda fides, Bartholomæum Bernardi fratrem abſtulit, cùm multo tempore ſediſſet in Firmitate, nempe à Petro promoto in Archiepiſcopum. Vixiſſe virum anno M. CXLI. ſuperiùs vidimus, ſubſcripta ex eius nomine concordia cum Præmonſtrato, cui alij etiam Abbates vtriuſque familiæ ſubſcripſere. Cætera dubia, & in quibus ſequendus quicumque Auctor, non tamen quia certus, ſed quia ſolus. Nam b Henriquez, & Brito c de anno nihil: nec, quod miteris, de obtenta præfectura. d Montaluo tertium Firmitatis Abbatem nominat, ſed nominat tantùm. Atque vtinam id ſemper obſeruaſſet, & pauciora ſcripſiſſet, dum veriora. De Sancti corpore vtrique auctores certant pro Claravalle, Henriquez, Britoque, Iepius, atque Montaluus e pro Firmitate: & vtrobique ignota ſepultura: hic demolitis ſepulchris per nouatores, & corraſis Sanctorum monumentis, aut epitaphiis, illic pro mixtis fratrum Bernardi oſſibus, nec comperto vtrùm omnium, an aliquorum?

a Iepes cent. 7. ann. 1113.
b Henriq. Decomb. 9.
c Brit. lib. 4. cap. 8.
d Montal. l. 14. 13.
e eiſdem locis.

2. Bartholomæo ſucceſſiſſe Guido f dicitur, electus ex Abbate Trium fontium, ad quem extant Bernardi duæ epiſtolæ, altera ſuper quadam negligentia in ſacrificio Miſſæ, de qua ſuperiùs: altera ſuper receptione cuiuſdam fratris, iam tertiò fugitiui, adeoque ex regula non vltrà ſuſcipiendi. Hanc, vt diſcant Prælati miſereri, nec tam ſibi, quàm ſubditis conſulere, plenam dulcedinis, plenam charitatis, atque eructantem per omnia Sancti ſpiritum, quia nullum alium propriorem locum habet, in gratiam mei lectoris hîc tranſcribam.

f apud Iepes ſuprà.

3. g *Conſiderans miſereri huius miſerabilem conditionem, miſereor quidem, ſed vereor ne fruſtrà. Neque enim ideò mihi videor fruſtrà miſereri, quòd ipſe licèt remanente in ſua miſeria, mea tamen vel mihi non ſit infructuoſa miſericordia: in quam vtique miſericordiam non propria vtilitas inclinauit, ſed intimis eam viſceribus proximi miſeria, & fraternus dolor infixit. Miſericordia quippe affectio eſt, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi ſubiicitur, quando non eam in ſe quiſque pertrahit voluntario motu, ſed ipſa pias mentes ad compaſſionem dolentium neceſſariò cogit affectu: ita vt etiamſi peccatum eſſet miſereri, etſi miſereri vellem, non poſſem tamen non miſereri. Poteſt quidem ratio, vel voluntas affectui effectum ſubtrahere, ſed*

g epiſt. 70.

numquid ipsum affectum euellere? Discedant à me, b Psalm. 34. *qui consolantur, & dicunt,* [b] *quia oratio mea in sinu meo reuertetur, dum se, pro quo immissa est, nondum conuertitur. Nec audio illos, qui mibi blandientes asserunt: Iustitia iusti super eum erit, dum impius adhuc in sua impietate remoratur. Non, inquam, recipio consolationem, vbi fratris video desolationem. Si ergo, dulcissime fili, tua quoque pia mens similiter affecta est, imò quia aliter affecta non est, quamquam tibi infelix iste cunctas sua egressionis de Monasterio, & denuò regressionis, regulares vices infeliciter percurrisse videtur, quia tamen ipse aliter putat, non solùm patienter, sed etiam libenter audiendum est, quod humiliter calumniatur, si fortè tam desperatæ salutis reparandæ rationabilis vlla occasio inueniatur, quam (vt benè mecum tua intelligit experientia) difficile quidem in Congregatione, sed multo difficilius foris poterit obtinere. Inito itaque omnium fratrum consilio, omnia quæ in eum fecisti iudicia, diligenter retractare non dedigneris, quatenus sua humilitate, eius contumacia sanetur, si vel sic videlicet adinueniri poterit, quomodo adhuc semel regulariter suscipiatur. Nec timendum est in hac retractatione, ne quod displiceat iusto, ac misericordi Deo, si misericordia superexaltatur iudicio.* Ita Bernardus in spiritu lenitatis, & mansuetudinis, quem vtinam Prælati omnes exhiberent. De promotione Guidonis nihil affirmo. Nam in Catalogo, cui magis fidendum puto, Villalpandeo, inter Firmitatis Abbates non nominatur: sed Guillelmus Bartholomæo suffectus dicitur. Certè hæc epistola ad Abbatem Trium-Fontium scripta est, aliàs translatus iam ad Firmitatem, ad Rainardum negotium detulisset, & Guillelmum Firmitati præfuisse per hæc tempora, tomo sequenti dicam, cùm ad Cistercium promotum memorabo.

4. Bartholomæi iacturam Cistercio grauem, Regius iuuenis Petrus leuiorem fecit, per hoc tempus ad ordinem conuersus, in Igniaci Monasterio, de quo suprà, sub sancti Patris Guerrici disciplina. Genus maternum commune cum Ludouico. Cætera ex prima Galliæ nobilitate. Hic ipse est ille insignis Abbas, Petrus, ab oculo per lachrymas amisso, dictus Monoculus, in Valle Regis primùm, mox Igniaci, demum Abbas futurus in Claravalle. Eius vitam, virtutes, & miracula, Thomas Rodolius Igniacensis Monachus, sancti viri discipulus, & eorum, quæ scribit, memoriæ prodidit: tatò in initio permisso iuramento, quod in maiorem veritatis attestationem fideliter
l in prolog. transcriptum, hîc subiungo. [l] *Nisi ergo,* inquit, *vera sunt quæ in literis istis explicantur, humerus meus cadat a iunctura sua, & brachium cum suis ossibus confringatur. Sit cœlum, quod supra me est, æneum, & terra, quam calco, ferrea: & pro frumento oriatur mibi tribulus, & pro hordeo spina fiat.* Hactenus ille beati viri miracula scripturus, vt tali execratione confirmata, minus possint in dubium reuocari. Scripsere de
k lib. 7. cap. 1. & seq. eodem Sancto [k] Exordium, neque vno loco, Episcopi [l] Belluacensis, Florentinus, [m] Equilinus, [n] & plures alij.
l lib. 29. spec. hist. c. 28. m part. 2. tit. 17 §. 13. n lib. 3. cap. 100.

Igitur Petrus, cùm esset adhuc iuuenis, præuentus à Virgine, mirabili visione de periculis vitæ simul admonitus, & contra eadem confortatus est, facto illius auxilio sibi ostenso. Visionem à Vin-
5. centio Belluacensi memoriæ proditam, velut ini-
o vbi supr. tium conuersionis viri, subiungo. [o] *Nocte quadam* (ait) *antequam veniret Igniacum* (scilicet beatus Petrus) *vidit in visu noctis, quod aulam ingrederetur pulcherrimam, in qua sedes erat posita, & supra sedem sedens quædam Domina vultus admodum reuerendi. Ingredienti autem in aulam occurrebant canes nigri, & horribiles, qui impetu facto in eum, lacerare volebant. Sed Domina illa magna & venerabilis canes auctoritate sua magnificè fugauit, & Petrum ad se vocatum blandis manibus, & dulci demulcens alloquio, securum esse iussit.* Ita Vincentius.

6. At Petrus, & periculum cernens, & protectionem, ac permanendi cum Matrona illa mandatum, vocationem intelligens, cui parum sibi tutum non respondere: dum in Matrona Virginem agnoscit, ad Cistercium vocari se non dubitat, in quo cum Virgine, vt in proprio ipsius ordine, & sub eius tutela demoraretur. Florebat eo tempore Igniacum sub beato Guerrico, Bernardi olim discipulo, tum æmulo, sancta doctrinæ, & morum imitatione. Et ea domus ex more sacrata Virgini, ex singulari affectus sui Abbatis, singularius obsequio illius mancipabatur. Igitur Petrus canes deuitaturus, idque fauore, & auxilio sibi ostenso, relicto sæculo, Igniacum se contulit, in domo Virginis, sub Virginis auspiciis, & Guerrici ducatu militaturus. Venientem excepisse putatur beata Virgo, denuò illi apparens, gratulansque, & iam promissum fauorem exhibitura. Constat mox veteranum in tyrocinio, nec prius rudimenta hausisse, quàm perfectionem. [p] *Ibi* (ait Thomas Rodolius p in vit. c. 3. in eius actis) *non paulatim ad perfectionem ascendit, sed velut in momento, & in ictu oculi largissimè donante diuina gratia, decorem induit, & fortitudinem, & præcinxit se virtute: in omni loco, in omni tempore, in omni denique fortuna idē constantissimè perseuerans.* Hæc ille. Vt non solùm repentè summum tenuerit, quod paucis cōceditur: sed in summo (quod longè rarius est) idem semper, & velut immotus, perseuerauerit.

7. At singularis istius prærogatiuæ superior causa, & digna tanto effecto, cœlestis mens à Virgine impetrata, concessaque, quæ virum sanctum semper custodiret, semper dirigeret, etiam sensibiliter, atque in eodem statu retineret. Audi quod ipse aliquando fassus est, dum super hoc importuniùs requireretur. [q] *Cùm essem,* inquit, *Nouitius per inter-* q cap. 3. *cessionem & peculiare beneficium Virginis Dei genitricis Mariæ, à qua in domo Igniacensi exceptus fueram, quasi quidam spiritus suauis, ac diuinus sensibiliter mibi visus est in me intrare: & extunc vsque nunc spiritus ille, aut vis illa, & affectio mibi quodammodo dominatur, ac me semper, & vbique regit, & ducit velut ouem Ioseph. Sparsum, ac distractum ad exteriora, frequenter introrsum colligit: alius volentem intendere, ad orationem cogit, & quæ oculis ingeruntur, aut auribus obstrepunt, facit aliquoties non sentire.* Hæc ex Rodelio. Vt non supra fidem in Petro, certè digna, quæ tali, ac tanto iuramento confirmarentur. Eadem habet [r] Vincen- r lib. 29. c. 28 tius Belluacensis, vt in ore duorum verbum constet, nec possit de fauore dubitari, quātumuis grandi. Quem grauis auctor, dignitate Pontifex, antiquitate venerandus, veritate præcipuus, ac religiosus ocularis testis, concordi narratione testificatur.

8. Cæterùm quod exceptum se ait à beata Virgine, cùm veniret Igniacum, à qua tunc mentem, aut spiritum acceperit, secundæ apparitioni fidem facit, quæ fuerit prioris patrocinij non solùm contestatio, sed exhibitio. Vincentius virum, cui hæc Sanctus reuelauit, non tantùm socium appellat, sed Coabbatem, vt multo tempore celatam cunctis gratiam, ex sola charitate detectum facilè videas.

9. Pergit Rodelius de eodē spiritu loqui. [s] *Manifesta autē signa illius diuini Spiritus, qui eum regebat, sunt* s cap. 4. *omnia, quæ in eo vidimus, & ipse in se vidit, & expertus est,*

est, ex quibus pauca hîc subiicere decreui. Contigit aliquando, vt dum adhuc nouus esset in Ordine, psallendo in choro, staret, & præ lassitudine quotidiani laboris, ac longarum vigiliarum fatigatus dormitaret. Tunc verò sensit, quasi tactum alicuius, qui pulsans eum suauiter, excitabat. Putauit autem Priorem esse, cui consuetudo erat circuire chorum, & fratres, si fortè somnus obreperet, excitare. Euigilans autem beatus Petrus ad huiusmodi tactum, apertisque oculis, nullum vnquam videbat. Cumque hoc ei sæpiùs contigisset, & sæpius excitatus, excitatorem nunquam videret, intellexit procul dubio diuinam illam esse virtutem, quæ iugiter eum regebat. Sed velut alter Moyses, qui loquentem sibi Dominum videre cupiebat, sic vir beatus ægrè ferebat, quòd cùm ei diuina virtus tam suauiter se offerret, se tamen ita celaret, & quasi corde clamans ad Dominum dicebat: Ostende mihi faciem tuam. Quadam igitur nocte, cùm solitum excitatorem sensisset, excitatus oculos, & alacriter intentus aperuit: viditque sibi adstare iuuenem splendidum, & decorum, &, vt ipse dicere solebat, aureos habentem capillos. Qui statim ab eo discedens, per medium chorum ibat, & morosè visus est ab ipso, postquam diu apparuerat, tandem disparuit. Hæc ex Rodelio. Vt non immeritò regere sanctum virum sensibiliter diceretur cœlestis mens, quæ dormientem per tactum excitaret, vigilanti cernendum se ostenderet.

Verùm audiendam etiam se præbuisse, neque 10.
id semel, quæ sequitur, historia declarabit, quam miraculo etiam confirmatam Vincentius Belluacensis memoriæ prodidit. [t] *Media nocte Dominica (ait) fratres psallebant, & ipse cum illis. Tunc dolor capitis eum inuasit tam vehemens, vt chorum egredi cogitaret. Et cùm se propter hoc moueret, audiuit clarè vocem dicentem sibi:* [u] *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Hac igitur voce confortatus, remansit: sed post modicum iterum inualescente dolore, iterum egredi disponebat, & iterum insonuit vox præmissa. Totaque illa nocte, & sequenti Dominica, vsque ad finem conuentualis Missæ, non cessauit conflictus ille doloris, & confortatio vocis. Cumque in ordine suo accessisset ad cornu altaris, vt communionem acciperet, in ipsa inclinatione visum est ei, quòd lapis magni ponderis de capite suo corrueret. Et protinus se erigens, & sanctam Eucharistiam sumens, ab illo omni dolore sanatus est.* Hactenus Vincentius. Sic tactu, visu, auditu percipiebatur mens Petrum dirigens, vt nullis posset communis hostis ictibus parere, qui vel per sensus hauriebat salutem animæ. Sed hîc nos Petrum custodia sua firmum, stabilemque, ad alia properantes, relinquamus.

t lib. 29. c. 29.
u Psalm. 17.

1. Amedei in Episcopum electio. 2. Virtutes egregiæ, 3. & pro Altæcumbæ Cœnobio solicitudo. 4. Epistola Nicolai ad ipsum, 5. primùm affectuosa, 6. mox descriptiua ipsius animi dotum. 7. Amedei parentis felix obitus, 8. S. Raymundus in Abbatem Nienzebensem pro Durando suffectus.

CAPVT VI.

1. VAcante Lausanæ sede Episcopali, Amedeus electus, Amedei Altæripæ filius, quem Altæcumbæ à Bernardo præfectum diximus, quod in hunc annum auctor vitæ eius, ex quo alij concordes retulerunt. De electione hæc habentur in vita Patris. [a] *Factum est Dei omnipotentis inenarrabili prouidentia, vt Lausanensis ciuitas, quæ Lemanno lacui superposita, non multum distat ab Altæcumbæ Cœnobio, Antistite proprio destitueretur. Et Amedeus prædicti Cœnobij Abbas totius Cleri, & populi Lausanensis pari consensu eiusdem vrbis Episcopus eligeretur. Sed cùm tali honore indignum se asserens, pastorale onus suscipere detrectaret: inthronizatus nihilominus est, licèt multum renitens, de maiorum consilio. Et continuò ex parte vniuersorum, Clericorum nimirum, & laicorum, per veredarium ad Dominum Papam literæ diriguntur, vt factam electionem auctoritate Apostolica confirmaret, ne scilicet Amedeus inde se posset retrahere, vel alius illi discedendi locus pateret. Summus verò Pontifex, prudentia, & religione viri cognita, fidelium petitioni, vt decebat, liberalissimè annuit, & Amedeum Lausanensem Episcopum esse, quauis remota excusatione, decernit.* Hæc de electione, & confirmatione eius.

a cap. 8.

2. De electo viro ista, quæ subiungo. [b] *At ille* (Amedeus) *in Pontificali cathedram sublimatus, solicitè cogitabat, quod iuxta sententiam Apostoli,* [c] *esse irreprehensibilem Episcopum oportet, & quia secundum Doctorem alium, cùm augentur dona, rationes quoque crescunt donorum. Quapropter facta sua districtè frequenti examinatione discutiebat, & quasi præsens instaret iudicium, sic de se, & de sibi commissis solicitus erat. In iudicio iustus, in consilio prouidus, in verbo fidelis, viduarum defensor, orphanorum adiutor, incarceratorum consolator, bonorum præcipuè pauperum promotor, vltor nequitiæ, osor inuidiæ, amator iustitiæ, castitatis conseruator, parsimoniæ sectator, in vigiliis sedulus, in ieiuniis frequens, in visitandis infirmis, & alendis pauperibus assiduus. Temperatus in correptione, in zelo præcipuus, in sermone discretus, in religione feruens omni tempore fuit.* Hactenus Auctor, virtutes velut colligens, in aliis sparsas, coniunctas in Amedeo.

b ibidem.
c 1. ad Tim. 3.

3. Nec inter hæc Altæcumbæ oblitus est, cui vt olim sponsus, sic tunc Pater, & quia potentior, efficaciùs, & largiùs subministrabat. [d] *Ex tunc* (inquit) *Altæcumbæ Monasterio tanti Patris auxilio confirmatum, tam in ædificiis, quam in rebus, & possessionibus aliis cœpit ditescere, nec minus in personis abundare.* Atque hæc omnia Amedeo patre viuente, vt quem filium occasionem lapsus habuerat, eundem firmamentum iuuamenque, non sibi tantùm, sed multis experiretur. Qualiter autem idem sanctus Præsul Lausanensibus vtilis, Principibus vicinis venerabilis, & si necesse esset, etiam terribilis, Imperatoribus, Friderico præcipuè charus, quàm Virgini deuotus, & obsequiosus, in cuius laudes homilias composuerit, quæ hodieque leguntur, inter veterum Patrum illustria opera, & cætera quæ gessit, & meruit, quandiu vixit, quia annos concernunt secundi tomi, in eo referenda reseruamus.

d cap. 8.

4. Interim duo nobis prælibanda, quæ non alibi commodiùs referri possunt; alterum Altæcumbæ incrementa, sub Amedeo, quæ propagationes vltra mare non multo pòst emittere potuerit, & iuxta vrbem Constantinopolitanam Abbatiam condere, transmissa illinc colonia Monachorum, sub sancti Angeli custodis aduocatione. Constat ex genesi Ecclesiarum Claræuallensium, vbi post

Fossam nouam Taracinensem (de qua inferiùs) sanctus Angelus iuxta Constantinopolim secundam filiam Altæcumbæ commemoratur, quamuis non constet de anno fundationis. Alterum Amedei virtutes, laudesque, de quibus libet Nicolai tunc Cluniacensis, mox Claræuallensis Monachi, sancti Patris Bernardi à secretis, de quo plurimus nobis exinde sermo futurus, epistolam promere, ad eundem scriptam, ipsumque describentem, cùm primum Lausanæ promotus in Pontificem, virtutes pristinas, noua dignitate illustraret. Atque en eius verba.

5. [e] *Patri suo, frater Nicolaus seipsum ad pedes. Multa esset præsumptio, si non multa esset dilectio, quod præsumo scribere vestra sublimitati: affectus enim trahit me, qui nec legibus obtemperare, & cui Reges imperare non possunt. Nescio enim quo pacto, ex quo vidi vos, dilectio vestra ipsis animæ meæ penetralibus largiter se infudit: nec fuit mora inter aspectum, & affectum, quamuis affatum tardius habuissem. Si ergo fidenter scribo, ex hoc est, quia fideliter amo: quia si audax sum, non tamen mendax. Amor dominum nescit, agnoscit amicum, & in infulis, dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax, perspicax puritate. Quid ergo, si ascendisti sursum, Domine mi? immò potiùs delecte mi? Etiam super pennas ventorum non subduceris affectu meo, & si ascendas ad cœlos, sequar te, quocumque ieris. Non enim amo Pontificem, sed hominem, qui zelum legis cathedra contulit, non a cathedra suscepit.*

6. *Quis ille autem vigor, quæ solertia spiritus, quæ solùt sua subtilitatis obstantia quæque præruupta, & qua possit de singulis artibus, etiam cum singulis artificibus philosophari? Propterea supereminet illa mortalitatis tua liberalitas, quæ iuxta oratorem se præbet blandam pueris, iuuenibus comem, grauem senibus, confortans omnes, omnibus se conformans, in sermone communis, in contubernio æqualis, in consiliis præcellens, & multum ambienda, quia minimè ambitiosa. Vidi enim te sine superbia nobilem, sine inuidia potentem, sine superstitione religiosum, sine iactantia literatum, sine ineptia grauem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine pluralitate communem. Illud admirans, quod eminenti scientia conscientiam habes superiorem. Talem te credit spiritus meus, talem te loquitur affectus meus, assiduè mihi submurmurante spiritum tuæ suauitatis. Mitto tibi librum Magistri Anselmi de Spiritu sancto, benè punctatum, nisi fallor, & emendatum. Ego, inquam, qui tuus sum, & tuus ero, quamdiu fuero, amantissime Pater.* Hactenus Nicolaus ad Amedeum, primùm in odorem vnguentorum illius tractus: mox describens virtutes, & dotes animi, à quibus neque inuitus traheretur.

7. Cæterùm & de Amedeo Patre viuente adhuc sub filij Pontificatum, quod acta eius tradunt non obscurè, tacito licèt anno, quo obierit, quia non vlteriùs nobis sese offeret, breuiter etiam hic dicendum censeo. Migrasse virum in magna sanctitate, ætate grauem, meritis conspicuum, & si [f] Seguino credimus, ante & post mortem miraculis illustrem. Ordinis monumenta Sanctis annumerant, atque item [g] Miræus, & quidam alij. Auctor vitæ ipsius hæc habet verba. [h] *Tandem volens omnipotens famulum suum subtractum laboribus, gloria immortalitatis coronare: correpta infirmitate pia senectus, lectulo decidit, & ingrauescente paulatim morbi molestia, soluta vinculo carnis sanctissima illius anima, ad cælestia regna septies sole splendidior euolauit. Obiit autem decimo nono Kalendas February, & in cœmeterio Bonæuallis, non longè ab Ecclesia sepulturæ locum accepit. Et nunc regnat in cælestibus, qui dum adiuueret, cùm esset tantus in sæculo, non est dedignatus seruire Christi fidelibus. In Monasteriis quoque, quæ fundauit, nomen Domini assiduè benedicitur. Vnde Amedei memoria, diuina clementia loca eadem in sancta religione conseruante, in sæcula sæculorum non delebitur.* Hæc ille. Quæ si Chrysostomus Henriquez perlegisset, nequaquam virum inseruisset Menologio ad decimam nonam diem mensis Octobris. Sed de his satis. Nunc VValeni tyrocinia recèns conuersi, atque progressus Stephani, & Quardi (illustrium trium Sanctorum) quæ hunc annum concernunt, in lucem demus, vt tomum hunc obseremus aurea claue.

Per idem tempus, Durando Abbate mortuo, qui conuentum è Scala Dei missum, in Nieuzenas, Riuogiæ, collocauerat, Raymundus Prior substitutus in eius locum noui Cœnobij suscepit gubernacula, quæ per totam Castellam dilataret, imò per orbem, superaddita militia Monachatui, quam clarissimi quique fideles amplecterentur, fidei hostes horrerent, & pertimescerent. Promotum iam sub initium præsentis anni; instrumentum confirmat donationis, ab Episcopo Tirasonensi factæ, octauo Idus Februarij, quod itidem Raymundum, quod suprà diximus, ex Canonico Ecclesiæ Tirasonensis Monachum probat. Verba instrumenti vulgauit Ioannes Brizius, quæ ita habent. [i] *In nomine sanctæ Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis. Ego Michael Tirasonensis Ecclesiæ indignus Episcopus, pro amore nominis Christi, & pro remissione peccatorum meorum, facio hoc donatiuum, tibi Raymundo venerabili, & religioso viro, quondam Ecclesiæ nostræ filio nunc autem ordine & habitu in melius mutato, Niezabarum Abbati, tibi, inquam, & successoribus tuis, &c. Facta charta Tirasonæ octauo Idus February, æra M. CXLIV.* Hinc planè videas, non solùm Raymundum hoc anno iam assumptum ad præfecturam, ante institutam militiam quarto decimo, quippe quæ anno M. CLVIII. esse incepit, verùm & ipsum domum transtulisse in Fitetium, ex Nienzabas, quippe quem huius instrumenta antiquiora recentiora illius Abbatem nominant. Reliqua suis temporibus dicemus. Interim aduoto, Abbatem Fiterensem, Castellionensem etiam appellari in multis instrumentis, à vicino Castello mutuato nomine, quod & sæpius aduertit, & multis testimoniis comprobauit. [k] Translationem circa annum Christi M. CL. factam, sunt [l] qui affirment: nos nec probare valemus, nec improbamus.

8.

[e] in Bibliotb. Col. tom. 12.
[f] lib. 3. verr. illustr.
[g] orig. Mon. lib 5. cap. 15.
[h] cap. vlt.
[i] in histor. S. Ioann. de Rupe l. 5. c. 21.
[k] ann. 1140. cap. 3.
[l] idem ibid.

---

1. VValenus exturbandus ab VVardonia, 2. Rieuallem mittitur. 3. Vbe vrgentiùs à Dæmone tentatur. 4. Tristitia viri, vacillatioque in proposito. 5. firmata per miraculum. 6. Stephanus duo alia Cœnobia condit, 7. & grangias in obseruantia regulari. 8. Discipulum ad Raynardum Abbatem mittit. 9. Demum Quardus profectus Hierosolymam. 10. Stephani Cardinalis Prænestini sancta mors.

CAPVT VII.

1. VValenus vbi primum VVardoniæ Nouitium induit, quæ domus infra fratris ditionem continebatur, fraterno amore, an propria feritate, atque à Dæmone simul instigatus, itasci

Simon,

Simon, fremere in Abbatem, indignari in Monachos, quòd se inconsultò VValenum suscepissent: Canonicis, quibus dudum assuetus fortè non imparem, sed monasticis inæqualem institutionibus, debilem viribus, lautéque educatum, quem labor, & vigiliæ prorsus attererent, grossiores cibi fortè & suffocarent. Permanendum in prima vocatione, nec sibi commissum gregem deserendum, reclamantibus filiis, quos orphanos, expositosque, viuo parente, iam vniuersa Anglia miseraretur. Dimittant virum, vel nolentem etiam eiiciant, nec intra Claustrum permittant demorari, si retineant, incendio Monasterium, Cœnobitas pernicie luituros. Et erat homo præceps, potensque, cui voluntas pro iure, & violentia pro iustitia reputabatur. Denique res ad iudices delata, & potentia, ex more præualente, præcepta eiectio, & anathema indictū, si non parerent.

2\. VVardonenses, cùm exertum in se viderent vtrumque gladium, & vt cedere turpe, ignauumque, sic resistere intutum existimarent: vim eludendum arte, & potentiæ consilium opposuerunt, vt VValenus nec ab ipsis retineretur, & nihilominus firmus in proposito, Cistercij iugum nullatenus abiiceret.
a lib. 1. c. 12. [a] *Miserum* (ait Ioscelinus in eius vita) *eum in Rieuallem, suam videlicet matrem, in qua loco, vel eius vicinia, præfatus Comes (Simon) nullam haberet potestatem. Quin & cæteri, qui Canonicis fauebant, vt non iustitia, pondere saltim auctoritatis Ailredi compescerentur.* Hæc Ioscelinus.

3\. Tum verò furens humani generis hostis, quod minus contra VValenum, per alios potuit, per ipsum aggressus, eundemmet armauit contra seipsum. Nouæ, & insuetæ disciplinæ tædium inuasit virum, & prioris memoria vocationis, si Dei fuerit, nequaquam deserendæ. Et quid ni vocationem Dei crederet, in qua tam propitium eum habuisset? Imparem se labori nouæ vitæ, quod frater Simon prudenter præuidisset, eisdem operibus scandalum præbere, quibus olim exemplum, & qui potuisset prodesse filiis propriis, quæsiisse extraneos, quibus noceret. Et quid ni noceret deses, ignauosque, in pluribus deficiens, in cunctis tardus? Quod consilium probanda, dudum probatis, incerta, & dubia, certis prætulisse? Nam quid si rigor ille minus discretus corpus deprimeret, mentem non subleuaret? Et quæ mens homini insomni, ieiunoque, & supra vtramque abstinentiam laboraturo? Vix sustentandis artibus sufficere, ne dum cœlestibus deuotè contemplandis. Tum proprias oues relictas sine pastore, non vt perditam quæreret, sed ipse forsan, quod nollet, periturus.

4\. His & similibus dubius, anxiusque, & iam quæ probis maior tentatio est, per speciem honesti reuocabatur. Cùm ecce Deus miraculo insigni, confirmauit hærentem, & Cisterciensem Ordinem ingessit, non vnquam vltrà de eo dubitaturo. Placet rem totam Ioscelini verbis describere,
b lib. 1. c. 13. quò maior dictis fides, & reuerentia. [b] *Cùm beatus VValenus in probatorio peregisset aliquantum tempus, antiquo serpente sibilante, Ordinis arrepti obseruantia vertebantur illi in fastidium. Videbatur potus, & cibus insipidus, asper, & vilis vestitus, labor manuum durus, vigiliarum, & psalmodiæ protelatio grauis, ac totius Ordinis tenor nimis austerus: recogitans annos pristinos in Canonicatu, vel Prioratu suo, persuasionem habuit in mente, institutiones illorum licet leuiores, discretioni tamen viciniores esse: ac per hoc saluandis animabus aptiores. Cùm autem in corde huiusmodi serpere sensisset venenum, iugis, ac deuotæ orationis apposuit antidotum. Sed cùm nec sic minueretur tentatio, sed potius cresceret, ita vt Ordinem Cisterciensem desereret, & ad Canonicatum reuerti deliberaret: tandem respiciente ipsum Domino, confusus erubuit, & contra faciem suam se statuit.*

Quadam namque die, pulsante signo ad horam Canonicam, & egressis secundùm ritum Nouitiis reliquis, ipse solum in cella Nouitiorum remansit, & impetu spiritus ductus, in hostij limine medium se proiiciens, ita vt partem haberet intra cellam, & partem extra, orans cum lachrymis, & fiducia cordis, dixit: Deus omnipotens, omnium conditor, omniumque dispositor, vtrùm voluntati tuæ placeat, vt in Monachatu maneam, aut ad Canonicatum redeam, da ostensionem, & aufer a me animam affligentem tentationem. Cumque hæc & similia proferendo, Deum deprecaretur, subitò nullum videns, nullum sentiens, immò nullo homine ibidem existente, diuina tantummodo virtute, & gratia vectus, leuatusque, ad sedem, in qua meditari, & legere intra cellam solebat, deductus est. Ab illa hora, & deinceps quandiu vixit, tali tentatione caruit, & quidquid austerum, & graue videbatur in ordine, sibi leue, ac dulce deinceps fuit. Quia iugum Domini suaue, & onus eius leue experiebatur diuino munere. Sic noster Eliseus amaram aliàs ollam nimij rigoris, diuinæ gratiæ farinula conspersam, sibi primùm, deinde etiam aliis dulcorauit. Hactenus ibi. Non minoribus signis, prodigiisvè, non obscuriori Dei voluntate, VValenus Cistercio destinabatur: æternam illi gloriam collaturus. Hæc de VValeno. 5.

At Pater Stephanus certus iam consilij, se & quæcumque haberet, Cistercio tradere, ne sterilis, aut vacuus appareret, vltra proprium Cœnobium Obacinense, quod iam tunc vix capiebat habitatores, vltra Claustra Monialium iuxta se posita, duo alia Cœnobia ædificauit, vtrumque virorum: alterum in Lemouicensi, alterum in Aruernensi territorio. [c] *Quibus decenter instructis* c lib. 2. c. 3. 6.
(ait Auctor vitæ ipsius) *statim illuc Monachorum agmina direxit, optimis Patribus constitutis, quibus regimen vtriusque Monasterij committeretur.* Hæc ille. Qualiter autem & domos præpararet, & præparatis Monachorum coloniam introduceret, pergit Auctor describere in hæc verba. *Quoties aliquem locum ædificaturus esset, assumpta cruce, & aqua benedicta cum paucis fratribus illuc pergebat, promensaque tellure, iuxta quod futuri ædificij qualitas, vel quantitas exigebat, vbi altare fundandum esset, ibi crucem figebat. Arreptáque securi, vel quolibet instrumento, tugurium, sicut mos est pastoribus, construebat, laborans, & ædificans, donec ampliatis ædificiis, aliquem ibi strenuum fratrem præficeret. Cumque locus ipse, & domorum supplemento, & possessionum adminiculo sufficienter esset instructus, statim illum Abbatiæ titulo decorabat: aut si nimium alicui Monasterio esset vicinus, grangiæ ministerio deputabat, vt & fratrum vsibus deseruiret, & religionis ei opportunitas non deesset.* Hactenus ibi.

Quibus clarè videas disciplinam non solùm in Cœnobiis, sed in grangiis obseruari ab eo præceptam: quippe qui à Dalonensibus instructus, & Cistercio iam dudum deputatos, nihil nisi ad normam Cistercij meditaretur. Adnotat Auctor Monasterium, quod in Aruernia ædificatum fuit, 7.
non multo pòst, [d] *cùm asperitatem loci, rerumque* d ibidem.
inopiam, & difficillimum laborem habitatores ferre non sustinerent, in finibus Lemouicensis diœcesis, ab eodem translatum permansisse. Hæc de præuiis Cistercio fundationibus.

Verbum

8. Verùm neque id silentio prætetibo, quòd cùm discipulum haberet sibi perchatum, qui è Monasterio Casæ Dei, nigri Ordinis domo satis illostrl, vbi educatus fuerat, ad eius se Magistetium transtulisset, cùm probandus ab eo susciperetur, nequaquam Obacinæ à se instruendum voluit, sed Cistereium transmisit ad Rainardum, à quo, velut à fonte, Cistereium biberet, imbutus inde ad ipsum redituros. Hic ille est, qui superstes sancto viro, sancti Fastradi iussu, acta eius congessit, digessitque. Et de se ipso inter alis ita scribit.[e] *Inde me ad Cistercium ire precepit. Vbi assumpto habitu Monachi, post duos annos, à prædicto domino Stephano Obacinam sum reuocatus, atque ab ipso regulariter in Monachum benedictus, ex tunc vsque in hodiernum diem, cum ipso, vel eius successoribus conuersatus*, &c. Reuocatus, inquam, post biennium, tunc scilicet, cùm se, & domos suas Cistercio tradidit, atque inter reliquos inde illuc transmissos, Ordinem planiatutus, restitutus & hic, quem Pater Stephanus priùs illuc direxerat. Sed de his suo loco erit dicendum.

e lib. 2. cap. 4.

9. Quardus interim, expleto tyrocinio, atque altero anno peracto, à professione,[f] *cùm duos* (inquit Auctor vitæ ipsius) *in sancti Laurentij Ecclesia compleuisset, in vita regulari, atque maxima obseruantia illius perfectione, & de Abbatis sui licentia, Hierosolymam iterum profectus est, sepulchrum Domini gloriosum humiliter, & deuotè visitaturus. Et annis tribus in sanctorum locorum peregrinatione consumptis, ab omnibus semper charitatiuè, & benignè susceptus est.* Hactenus acta. Vt satis constet Cisterciensem Ordinem à suæ fundationis initiis, nullum omninò exclusisse vitæ genus, dummodo religiosæ, perfectæque, nullius protsos expertem inueniri, quippe Canonicos, Eremitas, peregrinos, laicos, & Clericos, Doctores, & idiotas, & suscepit, & habuit, demum milites etiam suscepturus. Cæterùm qualiter Quardus post triennium, primùm Romam, mox locis sanctis ibidem visitatis, Apostolorum Petri & Pauli iussu, Gallesium venerit, pretiosis sui corporis exuuiis in terra relinquendis, sed pretiosiori è cœlis patrocinio vrbem & gentem perpetuò protecturus, anno salutis M. C L. quo ad cœlos migrauit, differemus.

f Anonym. in vita.

Hoc ipso anno consummatus felici morte ad Superos transfertur insigne primitiui Cistercij decus, Stephanus sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Prænestinus, quem Innocentius secundus Summus Pontifex ante annos quatuor assumpsit ex Claravalle. Namque vsque ad eum vitam produxisse, constat ex literis Lucij Papæ II. ad Monachos sancti Benedicti de Mantua, quibus subscribit. Sed neque vlteriùs eandem prolatasse, successoris electio manifestat: Guarini nimirum, qui hoc eodem anno ab eodem Papa Lucio in Episcopum Prænestinum promotus legitur, in quo Panuinus, Ciacconiusque[g] conueniunt. Vnde facile veniunt reuincendi Ferdinandus Hugelus,[i] & eum sequutus Chrysostomus Henriquez,[k] qui dicunt, permansisse per plures annos, nempe vsque ad millesimum centesimum quinquagesimum octauum, quo forsan Guarinus successor eius obiit: nam sequenti millesimo centesimo quinquagesimo nono Iulium Romanum subrogatum eidem lego.[l] Subscribit Stephanus, vt suprà notabamus, integro quadriennio, quo superuixit, variis Summorum Pontificum indultis Innocentij, Cœlestini, Luciique: quin & interfuit duorum electioni, vt notat Ciacconius,[m] & tandem meritis virtutibusque clarus obdormiuit feliciter, sanctissimum sortitus successorem prædictum Guarinum in numerum Sanctorum cooptandum ritu solenni. De eo Carolus Sigonius,[n] aliique: vitam & acta Augustinus Ticinensis scripsit, satis illustria. Haud tamen potuit successoris lux nostri Stephani lucem obscurare: memoratur inter viros Cistercij sanctos in Missali antiquo, & ab Abbate Ioanne de Citcio.[o] Menologium eundem recenset Februarij 12. multis aliis citatis. Cæterùm quod ex Christophoro Perales[p] affirmat, Sanctis ab Ecclesia adscriptum, nô certum sit, cùm in antiquis de hoc nihil inueniam, nequaquam ausim pro certo stabilire. 10.

g in vit. Pontif. in Lucio II.
h ibidem.
i in suo tab.
k in Menol. Febru. 12.
l in Ciaccon. in Hadriano 4.
m apud eundem in eod.
n de Episcopo Bononiensi.
o in catalog. sanct. ord.
p in vita S. Bernardi.

1. Series fundationum. 2. Locus sanctæ Mariæ. 3. Bellus locus, & alia remissiùs. 4. Ratenhaslach fundatores, 5. situs, sepulchra. 6. De Sconaugia. 7. Emendatus Trithemius, 8. & ostensum Monachos ascitos ex Euerbacho. 9. Grandis sylua tempore posterior. 10. Strata. 11. Gemundum, 12. & demum de Relashausin breuis notitia.

Capvt VIII.

1. Sequitur vltima præsentis anni pars fundationes continens, nobis præ aliis longè difficilior, lectori molestior: sed quæ adeò conducat ad hos Annales, vt vix quicquam fecisse videamur, nedum satisfecisse, quandiu non ipsi. Chronologia promere quasdam anticipat, nobis in propria loca reseruandas: aliàs, vt verum fateat, non satis notas. Sed iter inuium agentes, & inaccessum, quod alij mox explanent, nos quacumque poterimus, erumpemus.

Anno (ergo inquit) *M. CXLIV. tertio Kalendas Iulij fundata est Abbatia de loco sanctæ Mariæ.*

Eodem anno septimo Idus Iulij Abbatia de Alcobatia.

Eodem anno tertio Idus Augusti Abbatia Belli loci Ruthinensis.

Eodem anno quarto Kalendas Octobris Abbatia de Escure.

Eodem anno ..... Abbatia de Horta in Hispania.

Eodem anno quarto Idus Octobris Abbatia de Herniado.

Eodem anno sexto Kalendas Nouembris, Abbatia de Ratenhaslach.

Eodem anno Kalendas Ianuary Abbatia de Noa.

Eodem anno decimo tertio Kalendas February Abbatia de Oliueto.

Eodem anno decimo secundo Kalendas Aprilis Abbatia de Sconaugia.

Eodem anno ..... Abbatia de Salceda.

Eodem anno ..... Abbatia de Grandi sylua.

Eodem anno ..... Abbatia de Strata.

Eodem anno ..... Abbatia Gemundi.

Eodem anno ..... Abbatia Sylua lata.

Eodem anno ..... Abbatia de Redasensa.

Eodem anno ..... Abbatia de Sich.

Eodem anno ..... Abbatia de Valle bona in Hispania. Sic Chronologia.

Locos sanctæ Mariæ duos inuenio, alterum in Hibernia, 2.

Hibernia, in Germania alterum. Et hic quidem sub Heisterbacensi Cœnobio, celebris in Cæsario, & notæ nimium, ac miraculosæ fundationis; sed non potuit hoc anno surrexisse, matre nondum progenita, quæ anno M. CLXXXVIII. vt idem Cæsarius tradit, exorta est. Suspicor ergo de loco sanctæ Mariæ in Hibernia Chronicon loqui, numeratio in linea Claræuallis, sed dubium adhuc mihi, vnde prodierit Alcobatiam, illustrem satis domum in Lusitania, sed tempore triennio posteriorem, ipsa fundandi occasio manifestat. Quod de Salceda, de Horta, de Valle bona, ex ipsius fundationum instrumentis, non obscuris indiciis demonstrabimus. Interim tamen ab eis supersedentes, ne eadem inutiliter repetamus.

3. Bellus locus Ruthinensis numeratur inter filias Claræuallis, hoc anno genita, idque etiam in genesi Ecclesiarum Claræuallensium. Vnus Robertus Claudius est, qui triennio anteponit, in sua Gallia. Taxatur florenis ducentis in libris Cameræ. Is ille, vt puto, Bellus locus est, ad fluuium Ligerim, de quo Robertus Gaguinus, libro nono. *Angeli (ait) Ligeri traiecto, Bellum locum cum Monasterio populantur, & Abbatem captiuum abducunt*, &c. De Escure nil certi habeo, quod dicam, sicut nec de sequenti, nempe Herbiado. Inuenio tamen Scurreium, siue Esculeium in Ducatu Barrensi, Tullensis diœcesis, filiam Vallium Ornesij, de linea Morimundi, cuius Abbati scribit Vrbanus IV. Viterbij, septimo Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno primo. Porrò Escutreium fundatorem habuit dominum Gudefridum, eius nominis III. Baronem de Ioinvilla, aliorum etiam Cœnobiorum fundatorem, qui dicitur sepultus in Claravalle. Inuenio etiam Eriuadum in Dacia, Lundensis diœcesis, filiam Cistercij, matrem Turæuallis, cuius Abbati scribit Gregorius IX. super canonizatione S. VVillelmi, Abbatis de Paraclito, & memorator in aliis eiusdem litteris, datis Laterani 12. Kalendas Februarij, Pontificatus eius anno octauo. Ergo si Eriuadum pro Herbiado intelligendum venit, sancti Patria Rainaldi proles fuit. Quid si & eadem cum Hermadio, siue Granadio? de qua sequenti tomo: quamuis in genesi Ecclesiarum diuersa, & immediata commemoretur.

4. Rarenhaslach notius Monasterium, VViguleo Hundio præeunte in Salixburgensi, quam edidit, Metropoli, vbi id Monasterium situm cernitur. Verum est tamen, quòd anteuertit annum, fundationem, translationemque, atque vtriusque Auctores his verbis exprimens. *Anno Domini M. CXLIII. sexto Kalendas Nouembris, à constitutione domus, & Ordinis Cisterciensis, anno quadragesimo sexto, vir nobilis VVolferus, aliàs VVolframus, de Tegernbanck, & vxor eius Hemma in prædio suo Schuring fundare cœperunt hanc Abbatiam, primo Abbate eiusdem loci domino Gerone, viro venerabili existente: postea verò anno Domini M. CXLVI. præsidente in sede Romanâ sanctissimo Papa Eugenio tertio, Pontificatus sui anno secundo: in ipso verò Romano imperio feliciter regnante Conrado secundo imperij sui nono felicissimè omni reuerentia honoris dignissimæ memoriæ, dominus Conradus, primus sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, considerans situm loci non esse aptum illi Ordini, consilio habito, ex consensu petitionis prædicti VVolferi, ad habitationem fratrum, & situm Cœnobij, ad præfatum Ordinem obseruandum, antiquam Ecclesiam suam, Raitenhaslach in hoc loco sitam, & constructam quondam sub patrocinio sancti Pancratij Martyris (vt tradidit antiquitas) cum decimis, dote, & familia, omnibus necessariis, remota Parochia, tradidit, vt in ipsius priuilegiis pleniùs continetur. Eugenius, suis literis incipientibus, Geroni Abbati, &c. suscipit hoc Monasterium sub protectione Petri, & sua. Datis apud Vicum Patronianum, quinto Kalendas Februarij, anno M. CXLVI. Pontificatus anno secundo.* Hactenus Hundius.

Locum in Norico, & agro Burchusiano, iuxta Salzam fluuium fundatum esse tradit. Porrò fanum ipsius illustratum plurimis mausoleis virorum Principum. *Sunt ibi* (inquit) *in templo, atque in ambitu multorum Principum, Comitum, Baronum, ac nobilium sepultura, quos longum esset referre. Inueniet, qui volet, in libris meis Genealogiarum Bauarorum.* quem tamen librum nancisci mihi non licuit. Monachos ex Salem ascitos, adductosque conuincunt Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. Noa Cœnobium inuenitur in libris Cameræ, in diœcesi Ebroicensi, nulla in nostro exemplari præfixa taxa. Monachi ex Ioiaci Abbatia illuc directi, adeóque spectat ad lineam Pontigniaci. Oliuetum in Bituricensi diœcesi inuenio, ducentis supra viginti florenis taxatam in libris Cameræ. Domum ad fluuium Charum sitam testatur [a] Claudius. Memoratur inter filias Curiæ Dei, adeóque pertinet ad Cistercij generationem. De ea item Ioannes Chenu Bituricus, in notitia Archiepiscopatus Bituricensis. Extant litteræ Innocentij Papæ IV. ad Abbatem Montis de Oliueto (sic enim vocant locum) Cisterciensis Ordinis Bituricensis diœcesis, datæ Lugduni 13. Kalend. Decemb. Pontif. ann. 8. 5.

[a] in Gallia Christ.

Sconaugia sequitur, de quo Cœnobio in Exordio magnó lego. [b] *Apud prouinciam, quæ Germania prima dicitur, in territorio ciuitatis VVangiomon, quæ est VVormacia, extat Cœnobium Cisterciensis Ordinis de linea Clarevallis, quod Germanica lingua, Sconaugia vocatur, quodque interpretatum Latinè pulchra insula dicitur.* Hæc ibi. De fundatore Bruschius hæc habet verba. [c] *Bugo nobilis, ab Achorn, Bamberga à teneris annis educatus, ac liberaliter institutus, ab Imperatore Henrico, Præpositus Aschaffenburgensis constituitur.* Inde cùm VVormaciensis Episcopus à maiori Canonicorum parte, quamuis non in concordia, electus esset, atque à Summo Pontifice confirmatus, tandem post sexdecim annos, cedente æmulo, *ædificauit de nouo Sconauiense Cœnobium Cisterciensis instituti, in quo sibi ipsi sepulchrum adornari curauit.* Hæc paucis Bruschius. 6.

[b] lib. 5. c. 8.

[c] in catalog. Episc. VVormacienf.

Trithemius non Bugonem, sed Reinardum Episcopum appellat. [d] *Qui* (inquit) *cùm esset vir deuotus, insigne Monasterium Ordinis Cisterciensis, in sua parochia, quod Sconaugia nominatur, in montibus, non longè distans ab Heidelberga, sancto Bernardo Abbate cooperante, fundauit, & multis prædiis, & beneficiis ampliauit. Abbatem, & fratres de Monasterio Clarevallensi, ab ipso Patre sancto Bernardo impetrauit, & ipse in eodem Monasterio sepultus est.* Ita Trithemius. Qui in nomine Episcopi, & in loco, vnde Monachi directi, omnino fallitur, quippe ille Bugo, vt dictum, non Rainardus, & hi ex Eberbaco, non ex Claravalle, quorum primum epitaphium viri affirmat, quod adducit [e] Demochares, nomen Bugonis toties ingeminans, quot versibus constat. Atque ecce epitaphium: 7.

[d] in Chron. Hirsaugiens.

[e] in catalog. Episc. VVormacienf.

Buggo

Buggo Pater fastum quemuis vitauit, & altum,
Buggo piè lator legumque, & pacis amator,
Buggo sacrans aras, mentes correxit auaras.
Buggo reformauit Monachos, & corda rigauit.
Buggo fugans enses, ditauit Schonaugienses,
Buggo Dei cultor, inimicorum fuit vltor:
Buggo ferens palmam, sedem conscendit ad almam.
Buggo Deum laudans, lætatur tartara fraudans,
Buggo Deum cæli, placato corde fideli,
Buggo pios vultus, [illegible] murmura suscipe cultus.

8. Hactenus Epitaphium. At de Monachis non ex Claravalle directis, sed ex Eberbaco, habemus firmius adhuc testimonium Exordij magni, quod de Theobaldo Sconaugiæ Abbate loquens,
f lib. 5. c. 10. ait. [f] *Inde* (idest, ab Sconaugia) *assumptum fuisse in Prælatum matris Ecclesiæ Eberbacensis, quæ est vna de filiabus Claraevallis.* Ex Eberbaco ergo Monachi missi, quæ ideò Sconaugia mater Ecclesia dicitur, non ex Claravalle. Sconaugiam vltra alia nobilitauit illustris virgo Hildegundis, sub nomine, atque habitu mentita Monachum, cuius gesta in sequentibus narrabimus. Memoratur in literis Honorij Papæ tertij, atque Innocentij quarti, de quibus infra. Robertus Claudius, Sanctimonialium Cœnobium dixit, in sua Gallia, seu fortè illi errandi occasio fuit sancta Hildegundis, seu aliud Monasterium eiusdem nominis, diœcesis Treuirensis, quod sancta Elisabetha, Sconaugiensis ab eo dicta, illustrat. Diuersa tamen Cœnobia non est dubium.

9. Grandisyluam illustriorem adhuc domum, antiquioremque, sed sub Cistercio posteriorem esse, inde coniector, quòd Bernardus ad Tolosates scribens post annos tres, nempe post reditum eius ab illis partibus, ad quam contra Henricianos prædicatum, sub Pontifice Eugenio missus fuit. De eiusdem domus reformatione eos commonefacit, quasi tunc primùm facta, & quam
g epist. 242. ipsi ignorare adeò potuerint. [g] *Sit vobis commendatus* (ait) *lator epistolæ, venerabilis Abbas Grandissylue, & domus eius: quæ & nostra est, nuper nobis, & nostro Ordini ab ipso tradita, & Ecclesiæ Claraevallis specialiter associata.* Nuper, inquam, idest, postquam ipse sanctus discesserat ab eis, ad quos scribit. Ergo cum aliis suo loco erit dicenda.

10. Stratam Ebroicensis diœcesis, iuxta Drocas,
h In sua Gall. vt ait [h] Robertus Claudius, Pontigniacum inter proprias filias numerat. Sunt & alia Cœnobia eiusdem nominis, professionisque, alterum in Italia, Bononiensis diœcesis, quod commemorant taxæ, alterum Taurinensis in Sabaudia, de quo extant Gregorij noni litteræ: atque agnomine addito, alia duo vtraque in Anglia, quarum vna Strata Margill, siue Marcelli, aliàs de Pola, altera Strata florida, atque vtraque tomo sequenti dicenda erit. Sed de his latiùs in sequentibus dicendum.

Gemundum inter Berdonarum filias numeratam, adeoque augentem lineam Morimundi, 11.
Auxitanensis diœcesis, excepit, *Gimont* incolæ dicunt. Vt hoc eodem anno recenseantur tres Berdonarum filiæ, nempe Gemundum, Horta, & Vallis bona, quamuis hæ duæ per anticipationem, vt iam notauimus, & suo loco latiùs ostendemus. Eiusdem lineæ, hoc est, Morimundensis Syluam latam, sed incerta matre inuenio, nec certa diœcesi. Nisi quòd tamen in literis Honorij Papæ tertij, ad Lascurrensem pertinere dicitur, quæ est in Vasconia, sub Archiepiscopo Auxitano, Nonas Octobris, Pontificatus ipsius anno tertio.

Redasheusam, aliàs Relashausen, Saxoniæ 12.
domum Cæsarius nobis describit, ominoso piaculo indiscreti, atque omnino vltra modum
feruentis Monachi, [i] *qui ex nimiis vigiliis, & la-* i lib. 4. c. 45.
bore, exsiccato iam cerebro, tantam capitis incurrit debilitatem, vt nocte quadam, antequam Conuentus ad matutinas surgeret, Oratorium intraret, formam Nouitiorum ascenderet, & fune campanæ collo suo circumligato, desiliret. Qui quamuis morti subtractus
per fratres fuerit, [k] *ab illo tempore numquam sensum* k l. 11. c. 36.
pristinum recuperare potuit. Memoratur & ab eodem Auctore alibi: nec audeo dicere, an idem sit Cœnobium Alberstadensis diœcesis (*Redageshusen*) quod in literis Ioannis vigesimi secundi commemoratur, sub datis nunc in mense Februario, nunc in Septembri, vtrisque Viterbij, atque vtrisque anno primo sui Pontificatus. Abbati etiam de Redageshausen Gregorius IX. scribit, vt Priorem eiusdem Monasterij doctum, & sanctum, ad conuertendos Gentiles destinaret in partes Liuoniæ, Russiæque, obtemperans Episcopis, qui tantum virum optabant coadiutorem. *Sicht* prætermissa in multis exemplaribus, in aliis variè posita, inter filias Morimundi connumeratur. Reliqua ignota: nisi fortè eadem sit cum ea, quam dedimus anno M. CXXXVI. neque alius huius Tomi commodior finis, quàm quo ignorantiam nostram profitemur, in vasto pelago cuicumque subeundam, quantò magis nobis, vel in modica aqua submergendis? Vtinam quæ in eo errata alij corrigant, quæ prætermissa addant, atque Annales Cistercij locupletent! Vtinam qui ab scholasticis aridioribus argutiis, ad humaniora hæc studia declinauimus, exempla Patrum non sine fructu filiorum tractauerimus, non sine nostro! Faue, ô Deus! & votis, si iustis, annue: imò quia iustis. Sequentem Tomum Eugenius incboabit, si tu concesseris.

APPENDIX

APPENDIX
AD PRIMVM
ANNALIVM
CISTERCIENSIVM
TOMVM.

SERIEM Abbatum in singulis Ecclesiis, nec recensere licuit, neque libuit in cunctis prætermittere: quippe illud nobis supra vires foret, neque lectori gratum, vtilève; hoc incuriosum nimis videri posset. Ergo aliquarum tantùm ex notioribus proferimus Antistites, eósque ad nostra tempora deducimus, prout Ecclesiæ occurrunt; singulis tomis subiectos, non insertos, ne vel hanc facem lectori detraheremus, vel cæteris euentibus permixta, dum anteuertit tempus, confunderet Annales magis, quàm illustraret. Multam haud dubiè ex ea lucem accipient quæcumque à nobis dicta; multum, ab aliis, dicendis prælucebit, (si sint, qui prosequantur,) & nobis aliquale solatium erit, ad quem rectà pertingere non possumus, per hæc saltem compendia portum repetere: & quia Annales producere non datur longum iter aggressis sub vita vesperum, atque ad alia distractis, vmbram saltem Annalium prolatare. Itaque Cistercienses Abbates primum; mox quatuor Patres, & Patriarchas totius Ordinis, qui satis pro hoc tomo: inde quos alios illustriores inuenerimus, singulis tomis, vt venient, subiiciemus.

SERIES

Abbatum Archi-cœnobij Cisterciensis (breuis Chronici vice) ex diuersis auctoribus, & præcipuè instrumentis concinnata, & ad nostra vsque tempora producta.

I.

S. ROBERTVS.

A Molismo egressus cum 21. Monachis, authoritate Apostolici Legati, & Diœcesani loci, Cistercium fundat, anno 1098. in die sanctissimi Patris Benedicti, sola regula pro constitutionibus vsus. Sequenti 1099. ad instantiam Molismensium, & præceptum Pontificis, Molismum cum paucis reuertitur. Vbi non diu superstes, & Cistercium, quoad vixit, suspirans, moritur 17. Aprilis, anno 1100. Ab Honorio III. adscriptus Sanctorum numero. Subest illi Cistercij tale distichon:

Cælitus huc missus Robertus sedit ad annum;
Vnde prius fuerat, citò pressus abire Molismum.

II.

S. ALBERICVS.

Ex Priore Cistercij, post Roberti discessum, eligitur anno 1099. Sequenti primas leges Cistercij condit. Confirmationem Ordinis à Paschali II. missis ad hoc ad Curiam duobus Monachis, loci, & bonorum, ab Odone, Burgundiæ Duce, obtinet, an. 1102. Quo & eundem Odonem Cistercij sepelit, & filium eius Henricum, Monachum suscipit. Et post biennium, sanctum Ioannem, Valentinum postea Episcopum, per miraculum ad Ordinem conuersum, habitu donat, anno 1104. Ab Hugone Burgundo, Odonis filio, & hærede, eximiè cultus, & sumptibus donatus ad loci fabricam. Tandem plenus dierum, & virtutum sanctè obdormit 7. Kalendas Februarij, anno 1109. Sanctis adscriptus communi acclamatione, & consensu Ecclesiæ, quæ tunc pro Canone. Distichon eius in Cistercio tale:

Albericus ei successit, vir speciei:
Rebus mansuris locuples; pauperque caducis.

III.

S. STEPHANVS.

Natione Anglicus, totius Cisterciensis reformationis author, promotorque, ex Priore Cistertij tertius Abbas, inuitus, & absens, electus ann. 1109. Cùm pro incrementis Cistercij multum orasset, & responsa accepisset, & gentis longè, & latè dilatandæ repromissionem, Bernardum Patrem cum triginta sociis de sæculo venientem, habitu donat, an. 1113. Eodem anno Firmitatem fundat, atque illuc de Cistercio Conuentum ducit. Sequenti 1114. Pontigniacum: subsequenti 1115. Claramvallem, & Morimundum. Primum Capitulum Cistercij congregat, an. 1116. Et anno 1119. chartam charitatis, id est, vnionis Ecclesiarum, inter se ipsas, leges promulgat: eandemque à Calixto Papa II. charitate in Cistercium dudum obstricto, & Bonævallis Viennensis fundatore, confirmari facit. Ludouicum, cognomento Crassum, Francorum Regem, venientem ad Cistercium,

perentemque, in Capitulo in Ciſtercij fratrem cooptat, anno 1127. Concilio Trecenſi aſſiſtit, an. 1128. Exemptionem Abbatum ab Epiſcopis, laudabili induſtria; Eccleſiarum à decimis ſoluendis Innocentij indulto impetrat, an. 1132. Tandem poſt tredecim Monaſteria, per ſeipſum fundata, plura per filios, fractus laboribus, atque oculis præ ſenio caligantibus, cedit an. 1133. Sequenti, quo & Sol eclipſim paſſus, conſummatus ſanctiſſimè 28. die menſis Martij; ſed propter tunc frequenter occurrentia redemptionis noſtræ myſteria, Martyrologio Romano adſcriptus ad 17. diem menſis Aprilis. Diſtichon in Ciſtercio ſubſcriptum habet,

Anglicus hic Stephanus fulſit, velut Angelus vnus,
Sacrata veſte Bernardum veſtiit iſte.

I V.

S. RAINARDVS, *filius Milonis Comitis Barri ſuper Sequanam, Ordericus* l. 8.

Ex Monacho Claræuallis, electus ann. 1133. A ſancto Chriſtiano Monacho Eleemoſynæ choris Angelicis præſidere viſus. *In Exordio Ciſterc. lib.* 1. *cap.* 40. Speciales conſtitutiones, poſt chartam charitatis latas, congregat, & euulgat, ann. 1134. Petrum Abailardum Bernardo Patri, & per Bernardum Eccleſiæ reconciliat. Ei ſcribit Petrus venerabilis, *lib.* 5. *epiſt.* 25. *in antiqua editione.* Ab Eugenio III. in Capitulo generali viſitatur, an. 1148. A quo & Cœmeterium Ciſtercij ſacrari facit. In eodem Sauigniacenſem Congregationem, numeroſam Cœnobiis, ſub filiatione Claræuallis, S. Stephanum, Obazinæ Abbatem, cum filiis, & Eccleſiis ſibi ſubiectis, ſub filiatione Ciſtercij ſuſcipit. Tandem poſt plura Cœnobia ædificata, anno 1151. ſanctè obdormit: in cuius morte Bernardus Pater doluit, epiſtola 270. Et *Dominus* (inquit) *Ciſtercienſis deſeruit nos, magna plaga in Ordine.* Martyrologio Ciſtercienſi adſcriptus, 17. Kalendas Ianuarij. Diſtichon.

Inde Rainardus, virtutum pondus honeſtum
Semper habens ſecum, curam cepit gregis huius.

V.

S. GOSVINVS.

Seu Gozeuinus, ex Abbate Bonæuallis Viennenſis electus, ann. 1151. quo, & in Daniam ad Granadium (Eskilli magni illuſtrem fundationem in diœceſi Lundenſi) Monachos mittit. Quingentis Eccleſiis Ciſtercienſibus fundatis iam per orbem, de non fundandis aliis legem fruſtrà promulgat. Priuilegia ab Eugenio Papa III. atque Anaſtaſio IV. Ciſtercio obtinet. Defuncto Bernardo, ne miracula patret, fidenter imperat. Et quadriennio expleto in præfectura, anno 1155. ſanctè obdormit, pridie Kalendas Aprilis: quo die in Martyrologio Ciſtercij commemoratur. Diſtichon.

Inde Gozeuinus, gentes benedictus in omnes,
Iſti ſucceſſit, velut ſpecies ſpeciei.

V I.

S. LAMBERTVS.

Ex Abbate Clarifontis, & Morimundi, Gozeuino ſuccedit, ann. 1155. quo & Legatos à Friderico Imperatore, eundemque in Ciſtercij fratrem ſuſcipit. Ei ſcribit Adrianus Papa IV. 4. Kalendas Martij ann. 1156. Sacram Calatrauæ militiam Ordini firmat, ann. 1158. quo item Sant-Iulianæa, recèns fundata ab Ordonio, Epiſcopo Salmantino, ex Ciſtercio aſſumpto, donatur Ciſtercij legibus. A Friderico iterum ſuper electione Alexandri III. conſulitur, ann. 1160. Sequenti, in Capitulo generali vniuerſum Ciſtercium, & per illud Eccleſiam, Alexandro Papæ confirmat. Tandem ſenio fractus cedit, an. 1161. atque ad Morimundum reuertitur, vbi non multò pòſt ſanctè obdormit. Diſtichon.

Sextus acceſſit, toto venerandus in orbe,
Nomine Lambertus, redolenti plenus odore.

V I I.

S. FASTRADVS, *dictus de Gauiaumer, nobili ex Prouincia Hannoniæ genere.*

Ex Abbate 3. Claræuallis Lamberto ſuffectus, an. 1161. Cuius tempore Monaſterium ſancti Stephani in Calabria, Carthuſiani inſtituti, ſancti Patris Brunonis pia fundatio, atque item ſepultura, cùm à prima obſeruantia defeciſſet, ad Ciſtercienſe inſtitutum reformatur, apud Surium *in vita S. Brunonis.* Sub quo & per longum tempus manſiſſe dicitur. Biennio pòſt, eùm eius inſtans obitus (id eſt, Faſtradi) ſancto Petro Toloſano

reuelatus

reuelatus esset, Parisiis ægrotat, atque Extremam vnctionem, præsente Ludouico, Francorum Rege, de manu Alexandri Papæ III. deuotè suscipit. Tunc sancto Præsule sanctè consummato, anima cœlos penetrare visa; corpus verò ad Cistercium deductum est, ibidemque (vt ait Robertus Claudius) cum quatuor Sanctis ex prædecessoribus suis, communi tumulo, prope ingressum Ecclesiæ, in ea parte Claustri, quæ Capitulum attingit, sepultum. Plura in Catalogo Abbatū Claræuallensium. Distichon in Cistercio tale habet.

Post hunc Fastradus intrat, venerabile fœdus:
Virtutum speculum, via vitæ, formaque morum.

VIII.

S. GILBERTVS.

Cognomento Magnus, ex Abbate Vrsicampi eligitur, an. 1163. Sub eo S. Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, Ordinem intrat, an. 1165. Eundem aduersùs Henricum, Regem Angliæ, constanter tuetur. Eodem anno scribit ei Alexander Papa III. ex Montepessulano prid. Non. Aug. Calatrauenses, qui, post mortem Radulphi, pulsis Abbatibus, ab obedientiâ Cistercij defecissent, nihilominùs in familiares suscipit: eisque normam vitæ, quam seruent, tradit. Tandem, triennio exacto in præfectura, multa sapientiæ suæ monimenta relinquens, quæ Seguinus commemorat, sanctè obdormit, ann. 1166. Notatus in Martyrologio Cisterciensi 16. Kalendas Nouembris. Distichon.

Iugiter affectus sursùm iactat Gilibertus,
Terrea conculcans, ne conculcetur ab illis.

IX.

S. ALEXANDER, patriâ Coloniensis, & ibidem Canonicus sanctæ Mariæ ad Gradus.

A sancto Patre Bernardo olim Conuersus, ex Claravalle in Abbatem Grandisylux; inde Cistercij Gilberto substituitur, an. 1166. Henricum Anglum, nisi S. Thomam expellat, in se, & in totum Cistercium furentem patitur, an. 1167. A Friderico Imperatore ad Alexandrum III. pro pace reformanda legatus, cùm ægrotaret, Godefridum, Bernardi olim Notarium, pro se substituit, ann. 1168. Ab Henrico Anglo ad S. Thomam Cantuariensem mittitur, an. 1169. quo & ab Alexandro Papa litteras suscipit. Fridericum Imperatorem, post Antipapæ Victoris mortem, vt Alexandro obediat, persuadet, an. 1170. Quo & illustrem Hugonem, Burgundiæ Ducem, in Capitulo in Cistercij fratrem admittit. Appellationes a Cistercio relegat, & multa alia priuilegia impetrat. Vtrumque Henricum Anglum, patrem, & filium, inter se dissidentes, vnà cum S. Petro Tarantasiensi, de mandato Pontificis conciliat, an. 1174. Taudem, post nouennium exactum in præfectura, meritis, & diebus plenus sanctè obdormit, ann. 1175. Notatus in Martyrologio Cisterciensi 4. Kalendas Augusti; qua die colitur. Apud Cistercium hoc illi distichon subest.

Venit Alexander, populo benedictus in omni,
Decurrens alacer meritis ad gaudia cœli.

X.

S. GVILLELMVS I.

Ad quem extat Arnulphi Lexouiensis erudita epistola, ex Abbate Firmitatis electus, anno 1175. quo & Regium Monasterium sancti Clementis in vrbe Toletana, ab Imperatore Alphonso olim fundatum Monialibus nigris, ab Alphonso, nepote eius, accepit, consentiente Archiepiscopo Bernardo, iuxta mores Cistercij reformandam. Grassaore per vniuersam Galliam fame, anno 1176. largitatis eximiæ commendatur, *In Chronico Altisiodorensi.* Quadriennio exacto in præfectura, apud Cistercium moritur, an. 1179. Martyrologio Cisterciensi adscriptus 3. Idus Ianuarij: vbi & distichon tale subscriptum habet.

Post quem Guillelmus apibus rectè similatus,
Suetus erat iustis mel fundere, virus iniquis.

XI.

B. PETRVS I.

Incertum vnde assumptus, anno 1179. cùm Henricus, tunc Abbas Claræuallis, oblatam

oblatam sibi eandem dignitatem non acceptasset. Eodem anno interfuit Concilio generali Lateranensi, sub Alexandro III. & in eo cum aliis tribus Petris Cisterciensibus, viris vtique insignibus, Pontigniacensi, Claræuallensi, & Morimundensi, concurrit. Vitam S. Petri Tarantasiensis à Lucio Papa III. iubetur scribere. Priuilegium à Vela, Vngariæ Rege, obtinet an. 1183. quo item exemptionem Abbatum ab Episcopis per Lucium III. confirmari facit. In Episcopum Atrebatensem assumptus eodem anno; Veronæ à Guillelmo Cardinali Blesensi consecratur an. 1184. Nec diu superstes alium Petrum habuit successorem, itidem Cisterciensem, cum quo ab authoribus plerisque confundi solet. Memoratur à Philippo Seguino inter scriptores, recensitis operibus, quæ hodieque dicuntur permanere. En eius distichon.

Petrus doctrinæ pretiosum manna pluebat:
Huic odiosa Venus. Præsul fuit Atrebatensis.

X I I.

B. BERNARDVS.

Vnius, vt creditur, tantùm anni Præsul, quippe electus ann. 1183. Et anno 1184. consummatus, nulla alia re insignis, nisi quòd velut Sanctus piè colitur Kalendis Ianuarij; qua die legitur ad Superos transiisse. Distichon in Cistercio tale habet.

Post quem Bernardus venit mansuetus, vt agnus,
Cunctis lux radians, cunctis exempla ministrans.

X I I I.

B. GVILLELMVS II.

Dubium vnde assumptus, an. 1184. Grandimontensibus acriter inter se certantibus à Pontifice iudex designatus, an. 1185. Eosdem interim, à suis domibus pulsos, hospitio suscipit, necessaria omnia largitus. Insigne priuilegium de omnimoda exemptione Cistercio impetrat, an. 1186. Moritur Kalendis Decembris eiusdem anni; qua die in Martyrologio memoratur. Distichon ei subiectum hos habet versus.

Suauius vnguentis famâ redolens pretiosis
Dominus Guillelmus fuit ista sede potitus.

X I V.

B. PETRVS II.

Succedit anno 1186. & moritur sub initio sequentis anni, nempe 6. Kalendas Aprilis: qua die in Martyrologio commemoratur. Iacet Petrus cum omnibus suis antecessoribus (præter eos, qui obierunt extra Cistercium) in eodem sarcophago, sub arcu lapideo, iuxta fores Ecclesiæ, quà iter patet ad Capitulum per Claustrum. En eius Distichon.

Morum pinguedo, gregis huius solicitudo,
Post Petrus aduenit: benedicto fine quieuit.

X V.

B. GVIDO I.

Electus ann. 1187. Eodem anno, Magistrum Calatrauæ Nunium Quinonium, cum litteris Alphonsi, Castellæ Regis, & Magnatum Hispaniæ, ad Capitulum generale venientem suscipit: Calatrauenses, familiares tantùm post defectionem, extunc, vt veros Cistercij fratres, & filios, ad obedientiam admittit, sub filiatione Abbatis Morimundensis: eisdemque nouas leges, & ritus condit. Centum marchas argenti, à Ricardo, Angliæ Rege, transmissas, accipit, an. 1189. Eodem anno, Huelguense Monasterium iuxta Burgos, ab Alphonso, Castellæ Rege, admittit: idemque in caput Cœnobiorum Sanctimonialium in Castellæ, & Legionis regnis constituit. A Philippo, Francorum Rege, pro granibus negotiis accersitur, an. 1190. Eodem anno, à Clemente III. Diaconus Cardinalis primùm, dein Presbyter S. Mariæ Trans Tiberim, demùm ab Innocentio III. Prænestinus Episcopus creatus: multas, & graues exercuit legatias, celebrauit Concilia, & edidit salutares constitutiones. Aliqnibus præterea scriptis clarus, quæ recenset Seguinus in Bibliotheca. Huius tempore illustrauit Ecclesiam Gregorius VIII. ex Cistercio assumptus parùm feliciter: quippe vix prius datus, quàm raptus est, non fine ingenti luctu totius orbis. Distichon eius in Cistercio tale.

Ornant Guidonem doctrina dogmate sacra;
Cui Romana dedit subtum post Curia sertum.

X V I.

XVI.

B. GVIDO II.

Perperàm à Roberto Claudio cum antecessore confusus: electus ann. 1190. quo & deuotè inquirens de statu Ordinis, per sanctam Virginem responsum de cœlo accepit. Ad annuos sumptus Capituli generalis, Ecclesia in Anglia à Ricardo Rege donatur, ann. 1191. Cisterciense sumptuosum templum dedicat, ann. 1193. Tria millia marcharum, ab Imperatore Friderico oblata, in thuribula diuidenda per totum Ordinem, constanter respuit, ann. 1194. quo & officium B. Mariæ Virginis, quod hactenus à singulis ab initio Cistercij recitabatur, in infirmitorio à cunctis simul psalli præcipit, edita super hoc constitutione. Nec multo pòst in choro cantari iussit, additâ in ipso ad Vesperas, & laudes, B. Patris Bernardi commemoratione. Cum Carthusiensibus concordiam init, ann. 1195. Eodem anno, Legatos Regis Daniæ ad Cœlestinum Papam, à Philippo, Gallorum Rege, captos, liberat. Innocentij III. de sua electione litteras suscipit ann. 1198. A quo & Philippo Regi, cum Archiepiscopo Rothomagensi decertanti, iudex datur. Corrigendis sacris Bibliis ab eodem præficitur, ann. 1199. quo & Hispaniam, ab Alphonso Rege vocatus, venit, & Huelguense Cœnobium, à Tulebrensi exemptum, denuò admittit. Ab exactionibus, ab Innocentio impositis, ad Virginem appellat, ann. 1200. Eiusdem interuentu miraculoso Cistercium liberat, ann. 1201. Cùm Romam pergeret, Innocentio gratias relaturus, ab eodem Cardinalis Episcopus Prænestinus, & Archiepiscopus Remensis creatus est, ann. 1202. De quo in Cistercio leguntur sequentes versus:

Guido subit, vitâ cuius fulgebat, vt ensis,
Archimandritâ factus fuit inde Remensis.

Sepultus in choro Cistercij (ait Robertus Claudius) *cùm obiisset Gandaui*, 3. *Kalendas Augusti*, *anno* 1206. Sepulchro illius hoc epitaphium inest.

Nobis donatus de culmine Pontificatus,
Rhemis translatus, iacet hic vir Guido Beatus.

XVII.

B. ARNALDVS.

Cui suos Innocentius III. sermones dicat, ex Abbate Populeti; & Grandisyluæ electus ann. 1201. quo statuta Ordinis promulgat, atque ea occasione, inter ipsum, & quatuor primos Abbates turbata pax (fortè plus aliquid in illos sibi vsurpabat) Innocentium III. habuit conciliatorem, scripta ad omnes illos graui epistola, in qua proposito exemplo Grandimontensium, cedere vtrisque consultus esse docet, quàm litigare. Carracetum, insignem, & antiquam Hispaniæ domum, cum omnibus suis Ecclesiis, ad obedientiam admittit, sub immediata Cistercij filiatione: atque in Polonia Trebniziense Cœnobium sacrarum Virginum, Henrici, cognomento Barbati, superbum opus, quod eximia eius coniux S. Hedvvigis, suscepto in ipso habitu, atque vtriusque filia B. Gertrudis, supra omne mundi faustum nobilitarunt: vtrumque ann. 1203. quo & ab Alphonso octauo, Castellæ Rege, priuilegio donatur, & pia, ac Cistercio gloriosa promotione, tam ipsum, quàm Reginam Eleonoram (si fortè habitum morerentur) Cisterciensem, non alium, induituros. Sequenti 1204. promulgat legem (ô vtinam hodie obseruaretur!) de redigendis in grangias Monasteriis, quæ non, vt minimùm, Monachos duodecim, cum tertio decimo Abbate, alere possent. Primus hæreticæ prauitatis Inquisitor contra Albigenses, cum Beatis Petro, & Radulpho, ipsius Monachis Cœnobij Fontis frigidi, ab Innocentio III. designatus eodem anno. quo & insigni in Anglia Monasterio (Bellus locus Regis ei nomen) à Ioanne, Rege Angliæ, donatus est, per Monachos Cistercij instituendo. Biennio pòst, B. Didacum de Acebes, Oxomensem Episcopum, S. Dominici Magistrum, in Cistercij Cœnobio, habitu donat; adiunctis Monachis, per quos edoceretur Cistercij ritus, & Ordinis disciplinam, Apud Theodoricum *de Apoldia in vita S. Dominici.* Duodecim Abbates Cistercienses, ex Pontificis iussu, quibus & ipse adiunxit B. Dominicum; ad opus prædicandi, & inquirendi sibi associat, ann. 1207. sancto Petro Castronouensi per martyrium sublato, ferro, & igni grassatus, multas, illustresque ab hæreticis victorias comparat, anno 1209. & 1210. quo & deuotam, ac piam cæremoniam, qua Monachi, post eleuationem Hostiæ, in faciem corruunt, quasi non audeant tanti mysterij gloriam

intueri, per totum Ordinem iussit obseruari. Albiensium prouinciam visitat, ann. 1211. Tandemque multis aliis factis illustris Cistercio subtrahitur, promotus in Archiepiscopum Narbonensem, ann. 1212. Archiepiscopus, Alphonso, Castellæ Regi, cum Sarracenis ad Nauas Tolosæ pugnaturo, ex Transmontanis ferè solus assistit. Apud Rodericum Toletanum, cum quo & de primatu Hispaniæ in Concilio generali Lateranensi litigat. Demum ætate, & virtutibus prouectus ad cœlos migrat, ann. 1225. 8. Kalendas Octobris: qua die in Martyrologio Cistercij, vbi & sepultus iacet, commemoratur. Versus de ipso.

Arnaldum post hunc pietas diuina vocauit
Pontificem, sed cum subitò Narbona locauit.

XVIII.

B. ARNALDVS II.

Electus anno 1212. Cuius tempore Abbates Cistercienses, Capitulis, vt vocant, generalibus aliarum familiarum sacrarum præfecti sunt in Concilio Lateranensi, & habetur in cap. *In singulis, de statu Monachorum.* Clausuram Monialium in Capitulo generali strictè seruandam præcipit, ann. 1213. quo & Scarpem in regno Cataloniæ, insignem olim domum, à Petro, Aragonensium Rege, fundatam suscipit. Cum quatuor primis Abbatibus, super potestate, in eos sibi concessa, litigat, ann. 1215. Honorij Papæ super eadem lite litteras, & Monasterium Saltus albi in Hispania Benedictinum (vulgò *de Sotos albos*) sub filiatione Cistercij reformandum accipit, ann. 1216. quo item, ab eodem Pontifice ad Philippum, Regem Galliæ, & Ludouicum filium Legatus mittitur. Cum quatuor primis Abbatibus componit, ann. 1217. Demum viribus fractus cedit eodem anno. Nec multo pòst ad superos conscendit 3. Kalendas Augusti: qua die veneratur eius memoria. Versus de ipso.

Arnaldus cunctis ignem gestabat amoris,
Hoc onus ex humeris senibus reiecit in annis.

XIX.

B. CONRADVS.

Ægioonis Comitis filius, ex Villariensi Monacho, & Abbate, primùm ad Claramvallem, mox ad Cistercium promotus, ann. 1217. quo, ad petitionem Coloniensis Archiepiscopi, festum S. Vrsulæ, & sociarum, per totum Ordinem celebrari iubet. Priuilegia ab Honorio Papa impetrat, ann. 1218. atque ab codem sanctorum Ioannis, & Pauli Martyrum festum promulgare iubetur. Eodem anno, Sant-Iulianæam militiam, sub instituto hactenus, sed non sub obedientiæ Cistercij positam, mediante Calatraua Cistercio subiicit, inde ab *Alcantara*, translationis loco, cognominandam. Sequenti anno 1219. cùm leges præclaras condidisset, Episcopus Cardinalis Portuensis ab Honorio creatur. In Cardinalatu legatias plures subiuit: in quibus & Philippi, Regis Franciæ, & S. Engelberti, Archiepiscopi Coloniensis, & Martyris, exequias procurauit. Celebrauit Concilia, quæ adhuc extant, in quibus sanctissimas promulgauit constitutiones. Compromissa electione Summi Pontificis in tres Cardinales, ex quibus ipse vnus, & primus erat, cùm alij duo eundem designassent: *Absit*, inquit, *vt ego meipsum dicar elegisse.* Demum anno 1227. pridie Kalendas Octobris sanctissimè decessit, sepultus in Claravalle ad dextrum cornu Altaris præcipui; vbi & epitome vitæ ipsius scripta legitur. Distichon:

Conradus fratres sancto amplexatur amore,
Cardineo meritis pòst insignitus honore.

XX.

B. GVALTERVS.

Ex Abbate Longi pontis, vbi & sanctum Ioannem de Monte mirabili Monachum fecerat, insignis Doctor translatus ad Cistercium, ann. 1219. Ei Honorius III. Summus Pontifex opus sermonum dicat, Monachosque in Apostolos Liuoniæ, Prussiæque, ex vniuerso Cistercio electos petit, ann. 1220. Sequenti 1221. pro VValdemaro, Kanuti, Regis Daniæ, filio, & ex Episcopo, Cisterciensi Monacho, ab eodem Honorio litteras suscipit. quo & Dauidem, Cassiliensem Archiepiscopum, Monachali in Cistercio habitu donat. Inde ad Philippum, Regē Franciæ, cum Episcopo Parisiensi discordantē, legatus, an. 1222.

Sequenti

Sequenti 1223. insigne Monasterium Aroucæ in Lusitania, virorum olim, tunc Sanctimonialium, de manu Mafaldæ, Reginæ Castellæ; atque ipsam in eo Monialem gratantet suscipit. Edita tamen lege, ne deinceps aliqua alia Abbatia Sanctimonialium Ordini incorporaretur: quam & eius successores, Guillelmus, ann. 1228. & Bonifacius, ann. 1251. confirmauere. Demum quadriennij præfectura functus, sanctè obdormit, ann. 1223. 14. Kalendas Februarij: qua die in Martyrologio Cistercij commemoratur. En eius distichon:

Doctorum splendor, multos superantque canos,
Galterus veniens, confestim transiit annos.

XXI.

B. IACOBVS I.

Incertum vnde assumptus, ann. 1223. Nec satis constat, an is Cistercij Abbas, cui Honorius III. suos sermones dicat? Insigne priuilegium pro exemptione Abbatum ab eodem Honorio Papa impetrat, ann. 1224. Abbatem Frigidi montis ad Ecclesias Cistercij visitandas per Hiberniam, cum plenitudine potestatis mittit, apud Iacobum VVaræum. Demum cùm magna opinione sanctitatis, quadriennio, plus, minusve præfuisset, vltrò se abdicat, atque ad locum, vnde assumptus fuerat, rediit, vt habent versus Cistercij illi suppositi:

Post dominus Iacobus fratres suscepit alendos,
Quos citò dimisit, sed ad loca prima recessit.

XXII.

B. GVILLELMVS III.

Dubium an ex Claræuallis Monacho, an ex Abbate alicuius Ecclesiæ Claræuallensis, electus, vt creditur, ann. 1227. In titulo Monasterij de Batans Bisuntinensis diœcesis subscribit iam euectus ad rerum culmen, ann. 1228. quo etiam à Gregorio IX. quadruplex priuilegium, atque item litteras pro negotio Albigensium, & S. Saluatoris de Monte amato, antiquiorem Ecclesiam Benedictinam, ad ritus Cistercienses reformandam suscipit, sub immediata Cistercij filiatione. Ab eodem, vindicandis iniuriis, Archiepiscopo Lugdunensi illatis, iudex datur, ann. 1229. quo & noua ex Cistercio edita prole, Pietatem Dei in Cenomanensi diœcesi fundat, & à Rege Daniæ priuilegio insigni donatur. Apud Renatum Chopinum *in Monastico.* Ad reconciliandos Galliæ, & Angliæ Reges, inter se dissidentes, Legatus mittitur. quo, aut sequenti, à S. Ludouico, insigni Monasterio donatur, Monte regali, immediatè Cistercio subiiciendo. Priuilegia à Gregorio IX. impetrat, ann. 1232. Nouis discordiis cum quatuor primis Abbatibus subortis, nouam concordiam init, ann. 1233. sed statim ad priorem reuocandam. Monasterium Flauiacense Benedictinum, eiusdem Gregorij Papæ iussu, visitat: atque Cœnobium Sanctimonialium, sub aduocatione de Gratia nostræ Dominæ, ad Cisterciensem normam, eodem præcipiente reformat. Cum Franciscanis, pro quibusdam, qui ad Cistercium transierant, litigat, ann. 1235. & sequenti retentionem eorum obtinet. VVillelmum, Præmonstratensem Abbatem, per iniuriam depositum, restituere, & manutenere iubetur, ann. 1236. quo & in Ferdinandum, cognomento sanctum, Castellæ Regem, pro Abbate Morimundi super Prioratu Calatrauæ sententiam fert. Tandem, antecessoris sui sequutus exemplum, cessit circa annum 1237. atque ad suam Claramvallem reuersus est, non multò post ibidem consummandus. Migrasse dicitur pridie Idus Februarij. Eius memoriam sequentes conseruant versus:

Guillermus sequitur: sed Claravalle potitus,
Ascendens moritur illic, intusque sepultus.

XXIII.

S. BONIFACIVS.

Incertum vnde assumptus, ann. 1237. quo, primus in Cistercio leges sanciuit, ne Abbatissæ, & Moniales Cistercienses personaliter ad Capitulum generale conuenirent. Quotidianas sanctorum Patrum, Benedicti, Bernardique commemorationes, hactenus factas in Horis B. Virginis, ad officium, vt vocant, maius transferri iubet, anno 1238. in quo vsque ad hanc diem perseuerant. Ad Concilium generale Lateranense specialiter

à

à Gregorio IX. vocatus, cum multis aliis Ecclesiæ Prælatis, agente Friderico Imperatore, capitur. Multa in carcere passus per longum tempus: super quo Gregorius ei cum aliis scribit, anno 1240. Quo & à Vela, Hungariæ, & Croatiæ Rege, in ipso carcere donatur quatuor Ecclesiis consensu Diœcesani, Cisterciо traditis in subsidium expensarum Capituli generalis, superaddita pensione centum marcharum argenti in annos singulos, donec quieta, & pacifica gauderet possessione. Eodem anno Claritatem Dei in Turonensi diœcesi, Monachis designatis, sed à Priore Cistercij transmissis, fundat. Ab Innocentio IV. post longam Apostolicæ sedis vacationem, tandem in Summum Pontificem electo, honoris, & reuerentiæ plenas litteras suscipit, anno 1243. Quo ipso ab eodem admonetur, vt præsumptionem Huelguensis Abbatissæ, munus Abbatis exercere ansæ, compescat. Sequenti anno 1244. octo, intra quatuor menses, indulta impetrat. B. Edmundum, Cantuariensem Archiepiscopum, Pontigniacensem Monachum, tunc recens adscriptum Sanctorum numero, per totum Ordinem cum duodecim lectionibus; in Monasteriis de linea Pontigniaci sermone habito ad fratres in Capitulo, celebrari iubet, anno 1247. Quo & septem Psalmos pœnitentiales, hactenus intermissos, singulis sextis feriis recitandos iniungit, lege perseuerante vsque in hanc diem. Nec multo pòst 1251. legem promulgat, vt quondie *finito Completorio Cantor incipiat Antiphonam* Salue Regina; *& Præsidens dicat versum, & Collectam:* quod item inconcussum perseuerat. Monasteria S. Mariæ iuxta VVormaciam, & S. Spiritus Astensis, ad perfectiorem vitam aspirantia, sub filiatione Cistercij inbetur admittere; alterum, 1248. alterum, 1254. Quo & de forma professionis Capellanorum in Cœnobiis Monialium (quòd hactenus varia esset) legem promulgat. Burgundiæ Duci, & Abbati Cluniacensi conseruator adscribitur, 1251. & 1254. In ciuitatem, & prouinciam Burdigalensem, multis flagitiis pollutam, iubetur inquirere, anno 1253. A Blancha, Regina Franciæ, & filiis eius, S. Ludouico, Caroloque, redditus annuos accipit pro annua Capituli generalis sustentatione. *In Dialogo de prosp. & aduers. statu Ordinis, lib. 2. cap. 22.* Facit & ad eiusdem patris gloriam, quod eius tempore, qui ipsum, qui Guillelmum, Claræuallis Abbatem, qui plures alios, qui duos ex Cistercio Cardinales, per triennium integrum captos detinuerat: *Principum maximus* (ait Mathæus Paris) *& mundi huius stupor, Fridericus tandem, diuina gratia præualente, anno 1250. absolutus à sententia, qua innodabatur, & mirè compunctus, assumpto Cisterciensi habitu, obiit:* quod vnum potuit, seipsum pro cunctis tradens, & vitam deformem honestans laudanda morte. Hæc, & alia Bonifacius eum vidisset, fecissetque: tandem deposita cura pastorali, circa annum 1251. baculum cum priuata vita commutat. Nec multo pòst ad primos Patres apponitur 11. Kalendas Octobris. Hos habet versus,

Inde Bonifacius, sic dictus ex benefactis,
Æquatur meritò Patribus super astra Beatis.

XXIV.

B. GVIDO III.

Successit Bonifacio circa annum Christi 1255. Hic primus in Cistercio leges sancinit, vt pannis sericis, atque olosericis ad ornanda altaria: itemque in vestibus sacris liceret vti. Stephanum, Claræuallis Abbatem, quòd collegium Parisiense inconsulto Capitulo fundasset, ab officio deponit: super quo restituendo litteras Alexandri IV. suscipit, ann. 1256. Non obediens externos iudices patitur Theologos Parisienses: sed non sequuta ob Stephani reuerentiam restitutione. Beati Arnulphi, Cisterciensis in Villario conuersi, cùm iam instaret, impedit canonizationem. Apud Molanum in Natalitiis Sanctorum Belgij: *Ne multitudine* (vt idem author ait) *Sancti vilescerent.* Vir zeli integri, & semper anteponens communia priuatis commodis. Præcepit tamen celebrari Bernardi festum inter præcipua, habito ad fratres in Capitulo sermone. Quin & sanctorum Dominici, & Francisci cum duodecim lectionibus: vt nouos auersatus, etiam ex propriis; sic antiquos, vel exteros, accumulatis obsequiis promeriturus. Communionem sub vtraque specie hactenus vsitatam lege prohibuit: exceptis tamen, qui altari ministrabant, queis multo tempore in Cistercio permissa legitur. Priuilegia à Pontificibus, Alexandro IV. & Vrbano IV. obtinuit: ex quibus quædam in 6. Decretalium cap. *statuto* 2. de decimis. Porrò ab Vrbano ann. 1262. cùm annis sex præfuisset, plus, minusve, Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentij in Lucina creatus est. In qua dignitate à Clemente IV. in Galliam primùm, mox in Daniam, Sueuiam, Noruegiam, Saxoniam, & in omnem Germaniam cum potestate Legati à latere missus: inter quæ etiam

etiam Concilium Viennæ celebrat, quod extat inter alia. Tandem obiit sub Gregorio Papa X. anno 1273. Lugduni in Concilio generali, ex peste, vt ait Ciaconius. In Martyrologio Ecclesiæ Cisterciensis, quod transcripsit Robertus, ann. 1172. 13. Kalendas Iunij migrasse dicitur. Distichon ei subiectum ita habet.

Guido sequens, altos penetrabat acumine cœlos,
Collegio fratrum sociauit pileus illum.

XXV.

IACOBVS II.

Electus ann. 1262. sed, vt præsumebatur, minus canonicè: quippe à Priore Ecclesiæ Cisterciensis, non eitatis, neque expectatis quatuor primis Abbatibus, ad quos ex præscripto chartæ charitatis præsidere Cistercio, atque electionem dirigere spectabat, ingentis in Ordine scissuræ, nec leuis dissensionis occasio fuit: allegantibus eisdem quatuor Præsulibus irritam electionem: e contrà verò Priore, Monachisque, pro eadem certantibus. Totius litis initium ex Claravalle, ad cuius Abbatem extant plures litteræ manutentionis, & exemptionis ab Abbate Cistercij, & à Capitulo generali, quandiu penderet lis, quæ integrum triennium perdurauit, &c, quod mireris, litteras extorsit (adeò nocere valent lites domesticæ) de Cisterciensis Ordinis, cùm adhuc inconuulsus in primitiua obseruantia permaneret, per iudices externos (quis id credere posset?) visitatione. Tandem ann. 1265. renunciauit (spontè, an iussus? dubium:) vt pax dudum turbata reformaretur. quo & Clemens III. recèns assumptus, primis Abbatibus cunctis ad se vocatis, dissensiones composuit, & super omnia dubia, quæ plurima, seu reuerà emerserunt, siue palliandæ sub reformationis nomine liti prætendebantur, declarauit: edita Clementina, quæ inter alia priuilegia Cistercij, vel magis inter eius leges circumfertur. Laboriosum aliàs. Iacobi tempus illustrauit festiuitas venerabilis Eucharistiæ, quam Cisterciensi Virgini Iulianæ iam dudum reuelatam, & per ipsam promotam apud Leodinm Vrbanus Papa IV. promulgauit per vniuersam Ecclesiam celebrandam. Iacobum hunc ab Abbatum serie sunt, qui excludant, occasione prædicta, vnde eius successor ab aliquibus numero vigesimus quintus Abbas commemoratur. Habet tamen distichon proprium, sicut & cæteri, neque inhonorificum, & in quo commenderur ipsius pietas.

Decertat Iacobus Christo pietate placere,
Doctrinis valde tritus cœlestibus ipse.

XXVI. aliis XXV.

IOANNES I.

Electus ann. 1265. Indulta multa à Clemente Papa obtinet, atque omnium dubiorum, quæ hactenus emersissent, & ordinem turbassent, declarationem. Cùm Cistercium multo ære alieno repetisset oppressum ferè viginti millium librarum Turonensium (vt idem Clemens Papa testatum habet) ab eodem obtinuit: vt quatuor millia tantùm annuatim solueret, cessantibus interim vsuris. Quo efficaci adhibito remedio, & longa parsimonia, tandem effecit, vt & omne æs alienum integrè soluere, & Cistercium muro è lapide coctili per ambitum cingere, & duo millia librarum Turonensium in thesauro relinquere potuerit, vt habet Catalogus Abbatum Claræuallensium. Anniuersaria celebranda instituit singulis mensibus (leuando oneri hactenus concessorum, quæ nimium creuerant) edita lege ann. 1273. quæ hodieque inconcussa perseuerat, cùm antea 1269. anniuersarium Abbatum instituisset. Rodulphi primi, Romanorum Imperatoris, recèns electi, de sua promotione litteras suscipit, ann. 1274. cui eleganter rescribit. Apud Ioannem Seifridum Zvvetellensem. Quo tempore S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, in Monasterio Fossæ nouæ migrans, atque ibidem sepultus, Cisterciensem familiam illustrauit. A Gregorio X. omnimodam, & plenam exemptionem decimarum obtinet, ann. 1275. Herbipolense Collegium per Abbatem Ebracensem fundari procurat, ann. 1282. Fundatorem confirmat, ann. 1284. & eisdem, quibus Parisiense gaudet, indultis donat, teste Bruschio. Tandem ipse, 19. exactis in præfectura, feliciter obdormit eodem anno. Sepultus in Capitulo sub hoc epitaphio. *Anno Domini* 1284. 7. *Idus Octobris, obiit Dominus Ioannes XXV. Abbas Cistercij: cuius anima requiescat in pace. Amen.* Versus:

Post

Pôst installatur intus persona Ioannis:
Ponderibus magnis per eum domus exoneratur.

XXVII. aliis XXVI.

THEOBALDVS.

Electus anno 1284. Nicolai IV. de sua promotione litteras suscipit, ann. 1288. Ab eodem quatuor priuilegia paucos intra menses obtinet. Et celebre Monasterium S. Dionysij Parisiensis visitare iubetur, ann. 1289. Iterum priuilegia non leuia impetrat pro se, & pro quatuor primis Abbatibus, ann. 1290. & 1291. pro toto Ordine. Cuius tempore (ait Ægidius de Roma) floruit Magister Ioannes de VVardo, Monachus Dunensis, primus Licentiatus Parisius in Theologia, de Ordine Cisterciensi. Haud leui tamen sub eius præfectura afflictatum incommodo doluit totum Cistercium, ingemuitque, tunc primùm passum ingentem exactionem pro recuperatione Terræ sanctæ centum mille librarum, cùm hactenus, aut nullis, aut leuioribus saltem obnoxium fuisset. Tandem ann. 1293. sub initium illius, sanctè obdormit. Sepultus in Capitulo sub hac inscriptione. *Anno 1293. 4. Idus Ianuarij, obiit Dominus Theobaldus, 26. Abbas Cisterij: cuius anima requiescat in pace.* Versus.

Lumbis succinctus, lampasque micans Theobaldus,
Pulchrior ex mille post hunc intrauit ouile.

XXVIII. aliis XXVII.

ROBERTVS II.

Electus anno 1293. Cuius tempore in Cistercio floruit Alanus, cognomento vniuersalis ob omnigenam sapientiam, quam tamen sub humili habitu Conuersi occultauit quandiu potuit. Ad eius tumulum Epitaphium tale cernitur.

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile sciuit.
Labentis sæcli contemptis rebus, egens fit
Intus, Conuersus gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo deuotus mortales exuit artus.

A Bonifacio obtinuit priuilegium pro oblationibus, ann. 1294. quo ipso à Cœlestino V. Presbyter Cardinalis S. Prudentianæ, titulo Pastoris, Neapoli creatus est, vt habet Ciaconius. Et anno 1305. mense Augusto mortuus Parmæ, atque in Ecclesia S. Martini Ordinis Cisterciensis sepultus. Versus.

Hinc grex Robertum cæpit, vitâ speciosum;
Cui Romana dedit rubeum pôst Curia sertum.

Ab Ecclesia S. Martini prope Parmam Cistercium pôst translatus, in choro ad sinistram partem maioris Aræ sepulchrum eius visitur cum tali Epitaphio.

Quàm sit homo fragilis, mortales discite cuncti:
Quàmque breui cursu, natura debita soluens,
Occubuit: velut hic, quondam præclarus in Orbe,
Robertus, domus Pastor qui præfuit isti.
Cardinis officio pro munere postea fungens
Italia pago Parma cadit, hic tumulatur,
Annis mille semel, centum ter, quinqueque lapsis;
Quem tulit è medio Deus, hunc det viuere cælo.

XXIX. aliis XXVIII.

RVFINVS.

Electus ann. 1294 Cuius tempore, ann. 1295. statutum est, vt Octaua S. Bernardi per totum Ordinem cum duodecim lectionibus celebretur: permissumque (quod inauditum hactenus) vt Monachi, & Abbates sine cucullis possent equitare. Appellationes, nouis priuilegiis à Bonifacio indultis, relegauit ab Ordine, anno 1296. & 1297. quo memoratur in litteris Bonifacij Papæ VIII. datis Romæ apud S. Petrum, Pontificatus ipsius anno 3. Sequenti mortuus, & sepultus in Capitulo sub hoc Epitaphio.

Domini

Domini Rufini iacet istic corpus humatum,
Quem virtus Domini faciat super astra beatum.
His bis bis septennus Abbas, charismate plenus,
Exiit è membris extrema luce Nouembris.
Cùm ter C. D. bis, minus I. capies, & habebis
Sic annos Christi, cùm viuere desiit isti. 1229.

In metrico Catalogo Abbatum hos proprio nomini versus subscriptos habet.

Hinc domus hæc viguit sub Rufini ditione,
Qui fama nituit præ cunctis hac regione.

XXX. aliis XXIX.

IOANNES II.

Dictus de Pontisara, ex Abbate Mortui maris, & Igniaci, vt aliqui volunt, electus anno 1299. Memoratur in instrumento vrbis Diuionensis, anno 1300. Sequenti 1331. Calatrauæ Magistrum iniustè depositum, ad Capitulum generale appellantem benignè audit; auditumque, & iustitiæ manifestum per Abbatem Bethaniæ restitui facit. In Conuentu Parisiensi Philippo, Francorum Regi, in Bonifacium rebelli solus resistit. Apud Bzouium *anno* 1303. Ob quod ab ipso Lutetiæ detinetur. *In tomo 3. Conciliorum.* Sequenti 1304. (ait continuator Guillelmi de Nangis) *sua Ecclesia, & aliarum per orbem, regimen sponte dimisit; ob hoc videlicet (vt dicebat) quia occasione sui, per Regem Franciæ, & eius Satellites, ingens Cistercio detrimentum imminebat, eò quòd appellationibus, contra Papam factis Parisiis, consentire noluerit.* Non constat adhuc quandiu superuixerit: nisi quòd in Capitulo sepultus mense Octobri. Atque en eius versus.

Hos sequitur Patres celebrandus laude Ioannes,
Mansuetudo bonis, fulgurque tonans sceleratis.

Eius tempore prima incidit mentio excommunicationis ferendæ in proprietarios Dominica in Ramis Palmarum per annos singulos, edita lege, an. 1300. sed quæ iam antea introductam consuetudinem supponere magis videtur, quàm introducere.

XXXI. aliis XXX.

HENRICVS.

Ex Abbate Ioiaci electus an. 1304. quo ipso à Philippo, Francorum Rege (fortè in odium sui prædecessoris) dilectus, & fidelis sibi vocatus, donatur priuilegio, quod inter Regia, quæ vulgò circumferuntur, primum locum obtinet. A Clemente V. specialiter vocatur ad Concilium Viennense eleganti epistola, quæ habetur ante Concilium, anno 1310. In Concilio, dum Bonifacij octaui, iam defuncti, memoriæ consulit; aduersùs Philippum, antecessoris sui constantiam sequitur. Ab eodem Clemente priuilegia non leuia obtinet, inter illud relatum in corpus iuris, quod habetur in Clement. *Ad nostrum 2. de censibus, exactionib. & procurat.* Tandem an. 1315. 5. Kalendas Augusti piè dormit, sepultus in Capitulo sub hoc Epitaphio.

Abbas Henricus istic requiescit humatus,
Moribus ornatus dum vixit, pacis amicus.
Nazarij festo cum fine quieuit honesto,
Anno milleno tercentum, tres cum duodeno.
Sedem pacis ei donet Deus, & requiei. Amen.

In Chronico hos versus habet.

Post hunc Henricus cessit, senio quia plenus;
Mundi contemptor, verus Deitatis amator.

Eius tempore, aut circà (nam annus dubius) pluuialia Abbatibus in actibus solemnibus, & ministris Dalmaticæ, sed Abbatibus duntaxat celebrantibus, permissæ sunt.

XXXII. aliis XXXI.

GVILLELMVS IV.

Dictus de Valcellis, electus anno 1315. Sequenti 1316. (aliis 1318. libellum diffinitionum edidit, in quindecim partium distinctiones, quas & à Ioanne XXII. confirmari impetrauit. Commemorationes Beatæ Virginis, cui summè addictus erat, in horis singulis, tam maioris officij, quàm minoris, recitari instituit, anno 1317. quo & in detestationem homicidij vir mansuetissimus notabilem in Cistercio legem promulgat: *vt nullus, qui ab homicida trahat originem vsque ad quintam generationem,*

in Ordine posset admitti. Festum institutionis Eucharistiæ, dudum per Cisterciensem Sanctimonialem in Ecclesiam promotum, sed hactenus à Cistercio prætermissum, celebrari mandauit, anno 1319. Alcantaræ Magistrum Rodericum Vazquesium, seu Velazquesium, à depositionis sententia ad ipsum in Capitulo generali appellantem, ad Abbatem Morimundi remisit, velut ad proprium iudicem, an. 1318. quo & ex bonis Templariorum, extinctorum à Clemente V. duplex sacra militia Cistercio accreuit: altera in regnis Valentiæ, & Aragoniæ, ex loco, de Montesa nuncupata: altera in Lusitania sub Iesu Christi fausta aduocatione. Atque prima religiosis laicis, ex Ordine S. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, à suprema eius administratione, quam per centum iam fermè annos tenuerant, recens amotis, & Sacerdotibus parêre recusantibus opportunum, & aptum refugium fuit. Incœpit sub Magistro Calatrauæ in Militaribus: in cæteris sub Abbate sanctarum Crucium; à quo & Priorem Monachum accipiunt, quod hodieque inconcussum perseuerat. Ex eisdem etiam bonis in regnis Castellæ illustre Monasterium Huelguense apud Vallisoletum initium habuit, an. 1320. Triennio pòst, depositum per iniuriam summam potentia Regiâ Calatrauæ Magistrum, atque appellantem ad generalem Cistercij Synodum: primùm per Abbatem Montis salutis, quandiu non potuit venire Morimundensis: mox per ipsum Abbatem Morimundi restitui facit. Apud Rades de Andrade *cap.* 26. Eiusdem etiam Guillelmi Abbatis tempore (nam duobus, & viginti præfuit annis.) Iacobus Fornerius, Monachus Bolbonæ, in Pontificem Benedictum XII. assumptus est, anno 1334. ingenti totius Ecclesiæ gratulatione. quo ipso anno prodiit Benedictina pro Cistercij incrementis, &, si quod forte à principio declinauisset, Instauratione. Biennio pòst, Collegium Parisiense, quod hactenus fuisset Claræuallis, ab eodem Pontifice ædificari cœpit pro vniuerso Cistercio. Apud Iacobum de Breul *in suo Theatro antiquitatum Parisiensium.* Obtinuit Guillelmus à Ioanne XXII. plura indulta; nec pauca à Benedicto. Ex quibus aliqua extracta ad corpus iuris in Extrauag. *Cùm nonnulla* 11. *de præbend. & dignitatib.* & in Extrauag. *Vas electionis de censibus, & procurationibus.* Tandem anno 1337. appositus est ad Patres suos, pridie Idus Februarij. Sepultus in Capitulo sub hoc Epitaphio. *Anno Domini* 1337. *pridie Idus February, obiit Dominus Guillelmus de Valcellis,* 31. *Abbas Cistercij.* Versus in Chronico.

Abbas Guillelmus, lux, & iubar Ordinis huius,
Micare in cœlis satagebat mente fidelis.

XXXIII. aliis XXXII.

IOANNES III.

Electus anno 1337. quem à Ioanne de Rubeo monte distinguit Claudius Robertus: & nihilominus, siue vnum, siue duos, breui decessisse argumento est, quòd illius, siue vtriusque successor, alter Ioannes, obiisse dicitur an. 1359. cùm viginti, & duobus annis præfuisset. Qui trigesimo tertio loco clauum tenuit, genere nobilem subscripti versus probant.

Insignit virtus, & stirps generosa Ioannem,
Qui fuit amplexus post hunc Pastoris honorem.

XXXIV. aliis XXXIII.

IOANNES IV.

Dictus de Andenaio, aliis de Chaumenaio: cuius præfecturam Benedictus Papa XII. fœliciorem fecisset, si non post quatuor annos funestasset, mortuus anno 1343. quo & Ioannes de Mercuria, post Ioachimum, ex Cistercio primus, fermè & vltimus malæ auspicatæ sapientiæ pœnas luit; propalatis erroribus, quos tamen humilis postea retractauit, anno 1347. *Tomo* 14. *Bibliotheca Coloniensis.* Ante triennium obierat Cistercij Magister Nicolaus de Montesalione, eiusdem domus Monachus, Sacræ Theologiæ Doctor famosissimus, (sic enim sepulchro eius scriptum legitur. Nec multo pòst cœpit grassari pestis, quæ tamen, post domestica dissidia, prima Cisterciensis occasus occasio fuit. In Catalonia adeò grauiter desæuiit circa annum 1348. vt breui spatio Populeti Abbates duos, Monachos 59. (sic produnt Tabulæ) conuersos 30. sustulerit. Ea postea Galliam inuadente, cùm multis præ defectu Monachorum subiacerent iniuriis Ecclesiæ Ordinis; conseruatores impetrare visum, quos Clemens VI. ad instantiam Ioannis concessit, anno 1351. Sed qui fortasse per continuas lites maiori oneri fuerunt, quàm

quàm adiutorio. Conſtat communes expenſas quinquennio pòſt in tantum excreuiſſe, vt niſi tres Eccleſiæ, quæ fortè tunc præ aliis abundabant, Ciſtercium, Firmitas, Claravalliſque, cæteris ſubueniſſent, accepta ad Cambium pecunia neceſſaria, breui minarentur ruinam cæteræ Domus. Manſit tamen obſtricta tota familia tribus illis Eccleſiis, pro octo ducatorum acceptis millibus (ingens ſumma eo tempore,) & pro eorum redditibus facta ad quinque pro centum computatione. Hæc omnia vidit Ioannes, doluitque: & tandem minus felici, quàm longa præfectura functus migrauit, an. 1359. cùm anno 1350. Nouellas, vt vocamus, id eſt, diffinitiones recentiores, in vnum tomum collectas euulgaſſet; atque alia opera edidiſſet non contemnenda, quæ hodieque extare tradit Philippus Seguinus in Bibliotheca. Sepultus in Capitulo cum tali inſcriptione. *Hic iacet veneranda memoria vir, moribus, & genere nobilis, Dominus Ioannes de Chaumenaio, ſacræ Theologiæ Profeſſor, & huius Monaſterij 33. Abbas, qui obiit anno Domini 1359. anima eius lucem, & requiem obtineat Beatorum.* Diſtichon illi.

Hinc altus radiat meritorum luce Ioannes,
Iamque metens ſurſum, quæ ſparſit ſtando deorſum.

XXXV. aliis XXXIV.

IOANNES V.

Dictus de Aruernia, aliàs de Bugeriis, Lemouicenſis, ex Abbate Claræuallis 32. electus anno 1359. ſæuientibus per Europam bellis inter Chriſtianos (quæ tertia Ciſterciensis ruinæ cauſa, nec leuior) obtinuit ab Vrbano Papa V. priuilegium pro erigendis altaribus in Arcibus, aut Caſtris, ad quæ Monachi fugerent, anno 1363. Huic primùm à Capitulo generali conceſſa poteſtas viſitandi, & reformandi Cœnobia per totum Orbem, multarum poſtea in Ciſtercio diſcordiarum occaſio fuit; arrogantibus ſibi ſucceſſoribus eandem poteſtatem, & conquerentibus Patribus Abbatibus, quòd propria in filias fraudarentur iuriſdictione. Eundem Vrbanum affectu Ciſtercienſem ſemper expertus, adeò, vt, cùm ex Auenione Romam versùs, Genuam perueniſſet, ibique in Monaſterio Ciſtercienſi per tres dies, plus, minúſve moram faceret; nobiles Vrbis, eidem conciliando, veſtibus albis, ad inſtar Ciſtercienſium, induerentur. Apud Iuſtinianum *in Hiſtoria Genuenſium*; anno 1367. Poſt duodecim annos præfecturæ à Gregorio II. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentij in Lucina creatus eſt, anno 1371. cuius Ciacconius, & alij meminere. Obiiſſe dicitur Diuione triennio pòſt, nempe 1374. 17. Kalendas Maij. Corpus eius Claramvallem delatum lego, vbi inter ſanctum Bernardum, & ſanctorum Martyres, Eutropium, Zozimam, atque Bonoſam, ſub arcu lapideo ſine vlla inſcriptione ſepultum eſt, vt habet liber obituum Claræuallis. In Ciſtercio hi verſus de ipſo manent.

Nominis eiuſdem capit alter poſtea ſedem;
Officio meruit ſumpto de Cardine fungi.

XXXVI. aliis XXXV.

GERARDVS.

Electus anno 1371. *Confirmauit* (ait Robertus Claudius) *Ioannem de Baubineio, & Ioannem Calerium, Decanos ſanctæ Capellæ Diuionenſis; hunc 7. Februarij, anno 1375. illum 21. Septembris* 1379. Vltimam, eamque vrgentiorem cæteris aliis, Ciſtercienſis ruinæ cauſam vidit, & doluit; cùm Eccleſia diuiſa per longum ſchiſma, & Pontificibus veris, an intruſis, exercendæ potentiæ cuncta largientibus, Monaſteria potuerunt ambientium prædæ: & quæ paulò antè commendæ in defenſionem; in proprios obtinentium vſus datæ, in beneficia ſimplicia tranſierunt: licèt eum onere alendorum fratrum, quos quando quis, aut numero pauciores, aut ſolutiores moribus habebat, tantò minori impendio ſuſtentabat. Gerardi iuſſu, eruditè ſatis ſcripſit contra commendas: nec minus acriter inſignis ille Doctor Arnoldus, Veteris montis Abbas, qui ab vniuerſis Germaniæ Academiis dicitur Nominales relegaſſe, opere Sixto IV. dicato, ſub hoc initio. *Commenda eſt Vipera, ſanctæ matris Eccleſiæ viſcera rumpens*, &c. Reliqua eius obſcura ſub hoc turbine; niſi quòd ab eodem Roberto Claudio obiiſſe dicitur Pariſiis, 7. Idus Iulij, anno 1389. Sepultus in Eccleſia Collegij Ciſtercienſis eiuſdem vrbis, ſine aliqua inſcriptione, niſi memoriæ fallunt. Sed in Ciſtercio ſequentes verſus habet.

Spirans, vt nardus, morum probitate Gerardus,
Hinc pastorali post hunc successit honori.

XXXVII. aliis XXXVI.

IACOBVS III.

Dictus de Flagniaco, aliàs de Florigniaco, ex Abbate Bonævallis, & Pontigniaci electus, ann. 1389. Eius tempore, an. 1394. Domus sancti Iacobi extra muros Heidelbergenses, ad Ebraeum spectans, in Collegium Monachorum Ordinis Cisterciensis conuersa est. *Apud Gasparem Bruschium.* Et hebdomada, vt vocant, pro defunctis introducta, ann. 1396. ad supplendas negligentias anniuersariorum, quo item ann. 1398. Martinus, Aragonensium Rex, Petrensi Monasterio, iuxta fines Castellæ constituto, ingens contulit donum, species panis consecratas à Sacerdote, dum dubitat de veritate transubstantiationis, versas in carnem; quæ hodie perseuerant claræ miraculis; & frequentantur ab vtriusque regni fidelibus. Tenuit clauum Iacobus in Cistercio sub ingruenti commendarum turbine, pensionumque; quæ etiam commendatariis, de bonis Ecclesiarum soluendæ, imponebantur, vsque ad annum 1405. quo mortuus, in Capitulo Cisterciensi sepultus est, sub hoc Epitaphio, seriem vitæ illius ita breuiante. *Hic iacet memoriâ dignus, religionis forma, deuotionis exemplar, Dominus Iacobus de Florigniaco, professus, & deinde Cellerarius huius Monasterij, & Prouisor S. Bernardi Parisiensis, & successiuè Monasteriorum Bonævallis Viennensis, Pontigniaci, Antissiodorensis, diœcesum. Demum Monasterij Cisterciensis Abbas, vbi præfuit annis 15. & menses 8. Migrauit autem 18. Aprilis, anno 1405.* Ibidem inter alios hos habet versus.

Splendidior sole Iacobus, pòst intrat ouile,
Latrans post vitia, faustus contempsit, & alta.

XXXVIII. aliis XXXVII.

IOANNES VI.

Dictus de Martiniaco, ex Abbate Morimundi, & Claræuallis assumptus, anno 1405. Pendente lite inter Calatrauenses super vero Magistro, & per appellationem deuolutâ ad Romanum Pontificem, integra illi causa remissa est, ann. 1415. in generali Capitulo iudicanda. Apud Rades *cap* 33. Adeò vel iam tunc occidens Cistercium ipsi Christi Vicarij suspiciebant. A Ioanne XXII. multa obtinuit, specialiter, ne Monachi, aut Conuersi, qui siue ab ipso, siue in Cardinalibus in familiares, siue in Capellanos assumebantur, ab Ordinis obedientia essent immunes. Interfuit sacro Concilio Constantiensi pro se, & toto Ordine; in quo & cum duobus Cardinalibus, & vno Episcopo, examinandæ doctrinæ Ioannis VViclephi, Ioannis de Hus, & complicium, cum plena potestate præfectus est, ann. 1416. *Tomo 3. Conciliorum.* Multa per se, & per Abbates; Claræuallis, Ambasiatorem Ecclesiæ Gallicanæ; Pontigniacensem Legatum à Concilio ad regnum Scotiæ, de Runa Ambasiatorem Archiducis Austriæ; de Precibus, & alios, sed præcipuè per Matthæum Aulæ Regiæ, fecit contra Hussitas. Cistercio indulta à summis Pontificibus, Principibusque, cuncta confirmauit, ann. 1417. & 1419. (ait Dialogus *de prosp. & aduers. statu Ordinis*,) *incorporauit Collegium Cracouiense Ordini Cisterciensi.* Eius tempore In Bohemia, Poloniaque, multi Martyrum Cunei illustrarunt Cistercium, coronatis per manus impiorum Ecclesiis integris, cum Abbatibus, Monachis, Conuersis, qui pati prælegerunt, quàm dogmatibus falsis maculari. In Hispania Obseruantia vigere cœpit industriâ venerandi viri Martini de Vargas, qui anno 1424. auctoritate Martini Papæ V. atque Ioannis, Castellæ Regis, fauore; primam in Cistercio instituit reformandorum Cœnobiorum Congregationem: Commendatariis Abbatibus paulatim electis: & quod eatenus prorsus inauditum, penè tunc pro portento habitum fuit, triennalibus inuentis, quos tamen ad reformationem vtiles non multo pòst experientia ipsa compertos aliæ Congregationes vsurparunt. Auctor Dialogi *de prosp. & aduerso statu Ordinis*, hanc inter aduersitates Cistercij numerat, sed cui parcendum censet, quòd eo medio commendas relegauerit. Ioannes demùm anno 1428. defunctus, in Capitulo Cistercij sepultus est sub hoc Epitaphio.

Hic iacet in cineres, de Martiniaco Ioannes,
Doctor Theologus, virtutum culmine clarus,
In Morimundo præfuit Abbas, Claraque valle,

Hinc

Hinc superans rexit Cistercium sex quater annis.
Anno milleno, centeno quadruplicato,
X. triplicato; sed bis vno inde remoto;
Columbani die Pater hic de corpore migrat.
Sit tibi vita Deus, qui regnat trinus, & vnus.

Io Catalogo Abbatum hos habet versus.

Post hunc rexit oues Pastorum forma Ioannes,
Lux Synodi sacrae, Papali dignus honore.

XXXIX. aliis XXXVIII.

IOANNES VII.

Dictus de Alneto, suæ, vt creditur, Cœnobio professionis, ex Abbate Vrsicampi electus an. 1428. Concilij Basilieosis, cui tam pro suo Ordine, quàm nomioe almæ Parisiensis Academiæ, interfuit, magna pars: quippe in quo & solus Orator ad Bohemos, à Ioanoe de Ragusia Dominicano multum laudatus, & cum duobus doctissimis Episcopis deputatus est iudex in causis fidei. Neque pauciora per suos, quàm per seipsum; oimirum per Abbates Eberbachensem, & Lankenheimiensem, sacri Concilij ouotios; per Thomam Dundreneosem, voum, & primum ex trigiota duobus viris, in quos idem Concilium compromisit. Demom per Ioannem Gelhusium Mulbrunensem, quem voeauere Patres, *quòd eo, propter dexteritatem ingenij, & regionum, ac rerum experientiam, multùm egerent ad Concilij legationes.* Ab eadem Syoodo priuilegia multa obtiouit, an. 1433. & præcipuè, sed frustrà, cootrà commendas, an. 1435. quarum etiam cum clausula irritante prohibitionem promulgauit Eugenius Papa, ao. 1438. sed, quod mireris, easdem ipse expedieos; quippe quæsito colore quòd non reformarentur, inoumera Cœnobia commendauit. Demum Ioannes an. 1440. desperato remedio, defunctus est, & in Capitulo Cistercij cum aliis conditus, inciso lapide Epitaphio, vetustate corroso, & quod noo potuit iotegrè transcribi.

Virtutum specimen claudit lapis iste Ioannem,
Quem tumulo.... mors mersit acerbo;
Alnetum genuit: sed Elancium rutilat eius
Exemplo; Gardus regitur, post Vrsicampus.
Huic Patri Vndenuis Cistercium subditur annis.
Mille quadringenta quadraginta tunc fuit annus,
Cùm Pater hic migrat, & Aprilis tresque Kalenda.
Sit sibi cum superis requies aeterna laboris.

Versus sic habent.

Hinc alius cœlebs, plenus grauitate, Ioannes,
Lux Pralatorum, vox, & tuba Conciliorum.

Eius tempore, an. 1437. communio sub vtraque specie, quæ hactenus ministris concedebatur, sublata penitus; ne in re grauissima ab Ecclesiæ Romanæ vsu recederemus. Præceptumque, vt in eleuatione hostiæ, quicuoque choro assistebant, genoa flecterent, cum hactenus (quod fortè sine exemplo) staotes adorare soliti essent. Eiusdem etiam cura pronisum est; vt pro Abbate Cistercij, cùm decederet, exequiæ, & sacrificia conuentualia in vniuersis Ordiois Ecclesiis celebrarentur: id, quod pariformiter de quatuor primis Abbatibus in suis generationibus, quio & de omoibus, qui Ecclesias filias haberent, proportione seruata, cautum legitur. Cùm dudum antecessores eius laborassent pro abstioeotia à carnibus, iuxta præscriptum regulæ seruanda; & graues super hoc leges condidisseot; ipse tandem malitiæ temporum cedeos, primus indulsit: *vt si Abbatibus, & Abbatissis visum fuerit expedire, tertia pars Conuentus ad sustentationem, & reparationem debilium, & aegrotorum, carnibus vteretur, temporibus, diebus, locis, & horis debitis.* Quæ tameo indulgentia semel admissa, quin vltrà gliscerer, non de facili potuit reuocari.

XL. aliis XXXIX.

IOANNES VIII.

Dictus de Vion, laudatus in Dialogo *de prospero & aduerso statu Ordinis*, *part. 2. cap. 52.* Ex Prouisore Collegij Parisiensis electus anno 1440. Sequenti 1441. omoimoda totius Ordinis visitatio, & reformatio in Capitulo generali illi committitur. Eugenij IV. grauem, loogamque epistolam suscipit, anno 1144. iocrepans, arguens,

arguens, obsecrans, vt antiquam restituere curet Cistercij faciem. Verùm sub sæcularibus Abbatibus, Monasteriis oppressis magna ex parte, nec Prælatis præcipere, nec subditis obedire liberum erat: & facili ab his ad alia transitu, atque prauis exemplis, etiam non commeodata relaxabantur. Eodem anno, primum Cisterciense Breuiarium typis excusum: & Magistri instituti, post sex Abbates (nam quatuor primis duo alij superadditi, Pruliacensis, & Sauigniacensis) reliquos omnes, vbicunque conuenianr, præcessuri. Remittit Ordini redditus duûm millium ducatorum, quæ illi in censum dederat Cistercium, an. 1356. & idem Firmitatem, & Claramvallem facere procurat. Apud authorem Dialogi *par. 2. cap. 20.* Ad reformationem iterum (sed integra semper laxamenti præcipua causa, imò in dies crescente) exhortatur à Nicolao Papa V. an. 1448. concessa illi, & quatuor primis Abbatibus ampla potestate: cùm interim non solùm Monasteria vacantia, sed etiam vacatura (quod affirmat Calixtus Papa III.) neque vni tantùm, sed multis, vt litigarent, & pensionibus pactis conuenirent, prauo ingenio Curialium commendarentur. Demum Ioannes prouinciæ, aut sibi arduæ, aût omninò impossibili (certè supra eius humeros) succombens, cùm præfuisset annis 19. decessit an. 1458. sepultus inter alios in Capitulo sub hoc Epitaphio. *Hic iacet bona memoria Dominus Ioannes Vion de Quireto, in Monte oriundus, quondam Monachus Cistercij, Bachalaureus in Theologia formatus: primò Cellerarius Collegij S. Bernardi Parisiensis; deinde Prouisor: postremò Abbas huius Monasterij, quod 18 annis, & 8. mensibus laudabiliter rexit Migrauit à sæculo 25. Nouembris, anno* 1458. In Catalogo Abbatum hos habet versus.

Aureus hinc Pastor gregis intentus speculator,
Fulsit ad alta dies, pius, arridensque Ioannes.

X L I. aliis X L.

GVIDO IV.

Dictus de Edua, patriâ Senonensis; ex Abbate Catoliloci, & Pontigniaci electus, anno 1458. quo ipso impetrat à Calixto Papa III. omnium commendarum, earenus concessarum, reuocationem: sed earum multis detentis per Cardinales, aliis fauore Principum imperare, quàm exequi, breuis vitæ Pontifici faciliùs fuit. Sequenti anno, à Pio Papa II. eiusdem reuocationis confirmationem extorquet; sed desperato effectu, leges saltem, quibus commendatarij parêre debeant, & iuxta quas Cœnobiis suis prouideant, petit, & impetrat. Quin anno 1461. eisdem coërcendis potestate donatur; sed quæ frustrata eorum exemptionibus, lites, & iurgia, quàm remedia, faciliùs tulit. Demum, cùm annos 3. & menses 7. nec sine fructu omnino laborasset, 6 Kalendas Iulij, an. 1462. obiit, & cum aliis sepultus, hac inscriptione conseruat sui memoriam. *Hic iacet Dominus Guido de Edua, Monachus quondam de Fontaneto, Bachalaureus in Theologia Parisius formatus, qui primò fuit Abbas Caroliloci, deinde Pontigniaci; postremò autem huius Ecclesiæ, quam laudabiliter rexit tribus annis, & septem mensibus. Obiit anno* 1462. 26. *Iulij. Requiescat in pace.* Guidonis tempore (nam id obiter dicam) ad Superos migrauit S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus; qui post laudatos antiquos Cistercij Patres, filios per laxamenta factos inutiles aut dolet, aut exprobrat. Cui Cassanæus, & alij satisfaciunt. Sed efficaciùs respondisse Deus videtur, dum prima reuelatio de eius gloria Cisterciensi Conuerso de cœlo facta, primus pro eius canonizatione testis ex Cistercio præ aliis quæsitus fuit. In vita eius apud Surium *mense Maio.* Vt & nostri pro probro laudes redderent, & Sanctus ipse in cœlis experiretur, non vsque adeò inutile Cistercium, vt non Ecclesiæ, & sibi vtile foret. Guidonis versus in Catalogo Abbatum sunt, qui sequuntur.

Guido deuotus Senonum de gente creatus,
Præcipiti cursu mortales transfigit annos.

X L I I. aliis X L I.

HIMBERTVS.

Dictus de Lona, ex Abbate Morimundi electus anno 1462. Sequenti 1463. Antiphonam *Salue Regina*, post Completorium in vniuersis Ordinis Ecclesiis Cantari iubet. Præsentata coram Sixto IV. humili petitione, fatetur, & dolet, Cisterciensem familiam, *quæ adeò per vniuersa mundi climata floruisset, ab aliquibus annis*

propter

propter guerrarum turbines, & commendas de eius Monasteriis, extraneis factas, conuersam esse in ruinam, & desolationem, & miseram pati iacturam. Indultum tamen pro frequentatione Capituli generalis impetrauit, nihil non tentans, si quominus desperato malo mederi posset. Sed sæcolares Capitulum adire, nec facile, neque vtile, & Cistercienses viri (si qui remanserant) frustrà leges condebant non obseruandas. Legitur tamen celebrasse Capitulum ann. 1469. incertum quo fructu. In Dialogo *de prosp. & aduers. statu Ordinis.* ann. 1468. coactum dicitur, sed (quod fortassis catenus non visum) nullo assistente ex quatuor primis Abbatibus. Idem Himbertus (apud Robertum Claudium in catalogo Episcoporum Cabilonensium) ad Carolum IX. Ducem pro tribus Ordinibus Burgundiæ Legatus mittitur. Rursumque ad Galliæ Regem. Apud Ægidium de Roya *in suo Chronico.* Ad instantiam Abbatum congregatorum Romam profectus ann. 1473. coram Pontifice, Cardinalibusque, adeò acriter perorauit contra commendas, vt lachrymas extorsisse dicatur ab omnium oculis: sed lachrymas tantùm, & quædam priuilegia, cautionesque, quas nullus, aut exiguus fructus sequutus legitur. Demum, cum annis 14. præfuisset, & plura opuscula, eruditione plena, doctrinaque, quæ Seguinus recenset, dedisset in lucem, viribus pariter, & sumptibus exhaustus, decessit Romæ 7. Kalendas Aprilis ann. 1476. Errat Robertus sex annos illi demens, nam ex instrumento Septimiano, cuius authenticum transsumptum apud me habeo, apparet produxisse vitam ad annum 1474. quo 10. Kalendas Septembris illi subscribit. Et anno 1475. priuilegia obtinuit à Sixto IV. Sequenti verò 1476. appellatur bonæ memoriæ, cùm tunc recèns ad Superos transiisset. Eius tempore, commendatum pestis, quæ hactenus Angliæ, Scotiæque pepercerat, eam insulam inuasit, & Monasteria, ex bellis deformata, abs spe abiecit alicuius reformationis. Sepultus est Himbertus in Ecclesia S. Sebastiani ad Catecumbas Ordinis Cisterciensis, vbi, an Epitaphium habeat, ignoro. Inter Abbates versus illi subsunt.

Himberto Lona dedit ortum, Roma sepulchrum;
Quem lux ingenij, sermoque disertus adornant.

XLIII. aliis XLII.

IOANNES IX.

Dictus de Cireio, patriâ Diuionensis, ex Abbate Balernæ, atque Himberti in Romana Curia socio, inuitus ad Cistereij clauum assumptus, ann. 1476. quem massam omnibus virtutibus conditam, & elimatam (vt ait Bonifacius Simoneta *lib. 2. epist. 19.*) Cisterciensi familiæ Deus prouidit perditissimo tempore; cùm res ad eum statum peruenissent, vt Innocentius de Ordine extinguendo, velut prorsus inutili (sic ipse loquitur) à multis Regibus sollicitaretur, quippe dolentibus Commendatariis cedere redditus, quos ipsi ambirent, & forte nostris, quàm esse sub commendis, omninò vltrà non esse, satius foret. Verùm Ioannes eidem Innocentio *ob singulares animi virtutes*, (sic enim ipse ait) *doctrinam, & præclara merita, eximiè charus*; ne rueret Cistereium columna fuit. Multis contra commendas, tum orationibus, tum scriptis disputauit, tam in Romana Curia, quàm coram Regibus, & Principibus Christianis, Aureliaois in prouinciali Synodo, ann. 1477. & 1483. Turone. Demum in Curia coram Innocentio VIII. & Cardinalibus, impetratis non paucis priuilegiis, ann. 1487. & 1489. sed eunctis irritis, cùm Abbatiæ de manibus tenentium, nulla vi, nulla industria elici possent. Quin & ambientium fraudes eò processerant, vt vel ab ipsis Abbatibus, & Monachis periculum instaret non minus graue; dum hi, nunc sæculares, nunc mendicantes postulabant Abbates; illi in fauorem eorumdem resignabant: vt minus Cistercio falsis fratribus, quàm ab extraneis foret præcauendum; quod & ipse præstitit, legibus in vtrumque malum latis, quæ hodieque cum aliis circumferuntur. Inter alia priuilegium illud obtinuit, hactenus in Ecclesia sine exemplo, vt Abbas Cisterciensis, cunctis de Ordine, quatuor primi, suarum linearum Monachis, Ordines Diaconatus, & subdiaconatus conferre possent: quod hodie etiam accipio vsu vigere. Petrum Claræuallis Abbatem rebellem passus, cum Cistercio vsurpatam iurisdictionem, imò & redditus in communes expensas Ordinis, à diuersis collatas, obiecisset, percussit anathemate, ni Regium Parlamentùm appellasset, eum præfectura à censuris absoluendum. Damnauit tamen libellum, ab ipso editum, in Capitulo generali ann. 1482. & 1483. & 1484. atque Parisiis in Regio Parlamento, eùm orasset grauiter, remitti ad Capitulum generale causam obtinuit, per arbitros in ipso Iudicandam. Quo tempore, & occasione huius diuisionis

prodit Dialogus *de prosp. & aduers. statu Ordinis*, quem non semel citamus in his catalogis. A Carolo, Franciæ Rege, priuilegium obtinuit. Pro reformandis Hispaniæ Monasteriis, atque obseruantia recens reformatorum examinanda, ab eodem Innocentio venire iussus ann. 1489 & requisitus à Regibus Hispaniæ, cognomento Catholicis, vt per se, aut per Abbatem Morimundi, Calatrauæ militiam, cui ipsi præsidebant, visitaret, ann. 1491. cùm neque ipse, in aliis occupatus, venire posset, & Abbas Morimundi ad mortem infirmaretur: Abbatem Claræuallis, eundem Petrum, iniurias beneficiis compensans, pro se substituit, atque per ipsum visitatis militiis sacris, tandem cum obseruantibus componit Vallisoleti, ann. 1493. Eius tempore in Hispania itidem cœpit Ordo in honorem Conceptionis Mariæ Virginis per Venerabilem Beatricem, dictam de Sylua, Cisterciensem Monialem: sub quo instituto Ordo est approbatus, miraculo firmante approbationem, quamuis postea defecerit, sub regula S. Claræ, vt vocant, militaturus. Compilauit Ioannes, vulgauitque præcipua Cistercij priuilegia, ann. 1491. quo ipso, Alexandri VI. authoritate, ad instantiam Ludouici, Ducis Mediolanensis, secunda, vt puto, congregatio Cistercij cœpit in prouinciis Tusciæ, & Lombardiæ, commendis integris, quod attinet ad redditus: sed concessis Abbatibus triennalibus, per quos Monastica disciplina, commissa eorum curæ, restitueretur. Hæc, & alia præclara tempore Ioannis: qui tandem senio fractus sponte cessit, ann. 1503. quo etiam sub illius finem sanctè obdormit: in Capitulo Cistercij sepultus sub hac inscriptione.

Quindecies Christi centenus tertius annus,
Sexque Kalendæ erant, maxime Iane, tibi:
Cùm tegitur tumulo præstanti laude Ioannes,
Religionis apex, maximus eloquio.
Familia Cirei soboles, Diuionis alumnus,
Pro sacris studiis laureolam meritus.
Primus honor Theolocus erat, Balerna secundus,
Quem commendarum depulit è manibus.
Ter nonies annis supremo munere functus
Ordinis, & princeps frugi ter vsque fuit.
Sed titulos tantos, & munera sponte reliquit;
Nomen fama tenet, hic nisi sunt cineres.

Verùm nomini eius subscripti tales versus.

Religionis apex, Doctor, Pastorque Ioannes,
Quem Diuio dedit in lucem de gente Cireia.

XLIV. aliis XLIII.

IACOBVS IV.

Dictus de Ponte scisso, ex Abbate Cariloci, Bellævallis, & Morimundi, cùm priùs Parisiis docuisset sacram Theologiam, electus ann. 1503. quo ipso, ad instantiam Ludouici, Francorum Regis, congregauit Capitulum, præcipuè Abbatum Galliæ, actutus de reformatione Ecclesiarum illius regni. Affuit Legatus Sedis Apostolicæ, & decreta nonnulla ad Hispaniæ, & Italiæ (quarum tamen Abbates schismaticos appellant) æmulationem. Sed præpediente humani generis hoste, nec succisis laxioris vitæ radicibus, omnia penè in irritum cessere. Biennio pòst, 1505. primum congregationis Hispanæ Collegium cœpit in vrbe Salmantina, sub sancti Saluatoris aduocatione: confirmante Alexandro Papa VI. & concedente priuilegia omnia, & singula, quibus alia Collegia, tam regularia, quàm sæcularia potiuntur, eiusdem vrbis. Sed de Iacobo, *Confirmauit*, (ait Robertus Claudius) *Andream Duzebal, Decanum sanctæ Capellæ Diuionensis, mense Martio, ann. 1515. more Gallico. Et ipsius auctoritate Renatus de Brosseia, Abbas Eugeriæ, confirmauerat Stephanum Leprince, eiusdem Andreæ prædecessorem. Obiit anno 1516. cùm interfuisset Conciliabulo Pisano.* Iacet in Capitulo inter alios Abbates, sub tali titulo.

Impia quem nobis rapuerunt fata Iacobum,
Pastorem, qui ouibus pascua sacra dabat,
Cernite marmorea hac magna sub mole sepultum.
Summus in augenda is religione fuit:
Qui cum Parisia regeret prouisor in vrbe
Multiplici ad primum sorte domum rediit.
Nam post Carilocum, Bellamvallem, & Morimundum,

Excelsum

Excelsum meruit Ordinis esse caput.
Mille qningentis, bis sex, & quatuor annis
Expletis, gaudens aurea tecta subit.

Hæc in sepulchro. In catalogo Abbatum hos habet versus.

Iacobus acceptum regimen feliciter auxit.
Doctor erat, Pastorque fuit, sed dignus vtroque.

XLV. aliis XLIV.

BLASIVS.

Dictus de Assereio, ex Theologo, & Doctore Parisiensi electus anno 1516. cùm ipse tres, & quadraginta ætatis non expleuisset. De quo in Parisiensi collegio sic scriptum.

Qui florente animo, & dudum vigentibus annis,
Fidus in hoc studio Gymnasiarcha fuit.
Mox, spirante Deo, factus Cistercius Abbas,
Imbibita pauit religione gregem.
Et vix lustra octo, iuncta trieteride, nerat,
Et senis Abbas mensibus extiterat;
Cum gelida tremulo febris praeuentus hiatu,
Intempestiuâ morte praeuentus obit.

Itaque sex tantùm mensium Abbas magno cum omnium luctu mortuus est 6. Idus Septembris, ann. 1517. & in Collegio Parisiensi sepultus, vbi duas elegias conscripsere fili pro Epitaphio. In Chronico Abbatum hæc habet carmina.

Blasius egregiam de se spem fecerat; at mors
Heu! sua festino truncauit tempora cursu.

XLVI. aliis XLV.

GVILLELMVS V.

Electus ann. 1517. vir pietate, & religione plenus, doctrinâ venerandus, apud Philippum Seguinum *in Bibliotheca*: à quo & quædam eius scripta, eruditione conspicua commemorantur. Præfuit annis 4. Nec quid aliud de eo scriptum inuenio, nisi quòd obiit 10. Kalendas Maij, ann. 1521. In Chronico Abbatum hos habet versus.

Ornant Guillelmum doctrinæ dogmata sacra,
Virtute ornatum genuit Vasconia tellus.

XLVII. aliis XLVI.

GVILLELMVS VI.

Dictus Falconius, patriâ Rothomagensis, Monachus Mortui maris, & Doctor Theologus, ex Abbate Miratorij electus ann. 1521. Eius tempore Abbatiæ Angliæ suppressæ, & multi Monachi martyrio coronati, ann. 1536. & deinceps, proprio sanguine fuso confirmarunt, nec commendarum obice aboleri potuisse Cistercij gloriam, & leuiùs tulit iacturam Ecclesiarum Præsul sanctissimus tam illustri certamine, & quod putaret vtilius, non extare, quàm commendarum damnis esse obnoxias. Sub ipso item ann. 1532. Collegium S. Saluatoris Salmanticensis Complutum translatum, nouo Collegio, Salmanticæ erigendo, locum dedit. Vixit ad annum 1540. in quo 6. Kalendas Aprilis sanctè decessit. Sepultus in Capitulo sub hoc Cenotaphio.

Luce sacra Veneris quingentis mille sub annis,
Atque decem quater transiit ad Superos.
Qui hoc iacet in tumulo, Falconius ille Guilelmus,
Morte maris Monachus, Doctor in arce sacer.
Ante Miratorij, post lustris quatuor Abbas
Cistercij, vix primum attigerat....

Inter Abbates hi versus loquuntur virum.

Guillelmo à Falcone habitum Mortuum mare; cunas
Rothomagum; doctrina gradum dedit: æthera virtus.

XLVIII. aliis XLVII.

IOANNES X.

Dictus de Loysier, ex Monacho Cistercij, & Parisiensi Theologo electus feria secunda post

post Pascha, ann. 1540. Præfuit annis 18. & mensibus 3. Vir planè disertus, & maiori conatu, quàm fortuna pugnans contra commendas. Obiit 6. Kalendas Ianuarij, ann. 1559. sepultus in Ecclesia ad analogium Epistolæ, vbi Reuerendissimus Nicolaus Boucherat hanc inscriptionem sacrauit eius memoriæ. *Domino Ioanni Leysier, Cistercij Abbati, sacræ Theologiæ Professori, frater Nicolaus Boucherat, eiusdem Cistercij Abbas, Domino, & prædecessori suo posuit. Præfuit annis 18. Obiit 26. Decembris, ann. 1559.* Inter alios Abbates hos habet versus.

Mellito Ioannes Leysier Sulorreius ore,
Et virtute gradum meruit, mitramque, polosque.

XLIX. aliis XLVIII.

LVDOVICVS.

Dictus de Besei, Prateæ Monachus, ex Abbate Macetlarum electus die 6. mensis Ianuarij, ann. 1560. Triennio pòst 1563. priuilegium à Pio Papa IV. obtinuit contra commendas: quod pòst Gregorius XIII. confirmauit, & auxit, Pontificatus sui anno tertio: non sine aliquo fructu, licèt minori, quàm damnum postularet. Præfuit annis quatuor, diebus quindecim. Obiit in Monasterio Monialium, de Poigloia dicto, Cisterciensis Ordinis, diœcesis Montis regalis, cùm à Concilio Tridentino reuerteretur, die 19. mensis Iunij, ann. 1564. Ita ferè in archi-cœnobio Cisterciensi, in Capella Assumptionis, vbi eius, & duorum successorum effigies extant. In Chronico hos versus scriptos habet.

Ludouicus obit Beseus de stemmate longa
Curiæ: eum inuidit, repuit, flet; mors, Deus, Ordo.

L. aliis XLIX.

HIERONYMVS.

Cognomento Socherius, patriâ de Monte petroso, Theologus Parisiensis, ex Abbate Claræuallis electus die 2. Iulij, ann. 1564. *Cuius opera, atque consilio, Henricus II. Franciscus II. & Carolus IX Gallorum Reges vsi (ait Ciacconius) solers hominis ingenium, sapientiamque singularem admirabantur.* Ei scribit Philippus II. Hispaniarum Rex, vt intercedat cum Abbate Morimundensi, quatenus electionem Prioris sacræ militiæ, de Monacho faciendam, sibi committat, qui mores hominum, & ritus militares propiùs nosset, eóque de persona conuenienti facile posset vtiliùs prouidere. In Concilio Tridentino, plenas religionis ardore, & eruditionis sententias protulit, vnde maius illi nomen, atque adeò ingens (ait idem Ciacconius) *vt minimè expectata, nedum quæsita, purpura vltrò à Papa Pio V delata fuerit, anno Christi 1568 quam vt acceptaret, vix tandem Pontificij iussu, & amicorum precibus adductus fuit.* Neque dimittere Cistercij regimen passus, quantum permittere tempora potuerunt, eum insigni profectu totius Ordinis. Extat epistola eiusdem ad suos subditos apud Iacobum Græcum Syllanæum, dolentis de immensis commendarum damnis, atque ad reformationem exhortantis, sub hoc initio. *Nos frater Hieronymus, sacræ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Matthæi Presbyter Cardinalis, de Claravalle nuncupatus, Cistercij Abbas, & sacræ Theologiæ Professor, &c. Datum in palatio habitationis nostræ in Burgo S. Petri, Romæ sub sigillo nostro, die prima Aprilis, ann. 1570.* Tandem (ait Ciacconius) *quam singulari magnitudine contempsit, gloriam cumulo laudis amplissimo consequutus. Obiit Romæ, ann. 1571. ætatis suæ 63 10. Kalendas Nouembris, & in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, marmoreo sepulchro à Monachis Claræuallensibus ornatus fuit.* Corde tamen delato ad Claramvallem, vbi in Capitulo inter reliquos Claræuallis Abbates sepultum manet. Præfuit Cistercio annis 7. mensibus 4. diebus 9. Eius distichon in hæc verba ibi conspicitur.

Hieronymus de Soucheria, quem munere Roma
Cardineo insutum ornarat, functum pia seruat.

LI. aliis L.

NICOLAVS I.

Dictus Boucheratius, patriâ Trecensis, Theologus Parisiensis laureatus, ann. 1534. vt in Collegio Parisiensi notatum extat. Interfuit sacro Concilio Tridentino Prior Monasterij de Reeluso, & Procurator generalis totius Ordinis. In Abbatem Cistercij electus est communibus suffragiis, die 3. mensis Decembris, ann. 1571. quinquennio pòst,

pòst, ann. 1576. *Abbatia Cisterciensis* (ait Michaël Auiselsius) *ditissima, eiusque Ordinis primaria, vnà cum arce eiusdem Gallia, à Cassamirianis militibus diripitur, occisis etiam sociis, qui id impedire vellent.* Quin & milites Gallos passa est non magis pios, quàm exteros, haud minus violatores loci sanctissimi: vt verè venerabilis Pater, in hac parte, calamitosa sic tempora assequutus. Habuit tamen & alia non infœlicia, instituto eius tempore Ordine militari sancti Mauricij, & Lazari in Italia sub Cistercij institutis. Apud Miræum. Reformatis Monasteriis Lusitaniæ sub Abbate Alcobaciæ, Henrico Cardinali, post quem Abbates triennales esse cœperunt. Demum in Gallia auctoritate Sixti Papæ V. erecta Fulliensi congregatione per venerabilem, & verè Beatum Patrem Ioannem de la Barriere, ex Abbate Commendatario (quis id credere posset?) primitiui Cistercij restitutorem circa annum Christi 1586. quæ omnia vitam, multa alia præfecturam eius illustrant. Priuilegio donatur à Pio V. ann. 1576. Orationem habuit Rothomagi coram Henrico, Poloniæ, & Franciæ Rege, ann. 1578. quo tempore ab eodem obtinuit litteras, quibus Consiliatius in Parlamentum ascitus fuit. Sequenti anno 1579. illustri priuilegio à Ferdinando, Hispaniarum Rege, donatus glorioso titulo: *ob ingentem* (inquit) *deuotionem, quam ad sacrum Cisterciensem Ordinem habemus, nec non ob humilem, & deuotam supplicationem venerabilium, & dilectorum nobis Abbatum eiusdem Ordinis, de sanctis Crucibus, Capellani maioris nostri, & de Populeto, eleemosynarij nostri maioris.* Eiusdem Nicolai Abbatis tempore, ann. 1582. fundatum est, quod hodie perseuerat, Collegium Salmanticense, eleganti ædificio, ad cuius constructionem Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, non modicas impensas ministrauit. Demum cùm præfuisset annis 14. diebus 45. quibusdam etiam scriptis laureatus, quotum aliqua sub Henrici, Francorum Regis, alia sub Gregorij XIII. Summi Pontificis, auspiciis euulgauit: senio grauis, & curarum pertæsus, cessit ann. 1585. Nec multo pòst, ætatis suæ 71. consummatus est 12. die mensis Martij, ann. 1586. Sepultus (ait Robertus Claudius) in Presbyterio ad monumentum Roberti Cardinalis, sui in præfectura Cisterciensi prædecessoris, tumulo instaurato ab Edmundo à Cruce, cùm bellis ciuilibus ab impiis asportatus fuisset. Inter alios Abbates, verius post alios (nam hic nobis vltimus in catalogo metrico) hos habet versus.

O Pater innumeris meritis notissimus Orbi
Boucherat: os ardens nomen tibi fecit, & omen.

In Epitaphio, quod eidem sepulchro incisum, audio, in sacro Concilio Tridentino, sententiis, doctrinæ, & pietatis plenis non parum excelluisse, & multas Legationes ad Pium V. & Gregorium XIII. tum pro Burgundia ad Christianissimos Gallorum Reges, Karolum, & Henricum, subiisse dicitur.

LII. aliis LI.

EDMVNDVS.

Dictus à Cruce, patria Trecensis, Theologus Parisiensis, subrogatus in Nicolai locum, qui in eius fauorem cessit, ann. 1585. Ei scribit Sixtus Papa V. sequenti anno visitauit, & reformari curauit, in quantum potuit, Cistercienses Ecclesias per totum Orbem: multis eum magno labore, atque periculis, peragratis prouinciis, in quibus salutares leges statuit. Cùm defectionem Obseruantiæ Hispaniæ, authoritate Clementis VIII. firmiter stabilitam, ann. 1593. (nam antea, etsi non eius Commissariis, ast Abbati Cistercij, si personaliter Monasteria ipsa adiret, tenebatur parère) ægrè tulisset: insignes litteras ab eodem Papa extorsit, ann. 1603. pro visitandis, reformandisque Hispaniæ Cœnobiis, etiam his, qui in regnis Castellæ, atque Legionis, seu Lusitaniæ, ad suas congregationes redacta erant, cum clausula exemptionis derogatoria. Verùm cùm ad Hispaniam peruenisset, & Monasteria Aragoniæ, & Cataloniæ absque contradictione visitasset, præmissis ante se doctis epistolis, quas vulgati curauit, ad Abbates vtriusque congregationis, antequam ad Castellam perueniret, Barcinone detentus diem clausit, 12. Kalendas mensis Septembris, ann. 1604. Funus ad Populetum deductum est, ibidemque honorificè sepultus. Memorantur non contemnenda opuscula, quibus claruisse dicitur, à Philippo Seguino, in ea, quam edidit, Bibliotheca Cistercieiana.

LIII. aliis LII.

NICOLAVS II.

Dictus Boucheratius, patriâ Trecensis, Theologus Parisiensis, & Nicolai, antecessoris Edmundi,

Edmondi, nepos: ex Abbate Valcellensi electus anno 1604. Abbatiam inter tumultus Gallicos, ingenti ære alieno oppressam, summa industria, & parsimonia liberauit. Ad instantiam Philippi III. Hispaniarum Regis, nec non auctoritate Pauli V. Summi Pontificis; & totius Capituli generalis, ann 1605. in regnis Aragoniæ, Valentiæque, & Comitatu Barchinonensi, instituit reformatam congregationem sub Abbatibus quadriennalibus; cui postmodum regni Nauarræ Cœnobia sunt adiuncta; litteris datis in archicœnobio Cisterciensi, 16. Augusti, ann. 1616. [exequutis verò per Bartholomæum Ioli, ipsius commissarium, Cæsar augustæ, die 8. Aprilis, ann. 1617. *Confirmauit* (ait Robertus Claudius) *Ioannem de Miliere, electum Decanum sanctæ Capellæ Diuionensis. Interfuit Comitiis regni Franciæ, ann. 1615. cuius auspiciis Balduinus de Moreau, ex Monacho Camberonensi Abbas Roseriarum, & Procurator Ordinis, res Cistercienses, non satis hactenus pro dignitate cognitas, in lucem è tenebris eruebat, nisi mors nimium præcox eum Roma sustulisset.* Quod cunctis dolendum: sed præcipuè nobis, qui idem argumentum tractaturi, tantum thesaurum nancisci non potuimus. Obiisse dicitur Nicolaus Boucheratius 8. mensis Maij, die Sabbati, ann. 1625. ætatis suæ 63.

LIV. aliis LIII.

PETRVS NIVELLIVS.

Trecis in Campania ortus, ex Monacho Cisterciensi, & Doctore Parisiensi, primùm Abbas S. Sulpitij, dein Cistercij, electus ann. 1625. mense Nouembri. Præfuit annis 10. & sub finem anni 1635. Episcopus Lucionensis creatus dicitur.

Series Abbatum Ecclesiæ FIRMITATIS, primæ Cistercij filiæ; in multis procul dubio defectuosa, sed qua vix alia exactior: quippe excerpta ex variis monumentis eiusdem domus, industriâ fratris Bernardi Villalpandei; cùm de mandato Abbatis Fiteriensis peragraret Burgundiam, Cistercij antiquitates indagaturus. Additis tamen eorundem Abbatum variis notitiis, ex diuersis authoribus, instrumentisque, quæ hactenus potuimus inuenire.

I.

BERTRANDVS.

EX Cistercio transmissus, siue deductus cum duodecim Monachis à S. Patre Stephano, ann. 1113. eùm Bernardus, & socij eius triginta, ad habitum tunc recèns admissi essent. Acceptum locum, designatumque, per Episcopos Cabilonensem, & Lingonensem dedicari curauit, & muniri. Multos è sæculo ad religionem traxit, & disciplina Cistercij per omnia æmula, ibidem stabilita, sed nulla adhuc extra Firmitatem emissa prole, quod nulli alij è quatuor primis contigit. Obiisse creditur intra quadriennium, plus, minusvè, meritis clarus, miraculis gloriosus, & in Menologio Cisterciensi commemoratur, Iulij 9.

II.

PETRVS I.

Ex Priore eiusdem domus electus ann. 1117. plus, minusvè. Fundauit Tiletum, & Locedium, insignes duas Ecclesias, trans Alpes positas, alteram, 1120. alteram, 1123. Sequenti anno, doctrinæ, & pietatis fama conspicuus, in Archiepiscopum Tarantasiensem promotus est: primus ex Cistercio, qui ad infulas Pontificias assumptus legitur. Eius eximias laudes latè commemorat Gaufridus, Altæcumbæ Abbas, in vita alterius Petri Tarantasiensis. Apud Surium *May* 8. Memoratur in Menologio Cisterciensi, adscriptus ad 19. mensis Iunij.

III.

BARTHOLOMÆVS.

Bernardi Patris frater secundùm carnem, atque ab ipso, cum ipsoque conuersus, ex Monacho Claræuallis circa annum Christi 1124. assumptus, Abbatiam Maceriatum in

propria Cabilonensi diœcesi fundat, atque alias ex Tileto, & Locedio suscipit neptes. Concordiæ inter Cistercienses, & Præmonstratenses initæ subscribit, ann. 1141. Demum meritis clarus, & doctrinæ Bernardi dignus discipulus, cùm annos 20. exegisset in præfectura, sanctè obdormiuit, Christi 1144. plus, minusve: neque constat de ipsius sepultura; nisi quòd tamen Claramvallem translatus creditur, atque ibidem iacere cum suis fratribus. In Menologio Cisterciensi memoratur 9. die Decembris.

I V.

GVILLELMVS.

Aliis Guido, fortè vterque, nam vnum, & triginta annos vsurpat: & Guillelmum præfuisse compertum est, ad an. 1175. quo in Abbatem Cistercij promotus legitur. Certè, quo tempore posteriores natu sorores, Pontigniacum 17. Morimundus 23. Claravallis innumeras penè filias suscepisset; Firmitas tribus tantùm aucta legitur; nec multo pluribus in posterum augenda.

V.

BERNARDVS (*apud alios HERVÆVS, filius Simonis, Comitis de Bergi.*)

De quo nihil præter nomen; nam reliqua, tenebrosa semper antiquitas, & Firmitatis incendium oblitterarunt. Fallitur Andreas Duchesne, qui in libro familiæ Dominorum de Bergi, minimè post B. Petrum præfuisse tradit.

V I.

BVRNO.

Calatrauenses, qui ab Ordine defecerant, supplices redeuntes cum litteris Alphonsi, Castellæ Regis, & Principum Hispaniæ, vt iterum Cistercio incorporati, in veros Ordinis fratres susciperentur, cum Guidone Cistercij, & Coabbatibus clementer admittit, an. 1187. & norma vitæ tradita, Morimundo esse subiectos decernit.

V I I.

NICOLAVS.

Secundam regulam, eámque exactiorem, ad eorumdem instantem petitionem, præscribit Calatrauensibus, an. 1199. Nec multò pòst, cùm de iure Morimundi in sacram Calatrauæ militiam dubitaretur, opponente Abbate Scalæ Dei ipsius esse filiam, sicut Fiterium, ad Innocentium I I I. Papam scribit cum Guidone Cistercij, & tribus primis, rem totam pandens, vt iura Morimundi illæsa conseruarentur. Discordantibus deinde à Cisterciensi quatuor primis Abbatibus, fortè occasione promulgatarum legum, an. 1202. litteras Innocentij eiusdem suscipit exhortantis ad pacem, concordiamque: quibus facilè omnes consensere. Fundasse dicitur Abbatiam de Bardona, diœcesis .... in Lombardia: innata Firmitati sorte, velut fatali, vt in paucas, sed distantes à se Ecclesias propagaretur. Per idem tempus (ante, an post Nicolaum, non satis constat) Firmitatensi Ecclesiæ præfuisse dicitur Almerius, siue Almericus de Pontaille, ex Abbate I V. S. Stephani Diuionensi, Cistercij Monachus, & Firmitatis Abbas, qui dicitur obiisse 14. Kal. Aprilis: sepultus ante Aram S. Laurentij, in monumento Gentilium, vbi eius hodieque imago spectatur, quasi ad S. Laurentium preces fundens.

V I I I.

ODO.

Cuius tempore, vt creditur, an. 1214. Firmitas vltra Europam palmites misit, reformato Monasterio S. Georgij in Montana nigra, aliàs de Iubino, in Patriarchatu Antiocheno: accepta domo à Petro Patriarcha, ex Cistercio assumpto: &, vt aliqui putant, ex Firmitate. Huic, an antecessori, vnà cum Episcopo Cabilonensi Innocentius committit, vt super fama Archiepiscopi Bisuntini inquirerent. Et habetur *in cap. licèt 14. de accusationibus.* Nec multo pòst ei scribit Honorius I I I. & quasdam, neque contemnendas causas committit, an. 1216. 1220. & 1221. Eius tempore, emergente noua querela inter primos Abbates, & nouo dubio, super eundem depositione per Abbatem Cistercij, si fortè propriæ id exegissent culpæ: cùm ad Honorium Papam deferretur, solus Odo non præbuit consensum liti, siue natura, gratiave pacatior, siue inferior potentia, eóque ad obsequendum promptior esset. Hunc alij Hugonem vocant, sed immeritò: nec probabilius eum obiisse tradunt 6. Idus Aprilis, an. 1217. cùm tamen constet diu supervixisse.

IX.

SIMON.

Incertum quo anno assumptus: memoratur tamen in litteris Gregorij Papæ IX. datis Laterani 12. Kalendas Aprilis, Pontificatus ipsius anno 2. Christi 1228. & habetur *in cap. cum in veteri 52. de electione, & electi potestate*, licèt sub inscriptione Honorij III. quæ ex Regestis venit corrigenda. In quibus promotionem Abbatis S. Benigni in Archiepiscopum Bisuntinensem examinare, & super ipsa decernere iubetur. Sequenti 1229. missus contra sacrilegos, qui Archiepiscopum Lugdunensem nequiter captum detinebant in vinculis. Biennio pòst ad concordandos Grandimontenses, qui acriùs disceptabant inter seipsos. Sequenti verò 1232. ad Conuentum Luxouiensem Benedictinum, cùm à visitatione per Abbatem Bethaniæ, Apostolica authoritate facta, ad eundem Gregorium appellasset. In Tabulis Ecclesiarum Firmitatensium fundasse dicitur Abbatiam S. Sergij, an. 1235. Extantque aliæ Gregorij IX. litteræ, expeditæ ad ipsum, an. 1237. pro liberando Matisconensi Episcopo ab iniusta custodia, in qua detinebatur. quo & pro Monasterio de Iubino priuilegium obtinuit, composuitque cum Patriarcha Antiocheno, sub certis conditionibus, quæ ius Cistercij illæsum conseruabant, vt liqueat facilè insignem pietate virum, doctrinaque, & prudentia, qui tot, ac tantis negotiis, tum aliorum, tum propriis non impar esset. Eius tempore, inter quatuor primos Abbates (nam & ipse aliis tribus addictus est) & Cisterciensem turbata iterum pax, atque iterum concordia noua inita, an. 1233. Sed quà à Gregorio IX. reprobata, prior, per Honorium sancita, integra mansit. Non satis constat ad quem annum superuixerit; nisi quòd tamen successor longè distans, aut longam huius arguit præfecturam, aut interruptam seriem, omisso aliquo.

X.

GERARDVS.

Cuius tempore, anno 1257. fundata dicitur Ecclesia sancti Seueri, diœcesis Rauennatis, septima, & vltima filia Firmitatis. Anno 1261. occasione accepta ab electione Cisterciensis Abbatis, quæ sine quatuor primis facta fuisset, cum aliis tribus litem Cistercio mouit, quæ triennio durauit sub Vrbano IV. summo Pontifice, quoad vsque successor eius Clemens, vocatos ad se omnes paterne composuit, edita Clementina, in qua distincta omnia, decisaque, quæ tunc in controuersiam adducebantur. In aliquibus catalogis Petrum, qui obiit Idibus Aprilis, & Guillelmum, dictum de Montagu, postea Abbatem Cistercij, circa hoc idem tempus notatos video.

XI.

RVFINVS.

Ei scribit Nicolaus Papa IV. & Rufinum appellat: Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, Kalendis Martij, Pontificatus ipsius anno 2. Christi, 1289.

XII.

HVGO.

Qui obiisse dicitur, an. 1307. Sed, vt statim ostendam, dubia fide.

XIII.

PETRVS DE MONTE CALERIO II.

Nominatur in litteris Bonifacij Papæ VIII. datis Romæ apud S. Petrum, 6. Idus Iulij, Pontificatus ipsius anno 3. qui incidit in annum Christi Domini 1297. quòd si eo anno Petrus iam successerat, non potuit antecessor eius pertigisse ad annum Christi 1307. In schedis Ecclesiæ Firmitatis obiisse dicitur, an. 1310.

XIV.

IOANNES I.

Dictus de Marciliaco, successoris sui Durandi frater, & cum ipso sepultos in sacello omnium Sanctorum; de quo tamen nihil aliud mihi constat.

XV.

DVRANDVS DE MARCILIACO.

Qui in Dialogo *de prosp. & aduer. statu Ordinis*, an. 1356. duo millia librarum Turonensium pro expensis communibus, dicitur in censum Cistercio contulisse, *part. 2. cap. 10.*

XVI.

XVI.

GVIDO.

Qui dicitur obiisse anno 1387. Quamuis ab aliis non video numerari.

XVII.

PETRVS DE MARCILIACO III. Ioannis, & Duranti antecessorum nepos.

Electus an. 1387. Cæterùm quanto tempore præfuit, non video hactenus ab aliquo notatum.

XVIII.

STEPHANVS DE MARCILIACO, Petri antecessoris sui frater.

Electus anno .... Præfuit annis .... & obiit anno 1419. 7. Kal. August.

XIX.

IOANNES DE BELMA.

Electus anno 1419. Præfuit anno 20. & obiit anno 1439.

XX.

IOANNES DE S. PETRO III.

Doctor, electus an. 1439. Hic an. 1444. ad instantiam Abbatis Cisterciensis quietabat Ordini redditum duum millium librarum, quas antecessor eius in censum dederat: sed Abbate Claræuallis obsistente nihil effecit. *In Dialogo de prosp. & aduer. statu Ordinis, par. 2. cap. 20.* Interfuit Burgundiæ comitiis generalibus, an. 1460. 27. Augusti.

XXI.

CLAVDIVS DE QVINTAVILLA.

Vltimus electorum; electus, vt ferunt, anno 1460. Ioanni de Cireio, cum Abbate Claræuallis litiganti, coram Regio Parlamento Parisiis fidus assistit, an. 1487. In eadem causa pro vtraque parte iudex, an. 1488.

XXII.

ANTONIVS DE VIENNA, aliàs ARLAVDVS.

Episcopus Cabilonensis, & Abbas Firmitatis, Monachus eiusdem Monasterij, vt habent Tabulæ Ecclesiæ Firmitatensis; Reginæ Catherinæ Medicææ à sacris confessionibus. Apud Ioannem Chenu *in Catalogo Episcoporum Cabilonensium.* Vbi & Doctor subtilis in his, de quibus nunc ferè omnis inter Theologos controuersia versatur; & in colloquio Poisiaco cæteris præcelluisse dicitur. Cùm exacta iam se ætate conspiceret, morbisque grauarum, à Regina impetrauit, vt vtrique dignitati cedere posset. In anno discordant vtriusque Ecclesiæ Tabulæ, & inter 1549. & 1560. nil planè certum ausim diffinire. In Monumentis Ecclesiæ Firmitatis deploratur electio subtracta Monachis, *& Abbates, non per ostium intrantes, sed tanquam fures, in causa esse dicuntur, vt Monasterium, non solummodo innumeris cladibus afflictum sit; sed etiam patuerit hæreticorum persequutionibus: in quibus Monachi, alij duplici, alij triplici corona* (sic ibidem habetur) *ad paradisi gloriam euolarunt.* Felicia mala, quæ talem habere meruerunt compensationem. Cæterùm qua occasione hæc dicta sint, in successore Antonij iam edisseram.

XXIII.

RENATVS DE MONTE CVRVO.

Vtriusque iuris Doctor, designatus an. 1549. si qua fides Tabulis Ecclesiæ Firmitatis. Cuius tempore, sæuientibus per vniuersam Galliam hæreticis, præcipuè Caluinianis, & Hugonotis aduersùs Catholicos, Firmitas deuastata semel, an. 1562. & iterum an. 1567. Direptâ domus, officinæ dirutæ, profanata sacra, fugati seruientes, sed Monachi, dum fugere recusant, coronati martyrio, inter Cistercij ruinas (nam tunc quid aliud?) viuere adhuc Cistercium comprobarunt. Memorat Martyres Henriquez *in Menologio*, ad diem 9. Iulij: sed veris falsa miscens, vt sæpè solet. Renatus ipse, repetito malo tabescens, eodem anno mortuus; dum fugit impios, non tam mortem distulit, quàm vitæ suæ gloriosum finem ademit, solus ferè frustratus palma martyrij. Sepultus Montigniaci super Albam, an. 1567. 3. Kalend. Martij.

XXIV.

ELIAS, dictus DE RASTELLIS.

Episcopus.... Adeò inter Monasterij desolationem, & perfidam violentiam hæreticorum, non fuit, qui celebraret Martyrum palmas, qui sacra ossa colligeret, & tumulo condigno sepeliret, vt neque nomen Abbatis recentissimi, quemque an. 1599. quo hæc ipsa eruebas Villalpandeus, quotquot in Firmitate morabantur assequuti essent, permanere potuerit, aut ad eorum memoriam peruenire. Dicitur tamen præfuisse breui tempore, annum nimirum vnum, & quinque menses; in quibus forte nec Monasterium vidit (quæ plerumque commendatariorum incuria est) nedum de reparando deliberauit.

XXV.

LVDOVICVS.

Dictus de Breehar. electus an..... Cùm desolatæ domus restaurationem sedulè perurgeret, iusto Dei iudicio, sed penitus occulto, factum est, quibus hæretici forte pepercissent, combustis libris, instrumentisque, ex quibus tum Abbatum series certior, adæquatiorque; tum varia eorum acta elici possent. Induruit tamen Ludouicus aduersùs mala, & septem adhuc annos post incendium dicitur institisse reparationi; nec pauca restituisse nitori pristino. Sed tandem, siue cedens labori, siue alia ex causa, dicitur cessisse 18. Augusti, an. 1577. aliis 1176.

XXVI.

FRANCISCVS DE BEVRIA.

Ex Monacho eiusdem domus in Abbatem assumptus, an. 1577. Mox Consiliarius, & primus Eleemosynarius Reginæ Franciæ, Firmitatis Ecclesiæ gubernabat, an. 1599. quo Bernardus Villampandeus, ab Abbate Fiterij in Galliam missus, Monasteria Burgundiæ perlustrabat: ex cuius schedis, & Ordinem Abbatum, numerumque, & nomina excerpere potuimus. In causa decimarum, cum Episcopo Cabilonensi litigans, an. 1604. dicitur obtinuisse, apud Paulum Dumay, *in Notis ad Epist. Innocentij, lib 16. Epist* 85. Ad cuius instar Maceriarum Abbas in Rectorem Ecclesiæ S. Remigij etiam prævaluit, anno 1617.

XXVII.

IOANNES IV.

Dictus Gabaad, additus ab Antonio Iepio, *centuria* 7. quem anno 1614. quo ipse scribebat, clauum tenere prodit. Ab aliis Iuo Sauuayo nuncupatur, & anno 1628. adhuc superstes.

Series Abbatum Ecclesiæ PONTIGNIACENSIS, ex diuersis authoribus collecta, præcipuè ex Bullis Summorum Pontificum, Sepulchris, & libro obituum eiusdem domus.

I.

S. HVGO.

COgnomento Masticonensis, Bernardi consanguineus, atque ab ipso, & cum ipso simul conuersus, interuentu miraculi. Mox ante ipsum electus in Abbatem, & fundatorem Ecclesiæ Pontigniacensis, an. 1114. Exemptionem Abbatum ab Episcopis primus, vt creditur, aut prouidè inuenit, aut exequutus est. Breui tempore discipulorum numero auctus, Bonum radium, Caduinum, Dalonem, Fontem Ioannis, Ioiacum, atque alia Cœnobia fundat, Bernardi Patris in fœcunditate æmulus. A Capitulo generali Cistercij ad Ludouicum, Francorum Regem, Legatus anno 1127. Sequenti 1128. Concilio Trecensi assistit cum aliis Patribus: qua in vrbe S. Lupi Ecclesiam instituit pro Canonicis Augustinianis, anno 1132. Tandem post plura, tum in Dei obsequium, tum pro incremento sui Cœnobij patrata, in Episcopum Altisiodorensem promouetur, anno 1136. (quamuis alij anticipent) præcedente visione de cœlo facta. In Canonicos Præmonstratenses largus, quos Altisiodorum adducit recens sacratus. Inter Theobaldum, & Regem Franciæ arbiter, anno 1141. Concilio Remensi interest, anno 1148. quo & ab vniuersa Ecclesia Gallicana ad Eugenium Papam III. Legatus mittitur. Tandem plenus dierum, & virtutum, anno 1151. sanctè obdormit, 6. Idus Octobris, vt habet liber obituum Pontigniacensium, quamuis in Menologio (fortè ignorantia

suptadicti

ſupradicti libri) 21. Ianuarij memoretur. Sepultus Pontigniaci iuxta maius altare ad latus Euangelij, ſub hac breui, modeſtaque inſcriptione. *Hic iacet Dominus Hugo Matiſconenſis, primus Abbas huius Monaſtery, deinde Epiſcopus Antiſiodorenſis.* Corpus eius, poſt quatuor ferè ſæcula integrum, & illæſum inuentum eſt: ſed ab hæreticis impiè laceratum, combuſtumque, ſiue eius, ſiue S. Edmundi creditum fuerit.

II.

GVICARDVS.

Electus an. 1136. ſiue antea (vt alij volunt) fundauit Quinciacum, locum Dei, Kaliſium, Karolilocum, Rupes, Ceruieampum, Pinum, Pratum Ebroicenſe, Stellam, & Triſaginm, fœcundus filiis, & qui dignus S. Hugonis ſucceſſor iudicaretur. Tres filios Regum ad habitum ſuſcepit, an. 1149. quorum illuſtri liberalitate Pontigniacum creuit, adeò, vt pro fundatoribus habeantur. Monaſterium S. Martini de Monte iuxta Viterbum, hactenus nigri Ordinis, reformandum ſuſcepit ſub Pontigniaci immediata filiatione, an. 1150. Theobaldum magnum, Campaniæ, & Briæ Comitem, Pontigniaci ſepultura donat, anno 1151. & an. 1156. in Inſula de Re, diœceſis Sanctonenſis, vndecima, nec ignobili, prole ſuſcepta, ſi Benedicto Parenti comparatur, vno tantùm Cœnobio inferior fuit. Ab Alexandro III. vocatus Romam, an. 1164. S. Thomam Cantuarienſem hoſpitem primùm, dein ad Pontigniacum deductum, Monachum ſuſcipit, atque cuculla, ab Alexandro Papa benedicta, induit, & conſecrat. Sequenti in Archiepiſcopum Lugdunenſem promotus, ægrè à Sancto, filiiſque diuiditur. Capitulo Ciſtercienſi intereſt, an. 1170 quo & illuſtrem Hugonem, Burgundiæ Ducem, in fratrem ab vniuerſa Congregatione ſuſcipi facit. Concilio contra Albigenſes affuiſſe creditur, an. 1176. Corpus S. Bernardi in Claravalle leuat, quadriennio ab eius canonizatione, an. 1178. Abbatiæ Bellævillæ Eccleſiam conſecrat, an. 1179. quo ipſo tandem meritis glorioſus, & ſcriptis clarus, quæ recenſet Seguinus, ſanctè obdormit: ſepultus Pontigniaci iuxta maius altare ad latus Epiſtolæ, è regione ſui anteceſſoris, ſimili inſcriptione. *Hic iacet Dominus Guicardus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, ſecundus Abbas huius Monaſterij.* In libro obituum 14. die Iunij migraſſe dicitur, quamuis in Menologio 28. Iulij commemoretur.

III.

GARINVS.

Quem virum æquè ſanguine clarum, ac pietate appellat Chronicon Altiſiodorenſe: electus an. 1165. Cùm Diuus Thomas ibidem Monachum ageret, & ibidem detinuit, quandiu potuit; & cùm non potuit, proſequutus eſt, an. 1167. quo & Grandimontenſes admiſſi in Pontigniaco, dum de perſeuerantia dubitant, inſigni epiſtolæ Stephani Tornacenſis occaſionem præbent: quæ ob materiæ, & ſtyli grauitatem, primum inter epiſtolas eius locum obtinet. Sancto Thoma coronato palma martyrij, velut parenti, filioque congaudet: & Pontigniaci feſtum illius celebrat, an. 1174. quo, paulo pòſt in Archiepiſcopum Bituricenſem promotus eſt ingenti totius Galliæ acclamatione. Quadriennio pòſt, contra hæreticos Albigenſes repullulantes eximiè laborat. quo ipſo anno Eccleſiæ Bituricenſis præbendas multas, & pauperes ad pauciores reducit, & Burdegalenſem prouinciam primatiæ titulo viſitat. Apud Ioannem Chenu *in Catalogo Archiepiſcoporum Bituricenſium.* Sequenti 1179 Concilio generali Lateranenſi aſſiſtit, atque Coronationi Philippi, Francorum Regis. Tandem an. 1181. ſanctè obdormit; ſepultus Pontigniaci cum ſuis prædeceſſoribus, ad latus Euangelij, ſub tali titulo. *Hic iacet Dominus Garinus, Archiepiſcopus Bituricenſis, tertius Abbas huius Monaſterij* In libro obituum, 16. Aprilis obiiſſe dicitur: quo ipſo in Menologio commemoratur.

IV.

GVARMVNDVS.

Frater Roberti de Monte, qui fuerat tutor Regis Franciæ. Apud Ioannem Chenu *in Catalogo Archiepiſcop Bituricenſium.* Pietate, & doctrina venerabilis, electus, an. 1174. Monaſterio de Egris in Vngaria tranſmiſit Monachos, à Vela Rege aſcitos, an 1179 quod breui tempore in ingentem Eccleſiam creſcens, etiam Regum ſepulchris illuſtre fuit. Cum annis 8. præfuiſſet magna cum laude: tandem an. 1182. in Epiſcopum Altiſiodorenſem promotus, antequam conſecraretur obiit Romæ. Apud Vincentium *in ſpeculo hiſtor. lib. 28. cap. 24.* & Authorem Chronici Altiſiodorenſis, Diem obitus prætermittit Martyrologium. Chryſoſtomus Henriquez adnotauit ad 17. menſis Nouembris.

V.

PETRVS.

Electus an. 1182. Et post triennium 1185. in Episcopum Atrebatensem assumptus, qui communiter cum eius antecessore Petro Abbate Cistercij confundi solet. Ei scribit Stephanus Tornacensis. Oisiaci Regulum patientia, & constantia superat, an. 1186. Henrici Cardinalis interuentu, cum Flandriæ Comite, aduersante sibi, componit, 1189. quo & vrbem suam conflagrare videt, & dolet. Philippi Regis cum Ingelburga nuptiis assistit, 1193. Eniacensi Monasterio paternè prouidet, 1197. Demum meritis, virtutibusque clarus viuere desiit, an. 1193. 17. Kalendas Ianuarij, vt habet liber obituum Pontigniacensium. Sepultus in eodem Monasterio inter Hugonem, Garinumque Abbates, primum, & tertium; sub tali titulo, *Hic iacet Dominus Petrus, quintus Abbas huius Monasterij, postea Episcopus Atrebatensis.*

VI.

IOANNES I.

Huius nominis primus; & primus, qui non ex Pontigniaco ad infulas, & Pontificiam dignitatem promotus legitur: & eius, præter nomen, nulla memoria: quippe nec de sepulchro illius constat, neque in libro obituum commemoratur. Creditur tamen præfectura eius illustris S. Guillelmi aduentu ex Monacho Grandimontensi, ad Cistercium vocati in Pontigniaco; inde post Abbatiam Karolilocі, in Bituricensem Archiepiscopum, & totius Galliæ lumen promouendi.

VII.

MEINARDVS.

De quo nihil aliud præter obitus diem, qui in 16. Octobris dicitur incidisse. Vtrumque ob breue tempus præfecturæ obscurauit obliuio: namque Gerardus successisse creditur anno 1188. Meinardus tamen 1187. tenebat clauum; in quo Nunius Quinonius, Calatrauæ Magister, Cistercio redditus, sacram militiam, sibi restitutam, Morimundo subiecit, acceptis à Guidone, & quatuor primis, inter quos Meinardus, sacris legibus, quas Innocentius III. confirmauit.

VIII.

GERARDVS I.

Electus, vt creditur, an. 1188. multa cum laude Pontigniacum gubernauit. Cum Abbate Cistercij, & aliis tribus, secundam, atque exactiorem prima, normam vitæ præscribit Calatrauensibus, an. 1189. Nec multo pòst Innocentio Papæ scribit pro Abbate, & Conuentu Morimundi, cùm ab Abbate Scalæ Dei, super maternitate Calatrauæ, perturbaretur. Dein, an. 1201. creatur Cardinalis Episcopus Prænestinus (errat Vghellus, qui eum cum Gerardo, Diacono Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano confundit) vt prætermissi vtriusque antecessoris inglorium exitum, magnitudine dignitatis compensaret. Breui tamen in illa superuixit, eodem anno extinctus, non sine ingenti mœrore Pontigniacensium. Inde à Ciacconio, & aliis prætermissus: sed eius promotioni fidem facit testis irrefragabilis, liber obituum Ecclesiæ Pontigniacensis: in quo & 14. Iunij migrasse dicitur. 14. (inquit) *Iunij obiit Dominus Gerardus, octauus Abbas huius Monasterij, postea Cardinalis Episcopus Prænestinus.*

IX.

IOANNES II.

Electus an. 1202. quo & turbata parumper Cistercij pace (haud dubiè quatuor primis Abbatibus certantibus de potestate cum Cisterciensi) Innocentij III. pro eius reformatione litteras suscipit. Triennio pòst, 1205. Adelam, Ludouici Regis vxorem, Philippi matrem, in sui Monasterij Ecclesia sepelit; vbi & magnus Theobaldus, Campaniæ, & Poriæ Comes, ipsius Adelæ pater, sepultus iacet. Stephanum Languetonium, Archiepiscopum Cantuariensem exulantem ab Anglia, benignè suscipit, ann. 1207. Tandem post aliquos annos præfecturæ 13. Kalendas Aprilis obiisse dicitur. quo etiam tempore ad Superos transfertur ingens Ecclesiæ lumen, sanctus Guillelmus, Pontigniaci Monachus, Priorque, cum Metropolitanam Ecclesiam Bituricensem per decennium, plus, minúsve administrasset. Maugerum, VVigormiensem Episcopum pariter exulantem, post quadriennium, in exilio peractum, sepulchro donat.

X.

X.

GVALTERVS.

Ex Abbate Pruliacensi. Quo anno electus? dubium. Constat 1215. plus, minusve, cum aliis duobus primis (nam Abbas Firmitatis neutralis fuit) denuo ab Abbate Cistercij discordasse, erumpente, quæ dudum sopita fuerat, potestatis in inulcem acceptæ æmulatione. Interfuit Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. eodem anno 1215. Vbi & pax inter ipsos reformata sub certis legibus, quas postea confirmauit Honorius III. ann. 1217. quo ipso, aut 1218. (vt habet Guillelmus de Nangis in suo Chronico) cùm prius S. Guillelmi, Bituricensis Archiepiscopi, ex Monacho Pontigniaci, recens ab Honorio III. Sanctis adscripti, festum solenni ritu celebrasset, in Episcopum Carnotensem promotus est, cui præfuit, & profuit vsque ad annum 1235. in quo consummatus, Pruliaci in Monasterio Ordinis Cisterciensis sepultus iacet. Vnde Chenu, & alij corrigendi.

XI.

PETRVS II.

Electus ann. 1218. quo ipso ad discordantes inter se Grandimontenses, atque acriter certantes laicos cum Clericis, ab Honorio III. destinatur. Heruæi de Giennis, Comitis Niuernensis, illustre funus, è sancti Aniani Castro, vbi decesserat ann. 1221. cum septem aliis Abbatibus Cistercij, & Monachis compluribus, per medios hæreticorum cuneos, inter tormenta, & lapides deducit, & Pontigniaci condigna sepultura donat. Apud Vincentium *lib.* 30. *cap.* 124. Eodem anno cum Episcopo Trecensi super quodam vsuagio litigat. Nec multo pòst (quæ hominum plerumque, etiam sanctorum, si sibi relinquantur, conditio est) nouis dubiis subortis inter Abbates, Cisterciensem, & primos ne exteris indigerent conciliatoribus, noua inter eos concordia inita legitur: sed quam Gregorius Papa reuocauit, ann. 1233. super quo etiam Petro Abbati scripsit, & confirmatam ab Honorio III. seruari iussit: Signiæ 12. Kalendas Iulij, Pontificatus ipsius anno 7. quo & eundem ad Philippum, Franciæ Regem, in Archiepiscopum Rothomagensem acriter debacchantem, cum Episcopo Tornacensi Legatum mittit: litteris legatiæ datis Anagniæ 10. Kalendas Nouembris. De anno mortis Petri nihil constat. Dies 9. Kalendas Nouembris designatur in libro obituum Monasterij Pontigniacensis.

XII.

IOANNES III.

Sacræ Theologiæ Doctor, qui S. Edmundum, Cantuariensem Archiepiscopum exulantem, hospitio primùm, mox Monachum suscepit, ann. 1239. Inde ægrotantem, sanioris aëris ergò, in eiusdem Monasterij grangiam deduxit, ann. 1240. vbi & ingrauescente morbo, Sancto, & Patri, & Filio obsequiosus assistit, & iam defunctum Pontigniacum reduxit, iuxta id, quod idem Sanctus viuens promiserat. Eundem adscribendum Sanctorum Canoni apud Innocentium IV. piè solicitat, & pro eius vita inquirenda, atque miraculis litteras accipit. Demum canonizati corpus eleuat, ann. 1247. atque Bertrando, eiusdem domus Monacho, vt historiam de eodem Sancto scribat, iubet: quæ hodie in Bibliotheca Kalisiana dicitur à Philippo Seguino permanere: eadem fortè, quæ in Capitulo generali eiusdem anni, nuper composita, in domo Pontigniaci, & Abbatiis de eius linea, pro lectionibus in officio iubetur omni. Abbatem hunc in Hispaniam aduenisse anno M. CCXLV. (incertum qua occasione, cùm Pontigniacum nihil habeat in Hispania) atque approbato loco Bonifontis propè Mollnam, iniunxisse Abbati Hortæ, vt Abbatissa, & paucis sociabus, ex Monasterio de Casuis adductis, Abbatiam institueret Monialium, iuxta Roderici Ximenij voluntatem, ac Reginæ Berengariæ, & sanctæ Comitissæ, sub eius correctione permansuram, probat authenticum eiusdem Monasterij, in ipso confectum, 17. Kalend. Ianuarij, ann. M. CCXLV. Annus obitus penitus ignotus. Dies in Martyrologio designatur 4. Kalendas Maij.

XIII.

RENAVDVS.

Siue Reinardus, qui, Guidone, Cisterciensi Abbate, promoto in Cardinalem, ipsius successori Iacobo, quòd inconsultis quatuor primis electus esset, cum Philippo Claræuallis constanter restitit, ann. 1262. Multa alia pro reformatione zelauit, quæ sub Vrbano IV. non satis decisa, per Clementem, ipsius successorem, determinata sunt: edita

Clementina, in qua omnia, & singula, hactenus controuersa, docidebantur. De anno obitus non constat, sicut de aliis. Diem, 7. Kalendas Maij notatam video.

XIV.

GERARDVS II. aliis *BERNARDVS.*

Huius nominis secundus, ab Antonio Iepio nominatus, cum alij anonymum ipsum prætermittant, & neque in libro obituum, neque alibi notetur ex proprio nomine. Cæterùm qui quarto decimo loco Pontigniaci præfuit, vixisse dicitur, ann. 1278.

XV.

ROBERTVS.

Ei scribit Nicolaus Papa IV. anno 1288. qui fuit Pontificatus illius secundus. Inde, meritis eius exigentibus, in Abbatem Cistereij promotus est, ann. 1293. Sequenti anno, Presbyter Cardinalis tituli S Potentianæ à Cœlestino Papa creatus. Obiit Parmæ mense Augusto, ann. 1305. sepultus in Ecclesia S. Martini extra Parmam, Ordinis Cisterciensis. Ita Ciacconius.

XVI.

SIMON.

Memoratur in litteris Bonifaeij Papæ VIII. Datis Romæ apud S. Petrum, 6. Idus Iulij, ann. 1297. Pontificatus ipsius 3. Nec quicquam aliud de illo notatum lego, nisi quòd obiit 3. Idus Iunij.

XVII.

STEPHANVS.

Patria Diuionensis, ex Abbate Quineiaei electus ann .... de quo in libro obituum. *Kalendis Octobris obiit Dominus Stephanus 17. Abbas Pontigniacensis.* Obiisse creditur Cistercij, vbi sepultus iacet ad ingressum Capituli sub hoc Epitaphio.

Natum Diuione Stephanum premit lapis iste,
Intus Monachus factus, mox Cellerarius.
Pergens Quinciacum trahitur ad Pontigniacum,
Quod ter denis bonus Pater rexit annis
Duobusque.

Reliqua, aut mendo subsunt, aut non conueniunt.

XVIII.

IACOBVS I.

Qui dicitur obiisse, ann. 1311. 15. Kalendas Nouembris (quod tamen cum tempore præfecturæ Stephani non constat) sepultus in maiori sacello Pontigniacensi, sub plano lapide his versibus conscripto.

Quem tenet hic fundus, Doctor fuit iste profundus:
Sanctus, vt Edmundus, fuit absque libidine mundus.
Illius Ecclesia Pater, & fons Theologiæ,
Vita norma pia, feruens in amore Mariæ.
Cùm duplex Iacobus sic fertur ad astra talentis;
In testamentis præclarus scriba duobus.
Centum ter decies, septem ter, lumine Lucæ,
Migrans ab hac luce. Sit tibi Christi quies.

XIX.

IOANNES IV.

Huius nominis quartus, qui dicitur obiisse Kalendis Martij. Nec quicquam aliud nobis de ipso constat.

XX.

THOMAS.

Qui obiit 5. Idus Decembris: sepultus in Capitulo Pontigniacensi, sub hac inscriptione. *Hic iacet Dominus Thomas, 20. Abbas huius Monasterij.*

XXI.

XXI.

GVILLELMVS.

De quo in libro obituum. 14. *Kalendas Octobris obiit Dominus Guillelmus, 21. Abbas huius Monasterij.*

XXII.

IOANNES V. aliàs HENRICVS.

Obiit 10. Kalendas Aprilis, vt habet liber obituum Pontigniacensium.

XXIII.

RAIMVNDVS.

Obiit pridie Idus Martij.

XXIV.

NICOLAVS.

Sepultus in Capitulo sub hac inscriptione. *Hic iacet vir magnæ humilitatis, & abstinentiæ, Dominus Nicolaus, 24. Abbas huius Ecclesiæ, qui obiit in die omnium Sanctorum, ann.* 1371.

XXV.

IOANNES VI.

Qui dicitur obiisse Nonis Ianuarij.

XXVI.

PETRVS III.

Sepultus iuxta vetus sepulchrum S. Edmundi, sub hoc titulo. *Hic iacet Dominus Petrus, 26. Abbas huius Monasterij, qui obiit anno* 1400. *pridie Nonas Nouembris.*

XXVII.

IOANNES VII.

Obiit pridie Kalendas Octobris. Fuit Doctor in Theologia, & dicitur Legatus Concilij Constantiensis ad Scotos.

XXVIII.

IOANNES VIII.

Obiit 6. Idus Decembris.

XXIX.

LVDOVICVS, aliàs HENRICVS.

Obiit 10. Kalendas Februarij. Non satis constat, quis ex his Abbatibus Legatus à Concilio Constantiensi ad Scotiam destinatus, de quo Hector Boëtius *lib.* 16. *Venere in Scotiam diuersæ legationes, vna à Concilio Constantiensi, cui Abbas Pontigniaci præerat, vir multa eruditione, vita sanctimonia insignis*, &c.

XXX.

THOMAS II.

Ex Monacho Firmitatis, & Abbate Vallium-Sarnay electus. Obiisse dicitur 3. Idus Februarij: sepultus in Capitulo sub hac inscriptione. *Hic iacet veneranda memoria Reuerendus Pater Dominus Thomas, Bachalaureus formatus in Theologia, Monachus professus in Firmitate: assumptus in Abbatem Vallium Sarnay, sublimatus in Pastorem trigesimum huius insignis Cœnobij, in quo exemplo, & doctrina laudabiliter præfuit.*

XXXI.

PETRVS IV.

Qui obiit 16. Kalendas Februarij.

XXXII.

CLODIVS, aliàs STEPHANVS.

Aliàs Claudius, dictus de Lasin. Subscribit concordiæ inter Abbates Cistercij, & Claræuallis in Parlamento Regio, ann. 1487. Pro decidenda causa inter Cistercium, & vniuersum

vniuersum Ordinem iudex pro vtraque parte propositus, ann. 1488. *In Dialogo de prosp. & aduers. statu Ordinis.*

XXXIII.

IACOBVS II.

Dictus de Viri, ex Abbate Fontis Ioannis ad Pontigniacum promotus: qui obiit ann. 1510. sepultus in Capitulo sub hoc Epitaphio. *Hic conditur frater Iacobus de Viri, Bachalaureus in Theologia, B. Bernardi regulam professus in Benedictione Dei, qui Fontis Ioannis Abbas eo vsque fuit, donec huius domus 33. Abbas electus est, & sexquimillesimo decimo, 7. Idus Iunij expirauit.*

XXXIV.

IOANNES IX. aliis LVDOVICVS.

Dictus de Firier: sed neque obitus diem notatum habet.

XXXV.

IACOBVS III.

Dictus de Licott, qui obiit 4. Kalendas Maij.

XXXVI.

IOANNES X.

Dictus Belleus, siue de bellis manibus; Cardinalis à Paulo III. creatus, ann. 1535. Primus Commendatarius Pontigniacensis, simulque Parisiensis Episcopus, mox Burdegalensis, atque Cenomanensis Ecclesiæ administrator: de quo ista Ciaceonius. *Ioannes Belleus, Gallus, optimus in adolescentia disciplinis honestatus, illustri natus familia: ob scientiam, atque virtutem, à Francisco, Gallorum Rege, multis Reipublicæ muneribus præfectus: Episcopus Parisiensis, ac postea Lemouicensis. Cùm Romæ apud Paulum III. Orator Francisci Regis esset, eiusdem rogatu purpura insignitur, Presbyter Cardinalis, tituli S. Vitalis, mox tituli S. Cæciliæ, deinde tituli S. Adriani fuit. Postea renuntiato Ecclesiæ Parisiensis Sacerdotio, Episcopus Cardinalis Albanus factus est: Portuensis, atque Burdegalensis Archiepiscopatus administrator, Ecclesiæ Cænomanensis moderator: ac tandem Episcopus Cardinalis Hostiensis, & Veliternus, sacrique Collegij Decanus. Romæ moritur 14. Kalendas Martij, ann. 1560. ætatis suæ 68. in Ecclesia sanctissimæ Trinitatis in Monte Pintio sepultus.*

XXXVII.

HIPPOLYTVS.

Cardinalis Ferrariensis creatus ab eodem Paulo III. an. 1539. Commendatarius item, de quo Ciacconius. *Hippolytus Estensis, Ferrariensis, filius Alphonsi Ferrariæ Ducis, & frater eius, qui tunc erat: matre Lucretia Borgia natus, 9. Kalendas Septembris, anno Christi 1509. Francisci primi, & Henrici II. Galliæ Regum, affinis, & ab eisdem Aurelianensis, Mediolanensis, Auxitanensis, Eduensis, Lugdunensis, Narbonensis, Marturanensisque, administrator postulatus. Francisci Regis precibus Cardinalis S. Mariæ in Aquirio electus: deinde S. Mariæ in via lata, ac sub Gregorio XIII. Presbyter Cardinalis, tituli S. Anastasiæ, post tituli S. Mariæ Nouæ, & sub Pio V. patrimonij Ecclesiastici Legatus, Galliæ protector. Moritur Romæ 4. Nonas Decembris, ann. 1562. & cadauer eius Tibur translatum, in æde S. Francisci quiescit.*

XXXVIII.

IOANNES X.

Dictus de Vitriaco, Monachus Pontigniacensis, & postea eiusdem Ecclesiæ Abbas. Cuius tempore erat pensionarius Ludouicus Estensis Cardinalis. Extat huius Ioannis memoria in Capella S. Thomæ Cantuariensis, tabulæ æneæ incisa, verbis sequentibus. *Altaris huius sacrificium funebre piam animam à pœnis Purgatorij liberat. Gregorius XIII. Pontifex Maximus, concessit Ioanni de Vitriaco, Abbati Pontigniacensi, ann. 1578. 8. Kalendas Septembris.* Eius tempore Caluiniani, & Hugonotæ Pontigniacum inuadunt, diripiuntque templum, aras, vestimenta sacra profanant: Monachos nudant, verberant: Corpus B. Hugonis, primi Abbatis, sancti Edmundi Cantuariensis existimantes, cùm reperissent integrum, dilacerant, conculcant ausu sacrilego. Impij in vtrumque effectu, affectuve: sed impiores in Deum, quem in vtroque sancto, quantum in ipsis erat, dehonestabant.

XXXIX.

MARCHIO.

Dictus de Zain, siue Sonlain, idest, à sancto Sorlino, Commendatarius, qui resignauit Domino

Domino Claudio Boucheratio, Monacho Cistercienſi, & Doctori Theologo, fratri Nicolai Boucheratij, de quo in catalogo Abbatum Cisterciensium.

XL.

CLAVDIVS BOVCHERATIVS.

Qui ſuprà, natione Campanus, Patriâ Trecenſis, Doctor Theologus. Anno 1588. in Comitiis Bleſiorum, præſentante Henrico, huius nominis III. Gallorum Rege, Pontigniacenſi Monaſterio præficitur. Regebat annum 1599. cùm Bernardus Villalpandeus pro Abbate Fiterienſi luſtrabat Burgundiam, Ciſtercij antiquitates indagaturus, obiit ann. 1613. tempore Capituli generalis, vt ait Claudius Robertus in ſua Gallia. Philippus Seguinus inter ſcriptores Ciſtercij virum memorat, & qui in ſacris litteris nihil vnquam tam arduum, difficileve reperérit, de quo non inter Theologos Sorbonicos ſubtiliter, & doctè diſputauerit.

XLI.

CAROLVS.

Dictus Boucheratius, prædeceſſoris ſui Claudij nepos, qui tunc viuebat, cùm Robertus Claudius ſuam Galliam evulgabat.

Series Abbatum CLARÆVALLIS, tertiæ in Ordine (ſed ſupremæ dignitate, & numero Eccleſiarum) inter quatuor primas Ciſtercij filias.

I.

S. BERNARDVS.

SOlus in Eccleſia Dei, qui religioſæ familiæ, quam ipſe non conſtituit, nomen dedit. Egreſſus de Ciſtercio cum ſuis fratribus, anno ſalutis 1115. Claramvallem fundat, idest, vt idem Pater Bernardus ait epiſtola 64. *Hieruſalem terrenam, ei, quæ in cœlis eſt, tota mentis deuotione, conuerſationis imitatione, & cognatione ſpiritus ſociatam.* In ea aliquando ſeptingentos nouitios, & rarò pauciores habere ſolitus, etiam S. Malachiam Archiepiſcopum, atque Henricum, Francorum Regum & filium, & fratrem, habitu donat. Centum, & ſexaginta Eccleſias, partim de nouo conſtruit, partim ad leges, & ritus Ciſtercienſes renouat, tot nouitiorum euacuando continuo numero: è quibus plures Regiæ fundationes, aliæ Imperiales, aliæ Pontificiæ: quæ in filias, & neptes dilatatæ, maiorem, nobiliòremque efficiunt Ciſtercij partem. Vixit poſt cœptum Monaſterium annos 38. intra quos ex eiſdem Monachis vidit, quos ipſe genuiſſet, præſidentem vniuerſæ Eccleſiæ Eugenium, Cardinales ſex, Archiepiſcopos quinque, Epiſcopos viginti & tres, & multo plures, qui cum ipſo oblatas fugerent, quàm qui per ipſum dignitates acceptas adminiſtrarent. Templariis, ex Concilij Trecenſis iuſſu, præſcripſit regulam, ann. 1128 Eccleſiam labentem diuturno ſchiſmate potenter ſuſtinuit, ab anno 1130. vſque ad 1139. plus, minuſve. Imperatores, Regeſque diſcordes pacificauit: emergentes hæreticos repreſſit: peccatores à via ſalutis deuios, ad pœnitentiam plurimos, multos etiam ad Clauſtra ſecum traxit: ex quibus in Claraualle tot penè Sanctos, quot diſcipulos, habuit: & certant plures filiæ Sanctorum numero, Hemmenrode, Villarium, Meilroſa, & aliæ, Bernardo dempto, nec matri conceſſuræ. Vniuerſos fideles Orientales, cruce ab ipſo ſignatos, aduersùs Saracenos (impios ſacrorum locorum detentores) commouit, armauitque columna, Clauis, Dux, Magiſter, & Pater Chriſtiani Orbis. Vt verius multò, quàm de Cæſare, de ipſo dici poſſet:

Omnia Bernardus, quandiu vixit, erat.

Obiit, vt obſeruauit Petrus Caniſius, *pluribus miraculis clarus, quæ nullus Sanctorum, quorum vita ſcripta extant,* inter manus filiorum in Claravalle, 20. die Auguſti, ann. 1153. quo & paulo antè filius, & Pater eius Eugenius III. præceſſerat Magiſtrum, æterna gloria in cœlis coronandum.

II.

ROBERTVS I.

Ex Abbate primo Dunenſi reuelatus Bernardi ſucceſſor ante ſeptennium, atque ipſius conſilio ei ſuffectus, ann. 1153. *Cui Dominus toto tempore ſui regiminis, intus, & foris, non ſolùm in*

in sua Claravalle, sed in filiabus eius, tantam pacem contulit, ut felicissima illa tempora viderentur: vt habet liber obituum Claræuallensium. Eodem anno tres suscepit filias, Bernardi Patris posthumas, de Monte Ramorum, de Petrosa, de Moris, & inter neptes, præ cæteris illustrem, Abbatiam Populeti, Raimundi Berengarij opus insigne, quod filius eius Alphonsus consummauit, in sepulturam Regum Aragonensium: non secus ac Bernardo adhuc viuente, ann. 1147. Alphonsus primus Lusitaniæ Rex Alcobatiam fundauerat, in Regum Lusitaniæ mausoleum. S. Andream, cognomento Virdunensem, adhuc nouitium, & de perseuerantia dubitantem, ingenti miraculo in Ordine firmauit. Beatos Henricum, Godefridumque, alterum Cardinalem Albanensem, alterum Sotitanum Episcopum futuros, ad habitum suscepit. Sancto sene Serlone Sauigniacensi, qui se, & latè diffusum suum Ordinem Bernardo Patri dederat, familiariter vsus, plurimos ante se in cœlum præmittit. Tandem antecessorem suum in cunctis exhibens, ann. 1157. 3. Kalendas Maij, quæ dies S. Roberto, primo Cistercij Abbati, sacrata est, cùm nondum quatuor annos præfuisset, ad superos ascendit. Corpus eius ad Claramuallem delatum (nam extra illam obiit) in Capituli Claustro sepultum est, iuxta ostium Ecclesiæ, sub arcu lapideo, cum sanctis Serlone, Humberto, Odone, & Gerardo Farfensi, ex primis, chorioribusque Bernardi filiis, sub hac inscriptione. *Hic iacent venerabiles, & Beati Patres, quorum nomina primis litteris, in lapide insculptis, designantur, & acta in Tabulario copiosius describuntur.* Memorat virum ipsa, qua obiit, die, Menologium Cistercij, Molanus, Hugo Menardus, Arnaldus de Raise, & alij, tum antiqui, tum etiam recentiores.

III.

FASTRADVS.

Ex Abbate primo Cambetonensi, electus ann. 1157. cùm recusaret onus, fugeretque, B. Virginem obuiantem sibi vidit, & puerum Iesum tradentem, dicentemque: *Fastrade suscipe filium, & serua mihi illum*; vnde cum puero Iesu in vlnis pingi consueuit. Acceptata Abbatia mandato Virginis, dignus Bernardi successor, & tanti pueri custos inuentus est. Ad Fridericum Imperatorem veniens, ann. 1159 pro reformanda pace Mediolanensium, ab eo tanquam à Deo missus suscipitur. Apud Radeuicum *lib.* 1. Tum de Alexandri III. electione consultus, salutaria respondet. Quo, & sequenti anno, pro schismate sedando multum laborat. Henricum (post Cardinalem Albanensem) tunc solemnibus votis recèns adstrictum, Altæcumbæ Abbatem creat. Beatum Godefridum, ex Priore Claræuallis Lingonensem Episcopum, adiectis infulis, rursus in Claravalle, & in cella, in qua obiit Bernardus, suscipit. Sed paulo pòst sublatus Claræuallensibus Lamberto Cisterciensi sufficitur, ann. 1161. cùm antea sepulturæ tradidisset in Claravalle B. Serlonem, quem diximus eum antecessore eius cubare.

IV.

GODEFRIDVS.

B. Bernardi Parentis olim Notarius, & vitæ scriptor, ex Abbate Igniaci electus an. 1162. (nam Fastradus sub finem præcedentis promotus fuerat.) Quo & ad Armentariam in Gallæcia, & ad Castellaria in Pictauia, Abbatias fundandas, Monachos mittit. In Lusitania instituta noua militia (hodie de Auis dicunt) à sancto Ioanne Zirita præscriptis legibus, Abbati Claræuallis, si personaliter ad Hispaniam veniat, obedire iubetur: aliter per Abbatem Cisterciensem, aut eius commissarium visitanda. Triennio pòst, Lingonensem Episcopum Gaufridum, præsulatu abdicato, è cella, in qua obiit Bernardus Pater, ad cœlos transmigrantem, lachrymis primùm, sacrificiisque, mox honorifica sepultura donat, ann. 1165. succedente in eadem cella Alano, post renuntiatam sedem Altisiodori, priuatam vitam ibidem peracturo. Tum tertia prole adauctus eodem anno, ad Clarum Campum in Pago Traiectensi mittit Coloniam. Sequenti 1166. ab Amalrico, Hierosolymitano Rege, (in somniis à Bernardo Patre admonito) missam ad Claramuallem crucem suscipit, cuius virtute hostes profligauisset. Bernardi Patris canonizationem, quibusdam impedientibus causis, frustrà solicitat. De ipso in Capitulo ad fratres, elegantem, & qui adhuc extat, sermonem habet. In Lusitaniam, quarta adhuc suscepta filia, Salcedensi Abbatiæ Monachos dat, ann. 1167. Nec multo pòst, interuentu Henrici, fratris Regis Franciæ, ex Monacho Claræuallis, Archiepiscopi Remensis, aut cedit, aut deponitur, ann. 1168. Et causa per appellationem prosequuta vario euentu, tandem appellationum penitus à Cistercio relegandarum occasio fuit. Sequenti, pro Alexandro, Abbate Cistercij ad Fridericum Imperatorem missus. Et diu superstes, quæstionem de conuersione

aquæ

aquæ in vinum, in Gallia tunc frequentem, Henrico, Cardinali Albanensi proponit. Apud Baronium *an.* 1188. Tandem diebus plenus, & virtutibus, cùm in Episcopum, vt dicitur, electus, consentire noluisset, sanctè obdormit, incerto anno, nec nota sepultura. Sanctis adscriptus communi acclamatione, vt in Indice Ioannis videre licet.

V.

PONTIVS.

Ex Abbate Grandisyluæ electus, an. 1168. cum Alexandro, Abbate Cisterciensi, Fridericum Imperatorem, diuidentem Ecclesiam, grauiter conuenit, an. 1170. Ab eodem ad Alexandrum Papam missus pro reformanda Ecclesiæ pace, & schismate sedando multùm laborat. Monachos in Gallæcia, primùm ad Azebeyri Cœnobium instituendum, cùm hactenus mansissent sub nigro habitu: mox in Vngariam ad Abbatiam de Borsan fundandam, mittit. Demum in Episcopum Claromontensem eligitur, an. 1172. Post infulas à Friderico rursus missus ad Alexandrum, an. 1177. inter vtrumque optatam pacem reformat. Priuilegium Raimundi, Tolosæ Comitis, acceptat, an. 1197. Thomæ Cisterciensi, Monacho erudito, expositionem in Cantica Salomonis scribere iubet, à quo & eandem, sibi dicatam, suscipit, an. 1201. quo ipso creditur ad Superos transiisse. Memoratur in Menologio Cisterciensi Martij 6.

V I.

GERARDVS I.

Natione Lombardus, ex Abbate Fossæ nouæ electus ann. 1172. Ad quem, & ad Petrum, Abbatem S. Remigij, extat epistola Alexandri Papæ III. inter eas, quæ cum operibus Petri Cellensis circumferuntur. Ioannem, insignis sanctitatis virum, Priorem habet. De Bernardi canonizatione, fœliciùs tractat: de qua ab eodem Alexandro III. litteras suscipit, an. 1174. quo & Ecclesiam, à Bernardo Patre cœptam, solenniter dedicat: atque in Longouado, eidem S. Patri, per sanctum Petrum, Tarantasiensem Archiepiscopum, aram sacrari curat: grassante per vniuersam Galliam fame, largus in pauperes, ann. 1176. multiplicat annonam in Claraualle. quo ipso anno, per Germaniam visitans, sanctos Eucharium, Valerium, atque Maternum, super abdicanda præfectura deuotus consulit: à quibus tamen perseuerare iussus, admonetur de instanti sibi corona. Tandem anno 1177. per Pseudomonachum Hugonem de Bazochiis, quem ob grauia delicta antea punierat, Igniaci crudeliter occisus. Biduo, quo superuixit, pro occisore orans, euolauit ad cœlum, non sine multis præcedentibus, subsequentibusque reuelationibus. Funus ad Claramvallem delatum est, officia peragente B. Petro, tunc Abbate Igniaci, sed postea promouendo ad Claramvallem. Sepultus ad ingressum Ecclesiæ in claustro Capituli, sub arcu lapideo, in quo & eundem Petrum ibidem sepeliendum præstolabatur Epitaphium vtrique Sancto commune, quod nobis infrà veniet referendum. Obiit 17. Kalendas Nouembris: quo etiam ab authoribus Martyrologiorum commemoratur. Is, an successor (nec enim adhuc constat) Primatem Regni Daniæ, Legatumque, ac Regum, siue arbitrum, siue æmulum, magnum Eskillum, gloria mundi deposita humilem Monachum fecit in Claraualle, non sine admiratione totius Orbis. Extat ad eum Petri Abbatis Cellensis gratulatoria epistola de nouo statu, & gloriosa mutatione.

V I I.

HENRICVS.

Natione Lombardus, de quo suprà, ex Abbate Altæcumbæ electus an. 1177. Aduersùs Albigenses Legatus mittitur, an. 1178. De qua legatia patentes ad totum orbem litteras scribit. Apud Baronium Cardinalem, *eodem anno*. quo & Petrum Moranum, insignem hæresiarcham, conuincit, & conuertit: & Bernardi translationem in Claraualle celebrat; & B. Godefridi Soretani morti assistit. Sequenti 1179. sumptibus Regis Angliæ, Ecclesiam Claræuallis tegit ex plumbo. quo & in Episcopum Tolosanum priùs, mox in Abbatem Cistercij electus, non consentit. Vocatus tamen ad Concilium generale Lateranense, inuitus licèt, creatus Episcopus Cardinalis Albanensis. Triennio post 1182. Legatus in regno Galliæ Archiepiscopos dyscolos deponit, & multa aliorum Ordinum Cœnobia cum effectu reformat. Reuersus à Lucio III. honorificè suscipitur. Vrbano mortuo, an. 1187. à maiori, & saniori parte Cardinalium Pontifex renuntiatur; sed non consentit. Tunc Gregorio VIII. succedente, per totum orbẽ Legatus constituitur: & eo intra paucos dies decedente, Clemẽtis III. Vicarius, an. 1188. quo & prædicandæ aduersùs Sarracenos cruci præfectus, Reges Galliæ, & Angliæ, atque ipsam Frider. Imperatorem cruce signat

In reditu Attrebati ægrotat, & Sacramentis omnibus munitus, sanctè obdormit. Funus ad Claramvallem delatum est, vbi & corpus eius hodieque iacet inter Sanctos, Bernardum, & Malachiam, cum breui vitæ, & actorum eius epitome. Memoratur inter sanctiores Cistercij viros; & multis dicitur miraculis floruisse, atque grauibus, doctisque scriptis, sed quæ ad nostram notitiam non peruenêre.

VIII.

PETRVS I.

Genere clarus, vtpote Regis Franciæ consanguineus, ex Abbate Igniaci (vbi & martyrio interfuit sancti Gerardi, & corpus eius perduxit ad Claramvallem) inuitus, & fugiens, electus ann. 1179. Biennio pòst Alexandro III. defuncto, à Lucio III. eiusdem successore, sancti Petri Tarantasiensis vitam scribere iussus, opus id Altæcumbæ Abbati commendat. Apud Surium *in vita sancti Petri*. Eskillum magnum, ex Primate, & Legato Daniæ, Monachum, & Alanum, ex Monacho, Antisiodorensem Episcopum, sed iam, abiectis infulis, priuatam vitam agentem in Claravalle; post exactos ab altero in Monachatu quatuor, ab altero in vita priuata quindecim annos, breue intra tempus ad cœlum euolantem vtrumque donat condigna sepultura. Ecclesias, Claræuallis filias visitans, librum miraculorum B. Bernardi, qui hactenus latuerat, nouo ab ipso miraculo probatum, Claramvallem deferri, transcribi, & per Orbem diffundi facit. Conuenerat cum Philippo, Galliæ Rege, vt, ipso spiritualia sola curante, in temporalibus Claræualli Rex prouideret. Nec defraudatus prole, vallem Dei, Abbatiam iuxta Leodium, Hoyam in vltimis finibus Hispaniæ, alteram genuit, alteram adoptauit, cùm hactenus vixisset sub nigro habitu. A Lucio Papa III. vocatus Romam, ann. 1185. sacram eius excipit confessionem, eidem Eucharistiam administrauit: volentique, abdicato Pontificatu, Cistercium ingredi, solus, ne exequeretur, author fuit. Ab eodem Monasterio donatus, & multis xeniis, eùm ab Vrbe discederet, ad Grandimontenses, inter se dissidentes, vnà cum Abbate Cistercij iudex mittitur. Eorum Clericos pulsos à propriis domibus, in Claravalle hospitio gratanter suscipit. Ad Henricum Imperatorem Legatus, ann. 1186. à Virgine, dum eandem exorat, visibiliter benedicitur. Tandem meritis clarus, & miraculis, dum suæ lineæ Ecclesias visitaret, Fusniaci ægrotat: atque imminentis sibi mortis præscius, præcedentibus multis, subsequentibusque reuelationibus, sanctè obdormit. 4. Kalendas Nouembris, ann. 1186. Funus ad Claramvallem deductum, in primo sancti Patris Bernardi sepulchro ponitur, cum martyre Gerardo, Epitaphio communi, quod ita habet. *Sub hac cellula lapidea iacent D. Gerardus, Martyr egregius, sextus Claravallis Abbas, & D. Petrus octauus, miraculis clarus; cuius vita in volumine beati Bernardi habetur.* Memoratur in multis Martyrologiis ea, qua obiit, die: & vix illius æui scriptor est, qui non illius acta, & vitam tradat.

IX.

GARNERIVS.

Ex Abbate Albæ Ripæ electus ann. 1186. Sequenti in Capitulo generali Calatrauenses ad obedientiam Cistercij redeuntes, cum Abbate Guidone gratanter suscipit, sub filiatione Ecclesiæ Morimundi. Ioannem, Lugdunensem Archiepiscopum, atque Apostolicæ Sedis Legatum, abdicata dignitate, Monachum facit, anno 1188 quo & magni Henrici Cardinalis, qui Attrebati decesserat, funus ad Claramvallem perlatum suscipit: & in munere prædicandi Crucem in Sarracenos pro eodem Henrico subrogatur. Qua occasione ei scribit Ricardus Angliæ Rex, dum in Syria maneret. Apud Baronium, *an.* 1190. quo & noua in Hibernia prole adauctus, Monachos primum ad Abbatiam collis victoriæ; mox, sacris ossibus B. Malachiæ sequenti anno translatis in Claravalle, atque impetrata à generali Cistercij Synodo anniuersaria illius festiuitate, fragmenta eorumdem ossium pius transmittit, per Ecclesias Hiberniæ diuidenda. Exordium magnum Cisterciense scribi curat circa annum Christi 1192. Demum in Episcopum Lingonensem eligitur 1195. Qua dignitate fungens, nec minus ideo Cistercij frequentans Synodos, Innocentio III. de incorporatione Calatrauensium sub filiatione Ecclesiæ Morimundi litteras dat. De anno mortis nihil nobis constat. Corpus ad Claramvallem delatum est, atque in Capella retrò altare maius, in qua Eskillus iacebat, sepultum, sub lapide plano, sculpto verbis sequentibus. *Hic iacet Dominus Garnerius, primò Alpæ ripæ, deinde huius Monastery 9. Abbas, postea Lingonensis Episcopus.*

X.

X.

GVIDO.

Regio sanguine ortus, ex Abbate Vrsicampi electus ann. 1195. Quo & Danorum Regis Legatos ad Pontificem, à Galliæ Rege captos, detentosque libertate donat. Ab Innocentio III. recens electo, de sua assumptione litteras suscipit, an. 1198. Et Philippo, Francorum Regi illustri, cum Archiepiscopo Rothomagensi grauiter decertanti iudex datur. Calatrauensibus, Capitulum generale adeuntibus, nouas, atque exactiores leges cum aliis condit, ann. 1199. Nec multum pòst ad Innocentium III. de eorum incorporatione sub filiatione Morimundi litteras dat. Iterum Philippi Regis iudex, ann. 1202. quo & subortis in Cistercio dissidiis leuibus, ab Innocentio ad pacem exhortatur. Triplici intra breue tempus prole fœcundus, Montem sanctæ Mariæ in Comitatu Burgundiæ, Bisuntinensis; de Padulo in Sardinia, Turritanæ; & Toplin, seu Toplicam in Sclauonia, diœcesis Zagabriensis, Cœnobia fundat. Ab Imperatrice Maria, filia Ducis Brabantiæ, Othonis coniuge, donatur sacris xeniis circa annum Christi 1210. quorum memoria in inuentario Claræuallis hodieque extat. Tertiò ad Philippum, Regem Francorum, missus, ann. 1212. Cùm multa præclara egisset, tam pro Ecclesia, quàm pro Claraualle, virtutibus, & senio reuerendus, dum filias visitaret, piè obdormit 9. Kalendas Septembris, ann. 1214. Eius tempore ingens sacrarum thesaurus Claramvallem clariorem adhue reddidit, partim adductus à Philippo, Flandriæ Comite, partim transmissus ab Henrico, Imperatore Constantinopolitano, Balduini Imperatoris fratre, per Hugonem, Abbatem sancti Guillelmi, qui postmodum, abdicata præfectura, Monachum item egit in Claraualle. Floruit, & memorabilis Virgo sancta Hildegundis apud Sconaugiam, neptem Claræuallis ex Eberbacho, sub habitu virili, Ioseph dicta, atque mentita virum; de qua mira leguntur in eius actis. Memoratur Guido in integris Innocentij Papæ III. *in cap. Dilectus filius, de præbendis, & dignitatibus.*

XI.

CONRADVS I.

Æginonis Comitis filius, olim apud Philippum Sueuum, cum Othone de Imperio decertantem, vnà cum fratre obses: mox eius morte sui iuris effectus, Monachus Villariensis sub sancto Carolo, Sanctus & ipse, atque multis miraculis gloriosus: cuiusque digiti (vt ais coæuus author Cantipratanus) noctu ad inspectionem librorum pro candela lucere soliti erant: ex Priore, & Abbate eiusdem domus electus an. 1214. Cum Abbate Cistercij litigauit super quatuor primorum, si fortè mererentur, depositione. Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. interfuit, an. 1215. In quo, interuentu Hostiensis Cardinalis, delegati à Concilio, cum eodem Cisterciensi Abbate componit. Honorij III. tum de sua assumptione, tum de concordia inter ipsos Abbates inita, litteras suscipit, ann. 1216. quo & ab ipso ad Regem Galliæ Legatus, Regi Angliæ pupillo pacem impetrat. Priuilegia Claræualli suæ obtinet, ann. 1217. Et Arnaldo, Cisterciensi Abbate, cedente, à Cisterciensibus in Pastorem eligitur: siue eadem constantia pro Cistercio, qua paulo antè in Cistercium litigarutus: seu virum sibi præponere curarent, qui nec pro Claraualle, nec pro Cistercio, sed pro sola veritate constans spectaretur. Reliqua habes in Abbatibus Cistercij.

XII.

GVILLELMVS.

Ex Abbate de Monasteriis in Argona (errat Robertus, qui eum cum Guillelmo, Villariensi Abbate confundit) electus ann. 1217. quo & Cellense Monasterium in Lusitania, de manu Reginæ Sanctiæ sub filiatione Claræuallis suscipit. Sequenti 1218. ad Philippum, Francorum Regem, ab Honorio III. cum Abbate Morimundi Legatus. Nec multò pòst pro B. Catherina, ex Rachele Iudæa, Cisterciensi Sanctimoniali, coram Episcopo Leodiensi constanter agit. Contra quem etiam ab eodem Honorio litteras impetrat. Cuius temporis extat in Claraualle perillustre sacrarium, & in eo Dominicæ Crucis fragmentum, quod S. Patri Bernardo, adhuc viuenti, Hierosolymitanus Patriarcha transmisisset. Mathildem, Comitissam Flandriæ, Philippi Elsatij

 vxorem,

vxorem, Alphonsi, Lusitani Regis filiam, cum claro coniuge in Claravalle sepelit. Tandem, cùm quatuor annos præfuisset, piè moritur 14. Kalendas Iunij, an. 1221. sepultus in Claravalle in claustro Capituli, sub primo illius lapide, litteris exarato, cum eius nomine. *Hic iacet Dominus Guillelmus 12. Abbas Claræuallis.*

XIII.

ROBERTVS II.

Ex Monacho, & Cellerario Claræuallis, postea Abbate Monasterij Domus Dei, electus ann. 1221. cuius tempore Venerabilis Artaudus, ex Templi milite Monachus Claræuallis, ex Græcia, & Syria rediens, pretiosum reliquiarum thesaurum, & inter alia caput sancti Barnabæ Apostoli, & sancti Ioannis Chrysostomi, secum adduxit. Sub quo & in Claravalle floruisse creditur venerabilis Ebrardus de Barris, quondam Magister Templi, Adami, Morinorum Episcopi, auunculus; quem non multo pòst nepos sequutus legitur. Christianum, Claræuallis Monachum, qui ad Prædicatores inconsulto ipso transijsset, anathemate percutit, atque à loco, in quo Prior erat, eliminat: quominus eum ad Cistercium reuocaret, solo Honorij rogatu retardatus. Biennio præfuit, atque ipso nondum exactò sanctè obdormit. Idibus Martij, an. 1223.

XIV.

LAVRENTIVS.

Ex Monacho, & Abbate Vrsariæ in Gallæcia electus, ann. 1223. cùm priùs per miraculum ad Ordinem venisset. Apud Cæsarium *lib.* 1. *cap.* 33. Deinde Abbas Vrsariæ ab Innocentio III. ad Alphonsum, Lusitaniæ Regem, cum Abbate Spinæ, primùm iudex in causa Sanctiæ, Tharasiæque sororum: mox cum Archiepiscopo Compostellano, & Episcopo Auxiensi Legatus pro grauissimis negotiis transmissus esset. In Claravalle non diu superuixit. Extat tamen vas satis sumptuosum ex argento, & auro, distinctum gemmis, fabricatum ab ipso, recondendo capiti S. Vincentij Martyris, quod à Conrado, Cardinali Portuensi, ipsius antecessore, dono acceperat. Sub ipso creditur reformatum in Belgio Bodeloanum Cœnobium Benedictinum, quod B. Balduinus, dictus de Bocla, B. Virginis iussu ædificauerat. Fundatum etiam Cœnobium Poiloeanum Sanctimonialium, sub eius, & successorum ipsius visitatione. Obiit senecta, & pietate venerandus, an. 1226. quamuis sint, qui ad annum mortem anticipent. De die obitus, nec de sepulchro eius constat; quippe extra Claramvallem, vt omnes alij eius (vno dempto Bernardo) antecessores: sed illi vtplurimum ad Claramvallem delati sunt: Laurentius ibi remansit, vbi decessit.

XV.

RADVLPHVS.

Dictus de Pinis, ex Abbate Igniaci electus, an. 1226. aliis 1225. Guillelmum, Archiepiscopum Remensem, sepulchro excipit, an. 1226. Quatuor Sanctorum corpora, à Conrado Cardinali transmissa, in Claravalle decenter collocauit, an. 1227. quo & eundem Conradum Cardinalem, meritis, & miraculis gloriosum, in eodem Cœnobio sepelit. Biennio pòst, insignem virum Adamum, Morinorum Episcopum, Pontificali dignitate deposita ad habitum suscipit, ann. 1229. Sequentique 1230. fœcundus & ipse Valentiam in Pictauiensi diœcesi fundat per Monachos, transmissos ex Claravalle. Priuilegia Claræualli eidem impetrat, & quidem non vulgaria, an. 1232. quo in Pontificem Agenensem assumptus; auulsus à filiis, post triennium in Archiepiscopum Lugdunensem promotus est: cui dignitati non diu superuixit. Obiisse creditur, an. 1236. Corpus ad Claramvallem delatum est, atque ibidem sepultum, non longè ab Archiepiscopo Lundensi, venerabili Eskillo, sine vlla inscriptione, sed conseruata in libro sepulchrorum memoria viri.

XVI.

DROGO.

Qui ex Ordine Grandimontensi ad Claramvallem venerat: mox ex Abbate Vrsicampi electus, anno 1233. quo à Gregorio IX. Monasterium sancti Petri de

Fruentello

Fruentello reformare iubetur ad Cistercienses ritus sub Claraevallensium Abbatum visitatione. A Maria Imperatrice, Othonis vidua, nouum sacrarum reliquiarum thesaurum accipit, cuius & extat mentio in Claravalle. Nouam cum Abbate Cistercij concordiam init; sed quam Gregorius confirmare recusat; & solùm eam, quam Honorius approbauit, seruari iubet, an. 1233. Sequenti S. Lupi Trecensis Monasterium Canonicorum Regularium, sub onere debitorum gemens, illi commendat. Demum biennio exacto in praefectura, & sui desiderium relinquens, moritur 3. Nonas Maij, an. 1235. Sepultus in claustro Capituli post Guillelmum Abbatem 12. & conseruata memoria solius nominis. *Hic iacet Dominus Drogo 16. Abbas Claraevallis.*

XVII.

EBRARDVS.

Quem perperam Eduardum aliqui vocant, ex cellerario Claraevallis, & Abbate Ripatorij electus an. 1235. Sequenti 1236. à Gregorio IX. ad Reges Galliae, & Nauarrae, inter se diffidentes, Legatus mittitur. Nec multo pòst 1237. eiusdem Regis Nauarrae, quandiu in Syria permaneret, emergentibus causis, eum Abbate S. Dionysij Parisiensis iudex datur, quo & Abbatem S. Stephani Diuionensis Nigrorum visitat. Eius tempore concernere videtur Canonica S. Petri (sic enim dicitur Abbatia Amalfitanae dioecesis) vltima inter filias Claraevallis adoptata, an. 1236. quamuis an haec Ecclesia diuersa sit ab Abbatia S. Petri de Fruentello, an eadem hoc anno adscripta tabulis, ex Hispania non ausim diffinire. Ebrardus tandem, initio subsequentis anni 1238. senio fractus decedit 16. Kalendas Februarij, vt habet liber obituum Claraevallensium. Sepultus cum antecessore suo in claustro Capituli, simili inscriptione, nec praeter nomen, & numerum Abbatum quicquam prodente. Post eius obitum vacauit Claravallis mensibus sex: incertum qua occasione: fortè quòd electores non conuenirent.

XVIII.

GVILLELMVS.

Post longum interregnum, pro more Ordinis, vir sanctissimus Guillelmus electus est ex Abbate Villarij an. 1238. Cùm multis iam miraculis claruisset, quae Thomas à Cantiprato, coaeuus author, atque alij memoriae prodidere. Sequenti anno ad Concilium generale vocatus à Gregorio IX. cum Bonifacio, Abbate Cistercij, & multis aliis, tum Cardinalibus, tum Episcopis, captus, consolatorias ab eodem Gregorio litteras suscipit. Deinde in vinculis detentus per triennium, in ipso carcere obiit, pro Ecclesiae obedientia Martyr egregius, vt habent Tabulae Ecclesiae Claraevallis. Cantipratanus, eiusdem saeculi author, ob vitae merita, post triennium ab Imperatore dimissum tradit, & post pauca rebus humanis exemptum. Fortè Claraevallenses dilectum Patrem, quem non viderunt reducem, in carcere defunctum existimarunt. In eius morte ingens prodigium visum, Castitatis insigne, qua praecellebat. Cùm lauaretur tradendum sepulturae corpus, perlucidum, sed sine vllo alterius sexus indicio repertum est, quasi supra hominem esset in hac parte, qui nullius sensualis motus capax reperiretur: vnde versus.

Pullulat insignis victoria virginitatis
Guillelmo signis post fata micante beatis:
Inquinet vt nulla corpus pollutio, sexus
In dubio flexus: stabili stat in inquine bulla, &c.

Eius tempore Archiepiscopus Mitilinensis, in Claravalle Monachus, in eadem domo sanctè obdormit 12. Kalendas Maij, an. 1240. Guillelmi corpus ad Claramvallem delatum est, & molestè sepultum contra miracula (si ita fari licet) post vtrumque, quem habuit, antecessorem, nullis gloriosis titulis, sed solo nomine expresso in sepultura. *Hic iacet Dominus Guillelmus 12. Abbas Claraevallis.* Hic ille magnus Guillelmus est, qui cum bouem pinguem pro desiderio cuiusdam praegnantis pauperis occidi fecisset, eique partem dari, quam concupierat; sequenti die arantem bouem repetit ingenti miraculo, quod omnes incolas prouinciae stupefecit.

XIX.

STEPHANVS.

Natione Anglicus, sed moribus Angelicus, sancti Edmundi Parisiis quondam auditor, atque eius praedicatione conuersus ab Ordinem, vnum è septem illis

lucidis faculis, quas ex suo gymnasio in Cistercio migrare vidit: ex Abbate Sauigniaci electus anno 1242. Biennio post 1244. cum Cistercienses à Prædicatoribus, Minoribusque suggillari videret, quòd minus litterati reputarentur: facultatem ab Innocentio IV. impetrat condendi Collegium Parisiis pro suis Monachis. Qua obtenta, dono, an pretio acceptam (neque enim constat) insignem aulam Comitum Campaniæ in Cardneto pro collegio struendo cœpit disponere. Interim Iacobi de Pecoraria Cardinalis, ex Claravalle assumpti, & Roberti Pontificis Leodiensis, (qui olim à Capitulo generali, vt festum sancti Lamberti per vniuersum Cistercium celebraretur, obtinuit) funera excipit: alterum 1245. alterum 1246. ex Alna translatum, vbi priùs sepulturæ locum acceperat. Post triennium, venerabilem Nicolaum, Roskildensem Episcopum, magni Eskilli nepotem, ob suæ Ecclesiæ libertatem exulantem hospitio suscipit, ægrotantem procurat, morientem confirmat, defunctum honorificè sepelit, an. 1249. Corpus B. Alethæ, S. Bernardi matris, à Sant-Benignianis Monachis acceptum, ad Claramvallem transfert, ann. 1250. Conuentui S. Petri Neumacensis, Nigrorum, visitando præficitur ab Innocentio IV. ann. 1252. Et post biennium ab Alexandro IV. litigantibus super Seneschallia Lugdunensi iudex datur. quo ipso anno 1254. consummato collegio Parisiensi, pro eodem sustentando Ecclesiam accipit. Sequenti à Guidone, Abbate Cistercij, quòd id collegium inconsulto Capitulo generali condidisset, deponitur. Ab Alexandro per eundem Guidonem restitui iussus; mox, eo dissimulante, nec restituente, constitutis magistris Parisiensibus restitutionis ipsius exequutoribus, Stephanus priuilegio illi renunciat, in Vrsicampo quoad vixit permansurus. Nec multò pòst, vacante Ecclesia in Anglia, natali sibi solo, ab eodem Alexandro Episcopus renunciatur. Sed immatura morte præuentus est; nec suæ promotionis sustinuit nuntium. Memorant virum Matthæus Paris, & alij, egregia cum laude. Reueta dignus æterna memoria hominum. Obiit 12. Kalendas Aprilis, in Vrsicampo sepultus, vbi decessit.

X X.

I O A N N E S I.

Cùm ex Monacho S. Dionysij Parisiensis Benedictino ad Cistercium venisset, mox ex Abbate Igniaci electus an. 1256. Excepit funus inclytæ Margaritæ. Apud Marianam *lib.* 11. quam & in Presbyterio sepeliuit sub hac inscriptione. *In Presbyterio, in tumba eleuata, iacet inclyta recordationis Domina Margarita, Regina Nauarra, Campania Comitissa, & Bria Palatina. Obiit ann.* 1261. *Kalendas Aprilis.* Rexit in pace Claramvallem per annos 6. (quod ô vtinam imitatus esset eius successor!) Quibus expletis, sponte cessisse dicitur: at non in priuata vita permansurus, vt euentus monstrauit; sed in gratiæ Dei Abbatem assumendus.

X X I.

P H I L I P P V S I.

Ex Canonico, & officiali Cœnomanensi, primùm Monachus, mox Abbas Fulcardi montis: inde in Abbatem Claræuallis electus, ann. 1262. quo & Guidoni, Cistercij Patri, promoto in Cardinalem, cùm Prior, & Monachi Ecclesiæ Cisterciensis, quatuor primis Abbatibus omissis, subrogassent Iacobum, ipse ante alios electionem eam impugnans (zelo, an liuore, quis audeat diffinire) tres alios primos Abbates post se traxit, vir eloquens, ac doctus, & qui, seu verè habuit, seu prætulit in cunctis iustitiæ zelum. Sequenti anno donatus ab Vrbano summo Pontifice, Maclouiensi Ecclesia, (errant, qui Cœnomanensem fuisse scribunt) siue ob virtutes, & præclara merita viri, (sic enim babent litteræ) siue impediendo domesticæ dissensionis serpenti malo, quod non aliter videbatur posse auerti: vt consentiret, non precibus, non iussis, non per censuras potuit persuaderi. Extant epistolæ Pontificis ad ipsum, vt acceptaret, ad Abbatem Cistercij vt hortaretur: quod si non obtineret, tam Pontificia, quàm propria auctoritate acceptare compelleret. Extant & litteræ eundem absoluentes à censutis, quas incurrisset ob vtriusque mandati transgressionem. Verùm Philippus Romam confestim adiens, atque Vrbanum eôueniens, dum contemptor honorum, & dignitatum, & solam Dei gloriam sitire visus, ab electione transit ad obseruantiam: nec solùm in Iacobum, sed in totum Cistercium multa opponit; quasi sub

specie

ſpecie antiquæ ſanctitatis, per laxamenta & ambitum à primitiuo feruore degenerafſet: in tantum mentem Pontificis commouit, accendit zelum, vt reformando inſtituto Ciſtercienſi, per cuius profeſſores hactenus alia reformari ſolita erant, externos iudices, Epiſcopum Trecenſem, & Abbatem Maioris Monaſterij Benedictinum, de facto deſtinauerit, non ſine admiratione totius Orbis. Illis ab executione retardatis Ciſtercij reuerentia, atque operis ipſius difficultate, Iacobus, qui tantorum malorum occaſio fuerat, ne ſibi imputarentur, renuntiare, quàm Ciſtercium externæ viſitationi ſine exemplo ſubiicere, ſatius duxit. Nec prævaluiſſet impedire damnū, ſi non, Vrbano ad Superos tranſlato, qui ei ſucceſſit, Clemens, cùm nihil ſibi antiquius reputaret, quàm curare Ciſtercium, illuſtriſſimum totius Eccleſiæ membrum (vt ipſe ait) vocatis omnibus, atque omnibus auditis, compertoque in vtriſque iuſtitiæ zelo, ſed minus in vtriſque ſecundùm ſcientiam, per ſeipſum controuerſiam diremiſſet, ann. 1265 edita Clementina, in qua omnia, & ſingula, quæ vtrique opponebant, decidebantur. Atque hæc fuit ingens illa calamitas, quam primam, ſummamque Ciſtercij perſequutionem appellat author Dialogi *de proſp. & aduerſ. ſtatu Ordinis*. Nobis id vnum in comperto eſt, extunc clariſſimam Claræuallis gloriam, à Bernardo Parente comparatam, & continuatam per ducentos fermè annos in eius filiis, aut defeciſſe ſubitò, aut manifeſtè cœpiſſe declinare: & , quod fatendum non ſine dolore, ſaltem vſque ad hæc tempora, non vltrà ad priſtinum ſtatum reuocandam. Turbant lites domeſticæ haud dubiè religionis feruorem: ſed ſi per eas ſopiantur, non extinguunt, vel ex cineribus ſtatim ſuccendendum. Si ad ſæculares tranſeant, omnia perdunt: quippe dum eos, quos Angelos putabant, homines vident, & illi facile reuerentiam exuunt, & nos pudorem. Vixit Philippus ad annum 1272. quo tempore ab vtroque Pontifice multa obtinuit. Eo referente, cùm de inſtituendo Calatrauæ Priore dubitaretur, inſtitutio remiſſa Capitulo, & confirmata Abbati Morimundi, ann. 1268. ſub ipſo item contigiſſe legitur ſecunda tranſlatio Patrum Claræuallis, ann. 1269. per manum Iacobi, Archiepiſcopi Lugdunenſis, & Petri, Epiſcopi Othonienſis, vt habent Tabulæ. Exceptum tamen Eliſabethæ Reginæ eor, S Ludouici, Theobaldique, Regum Franciæ, & Nauarræ, filiæ, & coniugis, ann. 1271. atque honorificè ſepultum in medio chori, in tumba deaurata cum proprio titulo. Obiit Philippus extra Claramvallem, vt cæteri ante ipſum, præter Bernardum, 12. Kalendas Februarij, ann. 1272. Corpus ad Claramvallem deductum eſt, & , quod mireris, cum S. Roberto, Serlone, Humberto, Odone, & Gerardo Farfenſi ſepultum, ſubſcripta ibidem honorifica memoria, & appenſo Epitaphio, quod ita habet.

Abbas Philippus oculis de quatuor vnus
Clarus, & illippus iacet hic. O flebile funus!
Officialis erat, & Canonicus Canomanis
Cum Clauſtrum ſubit, vbi vixit pluribus annis.
Claravallenſis fuit Abbas relligioſus,
Multum famoſus, electus Maclouienſis.
Hic pius, & humilis, deuotus, carne pudicus,
Adveniam facilis, & ſobrietatis amicus.
Egregios mores habuit, contempſit honores
Mundi; namque datum ſibi ſpreuit Pontificatum.
Magnus Iuriſta, ſapiens, ſermone diſertus
Pater, iacens, iſta pauſat petra coopertus.
Anno milleno, bis centum, ſeptuageno
Bino, deceſſit Philippus, cui requies ſit.
Quiſquis dictamen leget hoc, reſpondeat: Amen.

XXII.

BONO.

Ex Monacho, & Abbate Trium fontium electus ann. 1272. poſt longam litem pace fruiturus, ſi non exhauſtam per ciuiles diſcordias domùm, ad ſtatum priſtinum voluiſſet reuocare. Sed reuocauit tamen intra octo, quibus præfuit, annorum ſpatium breue: ſubtractus non tam vitæ in meliorem haud dubiè commutandæ, quàm inſtanti oppreſſioni, quæ ab eius morte Ciſtercium exagitauit. Deceſſit 7. Idus Februarij, ann. 1280. & cum aliis ſepultus in ipſo Clauſtro.

XXIII.

THEOBALDVS.

Dictus de Sanfiaco, ex Abbate domus Dei, &, ea præfectura pòst abdicata, antecessoris sui Notario, Prioreque, electus ann 1280. quo, detectis diuitiis Cisterciensibus larga, & prolixa lite, quas iam non possent per procurationes, intercessionesve, per exactiones extorquere visum: iniuncto centum mille librarum graui subsidio pro recuperatione terræ sanctæ, intra annum ab Ordine soluendo. Vix vllis adhuc suetam contributionibus Cisterciensem familiam quæuis affligeret, nedum tam ingens summa. Quin & semel exacta, solutaque, timebatur frequenter expetenda. Præfuit annis quatuor magna cum laude doctrinæ, & sanctitatis. Et ann. 1284. ad Cistercium promotus, domum, quam antecessor eius Ioannes pauperem susceperat, adhuc post exactionem inusitatam, inuenit diuitem, atque in vtrisque bonis conseruauit.

XXIV.

GERARDVS II.

Ex Abbate Igniacensi electus ann. 1284. Præfuit annis duobus. Nec vlla alia memoria illius extat, nisi quòd post Bernardum Patrem primus per ducentos fermè annos in Claravalle decessit: vbi & in Claustro Capituli ad antecessores suos adiunctus iacet.

XXV.

IOANNES II.

Ex Monacho Pratez, & Abbate Domus Dei electus ann. 1286. Excepit funus sanctissimi prædecessoris sui Henrici, Cardinalis Episcopi Albanensis, & decentissimè collocauit sacras exuuias. Ei scribit Nicolaus Papa IV. Pontificatus ipsius anno secundo, Christi 1288. Triennio pòst Cœlestinus eius successor sanctum Syluanum, Monachum Claræuallis, Bernardi olim discipulum, dicitur abscripsisse Sanctorum numero: solum ex his, qui manserunt in Claravalle, cùm egressos ad alia Monasteria alij Pontifices multos cooptauerint. Nocuit illis fortasè multitudo, sicut hos raritas fecit pretiosiores, seu fortè auulsis ab vberibus Bernardi, approbatione opus, qua minus indigerent, qui adhæsissent. Præfuit Ioannes annos quinque, quibus, & paucis mensibus expletis migrauit ad Dominum, pridie Nonas Octobris: in Capitulo sepultus cum aliis Patribus.

XXVI.

IOANNES III.

Dictus de Sanfiaco, frater Theobaldi, Abbatis 23. ex Monacho Claræuallis, & Abbate Barbelli electus, ann. 1291. Bonamuenturam Episcopum .... exulantem ob fidem à propria sede, hospitio grato, & Monachali veste donauit; mox sepultura, an. 1294. quæ hodieque Epitaphio ipsius illustris visitur. Ei scribit Bonifacius Papa VIII. an. 1297. Pontificatus ipsius 3. Præfuit pacificè annis 21. Et tandem ann. 1312. mortuus est, incertum quo die, & in Claustro Capituli sepultus, nomen, & numerum inter reliquos Claræuallis Abbates scriptum habet.

XXVII.

GVILLELMVS II.

Ex Monacho Claræuallis, & Abbate Balernæ, & Cari loci, electus ann. 1312. Cùm octo tantùm mensibus præfuisset, non leue desiderium sui relinquens, sequenti anno 3. Kalendas Februarij mortuus est, & cum antecessoribus suis sepultus memoria simili.

XXVIII.

CONRADVS II.

Ex Monacho Claræuallis, & Abbate Altæcumbæ, electus ann. 1313. Cuius extat in Claravalle caput argenteum, auro, & gemmis distinctum, recondendo capiti S. Barnabæ Apostoli, quod dudum illuc ex Græcia allatum fuerat. Præfuit annos duos cum dimidio. Obiit Parisiis 7. Idus Ianuarij, ann. 1316. sepultus in Ecclesia Collegij Parisiensis.

XXIX.

MATTHÆVS I.

Dictus de Aumella, ex Monacho Claræuallis, & Notario sui antecessoris electus ann.

ann. 1316. Cuius tempore, circa festum omnium Sanctorum, obiit in Claravalle felicis recordationis Dominus Guido, ex Monacho, & Priore Theologi Episcopus Elnensis, pietate, & doctrina commendatus. Extant in Claravalle duæ cruces argenteæ, distinctæ gemmis, quæ Matthæi opus esse memorantur. Porrò cùm annos fermè 16. præfuisset, obiit 5. Idus Decembris, ann. 1332. cum reliquis sepultus sub lapide, signante diem, & annum: quos primos in eius sepultura notatos lego.

XXX.

IOANNES IV.

Dictus de Aizanvilla, nobili genere natus, ex Monacho, & Cellerario Claræuallis electus ann. 1332. Cuius tempore Parisiense Collegium redemptum pretio (vt habet Dialogus *de prosp. & aduers statu Ordinis*) ex proprio Claræualli, commune factum à Benedicto Papa XII. pro Monachis totius Ordinis ædificari cœpit, ann. 1236. Accepit Ioannes à matre sua carnali, Margarita de Aizanvilla, nobili fœmina, ingentem summam pro annuis redditibus, ad vsus pauperum distribuendis in Claravalle. In cuius beneficij gratiam pius filius capellam sepulturæ illius struxit, in qua hodieque memoria perseuerat.

Ex Aizanvilla cognomen suscepit illa;
Quam tegit hæc petra, careat caligine tetra.
Est Margarita speciei fulgida meta.
Prole fuit clara, Claræualli quoque chara,
Cui sua pro Christo gaudens dispersit egenis, &c.

Extant & duo capita argentea recondendis capitibus sanctorum Patrum, Bernardi, & Malachiæ, quæ tempore huius Ioannis facta dicuntur in inuentario Sacrarij Claræuallis. Præfuit annis.... decessitque pridie Kalendas Octobris.

XXXI.

BERNARDVS II.

Dictus de Laudono, ex Monacho Claræuallis, & Abbate Fusniaci, electus anno.... Hic, cùm expensæ communes totius Ordinis in immensum creuissent, nec continuatis externis exactionibus, nisi ad cambium accepta grandi summa, speraretur posse sustineri: dedisse dicitur quatuor millia librarum vniuerso Cistercio, ann. 1356. à quo redditus annuos ducentarum librarum, quandiu non soluerentur, Claravallis haberet in proprios vsus. Obiit, vt in eius sepulchro testatum extat, 5. Idus Decembris, ann. 1358.

XXXII.

IOANNES V.

Dictus de Bugeriis, aliàs de Atuernia, sacræ Theologiæ Professor, ex Monacho, & Cellerario Claræuallis electus ann. 1358. Cùm nondum duos integros præfuisset (errant, qui plures ei attribuunt in Claravalle) in Abbatem Cistercij promotus est, inde à Gregorio XI. in Cardinalium Collegium cooptandus.

XXXIII.

IOANNES VI.

Dictus de Dullemonte, sacræ Theologiæ Professor, electus ann. 1360. Impetrauit priuilegia Calatrauensibus à Ioanne II. atque Carolo V. Francorum Regibus. Apud Renatum Chopinum *in Monastico*. Præfuit annis 20. decessitque 6. Idus Iunij, ann. 1380. vt in eius sepulchro notatum legitur.

XXXIV.

STEPHANVS II.

Dictus de Foiniaco, sacræ Theologiæ Professor, electus ann. 1380. cùm Claravallis multo ære alieno oppressa esset, vendidit Conuentui, & Abbati Cistercij redditus decem modiorum vini, quibus soluendis Cistercium tenebatur, Burgundiæ Ducum, aut Belnensium Comitum dono. Priuilegium vtendi mitra, atque aliis insignibus Pontificalibus, aut primùs impetrauit in Claravalle, aut impetrato primus vsus est: vnde & primus in lapide sepulchrali cum mitra cernitur. Præfuit annis 22. Decessit 4. Idus Iulij, ann. 1402.

XXXV.

IOANNES VII.

Dictus de Martiniaco, sacræ Theologiæ Professor, ex Abbate Morimundi electus ann.

ann. 1402. cùm tribus annis præfuisset in Claravalle, in Abbatem Cistercij promotus est, ann. 1405. vt in Cisterciensium Abbatum serie notatum manet.

XXXVI.

MATTHÆVS II.

Dictus Pillard, sacræ Theologiæ Doctor, ex Abbate Belli prati, & Mortui maris electus ann. 1405. In generali Concilio Constantiensi ambasiator Ecclesiæ Gallicanæ, anno 1416. in quo & illustris illius memoria extat, & extaret vbique, si non immoderato zelo æstuans, seu mauis in Cistercium æmulatione, veterēda matris suæ discooperuisset, non paucos post se trahens, atque cunctos inuoluens bellis domesticis, quæ vel integrum, florensque Cistercium, nedum in ipso occasu, labefactassent. Solicitabat Cisterciensium Abbatum curam potentia Claræuallis, & Claræuallenses Ecclesiarum numero aucti obedire Cistercio dedignabantur. Neque, vt olim Poëta Hispanus cecinit de Cæsare, & Pompeio: *Quisquam iam ferre poterat, Claræuallisve priorem, Cisterciumve parem.* Hinc Cistercio, aut obtenta, aut vsurpata immediata potestas per totum Ordinem, ne, si hoc iure filias tantum regeret, à Claravalle vt numero filiarum, ita & auctoritate vinceretur. Vergere id in ruinam totius Ordinis disputabat Matthæus, & quo pollebat ingenio, doctrináque, perelegantem edidit libellum, in quo commendis, pensionibus, bellis, pestique, quartam causam addebat ruinæ, quam patiebatur, vsurpatam ab Abbatibus Cistercij iurisdictionem, quippe dum se immediatos omnium Monasteriorum Superiores appellant, & esse volunt, neque cunctis sufficiunt, & eleuant Abbatum, ad quos spectant, paternam, qua ab initio tenebantur, solicitudinem, dum iam non proprias, sed communes cum alio filias minus diligunt, & in earum curam, si quam habent, Abbati potentiori facile cedunt, si contendant vincendi, & alias subditos in partes diuisuri. Memorat hunc libellum author Dialogi *de prosp. & aduers. statu Ordinis part. 2. cap. 6.* actis simul in ipsum, authoremque, sed quem aliàs commendat, & virum eruditum, & pium non inficiatur. Matthæi tempore lectus, transcriptusque, vt statim non erupit in flammas dissensionis, semina tamen mandauit multorum cordibus, quæ paulatim serpentia in magnam segetem domesticæ discordiæ, breui creuisse docuit experientia, non sine magno dolore bonorum omnium. Sedit Matthæus annis 23. In cæteris laudatus, in hoc, dubium, & varium iudicium passus, prout afficiebantur, qui iudicabant. Obiit 5. die mensis Augusti, ann. 1428. prout extat notatum in eius tumulo.

XXXVII.

GVILLELMVS III.

Dictus de Edua, sacræ Theologiæ Doctor clarissimus, ex Monacho Claræuallis, & Abbate Mortui maris, in qua Ecclesia 23. annos præfuerat, electus ann. 1428. cùm Abbates Cistercij, & Firmitatis redditus annuos pro summa, in censum data vniuerso Cistercio, ann. 1356 vellent remittere, ann. 1444. non consensisse dicitur, quasi non posset suam Ecclesiam defraudare sua pecunia. Et meminit fortasse annuæ pensionis decem modiorum vini, quam redemit Cistercium, à Claravalle non vltrà percipiendæ. Præfuit annis 20. quibus exactis 3. die Decembris mortuus est anno 1448. & in Claustro Capituli sepultus cum suis Patribus.

XXXVIII.

PHILIPPVS II.

Dictus de Fontanis, sacræ Theologiæ Professor, ex Monacho Laudensi, & Abbate Maceriarum electus ann. 1449. Edoctus à Matthæo Pillardo antecessore, siue ita ipse sentiens, in dubio est, certum zelasse pro vniuerso Ordine (vt loquebatur, & fortè existimabat) aduersùs vsurpatum ab Abbatibus Cistercij iurisdictionem. Quin & refertur author extitisse suo, quem viuens habuit, successori, vt super ea, superque redditibus, à longo tempore Ordini donatis in communes expensas, sed Cistercio applicatas potenti manu, litem moueret, & libertatem, & opus vendicaret suæ familiæ. Nihil ab ipso tentatum est, totis, quèis præfuit, annis 22. Cessisse tamen sub illorum finem legitur, vt, quem optabat, obtineret successorem: eiusdem, siue zeli, siue dictaminis, & maioris audaciæ: per quem, quod ipse omisisset in hac parte, speraret cum lucro reparandum. Non tamen diu cessioni superuixit: decessit 10. die mensis Septembris, ann. 1471. sepultus in Claustro Capituli cum cæteris Abbatibus, qui ante, & post ipsum Claram vallem administrarunt; sub hoc Epitaphio. *Hic iacet Reuer. Pater Dominus Philippus de Fontanis, Religiosus in laude, Theologiæ solemnis Professor, qui Prior octo annis Maceriarum, postea Claræuallis 38. vtilissimus extitit Abbas,*

Abbas, & cessit, & 10 Septembris Deo decessit, ann. 147. Eius tempore, & iussu, seu commissione venerabilis, & verè Beatus Pater, Ioannes Eustachius, primus Iardineti Abbas in tractu Namurcensi, Cistercensia de linea Claræ vallis, per Hannoniam, & Flandriam visitauit Cœnobia, atque inter alia Oliueranum apud Binchium, & Bellopratense apud Gerardi montem, non sine magno labore, vitæque periculo, reformauit, vt ait Aubertus Miræus in suo Chronico.

XXXIX.

PETRUS II.

Dictus de Bireio, sacræ Theologiæ Professor, ex Monacho Maceriarum, & Abbate Caroli loci electus ann. 1471. Aduersùs Ioannem, dictum de Cireio, Cisterciensem Abbatem, prolixam satis, nec dignam Cistercio litem mouit: quippe non solùm agitatam extra Cistercium, sed etiam extra Ecclesiæ tribunalia in Regio Parlamento Parisiensi, inter tumultus ciuilium negotiorum. Præcipua capita litis suprà tradita, sed ex redditibus occasione sumpta, quarum multi per Reges donati erant: tractum vtrumque ad Curiam, & petitæ rationes à multis annis, sexennio integro litem protraxerunt: nempe ab anno 1482. vsque ad 1488. Claræ vallensi adhæserunt multi Abbates, & consequutus est, vt non tam suo, & suæ Ecclesiæ nomine, quàm totius Cistercij, aduersum Cisterciense Monasterium, atque ipsius Abbates litigaretur. Sistebantur sæculari iudicio Monachi, & qui hactenus, vt sibi sufficientes, vel Cardinales de latere Legatos, iudices detrectare soliti essent: iam quasi neque Ecclesia illis sufficeret, vltrò se submittebant ciuili foro. Et sæculare iudicium passi essent, si non maiori curæ sæcularibus, quàm ipsis extitisset Cisterc-j decus. Præualuit tamen reuerentia antiqui nominis, & post longas sessiones decretum est, vt, constitutis pro vtraque parte arbitris ex Abbatibus Ordinis, omnia in Capitulo generali sequenti deciderentur. Cui decreto Rex Carolus subscripsit, atque obseruari iussit, an. 1487. sequenti 1488. in Capitulo generali, tam pro Ordine, quàm pro Ecclesia Cistercij arbitris designatis, solam redditum causam discussam video, & iudicata pro Cistercio pleraque, paucis tantummodo, communibus expensis, adiudicatis. Extat sententia in præuotato Dialogo *de prosp. & aduers. statu Ordinis*, numeratis redditibus, qui venerant in litem, adeò pinguibus, vt præter Ecclesias, grangias, piscationes, salinas, & pedagia valoris dubij, & qui augeri, aut minui facile potest, cæteri, qui certiores habebantur, duo millia marcharum superarent. Sedata lite, reconciliatus Petrus venerabili Ioanni, atque eius vice missus in Hispaniam, militias sacras (quod Ferdinandus, cognomento Catholicus, in earum administratorem designatus instanter petiisset) Ordinis totius Ecclesias visitaturus. Examinauit Obseruantiæ leges, reformationemque, atque cum Obseruantibus composuit Vallisoleti, ann. 1493. Nec multo pòst Alcobaciensi Abbati committit reformanda Cœnobia Cistercensia per Lusitaniam, Capituli generalis authoritate, cum plena in omnes Abbates, & Abbatissas, Monachos, & Moniales iurisdictione Dum litigaret priuilegia multa obtinuit à Rege Franciæ Carolo, ann. 1481. 1482. & 1484 quibus hodieque gaudet Claræ vallis. Tandem plenus dierum sponte cessit, ann. 1496. & nihilominus, decennio superuixit quibusdam scriptis clarus, apud Philippum Seguinum, qui multa memorat. Mortuus 21. die mensis Septembris, ann. 1506. cum Patribus suis in Claustro tumulatur.

XL.

IOANNES VIII.

Dictus de Cabilone, Doctor Theologus, ex Monacho Firmitatis, & Abbate Regniaci, & Fontaneti, electus ann. 1496. Cuius extat tabula argentea, multis pretiosis lapidibus distincta, continens sacrarum exuuiarum fragmenta plurima. Bibliothecam Claræ vallis eximiè auxit. A Regibus Henrico, Francisco que antiqua confirmauit, ann. 1498. & noua priuilegia etiam obtinuit. Apud Renatum Chopinum *in Monastico.* Atque alia quædam fecit satis vtilia. Præfuit annis 13. ac sponte cessit ann. 1509. Postquam deuoto fine quieuisse dicitur 7. Kalendas Octobris incerti anni.

XLI.

EDMUNDUS.

Dictus de Sedeloco, ex Monacho Claræ vallis, cùm inter Sacerdotes iunior esset, cæteris dignior repertus est, cui traderetur cura pastoralis, sicut ipse operibus, Sancto dignis, postea prodidit. Ei scribit Franciscus, Galliæ Rex, solemnibus tabulis, ann. 1518. &

& 1535. Claræuallis Ecclesiæ multa indulgens. Anno 1532. ad Hispaniam venit,& Lusitaniam vsque penetrauit: ibi Alcobaciam,nonnihil deuiantem à priscis ritibus,reuocare conatus,multa instituit,quorum ego transsumptum apud me habeo.Sub ipso anno 1545. (nam duos,& quadraginta annos præfedit) sanctorum Patrum, Bernardi, & Malachiæ amantissima corpora, Aumionem translata bellorum metu, Bernardus Brito, & Ludouicus Sousa,authores Lusitani,memoriæ produnt,traditis circumstantiis, quæ dictis fidem videntur conciliare. Ego in hac re Burgundos,aut Gallos mallem, maximè, cùm ab his, qui post id tempus ad Claramvallem peregrinati sunt, nullam huius translationis mentionem fieri videam. Potuit Edmondus feliciora tempora nactus Claramvallem eximiè promouere tam longa præfectura, cura tam vigili: sed conseruauit tamen, atque eius zelo debitum putamus, quod perditissimis aliorum Cœnobiorum moribus, Claravallis tamen semper integra manserit, semper obseruans pristini rigoris, & quòd tales sub ipso filios genuerit,qui primis Patribus potuerint comparari. Morbis, & senio fractus sponte cessit,ann. 1551. Atque eo ipso anno, sanctissimo successore nondiu fruitus, ex hac vita migrauit, 24. die Augusti,vt in eius sepulchro notatum legitur.

XLII.

HIERONYMVS.

Cognomento de Soucheria, ex Monacho Montis petrosi, & Doctore Parisiensi, assumptus ann. 1552. Interfuit sacræ Tridentinæ Synodo. Pietate, & doctrina reuerendus, cuius opera (ait Ciacconius) atque consilio Henricus II. Franciscus II. atque Carolus IX. Francorum Reges,frequenter vsi,singulare ingenium,& profundam sapientiam admirabantur. Restituit Claræualli Bernardi tempora. Anno 1564. ad Cistercium promotus Claramvallem retinuit,non proprio ambitu, sed præcepto Summi Pontificis, ad instantem petitionem Claræuallensium Ob quam etiam, neque Cardinalitia dignitate donatus Claramvallem deseruit,quoad vsque ann. 1571. defunctus Romæ,cùm corpus in Ecclesia S.Crucis Ordinis Cistercienfis sepeliretur,cor eius iussu ad Claramvallem delatum est,atque in Claustro Capituli sepultum inter Abbates, supposito lapide,in quo, sed minus, quàm in cordibus filiorum, sancti viri memoria perseuerat. *Hic iacet cor illustrissimi Cardinalis Hieronymi de Soucheria, quondam 42. huius Monasterij Abbatis, cuius corpus in Basilica S.Crucis Romæ requiescit. Cor autem ad nos delatum,hic sepultum est.* In Basilica autem S.Crucis hoc Epitaphium habet, ex quo Ciacconius desumpsisse videtur pleraque verba. *Domino Hieronymo, Aruerno, Parisiensi Theologo præstantissimo, Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Cardinali Carolo Lotharingo, bonisque omnibus eximiè charo, Claræuallis Abbati, qui in Tridentina Synodo sententias, doctrina, pietatis, ac prudentia plenissimas dixit. Inde Cistercij electus Abbas, ipsiusque Ordinis generalis, à Pio V. Pontifice maximo delatam absentis cardinalatus dignitatem, vt acceptaret, vix adduci potuit. Deinde in Vrbem accitus singulari opum, atque gloriæ contemptu, & vitæ moderatione, omnibus admirationi fuit.* Monachi Claræuallenses poni curarunt.

XLIII.

LVPINVS.

Dictus de Myrrha,natione Campanus,ex Monacho Claræuallis, & Notario illustrissimi sui antecessoris, nominatus ab ipso ann. 1571. Neque indignus, vt ei sufficeretur. Monasticam disciplinam integram conseruauit, promouitque, iuxta exemplar, quod à Hieronymo Soucherio, intus, & extra sibi monstratum fuerat. Cuius tempore illustrauit Claramvallem Claudius de Sainctes,sui sæculi lumen haud contemnendum, qui multis clarus effulsit voluminibus,inde in Episcopum Carnotensem assumptus. *In Tabulis Episcoporum Carnotensium.* Subscribit Concilio Prouinciali, ann. 1581. Lupinus variis & ipse scriptis clarus,quæ Seguinus recenset,post annos 6. & viginti sanctè obdormit, an. 1597. quamuis alij sub finem antecedentis obiisse dicant.

XLIV.

DIONYSIVS.

Dictus de Argentina,siue de Argentier,patria Trecensis,Doctor Parisiensis,ex Monacho Claræuallis,& Procuratore generali Ordinis,assumptus ann. 1597. in die Purificationis B Mariæ ab Edmundo Crucio, Reuerendissimo Abbate Cistercij, benedictus. Vir moribus planè aureis (ait Robertus Claudius) qui toto vitæ cursu Bernardum pressis vestigiis imitatus, è Claravalle ad montem lucis æternæ properabat. Eius tempore,an.1599. sepultum fuit in Claravalle, ante altare omnium Sanctorum, cor Tristandi Bizet, ex Monacho

Monacho eiusdem Monasterij Episcopi Sanctonensis, qui dederat Collegio Parisiensi mille libras Turonicas annui census, an. 1577. Floruit Dionysius doctrinâ inter illustres; sed pietate clarus vsque ad miracula, quæ in vita, & post mortem patrasse legitur in Menologio 25. Octobris: qua die à nostris memoria eius recolitur. Præfuit sanctissimè annis 27. & tandem cùm Belgium perlustraret, Ecclesias Claraevallis visitaturus, in Aurea valle, Monasterio Lutzemburgensi, diem clausit extremum, vel habuit primum, vigesimum quinrum mensis Octobris, anni 1614. Eius egregias laudes prosequutus legitur Reuerendus Pater Laurentius de la Rocha, tunc coadiutor, mox Abbas Aureævallis, oratione in eius exequiis habita, quam Lutzemburgi vulgauit eodem anno. Affuit & funeri Reuerendissimus Bernardus de Mongallar, eiusdem domus Abbas, & Serenissimorum Principum Alberti, & Elizabethæ, à sacris concionibus. Vterque mihi notus ex stylo, nam ex facie non lieuit; vterque in veneratione dum vixit habitus; post obitum (quæ vtriusque pietas fuit) religiosè vterque, sed præcipuè Bernardus recolendus. Corpus Dionysij ibidem sepultum est, sed reseruato corde, ad Claramvallem, vt voluit, transmittendo. Extant in eodem Menologio tria Epitaphia, totidem clausa distichis. Vnum præcellere videtur, quod ita habet.

Ortum Treca, gradum Sorbona, & Clara thyaram
Vallis: at exequias Aurea; & astra Deus.

X L V.

C L A V D I V S.

De Argentier, Dionysij nepos, ex coadiutore dato an. 1621. successor 1624. De quo an adhuc viuat, mihi incognitum.

Series Abbatum Ecclesiæ M O R I M V N D E N S I S, ex diuersis authoribus; sed præcipuè ex instrumentis, atque ex libro obituum, & sepulchris eiusdem domus.

I.

A R N A L D V S I.

FRATER Friderici, Archiepiscopi Coloniensis, quem Bernardus Epistola 4. magnam columnam Ordinis appellat. Egressus è Cistercio cum octo Monachis ann. 1115. Morimundum fundat. Inde multos de sæculo conuertens vir eximiæ eloquentiæ, duplicem intra breue tempus suscipit prolem, Bellamvallem in Bisuntinensi diœcesi, in Lingonensi Cristam, illam ann. 1119. hanc 1121. Sequenti 1122. à fratre suo vocatus, Coloniæ prædicat, & plurimos de vanitate sæculi reuocans, Veterem Campum, illustre Monasterium, cuique hodie septuaginta alia subsunt, apud Miræum in Chronico, eiusdem fratris suis expensis construit. Triennio pòst, velut peregrinaturus ad loca sancta, Apostolicis litteris obtentis, Morimundum deserit, non paucos secum ex selectis Monachis habens. A Bernardo per epistolam vocatus, sed non reuocatus, tandem in proposito pertinax in Belgio obiit, an. 1106. dubium an abdicata præfectura.

I I.

V V A L T E R V S I.

Ex Priore primo Claræuallis, & Bernardi, sub illius arduis initiis, per annos 11. fido coadiutore, electus ann. 1126. Monachos ab Arnaldo seductos, atque eius morte dispersos paternè congregat. Sanctum Othonem (post Episcopum Frisingensem) sancti Leopoldi, Marchionis Austriæ, filium, atque Henricum, Comitem Carinthiæ (post Trecensem Episcopum) an. 1127. cum quatuordecim aliis sociis, ex prima totius Germaniæ nobilitate, omnes ad dignitates assumendos, habitu donat. Biennio pòst, Eberhardum, Montensem Comitem, primò in Conuersum, cùm nulli notus esset, mox agnitum in Monachum suscipit. Ebracum (opulentissimum Cœnobium in Ostrofrancis, vt ait Gaspar Bruschius, & cui alia decem subsunt ex illustrioribus) in Herbipolensi, Theolocum in propria Lingonensi diœcesi fundat, alterum an. 1127. alterum 1130. quo etiam ipsam Morimundi Ecclesiam ex primo loco ad commodiorem transfert. Tandem virtutibus, & senio venerandus, sanctè obdormit, an. 1131.

III.

OTHO,

Sancti Leopoldi ex Agnete, Henrici IV. filia, filius; Henrici V. fororius, Conradi frater vterinus, & Friderici Ænobarbi patruus, ex Monacho Morimundi electus an. 1131. Sequenti Villorium in Merensi diœcesi, subsequenti Bethaniam, Clarum fontem, Veterem montem, & sanctam Crucem in Austria fundat. Hanc vltimam, ministrante sumptus, & dotem S.Leopoldo Patre, & primum Monachum, vel saltem inter primos, induente Conrado, fratre ipsius, inde in Pontificem Patauiensem, mox in Salzburgensem promouendo: Veterem montem per Eberhardum, ex Comite Montensi Monachum Morimundi, de quo superiùs. Neque tot fundationibus exhaustus, ann. 1134. duplicem aliam prolem luci dedit. Coronatum, aliàs Morimundum in Lombardia, & Bellum pratum Tullense in Lotharingia. Triennio pòst alia quatuor Cœnobia protulit, Aquam bellam, aliàs Honestam vallem, Bonum fontem, Scalam Dei, & Berdonas, seu Berdonarum: ex quibus Morimundus breui interuallo multis neptibus aucta fœcundauit Hispaniam copiosa prole: ex Scala Dei militias etiam sacras (dignum Othonis germen) susceptura. Cùm septem annos præfuisset, & paucos menses, in Episcopum Frisingensem promotus est. Eius Ecclesiæ instaurator, seu potiùs auctor. Præmonstratenses, tunc recèns mundo exortos eximiè promouit, & multis in diœcesi sua Claustris donauit. Historiam à principio mundi scripsit, & alios libros de gestis Friderici; quem & in Syriam comitatus est, ann. 1147. Vir non minus sapientia, quàm pietate, nec minus pietate clarus, quàm genere. Cuius laudes Radeuicus ante alios, ipsius continuator, & Capellanus, post Radeuicum multi alij prosequuntur. Cùm viginti annis præfuisset Frisingensi Ecclesiæ, mortis, vt creditur, suæ longè præscius, Cistercium ad Capitulum generale de more properans, Morimundum aduenit, ann. 1159. ibidemque peracuta febre correptus, non tam vitæ, quàm imminenti Ecclesiæ schismati, & incendio Frisingiæ subtractus est; in medio Monachorum, & Abbatum, qui ad Capitulum generale concurrebant, exhalans animam, in vigilia Natiuitatis B. Virginis, qua & in Menologio commemoratur. Sepultus iuxta maius altare condigno tumulo, appensisque epitaphiis, quæ genus eius, virtutes, & acta pandunt.

IV.

RAINALDVS.

Fiderl, Tullensis Comitis, frater, fortè ex sociis Othonis, electus an. 1139. Cuius tempore Morimundi linea per filias eximiè aucta, nec minus per seipsam, æmula Claræuallis propagabatur. Nouo in Germania condendo Monasterio, interuentu Ebrardi, Montensis olim Comitis, tunc Morimundi Monachi, à Zizone, Gisslaque Comitibus, Montem S. Georgij liberum accepit: cui & eundem Ebrardum Abbatem præfuit, an. 1142. Sequenti 1143. Franchas valles in lingua Occitana Neumasensis: post biennium 1145. Andræouium in Polonia, Gnesnensis diœcesis, illustre Monasterium. Et duobus aliis annis interpositis 1147. Vallem Dei in Anglia, Herefordensis, & Syluam Canam in Prouincia, Aquensis, luci, & Ecclesiæ donat, atque implet Monachis, transmissis ex Morimundo. Quindennio laudabiliter exacto, circa annum Christi 1154. sponte cedit, nec multo pòst decedit 3. Kalendas Februarij sequentis anni.

V.

LAMBERTVS.

Ex Abbate Clarifontis, electus anno 1154. sed sequenti promotus ad Cistercium, nihil nisi nomen, & egregia sanctitatis exempla reliquit in Morimundo. Robertus Claudius sexennium sedisse tradit. Fortè quos annos fecit in Cistercio, ad Morimundum per errorem transtulit, nam Cistercij præfuisse per sexennium vidimus in Catalogo Abbatum illius domus.

VI.

HENRICVS I.

Prætermissus ab aliquibus, ab aliis vno tantùm anno præfuisse dicitur: adeóque exiguam reliquisse memoriam sui.

VII.

VII.

ALIPRANDVS I.

Electus ann. 1157. quo & Auditiam, Abbatiam in Polonia, & Bellum montem vltra mare fundasse legitur. Eius tempore, Morimundi neptis Fiterium, Calatraua abs Rege Sanctio accepta, & propugnata per S. Raimundum à Saracenis, ann. 1158. inclytæ Calatrauensi militiæ initium dedit. Quo & Sant - Iulianæa (postea de Alcantara) acceptis ab Episcopo Ordonio (Cisterciensi & ipso) Cistercij legibus, non minus Morimundo præparabatur. Sequenti 1159. Aliprandus ad Imperatorem Fridericum pro impetranda pace Mediolanensibus, ab eisdem Legatus, ab eo tanquam de cœlo missus suscipitur. Apud Radeuicum *lib.* 1. Super præstanda obedientia verò Pontifici ab ipso consultus, salutaria respondit; quæ Fridericus sinistrè interpretatus Conciliabulum Papiense congregauit. Decessit Aliprandus anno sequenti 1160. 3. Kalendas Martij, cum conciliabulo, quod eius consilio factum obtendebatur, interesse noluisset. Nec nobis constat de loco, aut sepultura. Eius tempore Morimundi decessit B. Otho, tertius illius Abbas, vt suprà vidimus.

VIII.

ODO.

Ex Priore Morimundi, & Abbate Belli prati, electus ann. 1160. breuis & ipse temporis Præsul; quippe, qui anno sequenti ad 6. Nonas Maij obiisse dicitur. *Scripsit* (ait Robertus Claudius) *sermones de translatione reliquiarum S. Patris Benedicti Floriacum: quos extare manuscriptos testatur Balduinus Moreau, præfatione in regulam eiusdem sancti Patris.* Quod tamen an cum tempore conueniat, aliorum linquo iudicio discernendum. Extant tamen, leguntur que, alia eius opuscula non contemnendæ eruditionis, & pietatis, quæ Philippus Seguinus recenset in Bibliotheca.

IX.

VVALTERVS II.

Electus an. 1161. alterius tantùm & ipse anni Præsul, plus, minusve, si qua Tabulis fides: quamuis decedens 14. Kalendas Februarij, vt notat liber obituum, nisi longo interregno antecedente, non possit facilè ad annum adaptari. Eius tempore B. Lambertus, Abbas Cisterciensis præfectura abdicata, iterum ad Morimundum reuersus est, ibidem breui consummandus. Fundata etiam Abbatia de Saluatione vltra mare, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium.

X.

ALPRANDVS II.

Coronati, siue Morimundi in Lombardia professus, & in Morimundo Burgundiæ diu hospes, eligitur ann. 1162. plus, minusve. Sanctarum Virginum Vrsulæ, sociatumque reliquias, per miraculum inuentas, è Colonia ad Veterem montem, indeque ad Morimundum transmissas suscipit. Præfuit annis 5. aliis 6. Decessit 7. Kalendas Septembris, an. 1168.

XI.

HENRICVS II.

Electus an. 1168. plus, minusve, cuius nulla alia memoria extat, nisi quòd decennium præfuisse dicitur. Celebrem tamen præfecturam eius effecit Fulliensis Ecclesia, Morimundi ex Crista neptis, nata anno Christi ann. 1169. quam primitiuo Cistercio restaurando post plura sæcula, ab æterno electam, nostra ætate experimur, & gratulamur. Obiisse colligitur ex eius successore an. 1178.

XII.

PETRVS I.

De quo multa, & mira Cæsarius *lib.* 1. *Dialogorum, cap.* 33. Cùm esset rudis, interueniente Dæmonis acutissimus, & doctissimus euasit. Postea ad mortem ægrotans, &, siue verè defunctus, siue per visum, ad gehennam damnatus, sed Dei misericordia vitæ redditus, in Morimundo Cistercium professus fuerat. Vir seuerus, & grauis,

qui vix, aut nunquam ridere solitus erat, eligitur ann. 1178. Sequenti 1179. Camlnam, seu Cammam, haud ignobile in Polonia Cœnobium, & Montem Dominæ in Iselstein Hollandiæ (Campensi, vt habet Miræus, postea vniendum) Monachis è Morimundo transmissis, fundat, aliaque egregiè facit. Sed cùm præfuisset triennio, sponte cessit, iterum eligendus, & compellendus Morimundi gerere curam.

XIII.

HENRICVS III.

Sedit annos duos: neque quid aliud de ipso notatum video.

XIV.

BARTHOLOMÆVS.

Breuioris temporis Abbas, quippe octo tantùm mensium. Quibus expletis, officio, & vita functus, atque in Capitulo Morimundi sepultus est, conseruata in sepulchro memoria nominis.

XV.

PETRVS.

Qui antea cesserat, reelectus ann. 1184. Inuitus regimen suscipit, quod tamen summa cum laude exercuit annis 14. Sequenti 1185. Coprivnicensem in Polonia diœcesis Cracouiensis, insignem Abbatiam, atque illustrandam coronis multorum Martyrum, per Monachos ex Morimundo transmissos, fundat. Calatrauenses ad obedientiam Cistercij redeuntes, & à Capitulo generali admissos, anno 1187. sub filiatione Morimundi recipit: & eam filiationem, missis ad Curiam Monachis, à Gregorio Papa VIII. confirmari facit. Eisdem cum Abbate Cistercij præscribit regulam. Eorundem interuentu Monasterium sancti Petri de Gumiel Benedictinum in veteri Castella, de manu Alphonsi Regis, ad ritus Cistercij reformandum suscipit, anno 1194. quo & Abbati illius visitationem militiæ Calatrauæ, & Prioris Monachi in sacro Conuentu institutionem, cùm ipse longè distans, vix posset opportunus aduenire, paterna auctoritate committit. Demum post multa alia egregiè gesta sanctè obdormit circa annum Christi 1198. vt habet Cæsarius. Commemoratur in Menologio Cisterciensi ad 14. diem mensis Septembris.

XVI.

BETHOLVS.

Aliàs Bezellus, electus ann. 1198. Sequenti 1199. subscribit regulæ, præscriptæ Calatrauensibus in Capitulo generali, in qua, prioribus per omnia confirmatis, quædam aliæ leges superadduntur. quo tempore Anisiensis militia in Lusitania (errat Rades, qui posteriorem, hanc vnionem facit) Calatrauæ vnita, ipsa mediante Morimundi iugum suscipit. Eodem, an sequenti anno decesserit, in dubio est. In Catalogo Abbatum Morimundensium vnius tantùm anni Præsul describitur.

XVII.

GVIDO I.

Electus anno 1200. plus, minúsve. Cum Scala Dei de Calatraua litigat, atque in eam per Capituli generalis sententiam præualet: cui confirmandæ cum aliis primis Abbatibus ad Innocentium III. Papam scribit. Herbipolensi generali Conuentui interest, ann. 1208. Othoni Imperatori, cum Philippi, Sueuiæ Regis filia, contrahenti ex dispensatione summi Pontificis, suo, & totius Monastici Ordinis nomine, satisfactionem imponit. Apud Othonem de sancto Blasio *cap.* 51. Turbata pace inter Innocentium, Othonemque, à festo sancti Michaëlis vsque ad Quadragesimam, quinquies Roma Capuam profectus dicitur *ab Abbate Vspergensi*, inuicem conciliandis vtriusque animis. Errat Robertus Claudius in sua Gallia, qui gloriam hanc Abbati Petro tribuit, vt ex tempore constat. Saluaterra à Calatrauensibus amissa, anno 1210. in Hispaniam profectus, reliquias congregauit militiæ. Quo etiam anno ab Innocentio Papa III. ad Huelguense Cœnobium Burgos mittitur, compescendæ audaciæ Abbatissa

Abbatissarum, quæ & confessiones audire Sanctimonialium, & prædicare Euangelium præsumebant. Impediendæ sacrorum Bibliorum translationi in vernaculam linguam præfectus ab Innocentio III. an. 1213. Sequenti 1214. examinandæ culpæ, aut innocentiæ Bisuntinensis Præsulis, qui Simoniæ infamia laborabat. Sant-Iulianæam militiam, hactenus Cisterciensem, sed sui iuris, mediante Calatraua sibi subiicit, an. 1218. ad eius instar per omnia gubernandam, vnico tantùm dempto Priore Monacho; ad quem Sant-Iulianæi, nisi forte spontanei, non tenerentur. De VValdemaro, Kanuti, Regis Daniæ filio, ex Episcopo, Monacho Locellæ, graues Honorij III. litteras suscipit, ann. 1221. Electioni Bisuntinensis Archiepiscopi, à Gregorio IX. præfectus, an. 1228. *in cap. cùm in veteri 51. de electione, & electi potestate.* Abbati sancti Petri Gumielensis, iactanti præscriptionem in instituendo Priore sacræ militiæ, atque ipsa visitanda, potestatem ademit, an. 1235. & resistentem, si quid iuris acquisiuisset, in Capitulo fecit renuntiare. Mox, cùm persisteret etiam post cessionem, ad Hispaniam reuersus, institutum ab eo Priorem amouit, atque alium substituit, quem secum adduxisset ex Morimundo, ann. 1236. quo & Ferdinandum, cognomento Sanctum, Castellæ Regem, Gumielensi fauentem, atque pro ipso appellantem Gregorium IX. in Capitulo generali primùm (nam coram illo litigabant etiam Reges) mox à Gregorio confirmata sententia, per Capitulum lata, semel, & iterum iudicio superauit: & impetrauit ad eundem Regem litteras Pontificias, ne eius impediret iurisdictionem. Præfuit annis 38. quibus exactis, senio iam grauatus migrauit feliciter, æternam sui memoriam orbi relinquens.

XVIII.

ARNALDVS II.

Natione Germanus Morimundi professus, sed qui sex tantùm menses præfuisse dicitur; & cuius nulla alia memoria extat, nisi quòd iacet sepultus in Capitulo.

XIX.

CONO.

Electus ann. 1238. plus, minúsve. Cuius tempore dedicata est Ecclesia Morimundi 7. Idus Septembris, per Dominum Guidonem Lingonensem, & Arnaldum, quondam Senogalliensem, Episcopos. Tamen quia propter occupationes, quas habet Conuentus (ait Tabula Ecclesiæ Morimundensis) circa Abbates de diuersis Prouinciis, ad Morimundum dicta die singulis annis confluentes, annuæ dedicationis solemnitas competenter non posset celebrari, ad solicitam petitionem Domini Cononis, tunc Abbatis, in die Beatorum Prothi, & Hyacinthi Martyrum, auctoritate prædictorum Pontificum translata est, & in eo iussa perpetuò celebrari. Anno M. CC XLI. per Hispaniam visitat; & Monasterium Bonifontis iuxta Molinam, Canonicorum Regularium olim, à Roderico Ximenio Toletano, & Sanctia, Comitissa Molinæ acceptum, atque ab Episcopo, & Capitulo Ecclesiæ Seguntinæ, spontaneè abdicatum, authoritate Capituli generalis Hortensi Abbati tradit administrandum, quandiu de introducendis in eo Sanctimonialibus, quæ Hortensibus subessent, prouidebatur. Eidem Cononi Capitulum generále Cistercij primùm, ann. 1255. mox Alexander IV. sequenti anno, ius in sacram militiam Calatrauæ, & potestatem instituendi Priorem Monachum amplè confirmat, cum clausula quorumcunque obstantium reuocatoria, Datis Laterani, pridie Nonas Ianuarij Pontificatus ipsius anno 2. quo item iubetur in deponendo Magistro Calatrauæ, easdem, atque in depositionibus Abbatum leges seruandas fore. Tandem 25. annis expletis in præfectura (si qua Tabulis fides) mortuus est circa annum Christi 1263. subtractus liti, quæ inter quatuor primos Abbates, & Cistercienſem, Ordinem per triennium conturbauit. Quamuis reuera & ipse ex illis fuit, qui electioni Iacobi se opposuit, cùm, Guidoni, promoto in Cardinalem, ipsis irrequisitis, suffectus esset.

XX.

NICOLAVS.

Morimundi professus, electus ann. 1263. Pendente lite cum Iacobo, Abbate Cistercij, Claræuallensem præ aliis sequutus, manutentionis, atque exemptionis à Iacobo, & Capitulo generali Cistercij, quandiu duraret lis, expeditas per Vrbanum IV. litteras

suscipit, an 1264. Sequenti 1265. cum Cistereio componit; & cedente Iacobo, electioni successoris interest. quo & vocatus à Clemente IV. cum aliis quatuor (cùm omnes conuenissent) Clementinæ consensit, quæ pacem diu turbatam reformauit. Cùm de auctoritate instituendi Priorem in Calatraua (incertum qua occasione) dubitaretur; & Clemens IV. eandem remisisset generali Capitulo, Capitulum, pertinere ad ipsum, declarat, anno 1268. quo & eiusdem declarationis confirmationem ab eodem Clemente Papa obtinet. Litteris datis Viterbij, Kalendis Decembris, Pontificatus ipsius anno 3. Triennio pòst, confirmationem priuilegiorum Ordinis, atque propriæ Ecclesiæ Morimundensis obtinuit à Gregorio Papa X. ann. 1271. Demum cum 9. integros præfuisset, sequenti obiit 7. Kalendas Aprilis.

XXI.

IOANNES I.

Electus an. 1272. (si qua Tabulis fides) visitauit Calatrauam, Hispaniasque ann. 1282. atque sacræ militiæ dedit leges sanctissimas, duodecim capitibus distinctas, sub hoc initio. *Anno ab Incarnatione Domini* 1283. *Nos frater Ioannes miseratione diuina Abbas Morimundi, venerabilem congregationem Religiosorum domus militiæ Calatraua, filiæ inclytæ nostra, personaliter visitantes, subscripta ibidem statuimus firmiter obseruanda, & auctoritate paterna sub obedientia à singulis personis dictæ militiæ, prout quamlibet contingit, præcipimus firmiter obseruari.* Extant in Regia Bibliothecea Sant-Laurentiana, & in Sant-Bartholomæana Salmanticensi. Quot præfuerit annis, incertum nobis, neque enim constant Tabulæ. In Catalogo Abbatum apud Robertos 25. annos habet: quod si verum est, pertigit ad 1297. Reuera tamen id stare non potest; quippe anno 1289. præsidebat Dominicus, qui mediante Hugone illi successit: quod ex Nicolai Papæ IV. litteris constat. Quin & Dominicus sepultus comprobatur, an. 1296. vt constet facilè, antecessorem eius non potuisse ad 97. peruenire.

XXII.

HVGO.

Electus an..... *Impetrauit ab Episcopo Tullensi* (aiunt Tabulæ Ecclesiæ, quas refert Claudius) *tus ædificandi Ecclesias in grangiis nostris, & Leuecurtam, vulgò* Leuccou, *in pagum erexit.* Præfuit annis duobus, obiitque 10. Kalendas Maij.

XXIII.

DOMINICVS.

Aliis Dominus, electus an..... Ei scribit Nicolaus Papa IV. Pontificatus ipsius anno 2. qui incidit in Christi 1289. Singulorum Abbatum, qui tunc Cistercio, & quatuor primis Ecclesiis præsidebant, exprimens nomina. *Dilectis filiis, Theobaldo Cisterciensi, Rufino de Firmitate, Roberto de Pontigniaco, Ioanni de Claravalle, & Dominico de Morimundo Abbatibus*, &c. Obtinuit priuilegiorum confirmationem à Nicolao, & Honorio quartis; obiitque 10. Kalendas Septembris, ann. 1296. Sepultus in Capitulo sub hac inscriptione. *Hic iacet Dominus Dominicus, quondam Abbas Morimundi, qui obiit an. 1296. 10. Kalendas Septembris.*

XXIV.

GERARDVS.

Electus anno 1296. Nominatur in litteris Bonifacij VIII. Datis Romæ apud sanctum Petrum, 6. Idus Iulij, Pontificatus ipsius anno 4. qui incidit in Christi 1297. In Catalogo Abbatum annos tantùm quatuor præfuisse dicitur. Obiit in die sancti Columbani 12. Kalendas Septembris anni 1301. Sepultus in Capitulo sub hac Inscriptione. Anno Domini 1301. (quamuis in exemplari nostro perperàm 1311. dicitur) in die sancti Columbani Abbatis, obiit Dominus Gerardus, quondam Abbas Morimundi.

XXV.

GVILLELMVS I.

Electus anno 1301. Calatrauam deformem ex longo schismate, & alternis Magistrorum depositionibus, auctoritate paterna visitauit, ann. 1304. Charitatem, quibus potuit indiciis,

indiciis, etiam expressit, non Latina, sed Hispana lingua editis legibus, & computatis annis ab Æra Cæsaris, vt sese Hispanis per omnia accomodaret. Extant, leguntur que in vtraque Bibliotheca, Regia nimirum, & Sant-Bartholomæana, sub hoc initio. *Nos Don fray Iuan Guillen Abbat de Morimundo, visitando la casa de Calatraua nuestra fija, en el año de la Æra de 1342. postrimero dia del mes de Diciembre. Mandamos a todos los Freiles, Milites, y Capellanes del sobredicho lugar, estas nuestras diffiniciones establemente guarden, y firmemente tengan*, &c. Eundem annum Morimundo, & Guillelmo fecit illustrem Aulæ Regiæ Cœnobium, sepulchris Bohemorum Regum sacratum, sed longè magis pietate Monachorum, atque innouato post ducentos annos Cistereio, frequentibus miraculis, gloriosisque, atque ipsis euentibus, probatis reuelationibus: de quibus extat historia Ioannis Dubrauij, qui ea tantum scripsit, quæ præsens nouit. Triennio pòst, in Hispaniam reuersus est, non vt visitaret, sed vt prioris frueretur fructu visitationis, quippe nihil ferè præceptis nouis indigens in Calatraua reperit. Vnde nec visitans nouas leges condidit. Post annos aliquot, depositionem Magistri Alcantarensis, per Calatrauæ Magistrum promulgatam, post interpositam ad ipsum appellationem, confirmat, ann. 1318. Apud Rades *cap.* 13. Præfuisse dicitur annis 18. atque obiisse 8 Idus Aprilis. Quod si verum est, ad annum Christi 1320. plus, minusvè, præfecturam cum vita continuauit. Eius tempore, militia Calatrauæ, noua prole adaucta, Montesiam genuit in regno Valentiæ, eisdem legibus vsuram, quibus matet: nisi quòd tamen institutio Prioris Monachi, non vt in ipsa ad Abbatem Morimundi, sed ad sanctatum Crucium in Catalonia Archimandritam spectat, qui ea prærogatiua hodieque fruitur.

XXVI.

VVALTERVS III.

Natione Brito, doctrina æquè insignis, & pietate, electus ann. 1320. Quinquennio pòst, cùm non posset per seipsum, per venerabilem Ioannem, Palatiolensem Abbatem vulgo *de Palaciolos*, visitat Calatrauam, præscriptis legibus, qui cum cæteris aliis circumferuntur, atque extant in vtraque Bibliotheca sub hoc initio. *Viernes veinte y ocho dias del mes de Octubre, año del Señor de mil trecientos, y veinte y cinco. Nos Don fray Iuan, Abbad de Palaciolos, por auctoridad y mandamiento del honrado padre Don VValdero, Abbad de Morimunde, la casa de Calatraua su fija personalmente visitando, mandamos al Maestre, y a todos los otros Freiles de la dicha casa en virtud de obediencia, que firmemente guarden, y vsen todas las cosas que se siguen*, &c. Triennio exacto, anno 1328. depositum per violentiam potentia Regia Calatrauæ Magistrum, atque appellantem generalem Cistereij Synodum, cùm eius causa ad Abbatem Morimundi, tanquam ad ordinarium iudicem remissa esset, primum per commissarium Montis salutis, mox per seipsum attentè examinatum, & insontem inuentum, nec quicquam obsistente Rege, restituit. Apud Rades *cap.* 26. Decessit VValterus 8. Idus Decembris, ann. 1331. sepultus in Capitulo cum inscriptione, Epitaphio illi subiuncto. *Hic iacet Dominus VValterus, quondam Abbas Morimundi, qui obiit anno 1331. in die S. Nicolai Episcopi.*

Abbas egregius tumulo piè subiacet isto,
Doctiloquus Brito, quem vix tantum tulit Ordo.

Huius tempore floruit in Morimundo Ioannes de Claromonte, pietate, & doctrina reuerendus, qui in ea domo exercuit Prioris munus.

XXVII.

RENAVDVS.

Siue Arnaldus, electus ann. 1332. quo in Hispaniam venisse, & Calatrauam Ioannis Pradesij ardore, atque Regum potentia turbatam, iterum legitur visitasse, pacasseque, editis ad exemplar Guillelmi legibus, Hispano tum idiomate, tum computo, quæ hodieque cum aliis perseuerant sub hoc initio. *Nos Don fray Arnal por la gracia de Dios Abbad de Morimundo, visitando la casa de Calatraua nuestra fija, en el año de la Æra de 1370. con consejo del Maestre Don fray Alonso Perez, e del conuento de la dicha casa, mandamos a todos los Freiles del sobre decho lugar, que estas nuestras diffiniciones firmemente tengan, y guarden*, &c. Post quadriennium reuersus in Hispaniam, & surreptionem passus, Alphonsum Perezium, dictum de Toro, contra Ioannem Pradesium (iam tunc verum Magistrum) ad Alcanizium præfecit sacræ militiæ. Sed appellante ad Capitulum generale Ioanne,

& veritate cognita, destitutus Alphonsus, Ipso Arnaldo approbante institutionis à se factæ reuocationem. Apud Rades de Andrade *cap.* 27. sequenti anno, renuntiationem Magistri Alcantarensis, in eius manu factam, acceptat: atque alium eius loco substitui iubet. Apud eundem Rades. Et subsequenti, sæuientibus inrestinis discordiis in Calatraua, cùm non posset venire per seipsum, Guillelmum, Abbatem Rotæ pro se substituit. Qui, quia Castellam, præpedientibus bellis, ingredi non est ausus, in Aragonia leges promulgauit sub hoc initio. *Anno Domini* 1338. *en la fiesta de S. Benito Abbad. Nos Don fray Guillem, Abbad de Rueda por cõmission a nos dada, & fecha por el honrado Padre en Christo D. Arnaldo, Abbad de Morimundo, sobre la visitacion de la casa de Calatraua su fija. E nos viendo que al dicho lugar, menos de peligro, no podiamos ir, en el lugar de Alcaniz, en el Castillo del Maestre, la dicha visitacion vbimos de celebrar*, &c. Arnaldi tempore, Cistercium verè refloruit sub Benedicto X I I. à quo in Benedictina præscriptis legibus, conseruari potuisset perlongum tempus, si non breui, peste, bellisque, & longè deteriori turbine commendarum obrutum esset. Præfuisse dicitur Arnaldus annis 9. plus, minusve. Quod si ita est, incidit eius obitus in annum Christi 1341.

XXVIII.

GVILLELMVS II.

Electus anno 1341. Visitator generalis Hispaniarum, vt habent Tabulæ Ecclesiæ Morimundensis. Sed dum nullam ipsius visitationis in Calatraua mentionem factam video, moueor vt eredam, longa Ioannis Pradesij rebellione, fauori Regum nixa, tum aliorum in ipsum pertinacia, effectum esse, vt Morimundi Abbates fastidirent, quam exequi non possent, iurisdictionem, quippe, si Calatrauæ Regestis eredimus, quæ in vtraque prædicta Bibliotheca etiam conseruantur, ab anno 1338 vsque ad 1397. fermè per 60. inuisitata mansit militia sacra. Præfuisse dicitur Guillelmus annis 14. obiisseque anno 1355.

XXIX.

THOMAS.

Dictus de Romanis supra Mossam, electus anno 1355. Redemit Abbatiam à seruitute Dominorum de Casséolo (ait Robertus Claudius) & cùm 25. annos præfuisset, obiit 8. Idus Aprilis, ann. 1380. quæ ad nos peruenerit, nulla alia memoria sui relicta.

XXX.

IOANNES II.

Dictus de Leuecuria, electus ann. 1380. Præfuit annis 13. & obiit 6. Kalendas Maij, ann. 1393. Sepultus in Capitulo sub hac inscriptione. *Hic iacet veneranda memoria Dominus Ioannes de Leuecuria, quondam Abbas Morimundi, qui die* 16. *mensis Aprilis obiit, ann.* 1303.

XXXI.

IOANNES III.

Dictus de Martiniaco, sacræ Theologiæ Doctor, electus ann. 1393. Cuius tempore 1396. sacra Calatrauæ Militia, auctoritate Benedicti Pseudo Pontificis, in Crucem rubram cucullam commutauit. Sequenti anno, cùm eadem militia ægrè ferret Abbatum Morimundi ab ea visitanda segregationem, reuocare curauit, & dubitantibus de Magistro vero, Abbatibus, post longum schisma dubio, sponte consensit, vt ille solus haberetur verus Magister, qui ab Abbate Morimundi confirmaretur. Præfuerat Gundisaluus Guzmanius per duodennium, nempe ab anno Christi 1385. & nihilominus vocatus ab eo Ioannes ann. 1397. confirmationem, & visitationem simul impendit. Cuius rei instrumentum adhuc extat inter reliqua alia sacræ militiæ. *Datum, & actum in Capitulo sacri Conuentus Calatraua, tempore nostræ visitationis, die prima mensis Februarij, ann.* 1397. Vrgentibus negotiis, in Burgundiam reuersus, Magistro, & fratribus Calatrauæ congregatis potestatem fecit condendi leges, quas suæ militiæ salubriores

salubriores iudicarent. Et reuerà eo anno multæ vtiles latæ, si non vna indignâ, iniustáque, cæteras alias Gundisaluus commaculasset. Sanciuit lege, ne Prior Calatrauæ deinceps Monachus, nevè institutus ab Abbate Morimundi, sed à Magistro, & ex sacri Conuentus Capellanis sufficeretur. Verùm Ioanne Priore, qui tunc præerat, diu superuiuente, reuocata lex illa, antequam posset effectui mancipari. Quinquennio pòst, venerabilis Ioannes ad Ecclesiam Claræuallis promotus est, inde post triennium Cisterrcio præficiendus.

XXXII.

IOANNES IV.

Dictus de Britannis, sacræ Theologiæ Doctor, electus ann. 1402. Triennio exacto, 1405. vocatus ab Henrico, Castellæ Rege, ad Hispaniam veniens, Henricum, Calatrauæ Magistrum confirmat in Cathedrali Ecclesia Segouiensi, præsentibus Abbatibus, Marco de Horta, Alphonso, S. Isidori Hispalensis, & fratre Ioanne, Priore maiore Conuentus Calatrauæ Ordinis Cisterciensis. Eodem anno generalem Conuentum Hispali celebrat totius sacræ militiæ, legibus promulgatis, inter quas lata à Gundisaluo Nunio super instituendo Priore sacri Conuentus irrita declaratur, nullaque, vtpote lata ab omnino non habente in eum, à quo accepisset, iurisdictionem, perpetuo super hoc silentio eunctis imposito, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Abbatibus præcisè Morimundi, aut eius commissariis reseruata, præterquam in articulo mortis absolutione. Extant, leguntur que cum aliis legibus in Bibliotheca vtraque, & citantur à Michaele Marannonio in his, quas edidit Calatrauæ constitutionibus. Triennio post Alcantarenses Milites, Calatrauensium exemplum imitati, auctoritate Benedicti Pseudo-pontificis, abiicere cucullum, & crocem viridem pro illo substituere. Intra annum Ioannes reuersus in Hispaniam, iterum visitauit sacram militiam, & promulgauit leges, satis proficuas, quæ cum aliis leguntur, extantque. Datæ in villa de Almagro, die 26. Iulij, ann. 1418. Præfuit Ioannes annis 21. decessit 3. Nonas Decembris, ann. 1423.

XXXIII.

IOANNES V.

Dictus de Sabaudia, electus ann. 1423. Præfuit annis 8. & obiit 4. Nonas Septembris, ann. 1431.

XXXIV.

GVIDO II.

Electus ann. 1431. Biennio pòst visitauit Calatrauam in regnis Aragonum ad Alcanizium, editis legibus in Castro eiusdem loci, penultima die mensis Iunij, ann. 1433. Post quatuor annos ad Hispaniam iterum veniens, atque in Castellam penetrans, sacrum Conuentum rursus visitauit, 4. die Iunij, an. 1431. *Nos Don fray Guido, Abbad de Morimundo, visitando personalmente la Caualleria de Calatraua, a nos y al dicho Monasterio sin medio alguno sujeta, ordenamos, y mandamos*, &c. Quo item anno in Vrbe Giennensi Prioratum instituit, sub S. Patris Benedicti aduocatione. Apud Andrade *cap.* 32. Præfuit annis 10. obiitque 13. Kalendas Septembris. 1441.

XXXV.

IOANNES VI.

Dictus de Blasaio, electus ann. 1441. cuius etiam extant leges in Calatraua satis prolixæ, promulgatæ ann. 1444. sed inter alia ex eo commendandæ, quòd primæ præscripsere nobilitatem suscipiendis Militibus, quod inde ad alias militias propagatum, intra non multos annos ab omnibus cœpit obseruari. Iniunxit etiam Magistro, fratribusque, vt Capitulum annuatim congregarent, in quo, maioribus Morimundo reseruatis, leuiora deciderent, & instaotibus opportunè prouiderent. Et vocabantur (vt ait Marannonius) quæ ab ipsis fiebant, Acta Capitoli: Diffinitionum, idest, legem nomine reseruato illis, quæ ab Abbatibus Morimundi, dum sacram visitarent militiam, præcipiebantur. Præfuit annis 8. decessitque 5. Idus Maij, ann. 1449.

XXXVI.

XXXVI.

IOANNES VII.

Dictus de Graile, electus anno 1449. Visitauit Scoriam, Hispaniamque, & specialiter militiam Calatrauæ, legibus promulgatis, quæ cum aliis antecessorum suorum extant. Datæ in sacro Conuentu Calatrauensi, die 23. mensis Iulij, ann. 1452. In Dialogo *de prospero, & aduerso statu Ordinis*, vir sua ætate clarissimus dicitur, *parte 2. cap. 45*. Obiit 8. Kalendas Septembris, ann. 1460.

XXXVII.

LAMBERTVS.

Himbertus aliis, dictus de Lona, electus ann. 1460. In Catalogo Abbatum Morimundensium apud Robertum Claudium, visitasse Calatram, Alcantaram, Mootesiam, & Auisium, atque item Poloniæ regnum, dicitur, & in Abbatem Cistercij inde promotum, cùm quatuor annis præfuisset. Verùm promotus ann. 1462. non potuit præsidere vltra biennium. Reliqua habes in Catalogo Abbatum Cisterciensium.

XXXVIII.

THEOBALDVS.

Dictus de Lutzemburgo, electus ann. 1462. Præfuit annos 4. vt habent Tabulæ Ecclesiæ Morimundensis. Decessit, ann. 1466.

XXXIX.

GVILLELMVS III.

Electus ann. 1466. Biennio pòst visitauit Hispaniam, & Calatrauam, in qua & leges eximias Morimundensium Abbatum vltimus condidit, ann. 1468. tempore Roderici Tellez Giron, qui tunc sacram militiam, puer adhuc, ex Pontificio indulto administrabat. Atque his legibus vsque hodie renentur Calatrauenses, obseruatis per ipsos tanto zelo, vt, cùm post annos 43. Ferdinandus, Castellæ Rex, Catholicus, & pòst serenissimus Carolus V. sacram militiam sub titulo Administratorum gubernandam susciperent Hispali ann. 1511. & Burgis, ann. 1523. non prius milites obedientiam illis promiserint, quàm ipsi se vniuersas Guillelmi Abbas leges obseruaturos iuramento firmarent, cunctis prius perlectis, ne cuius ignorantiam possent prætendere. Extat hoc iuramentum in alio codice Bibliothecæ Sant-Bartholomæanæ Salmanticensis, vnà cum ipsis Capitulis Hispalensi, Burgensi MS. in folio, itemque in Archiuiis sacri Conuentus. Rexisse dicitur Guillelmus annos 6. obiisseque ann. 1472.

XL.

ANTONIVS.

Dictus de Bosco rotundo, ex Priore de Sarcophago electus ann. 1452. Fuit Consiliarius Regis Galliæ, quo in multis vsus, ingenium, & prudentiam viri probauit. Creditur præfuisse annos 14. Nec alia eius notitia ad me peruenit.

XLI.

IACOBVS I.

Dictus de Linton, electus ann. 1486. In causa Abbatis Claræuallis, Petri, totius Ordinis nomine agitata cum Abbate Cistercij, pro toto Ordine Iudex designatur, anno 1488. Præfuit quinquennio, & obiit 18. Octobris, ann. 1491. sepultus in anteriori parte Capituli, cum subscriptione notante diem, & annum. Ascitus à Ferdinando, Rege Catholico, iam Administratore Calatrauæ, vt sibi traditam militiam reformaret, cùm morte præuentus venire non posset, Petrus, Abbas Claræuallis missus est, qui id munus exercuit, Capituli generalis authoritate.

XLII.

XLII.

IOANNES DE BIVIEN.

Ex Abbate Vallis lucis, & Belli Prati electus, ann. 1491. Sedit annos 4. obiitque Diuione 15. Kalendas Octobris, ann. 1495.

XLIII.

IACOBVS.

Dictus de Ponte scisso, ex Prouisore Collegij Parisiensis, & Abbate Bellævallis, assumptus, ann. 1495. Septennio pòst à Iulio Papa II. quod antea ius mediatum tantum habebat in militiam de Alcantara, suscipit immediatum, cum omnimoda, & plena potestate: litteris datis Romæ apud S. Petrum, 6. Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno 1. Sequentique, reclamante militia Calatrauæ, quod in Alcantaram immediata potestas sibi competeret, nihilominus impetrauit confirmationem Romæ apud S. Petrum 3. Kalendas Septembris, Pontificatui ipsius anno 2. Sedit annis 7. & paucos menses, post quos in Abbatem Cistercij promotus est, ann. 1503.

XLIV.

RHEMIGIVS.

Dictus de Brasaio, sacræ Theologiæ Bacchalaureus, electus anno 1503. Cujus se subditum in administratione Calatrauæ, fatetur Ferdinandus, cognomento Catholicus, Rex Castellæ, & Legionis, in Capitulo eiusdem militiæ, Hispali, anno 1511. cui præsidebat ipsius Administrator. Quo tempore, ad petitionem eiusdem Regis, qui Alcantarensem etiam administrabat, Leo Papa X. declarauit solemni Bulla, Alcantarenses teneri eisdem legibus, quas Abbas, & Capitulum Cistercij fratribus Calatrauæ olim præscripserant, Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1514. pridie Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno 2. Reformauit, visitauitque Cistercienses Ecclesias, per vniuersam Germaniam, Bohemiam, & Poloniam. Sedit annis 14. decessitque 16. Kalendas Aprilis, anno 1517. vt in lapide sepulchrali eius notatur: in quo tamen, non 14. tantùm, sed 17. annis Morimundi præfuisse dicitur. Quod, cùm non stet cum Epitaphiis Cistercij, quæ mihi certiora, aliorum linquo indicio discernendum.

XLV.

EDMVNDVS.

Dictus Ornot de Pichange, ex Abbate Miratorij electus ann. 1517. Nicolaum Anenium, Monachum Morimundi, Calatrauæ Priorem instituit, vltimum ex Burgundia transmittendum. Eius se subditum in administratione militiæ Calatrauensis fatetur Imperator Carolus V. in Capitulo, Burgis, anno 1523. quod Vallisoleti sequenti est absolutum. Præfuit annis 34. (errat Robertus, qui 40. illi attribuit) decessitque 27. die Septembris, anno 1551. sepultus in Ecclesia Morimundi, non longè à B. Othone, in presbyterio, sub hoc Epitaphio. *Hic iacet frater Aymo, siue Edmundus Ornot à Pigangia, quondam Abbas huius domus, qui obiit 27. Septembris, anno 1551. & rexit eandem domum annis 34.*

XLVI.

IOANNES IX.

Dictus Coquei, sacræ Theologiæ Doctor, ex Prouisore Collegij Parisiensis electus ann. 1551. Sequenti 1552. cùm Nicolaus Auenius Morimundensis, sacræ Calatrauæ militiæ Prior, obiisset, ne Gallum Monachum Priorem institueret, impeditur à Carolo V. Imperatore. A quo, & quantum salua maiestate potuit, instanter rogatur, vt Hispanum, quem vellet, institueret, aut sibi, tanquam Administratori sacræ militiæ, committeret nominandum, quem propiùs vtiliorem noscere posset. Post annos 13. defuncto Imperatore, Philippus II. ad eum Legatum mittit, nobilem virum D. Gueraum de Spes, Equitem Calatrauæ, rogans, & petens, vt ius nominandi Priorem in Calatraua, ex Monachis Hispanis, sibi transmitteret. Super quo etiam illustri Reginæ Franciæ, atque Abbati Cistercij, vt intercedat, litteras dat. Sed eo recusante, idem Philippus Ludouicum Aluarez de Solis, Monachum Morerolæ in veteri Castella, sacræ obseruantiæ Hispaniæ quondam reformatorem, Pio V. Pontifici Maximo præsentauit, pro ea vice instituendum sine præiudicio Abbatum Morimundensium. Ita Ioannes, dum Hispanum detrectat,

detrectat, nullum instituit, & ius, aliàs inconcessum, lubricum fecit. Cisterciensia Cœnobia per Galliam, Flandriam, Sabaudiam, & Lotharingiam, Capituli generalis auctoritate visitauit, reformauitque. Quin & Comitiis generalibus, celebratis Cistercij, dicitur præfuisse à Philippo Seguino (incertum qua occasione) qui & complura illius scripta commemorat. Præfuit Morimundo annis 25. (errat Robertus 18. tantùm numerans) decessitque 16. Kalendas Nouembris, ann. 1576. sepultus in postrema parte Capituli, ad latus sinistrum, cum inscriptione, notante diem, & annum. *Tegitur hoc lapide frater Ioannes Coquei, Doctor Theologus, Cisterciensis Religiosus, & Abbas huius domus, qui diem vltimum clausit 16. Kalendas Nouembris, ann. 1576.*

XLVII.

GRABRIEL DE SAINBELIN.

Iuris Pontificij Doctor, fortè Commendatarius nominatus an. 1576. Præfuit annis 14. Obiit Lutetiæ 14. Kalendas Septembris, ann. 1590. ætatis suæ 44.

XLVIII.

CLAVDIVS I.

Dictus Massonus, Monachus Morimundi, sacræ Theologiæ Doctor, & Regis Franciæ Consiliarius, per electionem Canonicam promotus, ann. 1590. cuius tempore, ann. 1598. decessit Ludouicus Aluarez Solisius, sacræ militiæ Prior: nec multo pòst Philippus II. Hispaniarum Rex, cùm eius tempore Monachi Hispani, ad eius nominationem, sacrum Conuentum gubernassent, Priorum vice. Successor eius, & nepos ex sorore, atque ante mortem etiam coadiutor, Claudius Brisaultius, tale auunculo Epitaphium exarauit.

PIIS POSTERIS.

Admodum Reuerendum dominum Claudium Masson, Doctorem Theologum, Regis Christianissimi Consiliarium, & Eleemosynarium, Morimundi Abbatem, breue spatium continet, cui totus Orbis aeternum erit monumentum.

XLIX.

CLAVDIVS II.

Dictus de Brisault, Campanus, antecessoris ex sorore nepos, atque eius coadiutor: cùm primum vacuam dignitatem Prioris nouit, designauit Magistrum Chrysostomum Henriquez Hispanum, atque Hortensis Cœnobij Monachum, ann. 1629. Et eo defuncto, eundem Prioratum nobis transmisit, ignorantibus prorsus: litteris datis Morimundi die 1. mensis Nouembris, ann. 1633. Sed Calatraua Capellanis suera, nec passa Monachos, ab anno 1600. per substitutos triennales, vice Priorum, ex ipsis Capellanis assumptos, administratur.

INDEX

INDEX

Rerum quæ in hoc primo Annalium Cisterciensium tomo continentur.

A

Acta

Vir

Vincit

Ordinis

non

Gelasium

B

Index Rerum.

Bernardi Monachatus.

Bernardi Præfectura.

Charitas,

Episcopa

Quid

Quàm

Quàm

Bernardi prædicatio.

Bernardi Prophetia.

Bernardi Legatia.

Bernardi miracula.

Conuiciis,

Primum

Cacus

Index Rerum.

C

Capitulum

Error

Cistercij linea, & Genesis.

De

Rainardus

Albastra

Incrementa

Sancti

D

Dæmon, & *Dæmones*.

Domum

E

machinan

Dieta

Cedit

Mona

Verius

H

Ipsius

Drogonem

I

Vide

Impera

Impera

Ad

Medio

Magister

Molismen

Eiusdem

Silua

N

Auctor

Nundinae.

O

Mirabilis

Sancti

Paulini

Egit

S.Hugo

Q

Fundat

Rode

Index Rerum.

Gutta

Fratrum

Soror

Ab

Oratio

Nec

Theodo

Nec

Discipulum

F I N I S.